





THESAURUS
ROMANARUM
ANTIQUITATUM
VOL. II.

THESAURUS ANTIQUITATUM ROMANARUM,

CONGESTUS

a

JOANNE GEORGIO GRÆVIO.

ACCESSERUNT

Variæ & accuratæ tabulæ æneæ.

VOLUMEN SECUNDUM.



VENETIIS,
Typis BARTHOLOMÆI JAVARINA.
M. DCC. XXXII.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO EXCELLENTISS. SENATUS.

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
JOANNES GEORGIUS GRÆVIUS.


Vides hic ſecundum antiquitatum Romanarum tomum. In priore vidiſti, quod fuerit jus civium Romanorum, quæ ratio comitiorum, in quibus ſumma civitatis & libertatis erat poſita, quale ſummum Principum reip. conſilium, ſenatus. In hoc de legibus agetur & judiciis. Cives enim & ſenatus legibus continentur. Hæ vinculum ſunt dignitatis, qua fruuntur cives, & fundamentum libertatis, ut pulchre Cicero. Hinc ut diſputationes de ſenatu finiunt tomum primum, ſic in frontiſpicio hujus tomi ſplendebit Manutii liber de legibus, & alius ejuſdem argumenti Antonii Auguſtini, omnium Hiſpanorum doctiſſimi, qui cum juvenis in Italia magna ingenii & ſingularis doctrinæ documenta publicaſſet, editis ibi emendationum & opinionum in jure libris, quos Cujacius, aliique doctiores Juris Conſulti magni ſuo merito ſemper fecerunt, arceſſitus in patriam, & primo Ilerdenſis Epiſcopus, dein Archiepiſcopus Tarraconenſis fuit factus, multis eximiis ingenii monumentis immortale nominis decus conſecutus, cujus vitam litteris & memoriæ prodidit, V. Cl. Andreas Schottus. Fuerunt in hoc argumento verſati ante hos duumviros Ulricus Zaſius, Aimarus Rivallius & nonnulli alii, quorum opera his quidem profuit, ſed ingenio, eruditione, & elegantia illos longe poſt ſe reliquerunt, ut injuriam fecerit Manutio Franciſcus Robertellus, qui, perpetua in omnes ſuæ ſuperioriſque memoriæ homines eruditos malevolentia ſuffuſus, & canina quadam efferatus cunctos allatrandi rabie, nulli pepercit, ſed ſe longe doctiores indignis modis quovis Zoilo mordacior eſt inſectatus, cum ſcripſit Manutium, Zaſii, Balduini & Grucchi compilaſſe ſcrinia. Zaſii & Manutii ſcripta qui contendet, non poterit non illico deprehendere, quam longe plura, & longe certiora Manutius obſervarit, & quam longe ornatius illa tradiderit. Si vis periculum facere, vide ſtatim in initio libelli Zaſiani ejus de Aelia Fuſia lege ſententiam, & quæ de illa docuit Manutius libro 1. de legibus cap. 8. Nonnullas leges veterum Romanorum, de quibus Paullus Manutius & Antonius Auguſtinus egerunt in his libris, ſequentibus temporibus, accuratius expenderunt & illuſtrarunt Viri docti Legem Velleam Laelius Taurellus, Legem Juliam de adulteriis & pudicitia ſingulari libro Barnabas Briſſonius, Juliam majeſtatis Antonius Contius, & Dionyſius Gothefredus, Falcidiam, Rhodiam, Aquiliam, Franciſcus Balduinus explicarunt. De Papia Poppæa diſſertatio habetur ejuſdem Balduini, nec non Lævini Torrentii, quam adjecit notis ſuis in Horatium, ſed luculentius de eadem diſputavit Juſtus Lipſius in excurſibus ad ſecundum Taciti annalem. Cl. Vir Fridericus Brummerus,

necessarius meus, qui in ipso ætatis flore, cum ex Gallia in Italiam iter faceret, extinctus de lege Cincia librum edidit elegantissimum Lutetiæ Parisiorum. Legis Aquiliæ, de qua extat Claudii Chifletii diatribe, varia capita luce clara perfudit Vir Consultissimus & doctissimus, mihique conjunctissimus, Gerardus Nood. Legem Voconiam spissis tenebris, quibus erat obsessa, discussis, clara luce perfudit vir ingenio & doctrina præstantissimus, Jacobus Perizonius, mihique amicissimus. Alios prætereo. Civitas licet optimis legibus sit fundata, quibus nihil fingi possit salutarius, nisi tamen sint qui eas custodiant, quique in illos, qui eas migrant, animadvertant, frustra rogantur leges, frustra

— *Verba minantia fixo*
Ære leguntur.

Legum enim vis & auctoritas sine judiciis nulla est, quibus aut puniebantur maleficia, aut lites inter cives ortæ dirimebantur. Judicia Romana, judiciorumque ordinem, ut cetera, docte & scienter persecutus est Sigonius. Quæ qui non imbibit, ei non possum auctor esse, ut in Ciceronis orationibus evolvendis multum temporis & operæ collocet. Utramque perdet. Sine illa doctrina velle priscorum Romanorum orationes & alia scripta legere, perinde est ac in magna caligine per Hercyniam sylvam sine duce & comite velle iter facere. Jus civium Romanorum, & rationem judiciorum cum aperuisset Sigonius, Italiæ quoque & provinciarum, quarum cultores secundi quasi cives & inferioris sortis erant, jus & statum explicavit. Nam nisi & hoc cognorimus, quæ sociorum, & quæ subactorum armis legibusque impositis parentium fuerit conditio, qui informare poterimus animis remp. Romanam tam longe lateque per orbem terrarum diffusam, ut ab illa fere fata gentium omnium penderint? aut qui non poterimus in legendis rerum Romanarum auctoribus millies hærere, offendere, labi? In Sigonii libro de jure Italiæ quædam animadvertit Latinus Latinius, quæ hic apponenda duxi.

De Antiquo Jure Italiæ.

Lib.1. cap.21. Quibus autem legibus *par* cuique data sit) pax.

Gallico tumultu solam sine externis ullis auxiliis equitum LXX. millia) LXXX.

Narrat ubi quæ *Mærites*, Populonienses) Cœrites.

Mamertes Cumæque fœdere cum Romanis essent) Camertes.

Lib.2. cap.2. Inde post annos XVII. in consulatu Ti. Æmilii) Cur vero Varronis locum, qui lib.1. cap.2. de re rustica est, non citarit quivis facile conjicere potest, cui modo locus ille diligentius examinatus est. L.

Neque vero ita multo post Licinius ipse [v] sua damnatus est) lege.

Cujus meminit lib.1. Polybius, & *præter* post Polybium) <

Capite 5. Deinde anno CCCXVXVII. L. Sergio Fidenate) CCCXXXVIII.

Antiatem, Anxuratem, *Cinturnensem*, Sinuessanum) Minturnensem.

Castrum novum, Pyrgi, Antium, Terracina, *Cinturnæ*) Minturnæ.

Ariciam, & *Lavinium* referant) Lanuvium ubique scribendum puto. In Lanuvii, Laviniique nomine a multis puto peccatum sæpe esse ob litterarum, locorumque vicinitatem; cum ea sit, mea sententia, expeditissi-

ma hujus ambiguitatis expediendæ ratio, quod ut Confinium Confinienses, ita Lavinium Lavinienses facit, nisi apud poetas Lavinius reperiatur. Lavinii autem oppidum ea conjectura ducor, ut post Coriolanum brevi interierit, quod nusquam ejus extet mentio post ea tempora, cum præsertim prodigia diligentissime adnotata reperiantur in his vicinis urbi locis; Lavinii autem nulla mentio sit in tanta annorum observata serie. Hanc per se lubricam errandi occasionem Græcorum scribendi Latina nomina usus maxime auxit. Quia enim illi litteram V. consonantem non habent in iis nominibus scribendis, quæ necessario ipsam postulant, fuerunt varii, & inconstantissimi. Si quis autem objiciat Lanuvinos municipes, non colonos fuisse, facile ex eadem Epitom. rem hanc ita esse defendes. Nam ibi Antium, Ariciam, & Lanuvium conjungit, constatque eodem jure fuisse omnes eodem tempore donatos, ut habes infra cap. 9. & improprie colonos in Epit. nominatos esse, ut nostri temporis eruditis Viris ingeniose videtur, & fortasse etiam vere. L.

Sigonii de judiciis libris addidimus Sibrandi Tetardi Siccamæ de judicio centumvirali libros duos, quos a multis audieramus desiderari. Tantum quidem abest, ut hoc argumentum exhauserit, ut multa in eo supersint a sollertibus ingeniis investiganda, quæ legentibus prisca monumenta multum negotii facessunt. Nihil tenebricosius est in hac commentatione de Quiritium, & subjectorum Quiritibus populorum jure, quam quod Cicero disputat in oratione pro C. Balbo, neminem ex fœderato populo potuisse jus civitatis Romæ consequi, quam cujus populus sit fundus factus. In hoc capite illustrando diu elaborarunt tam superiore seculo, cum maxime ferverent hæc studia, Sigonius, Turnebus, aliique, tum hujus nostræ memoriæ viri tres eruditissimi, non solius Galliæ, sed temporis sui ornamenta, Nicolaus Rigaltius, Ismael Bullialdus, & Henricus Vallesius, quorum de hoc jure dissertationes plerisque in hac plaga septentrionali invisitatas hic videbis. Francisci Hottomanni, qui inter principes JCtos sui temporis non ultimum tenuit locum, de magistratibus Romanis, de senatu & senatusconsultis, & de formulis antiquis tres libros, qui paucorum in manibus versantur, noluimus prætermittere, ut illorum desideriis, qui eos expetebant, satisfaciamus. Ratio nominum Romanorum est multa caligine infecta, multisque difficultatibus impedita, cujus ignorantia plurimos parit errores, & caussa est, ut de multis non nisi confuse sentire & loqui possint qui veteris juris & legum Romanarum, ut & aliarum disciplinarum volumina versant. Hinc in illa indaganda multum studii collocarunt Viri sæpe laudati Sigonius & Onuphrius, quorum opuscula de nominibus Romanorum hic habes. Iis accedunt Josephi Castalionis JCti Romani, qui superiore seculo, & ineuntis hujus principio, non unum ingenii sui fœtum publicæ luci commisit, reipublicæ litterariæ perquam acceptum, duæ dissertationes de fœminarum & puerorum prænominibus. Illas eis caruisse, his vero prænomina fuisse imposita contendit. Sententiam Castalionis de mulierum prænominibus non tantum rejicit Reinesius ὁ πάνυ ex antiqua inscriptione, quæ est in classe VI. XI. in qua commemoratur AVLA PLACIDIA, nec non ex alia apud Gruterum CCCXLVI. 2. in qua legitur PUBLIAE AELIAE JVLIANAE MARCELLAE S. P. hoc est, ut is exponit, *sanctissimæ puellæ:* sed multis Castalionem quoque refellit Petrus Servius, Medicus Romanus in Miscellaneis cap. V. VI. VII. & VIII. quæ

his subnectenda censui, quia non erat mihi in manibus, uti in paucorum etiam nunc est, hic Servii liber, ne a cupidis harum cupediarum quæratur.

Antiquarum mulierum Romanarum nomina: prænomine eas insignitas.

Ciceroni, Festo, Varroni, Inscriptionibus lux data.

CAP. V.

Ad Leonem Allatium.

Rerum antiquarum cognitio, ut omnium fere jucundissima est, ingenuo quoque, imo principe homine dignissima; ita valde obscura, summisque nodis implicata. Nec profecto mirum. nam si leges ipsas, monumentaque reipublicæ, quæ, ut temporum injurias effugerent, æternaque essent, in æs, metallum durissimum, incisa fuerunt, tandem labefactavit, & confecit vetustas: non est, cur miremur, instituta ac mores, non lapidibus aut metallis, sed infirmæ fugacique consuetudini commendata, vel omnino interiisse, vel labefacta ad ætatem nostram pervasisse. Nominum vero ratio hoc præterea peculiare habet, ut variari, commutarique ad cujusque libidinem liceat. Quare ferendi sunt quicunque *de nominibus* hactenus scripserunt, si in re lubrica & obscura, vel ambigant, vel offendant. Ego autem, etsi agrestioribus musis ac medicinæ addictus, exclususque senatu cœtuque illo, ad ejus tamen quasi tribunus plebis limina stare, eorumque S. C. intercedere nunc audeo. Neque Robortellus suo *de nominibus* libello, neque Castalio disputatione sua *adversus prænominis feminarum assertores* me revocat ab hoc audendo; imo vero magis magisque impellit & incitat. Ajo itaque Romanas feminas prænomine insignitas: ajo, proboque adeo aperte, ut apertius nihil desiderare quisquam possit. Sagunti hæc extat inscriptio:

VALERIVS. MAXIMVS
TI. AELIA. M. F.

hoc est, *Valerius Maximus Tiberia Ælia Marci filia*. Quam inscriptionem vetustissimam esse, res, qua de agitur, & præsertim brevitas attestatur. auctor enim est Antonius Augustinus, brevitatem certissimum esse antiquitatis argumentum. *Alaquas* Hispaniæ ex Grutero in ædibus Agulniorum *Publia* & *Mania* prænomina leguntur:

2. P. L. F. POSTV
MENIA
M. AVRELIAE
B. M. F.

hoc est, *Publia, Lucii filia, Postumenia Maniæ Aureliæ bene merenti fecit*. & Patavii *Lucia*:

L. AELIA. L. F.....
DECRETO: DEC.....

LO-

LOCVS. SEPVLT.....
PRAEFECTVRA....
STATVAM. MARMOR...
VIVA. FECIT. SIBI.

Romæ prope ædem D. Marcelli, *Tiberia*:

....
TI. FLAVIAE........
....GIAE. GALATIA....
CONIVGI. KARISSIMAE.
FECIT.

Et in hortis olim, ut refert Aldus, Fabiani Montii, ubi *Caja*:

DIS. MANIBVS.
C. IVLIAE. IOLES
IVLI. VMBRI. LIB
CN. SEIVS. CRISPVS
CONIVGI. SVAE. BENE
MERENTI. FECIT

hoc eſt, *dis Manibus Cajæ Juliæ*. & in hac inſcriptione duo animadverſione digna obſervo, alterum CAIA prænomen non omnibus fuiſſe mulieribus commune: alioqui enim feminarum complures duobus prænominibus uſæ fuiſſent: quod quam ſit alienum ab antiquitatum obſervatione, notiſſimum eſt. Alterum, falſum eſſe, quod ſcribunt antiquarii, Caja prænomen inverſa littera Ɔ ſcribendum eſſe. Fateor, ea, qua dicunt, ratione ſæpe ſcribi; ſed ſæpius C conſequentes litteras ſpectante. Et illam quidem ſcribendi rationem in libertorum libertarumque monumentis hac ratione, EVTYCHES. Ɔ. L. hanc vero in ingenuis ac liberis obſervo; ut in allata inſcriptione videre eſt.

Extra Tarraconem eſſe ferunt epigrammata, in quo *Lucia*:

L. AMENIO. L. F
GAL. SATVRNINO
AED. II VIR. FLAM
P. H. C
LVCIA. VALERIA

Id eſt, *Lucio Amenio, Lucii filio, Galeria, Saturnino Ædili, duumviro, Flamini ponendum hoc curavit Lucia Valeria*.

Patavii in ædibus, ut ajunt, Livianis *Publia*:

P. SERVILIAE. VIRG
P. SERVILIA
VIRG. VEST. ET. SIBI
V. F.

Hoc eſt, *Publiæ Serviliæ Virgini Publia Servilia Virgo Veſtalis, & ſibi vivens fecit*.

Apud Jan. Gruterum idem prænomen videre eſt:

P. VALENTINAE.

Romæ apud Alexandrum Pichinum e regione ædium Farnesianarum *Aula*:

DIS. M
P. CORFIDIO
SIGNINO
POMARIO
DE. AGGER
A. PROSEVCHA
Q. SALLVSTIVS
HERMES
AMICO. BENEMERENTI
ET. NVMERVM
OLLARVM. DECEM

Et Aquilejæ, ubi *Caja*:

OCTAVIA. C. L. PROCINE
C. OCTAVIA. L. HELENO
CVPITAE. DELIC

Et Romæ in domo olim Ciampolinorum, ubi *Lucia*:

C. CISPI. C. L. NICEPHORI
CRISPI
CISPIAE. C. L. FAVSTAE
L. EVBOTIAE
L. QVARTAE
T. ANNI. T. L. SALICI

Apud Appianum iterum *Lucia*:

L. BABIAE. ROMANAE
NOBILI. PARDVS. SA
GVNTINVS. AMICVS
AMICAE. OPTIMEQVE
DE. SE. MERITAE
F. C.

In villa Egle agri Trevirensis spectatur nobilissimum venerandæ antiquitatis monumentum (utor Gruteri verbis) quo nec cis Alpes insignius aliud extare existimamus, in quo *Publia* videre est:

D. T.... SECV..... O...... M
N..... LIS. SECVNDINI
SECVRI. ET. PVBLIAE. PA
CATAE. CONIVGI. SE
CVNDINI. AVENTINI
ET. ISA
CCIO. MODESTO. ET
MODESTINO. MACEDONI
FILIO

PRÆFATIO.

ET. IVST..... SECVNDI
NVS. AVENTINVS. ET
SECVNDI
.....SECVRVS PAREN
TIBVS. DEFVNCTIS. ET
...VIVENTIAE. EP....
ERVNT.....

Sexaginta fere aliæ nobis præſto ſunt inſcriptiones , prænomina feminarum præ ſe ferentes : quas cum inferius adſcripturus ſim , hinc rejiciam. Prænomina tamen, nominaque hic apponenda duxi, ne quiſquam a Caſtalione hac de re ſibi perſuaderi patiatur. Nam hic auctor tantum tribuit propriis obſervationibus , ut juramento affirmet , nullam omnino reperiri inſcriptionem, in qua feminarum prænomen legatur: *Quod ſi quis*, inquit in libro adverſus feminarum prænominis aſſertores , *ne jurato quidem mihi fidem habendam cenſeat , velim ipſe ſingulos lapides inſpiciat , notet, obſervet: ſic profecto fiet, ut in meam ſententiam facile concedat* . Quæ vero ipſe, vetuſtos lapides ruderaque volvens adhuc adoleſcens, obſervavi mulierum prænomina, hæc ſunt:

A. Æmilia.
App. Aurelia.
B. Valentina. i. Burra.
C. Atilia.
C. Samnia.
C. Fulvia.
Cn. Seja.
Cn. Cocceja.
L. Fortunata.
L. Babia.
L. Ælia.
L. Afrania.
L. Aurelia.
L. Atilia.
L. Cæcilia.
L. Domitia ; iterum
L. Domitia.
L. Peducæa ; iterum
L. Peducæa.
L. Plotia.
L. Tertulla.
L. Quarta.
L. Valeria.
M. Ælia.
M. Poſtumia.
M. Ulpia.
N. Julia.
N. Junia.
P. Ælia ; iterum
P. Ælia.
P. Accia.
P. Æmilia.
P. Julia.
P. Livia.
P. Paccia.
P. Poſtumia.
Q. Cornelia.
Q. Fulvia.
Q. Nonia.
Q. Salluſtia.
Q. Valeria.
Sex. Acinia.
T. Attia.
T. Julia.
T. Munnia.
T. Paternia.
T. Domitia.
T. Ælia.
T. Valeria.
V. Atilia, i. Volera.

Hæc aliaque ſimilia obſervavi mulierum prænomina , cum non adhuc Medicinæ ſacris initiatus , totus moribus noſcendis Populi Romani , inſtitutis , legibus , omnique antiquitati præclariſſimæ Reipublicæ inveſtigandæ addictus eſſem. Neque vero lapidibus duntaxat noſtra nititur opinio, ſed antiquorum etiam fulcitur teſtimoniis , Valerii , Feſti, Cicero-

nis, Varronis, ceterorum. & M. quidem Varronis de Analogia lib.2. hæc ſunt verba, vulgata quidem apud Antiquarios; ſed (abſit verbo & ſuperbia & jactantia) male omnino accepta, & perperam intellecta: *In noſtris*, inquit, *nominibus, qui ſumus in Latio & liberi, analogia neceſſaria. Itaque ibi apparet analogia, ac dicitur Terentius vir, Terentia femina, Terentium genus. In prænominibus ideo non fit item, quod hæc inſtituta ad uſum ſingularia* (*ſingularium* puto legendum, aut *ſingulorum*) *quibus diſcernerentur nomina gentilicia, ut a numero, ſecunda, tertia, quarta: in viris, quinctus, ſextus, decimus*. Et paulo inferius: *E quibus quædam accidunt feminis proportione appellata, declarant prænomina mulierum antiqua, Mania, Lucia, Poſtuma*. Hæc Varro, quibus Feſtus adſtipulatur: *Prænominibus*, inquiens, *feminas eſſe appellatas, teſtimonio ſunt Cæcilia & Tarratia, quæ ambæ Cajæ ſolitæ ſunt appellari: pari modo Lucia & Tertia*. & Valerius lib.x. *Antiquarum mulierum frequenti in uſu prænomina Rutilia, Cæſellia, Rodocilla, Mutrulla, Burra: iſta prænomina a viris tracta ſunt, Caja, Lucia, Publia, Numeria*.

Ceterum clamitantes audio Caſtalionem, Robortellum, Panvinium, alioſque feminarum prænominibus infenſos, priſcis tantum, iiſque perpaucis uſurpata fuiſſe prænomina, ex Valerio, Varrone, Feſto intelligi poſſe. Nam Valerius, *Antiquarum*, ait, *mulierum frequenti in uſu prænomina fuerunt*. & Varro: *Prænomina mulierum antiqua Mania, Lucia*. Ergo, inquiunt, ſolæ antiquæ feminæ prænominibus inſignitæ. Longe tamen aliud, atque opinantur Caſtalio, Panvinius ac Robortellus, Valerium & Varronem ſibi velle liquido conſtat, ſi eorum verba diligentius attendantur. Et Varro quidem non de omnibus mulierum prænominibus mentionem facit, ſed de priſcis duntaxat & obſoletis. Etenim alia antiquitus, alia recentioribus ut viris, ita mulieribus prænomina uſurpata: Agrippa, exempli cauſſa, Hoſtus, Ancus, Opiter, Volero, Tullus, Vibius priſcis prænomina fuerunt frequenti in uſu: ut Agrippa Menenius, Hoſtus Lucretius, Ancus Poblicius, & Ancus Marcius, Opiter Virginius, Volero Poblilius, Tullus Hoſtilius, Vibius Seſtius. Ut igitur hæc virorum prænomina antiquitus ſolum frequenti in uſu poſita fuerunt, ita quæ afferuntur a Varrone Lucia & Mania, non niſi antiquioribus feminis uſurpata. Declarant id aperte ejus verba: *Prænomina mulierum antiqua*. Apertius, quæ ſequuntur: *Videmus Maniam matrem Larum dici, Luciam Voluminam Saliorum carminibus appellari, Poſtumam a multis poſt patris mortem etiam nunc appellari*. En igitur hoc eſt, quod dicebam, Maniam prænomen Larum matri, antiquiſſimæ feminæ, inſitam, Luciam Volumniæ; Poſtumam vero non priſcis modo feminis, verum etiam recentioribus (*etiam nunc*, inquit Varro) impoſitam. Varro igitur non ſibi vult, antiquis ſolum feminis prænomen uſurpatum, adeo ut recentiores omnes eo caruerint; ſed affert in medium ea tantum prænomina, quæ apud antiquas fuerunt in uſu poſita. Non negat proinde recentiores feminas prænomen uſurpaſſe: imo vero id ait, affirmatque clariſſimis verbis: *Poſtumam a multis poſt patris mortem etiam nunc appellari*. Hæc de Varronis loco: de Valerii autem ejus ipſa loquuntur verba: *Antiquarum*, inquit, *mulierum frequenti in uſu prænomina fuerunt Rutilia, Cæſellia, Rodocilla*. Refert nimirum Valerius, ut Varro, antiquiora illa & obſoleta mulierum prænomina, non tamen negat, recentiores feminas prænomine uſas fuiſſe, quin imo id afferit paulo ſuperius: *Puellis non ante, quam nuberent, prænomina imponi moris fuiſſe, Q. Scævola auctor eſt*.

Inſtat rurſus Caſtalio multo acrius quodam Ciceronis loco in epiſt. Famil. quo uno putat ſe, everſis funditusque deletis feminarum prænominibus, de nobis omnibus, *in diſputatione contra mulierum prænominis aſſertores*, tanquam in ampliſſimo Capitolio triumphare. Audiamus ejus verba: *Mihi quidem*, ait, *unum illud, quod a Panvinio ex Cicerone laudatur, a me tamen nuſquam in Cicerone repertum, ad omnia iſtorum argumenta ſubvertenda, validiſſimum videtur. Habuit*, inquis Cicero, *prænomen neſcio quid virilitatis & dignitatis. Ex quo inferri ſane poteſt, ad viros tantum prænomina, quæ virilitatem referant, pertinere.* Non eſt, Caſtalio, adeo firmum hoc ex Cicerone depromptum argumentum, ut, quod ais, ſubvertat, proſternat, obteratque opinionem noſtram: non eſt mehercule, ſi quæ libro x. tradita ſunt a Valerio, diligenter attendamus. Ut feminis, inquit, non prius, quam nuberent, ita viris non niſi ſumpta virili toga prænomina imponebantur. Quod inſtitutum etſi conſequutis temporibus religioſe cuſtoditum non fuit, ipſius tamen Valerii ac Scævolæ (nam ex hujus ſententia ea tradit Valerius) ætate plane cultum, mihi perſuadeo. Eo vero tempore (ineunte anno XVII.) licebat adoleſcentibus in forum venire, accuſare, defendere, privata omnia ac publica domi foriſque ſuſcipere, &, ut cum Tacito loquar, *adoleſcentes tunc primum Reipublicæ capeſſendæ habiles videbantur*: adeo ut eo tempore a pueritia ad virilitatem quodammodo migrare viderentur, Si ergo tunc imponebantur prænomina, quis non videt, ea neſcio quid virilitatis ac dignitatis habere? Nam haud exigua, imo ampliſſima dignitas eſt, virili toga indutum in forum prodire, in Rempub. ſeſe inſinuare, ceteraque obire, unde laus, gloria, dignitas. Quod ſi Caſtalio Valerium contemnat, ac tanquam ſpurium ejus locum rejiciat, refellam hominem alio non minus firmo ac valido argumento. Prænomina non differentiæ tantum cauſa fuerunt uſurpata, ut nimirum alter ejuſdem familiæ (nam gentes cognomine diſtinguebantur) ab altero diſcerneretur, ut M. Tullius Cicero a Q. Tullio Cicerone, Cn. Cornelius Lentulus a P. Cornelio Lentulo: verum etiam honoris gratia ac dignitatis. quod vel ex eo liquet, quod Cicero libro 7. Famil. epiſt. 32. P. Volumnio, nobili ac ſenatorio viro, a quo litteras ſine prænomine acceperat, reſpondens admiretur, tam familiariter a viro gravi & nobili ſecum eſſe actum, ut ſine prænomine, hoc eſt, ſerio & honorifico titulo litteræ ab eo ſcriptæ fuerint: *Quod ſine prænomine, familiariter, ut debebas, ad me epiſtolam miſiſti, primum addubitavi, num a Volumnio ſenatore eſſet.* Si ergo honoris cauſa & amplitudinis apponebantur prænomina, quæ virorum non mulierum propria ſunt, utique vel ex hoc innoteſcit, prænomina habere neſcio quid virilitatis ac dignitatis. Accipe, Caſtalio, utram lubet ad tuum argumentum reſponſionem: ego in poſtremam tuam rationem, *ad prædam potius, quam ad pugnam inſtructam*, irruo. Inſtas ultimo loco, feminas ex eo fuiſſe prænomine expertes, quod in antiquis epigrammatis eſt, exempli gratia, *Antonia Reſtituta*, *Nonia Quintula*, *Cornelia Procula*, aliæque, ut ais, ſine prænomine. Recte quidem ſi omnia, vel plurima antiqua epigrammata legiſſes, eaque reperiſſes prænomine carentia; ſed quia nec plurima tibi fuerunt obviam, ſententiam tuam probare non poſſum, imo cogor accuratius improbare. Quod etſi paulo ſuperius ac me factum eſt, hic tamen re enucleatius examinata, idem breviter perſtringere viſum eſt. Ajo itaque, infirmo niti fundamento opinionem

tuam, si ex eo prænomina e mulieribus Romanis explodi censeas, quod non pauca reperiantur epigrammata, iis quæ careant. Nam præterquam, quod si tuæ inscriptiones eorum sunt expertes, præditæ sunt aliæ a me superius allatæ, hac ratione e viris etiam prænomina certo possem eximere, cum facile possem sexcenta proferre epigrammata virorum, prænominibus carentia: possem & ex auctoribus antiquis prope innumera loca depromere, ut Ciceronis ad Atticum lib. 1. epist. 2. *Quod ad me de Lentuli & Sextii nomine scripsisti, loquutus sum cum Cincio*. & lib. 3. epist. 9. *Pompejus abest, Appius miscet, Hirtius parat*. & lib. 12. epist. 22. *Consularium putat leniores fuisse* (sententias) *Catuli, Servilii, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellii, Volcatii, Figuli, Cottæ, Glabrionis, Silani, Murenæ*. & lib. 12. epist. 19. *Tulit Cæsar graviter: literæ ad Pompejum volare dicebantur: inimici erant equitibus, qui Curioni stantes plauserant*. & Sallustius de bello Jugur. *Cuncta a Bestia, Albino, Metelloque imperata gnaviter fecerant*. & Cæsar lib. 3. de bello Civili: *Libo a colloquio Caninii digressus ad Pompejum proficiscitur*. & Vellejus lib. 2. *Antonius Cæsarem avunculum, Lepidus Paullum fratrem proscripserant*. Quemadmodum igitur ex eo, quod ex nominatis viris prænomina sint explosa, non licet ea omnibus eximere: ita ex eo, quod mulierum pleræque absque prænomine legantur, eas prænomine caruisse, non licet affirmare.

Sed, his omissis, Castalionem lapidibus pugnantem lapidibus aggrediamur. Apud Aldum in Ortographia legitur in epigramm. *Fabius Maximus* sine prænomine:

FABIO. MA
XIMO. V. C.
CONDITORI. MO
ENIVM. PVBLICO
RVM. VINDICI
OMNIVM. PECCA
TORVM. ORDO. ET
POPVLVS. ALLIFA
NORVM. PATRONO

Ibidem legitur *Dionysius*:

D. M.
CANINIA. PIA
DIONYSIO. FECIT.
CONIVGI. CARIS
SIMO

Apud eundem *Coccejus*:

COCCEIVS
PATRVINVS
PRINC
PEREGRINO
RVM

Itidem *Attius*:

DIS. MANIBVS
ATTIAE. T. F. QVINTVLAE
ATTIVS. PHLEGON. PATER
ATTIA. QVINTA. MATER

Ibidem *Atius*:

ATIO. L. F
III. VIRO
PATRONO

Hoc eſt, *Atio Lucii filii tertiumviro patrono*. Apud eundem *Ælius*:

D. M
AELIVS. LVCTVS
QVI. VIXIT. ANN. X
P. AELIVS. DECIMIANVS
EQ. SING. AVG
BVCCINATORI. HERES
PIENTISSIMO
AMICO. TITVLVM. FECIT

In agro Veronenſi ex eodem Aldo viſitur inſcriptio, in qua legitur FIRMO. VI. VIR. in alia LICINIVS. CRISPVS. in alia ATTIO. PROCVLO. & IVLIO. PROCVLO. Neapoli ALVENTIVS. MATVRVS. Romæ AGRILIVS. IANVARIVS. Ad D. Clementis IANVARIVS. Ad D. Paulli de Regula, CLODIO. TALLO. apud Aldum CORNELIO. IVCVNDO. Ad Tabernas obſcuras ATTICVS. Spoleti SATVRNINO.

Jam vero, Caſtalio, ſi quiſpiam ex his aliiſque hujuſmodi inſcriptionibus, e quibus prænomen exemptum eſt, nobis perſuadere contenderet, viros uſos non fuiſſe prænomine, nonne faceret ridicule, nonne inepte? Nam etſi detur, eos, quos modo retuli, prænomine caruiſſe; compertum tamen exploratumque eſt, alios omnes eo inſignitos fuiſſe. Ergo ſi a te in medium allatæ inſcriptiones mulierum prænomen non præ ſe ferunt, non eſt, cur eas ipſas feminas, aliaſque omnes eo plane caruiſſe contendas.

Illud tamen moneo, Prænomen non omnibus vulgo feminis uſurpatum. cum enim habeat, ut ait Cicero, *neſcio quid dignitatis*, dignioribus ſolum ac nobilioribus uſurpatum exiſtimo, quod aperte confirmat Horatius, cum ait, *Gaudent prænomine molles Auriculæ*. Hinc factum eſſe opinor ut in pleriſque antiquis epigrammatis prænomen non ſit adſcriptum, neque apud auctores veteres frequenter reperiatur, quod non ſolum Caſtalioni minorum gentium antiquario, ſed etiam Robortello, imo & ipſi Panvinio, noſtri ſenatus principi, & omnium, qui ſunt, quique fuerunt, antiquariorum præſtantiſſimo, impoſuiſſe videtur.

Num cognomine uſæ ſint Feminæ Rom.

Plutarchus, Suetonius, Epigrammata enodata.

CAP. VI.

Ad Jacobum Buccardium.

PRoximo ſuperiori ævo ſummis contentionibus diſputatum fuit de *Romanarum mulierum cognomine*. Etenim Franciſcus Robortellus, qui primus ex iis, qui eo tempore floruerunt, antiquariis *de Romanorum nomini-*

bus libellum conſcripſit, non niſi gentilicium nomen antiquas feminas uſurpaſſe affirmat. At vero Sigonius, ſummus ille in litteris vir, haud multo poſt idem argumentum luculentiori commentario tractans, tribuit quidem eis gentilicium, & prænomen; cognomen vero, tanquam a veterum conſuetudine abhorrens, explodit. Non defuerunt tamen, qui Sigonianæ ſententiæ prope bellum indixerint. Et primo quidem Robortellus ipſe in *Emendationum* libro contra Sigonium edito, vel priſtinæ ſententiæ pertæſus, vel oblitus eorum[f], quæ prius in libro *de nominibus* ſcripſerat, palinodiam canens, feminas cognomine uſas, ſummis argumentorum viribus probare contendit. Robortellum ſequutus Onuphrius Panvinius, Paulus Manutius, & Antonius Auguſtinus idem, magna argumentorum vi coacta, comprobare nituntur. Sed, ut libere dicam, non ex concepta ſpe, non ex voto. Nam eodem, quo petunt Sigonium, gladio pereunt: adeo ambiguæ ſunt & ancipites ab iis adverſus hunc allatæ rationes, ut iiſdem hic ſuam fulciat opinionem. Et quidem ex eo, quod apud Plutarchum, Tranquillum, & alios legatur *Fauſta major*, *Fauſta minor*, & in antiquis lapidibus *Nonia Quintula*, *Cornelia Procula*, & hujuſmodi ſexcenta, vere affirmare non licet feminas cognomine inſignitas; poſſet enim quiſpiam in Fauſtis majorem & minorem, in Nonia Quintulam, in Cornelia Proculam cognomina eſſe belle & omnino negare, ac prænominum loco uſurpata haud injuria contendere. Profecto, ſi meam liceret interponere ſententiam, plane affirmarem, ea (præſertim majorem & minorem) prænomina potius, quam cognomina fuiſſe. Nam cum prænomen ſit, quo tanquam peculiari ac proprio nomine alter ejuſdem familiæ ab altero diſtinguebatur, ut de M. & Q. Tulliis a me ſuperius dictum eſt; certe nomen major & minor, quo duæ illæ ſorores inter ſeſe diſcernebantur, prænomen eſſe veriſimile eſt. Ceterum ſi rem quaſi aurifica trutina, ut dici ſolet, examinemus, non prænomen id eſſe, (multo minus cognomen) ſed notam quandam, & extemporale ſignum, ſeu ad tempus, non perpetuo appoſitum nomen, reperiemus. Conjicio id haud obſcure ex M. Tullio in epiſtolis ad Familiares, & ad Atticum. nam lib. 8. ep. 9. loquens de Balbo ejus nepote, pro quo adhuc extat illius Oratio, hæc habet: *Balbus minor ad me venit*. & ep. 11. *Balbus minor hæc eadem mandata*. & lib. 11. ep. 12. *Poſteaque quam mihi litteræ a Balbo Cornelio minore miſſæ eſſent*. In hoc Balbo nomen *minor*, non prænomen revera, neque cognomen eſt, ſed nota quædam extemporalis, qua hunc ab eo, quem oratione Cicero defenderat, diſcerneret. fortaſſe enim eodem, quo patruus, prænomine utebatur, dicebaturque L. Cornelius Balbus. Quare Tullius, ut hunc ab eo diſtingueret, *minor* quaſi notam quandam appoſuit. nam cum amphiboliæ ſuſpicio de patruo ac nepote eſſe poterat, nominabatur hic idem Balbus abſque minoris nomine. Att. lib. 14. ep. 23. *Ad me autem, cum Caſſii tabellarium dimiſiſſem, ſtatim Balbus*. & lib. 13. ep. 22. *Balbo quidem intelligebam ſatisfaciendum fuiſſe*. & lib. 12. ep. 8. *De Balbo & in codicillis ſcripſeram*. Idem conjicitur ex majore, minoreque Africano; Catone majore, ac minore. cum aliqua ambiguitas de Africanis, aut Catonibus eſſe poterat, adjuncto ſuperiore, vel inferiore; majore, minoreve extemporali nomine diſcernebantur, cum vero nulla amphibolia, nullum tale nomen apponebatur. id apud Ciceronem, Plutarchum, Valerium, ceteroſque liquido conſtat.

De Quintula & Procula mihi dubium non eſt, quin ea prænomina

ſint.

ſint. Cum enim nomen Quintum non in viris modo, verum in ipſis etiam feminis prænomen ſit, ut cap. v. a nobis probatum eſt, Quintulam, per diminutionem a Quinta dictam, prænomen eſſe neceſſe eſt. Proculam vero prænomen itidem eſſe, Valerius & Plutarchus atteſtantur. Nam qui natus fuit patre ſene, quaſi procul ætate progreſſo: ſive potius qui patre peregrinante, patria procul natus eſt, is Proculi prænomen ſibi vindicavit. Sed hæc quaſi obiter: ad inſtitutum de cognomine feminarum ſermonem revertamur. Infirmæ ſunt & omnino ambiguæ Panvinii, Manutii, Caſtalionis, aliorumque rationes, quibus femineum cognomen oſtendere nituntur. At non infirmæ, ſed apertæ planeque perſpicuæ, quæ ex epigrammatis antiquis, ex Cicerone, Salluſtio, ceteriſque nobis præſto ſunt. Romæ apud lapicidam retro D. Silveſtri hanc vidi exſcripſique inſcriptionem:

D. M
C. POPPAEO
IANVARIO
POPPAEA
IANVARIA
PATRONO. BE
NEMERENTI
FECIT

Illud primo (παρέργως tamen) animadvertas, non omnia gentis nomina in IVS deſinere, ut antiquarii opinantur. POPPAEVS enim VS, non IVS clauditur. Item ANNEVS in epigrammate apud Aldum: VELLEVS in lapide Canuſii: PEDVCEVS in Mutinenſi lapide: PERPERNA, & NORBANVS in Faſtis Capitolinis: ille Conſul ann. DCXXVI. hic vero DCLXX. cum L. Scipione Aſiatico. & alter Norbanus Conſul cum Ap. Claudio Pulcro anno DCCXV. Præterea ſcias (quod prora & puppis eſt) in noſtra inſcriptione IANVARIAM cognomen eſſe, ut liquet non ſolum ex C. Poppæo Januario, cujus hic mentio; ſed etiam ex alia in ædibus Columnenſium, ubi legitur P. AGRILIVS IANVARIVS: ſub porticu Capitolina in regionum fragmento, P. ALBINIVS IANVARIVS, & L. FLAVIVS IANVARIVS: & in hortis Perettorum viminalibus, C. CLAVDIVS IANVARIVS. Quod ſi hanc noſtram Januariam tamquam libertam contemnas (nam revera libertorum longe alia, atque ingenuorum, quod ad nomina ſpectat, eſt conditio) aliam accipe omnino liberam ex hortis Perettorum:

D. M. S
T. FL. AVG. LIB. HERMES. ET. AELIA. IANVARIA. FECERVNT

Hoc eſt, *Diis Manibus ſacrum Titus Flavius Auguſti Libertus, Hermes, & Ælia Januaria fecerunt*. Ibidem alia eſt inſcriptio, in qua legitur:

POPPAEA. IANVARIA.

Et in viridario pontificio collis Vaticani:

IVNIAE. C. SILANI. F
TORQVATAE.
SACERDOTI. VESTALI
ANNIS. LXIIII.

PRÆFATIO.

CAELESTI. PATRONAE
ACCIVS. L.

Hoc eſt, *Juniæ Caii Silani filiæ Torquatæ, ſacerdoti Veſtali annis quatuor & ſexaginta cæleſti Patronæ Accius libertus.*

Et infra Capitolium de eadem, opinor, Junia hæc extat, poſterius inciſa:

JVNIAE. C. SILANI. F
TORQVATAE
VIR. VEST. MAXIMAE
IVVENIO. L

Id eſt, *Juniæ Caii Silani filiæ Torquatæ virgini Veſtali maximæ Juvenio libertus*. Juniam, nemo eſt, qui neſciat, nomen eſſe gentilicium. Torquatam vero cognomen eſſe, T. Manlius Torquatus, A. Manlius Torquatus, M. Manlius Torquatus, celebres in repub. viri, aperte declarant.

Apud Gruterum hæc extat inſcriptio:

CALPVRNIAE
MARCELLAE
M. SEMPRONI
V . . . . . DVS
VXORI. OPTI
MAE. ET. DI
GNISSIMAE.

Calpurnia eſt nomen gentilicium, ut ex C. Calpurnio Aſello, L. Calnio Macro, Calpurnio Fabato, L. Calpurnio Piſone, L. Calpurnio Beſtia, M. Calpurnio Bibulo, liquido conſtat. Marcellam vero cognomen eſſe, præter C. Claudium Marcellum, & alios ejuſdem familiæ nobiles, ea, quæ ſequitur, inſcriptio declarat magis appoſite:

CLAVDIAE
L. FIL. FIRMAE
L. CALPVRNIVS. L. F
MARCELLVS
VI. VIR. AVG
CONIVGI. B. M.
ET. SIBI

Hoc eſt, *Claudiæ Lucii filiæ Firmæ Lucius Calpurnius, Lucii filius Marcellus ſextumvir, Augur, conjugi bene merenti, & ſibi.*

Alia viſitur Tibure:

D. M.
TIB. CLAVDIO. AVG. LIB.
HERMETI
M. PVEROR. DOM. AVGVST.
ET
CORNELIAE. MODESTAE.
MATRI. B. M.
ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQ
POSTERISQVE. EORVM
HOC. MONVMENT. SI. QVIS

DONARE. AVT. VENDERE
VOLVERIT. INF. ARKAE
PP. ROM. HS. L. M. N.

Hoc eſt, *Dis Manibus Tiberio Claudio* (obiter obſerva Tiberium prænomen non unica T. ut inſcite Robortellus, neque ſemper TI. ut contendit Sigonius; ſed TIB. tribus litteris ut Ser. Servius, Mam. Mamercus, Sex. Sextus, ſcribi conſueviſſe) *Auguſti liberto Hermeti Magiſtro puerorum domus Auguſti, & Corneliæ Modeſtæ matri bene merenti, & libertis, libertabuſque, poſteriſque eorum. Hoc monumentum ſi quis donare, aut vendere voluerit, inferat arkæ Populi Romani ſextertios quinquaginta millia numero.* At Corneliam eſſe gentis nomen, nemo eſſe poteſt, qui dubitet. Modeſtam vero cognomen eſſe, tum ex aliis, tum maxime ex ea, quæ apud Inſubres extare fertur, liquido conſtat:

DOMITIO
CN. F. OVF
PLACIDO
VI. VIR. IVNIOR
C. DOMITIVS
MODESTVS
MILES. COH. VII

Id eſt, *Domitio Cnei filio, Oufentina, Placido, ſextumviro juniori* (*juniore* potius, quam *juniorum* interpretor: quamvis aliter doctiſſimum virum ſentire ſciam. nam ſicuti qui recenter in Senatum legebantur, *juniores ſenatores* dicti ſunt; ita qui nuper in ſexvirorum collegium, *juniores ſexviri*) *Cajus Domitius Modeſtus miles cohortis ſeptimæ.*

In Hadriani mole, Arce S. Angeli, & haud abſimilis in ædibus de Valle:

D. M.
TVRPILIAE
EVTYCHIAE
GNESI. LIB
PRIMVS. CONSERVAE
SVAE. BEN. MER. FEC
VIX. AN. XXXV.

Eutychiam cognomen eſſe, liquet ex alia inſcriptione, ubi legitur *L. Ælius Eutychius*, & in alia apud Aldum *M. Aurelius Eutychius.*

In via Appia non procul ab urbe hæc extat omnium nobiliſſima:

CAECILIAE
Q. CRETICI. F.
METELLAE. CRASSI.

Hoc eſt, *Cæciliæ, Quinti Cretici filiæ, Metellæ Craſſi* (nempe uxori: hujuſmodi eſt illud Lucani lib. 2.

---- Liceat tumulo ſcripſiſſe: Catonis
Marcia.

uxor nimirum Catonis.) Hæc Cæcilia Metella vixit Ciceronis ætate; nam filia eſt Q. Metelli, qui anno DCXXCIV. Proconſul Creta inſula

ſubacta, Cretici nomen ſibi peperit. Nupta fuit M. Licinio Craſſo, qui a Parthis bello victus, & interemptus fuit anno urbis DCC. Conſtat igitur hoc Epigramma inciſum fuiſſe vigente Repub. Jam vero in Cæcilia Metella Cæciliam eſſe nomen gentilicium, Metellam cognomen, ejus pater perſpicue declarat. Is enim vocabatur Q. Cæcilius Metellus. Auctores omnes idipſum teſtantur. Cicero 1. de Divinatione mentionem facit Cæciliæ Metellæ, non ejus quidem, quam proxime nominavimus, ſed alterius paulo antiquioris. In epiſt. ad Famil. lib. 8. epiſt. 7. *Paulla Valeria, ſoror Triarii, divortium ſine cauſſa, quo die vir e provincia venturus erat, fecit*. In epiſt. ad Attic. ſæpe mentio fit Cæciliæ Atticæ, Attici filiæ, M. Agrippæ uxoris, & Agrippinæ, quæ Ti. Claudio nupta fuit, matris. quæ quidem Agrippina a Tacito lib. 3. Annal. Vipſania Agrippa appellatur, nimirum nomine gentilicio & cognomine. Salluſtius in conjuratione meminit *Aureliæ Oreſtillæ*. Aurelium nomen eſſe gentilicium, liquet ex L. Aurelio Cotta anno DCXXXIV. Coſ. ex M. Aurelio Scauro, qui conſulatu functo legatus interfectus fuit a Cimbris, & ex L. Aurelio Oreſte, anno DXCVI. cum Sex. Julio Cæſare Coſ. Ex quo Oreſtillam eſſe cognomen apparet. dicta namque fuit Oreſtilla per diminutionem ab Oreſte, ut Agrippina, Tulliola, Atticilla, ab Agripppa, Tullia, Attica. quod non ſolum ex Cicerone liquet, ſed etiam ex epigrammate apud Roccios:

D. M.
VILLIAE. T. FIL.
FAVSTAE
CONIVGI. ET
ARTORIAE. L. F. ATTICILLAE
QVAE. VIXIT. ANN. VII.
MENS. IIII. DIEBVS. XXVIII
L. ARTORIVS
ATTICVS. PATER
ET. SIBI

Hoc eſt, *Valeriæ, Titi Filiæ, Fauſtæ conjugi, & Artoriæ, Lucii filiæ, Atticillæ, quæ vixit annis ſeptem, menſibus quatuor, diebus duo de triginta, Lucius Artorius Atticus pater, & ſibi*. Unde præterea feminarum cognomen aperte conjicimus.

At vero, ſi teſtimoniis auctorum veterum poſthabitis, rem ipſam attendamus, rem ipſam facilius aſsequemur. Quid enim eſt Paullum aut Metellum eſse, niſi ex Paullorum aut Metellorum familia natum eſse? Quis Ciceronem eum eſse negabit, qui e Ciceronum familia natus fuerit? Quare nulla certe ratione mihi ſuaderi poteſt, mulierem ſuæ familiæ nomen reſpuiſse. Ergo quæ in Metellis Metellæ, quæ in Paullis Paullæ, quæ in Maximis Maximæ, in Lepidis Lepidæ, in Marcellis Marcellæ, in Camillis Camillæ, in Poplicolis Poplicolæ, in Rufis Rufæ, in Torquatis Torquatæ, in Brutis Brutæ, in Craſſis Craſsæ, in Cottis Cottæ, in Bleſis, Geminis, Albinis, Meſsallis, Regulis, Lævinis, Pulchris, Cethegis, Gracchis, Tuditanis, Lentulis, Longis, Longæ, Lentulæ, Tuditanæ, Gracchæ, Cethegæ, Pulchræ, Lævinæ, Regulæ, Abinæ neceſsario dicebantur. Sed quid multis opus eſt? Tullia gens in quattuor

divisa erat familias, in Tullios Deculas, Tullios Tollerones, Tullios Longos, Tullios Cicerones. Tullia in Decularum familia nata in Longorum familia suæ familiæ nomine, sive, quod idem est, cognomine distinguebatur, dicebaturque Tullia Decula. Et Valeria e Lævinorum familia cognomine discernebatur a Valeria e familia Maximorum & Corvorum, ac proinde vocabatur Valeria Lævina, ut aliæ Valeria Maxima, & Valeria Corva. Quod si in usu id non positum, quæ, obsecro, perturbatio & confusio fuisset in Cornelia gente? In novem familias hæc tributa fuit, in Dolabellas, Lentulos, Sullas, Cossos, Rufinos, Cinnas, Merulas, Maluginenses, Scipiones. Cornelia igitur in Dolabellis orta Cornelia Dolabella necessarie vocabatur: & ita Cornelia Lentula, Cornelia Sulla, Cornelia Cossa, Cornelia Rufina, aliæque eodem modo.

Illud tamen ultro confiteor, non omnes mulieres familiæ nomen, hoc est, cognomen sibi vendicasse, ac frequenter usurpasse, nempe quia non satis apte id aliquibus accomodaretur. Nam Capitonis filia, Cæsaris, Maluginensis, Cursoris, Scipionis, & aliorum similium inepte vocatæ essent Capita, Cæsara, Maluginensa, Cursora, Scipia, vel Scipiona: quæ tamen, ut aliæ etiam non paucæ consonantioris nominis, aut prænomine innotuerunt, aut patre, aut marito, aut filiis. Valer. lib. 8. cap. 3. *Caja Afrania pro se apud Prætorem verba fecit* & lib. 8. cap. 14. *Claudia Auli filia* 115. *explevit annum*. & lib. 7. cap. 8. *Æbutia L. Menenii uxor*, *&c.* & lib. 4. cap. 4. *Cornelia Gracchorum mater*. Et quidem nominum congruentia & sonus plurimi fiebat antiquis. Nam Cicero, qui ex Pindenisso a se capto cognomen sibi adsciscere affectabat, non tantum propter ignobilitatem gentis ac loci, sed, ut quidam opinantur, propter incongruam nominis appellationem, id omnino renuit.

Prænomine simul & cognomine

Non secus fere ac Viros, Feminas Romanas usas esse contra omnes Antiquarios.

CAP. VII.

Ad Renatum Moræum Medicum Parisiensem, & Professorem Regium.

Φιλογύνεια (fateor) cepit me non mediocris: non ille quidem impudicus ac meretricius amor, (nam hujus vel cogitationis puderet) sed cupiditas quædam, ac studium mulierum Romanarum patrocinii suscipiendi. nam adeo male acceptæ sunt ab Antiquariis, ut ab aliis prænomine, cognomine ab aliis, ab aliis utroque orbatæ fuerint. Panvinius, Manutius, Castalio eis prænomen adimunt; cognomen Sigonius; Robortellus, feminis infensus, utrumque subripit. Age vero cognomina simul & prænomina usurpare consuevisse ostendamus. Ex epigrammatibus prope innumeris ad sexaginta in medium afferam. Romæ in ædibus de Valle extat inscriptio, in qua videre est *Cnæa Cocceja Irina*:

D. M.
COCCEIVS
CN. COCCEIAE

IRINAE. CONIV
GI. ET. T. COC
CEIO. APVLAE
NO. AVO. BE
NE. MERENTIB
VS. VIX. ANNO
S. XIX. M. III. D. X

Et in homo Pichinorum e regione Farneſianarum ædium elegantiſſimis litteris ſcripta eſt *Lucia Domitia Pollina*, aut *Pollinaris:*

D. M.
ZMARAGDI
L. DOMITIA. POLLIN
CVBICVLAR
EX. COLLEG.
CVRANTE. NICOSTRATO
AMICO
B. M

Et apud Cechios *Publia Ælia Artemiſia*:

D. M
L. BOIONIO
OLYMPO
P. AELIA ARTEMISIA
CONIVGI. BENEMERENTI
FECIT. ET. SIBI

In vinea olim Cardinalis Carpenſis ex Aldo *Publia Julia Honorata*:

D. M
AEL. LVCIANO
P. IVLIA. HONORATA
CONIVX
CONIVGI. KARIS
SIMO. ET. AEL
FLAVIANVS
PATRI. PIENTISSIMO
B. M.
FECER

Ad Divi Thomæ *Publia Æmilia Cunegis*:

FILII. FECERVNT
D. M.
P. AEMILI. NICOMEDI. IVN
QVI. VIXIT. ANNIS. XLII
M. VII. D. XX.
DOMINO. D. III. INTER. DECEM
PRIMOS
PATRI. BENE. MERENTI
DVLCISSIMO

PRÆFATIO.

P. AEMILIA. CVNEGIS. ET
P. AEMILIVS. ALYPVS. NICO
MEDES. EQ

In domo Saturninorum *Marca Munatia Amotillina:*

M. MVNATIAE
AMOTILLINI
- - - - - -
SORORI. CARISSIMAE
MVNATIVS. PROCVLVS
COH. IIII. VIG
FRATER

Tita Julia Valentina alio loco:

D. M.
LICINIAE. MAGNAE. QVAI
MATRONAE. L. SEVERVS. T
JVLIVS VALENTINVS. T. IVLIA
VALENTINA. FRATRES
T. LICINIVS
RVSTICVS. ⊳. LEG. III
AVG. MARITVS

Itidem Romæ alio loco *Tita Petronia Rufina:*

M. VARINVS. M. F
PHILIPPICVS
ORD. DEC. Q. ANN
T. PETRONIAE. RVFINAE
ET
VRANIAE. PHILIPPICAE
FILIAE. SVAE
SI. QVIS. IN. HAC
ARCA. ALIVM
POSVERIT. Q. Q. S. S
DABIT
COLONIAE. NOSTRAE
PENAI. NOMINE.....

Hoc eſt, *Marcus Varinus*, *Marci filius Philippicus ordinis Decurionum*, *Quæſtor annonæ*, *Titæ Petroniæ Rufinæ*, *& Uraniæ Philippicæ filiæ ſuæ*. *Si quis in hac arca alium poſuerit quinquaginta ſextertia*, vel *quingentos ſextertios* (nam plane divinandum) *dabit Coloniæ noſtræ penai nomine*.

Apud Aldum *Cnæa Seja Herennia*:

CNAEAE. SEIAE
HERENNIAE
SALLVSTIAE. BARBIAE
ORBIANAE. AVG
CONIVGI. D. N

AVG. VALENTINI
VETERANI
ET
VETERES

Et in alio Epigrammate *Aula Æmilia Prisca*:

L. NVMERIO
L. F. FELICI
A. AEMILIA
PRISCA. MARITO
OPTIMO

In alio *Appia Aurelia Lupercilla*:

D. M. S
AP. AVRELIAE
AP. FILIAE
LVPERCILLAE
ANNOR
XXXXVIII.
P. I. S. H. S. E. S. T. T. L.

Hoc eſt, *Diis Manibus ſacrum, Appiæ Aureliæ, Appii filiæ, Lupercillæ annorum duodequinquaginta : Ponendum juſſit ſibi : Hic ſita eſt: Sit tibi terra levis*. Præclara quidem & perantiqua eſt hæc inſcriptio: in qua animadvertendum Appium prænomen, antiquæ Claudiorum genti familiare, in Aurelios irrepſiſſe, & duabus litteris AP. ſcribi conſueviſſe, ut etiam CN. SP. TI. OP. *Cnæus, Spurius, Tiberius, Opiter*.

Caja Semnia Severina legitur in alia:

D. M
C. SEMNIAE. Q. FIL
SEVERINAE
FLAMIN. AVG. MEN
C. TERENTIVS. ANICETVS
AMICAE. OPTIMAE. ET. SIBI
V. P

In alia *Publia Antonia Servata*:

DIIS. MANIBVS
CAII. CATTII. NIGER. P
ANTONIAE. SERVATAE
M. CALIDATIVS. NIGRINVS
SIBI. ET. OPTATAE. VXORI
V. F

Lucia Aurelia Satura in alia:

D. M.
MARINA. SECVN

DINA.

DINA. VIX. ANN. LIII.
L. AVRELIA. SATVRA
VIX. ANN. XXI.
L. AVRELIVS INGENVVS
MILES. LEG. XIII. GEM.
ANTONIANAE
MATRI. ET. SORORI. POSVIT

Id eſt, *Dis Manibus, Marina Secundina vixit annos tres & quinquaginta, Lucia Aurelia vixit annos unum & viginti, Lucius Aurelius ingenuus miles legionis decimæ tertiæ Geminæ Antonianæ matri & ſorori poſuit.*

Publia Ælia Procla in alio lapide:

D. M
P. AELI. PROCLVS
VE. LEG. XIII G
VIX. AN. XL. P
AEL. PROCLA. PAR
ENTIBVS. PIENTISS
POSVER

Hoc eſt, *Dis manibus, Publius Ælius Proclus veteranus legionis tertiæ Germanicæ* (vel *Geminæ*) *vixit annos quadraginta, Publia Ælia Procla parentibus pientiſſimis poſuerunt.*

Marca Ælia Tertulla alibi:

M. AELIA
TERTVLLA
L. CAECILIVS
VXORI. FE . . .

Lucia Atilia Cupita in alia:

M. ATILIO. L. F. FAL
ALPINO. AED
V. ATILIAE. M. F. VAEMONAE
L. ATILIAE. M. F. CVPITAE
C. ATILIO. C. F. ALPINO
M. ATILIO. M. F
PRISCO
ATILIAE. M. F
POSILLAE
ATILIAE. M. F. SECVNDAE
LICINIAE. C. F. CVPI
TAE. NEP.

Id eſt, *Marco Atilio, Lucii filio Falerina, Alpino Aedili, Voleræ Atiliæ Marci filiæ*, &c.

In alio antiquo lapide *Tita Attia Læmotina*:

D. M. T. ATTIAE
LAEMOTINAE
DEF. ANN. XXX

CONIVGI. SVO. BENEME
RENTI. ET. EPAPHO. FILIO
Q. VIXIT. ANN. XVII. M
V. D. XV. ET. LIBERTIS
LIBERTAB. POSTERISQ.
EORVM. CVMANIS

In templo Divi Alexii elegans & ſatis longa viſitur inſcriptio, in qua videre eſt:

L. PLOTIAE. HELENAE

Romæ itidem alio in loco *Publia Nonia Proto:*

L. SELIVS. L. L
EVCARVS
SIBI. ET. SVIS
ANNIAE. SEVERAE
P. NONIAE. PROTO

In Divi Michaelis templo:

P. IVSTA. DONAT
P. IVSTO. PANCALO
CONIVGI. BENEMERENTI
SVMTIBVS. SVIS
FECIT

Lugduni, *Quincta Valeria Martina:*

D. M.
ET. QVIETI. AETERNAE
AVR. HERMETIS
LIB. AVGG. NN. D
TAB. OMINI. DVL
CISSIMI. Q. VALERIA
MARTINA. CONIVGI
KARISSIMO. DE. SE
B. M. P. C. ET
POSTERISQVE. SVIS
ET. S. D

Ir alio lapide ad D. Michaelis:

D. M.
P. IVSTA. DONATA
P. IVSTO. PANCALO
CONIVGI BENEMERENTI
SVMTTIBVS. SVIS
FEC

Apud Aldum Manutium *Publia Poſtumenia Paulla*:

P. POSTVMENIAE
P. F
PAVLLAE
AVIDIAE. PROCVLAE

RVTILIAE. PROBAE
SACERD. D. IVLI. AVGVST
D. D

In alio lapide *Quinta Fulvia Opiola:*

Q. FVLVIO. Q. F. OPIO. AED
Q. F. OPIOLA. TEST.
PONI. IVS
C. APPIVS. SVPERSTES
CANINIVS
MONIANVS. H. P. C

Neapoli perantiquus lapis, in quo:

M. POSTVMIA PROCLA

Plutarchus vero, qui in Quæſtionibus ait, Romanas mulieres duobus, mares tribus nominibus uſos, mihi negotium non faceſſit. nam primo quidem jam ſuperius cap. v. ſcriptum a nobis eſt, prænomen non omnibus vulgo feminis uſurpatum. Deinde ſicuti falſum eſt, mares omnes tribus ſolum nominibus uſos, ita a veritate alienum, omnes feminas duo tantum nomina uſurpaſſe. Imo vero ut virorum nominum inconſtans ratio & conſuetudo fuit, cum aliqui quatuor nominibus appellarentur, ut Q. Cæcilius Metellus Creticus, P. Cornelius Scipio Naſica, M. Æmilius Lepidus Porcina: aliqui tribus, ut Cn. Papirius Carbo, C. Caſſius Longinus, M. Livius Druſus: aliqui duobus ſolum, ut Cn. Octavius, M. Herennius, C. Antiſtius, L. Gellius, P. Mænius, T. Didius, L. Lutatius, P. Rupilius, M. Aquillius, C. Norbanus, M. Antonius, A. Gabinius, C. Marius, M. Perperna, M. Manilius, L. Opimius, C. Duilius, Ti. Coruvianus, ceterique ſexcenti: ita mulieres varie diverſeque appellatæ fuerunt. uno nimirum nomine, ut Sempronia, Tullia, Julia, Terentia, Cornelia; & duobus, ut Cæcilia Metella, Paula Valeria, Aurelia Oreſtilla, Vipſania Agrippa, Æmilia Lepida: & tribus, ut ſuperius probatum eſt. Plutarchus vero, ſi de frequentiori nominum uſu loquutus eſt, vere loquutus; ſin minus, plane hallucinatus.

Primam, ſecundam, tertiam, quartam, & quintam.

Interdum prænomina, interdum cognomina fuiſſe, lite inter Antiquarios dirempta.

CAP. VIII.

Ad Joannem Uveslingium in Patav. Gymnaſ. Botanicæ & Anatomiæ Profeſſorem primarium.

ROmanorum nominum ratio adeo obſcura eſt & implicita, ut mirum nemini videri debeat, ſi in eo doctiſſimorum etiam virorum acies quandoque caliget, & in abſurda quædam planeque aliena feratur. Carolus Sigonius vir ad omnem antiquitatem, Latinam, Græcam, Judaicam

illuſtrandam natus, in Emendationum libro contra Robortellum acriter inſtans, *Primam*, *Secundam*, *Tertiam*, *Quartam*, & *Quintam*, prænomina, non cognomina fuiſſe, probare conatur. At vero Franciſcus Robortellus, aut opinione, aut contradicendi libidine ductus, acerbiſſime invehitur in Sigonium, negatque omnino prorſus ea eſſe prænomina, & cognominis loco uſurpata contendit. Cæterum utrumque ad veritatem loqui, utrumque hallucinari, paucis oſtendam. Et quidem ea eſſe prænomina, liquido conſtat ex Varrone de Analogia: *In prænominibus ideo non fit idem, quod hæc inſtituta ad uſum ſingularium, quibus diſcernerentur nomina gentilicia, ut a numero Secunda, Tertia, Quarta; in viris, Quintus, Decimus.* Hæc Varro, quæ adeo aperta ſunt, ut apertius nihil deſiderare quiſquam poſſit.

Jam vero cognomina etiam fuiſſe, ex eo primum conjectare licet, quod in viris *Primum*, *Secundum*, *Tertium*, *Quartum*, & *Quintum*, cognomina interdum fuiſſe obſervarim.

De *Primo* hæc eſt inſcriptio in ædibus Farneſianis:

FORTVNAE. REDVCI
DOMVS. AVGVSTI
SACRVM
TRIB. CORP. FOED
M. ALLIVS. TYRANNVS
C. FVRINIVS. FAVSTVS
P. FVLVIVS. PHOEBVS
AVRAR. L. VENNIVS
ZOSIMVS
C. AVRELIVS. PRIMVS
IMVNES. PERPETVO. D. D
DICATVM. III. IDVS. OCTOB

Hoc eſt, *Fortunæ reduci domus Auguſti ſacrum*, *Tributarii*, *Corporati*, *Fœderati*, (nempe Ordo Tributariorum, Corporatorum, Fœderatorum. ſic enim ex antiquo lapide Capitolino interpretor) *Marcus Allius Tyrannus*, *Cajus Furinius Fauſtus*, *Publius Fulvius Phœbus*, *Aurarius*, *Lucius Vennius Zoſimus*, *Cajus Aurelius Primus*, *imunes perpetuo*, *decreto Decurionum dicatum tertio idus Octobris*.

Id ædibus Cardinalis Cæſii in Vaticano:

D. M
N. OGVLNIO
PRIMO
PATRI. OPTVMO
FECIT
ATIMETVS
FILIVS

Hoc eſt, *Numerio Ogulnio Primo*.

Magni facio Cæſium hunc lapidem duplici de cauſſa: altera, quia in verbo OPTVMO. V. pro I. uſurpatur, antiquitatis ſane firmum teſtimonium. Altera, quia brevis eſt inſcriptio, pura & elegans. quod itidem antiquitatem atteſtatur. Nam inſcriptiones omnes, quæ vere antiquæ ſunt, renuunt ea farcimina, quæ conſequuta tempora conge-

rere consueverunt. Memini me legisse in ædibus Farnesiorum (liceat paululum, eruditionis causa, a re proposita aberrare) M. Catonis inscriptionem, solo ejus nomine insignitam:

M. PORTIVS. M. F
CATO
CENSORIVS

Et prope Capitolium non absimilem, immo re plane eandem, sola Porcii orthographia diversam:

M. PORCIVS
CATO
CENSORIVS

Et Olyssipone ex Resennio:

M. PORCIVS. M. F. M. N. CATO

In ædibus Maffejorum Romæ:

P. VALESIVS. VOLESI. F
POPLICOLA

Cajetæ:

L. CORNELIO
SVLLAE. FELICI
DICTATORI
LIBERTINI

Romæ de Cn. Pisone:

CN. CALPVRNIVS
CN. F. PISO
QVAESTOR. PRO. PR. EX. S. C
PROVINCIAM. HISPANIAM
CITERIOREM. OBTINVIT

Apud Fulvium Ursinum:

MARTEI
M. CLAVDIVS. M. F
CONSOL. DEDIT

Jam vero, ut eo, unde discessit, revertatur sermo, vel ex una brevitate constat, Cæsium lapidem antiquum esse: ac proinde antiquo tempore *Primum* fuisse cognomen. Liquet id ipsum ex alio in ædibus Capranicorum, ubi videre est *Cn. Pollio Primo*; & in Agone *L. Cornelius Primus*; in regionum fragmento in Capitolio *T. Turpanius Primus*; apud Aldum ex hortis Carpensibus *T. Antonius Primus*; ibidem *M. Cæsonio Primo*, *L. Sergius Primus*, *C. Munatius Primus*, *Cn. Pollio Primo*, *M. Calpurnius Primus*; Interamne *P. Catilio Primo*; in inscriptionibus Jo. Baptistæ Donii *C. Aurelius Primus*.

De *Secundo* in monte Aventino ad D. Alexii:

IN. HONOREM. DO
MVS. AVGVSTI

PRÆFATIO.

TI. CLAVDIVS. SECVN
DVS. COACTOR
CVM. TI. CLAV
DIO. QVIR. SECVNDO
F. VIATORIBVS. III.
VIR. ET. IIII. VIR
SCHOLAM. CVM. STA
TVIS. ET. IMAGINIBVS
ORNAMENTISQVE
OMNIBVS. SVA. IM
PENSA. FECIT

Hoc eſt, *Tiberius Claudius Secundus Coactor cum Tiberio Claudio Quirina Secundo filio* (vel *fratre*. nam duos fratres eodem uſos prænomine docet Aſconius in Miloniana, & inſcriptio ad D. Pauli, ubi ipſe legi, *Titi Flavii fratres*, & in alia *Marci Attii*) *Viatoribus*, *Triumviris & Quartumviris ſcholam cum ſtatuis*. Et Soræ ex Aldo, *M. Fabio Secundo*. Veronæ *L. Aquillius Secundus*. Apud Aldum *C. Quartius Secundus*. In ædibus Capranicorum *L. Turcius Secundus*. Apud Gruterum *L. Cancius Secundus*. Ad Agonem *L. Ancilius Secundus*. Ad D. Servatoris trans Tyberim *Calpurnio Secundo*. Apud Aldum *L. Cornelio Secundo*, *Sex. Pedio Secundo*. Apud Delphinos *M. Fabio Secundo*. Caſini *C. Bedius Secundus*. In æreo nummo *M. Arrii Secundi*. In tabulis Capitolinis *Q. Poppæus Q. F. Q. N. Secund.* hoc eſt, *Quintus Poppæus*, *Quinti filius*, *Quinti nepos Secundus*: quicquid dicant alii de *Secundino*: quos refellit Dio, qui aperte *Secundum* appellat, Conſulemque una cum M. Papio Mutilo ſuffectum Q. Sulpicio Camerino & C. Poppæo Sabino anno DCCLXI. profitetur. Ac demum in vinea Marchionis Juſtiniani ad portam Flaminiam, omni antiquitatum genere exornata, *P. Manlio Secundo*: *Q. Propertius Secundus*:

De *Tertio* apud Gruterum:

C. FABIVS. TERTIVS.
SIBI. ET. SVIS
VETVRIAE. P. F. FAVSTAE
VXORI
VETVRIAE. SPVRIAE
PEREGRINAE
P. ANNIO. PVLADI

Hoc eſt, *Cajus Fabius Tertius ſibi & ſuis*, *Veturiæ Publii filii Fauſtæ uxori*, *Veturiæ Spuriæ Peregrinæ Publio Annio Puladi*:

De *Quarto* Neapoli:

D. M
C. IVLIO. QVARTO
VET. EX. PR. N. GALLO
M. CAECILIVS. FELIX
NONIA. HERACILIA
S. ET. S

Id eſt, *Dis Manibus*, *Cajo Julio Quarto Veturia ex Prætorianorum numero Gallo* (alterum *Julii* cognomen) *Marcus Cæcilius Felix*, *Nonia Heracilia ſibi & ſuis*.

Et

Et apud Gruterum:

CVCIO. ROMVLO
QVARTO
KA. F. I

Hoc est, *Cucio Romulo Quarto Kæso Fabius inscripsit*, vel *Kalendis Februarii inscriptum*: Divinandum, sed ingeniose.

Et Romæ in ædibus Capranicorum:

P. PETRONIO. QVARTO
CONTVBERNALI
CARISSIM
IVLIA. CYTERIS. ET. SIBI
FECIT

De *Quinto* est Præneste perelegans inscriptio:

T. MASCLIVS
QVINTVS
SACRVM

Jam vero si in viris *Primum*, *Secundum*, *Tertium*, *Quartum*, & ipsum *Quintum* cognomina interdum fuisse ex inscriptionibus apparet, cur idem in *Salvia Prima*, *Julia Secunda*, *Livia Tertia*, *Septimia Quarta* (nam de his maxime lis est) asserere verendum est? Sed hactenus conjecturæ: rem apertissimis testimoniis ostendamus. Prope Patavium est inscriptio, quæ litem ita dirimit, ut apud neminem sit provocatio:

C. ATILIA. C. FILIA
PRIMA. SIBI
ET. Q. SICINIO. M
F. SVO. VIRO
V. F
IN. FRONTE
P. XX
H. L. ET. M
H. N. S.
DIS PENATIBUS

Hoc est, *Caja Atilia*, *Caii filia*, *Prima sibi & Quinto Sicinio*, *Marci filio*, *suo viro vivens fecit*. *In fronte pedes viginti*. *Hic locus & monumentum hæredes non sequitur*. *Dis Penatibus*.

Narbone extat lapis de *Secunda*:

L. AFRANIA
C. F. SECVNDA
VXOR. PIA. FRVGI
HIC. EST. SEPVLTA
P. Q. XV.

Et Ameriæ itidem de *Secunda*:

CL. AGNATIA
SECVNDA

Apud Lapicidam prope D. Andreæ de Frattis *Quarta*:

DIS. MANIBVS
SEX. OCTAVIVS. IANVARIVS

PRÆFATIO.

VIVVS. FECIT. SIBI. ET
M. DOMITIAE. QVARTAE
CONIVGI. K. B. M
IN. F. P. XVI. IN. A. P. XXVII

Id eſt, *Dis Manibus*, *Sextus Octavius Januarius vivus fecit ſibi*, & *Marcæ Domitiæ Quartæ conjugi cariſſimæ, bene merenti. In fronte pedes ſexdecim, in agro pedes viginti ſeptem.*

De *Quinta* ad D. Mariæ in Via:

D. M.
N. FAVSTAE. QVINTAE
CONIVGI. INCOMPARAB
Q. VIX. ANN. XXXV
M. III. D. XII
C. FABRICIVS. SERPICAMVS
F. I. ET. SIBI
H. M. H. N. S

Hoc eſt, *Dis Manibus, Numeriæ Fauſtæ Quintæ conjugi incomparabili, quæ vixit annis quinque ac triginta, menſibus tribus, diebus duodecim, Cajus Fabricius Serpicamus fieri juſſit & ſibi. Hoc monumentum hæredes non ſequitur.*

Et itidem Romæ in domo quadam.

C. FVLVIA. QVINTA
C. FVLVINIA
C. FVLVINIVS. C. L
EROS

Hoc eſt, *Caja Fulvia Quinta, Caja Fulvinia, Cajus Fulvinius, Caii libertus Eros*. Neque eſt, cur quiſpiam miretur, *Primam*, *Secundam*, aliaque e numero derivata nomina modo prænominis, modo cognominis loco uſurpata, quia idem obſervatur in Paullo, Coſſo, Agrippa, Poſtumo, Proculo, Tullo, ceteris non paucis. Et Paullus quidem in Paullo Fabio Maximo prænomen eſt, cognomen vero in Marco Æmilio Paullo: Coſſus apud Cornelios prænomen fuit, apud Lentulos cognomen: Agrippa in Agrippa Menenio Lenato prænomen, cognomen in Lucio Vipſanio Agrippa: Poſtumus prænomen in Poſtumo Cominio Aurunco, cognomen vero in Lucio Autronio Poſtumo: Proculus prænomen in Proculo Julio, cognomen in Tito Statilio Proculo. Illud ex Livio lib. 1. Hoc e ſcriptione Vaticana: Tullus prænomen in Tullo Hoſtilio, cognomen in Lucio Volcatio Tullo. id Faſtis Capitolinis, Livio, Dionyſio, Plutarcho, Pediano, ceteriſque teſtantibus.

APPENDIX

De agnomine, & cognomine.

NEque vero extra chorum ſaltare videor, ſi quæ de cognomine agnomineque apud varios auctores obſervavi, adſcribo. nam etſi de mulierum nominibus hic agere conſilium eſt, tamen quæ longa accurataque indagatione obſervavi, ab antiquariis minime animadverſa, opportune adjiciam. Quid autem ſit *agnomen* diu quæſitum, adhuc tamen obſcurum & plane ignotum omnibus & grammaticis & antiquariis. Putant

plerique viri docti, veteres grammaticos ſequuti, agnomen eſſe quod quarto loco ponitur, ut Africanus in P. Cornelio Scipione Africano, ut Creticus in Q. Cæcilio Metello Cretico, ut Felix in L. Cornelio Sulla Felici, ut ceteri in ceteris ſexcentis. Sed nugæ ſunt, (pace dixerim) non ſolum enim Ciceronis loco, a Sigonio e Somnio Scipionis & aliunde producto, refelluntur; ſed multo acrius a Livio, Valerio, Suetonio, Vellejo, Macrobio. Floro, Rufo, ceteris a me notatis. & Livius quidem lib. 47. hæc habet: *L. Cornelius Scipio, qui cum Antiocho bellaverat, cognomine fratri coæquatus, Aſiaticus appellatus eſt*. Ergo & Aſiaticus & Africanus cognomen, non agnomen eſt. Valerius id ipſum oſtendit lib. 3. cap. 5. & lib. 5. cap. 5. *Cum ei* (ſuperioris Africani filio) *voluntaria morte abſumi ſatius fuerit, quam inter duo fulgentiſſima cognomina patris & patrui, altero oppreſſa Africa jam parto, altero jam majori ex parte recuperata Aſia ſurgere incipiente, manus vinciendas hoſti tradere*, &c. Suetonius vero de illuſtribus Gramm. hæc habet verba: *L. Aelius cognomine duplici fuit, nam & Præconius & Stylo vocabatur:* ac proinde L. Ælius Præconius Stylo dictus, Stylonem non agnominis, ſed alterius cognominis loco habuit. Vellejus lib. 2. *Q. Metellus Numidici filius, qui meritum cognomen Pii conſequutus eſt, & appellatus Q. Cæcilius Metellus Pius*. Macrobius Saturnalium lib. 1. *Valerius Maximus, poſtquam Meſſanam, urbem Siciliæ nobiliſſimam cepit, Meſſalla cognominatus eſt*, dictuſque M. Valerius Maximus Meſſalla. Imo vero non ſolum quæ quarto ponuntur loco, non agnomina, ſed cognomina dicenda ſunt; ſed etiam quæ quinto, ſexto, ſeptimove. Florus epit. 55. *P. Cornelio Scipione Naſica, cui cognomen Serapio fuit, ab irridente Curiatio tribuno pleb. impoſitum*, &c. Sed quid multis opus eſt? Sex. Rufus vel umbram delet agnominis: de Severo Imp. ita loquitur: *Severus natione Afer, acerrimus Imperator, Parthos ſtrenuiſſime vicit, Adiabenicos delevit, Arabes obtrivit. Huic cognomina ex victoriis attributa fuerunt. nam Adiabenicus, Parthicus, & Arabicus cognominatus eſt*.

Quid ergo inquiunt veteres grammatici, Priſcianus, Diomedes, Donatus? quid recentiores, Paſſeratius, Lambinus, ceteri hujus ordinis? quid antiquarii? Nonne quæ quarto loco ac poſterius ponuntur, cognomina ſunt, non agnomina?

Sed hi omnes ferendi ſunt, ſi Lipſium ad Tacitum attendamus. nam hic Comm. ad lib. 4. Annal. pag. 174. adeo male accipit agnomen, ut, quid eo ſibi velit, ne ipſe quidem, ut puto, noverit. in eam enim ſignificationem id ſumit, quam nec antiquus ullus, nec recentior unquam ſomniavit. Sed hæc miſſa faciamus. Quid ergo, inquies, erit agnomen, ſi Africanus, Iſauricus, Numidicus, Felix, ceteraque nomina quarto loco poſita, cognomina ſunt? Res profecto implicita omnino & obſcura. etenim ſi quis idem eſſe agnomen & cognomen cum Sigonio exiſtimet, aperte redarguitur a Cicerone 2. Rhet. *Nomen cum dicimus, cognomen quoque & agnomen intelligatur oportet*. Si quis alios ſequutus longe aliud eſſe opinetur, & quartum nomen eſſe profiteatur, is ſane ab iis auctoribus aperte refellitur, quos dudum nominavi. Si quis demum, Robortello addictus, agnomen idem ac nomen gentilicium eſſe putet, primo quidem adſpectu haud plane a vero aberrare videtur, cum agnati, quos agnomen videtur ſignificare, ſint, qui in eadem gente naſcuntur. Sed, ut inferius patebit, id omnino alienum eſt. Ceterum rem per ſe obſcuram, a nemine adhuc, quod ſciam, illuſtratam, ſic puto illuſtrari poſſe. Agnomen i-

dem fere quod cognomen eſt : non quidem perpetuo , ſed in adoptione ſolum. Itaque agnomen dicitur nomen illud , quod adoptatus retinet in adoptione. Erat namque apud veteres in more poſitum, ut, qui in aliquam gentem adoptaretur, ceteris nominibus abjectis, unum gentis aut familiæ nomen retineret, & prænomen adoptatoris , gentilicium nomen & cognomen ſibi adſciſceret. In exemplum adduco P. Cornelium Scipionem, a Q. Cæcilio Metello adoptatum : is enim , Publio prænomine , Cornelioque nomine depoſito , dictus fuit Q. Cæcilius Metellus Scipio : & L. Calpurnius Piſo, a M. Pupio adoptatus, M. Pupius Piſo dictus eſt: ſimiliter M. Junius Brutus a Q. Servilio Cæpione , Q. Servilius Cæpio Brutus nominatus. Scipio igitur , Piſo , & Brutus vere agnomen eſt , quia id vere agnatum , cetera tria extrinſecus adjuncta ex adoptione. Huic meæ conjecturæ aperte favet Paulus Jureconſult. lib. 35. ad Edictum, Pand. I. tit. VII. ubi : *Qui in adoptionem*, inquit , *datur iis*, *quibus agnaſcitur*, *cognatus fit*. Adoptatus agnaſcitur adoptatori, ſuiſque per adoptionem , hoc eſt , ſeſe inſerit per adoptionem in omnes ejus familiæ, in quam adoptatur , eiſque cognatus evadit. ergo etiam nomen, quod retinet, agnaſcitur, quodammodo ſuum nominatum ſequens , ac proinde jure dicitur agnomen. Tu, lector , hæc boni conſule , proba, ſi proba cenſes , ſin minus , meliora prome:

Et eris mihi magnus Apollo.

Hæc Servius, quæ prætermittenda hic duximus, quamvis rectius calci Sigonii , Panvinii , & Caſtalionis eſſent ſuppoſita , quod & factum eſſet, ſi tum liber fuiſſet in mundo. In hoc tomo non pauca loca ſunt, quibus miniatulæ ceræ merito apponerentur, ſed non tam Ariſtarchum hic agimus, quam inſtauratorem operum egregiorum, quæ deſiderabantur. Ne tamen plane ἀσύμβολοι dicamur diſceſſiſſe, his paucis erimus contenti. Apud Carolum Sigonium lib. I. de judiciis cap. 5. p. 688. *actio præſcriptis verbis* obſcurius ſic explicatur: *Quod ſi nulla merces conſtitueretur*, *ſed tantum*, *quantum inter eos conveniſſet* , *neque locatio* , *neque conductio*, *ſed actio præſcriptis verbis dicebatur*, cum liquidius a juris Romani peritis hominibus dicatur eſſe actio , cum petitor ex innominato contractu urget, ut is, cum quo contraxit, fidem liberet, ut verba , quibus pepigerat , poſtulant , ut ſi convenerit, hoc tibi a me dari, ut tu mihi illud des, idque tu non præſtiteris, naſcitur actio præſcriptis verbis, h. e. ex præſcriptis verbis contrahentium.

Eadem pagina contractibus juris civilis adjicit *fiduciam*, quam ex Boetio tradit ſpeciem eſſe mancipationis , cum res aliena mancipatur alicui hac lege , ut mancipanti remancipetur . Hæc quoque perquam caliginoſa ſunt, nec omnino vera. Nam *actio fiduciæ* veteribus JCtis dicebatur , quæ poſteris eſt actio hypothecaria. Quam Græci vocant hypothecam, qua voce quoque uſi ſunt JCti poſteriores Juſtiniani ætate, Latini veteres dixerunt *fiduciam*, quæ eſt rerum immobilium, ſicut pignus rei mobilis. Inde apud Paullum lib. II. ſententiarum titulus eſt de commodato, depoſito, pignore, fiduciave. & lib. III. 7. *Rem legatam teſtator ſi poſtea pignori vel fiduciæ poſuerit* . Ubi vides *pignora* & *fiduciam* tanquam diverſa poni , quamvis poſtea cœperit etiam uſurpari *fiducia* pro *pignore*. Hinc *ſervus fiduciatus* eſt apud Paullum lib. II. de lege commiſſoria, ubi vulgo male legitur *fiduciarius*. Annius exponit recte ſervum oppigneratum . In antiqua inſcriptione eſt *fiduciare monumentum*, pro quo in alia eſt *pignori obli-*

gare, ut multis docuit maximus Salmasius de modo usurarum cap. xiv. Hinc *fiduciæ actio*, *fiduciæ judicium*, *fiduciatæ res*. Est igitur actio fiduciæ, qua debitor repetit hypothecam aut pignus a creditore pecunia soluta, quæ ab Imperatore actio quasi Serviana dicitur, quod ad instar Servianæ esset instituta, de qua multis in locis JCti in Pandecte.

Cap. XX. p. 706. *Assiduus* male ex Gellio lib. XVI. exponitur dives, quamvis consentiat Cicero in Topicis, ac si originem duceret ab assibus dandis, cum assiduus sit qui præsto semper est. Cato de Re Rustica cap. 145. *Assiduos homines quinquaginta præbeto*. Hinc *assiduitas* est eorum, qui semper nobis adsunt. Plancus ad Ciceronem in x. ad fam. ep. 25. *Malo præsens observantia, indulgentia, assiduitate memorem me tibi probare*. Cic. pro Murena 9. *Assiduitatis & operarum harum quotidianarum putat esse consulatum*. Hoc est, consulatum putat debere conferri in illos qui quotidie in foro versantur, & reip. & civibus operam in urbe navant. Minut. Felix. *Aviditatem desiderii frequens assiduitatis usus implevit*. Hinc *assidui cives* dicti sunt honestiores & opulentiores, qui quotidie versabantur in foro, & aliis civibus officia præstabant & operam in rebus civilibus. Opponuntur proletariis & capite censis, qui opera mercenaria victum quærentes raro in foro conspiciebantur, cum iis nullus esset locus in comitiis & concionibus. Hæc vera est *assidui civis* seu *vindicis* significatio, ut fere idem sit *civis assiduus*, ac *civis classicus*, qui erat ex quatuor classibus civium, qui jus habebat suffragiorum in comitiis, cum illo carerent proletarii & capite censi.

Cap. 20. p. 706. *Vas*, inquit Sigonius, *teste Varrone fuit*, *qui pro altero vadimonium promisit*. Atqui vadimonium non promittit vas, sed unde petitur, seu provocatus in jus, ut inferius ipse Sigonius recte dicit. Non frustra censet vir amplissimus, & cum in vivis esset, mihi amicissimus, Guilielmus Goesius in appendice ad Pilatum judicem, locum Varronis esse corruptum, & in eo *spondet* librariorum vitio esse omissum. Sic vero putat scripsisse Varronem: *Vas appellatus*, *qui pro altero spondet*, *qui vadimonium promittebat*. qui pro *altero* nimirum in judicium vocato, *qui promittebat vadimonium*, nimirum petitori qui cum vadabatur, ei promittebat se dicta die præsto futurum unde petitur, & hoc illum præstiturum spondebat vas. Nam *vadimonium* non est itio in jus pro altero, ut censent viri docti, sed est promissio dato vade se sistendi in judicio, quod faciebat is, qui vocatus erat in jus. Is promittebat vadimonium, quod est, promittebat se die, quem finierat prætor, in judicium venturum, & ne petitor dubitaret de ejus fide, vadem dabat, qui pro illo spondebat. Dato vade licebat in jus vocato vadere, donec dies respondendi in judicio venisset. Sin vadem dare non posset, in carcerem eum conjiciebat petitor, ut ex Plauti Persa doctissimus Goesius ostendit.

SA. *Vadatur hic me*. RE. *Utinam vades*
desint, *in carcere ut sis*.

Vide plura in addendis libri laudati.

Cap. 28. p. 729. corrupte scribitur in Plinii loco ex vi. ep. 32. *ingens utrimque advocatorum & numerosa subsellia præstantium corona*, cum recte legatur in editis. *Ingens utrimque advocatio*, *& numerosa subsellia: præterea densa circumstantium corona latissimum judicium* &c.

In eodem capite eadem pagina censet Sigonius prætores detulisse caussas perplexi juris ad centumviros, quorum judiciis præfuerint decemviri, non

ipſe prætor. At mihi videtur viri conſultiſſimi & mihi conjunctiſſimi Gerardi Nood ſententia verior, qui libro I. de juriſdictione cap. 12. docet prætorem decemviros in conſilium adhibuiſſe, & cum eis præfuiſſe centumviralibus judiciis, quod in primis colligi exiſtimat ex Plin. v. ep. ult. *Sedebant judices, decemviri venerant, obverſabantur advocati, ſilentium longum. tandem a prætore nuncius. dimittuntur centumviri.* Et poſt: *Hoc facto commotus prætor, qui centumviralibus præſidet, deliberaturus, an ſequeretur exemplum, inopinatum nobis otium dedit.* Unde liquet decemviros in conſilio prætori fuiſſe, eoſque rexiſſe judicia centumviralia, nec ea alia fuiſſe a decemvirorum & prætoriis judiciis, in quibus ipſe prætor ac decemviri cum centumviris cauſas cognoſcebant. Firmat iſta locus Lucani in Panegyrico ad Calpurnium Piſonem, quem quoque laudavit Sigonius:

Seu trepidos ad jura decem citat haſta virorum,
Et firmari jubet centeno judice cauſſas.

Sibrandus Siccama lib. 1. de judiciis centumviralibus cap. 4. & 6. cenſet centumviros non fuiſſe judices privatos, quia putat judices privatos, non eos tantum fuiſſe qui a prætore dati ad cauſſas privatas judicandas, ſed qui etiam fuerit homo privatus, non qui cum imperio ac poteſtate fuerit, ac ſi centumviri cum imperio ac poteſtate fuiſſent, reprehendit Torrentium, qui in privatorum judicum numerum retulerit. Atqui nihil certius eſt omnes judices tam illos qui dabantur a prætore, quam quos ſortiebatur prætor in judiciis publicis, & decemviros ac centumviros fuiſſe privatos, hoc eſt nullos magiſtratus, ſine imperio & poteſtate. Omnes enim magiſtratus, ut conſules, prætores, ædiles, quæſtores, tribuni plebis creabantur a populo in comitiis, judices legebantur a prætoribus, & poſtea a principibus, quod Suetonio eſt *decurias judicum expungere*. Ex his decuriis a prætore deligebantur tam centumviri, quam judices, quos dabant ad privatorum lites dijudicandas, quam etiam qui forte legebantur ad quæſtiones, ſive judicia publica. Nullum igitur dubium centumviros æque ut alios judices a prætore datos fuiſſe privatos, ſediſſe quoque in ſubſelliis, in tribunalibus, æque ut alios judices, quod negat Siccama in loco laudato: ſed ſatis clare oſtendit Plin. vi. ep. 32. ubi agit de judicio centumvirali: *Sedebant judices centum & octoginta. Tot enim quatuor conſiliis conſcribuntur: ingens utrinque advocatio, & numeroſa ſubſellia: præterea denſa circumſtantium corona latiſſimum judicium multiplici circulo ambibat.* Ubi per ſubſellia intelliguntur tam centumvirorum, quam advocatorum ſubſellia. In ſellis curulibus ſane non ſedebant centumviri. Ea erant in tribunalibus, ſed non judicum datorum a prætore ad alias lites. Hinc in ſubſelliis habitare dicuntur apud Ciceronem qui in judiciis privatis verſabantur aſſidue, ſive ea eſſent centumviralia, ſive aliorum judicum. Quanquam autem Plinius & Quintilianus diſcrimen faciant inter privata judicia & centumviralia, non tamen hæc ſic intelligenda ſunt, ac ſi centumviralia non fuiſſent privata judicia, ſed quia centumviralia judicia cum decemviris & prætore judicabant in tribunali de certis cauſſis, quarum numerus erat definitus, de quibus Cicero I. de oratore: *Volitare in foro, hærere in jure, ac prætorum tribunalibus, judicia privata magnarum rerum obire, in quibus ſæpe non de facto, ſed de æquitate & jure certetur, jactare ſe in cauſis centumviralibus, in quibus uſucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, ſtillicidiorum, teſtamentorum ruptorum, aut ratorum, ceterarumque rerum innumerabilia jura ver-*

ſantur. Hæ res, quæ ad centumviros pertinebant, notæ erant Romæ, & habebantur olim, rep. & libertate florente, leves, quamvis poſtea ſub Cæſaribus inter privata judicia primum locum obtinuerint, ut oſtendit auctor dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ, cap. 38. *Apud quos* (prætor) *quanto majora negotia olim exerceri ſolita ſint, quod majus argumentum eſt, quam quod cauſſæ centumvirales, quæ nunc primum obtinent locum, adeo ſplendore aliorum judiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis, neque Cæſaris, neque Bruti, neque Cœlii, neque Calvi, non denique ullius magni oratoris liber apud centumviros dictus legatur, exceptis orationibus Aſinii, quæ pro hereditate Urbiniæ inſcribuntur*. Graviores itaque cauſſæ olim apud prætores, & judices, ac recuperatores a prætoribus datos magis cognoſcebantur, quam apud centumviros. Utrique vero erant privati judices, & de rebus privatis judicabant. Centumviri legebantur ex decuriis judicum a prætore in ſuum annum, qui illo anno ſecum deciderent cauſſas centumvirales, in tribunali, in quo ipſe ſedebat in ſella curuli, cum centumviri ſederent in ſubſelliis, ſed ad alias cauſſas, quæ non pertinebant ad centumviros, dabat judices, aut recuperatores, aut arbitrum, qui, quia non ſedebant in tribunali, ſed in baſilica aut alio loco, a prætore deſignato, in ſubſelliis, dicti ſunt *pedanei*, Græcis χαμαιδικασαὶ, quod Heſychius exponit σύλλεκτοι. Selecti vero dicebantur qui ex toto populo ſelecti erant, & in decurias ſeu album relati, ex quibus capiebantur tam centumviri, quam illi pedanei, & recuperatores a prætore. Hi *pedanei* appellabantur alio nomine quoque *privati*, non quod magis eſſent privati, quam centumviri, ſed quod centumvirorum annuum, ut ita dicam, eſſet collegium, pedanei vero darentur ſigillatim ad quamvis cauſſam, quæ non pertinebat ad centumviros. Sedebant in ſubſelliis centumviri, ſedebant in iiſdem judices dati, & recuperatores in loco, ubi a prætore juſſi erant judicare, ſive in comitio, forove, ſive in baſilica quadam. nonnunquam tamen non ſedebant judices, ſed ſtabant ſicut Cicero oſtendit in Bruto: *In comitium veniunt, ad ſtantem judicem dicunt*; ſed procul dubio in cauſſis valde levibus, ut recte animadvertit Sigonius, cum ſedere ſit tam proprium judicis, ut *ſedere in aliquem* ſit alicujus eſſe judicem. Centumviri autem ideo in tribunalibus ſedebant in ſubſelliis, quia illis judiciis prætor præerat, qui ſemper in tribunali cognoſcebat, niſi de plano decideret. Argumenta, quæ affert Siccama ad oſtendendum judicia centumviralia non fuiſſe privata, valde ſunt levia, & vix reſponſione digna. Nam cum ait privatum judicem deſiiſſe judicem eſſe, cum ſententiam tulit, non vero centumvirum, id verum eſt, ſed num ideo, quia centumviri erant annui, magiſtratum gerebant, aut privatorum perſonam exuerant? Hoc nemo unquam ſomniavit. Nec ex hoc colligas, quia privata judicia potuerunt differri, centumviralia non potuerunt, centumviros non fuiſſe privatos judices? Id oſtendunt tantum ſub principibus nonnulla in centumviralium judiciorum ordine diſcrepuiſſe a judiciis recuperatoriis, aut aliis privatis, non vero centumviros non fuiſſe privatos. Addit judicibus privatis commiſſas eſſe ut plurimum controverſias facti, & perſpicui & ſcripti juris, centumviris vero intricati juris, & quæ in æquitatis & juris quæſtione ſitæ ſint, quæ ſententia quoque Sigonii eſt. Aliter nos docuit auctor dialogi in loco, quem paullo ante attulimus. Aliter nos docet Tullius I. de orat. c. 38. *Judicia*, inquit, *privata magnarum rerum obire, in quibus ſæpe non de facto, ſed*

de æquitate & jure certetur, tum ſequuntur cauſſæ centumvirales, *jactare ſe in cauſſis centumviralibus*, *in quibus uſucapionum*, & quæ ſequuntur. Et quamvis ad centumviros quoque cauſſæ graves & magni momenti deferrentur, ut in ſequentibus declarat Cicero nonnullis exemplis, non leviores tamen in judiciis privatis agitabantur cauſſæ, cujus exempla habes apud eundem cap. 39. *Quid nuper, cum ego Sergii Auratæ contra hunc noſtrum Antonium judicio privato cauſſam defenderem, nonne omnis noſtra in jure verſata defenſio eſt?* Vide ibi plura. Inde conſtat etiam in privatis judiciis actas fuiſſe cauſſas graviſſimas, quæ in jure verſabantur. Nec in ulla fere alia re centumviralia judicia diverſa erant a privatis, quam quod cauſſæ a centumviris dijudicandæ notæ erant & definitæ, quodque centumviralibus judiciis ipſe prætor cum decemviris præeſſet; cauſſæ vero, quæ non erant in centumviralium cenſu, committerentur aut judici, aut recuperatoribus, aut arbitro a prætore dato, quæ privata appellabantur, quia iis non præerat prætor ut centumviralibus, quamvis tam centumviri quam recuperatores eſſent privati. Inde patet a vero longe abeſſe, quod capite ſequente 8. ſcribit Siccama p. 835. centumviros fuiſſe creatos comitiis tributis, quod minimi magiſtratus eſſent, & minima quæque ad populum ſpectantia tributis comitiis fierent. Hujus rei nulla vola nec veſtigium in ullo priſco monumento, nec id fidiculis exprimas ex loco Feſti quem affers. Feſtus enim nihil aliud dicit, niſi ex XXXV. tribubus electos eſſe centumviros, non addit a populo. Sed ipſe ſibi adverſatur in fine capitis hujus, in quo ex Dione oſtendit ſorte ductos eſſe centumviros. Procul dubio a prætore ſorte lecti ſunt ex decuriis judicum, & quidem ex ſingulis tribubus tres. Nam omnium tribuum cives fuiſſe in decuriis ſeu albo judicum nemo ambigit.

Cap. XIII. p. 845. ſcribe ΕΥ. ϹΟΨΩϹ. non, ut editur, ΦΕΥ ΖΟΨΩΣ. Nam quamvis φεῦ etiam in admirationibus & acclamationibus uterentur æque ut οὐά, vah, tamen communior acclamandi formula erat Εὖ ὑπέρευ, bene, valde bene, ſeu optime.

In lib. 2. cap. 3. ubi agit de haſtis deo ſacris affert locum Lucani.

Fulminibus manes radiis ornabit & haſtis.

Sed hic verſus non agit de haſtis iſtis: in emendatis editionibus dudum rectius legitur. *Fulminibus manes radiis ornabit & aſtris*. Et ſic legendum eſſe docti viri oſtenderunt ex nummis Julii Cæſaris, quibus ſtella eſt appoſita, divinitatis index. Haſtæ vero ut diis ſacræ ſint, illorumque ſtatuis in antiquis monumentis & numiſmatibus addantur, vide Juſtinum lib. XLIII. & quæ vir dignitate & doctrina illuſtris Giſbertus Cuperus notavit ad Apotheoſin Homeri. Quæ mox de cruenta haſta in caſtris erecta, cum urbs hoſtilis eſſet diripienda, tradit, merum eſt commentum. Nihil Cæſar in illo loco libr. 11. belli Gallici de haſta, ſed ſignificat illius oppidi incolas & illorum bona vendita fuiſſe in auctione. Quam dicitur vibraſſe P. Sulla a Cicerone 11. de officiis *cruenta* dicitur, quia Romæ poſita haſta in foro civium in illo bello & proſcriptione jugulatorum bona vendebantur, non quod fuerit rubri coloris, ut ridicule exponit Siccama. Non alia fuit, quam quæ paullo poſt ab illo venditionis haſta dicitur. Dein cum ait haſtam a prætore fuiſſe poſitam, cum alicujus bona parti adverſæ addiceret, nulla veterum auctoritate nititur. Haſta ponebatur in foro, cum alicujus bona decreto prætoris venderentur, inde *ſubhaſtari* dicebantur. Eadem eſt illa haſta prætoria, quam Seneca de brev. vitæ c. 11. dicit infami lucro nonnullos *exercere*, ſic enim legitur, non *bea-*

re, quia, ut bene Lipſius, invidiam eæ venditiones habebant. Nec ſunt ullius pretii, quæ de haſta ſalutis tradit.

Libri II. cap. 8. controverſiis agitatis in judicio centumvirali accedat quæ commemoratur a Phædro fabularum lib. III. 10. ſatis verboſe, cujus hæc eſt ſumma; maritum a ſceleſto liberto incenſum fuiſſe in uxorem, quam is abſente viro cum adultero conſueſcere mentiebatur, ſimulaſſe in villam iter, nocte vero ſubito reverſum in domum & in cubiculum ſine lumine celerrime irruiſſe, ne adulter elaberetur, & filium, quem jam adultiorem in cubiculo dormire mater volebat, ne corrumperetur, intonſo capite pertrectato in tenebris, perſuaſus adulterum eſſe, perfodiſſe, ut illico exſpiraret. Lucerna vero illata, cum filium ſuum ſe interfeciſſe videret, uxorem vero inſontem alto ſomno ſopitam ſolam cubare, ſe ipſum interfeciſſe. Uxorem ſuſpectam fuiſſe hujus cædis, quia bona mariti & filii poſſidebat: indeque coactam ad centumviros cauſſam dicere, qui cum hæſitarent, & non invenirent, obſcuritate argumentorum & ſignorum cauſſa involuta, ſecundum quem pronunciarent, implorarunt centumviri, quod in primis notatu dignum eſt, Auguſti judicium & ſententiam, qui invenit, cum accuratius omnia rimatus eſſet, fontem ſceleris, fraudem nimirum & dolos liberti invenit & aperuit. Sic libertus damnatus fuit a centumviris. Quia vero hæc quæſtio pertinebat ad hereditatem, ideo apud centumviros acta eſt.

Sigon. de judiciis lib. II. cap. 4. vere dicit extra ordinem ſæpe judicia fuiſſe facta, non a quæſitoribus, ſed aut a conſulibus, aut aliis magiſtratibus. Hæc erant extraordinaria judicia, quæ dicebantur proprie *cognitiones*, ut publica judicia vocabantur *quæſtiones*. Publica judicia erant de criminibus, de quibus lex certa lata erat, & finita illa lege pœna, ſecundum quam legem poſtulabatur a quocunque cive qui publici criminis aliquem volebat accuſare: niſi eſſent, quibus jure id licebat. Publica dicebantur, & quia pertinebant ad ſtatum publicum ſive reipublicæ, non ad privatorum ſtatum, ut judicia privata, & quia ex legibus publicis oriebantur. Extraordinaria judicia erant, quæ ex legibus publicis non oriebantur, ſed in quibus quærebatur de criminibus, de quibus aut nullæ leges erant, aut ſi leges eſſent, cum crimen atrocius duceretur, quam ut ſecundum leges judicaretur puniendum eſſe. In judiciis publicis ſortiebantur inter ſe prætores quam quiſque deberet exercere quæſtionem de vi, de adulterio: in extraordinariis cognoſcebant aut conſules, aut totus ſenatus, aut princeps, aut præfectus urbi intra centeſimum lapidem, aut præfectus prætorio ultra centeſimum lapidem, aut in provinciis imperatoris legati Auguſti pro prætore, in populi vero proconſules. In judiciis extraordinariis non poterat quilibet civium accuſare, ut in publicis, ſed cujus intererat. His in rebus præcipue differunt judicia publica & extraordinaria, quæ cum vulgo minus ſint nota, & parum recte doceantur in ſcholis, paucis volui attingere. Prætores ſeu quæſtores, qui exercebant judicia publica, non habebant juriſdictionem. Illa erat penes prætorem urbanum & peregrinum. Hinc intelligendus locus Taciti in Agricola cap. 6. in quo aqua viris doctis hæſit: *Idem præturæ tenor & ſilentium, nec enim juriſdictio obvenerat*. Solus Savilius hic plus vidit ceteris, qui tamen non fuit auditus. Sunt qui τὸ *juriſdictio* hic accipiunt non de poteſtate juris dicendi, ſed

de poteſtatis exercitio. Inepte Barclaius notat *præturæ annum tranſiiſſe Agricolam quiete & otio, quoniam jurisdictio non obvenerat, hoc eſt jus non dixerat, ſed ludos & inania honoris modo rationis & abundantiæ duxerit*. quaſi ludi editi ad modum facultatum pertinerent ad præcedentia, & cauſſæ fuerint ſilentii illius anni, quo præturam geſſerat Agricola. Hoc vero ait Tacitus, Agricolam tranquille & otioſe præturæ annum exegiſſe, & non multum in illo ſe jactaſſe, quia ei prætura urbana aut peregrina non obvenerat, ſed ſortitus erat quæſtionem criminis, aut plurium etiam criminum. Quia vero illo anno nemo illorum criminum reus fuit factus, quæ ſortitus erat, ut quæſtionem non exercuerit, hinc dicitur fuiſſe ſilentium illius anni prætorii. Juriſdictio erat poteſtas judicandi, & judices dandi in civilibus litibus, privatis delictis, quæ non pertinebant ad remp. Huic poteſtati adjunctum erat imperium, quo poterant cogere, qui erant ſub illorum juriſdictione, ut parerent ſententiæ latæ a judicibus datis: id vocabatur imperium miſtum, quia juriſdictioni erat admiſtum. Sed merum imperium erat jus & facultas non modo cognoſcendi de criminibus, ſed damnatos puniendi ſecundum legum præſcripta. Quod jus in rep. penes populum erat, qui ſolus habebat poteſtatem gravius animadvertendi in cives, & eos capite multandi, hoc eſt aut vita aut libertate privandi; aut quibus id populi juſſu erat in ſingulis cauſſis delegatum. In provinciis imperium hoc habebant præfecti provinciarum, quibus id lege curiata datum erat a populo. Itaque juriſdictio univerſa mandari poteſt, tam in urbe, ut legibus & priſcorum ſcriptorum teſtimoniis declararunt viri docti, quam in provinciis. Suet. Jul. 7. *Quæſtori ulterior Hiſpania obvenit, ubi cum mandatu prætoris jure dicundo conventus circumiret*. Ubi vides juriſdictionem in provincia mandatam fuiſſe quæſtori a prætore. Sed cognitio & imperium mandari non poterat, l. 6. D. off. procoſ. *Nec enim poteſt quis gladii poteſtatem ſibi datam, vel cujus alterius coercitionis ad alium transfere*. & l. 11. ibid. *Si quid erit quod majorem animadverſionem exigat, rejicere legatus apud proconſulem debet; neque enim animadvertendi, coercendi, vel atrociter verberandi jus habet*. Potuiſſe tamen imperium quoque nonnumquam mandari, ſed non niſi permiſſu legis ſpecialis, docuerunt viri doctiſſimi, quibus ſubſcribo.

Cap. VI. ſcribit Sigonius lege Servilia Glauciæ cautum eſſe, ne minor annis triginta judex legeretur, inductus loco Suetonii in Auguſto: *Judices Auguſtus triceſimo ætatis anno allegit, id eſt, quinquennio maturius, quam ſolebat*, fallitur. Locum depravatum eſſe dudum oſtendit magnus Cujacius in obſervationibus, & firmis argumentis docet legendum eſſe XX. annus pro XXX. quia legitimus & Auguſti tempore & ante Auguſtum annus, quo poterant in judicum decurias adſcribi Romani, erat annus XXV. Auguſtus itaque ſanxit ut anno XX. cives Romani poſſent judices legi. Idem lib. II. cap. 10. p. 749. reos ſcribit toga alba depoſita atram induiſſe. Atram ſeu pullam togam induebant tantum in luctu: ſed in reatu obſoletam & ſordidam ſumebant, unde *ſordes* pro reatu, & *ſordidati* pro reis ſæpius legitur. Alia vero erat ſordida & obſoleta, alia toga pulla ſeu atra.

Ibidem c. 14. p. 754. D. Verba iſta, *Formula vero interrogandi teſtis fuit*, aliis litteris ſunt exprimenda. Non enim Ciceronis ſunt, ſed Sigonii.

Ibid. c. 30. p. 781. A. mire in loco Horatii de nomenclatore,

Qui fodiat latus & cogat trans pondera dextram
Porrigere


exponit *trans pondera*, trans togam, quam ſcimus, addit, brachium cohibuiſſe. Sed *trans pondera* eſt contra gravitatem, cum cogitur quibuslibet blandiri, & manum illorum prenſare contra quam tam viros graves decet. *Pondus* enim & *pondera* ſæpe gravitatem notat. Cic. XI. ad Att. 7. *Addis etiam, quod etſi mihi levius eſt, quam tuum judicium, tamen non eſt leve, ceteris quoque, id eſt, qui pondus habent, factum noſtrum probari.* hoc eſt qui viri graves ſunt, & magnæ auctoritatis. Alia exempla in epiſtolis clarorum virorum a Michaele Bruto editis Angelus Bargæus ad Antonium Cioſium attulit, & ex illo non pauci alii.

In libro III. cap. 17. p. 812. oſtendit equuleum fuiſſe cataſtam erectam. Atqui cataſta fuit pegma, ſeu tabulatum. Vero ſimilior eſt illorum opinio, qui cenſent equuleum fuiſſe ſtipitem erectum, unde dicuntur homines in equuleo ſuſpendi, & ſtare ſub equuleo incurvi apud Amm. Marcell. quia brachiis retro alligatis ac revulſis homo rectus ſtare non poterat, ut recte Octavius Ferrarius Electorum lib. I. cap. 5. qui varias doctorum opiniones de equuleo ibi expendit. In ſequentibus capitibus, in quibus diſputat de toga, tunica, calceis, non pauca eſſent notanda: ſed hæc differimus in illud volumen, in quo agetur de re veſtiaria. Plura poſſent addi, & forte gravioris momenti, niſi tempus & prolegomenorum ratio nos moneret manum de tabula tollere. Tu, benigne Lector, in hoc conquieſces Catone.

Scriptores, qui in ſecundo Tomo Theſauri Antiquitatum Romanarum inveniuntur.

Accedunt hæ Tabulæ.

PAU-



PAULUS MANUTIUS DE LEGIBUS ROMANIS.

PAULI MANUTII

Ad illustrissimum Principem,

HIPPOLYTUM ESTENSEM,

Cardinalem, in librum de Legibus præfatio.



Omnes artes atque omnes res, HIPPOLYTE Princeps & Cardinalis, modo augeri, modo minui, nec easdem perpetuo esse, satis inter omnes constat. patet hoc quidem oculis primum, deinde etiam mentibus. oculis notamus eventa: mente, cur quidque eveniat, quoque referenda sit cujusque rei mutatio, intelligimus. itaque lapides, & metalla, quæ omnium durissima sunt, quæ vis hominum frangere vix potest, hæc tamen consumit & conficit vetustas. quidquid ex partibus aliquando coiit & concretum est, id easdem in partes aliquando dilabatur ac dissipetur, necesse est. habet hoc materia illa, unde res omnes constant, ut formæ mutationem quærat, idque, quod sequitur, assecuta, migrat in alias naturas, quasi quod appetiit, eo nunquam esse contenta videatur. neque vero hæc naturales tantum ad res conditio pertinet, sed inventa quoque hominum operaque attingit. mores, consuetudines, loquendi ratio, quam linguam appellamus, leges ipsæ, quas, ne quid unquam ex hominum memoria deleat, in æs incidimus, omnia demum, quæ ab arte naturam imitante fluxerunt, quotidie mutantur ac tolluntur, non modo ab externis caussis contra voluntatem nostram, verum etiam a nobis ipsis, quia tempus ita postulet. Sed artes liberales, optimaque studia, quæ nusquam magis, quam in Italia, honor aluerat atque auxerat, ætas nulla magis afflixit, quam cum Romani Imperatores, Imperii sede in Thraciam translata, Italiam barbaris nationibus diripiendam ac devastandam reliquerunt. quod nisi superioribus annis Principes, ac Pontifices aliquot, maxime vero Leonis X. egregia, propeque divina liberalitas huic malo subvenisset; quem Laurentii Medices, patris sui, clarissimi viri, exemplo commotum, etiam veræ laudis cupiditas impulit, ut jacentes ingenuas artes, magnis propositis præmiis, excitaret: barbara, credo, quod ad litteras attinet, magna ex parte nunc esset Italia, dignitas omnis philosophiæ, splendor omnis obsolevisset eloquentiæ. Sed neque ille hujus præclari operis summam potuit absolvere, ereptus morte disciplinis liberalibus nimis immatura: & interitum illius tempora sunt ejusmodi consecuta, ut, quæ paululum jam luxerant

interitum illius tempora ſunt ejuſmodi conſecuta, ut, quæ paululum jam luxerant honeſtarum ſcientiarum ſtudia, ea perpetuis multorum annorum tenebris quaſi nox quædam obſcuraverit prorſus atque exſtinxerit. Fatalis enim bellorum tempeſtas non exercitationem modo litterarum ſuſtulit, verum, quæ ſunt in excolenda virtute poſitæ laudes, eas labefactavit omnes atque pervertit. ac nunc quoque cum pacis aliqua ſpes, longo ſane intervallo, affulſiſſet, miſera rurſus eodem malo tentatur Italia, vetereſque calamitates adverſus bonis artibus neſcio quis Genius invehit. Nunc te, Hippolyte Cardinalis, cui ſummam juvandi generis humani voluntatem, nec minimam cum voluntate facultatem Deus tribuit, eximiam ad laudem vocat occaſio. Suſcipe deſertum pæne ab omnibus litterarum patrocinium. collige tu quæ alii diſſipant, omnium laudandarum doctrinarum ſtudia, & reſtitue nobis illa, quæ vel hominum improbitas, vel, ut alio culpa derivetur, fortunæ vis eripuit. Hæc eſt actio digna Cardinali, digna Principe, Hippolyto vero & Cardinali & Principe digniſſima. Vidimus tuam præteritam vitam. ab ea nihil humile, nihil obſcurum, nihil vulgare: ampla omnia, præclara, inuſitati exempli, novi generis exſpectantur. quæ tu, ne a te ipſo diſſentias, nunc quidem magna ex parte præſtabis, atque adeo jam præſtas, bonis viris & eruditis beneficentia ſublevandis. quorum ex ingeniis non dubito quin quotidie aliquid efflores̛cere tuo beneficio videas. quod quia præclarum eſt exemplum, alii ſequentur. ſcribent omnes quod quiſque poterit, illecti gloria, & commodorum ſpe compulſi. Nam, ut conjecturam de me ipſo faciam, quem eſſe nihil in litteris fateor, ſed ut aliquid tamen eſſem, laboravi: ego olim (decennium, opinor, abiit, eoque amplius) auctoribus duobus eximiis viris, Petro Bembo Cardinali, & Bernardino Maſæjo, qui poſtea dignitatem eandem magnis in Eccleſiam Chriſti meritis eſt conſecutus, dederam me ad res Romanas, illas veteres, obſervandas, & ex omnibus antiquorum monumentis omni ſtudio colligendas: ut, cum illam Rempublicam, qua nulla fuit nec erit unquam illuſtrior, univerſam animo ac ſcientia comprehendiſſem, Latinis eam litteris explicarem, egregiumque bene ac laudabiliter inſtitutæ civitatis exemplum meis, quatenus quidem ipſe poſſem, ſcriptis expreſſum poſteris relinquerem. Res erat præclara, meque delectabat vehementer & afficiebat ipſa tractatio. itaque meam omnem induſtriam, omnem curam, omnes denique in hoc ſtudio cogitationes fixeram ac locaram: ſed accidit iniquo meo fato, ut horum utrumque, Bembum primo jam ſenem, cujus in benevolentia ornamenti mihi erat plurimum; deinde Maſæjum non ætate minus quam virtute florentem, in quo mei ſpes otii ſita omnis erat, a quo pendebam totus, importuna morte ereptum amiſerim. Deſtitutus eo præſidio, quo meæ fortunæ nitebantur uno, fractus animo ac debilitatus, inſtitutum Antiquitatum Romanarum opus omiſeram, & ad alia me converteram. Poſtea vero quam, honorifica in primis conditione delata, magno ſum a te tuo beneficio in tuorum familiarium ordinem invitatus, quod ego ſummæ felicitatis loco duxi, erectus mente atque animo, rurſus, quod abjeceram, ſuſcepi, onuſque tantum, quantum privatis opibus perferri vix aut ne vix quidem poteſt, te uno fretus egregie ſuſtineo; &, ut ex parte totum judicare poſſes, decem, quos exorſus ſum, libris hunc de Legibus potiſſimum, quem ad te mitterem, delegi: non quod ita poſtularet ordo (ſextum enim in Antiquitatum volumine locum obtinet) ſed, quod, cum omnium librorum materies non modo coacta jam in unum a me eſſet univerſa, verum etiam ſatis diligenter in partes diſtributa, caſu accidit, ut hic minus, quam cæteri, rudis, minus eſſet impolitus. præterea feci libenter, tuis actionibus admonitus. leges enim hic liber complectitur. porro leges nihil aliud quam rationem, nihil præter ordinem, docent. ratio autem & ordo ſi uſquam, in tuis moribus elucent. quippe nihil agis non mode-

ratum, nihil non æquabile, nihil quod non cum ea, quam sustines, persona, id est, cum religione vere Christiana ac Sedis Apostolicæ dignitate, consentiat. quare, cum omnia mea tua sunt, quandoquidem ego me tibi, quidquid sum, & quantus quantus esse possum, totum addixi: tum vero hic de legibus Romanis liber vere tibi debetur, tibique est a me jure optimo inscriptus. Quo in libro bene positam a nobis operam si duxeris, de cæteris quin idem sentias, haud equidem verebor. pergo enim studio pari, voluntate etiam, ut mihi videor, acriore. unum modo exoptandum est, ut, quando nos ab hoc studio nulla utilitas, nulla voluptas, ne valetudinis quidem satis imbecillæ ratio potest avellere, nostris laboribus tua benevolentia quasi propitium numen adsit. sic enim fiet, ne qua prorsus in difficultate, ne quo unquam in scopulo nostra hæreat industria, & in eum, quo spectat animus, portum secundo cursu, tuæ benignitatis aura prosequente, facile pervehimur. Vale, Venetiis.

CAP. I.

De jure & legibus in genere, quibus subjicitur operis de legibus Romanis partitio.



OPTIMA omnium atque æquissima naturæ lex est, quæ tum nihil cuiquam deesse, tum ea, quæ quisque habet, æterna jubet esse. nam quemadmodum illæ, quæ cœlestibus corporibus præsunt, beatæ mentes justissimæ sunt, & suum quæque corpus justissime regit: sic ipsa natura, quæ de superioribus illis mentibus derivata, & in unum collecta vis est, æquissimum in agendo ordinem servavit: eaque, quæ egit, patere omnibus, nec unquam non esse vult. itaque & eam partem aeris, quæ sublimior, eoque purior est, oculis trajicientes, adspectu cœli jucundissimo omnes fruimur: & inferiorem, mixtam, spiritu haurimus: & sustinemur, atque alimur terra: & aqua ad ea, quæ cuique commoda ac necessaria sunt, utimur. nam, etsi horum singula uni animantium generi tributa ad usum ac victum præcipue videntur: tamen ita uni generi proprium unumquodque est, ut diversi generis animantibus nihil denegetur. altibus aer, mare piscibus, quadrupedibus terra, certa cuique animanti sedes ac naturale domicilium est: omnia tamen omnibus communia sunt, neque alieni alimenti usu animal ullum perpetuo caret. Hæc sua lege natura, communis omnium mater, ita constituit ac sanxit. cujus ad similitudinem quo propius accedunt humanæ leges, eo certior ac laudabilior ea vitæ ratio est, quam hominum generi præscribunt. neque ad aliud exemplum spectarunt homines illi, quos antiqui scriptores divinis laudibus extollunt, quia suas civitates optimis institutis ac saluberrimis legibus temperarunt. Celebrantur, præter cæteras, Lacedæmoniorum leges a Lycurgo latæ; Atheniensium, a Solone. Commemorantur & illæ, quas Locrensibus Zaleucus, Thuriis Carondas, Getis Zamolxis, Pythagoræ discipulus, dedit. Laudat etiam Cretensium leges Plato, Carthaginiensium Isocrates. Romanas vero Polybius anteponere omnibus non dubitat. hæ cum ab iis, qui cæteris hominibus ingenio ac sapientia præstiterunt, summopere laudatæ prædicatæque sint, quid aliud, nisi præclaras fuisse, credendum est? at dissimiles inter se, & , si dissimiles, quo modo omnes præclaræ? quia nimirum ad eundem finem, eandemque quasi metam, non eadem tamen via, omnes tendunt. Jus

A naturæ, in quo nihil inæquale deprehenditur, primi conditores legum ante oculos habuerunt. ejus imaginem in suas quisque leges, quantum imitatione licuit, transtulerunt. qui cum ad justitiam pariter intenderent, eandem tamen in tradendo jure rationem ideo secuti non sunt, quia non ejusdem loci, non ejusdem cœli, non ejusdem hominibus ingenii leges ferebant. hæc illi cum animo circumspicerent atque cogitarent: modo perficere possent, quod agebant, qua ratione perficerent, laborandum non esse judicarunt. neque enim ipsarum legum vitio factum est, ut aut Athenienses minus diu, quam Lacedæmonii, aut Lacedæmonii minus, quam Ro-
B mani, floruerint: sed quod Athenæ citius, quam Sparta, & Sparta citius, quam Roma, de recta majorum consuetudine deflectens, legum imperium majestatemque neglexit. Quare prudenter judicat Polybius, quod duabus potentissimis civitatibus, Carthagine & Roma, multorum annorum bello de imperio decertantibus, ad extremum succubuisse Carthaginem, & victam conditiones accepisse, ob eam maxime caussam putat, quod, quo tempore inter eas incidit contentio, tum & Carthagine multo, quam antea, negligentius, & Romæ multo, quam unquam, diligentius leges colebantur. nihil enim sine jure per-
C petuum est. Jus autem ipsum nihil aliud est, quam bene vivendi norma, legibus tradita atque præscripta. quam qui tenent, soli duas maximas res, maximeque optabiles adipiscuntur. primum, ipsi quotidie magis in sua civitate cari sunt atque honorati, inter ignotos clari, inter homines viri, inter viros heroes: deinde, id quod velle bonitatis est, perficere virtutis, facile consequuntur, ut eorum patria civibus frequens, pace tuta, opibus beata sit. ex hoc genere fuisse legimus Thebis Epaminondam, Spartæ Agesilaum, Athenis Aristidem, Romæ Camillum, Fabios, Decios, Scipiones, Catones, innumerabiles alios. nulla enim ex omni-
D um sæculorum memoria magis ad omnem laudem civitas excelluit. ex hoc etiam numero multos in patria mea fuisse, apud majores nostros Carolum Zenum, Franciscum Barbarum; patrum ætate Bernardum Justinianum, Hermolaum Barbarum, Hieronymum Donatum, Andream Naugerium accepimus. ipsi vidimus, &, quod in magna felicitatis parte ponimus, allocuti sæpe sumus Gasparem Contarenum, cui quidem ex iis, quos nominavi, prudentia, bonitate, amore in patriam, pietate in Deum anteferri nemo, doctrina ne conferri quidem potest. fuit enim ille vir, non modo Venetiis, quamdiu gerendis magistratibus operam Reip. navavit, verum & Romæ, & ubicunque fuit, posteaquam absens pæne contra voluntatem, præter opinionem

certe Cardinalis factus est: fuit, inquam, ille vir, A cujus mihi nunc scribenti vultus & os illud, regia quadam majestate decorum, ante oculos obversatur, in omni genere vitæ inter omnes homines admirabilis & eximius. qui cum esset habitu naturæ excellenti ac prope divino, domestica etiam disciplina, præter rectum & honestum, nihil agnosceret, nihil vellet, tamen assiduo philosophiæ studio ita voluntatem auxerat, ita naturam expolierat, ut cum nemo magis virtutem diligeret, tum nemo diligendam magis judicaret. hunc ego mihi cum a prima adolescentia, tanquam unicum exemplum, & in moribus, & in litteris ad imitandum proposuissem: nunc, in utroque a perfecta illa facultate, B quæ in illo fuit, quam longe absim, quamque id, quod imitari statueram, consequi difficile sit, re tentata & cognita perspicio. equidem in litteris neque tempori, quantum rei familiaris occupatio permittit, neque labori, quantum mea non admodum firma valetudo fert, adhuc peperci: seduloque sum conatus, ut, quemadmodum ille suorum studiorum rationem exstare voluit, itaque multa litteris ab illo præclarissime tradita leguntur, itidem ego facerem, & pro mea tenui facultate, meis scriptis hominum studiosorum utilitati commodisque consulerem. par in utroque voluntas fortasse fuit: nos in- C feriores ingenio, scientia vero impares maxime sumus. ille Venetam Rempublicam hoc est eam, quæ inter omnes nostri temporis Respub. plurimum excellit: nos Romanam, hoc est eam, quam omnium præstantissimam antiquitas habuit, ad scribendum delegimus. ille, quod voluit, perfecit: nos, eventu dubio, perficiendi tamen spe conamur. nam, etsi quanta in re versamur, intelligimus: tamen, quia superioribus quinque libris, primo de urbe, altero de civitate, tertio de religione, quarto de senatu, quinto de comitiis, operam a nobis non omnino male positam existimamus, incœpti nondum pœnitet, animoque satis alacri pergemus ad ea, quæ D restant. Sextus hic erit de Legibus liber, in quo cum diligentiæ, tum ingenii, addo etiam prudentiæ, gravissimæ sunt partes. nam ex iis legibus, quæ Romæ latæ sint, nullam prætermittere, diligentiæ est: quo in genere negligentes certe non fuimus. Quid autem in ferenda lege quisque cogitaverit, & utrum id, quod cogitavit, utile Reipublicæ fuerit: hæc vero neque sine ingenio, eoque peracuto, quisquam viderit, neque sine prudentia judicaverit. quare cum eam partem, quæ tota studii ac laboris est, & a voluntate pendet, absolverimus, (nihil enim in hoc, quantum quidem in nobis e- E rit, desiderari patiemur) eam, quæ ad ingenium & prudentiam pertinet, quæ nobis satis parce natura tribuit, si minus pro rei susceptæ magnitudine præstabimus, iniquus erit lector, si quis infirmitatem pro crimine posuerit, meamque caussam potius condemnaverit, quia, quod debui, non potuerim, quam probaverit, quia, quod potui, certe voluerim. Quinque partes erunt hujus libri. primo loco, quibus nominibus appellatæ leges sint, quis cujusque lator, quæ cujusque sententia fuerit, ostendemus. hac parte absoluta, quæ erit omnium maxima, tum illa quattuor, quæ ad rationem ferendæ legis pertinent, ordine curabimus, ut, a quo F genere hominum, quibus in locis, quibus temporibus, quibus de caussis latæ leges sint, explicemus.

Jus omne aut a natura est, aut a consuetudine, aut a legibus. jus naturæ ipsum per se, sine consuetudine & legibus, ad optimam vitæ conditionem satis erat. satis enim beate viveremus, si naturam ducem sequeremur. sed quia, quod justum & laudabile est, multi, vel quia sunt hebetes, non intelligunt, vel, quia sunt improbi, dissimulant: iccirco, ne peccantibus daretur excusandi locus, scripta lex est, qua, quid agendum, fugiendumve esset, perpetuis litterarum notis testatum atque expressum ante oculos poneret. Is enim, qui legem fert, si modo suam voluntatem civitatis commodo metitur, tria spectat: ut pœnam factis dignam perditi homines luant; ut cæteri, exemplo admoniti, pœnaque deterriti, meliores efficiantur; ut viri boni, sublatis improbis, tutiorem ac tranquilliorem vitam ducant. est igitur lex tanquam præco, qui, suggerente natura, justitiam civibus enunciat: cujus vocem qui volentes auribus percipiunt, eamque fideliter animo custodiunt, ita vivunt, ut virtutem a vitio facile distinguant, & ab altero, tanquam a pestifero angue, refugiant, alteram amplexentur & amabilem præ cæteris rebus existiment. Verum, quia publica res ita cum privata cohæret, ut altera alterius commodo nitatur, nec fere, nisi utrique recte sit, diu vigere & stare civitas ulla possit, propterea, quæ utrique consulerent, leges, aliæ pro statu Reipublicæ, aliæ pro singulorum utilitate, diversis temporibus latæ sunt. fuit igitur & jus publicum, & jus privatum. Rursus, quia publica sunt infirma, si separentur a divinis, publici juris facta divisio est, ut altera pars ad religionem, altera ad res humanas pertineret. Jus privatum ne ipsum quidem simplex est, sed leges quidem omnes de rebus humanis, alias tamen de jure civili, alias de criminibus continet. Primum igitur nobis agendum est de jure publico, deinceps de privato: & primum de publico divino, deinde de humano: item de privato, primum de eo, quod ad jus civile pertinet, secundo loco de eo, quod crimina persequitur.

CAP. II.

De legibus Romanis jus publicum spectantibus, inter quas primo loco leges de sacris & religione.

ROMANÆ leges aut a regibus latæ sunt, aut ab iis magistratibus, quos, regno sublato, alios aliis temporibus creatos, civitas habuit. ipsas leges magna ex parte aliunde sumptas facile crediderim. non enim dubitandum est, quin, cum ea tempestate in Italia & Albani, & Sabini, & præter cæteros Etrusci floruerint, cumque Albæ Romulus, in Sabinis Numa, Priscus etiam matre Etrusca, patre in Græcia nato, in Etruria educato, genitus esset, ad suam quisque patriam respexerit, & ea, quæ in iis populis probabiliora videbantur, instituta delegerit, Romæque legibus sanxerit. a Lacedæmoniis etiam nonnulla, ab Atheniensibus multa ad jus constituendum video derivata. nam fere, quæcunque in XII. tab. decemviri scripserunt, de Solonis legibus translata sunt. & earum tabularum supplementa Romanos a Faliscis collegisse, apud Servium Honoratum scriptum est. cujus in commentario, a Cretensibus etiam aliquid sumptum, animadvertimus. *Majores, inquit, nostri, sedentes epulabantur: quem morem habuerunt a Laconibus, & Cretensibus, ut Varro docet in libris de gente populi Romani, in quibus docet, quid a quaque traxerit gente per imitationem.* Nec vero, ab ingenio pauca, atque a prudentia esse deprompta, credendum est, præsertim in Republica; cum in magnis opibus imperii, pro vario rerum eventu, nova jura temporum necessitas exigeret. Regum ætate non multas in urbe leges fuisse existimaverim: non solum, quia regum jussa pro legibus erant, ad eos gravissima quæque deferebantur: eorum omnes dicto annuere, imperio parere cogebantur: verum etiam, quia civitas, neque dum populo satis frequens, neque opibus locuples, legum multitudinem non desiderabat, inter paucos, & assiduis bellis exercitatos, nondum licentia nondum plane vis emerserat; non

luxuries; non illa, quæ fere opes consequitur, malarum artium lues in urbem invaserat. Regibus exactis, simul cum publicis opibus & nata nova vitia sunt, & ea, quæ fuerant, aucta. tunc, ut ad varios morbos diversa medicamenta investigata inventaque sunt, sic ad ea mala, quæ manare cœperant in civitate, comprimenda atque sananda, varia legum genera peperit necessitas. neque tamen reges ipsi leges neglexerunt. poterant omnino, quidquid vellent: sed voluit nemo, nisi quod liceret. quin, ut ait Livius, ab ipso statim urbis primordio Romulus, *rebus divinis rite perpetratis, vocata ad concionem multitudine, quæ coalescere in populi unius corpus nulla re, præterquam legibus, poterat, jura dedit*. quem Numa subsecutus, multo etiam magis civitatem legibus excoluit, & ab armis ad religionem bonosque mores totam traduxit: omnesque deinceps, præter Superbum, ita regnarunt, ut, quod idem Livius alio loco tradit, *Brutus idem, qui tantum gloriæ, Superbo exacto, meruit, malo publico vel maximo id facturus fuerit, si, libertatis immaturæ cupidine, priorum regum alicui regnum extorsisset*. quare, cum ipsos moderati ingenii optimique exempli fuisse constat, tum leges habuisse, quarum ad præscriptum universos cives vivere voluerint. quibus de legibus, deque iis, quæ postea latæ sunt, ita summatim agemus, nihil tamen ut patiamur desiderari. ac primum de publicis, & inter has primum de iis, quæ ad religionem pertinent, agendum est.

LEGES publicæ de sacris & de religione jam inde a primis regibus, Romulo, & Numa, non sane paucæ institutæ sunt, sed ante omnia Romulus videtur, ne quis unquam suas leges aut sua facta posset infirmare, legem illam, quam *regiam* Ulpianus vocat, de suo imperio tulisse: cum populus ab eo rogatus, omne suum ei, & in eum imperium, omnemque potestatem contulit. Hoc facto ad inducendam religionem animum adjecit, & cum religione securitatem simul civium spectavit. de ipsa enim urbe id primum statuit, ne quis, nisi per portas, ingrederetur, egredereturve: mœnia sacrosancta essent. quam legem videtur Cicero significasse in II. de natura deorum, cum ait, *muros a pontificibus habitos esse sanctos, quos violare nefas esset*. Ita cum & suam Romulus, & publicam salutem religione muniisset, sanxit deinde, idque semper servavit, ne quid publice nisi inaugurato fieret. vidit enim, reliquas leges, quas ferre de rebus humanis cogitabat, haud paulo plus in novo varieque multis ex locis confluente populo habituras esse ponderis, si cum quadam erga deos pietate conjungerentur: quandoquidem id esse quasi frenum videretur ad impetus animorum reprimendos, hominesque in officio rectaque ratione continendos. Atque hac quidem de lege ita loquitur Cic. in 3. lib. de natura deorum, ut ab ea fluxisse Romani imperii magnitudinem significet. *Romulum*, inquit, *mihi persuadeo, auspiciis constitutis, jecisse fundamenta nostræ civitatis. Tum, sacris rebus ac ritibus præesse principes civitatis, hoc est, patricios, lege jussit, qui divina tractari a plebeiis hominibus, neque pium, neque decorum judicaret: siquidem ea, quæ vim habet necessitatis, inopia faceret, ut eorum non modo manus labe rerum vilissimarum fœdarentur, verum animi quoque tum cogitandis, tum etiam parandis sceleribus inquinarentur*. Addidit aliam legem, ne in templo nocturnæ vigiliæ haberentur: optimo sane consilio, primum, ne quid per noctem minus caste, minusve pudice sacrorum specie committeretur: quod fieri plerumque contingit. deinde, ne qua fieri coitio, ne quid iniri adversus ipsum, publicamve rem occulti consilii, ne quid insidiarum tendi posset. ad quam legem Cicero spectavit, cum in suis legibus illa scripsit: *Nocturna mulierum sacrificia ne*

A *sunto, præter illa, quæ pro populo rite fiant*. Et, quoniam opinio fabularum, quibus antiquitas deos admiscere solita est, familiaritatem quandam inter homines & deos videtur inducere: unde manat primum contemptus, & in moribus licentia, deinde ad omne facinus audacia: vinculum hoc quoque incolumitatis publicæ firmissimum sapientissimus rex futurum putavit, si pœnam iis lege indiceret, qui fabulosa de iis figmenta credidissent. Quid illud? ubi diversa religio est, tollitur societas, & consuetudo. ex eo facile odia, & ex odiis seditiones exsistunt, quo sæpe malo civitates intereunt: providit hoc Romulus, cavitque, lege lata, ne deos peregrinos, B præter Faunum, colerent, neve sacrificia externa facerent. Has leges, & eas, de quibus infra suo loco agemus, videtur comitiis curiatis tulisse: qua de re Pomponii jurisconsulti verba recitabo. *Romulus*, inquit, *populo in xxx. partes diviso, quas curias appellavit, quod tunc Reipub. curam per sententias earum partium expediebat, leges quasdam curiatas ad populum tulit: tulerunt & sequentes reges: quæ omnes conscriptæ exstant in lib. Sext. Papirii, qui fuit illis temporibus, quibus Superbus, Damarathi Corinthii filius. isque liber appellatur Jus civile Papirianum*. C Hæc Pomponius. Aliam ejusdem Romuli, sed ita mutilam ponit Festus, vix ut sententiam consequi liceat, scribit enim sic: *In regis Romuli, & Latii legibus:* (sive *Tatii*, qui cum eo regnavit, malimus legere) *Si nurus, sacra divis parentum esto*. Verum in Romulo temperatum fuit ingenium, quale scilicet nascentis urbis initia postulabant, tum ad rem bellicam, tum ad religionem accommodatum. Numa totus in re divina fuit: itaque ad eos sacerdotes, quos Romulus instituit, qui sexaginta fuerunt, ipse alios præterea adjecit, flaminem Dialem, Martialem, Quirinalem, virgines Vestales quatuor, Salios Marti Gradivo duodecim, pontificem maximum ex patriciis, cui omnia sacra tum publica, tum privata D commisit. Hæc non dubito, quin ad perpetuitatem legibus sancita sint, sicuti alia multa, quæ religionis caussa tum ab aliis regibus, tum a magistratibus in Repub. constituta sunt. Addit ejusdem legem Plutarchus in Coroliano: *Ut, cum sacerdotes rem divinam facerent, clara voce præco clamaret, Hoc age: ut attento animo sacris operam darent*. Tres & Plinius nominat, unam lib. 14. c. 12. *Ne rogus vino respergeretur: neve diis ex imputata vite vina libarentur. quorum alterum sanxit propter inopiam; alterum, ut putare cogerentur, alias aratores, & pigri circa pericula arbusti*. Hanc puto Postumiam Nu- E mæ legem ideo dictam esse, quia Postumius eam aliquis in magistratu jussu Numæ tulerit. nec vero quemquam Numa regnante fuisse crediderim ea potestate præditum, ut legem ferre posset, præter præfectum urbis: qui videtur a Romulo institutus, quod ipse, propter assidua bella, urbanis negotiis operam dare nullo modo posset. certe rex ultimus Tarquinius, Rutulis bellum illaturus, curam urbis commisit Sp. Lucretio Tricipitino, quem Livius *præfectum urbis* appellat. Alteram Numæ legem idem Plinius nominat lib. 8. cap. 2. *Ut deos fruge colerent, & mola salsa litarent*. Tertiam lib. 31. cap. 2. *Ne pisces squamosos pollincerent*. Legem F quoque de prædiorum terminis, quos tanquam deos coli voluit, ab eo latam, & alia quædam sacris inducendis aut confirmandis idonea, ab eo instituta, docet libro secundo Dionysius. Festus etiam: *Numa*, inquit, *statuit eum, qui terminum exarasset, & ipsum, & boves sacros esse*. Idem alio loco: *Aliuta antiqui pro aliter dicebant. hinc illud in legibus Numæ: Si quis aliuta faxit: ipsus Jovi sacer esto*. A divinis ad humana conversus, luctui modum statuit pro cujusque ætate, ut apud Plutarchum in ejus vita scriptum est. Legem ejus de Judiciis Festus memorat in verbis: *Numa in secunda tabula*,

secunda lege, in qua scriptum est: Quid horum fuit unum judici, arbitrove, reove, eo die diffissus esto. Recitat idem ejusdem legem, his verbis: *Si parentem puer verberit, ast olle plorassit parentes: puer divis parentium sacer esto.* Quæ sine dubio ad eam, quæ parentibus debetur, pietatem spectat. *Regibus ejectis, lege tribunicia omnes leges exoleverunt* (ponam enim ejusdem Pomponii verba) *iterumque cœpit populus R. incerto magis jure, & consuetudine aliqua uti, quam perlata lege: idque prope xx. annis. postea placuit, publica auctoritate x. constitui viros, per quos peterentur leges a Græcis civitatibus, ut civitas fundaretur legibus: quas, in tabulis x. æneis perscriptas, pro rostris proposuerunt, ut possent apertius perspici: datumque est eis jus eo anno in civitate summum, uti leges corrigerent, &, si opus esset, interpretarentur, neque provocatio ab eis, sicut a reliquis magistratibus, fieret. qui & ipsi animadverterunt aliquid deesse primis x. legibus, ideoque sequenti anno alias duas eisdem tabulis adjecerunt.* In his legibus, quas centuriatis comitiis x. viri tulerunt, multa proprie de jure divino sancita esse, necesse est: siquidem ita diligenter, & ita copiose scriptæ sunt, inspectis prius & sapientissimi Solonis legibus, & aliarum Græciæ civitatum institutis ac moribus, ut vel ætate sua Livius in immenso aliarum super alias acervatarum legum numero, fontem tamen omnis publici privatique juris XII. tabul esse dicat. sed de sacris ritibus pleraque vetustate obliterata evanuerunt: nonnulla de legibus ad creandos sacerdotes pertinentibus, veterum historiarum ac monumentorum ope, quasi scalmus e naufragio, servata sunt. Atque hoc de genere (ut a primis temporibus ordiar, unde veluti per gradus ad postrema descendam) leges invenio, Romiliam primum: qua cautum est, ne alii, præter patres & magistratus, sacra inirent, peragerentve: deinde tribuniciam, Sextiam Liciniam, ut x. viri sacrorum non, ut antea, omnes patricii, sed ex parte dimidia de plebe crearentur: item aliam tribuniciam, Ogulniam, ut, cum quattuor pontifices essent, placeretque sacerdotum numerum augeri, quattuor præterea pontifices, quinque augures, de plebe omnes, allegerentur: ut omnino octo pontificum, novem augurum numerus fieret. jam enim inter plebem, & senatum, hoc est, inter inopes, & divites, peculiare malum in liberis civitatibus, erumpere discordia cœperat: seque plebs, quasi profanam, a sacris amoveri querebatur. ideoque tribuni pl. adversante senatu, ad extremum latis rogationibus, obtinuerunt, ut sacerdotia communicarentur. Fuere præterea de cooptandorum sacerdotum jure partim pro plebe, partim pro collegiis latæ. tribunitia Cn. Domitii, consularis L. Cornelii Syllæ dictatoris, tribunicia T. Atii Labieni, consularis C. Cæsaris, consularis deinceps & M. Antonii. cum enim, veteri lege ac more, augures ab auguribus, pontifices a pontificibus, reliqui sacerdotes a suis quique collegiis crearentur, unus pontifex maximus a populo: quod & Ciceronis in Agraria II. & omnium pæne historicorum, ac Livii maxime testimonio constat: Cn. Domitius tribunus pleb. Neronis Imperatoris atavus, pontificibus offensior, quod alium, quam se, sui patris in locum cooptassent, lege lata, jus sacerdotum subrogandorum a collegiis ad populum transtulit, eo anno quo C. Marius tertium consul fuit. nec multo post ipse pontifex maximus populi suffragio creatus est, opinor in locum Q. Servilii Cæpionis: ut ex Valerii libro VI. licet conjicere hujus legis in II. in Rullum agraria oratione Cicero mentionem facit, his verbis: *Hoc idem de cæteris sacerdotiis Cn. Domitius, tribunus pl. vir clarissimus, tulit, quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur: ab ea parte qui esset factus, is a collegio cooptaretur.*

A Sunt etiam hæc in oratione pro C. Cornelio: *Quid? avunculus tuus, clarissimus vir, clarissimo patre, avo, majoribus, credo silentio, favente nobilitate, nullo intercessore comparato, populo R. dedit, & potentissimorum hominum collegiis eripuit cooptandorum sacerdotum potestatem.* Existimo autem hac lege permissum, ut absentes etiam possent petere sacerdotia. nam eam, ut opinor, significat Cicero, cum ad M. Brutum ita scribit: *Ciceronem nostrum in vestrum collegium cooptari volo. existimo omnino absentium rationem haberi sacerdotum comitiis posse, nam etiam factum est antea. Cajus enim Marius, cum in* B *Cappadocia esset, lege Domitia factus est augur: nec, quo minus id postea liceret, ulla lex sanxit.* Postea L. Sylla, rerum potitus, cum alia multa contra populum, qui Marianas partes foverat, tum hoc sanxit, ut rursus sacerdotes a collegiis crearentur. de quo sic Pedianus in Divinationis explanatione: *His x. annis, victore Sylla, bellis civilibus, spoliatus est populus R. potestate tribunicia, judicandi jure, arbitrio creandorum sacerdotum.* Sed quemadmodum legem Domitiam abrogavit sua lege Sylla: sic legem Syllæ, aliquot post annis, T. Atius Labienus tribunus pl. abrogavit, Domitiamque restituit. fecit autem hoc auctore C. Cæsare: qui, si C populus in mandando sacerdotio suffragium ferret, se, qui popularis admodum erat, pontificem maximum, in demortui Metelli Pii locum, creatum iri, non sine caussa putabat. quod re comprobatum est: nam P. Servilio Isaurico, & Q. Lutatio Catulo, consularibus viris & provecta jam ætate dejectis, ipse, nondum prætorius, in amplissimi sacerdotii gradum ascendit. Tulit & ipse legem, non quæ a Labieni lege discreparet (fuit enim uterque popularis) sed quæ novum aliquod jus adscriberet. Domitiam quidem legem in eo capite confirmavit, ut absentibus petere sacerdotia liceret. Scripsit enim hæc in sua lege: *Qui petit, cujusve ratio habebitur.* D quorum verborum sententiam Cicero exponens in epistola ad M. Brutum, *Aperte*, inquit, *indicat, posse rationem haberi etiam non præsentis.* Rursus a populo ad collegia, lege Labieni abrogata, jus cooptandorum sacerdotum retulit post obitum Cæsaris M. Antonius consul, eo consilio, ut facilius ac certius M. Æmilius Lepidus, cujus filio filiam suam collocaverat, pontifex maximus in Cæsaris locum subrogaretur. Ita, quod historia demonstrat, jus creandi sacerdotes quater immutatum est, a Domitio, Sylla, Labieno, Antonio. mihi tamen & de quinta mutatione oritur opinio, ut puto, satis certa. primum ex epistola ad M. Brutum, in qua ita E scriptum est: *Pansa vivo celeriora omnia putabamus. statim enim collegam sibi subrogasset: deinde, ante prætorum, sacerdotum comitia fuissent.* cum enim, quo tempore hæc epistola scripta est, tum non a collegiis, sed a populo subrogari solitos esse sacerdotes, manifestum sit, quia comitia de populo dici nemo nescit: hæc autem epistola eo anno scripta sit, quo Hirtius & Pansa coss. fuerunt, id est, eo, qui Antonii consulatum primus consecutus est: liquet Antonii legem non esse servatam, sed eam, quam Domitius tulerat, iterum esse restitutam. nitor etiam Dionis testimonio: qui libro XLVI. leges Antonii a Pansa consule abrogatas esse narrat. F quod etiam fecit Lentulus ille, qui scripsit his verbis ad Ciceronem: *Primus ego leges Antonianas fregi.* ut ejus potius exemplum Pansa, quam ipse Pansæ, secutus esse videatur. est etiam ex ipso Cicerone minime dubium de abrogatis Antonii legibus argumentum: *Acta*, inquit oratione XIII. in ipsum, *Antonii rescidistis: leges per vim, & contra auspicia latas decrevistis.* Præterea patet hoc eo clarius, quod in ea, de qua proxime mentionem feci, ad Brutum epistola proximam legem de sacerdotiis Cicero Juliam appellat: quæ petendi sacerdotii potestatem

absentibus permittebat. quod si post Antonii consulatum, in quo legem tulit de jure cooptandi, proxima dicitur C. Cæsaris lex: nimirum sublata jam erat Antonia, & mos ille renovatus cooptandorum sacerdotum populi comitiis, quem sua lege primus Domitius induxerat. quamquam non id primus esset aggressus: nam aliquot annis ante C. Licinius Crassus eadem sententia legem promulgavit, nec tamen pertulit. sic enim in libro de Amicitia loquitur D. Lælius, is, qui cum Africano minore conjunctissime vixit: *Quam popularis lex de sacerdotiis C. Licinii Crassi videbatur. cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. tamen illius vendibilem orationem religio deorum immortalium, nobis defendentibus, facile vincebat. atque id actum est prætore me, quinquennio ante, quam consul sum factus. itaque re magis, quam auctoritate, caussa illa defensa est.* Hic, quando veterum testimonia, quæ sunt de legibus ad sacerdotum creationem pertinentibus, recitavi: adjungam dubitationis nescio quid, quod explicare, non cuivis, ut opinor, facillimum est. non enim minus libenter meas dubitationes, quam expositiones, profero: neque ego me eum esse profiteor, cui omnia pateant. contra, si qui se multa nescire fateatur, & qui libenter in legendo dubitet, is ego sum. Quæro igitur, utrum Cn. Domitii lex etiam ad ipsius pontificis maximi creationem pertinuerit, an vero ad sacerdotes, pontifice excepto. nam, si Domitius legem tulit non de pontifice maximo, sed de cæteris sacerdotibus a populo creandis: quia de pontifice ferri non opus esse judicaret, cum is jam ante a populo crearetur: cur dixit Dio libro XXXVII. legem Domitiam de cooptatione sacerdotum a Labieno tribuno pl. esse renovatam, ut pontifex maximus in locum Metelli C. Cæsar a populo crearetur? quod si quis Domitium & de pontifice maximo tulisse dixerit, huic ego opponam Ciceronis & Livii auctoritatem: qui, quod Domitius tulit, ut in sacerdotibus fieret, id tam ante in pontifice maximo esse factum significant, ut scilicet a parte populi crearetur. Ciceronis verba sunt hæc in II. in Rullum oratione: *Item, inquit, eodemque modo, capite altero, ut comitiis pontificis maximi. Ne hoc quidem vidit: majores nostros tam fuisse populares, ut, quod per populum creari fas non erat propter religionem sacrorum, in eo tamen propter amplitudinem sacerdotii voluerint populo supplicari. Atque hoc idem de cæteris sacerdotiis Cn. Domitius tribunus pl. vir clarissimus tulit: quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur: ab ea parte qui esset factus, is a collegio cooptaretur.* Satis aperte significat, ante Domitii legem a parte populi pontificem esse factum. Sed Livius paulo clarius etiam hoc idem libro XXV. exponit. ait enim: *Comitia inde pontifici maximo creando sunt habita. ea comitia novus pontifex M. Cornelius Cethegus habuit.* comitia pontificis maximi nominat, plurimis ante Domitii ætatem annis. Quænam igitur est hujus explicandæ quæstionis ratio? hæc fortasse. Concedo, ante Domitii legem populi comitiis pontificem maximum esse factum: sed Domitium existimo, cum reliquorum sacerdotum, id est, pontificum, augurum, XV. virorum, VII. virorum, flaminum, aliorumque omnium, qui jure sacerdotii sacris rebus præessent, eandem esse conditionem vellet, ut, quemadmodum pontifex maximus, item ipsi a parte populi crearentur, de sacerdotibus omnibus generatim tulisse, ut etiam pontificem ipsum maximum comprehendere videretur. ita, quod de jure subrogandorum sacerdotum Domitius tulit, non illud quidem in pontifice maximo novum fuit, sed, cum generalibus verbis esset perscriptum, non minus ad eum, quam ad reliquos sacerdotes, pertinuit. quam ob caussam, cum L. Sylla Domitiam legem abrogavit,

A abrogatam simul & de pontifice maximo & de sacerdotibus reliquis dicemus. non, quod nominatim Domitius de pontifice maximo tulisset: (jam enim, neque hoc esse factum, neque fieri oportuisse, diximus) sed, quod, cum de sacerdotibus omnibus tulisset, legis sententia etiam ad pontificem maximum, qui & ipse sacerdos esset, pertineret. itaque, lege abrogata omnium sacerdotum, quorum in numero pontifex maximus erat, ad collegia rursus translata cooptatio est: eademque lege a Labieno renovata, pontificis maximi & reliquorum sacerdotum par conditio fuit, ut omnes a parte populi crearentur. quod enim communiter omnibus de sacerdo- B tibus sancitum a Domitio fuerat, eo pontificem maximum excludi jus non fuit. Vetus etiam de religione lex illa fuit, quam Q. Papirius tribunus pl. tulit: quæ vetabat injussu populi quidquam consecrari, neque aut hominem, aut locum, aut rem excipiebat ullam. quod ex oratione pro domo conjici videtur posse. Item illæ de ritu capiundæ virginis Vestalis, Papia primum, deinde Popillia, qua de re apud Gellium scripta sunt hæc: *De more rituque capiundæ virginis, litteræ quidem antiquiores non exstant, nisi quod capta fuisse fertur quæ capta prima est, a Numa rege. sed Papiam legem in-* C *venimus: qua cavetur, ut pontificis maximi arbitratu virgines e populo viginti legantur, sortitioque in concione ex eo numero fiat. sed ea sortitio ex lege Papia non necessaria nunc videri solet. nam si quis honesto loco natus adeat pontificem maximum, atque offerat ad sacerdotium filiam suam, cujus duntaxat, salvis religionum observationibus, ratio haberi possit: gratia Popilliæ legis per se ratum fit. Capi autem virgo propterea dici videtur, quia, pontificis maximi manu prehensa, ab eo parente in cujus potestate est, veluti bello capta adducitur. In libro Fabii Pictoris, quæ verba pontificem maximum dicere oporteat, cum virginem capit, scriptum est. ea hujusmo-* D *di sunt: Sacerdotem Vestalem, quæ sacra faciat, quæ jus fiet sacerdotem Vestalem facere pro populo R. Quiritibusque, uti quod optima lege fiat: ita te Amata capio. Amata autem inter capiendum a pontifice maximo appellatur, quoniam, quæ prima capta est, hoc fuisse nomine traditum est.* Legum de religione ultima erit, & quasi agmen coget ea, quæ sacerdotes militiæ vacationem, præterquam Gallico bello, habere jussit: non quod iis bello prorsus intercederet, sed hoc tribuit, ut, si minus ire ad militiam vellent, cogi ne possent. nam, sponte multos augures, multos pontifices ad bellum exisse, historiæ narrant. qui tamen extra Italiam primus pon- E tifex maximus P. Licinius Crassus Mucianus contra Aristonicum, qui Asiam occupaverat, profectus est, is in prælio interfectus, neglectæ religionis pœnas dedit. Hanc legem significat Plutarchus in Fabii Maximi vita, cum ait: *Crassum, quod erat pontifex maximus, divina quædam lex domi tenuit.* eodemque & Livius libro 8. spectavit. *Nominatæ*, inquit, *consulibus Provinciæ sunt, Scipioni Sicilia extra sortem, concedente collega, quia sacrorum cura pontificem maximum in Italia retinebat, Brutii Crasso.* Sed hic Crassus multis annis ante illum fuit, qui ab Aristonico est interfectus: ut ex observatione temporum facile est intelligere.

F

CAP. III.

Leges de ludis.

SEQUUNTUR proxime leges de ludis: quas cum iis, quæ ad religionem pertinent, conjunctionem, & quasi affinitatem quandam habere, satis ex eo constat, quod nulli sine sacrificiis ludi fuerunt.

A & sacrificia religionis pars est . ideo & M. Varro , cum de rebus divinis libros quinque componeret , unum de ludis , ut de re divina fecit . qua ratione adducti sumus , ut post leges de sacerdotiis eas , quæ sunt de ludis , exponeremus . Ac prima inter has Licinia nominatur , de ludis Apollinaribus: qui cum in unum annum voverentur , incertoque die fierent , senatus P. Licinium Varum prætorem urbis ferre ad populum jussit , ut in perpetuum in statum diem voverentur . hi ludi , cum Hannibal esset in Italia , victoriæ caussa Q. Fulvio Flacco tertium , Ap. Claudio coss. ex Martii , clari vatis , carmine primum instituti sunt: cujus in libris hæc inventa Livius recitat lib. 25. B eademque fere & Macrobius lib. Saturn. I. *Hostes , Romani , si expellere vultis , vomicamque quæ gentium venit longe , Apollini vovendos censeo ludos qui quotannis comiter Apollini fiant . cum populus dederit ex publico partem , privati uti conferant pro se , suisque . iis ludis faciendis præerit prætor is , qui jus populo plebique dabit summum . x.viri Græco ritu hostiis sacra faciant . Hæc si recte faxitis , gaudebitis semper , fietque res vestra melior : nam is Deus exstinguet perduelles vestros , qui vestros campos pascunt placide .* Hoc invento carmine censuerunt patres Apollini ludos vovendos , faciendosque . voveri autem , & fieri a prætore urbano : quod C is esse videretur , qui jus populo plebique summum daret . cum facti essent , duodecim millia æris prætori ad rem divinam , & duas hostias majores dandas : & ut x.viri sacra ritu Græco facerent , hisque hostiis , Apollini bove aurato & capris duabus albis auratis , Latonæ bove femina aurata . Ludos prætor cum facturus esset , edixit , ut populus per eos ludos stipem Apollini , quantam commodum esset , conferret . populus eos coronatus spectavit . matronæ supplicavere , vulgoque apertis januis in propatulo epulati sunt , celeberque dies omni cærimoniarum genere fuit . Anno proximo , referente Cal- D purnio prætore , decrevit senatus , ut ii ludi in perpetuum in statum diem voverentur . P. Varus , ut diximus , prætor urbanus , a senatu jussus , legem tulit : & ex ea lege ipse primus vovit , fecitque ante diem 2. nonas Quinct. eumque diem solemnem deinde servatum esse Livius tradidit . ego tamen M. Bruti , qui Cæsarem interfecit prætoris urbani , absentis nomine , neque uno die tantum , neque 2. nonas Quinct. factos invenio , sed cum nonis Quinct. essent commissi , usque ad 3. Idus datos fuisse . quod ex duobus locis libris Epistolarum ad Atticum XVI. colligitur . quod ipsum , de pluribus ludorum Apollinarium diebus , confirmat , ut opinor , Livius lib. E XXXVII. his verbis : *Ludis Apollinaribus ad V. Idus Quinct. cælo sereno , interdiu obscurata lux est .* Alios præterea ludos Romæ fuisse , notum est , de quibus agetur in alio libro separatim . Nunc leges ostendamus : id quod propositum nobis est . Liciniam Fannia sequitur : de qua Gellius hæc : *Ludis Megalensibus principes civitatis mutua inter sese convivia agitabant : qui vetere S. C. quod factum est C. Fannio & M. Valerio coss. jurare cogebantur , conceptis verbis , apud consules , non amplius in singulas cænas sumptus esse facturos , quam centenos vicenosque æris , præter olus & far & vinum ; neque vino alienigena , sed patrio usuros , neque argenti in convi-* F *vium plus pondo , quam libras centum , illaturos , sed post illud S. C. lex Fannia lata est , quæ ludis Romanis , item plebeiis , & Saturnalibus , & aliis quibusdam diebus in singulos dies centenos æris insumi concessit , decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos , cæteris autem omnibus denos .* Et , quoniam spectandi locum senatores in imis gradibus ante omnes habuerunt : quod instituere curules ædiles , censorum jussu , Atilius Serranus , & L. Scribonius Libo : fecit sua lege L. Roscius Otho , Ciceronis ætate , alteram in populo distinctionem . tulit enim , ut equester ordo seorsum a plebe in XIV. gradibus sederet , iis tamen equitibus exceptis , qui sive suo , sive fortunæ vitio decoxissent . cui generi certum locum assignavit , pœna irrogata , si in XIV. sedissent . hinc illud in Antonium , oratione II. *Tenesne memoria , te prætextatum decoxisse ? patris , inquies , ista culpa est . concedo : illud tamen audaciæ tuæ , quod sedisti in XIV. cum esset lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus , quamvis quis fortunæ vitio , non suo decoxisset .* Primum igitur senatores in sedibus circo proximis considebant . secundo loco proxime sedisse equites putabam , cum , exceptis senatoribus , & magistratibus , dignitate anteirent : sed a Cornelio Tacito monitus opinionem mutavi . is enim , sedisse quidem in XIV. ordinibus equites , narrat , non tamen , ante plebem , sed confuse , tantum ut XIV. ordines haberent . *Nero ,* inquit libro XV. *equitum Romanorum locos sedilibus plebis antepofuit apud circum : nam ad eam diem indiscreti ibant : quia lex Roscia nihil , nisi de XIV. ordinibus , sanxit .* Hic legis Titiæ & Corneliæ , a duobus fortasse tribunis pleb. latæ , (nam & plebeii Cornelii fuerunt) subjungenda mentio est : quæ sanxit , ne quis in pecuniam luderet , sponsionemque ejus rei ergo faceret , nisi si certaretur disco , pilove jaciendo , currendo , saliendo , ludendo , pugnando : quæ virtutis caussa fiebant . hanc legem utrum Reip. an Imperatorum temporibus latam existimem , compertum non habeo . mentionem video fieri apud jurisconsultos . Nec omittendum illud , quod pertinere videtur ad ludos : histrionum licentiam repressam esse lege . qua de re is , qui libros rhetoricorum scripsit ad Herennium , atque etiam Suetonius mentionem facit . Non est , opinor , a legibus de religione lex illa sejungenda : quam vetustam fuisse Livius asserit , priscis litteris verbisque scriptam : ut , qui prætor maximus esset , idibus Sept. clavum pangeret . cujus religionis servandæ gratia creatum esse dictatorem , idem Livius ait , L. Manlium Imperiosum , ab eoque clavum esse fixum dextro lateri ædis Jovis optimi maximi , ea parte , qua Minervæ templum fuit : & addit , eum clavum , quia raræ primis urbis temporibus erant litteræ , notam numeri annorum fuisse credi : eoque Minervæ templo dicatam legem , quia numerus Minervæ inventum esset : eam autem cærimoniam , cum per aliquot annos fuisset intermissa , ideo esse renovatam , ut pestilentia sedaretur . quod antea factum , prospereque rem successisse seniores prædicabant .

CAP. IV.

Leges de rebus humanis , ac primum eæ quæ sunt de magistratibus latæ .

POST res divinas humanæ sequuntur & inter humanas primum dignitatis locum obtinent magistratus . itaque ordo postulat , ut , quæ leges de iis latæ sunt , eas hic exponamus . Sed quoniam ex ordine Senatorio leguntur magistratus , de legendo senatu prius agi , æquum videtur . qua de re Festi verba subscribemus . *Præteriti senatores ,* inquit , *quondam in opprobrio non erant : quod , ut reges sibi legebant sublegebantque quos in consilio publico haberent : ita post exactos eos , consules quoque & tribuni militum consulari potestate , conjunctissimos sibi quisque patriciorum , & deinde plebejorum legebant : donec Omnia intervenit qua sanctum est , ut censores ex omni ordine optimum quemque curiatum in Senatum legerent . quo factum est , ut , qui præteriti essent , & loco moti , haberentur ignominiosi .* De magistratibus prima fuit , opinor , hæc : ut de senatu , id est , de patriciis familiis , omnes magistratus crea-

crearentur : idque a Romulo inſtitutum reliqui deinde reges obſervarunt. hanc autem legem, vix putaverim, comitiis curiatis, ut reliquas, a Romulo eſſe latam. Quippe quæ adverſus plebis voluntatem res eſſet, eam rem cur ipſius plebis judicio poteſtatique committeret? ſanxit igitur hoc regio jure, publiciſque tabulis conſignavit, & obſervari pro lege voluit. quod perſpicue demonſtrat Dionyſius lib. 2. cum ait : *Romulum de muneribus patriciorum & plebejorum lege ſanxiſſe. ut patricii ſacra curarent, magiſtratus gererent, jus dicerent : plebeii, quia rudes inopeſque eſſent, agros colerent, quæſtuariiſque artibus operam darent*. Temperamentum illud tamen, quo civitatum concordia, id eſt, ſalus ipſa, cuſtoditur, maxime quæſivit : nam, ne nimis in ordinem patricium videretur eſſe propenſus, datum aliquid populo voluit, &, ut is ſuis ſuffragiis magiſtratus crearet, leges ſciſceret, bella decerneret, curiatis comitiis tulit. Duumviros quoque, qui perduellionem judicarent, ita creari juſſit, ut ad populum provocatio eſſet. qua ipſa de lege & infra mentio fiet inter eas, quæ ad crimina capitalia pertinent. nec tamen hic, cum ad duumviros, hoc eſt, ad magiſtratum pertineat, omittendam putavimus. Ejuſdem lege creavit populus tribunum Celerum, qui equitibus præerat, & veluti ſecundum locum, ut ait Pomponius juriſconſultus, a regibus obtinebat. quo in numero fuit L. Junius Brutus, ille reges ejiciendi, & inducendæ libertatis auctor. Creatos etiam regnante Romulo, quæſtores, Ulpianus prodidit a Junio Gracchano traditum in iis libris, quos de Poteſtatibus inſcripſit. idem tamen hæc ſubjungit : *Sicut dubium eſt, an, Romulo & Numa regnantibus, quæſtor fuerit : ita, Tullo Hoſtilio rege, quæſtores fuiſſe certum eſt*. & ſane crebrior opinio eſt, Tullum Hoſtilium primum in Rempub. quæſtores induxiſſe. Legem aliam præterea in regno Romano de magiſtratibus non video nominari.

CAP. V.

Leges poſt exactos reges de magiſtratuum urbanorum creatione ac poteſtate latæ.

REGIBUS pulſis, prima de magiſtratibus lex fuit, quam L. Junius Brutus tulit, ut ſingulis annis bini conſules, regia poteſtate, crearentur, iiſque primum creandis centuriata comitia ab interrege, ut ait Dionyſius, haberentur : quæ tamen a præfecto urbis eſſe habita, Livius tradit. ſic enim lib. 1. ſcripſit, in extremo : *Duo conſules inde comitiis centuriatis a præfecto urbis ex commentariis Ser. Tullii creati ſunt*. in quo videtur illi eſſe cum Dionyſio controverſia : quæ tamen nulla eſt. nam & ab interrege, & a præfecto ſimul urbis habita ſunt ea comitia, quibus primi conſules creati ſunt : cum iis præfuerit Sp. Lucretius Tricipitinus, Lucretiæ pater, qui erat idem urbis præfectus, & interrex : interrex, quod eum ſenatus habendis conſularibus comitiis, Bruto referente, creaſſet : præfectus, quod ei Tarquinius, ad bellum proficiſcens, curam urbis mandaverat. utrumque enim ſcriptum eſt apud Dionyſium. aut igitur a præfecto urbis Lucretio creati conſules ſunt, ut ab interrege, non ut ab urbis præfecto : aut etiam, quod, qui interrex eſſet, idem & præfectus urbis vocari poſſet. urbis enim curam gerebat interrex, quia tunc, urbanas res qui curaret, magiſtratus omnino nullus eſſet. Poſt hanc legem duæ ſequuntur proximæ, a P. Valerio conſule, Bruti collega, latæ, quibus plebis poteſtas aucta, ſenatus & magiſtratuum imminuta eſt : primum, ut magiſtratum nemo caperet, niſi

A qui a populo imperium acciperet. ſi quis aliter feciſſet, capitali pœna puniretur : qui eum occidiſſet, ei impune eſſet. deinde ut adverſus magiſtratum provocatio ad populum eſſet : neve quis magiſtratus civem Romanum adverſus provocationem verberare, aut necare vellet. quam legem centuriatis comitiis eſſe latam, Valerius tradit lib. IV. Pro patriciis ea fuit, quæ, ut opinor, T. Lartio Flavo iterum, Q. Cœlio coſſ. lata eſt, de dictatore ſine provocatione creando, & ut de conſularibus legeretur. fuit autem hæc lex ideo pro patriciis, quia, cum creari dictatorem de conſularibus juberet, ſequebatur, ut de patriciis crearetur. conſules enim

B tunc, & per annos deinde multos, patricii fuerunt : nec prius de patriciis legi dictator deſiit, quam creari duo conſules patricii deſierunt. non enim conſul patricius dictatorem quemquam de plebe dixiſſet. itaque, qui primus de plebe dictator fuit, C. Marcius Rutilus, is a M. Popillio Lænate conſule plebejo dictus eſt : cum ita caſus tuliſſet, ut adverſus Etruſci belli terrorem dictator dicendus eſſet, nec niſi a conſule plebejo dici poſſet : quia conſul alter patricius M. Fabius Ambuſtus bello retineretur. ita communicata plebi dictatura, anno ab urbe condita CCCIC. idque contra veterem con-

C ſuetudinem, non tamen contra legem factum eſt. non enim lex dictatorem de plebe fieri vetuerat, ſed de conſularibus juſſerat. at C. Marcius conſularis. ſatisfecit igitur legi Popillius, cum conſularem hominem dictatorem dixit : patriciis non ſatisfecit, quia conſularem de plebe dixit, cum omnes antea de patriciis dici ſoliti eſſent. Eadem fortaſſe lege ſancitum eſt, (legem certe, quæ hoc ſanxerit, nominat Plutarchus in Fabio), ne dictator equo poſſet uti, idque vel ob eam cauſſam, quod, cum plus ineſſe roboris in pedeſtribus copiis putaretur, propterea in legione permanere, nec locum deſerere deberet imperator : vel quod, cum ad

D alia omnia dictatoris eſſet ſingularis poteſtas, in hoc uno voluerunt eum populo inferiorem videri. Senatus tamen petenti Fabio Maximo Verrucoſſo contra veterem legem conceſſit, ut equo vehi poſſet : datumque id hominis virtuti ac tempori, cum, cæſis ad Cannas Romanis, in uno Fabio, dictatore creato, melioris fortunæ ſpes repoſita videretur. Illa pro plebe adverſus patricios fuit, quæ in Sacro monte lata eſt, & *ſacratæ* nomen accepit, ut plebi ſui magiſtratus eſſent, iique ſacroſancti, quibus auxilii latio adverſus conſules eſſet, neve cui patrum capere eum magiſtratum liceret. qua lege tribuni pleb. quinque primi creati ſunt : nec tamen,

E utrum una tantum lex, an plures in Sacro monte latæ ſint, ſatis conſtat. Livius & Dionyſius, ubi rem ipſam narrant, unam nominant. ſed Livius alibi non ſemel *ſacratas leges* dixit. Cicero quoque de provinciis conſularibus, *Si patricius*, inquit, *tribunus pleb. fuerit, contra leges ſacratæ privatis hominibus leges irrogari*. & in ea, quæ integra non extat, pro C. Cornelio : *Tanta in illis virtus fuit, ut anno poſt reges exactos XVI. propter nimiam dominationem potentium ſecederent, leges ſacratas ipſi ſibi conſtituerent*. Quibus locis non de una lege, ſed de pluribus accipiendum

F videtur. quod ſi unam omnino legem velimus fuiſſe, & recte tamen dictum utroque numero defendere : rationem afferemus hanc, unam legem dici, quod ab eodem magiſtratu, eodemque tempore lata ſit : plures, quia pluribus partibus conſtet : quo modo XII. tab. & legem, & leges appellari videmus. Legem quidem tribuniciam primam Feſtus cum nominat, non dubito, quin latam in Sacro monte ſignificet. utrum autem primam intelligat earum, quæ in Sacro monte, an primam omnium, quæ in omni ætate in Urbe a tribunis pl. latæ ſint, affirmare non licet. *Homo*,

A inquit, *sacer is est, quem populus ob maleficium judicavit: neque fas est eum immolari, sed, qui occidit, parricidii non damnatur. nam lege tribunicia prima cavetur, si quis eum, qui eo plebiscito sacer sit, occiderit, parricida ne sit. ex quo quivis homo malus atque improbus Sacer appellari solet.* Sequitur lex a Publilio & Lætorio tribunis pl. lata, ut plebeii magistratus tributis comitiis fierent, qui curiatis antea fieri solebant. Tum illa lex, qua, ut x. tribuni pl. crearentur, bini e singulis classibus, anno a primis tribunis pl. XXXVI. cautum est. Alia lex fuit, qua, Dionysio teste, cavebatur, ne tribuno apud populum concionante, aliquis contradiceret, B vel dicentem interpellaret: si quis fecisset, vades tribunis daret, pœnamque a tribunis impositam solveret: qui vades non dedisset, morte puniretur, bona ejus sacra essent: de pœnis autem ipsis populus judicaret. Et, quoniam Atinii plebisciti, quod ad tribunatum pl. pertinuit, mentionem a Gellio fieri video: quænam ejus fuerit sententia, quærendum videtur. Ego sic existimo: tribunos pl. ante Atinium plebiscitum partim senatores fuisse, alios non fuisse: quod scilicet liberum esset populo R. tribunatum pl. mandare cui vellet. Atinius, quo modo quidem mihi videtur, nec ademit hanc libertatem plebi Romanæ, & auxit potestatis tribu- C niciæ dignitatem. tulit enim, non, ne quis, nisi jam senator, tribunus fieri posset, (plebis enim libertatem hujusmodi rogatione minuisset: neque id plebs ullo modo scivisset) verum, ut, quem tribunum pl. creasset, is hoc ipso in posterum senator esset. atque hanc esse Gellii verborum sententiam crediderim, cum ait libro XIV. tribunis pl. senatus habendi jus fuisse, quamquam senatores non essent ante Atinium plebiscitum. hoc etiam e quodam Suetonii loco suspicamur. nam in Augusto, *Comitiis*, inquit, *tribuniciis, si candidati senatores deessent, ex equitibus R. creavit.* ex quo sequitur, non licuisse antea equitibus R. tribunatum petere. D multo igitur minus tertio ordini, iis sc. qui de plebe dicebantur, qui nec equites, nec senatores erant. quin primis temporibus tantum abest, ut ex senatu tribuni pl. crearentur, ut ob eam ipsam caussam instituti sint, ne senatus adversus plebem crudelius aut arrogantius ageret, ideoque ex ipsa plebe per annos multos creati sunt. postea cœpere equites quoque Romani, ac senatores tribunatum pl. petere. Nec multo post x. viri, sine provocatione creati, XII. tab. leges condidere, comitiisque centuriatis pertulere. quibus in legibus cum alia multa prudenter ad temperandam civitatem, tum de E magistratibus multa sancita esse, credibile est. x. virorum imperio finito, cum tribuni pl. creati essent, quos x. viri simul cum provocatione sustulerant, quæ firmissima plebi auxilia, & tamquam duæ tuendæ libertatis arces fuerant: tribunatu inito, sine ulla mora M. Duilius de consulibus cum provocatione creandis rogationem pertulit. quam ipsam multo ante P. Valerius consul, ut diximus, tulerat: sed, intermissam, & quasi sublatam x. virorum magistratu, Duilius renovavit, auctam, opinor, aliqua re, & graviori jure confirmatam: sicuti & aliæ leges multæ diversis temporibus plures F latores habuere, cum vetus lex nova lege vel corrigeretur, vel, ut tempus moresque ferebant, aliis cautionibus adjectis augeretur. Hinc de communi omnium Quiritium jure leges, primum Valeria Horatia, deinde Publilia, postremo Hortensia, prima duorum consulum, reliquæ duæ dictatorum: hinc sumptuariæ, vel, ut Cato censorius appellabat, cibariæ, Orchia, Fannia, Didia, Licinia, Æmilia, Antia: hinc de ambitu Petilia, Cornelia & Bæbia, Calpurnia, Tullia, Julia. quæ non ideo alia post aliam latæ sunt, ut priorem legem posterior abrogaret: sed, ut dixi, vel ut corrigeretur aliquid, vel ut novum jus, utile civitati, adscisceretur: vel ut, moribus ad deteriora quotidie magis inclinantibus, pœna gravior irrogaretur. quod libro II. de officiis Cicero significat his verbis: *Nondum centum & decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata est lex, nulla antea cum fuisset. at vero postea tot leges, & proximæ quæque duriores.* Caussam porro juris eadem de re constituendi hanc video fuisse, ut antiquæ legi, jam vetustate senescenti, nova subveniret. quod in lege Licinia de sumptibus, quæ fere idem, quod Fannia, sanxit, quæsitum esse in Macrobio legimus, Sat. lib. III. atque hoc ipsum de XII. tab. evenisse, idem tradit. quarum ubi contemni cœpit antiquitas, eadem illa, quæ illis legibus cavebantur, in alia latorum nomina transierunt. Retulit igitur Duilius, quod ante latum erat: &, quod Duilius retulit, id eodem anno lege lata L. Valerius & M. Horatius coss. non confirmarunt modo, sed auxerunt etiam, novo jure adscripto: cum ille de provocatione a consulibus tantum, hi de provocatione ab omni magistratu, quicunque crearetur, lege sanxerint. qui & aliam legem, qua veterem illam Sacratam confirmarunt, tulerunt, ut sacrosancta essent tribunorum pl. corpora, cujus rei prope jam extincta memoria erat: religione etiam ad legem adjecta, cærimoniis quibusdam ex magno intervallo relatis. eademque lege cautum est, ut, qui tribunis pl. ædilibus, x. viris nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset. sed horum consulum prima lex ea fuit, quæ tribunorum pl. potestatem quam maxime auxit, quam tulere centuriatis comitiis, ut, quod tributim populus jussisset, omnes teneret: quod ante veluti in controverso jure fuisse, & Livius ait, & Dionysius confirmat. Cur autem controversum fuerit, Livius non exponit, sed Dionysius subobscure significat: quia, cum lege centuriatis comitiis lata populus omnis teneretur, tributis vero comitiis latam plebeii tantum servarent: plebs eandem esse conditionem in utrisque legibus volebat, ut, quemadmodum centuriatis comitiis, ubi plus patricii possent, latas leges plebeii observarent; item eo jure, quod tributis comitiis sancitum esset, in quibus plebeii patriciis suffragio præstabant, patricii tenerentur. Eodem anno idem Duilius plebem rogavit, plebesque scivit: qui plebem sine tribunis pl. reliquissent, quique magistratum sine provocatione creassent, tergo ac capite punirentur: qualem & consules Valerius & Horatius tulerant. qua lege, tum consulari, tum tribunicia, dictator, a quo antea provocatio ad populum non erat, cum cæteris magistratibus exæquatus est, quod apertius exposuit Festus Pompejus. Anno proximo L. Trebonius tribunus pl. rogationem tulit, ut, qui plebem Romanam tribunos pl. rogaret, is usque eo rogaret, dum x. tribunos pl. faceret. nam Duilia lex de tribunis nusquam numerum præfinierat, tantum, ut relinquerentur, sanciebat, & ab iis, qui creati essent, cooptari collegas jubebat. Sustulit igitur Trebonia lex cooptationem: nam, cum jusserit ab eo, qui comitia tribunis creandis haberet, omnes plane tribunos, qui x. omnino erant, creari: nimirum partem tribunorum creari; reliquos autem ab iis, qui creati essent, cooptari vetuit. quod cum M. Duilius tribunus pl. fecisset: recteque factum, neque contra legem ab ipso latam commissum, defenderet: anno insequenti Trebonius tribunus pl. ne in posterum fieret, lege cavit. nec aliam legem intelligit Livius lib. IV. cum ait: *Ante omnia refellit falsum imaginis titulum, paucis ante annis lege cautum, ne tribunis collegam cooptare liceret.* hæc enim verba nihil aliud significant, nisi id, quod idem lib. III. scripsit, *ut, qui plebem Romanam tribunos pl. rogaret.* Secuta lex est de tribunis mil. consulari pote-

state promiscue ex patribus ac plebe creandis: qui tamen per annos IV. & XL. patricii omnes creati sunt. Huic proxima successit de censoribus quinquenni imperio e gente patricia creandis, Geganio Macrino II. Quinctio Capitolino V. coss. quam ipsam legem sexennio post Mam. Æmilius dictator correxit, lege lata, ne plus, quam annua ac semestris censura esset. gravis enim omnis diuturna potestas in libera civitate. Biennio post lata lex est a tribuno pl. tollendæ ambitionis caussa, ne cui album vestimentum addere petitionis caussa liceret. cujus deinde vim auctoritatemque fuisse nullam, innumera de candidatis exempla declarant. Legem etiam nominat in Coriolani vita Plutarchus, Marcio Censorino suadente latam, ne cui bis eundem magistratum petere liceret. quam postea constat esse abrogatam: cum multi iterum, ac sæpius consules fuerint. De duplicando quæstorum numero lata lex est, ut, præter duos urbanos, quorum fuisse originem antiquissimam jam ostendimus, duo, qui consulibus ad ministeria belli præsto essent, crearentur, iique promiscue de plebe ac patribus, libero populi suffragio. Plebis autem opes maxime omnium auxerunt L. Sextius & C. Licinius Stolo: qui tribuni pleb. duas leges tulerant, unam, ut x. viri sacrorum ex dimidia parte de plebe crearentur: alteram, ut alter utique consul plebejus esset. quam Livius Liciniam, non Sextiam, vocat, opinor ob eam caussam, quod Licinius tulerit, subscripserit Sextius. Leges deinde aliæ de consulatu latæ sunt, omnes e Repub. quæ tamen haud omnino sunt observatæ. quid enim utilius Reipub. quam ne quis iterum consul fieret? quod quidem omnium civium jura exæquare videbatur, & male cogitantibus viam obstruebat ad potentiam singularem. hoc igitur lege sancitum est: item illud, ne quis ante XLII. ætatis annum consulatum petere posset. temeritas enim florentis ætatis, prudentia maxime senectutis, aut ejus ætatis, quæ proxime ad senectutem accedit. Absentes etiam a consulatu lege summoti sunt. æquum enim fuit adesse, & populo supplicari in eo magistratu, quem populus ipse mandabat. Duas tulit L. Sylla, utramque præclaram: unam, ne quis intra X. annos consul iterum fieret: alteram, ne ædilitas, & prætura omitteretur. quæ valuerunt ambæ ad extrema Reipub. tempora. eam quidem de magistratibus curulibus non omittendis Cicero significat oratione XI. in Antonium: *Vopiscus*, inquit, *ex ædilitate consulatum petit: solvatur legibus*. Atque ego in hac lege additum caput existimaverim de magistratuum intervallo, sed exceptos eos, quorum opera in civili bello Sylla usus esset. id Cicero lib. Acad. II. perspicue de Lucullo declarat, his verbis: *Absens factus ædilis, continuo prætor: licebat enim celerius legis præmio*. Sed, quo anno lex Licinia de altero consule plebejo rogata est, eodem M. Furius Camillus e S. C. tulit, ut ædiles ex patribus duo crearentur, qui curuli sella, ut consul, censor, & dictator, sederent. Ab eodem latum existimo, ut prætor unus, qui jus in urbe diceret, quod ante consulum munus fuerat, patricius crearetur. quæ lex neque a quo magistratu, neque quibus comitiis lata sit, Livius explicat. ego tamen, cum patricii prætorem postulassent, iisque, ut de gente patricia crearetur, a tribunis plebis concessum esset: non dubito, quin legem, qua patriciis honor accederet, patricius magistratus tulerit. quod si ita est, latam a dictatore Camillo, qui controversias inter patres plebemque sedavit, facile crediderim: præsertim, cum & legem de curulibus ædilibus e gente patricia creandis ab eodem dictatore, eodem anno esse latam, Livius narret. Comitiis autem utramque legem non iisdem latam puto, sed tributis de ædilibus curulibus, quia minor esset magistratus; centuriatis autem de prætore, qui majores inter magistratus fuit. cum enim minores magistratus tributis comitiis, majores centuriatis crearentur: leges quoque, quibus creati sunt, iisdem comitiis latas esse, rationi consentaneum est. non enim, quia lex de ædilibus & e S. C. & a dictatore, id est a summo magistratu lata sit, propterea comitiis centuriatis latam esse dicendum est: cum & alias leges tum e S. C. tum a majore magistratu tributis tamen comitiis latas esse, constet, ut quam Piso consul de incestu P. Clodii S. C. rogavit: quam in foro latam esse, ubi non centuriata, sed tributa comitia habebantur, patet ex epistola, *Vereor*, libro I. ad Atticum. Illud additum videtur aut tunc, aut postea, in lege de prætore urbis: ne plus quam X. dies ab urbe abesset. hanc ego facio conjecturam ex iis verbis in Philippica II. *Cur M. Brutus, te referente, legibus est solutus, si ab urbe plus, quam x. dies abfuisset?* erat enim prætor urb. eo anno M. Brutus. Quod autem hic magistratus, consulibus absentibus, consulare munus in urbe sustinebat, factum id non lege, sed more majorum: qui tamen fere pro lege solebat esse. Itaque Ulpianus, *Diuturna*, inquit, *consuetudo pro jure, & lege in iis, quæ non ex scripto descendunt, observari solet*. ejusque rei caussam egregie tradidit Julianus, qui cum hæc scripsisset: *Quibus de caussis scriptis legibus non utimur, id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine introductum est*, subjunxit: *Nam, cum ipsæ leges nulla ex alia caussa nos teneant, quam quod judicio populi receptæ sunt: merito & ea, quæ sine ullo scripto populus probavit, tenebunt omnes. quid enim interest, suffragio populus suam voluntatem declaret, an rebus ipsis, & factis? quare rectissime etiam illud receptum est, ut leges non solo suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur*. Anno proximo, cum pro uno consule plebejo tres patricios prætextatos esse, unum prætorem, & duos ædiles, tribuni pleb. in concione quererentur: concordiæ caussa concessum primo est, ut ædiles curules alternis annis ex plebe fierent. postea promiscuum fuit, libero in omnibus ædilium cur. comitiis populi suffragio. Cautum etiam plebiscitis nonnulli scripsere, ne quis eundem magistratum intra X. annos caperet: neu duos magistratus uno anno gereret: utique liceret consules ambos plebejos creari. sed, legem de magistratuum intervallo neque in consulibus, neque in prætoribus servatam invenio: credo, quia, quod populus postremum comitiis juberet, id jus ratumque esse in XII. tab. sancitum erat. jussum autem populi & suffragia esse interpretabantur. qua ratione & duos consules patricios contra legem Liciniam creatos, Livius lib. VII. scriptum reliquit. Grave etiam eo anno patricii damnum accepere, quo Q. Publilius Philo dictator legem novam tulit, ut alter utique ex plebe censor crearetur: veterem confirmavit, ut plebiscita omnes Quirites tenerent. Nullus jam erat magistratus præter præturam, in quo patribus plebs invidere posset: promiscua erat curulis ædilitas: communis consulatus, atque adeo plebis potius, quam patrum, cum duos consules patricios fieri lege non liceret, duos autem plebejos nulla lex vetaret: ad dictaturam, ad censuram æque plebeiis hominibus & patriciis aditus patebat. de prætura, quæ patriciis tantum hominibus deferebatur, nulla tamen adhuc querela, nulla plebis vox exaudiebatur: credo ob eam caussam, quia, cum unus prætor crearetur, eum ipsum locum appetere impudentiæ videretur. itaque, cum auctus deinde prætorum numerus est, eum, ne cujus magistratus particeps plebs non esset, prætura plebeiis etiam hominibus impertita. Eodem anno M. Valerius consul de provocatione legem tulit, diligentius sanctam: eamque tertio tum post reges exactos la-

tam esse, semper a Valeria familia, lib. x. scribit Livius. caussam autem sæpius renovandæ haud aliam putat fuisse, quam quod, plus paucorum opes cum possent, quam libertas plebis, provocationis auxilio adversus magistratuum injurias haud fere quisquam utebatur. Quod autem eam legem ait tertio tum ab eadem familia esse latam, neque præterea latores ipsos nominat, significat, primum eam, quam P. Valerius Poplicola consul, anno post reges exactos, de provocatione adversus magistratus ad populum primus tulit, de qua libro II. mentionem fecit. deinde eam, quam consul L. Valerius tulit, ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet: de qua idem Livius libro III. scriptum reliquit. in tertia ita sanctum: eum, qui provocasset, virgis cædi, securique necari non licere: si quis adversus ea fecisset, eum improbe fecisse. pœnam autem in eum, qui contra fecisset, Valerius in sua lege nullam nominavit: &, quæ tum probitas erat, pœnam in ipso improbitatis nomine satis gravem duxit. At multis post annis, cum audacia magis emineret, neque satis a facinore deterreret infamia, gravi pœna, si quis verberasset, necassetve civem Romanum, M. Porcius Læca sanxit. Has leges, de provocatione a tribus consulibus Valeriæ gentis latas, ad populi libertatem potestatemque pertinuisse, manifestum est: easque significat Cicero Academicarum II. cum ait: *Commemorat reliquos, qui leges populares de provocationibus tulerunt, cum consules essent*. tres enim consules Valerios intelligit. Postea secuta est illa, quam M. Fulvio Pæto, T. Manlio Torquato coss. M. Curius Dentatus tribunus pleb. tulit, ut ante comitia patres auctores fierent, hoc est, ut probare sese dicerent eos magistratus, quos populus creasset. quam legem, Cicero in libro de claris oratoribus, Appio Claudio Cæco interrege comitia habente, Livius autem, P. Sulpicio, latam esse tradunt. de quo tantum illud dicam, ab eo, qui primus interrex esset proditus, comitia non haberi solita esse. quare, si duo interreges proditi sunt, a posteriore habita esse comitia necesse est. priorem esse proditum Appium Livius asserit, Cicero Sulpicium videtur existimasse. itaque ille Sulpicium, hic Appium comitia habuisse dicit. Lex autem Mœnia, quæ ipsa quoque de magistratibus fuit, quam in Bruto simul cum lege Curia Cicero nominat, quo anno lata sit, quidque plane sanxerit, adhuc quæro. Rutilia lex de jure tribunorum inclyta a Festo nominatur, his verbis: *Rufuli tribuni milit. appellati, quos consul, non populus, faciebat: de quorum jure quod Rutilius Rufus legem tulerat, Rufuli, ac post Rutili sunt appellati*. Pedianus alterum genus tribunorum milit. addit, qui *comitiati* vocabantur, quod populi suffragio crearentur. quod a Festo etiam scriptum esse, ex imperfectis consumptisque ejus verbis licet conjicere. De communi omnium civium Romanorum jure, ut, quod a plebe scitum esset, eo Quirites omnes tenerentur, legem tulit Q. Hortensius dictator, bis antea latam, a Valerio Potito, Horatio Barbato coss. & a Publilio dictatore. Illa fuit pro dignitate magistratuum præclara lex, quæ, si cujus pater in hostium potestate esset, ab eo magistratum capi vetuit. Videlicet hoc judicaverunt sapientissimi viri, hominis non liberi filium rempub. administrare, nimis indecorum esse. itaque Livius lib. XXVII. *Servilium*, inquit, *negabant, jure aut tribunum plebis fuisse, aut ædilem esse: quod patrem ejus, quem* III. *virum agrarium occisum a Boiis circa Mutinam esse, opinio per x. annos fuerat, vivere, atque in hostium potestate esse, satis constabat*. & lib. XXX. de eodem: *Latum ad populum est, ne Cn. Servilio fraudi esset, quod patre, qui curuli sella sedisset, vivo, cum id ignoraret, tribunus pl. atque ædilis pl. fuisset, contra quam legibus sancitum erat*.

A Legem etiam fuisse, qua is, qui comitiis præesset, sui rationem in petendo magistratu habere vetaretur, Livius lib. X. significat.

CAP. VI.

De Villii legibus annalibus.

TULIT & L. Villius tribunus pl. rogationem, quot annos nati quique magistratum peterent, caperentque: unde & ipsi, & posteris B cognomen inditum, ut *Annales Villii* dicerentur. Et quoniam, quis plane cuique magistratui petendo legitimus annus esset, nominatim hac lege expressum non invenio: quid ipse legendo observaverim, breviter subjiciam. Omitto quæsturam, tribunatum pl. ædilitatem pl. quia curules tantum magistratus in lege Villia nominatos existimo. nam, si quæsturæ certum annum Villius sua lege statuisset, unde postea tam incerta ratio? Gesserunt enim quæsturam duo Gracchi, Tiberius, & Cajus, anno ætatis XXVII. M. Cicero anno XXXI C. Cæsar XXXIII. M. Cato Uticensis XXIX. quod si quis dixerit, libe- C ram fuisse, quo quis anno vellet, quæsturæ petitionem, modo peteretur post annum XXVI. qui esset ad petendum legitimus: ideo mirum videri non debere, si Cicero, Cæsar, & Cato, non eodem omnes anno, petierint, quandoquidem satis duxerint leges observare, quæ petendæ quæsturæ annum definiebant XXVI. gerendæ XXVII. hoc si quis objecerit, ad conjecturam, id est, ad rationem ipsam, confugiam. Quid enim? simile ne veri est, C. Cæsarem, (omitto Ciceronem: cui tamen, cum homo novus esset, laborandum maxime fuit de dignitate, nec, quæ prima daretur, occasio negligenda) sed C. Cæsarem, quo nemo magis honores appeti- D vit, nemo potestatis & imperii fuit avidior, eum ne verisimile est petitionem quæsturæ ab anno XXVI. si is legitimus esset, in annum XXXII. distulisse? Gestam enim ab eo quæsturam anno XXXIII. Suetonius demonstrat, his verbis: *Pertæsus ignaviam suam, quod nihil a se memorabile actum esset in ætate, qua jam Alexander orbem terrarum subegisset*. Periit autem Alexander octavo mense anni XXXIII. ætatis suæ. quod ex Arriano lib. 7. & Plutarcho colligitur, & ex oratione V. in Antonium. Verum habeo, quo nitar, aliud paulo firmius argumentum. video enim, Pompejum Magnum, cum annum ageret XXXV. consulatum gessisse, solutum videlicet E legibus, meritorum ingentium in Rempub. eximiæque virtutis ergo. at eo anno magistratum nullum per leges capere licuisse, Cicero demonstrat: quo modo igitur, & Cicero ipse, & Cæsar, & Cato quæsturam ante annum XXXV. ceperunt. num obscurum est, leges loqui de curulibus tantum honoribus, ædilitate, prætura, consulatu: quæsturæ autem, ædilitatis pl. tribunatus pl. rationem habuisse nullam? sed recitentur verba Ciceronis: *Quid*, inquit in oratione pro lege Manilia, *tam singulare, quam ut, ex S. C. legibus solutus, consul ante fieret, quam ullum alium magistratum per leges capere* F *licuisset*? dicit, *ullum alium magistratum*. quod si de quæstura leges locutæ sunt, falsum est: cum, ut ostendi, quæsturam multi gesserint ante annum XXXV. quo anno creatum esse consulem Pompejum, tum ex Appiano constat, tum ex Velleii historia, in qua scriptum est, periisse Pompejum Cæsare & Servilio coss. anno ætatis suæ LVIII. a quo anno si retrorsum numeres, cadet primus ejus consulatus in annum ejus ætatis XXXVI. nam, quod ait Plutarchus anno LIX. interiisse Pompejum, id quoque potest esse verum, hoc modo, ut primum ejus ætatis annum capiamus C. Atilio, Q. Servilio coss. quo anno

Pompejum esse natum, Vellejus affirmat. tametsi, cum ait ipse Pompejum periisse anno LVIII. non incipit numerare ab eo anno, sed a proximo sequenti, quod scilicet non ita multo ante exitum consulatus Atilii & Servilii natus esset Pompejus, & exiguum illud spatium in annorum numero videretur omittendum. Constat igitur, legem Villiam nihil de iis honoribus sanxisse, qui caperentur ante eum annum, quo Pompejus primum consul fuit: sive eum velis esse XXXVI. ut Vellejus sensit, excluso anno, quo natus est: sive malis XXXVII. ex Plutarchi sententia, qui videtur numerasse annum, quo Pompejus natus est, Serrano, & Cæpione coss. nam ædilitatis curulis annus erat XXXVII. cujus rei argumentum est, quod eam petiit Scipio Æmilianus XXXVI. &, solutus legibus, consul factus est. annum porro fuisse ejus ætatis XXXVI. Vellejus demonstrat his verbis: *Decessit M. Aquilio, C. Sempronio coss. anno ferme* LVI. de quo si quis ambiget, recurrat ad priorem consulatum ejus, in quem creatus est anno XXXV. ita dubitare desinet. ut omittam, quod, cum ædilitas præturam biennio antecedat, & prætura item biennio consulatum, consulatus autem geratur anno XLIII. quod paulo post ostendemus, necesse est, ut gerendæ ædilitati legitimus annus sit XXXVII. Nunc agamus, quando satis de ædilitate dictum est, de anno præturæ. at hoc, si de ædilitate conceditur, in dubium vocari non potest. geritur enim ædilitas anno XXXVII. sequitur post biennium prætura: quod indicant & multorum exempla, & illa maxime verba Ciceronis in epistola ad Furnium: *Si ædilis fuisses, post biennium tuus annus esset.* ex quo de anno præturæ constat. Ad hanc legem videtur spectasse Dio, cum ait lib.XXXIX. *Consules in senatu sententiam dixerunt, ut ei prætura daretur: licet nondum per leges liceret.* & Plutarchus, cum dixit: *Decrevit senatus, ut Catoni prætura extra ordinem daretur.* & Valerius lib.IV. cap.I. inquit: *Cato Cypriacam pecuniam maxima cum diligentia, & sanctitate in urbem deportaverat. cujus ministerii gratia senatus relationem interponi jubebat, ut prætoriis comitiis extra ordinem ratio ejus haberetur. sed ipse id fieri passus non est, iniquum esse affirmans, quod nulli alii attribueretur, sibi decerni: ac ne quid in persona sua novaretur, campestrem experiri temeritatem, quam curiæ beneficio uti, satius esse duxit.* Quamquam est quiddam, hac in re cur magnopere dubitem. nam, cum id eo sit anno decretum, quo Marcellinus & Philippus consulatum gesserunt, certe per ætatem potuit Cato petere præturam. tribunus enim pl. ante annos quinque Silano & Murena coss. fuerat. prætura vero quadriennio tantum a tribunatu distat. eoque magis liquet, potuisse Catonem Marcellino & Philippo coss. petere præturam, quod anno sequenti Pompejo & Crasso coss. petiit, non ut designaretur, sed ut creatus magistratum statim iniret, quod anno proxime superiore habita comitia nulla fuerant: ideoque consules Pompejus & Crassus ex interregno facti sunt, qui deinde prætores crearunt. quod igitur ob domesticas discordias Marcellino & Philippo coss. producta in annum sequentem comitia sunt, propterea Cato non petiit eo anno: petiit autem sequenti, consulibus, ut dixi, Pompejo & Crasso creatis. Præterea, cum eum obiisse anno ætatis XLVIII. Plutarchus asserat, quo anno consulatum Cæsar gessit, satis constat, annis retrorsum numeratis, eum Philippo & Marcellino coss. prætorem creari potuisse. Quare Dionem quidem excusare non possum. Plutarchus autem & Valerius defensione fortasse non carent. putemus enim senatum decrevisse, non ut Catoni ante legitimum annum petere liceret, sed ut omnino Cato prætor crearetur, neque a populi suffragiis penderet, quorum dubius esset eventus. quam sententiam illa quoque videntur confirmare Valerii

A verba: *Campestrem experiri temeritatem, quam curiæ beneficio uti, satius esse duxit.* Post præturam non minore, quam biennii spatio sequebatur consulatus: ejusque legitimus dicebatur annus XLIII. hinc illa in Antonium oratione V. *Quid Macedo Alexander? cum ab ineunte ætate res maximas gessisset, nonne tertio & trigesimo anno mortem obiit? quæ est ætas decem annis minor, quam consularis.* Verum de hoc legitimo consulatus anno sic opinor æque dici, suo anno consulatum gerere eum, qui extremis diebus anni XLIII. consulatum init, puta tribus, aut quatuor diebus ante expletum annum XLIII. & eum, B qui anno XLII. consulatum init, sed peragit anno XLIII. opinor enim in lege Annali scriptum fuisse, ut nemo gereret consulatum ante XLIII. ætatis annum. inde legi quodammodo facta fraus, cum nonnulli consulatum inirent anno XLII. & satis haberent, si primis anni XLIII. mensibus, aut etiam diebus postremos consulatus menses, aut etiam dies tantum attingerent. Contra Cicero in Agraria II. gloriatur se consulatum petiisse, cum primum licuerit. quod secus est: nam petiit anno XLIII. cum licuerit petere anno XLII. & satis esset, aliquam modo partem consulatus gerere anno XLIII. idque Cæsaris exemplo comprobatur: qui cum patrem amiserit, ut C ait Suetonius, annum agens XVI. Cinna III. & Carbone coss. ratione subducta cognoscitur, initum ab eo consulatum, cum anno XLI. & menses sex natus esset, peractum sexto mense anni ejus ætatis XLIII. non enim assentior Suetonio, qui scripsit eum obiisse sexto & quinquagesimo ætatis anno. quod si verum esset, consulatum Cæsar totum gessisset ante annum XLIII. quod legibus non licebat. Præterea nostram sententiam confirmat ordo magistratuum. nam, cum prætura consulatum, præturam ædilitas, ædilitatem quæstura biennio saltem antecedat, Cæsar autem quæsturam inierit anno ætatis XXXIII. quod Suetonius his verbis ostendit: *Quasi pertæsus igna-* D *viam suam, quod nihil tum a se memorabile actum esset in ætate, qua jam Alexander orbem terrarum subegisset:* hæc, inquam, cum ita sint, initium consulatus ejus cadit in sextum item mensem anni XLII. exitus autem in sextum item mensem anni XLIII. natus enim est, quod Macrobius asserit, IV. Idus Quinctilis, qui dies a Kalendis Januarii sequentis, id est, a primo consulatus die sex mensibus, duodecim diebus minus, distat. Nec licet objicere solutum legibus Cæsarem consulatum gessisse plane totum ante, quam annum ætatis attingeret XLIII. Qui hoc putes? primum nulla mentio, deinde nec rationi consentaneum: siquidem & ordo & intervalla patent eorum E honorum, quos Cæsar gessit. Aut igitur apud Suetonium legendum est, *anno* LVII. non LVI. aut Suetonius de anno LVI. jam peracto significavit: quod si ita sensit, quam proprie & usitate sit locutus, alii viderint: aut, si periisse Cæsarem intra annum ætatis LVI. & sensit ipse, & omnino demonstrare voluit, verbis utens cum usu Latinæ linguæ congruentibus, parum attente rem cogitavit, cum non animadverteret ita fieri, ut Cæsaris consulatus annum XLIII. legibus constitutum non attingeret. Redeo ad Ciceronem. Is Serrano & Cæpione coss. ut ipse in Bruto, & Gellius lib.XV. cap.28. docuit, III. Nonas F Januarii, ut idem ep.V. lib.VII. ad Att. scribit, consulatum petiit mense sexto anni ætatis XLIII. & iniit diebus tantum tribus ante exitum ejusdem anni: reliquum præterea consulatus tempus traduxit anno XLIV. cum igitur Cicero dixit, consulatum se petiisse, cum primum licuerit, si consideratur præscriptum lege Villia tempus, quo geritur consulatus vere dixit: quandoquidem satis est, aliqua anni XLIII. parte consulatum attingere, quem attigit Cicero, ut ostendimus, tribus duntaxat diebus: sin autem ad tempus respicitur, quo per eandem legem licuit petere, ambitiose magis, quam vere, Cicero

locutus est. quod cum oratorium, tum ipsius maxime Ciceronis, qui fuit avidior etiam, quam satis est, gloriæ, proprium videtur. id autem eo fit apertius, quod in oratione pro Sylla suum collegam in quæstura Cicero significat Autronium fuisse: Autronium autem biennio citius, quam Ciceronem, & petiisse consulatum, & designatum esse, satis ex historia constat. Nec vero quisquam existimare possit, solutum legibus Autronium, quod Cn. Pompejus magnis rebus gestis consecutus est, biennio maturius, quam per leges liceret, consulatum petiisse: nam neque hujus rei mentio in libris ulla reperitur, nec Autronius is vir fuit, cui tribuendum videretur idem, quod Pompejo propter eximia in Rempub. merita concessum est.

CAP. VII.

Leges de numero prætorum, de tribunitia potestate, & quædam aliæ de magistratibus.

FUIT & lex, ut duo prætores crearentur: mox alia, ut tres: deinde Bæbia, ut quattuor: &, quia leges ad temporum rationem accommodantur, propterea simul cum urbis opibus, & civium frequentia, prætorum quoque numerus ita deinde auctus est, ut, quo anno C. Cæsar cum M. Antonio consul fuit, XVI. prætores Romæ esse cœperint, cum ante Syllæ dictaturam VI. ut ait Vellejus, post VIII. deinde X. fuissent. quos deinde ab Augusto rursus X. esse factos, apud Dionem in historia scriptum est. Legimus etiam apud Censorinum de prætore urbis plebiscitum, a M. Plætorio tribuno pl. latum, his verbis: *Prætor urbis, qui nunc est, quique posthac fuerit, duos lictores apud se habeto: isque supremam ad solem occasum jus inter cives dicito*. Varro autem libro 5. *Suprema*, inquit, *summum diei. id a supremo. hoc tempus* XII. *tabulæ dicunt occasum esse solis. sed postea lex Plætoria id quoque tempus jubet esse supremum, quo prætor in comitio supremam pronunciavit populo*. Referam in hunc numerum & eam legem, quam, ad imminuendam tribuniciam potestatem, dictator Sylla tulit, primum, ne tribunis pl. alios magistratus capere liceret; deinde, ne ad eos provocatio esset: tum, ne leges ferre possent: postremo, ne iis concionari liceret. hanc Sylla iratus plebi tulit, quia pro Marianis partibus contra ipsum steterat. sed, eo mortuo, C. Aurelius Cotta consul primum legis caput abrogavit. tulit enim, ut alios magistratus tribunis pl. capere liceret. alterum caput abrogavit Pompejus Magnus in primo consulatu, lege lata, ut ad tribunos pl. esset provocatio: omniaque omnino, quæ tribunis pleb. ademerat Sylla, illis esse restituta, exemplis intelligitur. Jus autem intercedendi, lege nunquam amiserunt: quod illis initio belli civilis inique ereptum, queritur Cæsar his verbis lib. I. de bello civili; *Aguntur omnia raptim, atque turbate: neque docendi Cæsaris propinquis ejus spacium datur: nec tribunis pl. sui periculi deprecandi, neque etiam extremi juris intercessionem retinendi, quod L. Sylla reliquerat, facultas tribuitur: sed de sua salute septimo die cogitare coguntur, quod illi turbulentissimi superioris temporis tribuni pleb. octavo denique mense suarum actionum respicere, ac temere consueverant*. & in eodem libro, paulo post, *novum in Repub. introductum exemplum* queritur, *ut tribunicia intercessio armis notaretur, atque opprimeretur, quæ superioribus annis armis esset restituta: Syllam, nudata omnibus rebus tribunicia potestate, tamen intercessionem liberam reliquisse: Pompejum, qui amissam restituere videatur, bona etiam, quæ ante habuerat, ademisse*. Vetuit etiam lex tribunos pl. integrum diem ab urbe abesse: de qua, ut opinor, significant illa verba Gellii lib. III. cap. II. *Tribuni pl. quos nullum diem abesse Roma licet, cum post mediam noctem proficiscuntur, & post primam facem ante mediam sequentem revertuntur, non dicuntur abfuisse unum diem: quando, ante horam noctis sextam regressi, partem aliquam illius in urbe sunt*. Nam, quod in Livio lib. IX. legitur, duos tribunos pleb. L. Livium, & Q. Melium, cum de iis, qui pacem Caudinam fecerant, dedendis in senatu ageretur, ita locutos: *Neque exsolvi religione populum deditione sua, nisi omnia Samnitibus, qualia apud Caudium fuissent, restituerentur: neque se pro eo, quod spondendo pacem servassent exercitum populi Rom. pœnam ullam meritos esse: neque ad extremum, cum sacrosancti essent, dedi hostibus, violarive posse*: tribunos quidem plebis esse, cum hæc dicerent, Livium & Melium, constat: non tamen simul illud, eosdem fuisse tribunos pl. cum pacem ad Caudium spoponderunt. non enim hoc anno, quo de sponsoribus pacis populo Samnitum dedendis actum est, sed proximo superiore pax illa per sponsionem facta fuerat, in qua non affuisse tribunos pleb. indicant hæc, quæ subscribam, ejusdem Livii verba: *Spoponderunt consules, præfecti, legati, quæstores, tribuni mil. nominaque omnium, qui spoponderunt, exstant*. itemque illa, haud ita multo post, in eodem libro: *Samnitibus non fuit satis, consules spondere, sed legatos, quæstores, tribunos mil. spondere coegerunt*. tribunos pleb. non nominat. ergo nulli affuerunt. Livius autem, & Melius eo tempore tribuni milit. ut opinor, in castris fuerant. Unus, quod meminerim, aut etiam, quod omnino legerim, Q. Metellus Nepos, cum tribunatum pleb. gereret, contra leges in Syriam ad Cn. Pompejum sua sponte, nulla vi cogente, profectus est. quo facto subiit ignominiam, nulla tamen affectus est insigni pœna. Consul etiam aliquot post annis cum Lentulo Spinthere creatus est, sive quod hominis vitia familiæ dignitas tegeret, sive quod eum non tam ipsius facta deprimerent, quam Pompeii, & aliorum, qui plurimum in Repub. poterant, amicitia sublevaret. Redeo ad institutum. De jure magistratuum, ne quis peteret absens, legem tulit Pompejus Magnus in tertio consulatu: in qua cum neminem excepisset, mox, soceri sui C. Cæsaris recordatus, lege jam in æs incisa, & in ærarium condita, correxit errorem, uno Cæsare excepto. Tulit adversus censoriam potestatem P. Clodius in tribunatu, ne quem censores in senatu legendo præterirent, neve qua ignominia afficerent, nisi qui utriusque censoris sententia damnatus esset. qua de lege sic in Pisonem Cicero: *Ab eodem homine vetus illa magistra pudoris, & modestiæ, censoria severitas sublata est*. Tullia fuit de legationibus liberis, lata a M. Cicerone consule, ne, sicut antea, infinitum, sed annuum tempus earum esset. Alias quoque de magistratibus, atque hujusmodi de genere non dubito fuisse, præsertim tribunitias, ut potestas patriciorum magistratuum minueretur. semper enim tribuni pl. id egerunt, ut jura magistratuum ac senatus ad universum populum omnia transferrent. quare longum esset omnes enumerare: neque tamen de omnibus mentio reperitur. insignes autem præter ceteras hæ sunt, quas nominavimus.

CAP. VIII.

Leges de comitiis, & imprimis leges Ælia & Fusia, quæ de jure & tempore comitiorum.

DE comitiis omnes fere populares leges fuerunt. Tulit cum Volerone Publilio Lætorius, id quod jam dictum est, ut tributis comitiis ple-

beii magistratus fierent. quo primum tempore tributa comitia Romæ esse instituta, facile suspicor. neque enim ante hanc legem usquam ea video nominari: &, opinor, curiatis comitiis plebeii magistratus, centuriatis patricii creabantur; plebeii autem dicebantur, qui plebis caussa, & ex ipsa plebe, patricii vero, qui patriciorum caussa, & ex patriciis familiis primum erant instituti. postea plebi quoque jus petendi patricios magistratus concessum est: plebejos magistratus, salvis legibus, patricius nemo petiit. sed legem Voleronis, quam a nonnullis video Voleroniam imperite vocari, cum leges a prænominibus nominari mos non esset, Publiliam appellaverim: siquidem Publiæ gentis Volero prænomen fuit. Tulerunt deinde L. Valerius & M. Horatius coss. ut, quod tributis comitiis lex sanxisset, eo Quirites omnes æque tenerentur, ac si centuriatis comitiis perlata lex esset. ita centuriatis comitiis tributa sunt æquata, & quod ait Livius, tribuniciis rogationibus acerrimum telum hac lege datum est: cum quidquid tribuni pleb. ferrent, id deinde ab omnibus civibus servari necesse esset. Etiam illa Pubilii dictatoris contra senatum pro populo fuit, qua cautum est, ut omnium legum, quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent: ne scilicet roboris haberet minus, si quid populare patribus invitis latum esset. Item illa C. Cassii tribunicia, ut ordinem senatorium amitteret is, quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset. Quoniam autem potestatem solvendi legibus senatus habebat, C. Cornelius eam potestatem lege paululum imminuit: tulit enim, ne quis in senatu, nisi CC. senatores affuissent, legibus solveretur: neve quis, cum solutus esset, intercederet, cum de ea re ad populum ferretur. Quæ duo capita neque omnino e senatus, neque e populi voluntate utraque fuerunt, sed primum pro populo, alterum pro senatu, *invitis* tamen *optimatibus*, ut Pedianus ait, *lata lex est, qui vel pauci S. C. facere solebant*. De jure & tempore comitiorum lex Ælia & Fusia contra populum pro senatu fuerunt, cum tamen a tribunis pleb. latæ sint: id quod significat Cicero in oratione in Pisonem his verbis: *Centum prope annos legem Æliam & Fusiam tenueramus*. intra centum enim annos ante Pisonis & Gabinii consulatum non modo consules eodem anno non fuerunt Ælius & Fusius, sed nemo omnino ex Ælia gente consulatum gessit. quare, cum eodem anno lata lex videatur, nimirum, a duobus tribunis pleb. latam esse, jure putabitur. Quod autem Ulricus Zasius in eo libro, in quem antiquas leges conjecit, legem Æliam & Fusiam tradit, post interfectos Gracchos, & ante Punicum bellum tertium esse latam, aperte loquitur pugnantia. nam, si post interfectos Gracchos, quo modo ante Punicum bellum tertium? cum Tit. Gracchum Scævola & Pisone coss. annis post eversam Carthaginem, & Scipionis triumphum, XIII. occisum esse, non solum historiæ, verum & fasti declarent: quos Paulo III. Pontifice, felici quodam litterarum fato, Romæ repertos, multis locis injuria temporum mutilos & imperfectos restituit atque absolvit magnæ doctrinæ vir, & ingenio præditus eximio, Carolus Sigonius. Accedit testimonium Ciceronis: qui contra Vatinium, *Leges*, inquit, *Ælia & Fusia in Gracchorum ferocitate vixerunt*. Opinor etiam, vel potius plane video, contra quam idem Zasius videtur existimasse, non unam legem, sed duas, Æliam & Fusiam fuisse. nam, etsi sæpe Cicero ita loquitur, ut dicat *legem Æliam & Fusiam*: aliquando tamen eas separat, ut duas leges agnoscere videatur. In oratione pro Sextio: *Iisdem*, inquit, *consulibus sedentibus, atque inspectantibus, lata lex est, ut lex Ælia, lex Fusia ne valeret*. & in Vatinium: *San-*

A *ctissimas leges, Æliam, & Fusiam dico, quæ in Gracchorum ferocitate, & in audacia Saturnini, & in colluvione Drusi, & in contentione Sulpicii, & in cruore Cinnano, & inter Syllana arma vixerunt*. In Pisonem: *Centum prope annos legem Æliam, & Fusiam tenueramus: quas leges ausus est non nemo improbus, potuit quidem nemo unquam convellere*. In ea de provinciis consularibus: *Aut vobis statuendum est, legem Æliam manere, legem Fusiam non esse abrogatam*. post reditum in senatu: *Ut lex Ælia & Fusia ne valerent*. clarissime autem de aruspicum resp. *Sustulit duas leges, Æliam, & Fusiam, maxime Reip. salutares*. Sed videamus, quæ fuerit
B utriusque sententia: quod etiam, ut puto, de numero erit argumentum. Sententiam vero non aliunde, quam ex ipso Cicerone, possumus colligere. quare loca ipsa proponemus, ut non modo quid in iis sancitum sit, verum etiam quid inter utramque differat, intelligatur: ac primum, quod ait in ea pro Sextio: *Iisdem consulibus sedentibus atque inspectantibus, lata lex est, ne auspicia valerent, ne quis obnunciaret, ne quis legi intercederet, ut omnibus fastis diebus legem ferri liceret, ut lex Ælia, lex Fusia ne valeret*: dicendum est, quattuor illas partes de auspiciis, de obnunciatione, de intercessione,
C de fastis diebus, omnes duabus legibus, quæ subjiciuntur, Ælia, & Fusia, comprehendi, sed tres priores Ælia, posteriorem autem Fusia: rursus, e tribus prioribus, ejusdem generis, & quasi naturæ duas esse, tertiam separatam, & tamquam alienam. nam auspicia ideo erant, ut esset obnunciatio: cum enim de cælo servatum esset, tum ferentibus legem obnunciabatur. itaque auspiciorum quasi partus quidam erat obnunciatio: nec unquam servatum est de cælo, quin obnunciatum sit, sive prospera, sive adversa signa essent, cum prospera confirmarent id, quod cum populo ageretur, adversa impedirent. propterea sublatum esse a Clodio mo-
D rem de cælo servandi, scripsit Dio lib. XXXVIII. cum tamen antea ita diligenter auspicia servata essent, ut M. Drusi legibus, quia contra auspicia latæ judicarentur, senatus decreverit populum non teneri. quod Cicero libro II. de legibus, & Pedianus in commentario Cornelianæ tradidit. Ergo cum hoc auspiciorum genere quasi cognatione quadam cohæret obnunciatio: at intercessio nihil habet commune cum auspiciis. auspicia enim ad religionem referebantur, quod a cælo, id est, a deorum numine, pendere viderentur. intercessio autem humanæ potestatis erat, & cum a voluntate semper nulla religionis observatione manabat, tum ab ea volunta-
E te nonnunquam, quæ ab omni religione dissentiret, & cum ipsa quasi deorum voluntate pugnaret. Præterea, servare de cælo, augurum, atque omnium plane magistratuum fuit, quod & supra notavimus: intercedere vero, duntaxat ad tribunos pleb. tum veteri sacratarum legum jure, tum, ut ego existimo, legis Æliæ jussu pertinuit. loquor autem de intercessione ad populum, cum lex ferretur. nam in senatu, cum S. C. fieret, non tribunos pl. tantum, sed omnes, qui eadem potestate, qua ii, qui S. C. facerent, majoreve essent, intercedendi facultatem habuisse, diximus in libro de Senatu. atque
F etiam, quod in eo libro non diximus, forensis, ut ita dicam, erat intercessio, cum prætori de privata controversia decernenti prætor intercedebat. cujus generis idoneus locus erit in libro de judiciis. nunc persequamur institutum. Dixi legis Æliæ fuisse tria illa membra, de auspiciis, de obnunciatione, de intercessione, quæ Clodius sua lege sustulit: quartum de fastis diebus Fusia lege sancitum. Itaque in oratione de provinciis consularibus, in extremo, paulo distinctius locutus est Cicero, cum caput illud, de fastis diebus, separatim a reliquis posuit; reliqua vero tria separatim quidem & ipsa ab

eo capite, ſed ipſa tamen inter ſe conjuncta: ut dubitandum minime ſit, quin hac in una lege ſimul fuerint, ſicuti ſimul ſunt a Cicerone pronunciata. quod ſi in una lege: ne illud quidem dubitandum de duabus legibus, Ælia ſcilicet & Fuſia, utram intelligamus. nam ſi de tribus conjunctis unum aliquod in Ælia lege fuiſſe docuero: Æliæ legi & reliqua duo de tribus deberi, concedendum, ut opinor, erit. Docebo autem Pediani verbis obnunciationem Æliæ legis fuiſſe. nam illud in Piſonem, *A P. Clodio, fatali portento prodigioque Reip. lex Ælia, & Fuſia everſa eſt*, ipſe ſic interpretatur: *Legem tulit P. Clodius tribunus pl. ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cælo ſervaret. propter quam rogationem, ait, legem Fuſiam, & Æliam propugnacula, & muros tranquillitatis atque otii, everſam eſſe.* obnunciatio enim, qua pernicioſis legibus reſiſtebatur, quam Ælia lex confirmaverat, erat ſublata. Miror autem, cur eo loco nihil de ſententia Fuſiæ legis addiderit Pedianus, cum tamen ipſam legem ſimul cum Ælia nominarit. non enim tantum tulit Clodius; ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cælo ſervaret, quid contra lex Ælia jubebat: ſed etiam, ut omnibus faſtis legem ferri liceret: ut aperte demonſtrant illa, quæ ſunt a nobis ex oratione pro Sextio recitata, & hæc in ea de provinciis: *Aut ſtatuendum vobis eſt, legem Æliam manere, legem Fuſiam non eſſe abrogatam, non omnibus faſtis legem ferri licere, cum lex feratur, de cælo ſervari, obnunciari, intercedi licere.* Verum, ut fortaſſe mutilus Pedianus, quia prætermiſerit id, quod Fuſia lege ſcitum Clodius abrogavit, non item mendoſus in eo, quod de lege Ælia poſuimus: ſatis enim plane loquitur, atque ita, ut, cur de mendo ſuſpicemur, cauſſam eſſe nullam videam. quare habemus quod volumus, obnunciationem ad legem Æliam pertinere. quod ſi hoc, ergo & illud, auſpicia quoque, a quibus obnunciatio derivatur, & interceſſionem ad eandem legem pertinere. &, ſi hæc tria ad legem Æliam, unum illud, quod reliquum eſt, de faſtis diebus, ad Fuſiam pertineat, neceſſe erit. Eandem utriuſque legis ſententiam, niſi fallor, attigit in epiſtola, *Quæris*, lib. 1. ad Atticum, cum ait: *Lurco autem tribunus pleb. qui magiſtratum ſimul cum lege Ælia iniit, ſolutus eſt & Ælia, & Fuſia, ut legem de ambitu ferret.* inibant enim veteres Romani magiſtratum auſpicato, neque omnino quidquam publice, nec domi, nec militiæ, ſine auſpiciis gerebatur. quod autem in tribunatu pl. Lurconi mandando factum erat, ut auſpicia ſervarentur: id ut ipſe in lege de ambitu ferenda ne ſervaret, neque auſpiciorum ullam omnino rationem haberet, decretum eſt a ſenatu. neque hoc ſolum, ſed illud ſimul, ut omnibus faſtis legem ferre poſſet. quod lex Fuſia vetabat: ideo enim ſolvit eum ſenatus & Ælia lege, & Fuſia, ut neque auſpiciorum religio, neque dierum ratio impedimento eſſet, quo minus primo quoque tempore perferri lex de ambitu poſſet. Has ipſas leges, & in oratione pro Sextio lege Clodia ſignificat abrogatas, cum ait: *Mitto eam legem, quæ omnia jura religionum, auſpiciorum, poteſtatum, omnes leges, quæ ſunt de jure, & de tempore legum rogandarum, una rogatione ſuſtulit.* nam etſi non nominat, legem tamen Æliam ſignificari certum eſt, cum ait, *quæ ſunt de jure*: Fuſiam autem, cum ſubjicit, *& de tempore*: jus enim intelligit auſpicandi, obnunciandi, intercedendi, quæ ſanxerat Ælia lex: tempus autem, quo legem perferri non liceret, faſtos videlicet dies, de quibus caverat Fuſia lex. Nec dubito, quin, cum dixit, *Omnia jura religionum, auſpiciorum, poteſtatum*, ad ſententiam potius Æliæ legis, quam
A Fuſiæ, ſpectaverit. nihil enim horum video, quod ad Fuſiam referri poſſit. nam ego quidem in verbo, *poteſtatum*, obnunciationem & interceſſionem ſignificari puto, quæ legis Æliæ fuiſſe, jam diximus. & quamquam *auſpiciorum, poteſtatum* dixit, ad interpretationem antecedentis verbi *religionum*, quod ſæpe facit; & in dictione *poteſtatum*, & obnunciatio, & interceſſio ſimul includuntur: ſolam tamen obnunciationem ad religionem refero. nam interceſſioni cum religione nihil erat: quod paulo ante demonſtravi. Verum ſic aliquis argumentabitur: ſi, cum dixit Cicero, *Religionem, auſpiciorum, poteſtatum*: Æliam
B legem tantum ſignificavit, Fuſiæ rationem nullam habuit: cur proxime ipſe ſe explanans intulit, *omnes leges, quæ ſunt de jure, & de tempore legum rogandarum*? nam, ſi proxima ſuperiora exponit, quod nemo dubitat: proxima vero ad ſolam Æliam legem referuntur: cur non ſubjecit unam potius legem, quam omnes leges? Eſt omnino hæc ſpecie probabilis argumentatio, re vero falſa. nam, quid attinet argumentari de ſententia Ciceronis, cum ipſe ſemetipſum patefaciat atque exponat? videbat majoris eſſe momenti, legem Æliam tolli, quam Fuſiam. nam Ælia lex
C pernicioſarum legum lationem impediebat obnunciatione & interceſſione: Fuſia vero, non, ut omnino ferri ne poſſet lex, efficiebat, ſed tantum, ut ne faſtis diebus poſſet: comitialibus autem ut poſſet, non vetabat. itaque quo plus intererat Reipub. nunquam ferri malas leges, quam ſero ferri: eo erat utilior civitati Ælia lex, quæ malum prohibebat, quam Fuſia, quæ tantum differebat. potius igitur legis Æliæ ſententiam oſtendit Cicero, quam Fuſiæ, quod id, in quo gravius peccaverat Clodius, commemorare, plus ad concitandam invidiam poſſe intelligebat. nec tamen ideo legis Fuſiæ ſententiam omiſit, ut ejus
D abrogationem Clodio condonaret. nam ſubjecit deinde, ut legem utramque ſignificaret: *Omnes leges, quæ ſunt de jure, & de tempore*: quorum alterum ad Æliam, alterum ad Fuſiam ſpectare, jam diximus. Quod ſi quis paulo obſtinatior repugnat adhuc, nec facile manus dat, cedat ſaltem ipſi Ciceroni: cujus in conſuetudine notanda niſi plurimus fuiſſem, nunquam hæc, quæ ſum aggreſſus, ulla ex parte præſtare mihi licuiſſet; ſi modo, ut præſtare poſſim, is, cui accepta omnia refero, conceſſerit Deus. Ipſe igitur Cicero cum Vatinio ſæpe objiciat, eum contra
E legem Æliam & Fuſiam feciſſe, tamen in ea pro Sextio, cum de eodem Vatinio loquatur, unam Æliam nominat. ait enim ſic: *Qui ita ſe in populari ratione jactarat, ut auſpicia, legem Æliam, ſenatus auctoritatem, conſulem, collegas, bonorum judicium nihil putaret.* & in ea poſt reditum in ſenatu, cum ejuſdem Æliæ vim & ſignificationem exponat, de Fuſia nihil afferat, proxime tamen utramque nominat: *Legem*, inquit, *tribunus pl. tulit, ne auſpiciis obtemperaretur, ne obnunciare conſilio, aut comitiis, ne legi intercedere liceret, ut lex Ælia, & Fuſia ne valerent.* & in Vatinium: *Audire a te cupio, quare, cum ego legem de ambitu ex S. C. tu-*
F *lerim, ſine vi tulerim, ſalvis auſpiciis tulerim, ſalva lege Ælia, & Fuſia, tu eam eſſe legem non putes.* Rurſus dubitabitur in ea pro Sextio, primum, cur eas leges ſignificavit potius, quam nominavit: deinde, ſi ſignificandas duxit, cur, cum de duabus tantum legibus intelligeret, *omnes* dixit: quaſi & de jure, & de tempore legum rogandarum plures leges eſſent. Placet in his dubitationibus immorari. nam, ut ex lapidum conflictu ignis, ſic ex rationibus utrimque collatis veritas elicitur. Significavit potius, quam nominavit, non ſolum, quia nominaverat antea, cum dixit: *Iiſdem conſulibus ſedentibus, atque inſpe-*

inspectantibus, *lata lex est*, *ut lex Ælia*, *lex Fusia ne valeret*: ut, cum de re jam nominata, & sua sponte satis nota loqueretur, obscura non posset esse significatio: verum etiam, quia vehementior & gravior sæpe fit oratio, cum id, quod objicitur, significatur potius, quam nominatur. quo potissimum genere abundant ii qui inter cæteros excellunt, Demosthenes, & Cicero. Omnes autem potius dixit, quam duas, vel quia revera præter Æliam & Fusiam, de jure aut de tempore, legum rogandarum lex erat nulla: ut qui Æliam, & Fusiam, is omnes plane significaret: vel quia, cum essent aliæ quoque leges & de jure & de tempore, quas ultimæ Ælia & Fusia, in eandem sententiam scriptæ, confirmarunt, qui tolleret duas ultimas, superiores quoque omnes tolleret. Nam quemadmodum magis nobili sublato, ut apud philosophos est, minus quoque nobile simul tollitur; ut sublato corpore, simul ea tolluntur, quæ in corpore adhærescunt; sic qui Æliam & Fusiam rogatione tollebat, quas & diligentius & gravius, quam superiores omnes, esse conscriptas verisimile est, eum omnes simul leges eadem rogatione sustulisse certum est. quod si quis, utrum, ante Æliam & Fusiam, & de jure & de tempore aliæ leges fuerint, dubitat: neque credit, nisi vel ratione admodum firma, vel gravi teste probetur: ego, ut in utroque satisfaciam, rationem, ut opinor, afferam non imbecillam: testem autem eum producam, quem levissimum appellare nemo possit. primum igitur pro ratione illud opponam, cum in oratione in Pisonem ita loquatur Cicero: *Centum prope annos legem Æliam & Fusiam tenueramus*: credibile non esse, supra centum annorum urbem Romam sine ulla lege de auspiciis, & de fastis diebus fuisse: præsertim cum idem in illa in Vatinium acerbissima interrogatione auspiciorum vetustatem his verbis ostendat: *Qui tantus furor*, *ut auspicia*, *quibus hæc urbs condita est*, *quibus omnis Resp. atque imperium tenetur*, *contempseris*? Quod ipsum in III. de natura deorum confirmavit: scripsit enim sic: *Mihi ita persuasi*, *Romulum auspiciis*, *Numam sacris constitutis*, *fundamenta jecisse nostræ civitatis*. accedit Pediani testimonium in commentario Pisonianæ: *Obnunciatio*, inquit, *qua perniciosis legibus resistebatur*, *quam Ælia lex confirmaverat*, *erat sublata*. verbum enim *confirmaverat*, legem Æliam obnunciandi jus non sanxisse primam significat, sed quod alia lex sanxerat, confirmasse. Ut omittam, quod supra commemoravi, vetustissimum fuisse jus intercedendi datum tribunis pleb. jam ab illo tempore, cum in Sacro monte institutus magistratus est, qui plebem tueretur. quod cum ita sancitum esset, intercessio tamen tribunicia Ælia lege confirmata est. Verum de lege Ælia & Fusia satis multa: pergam ad reliquas, quæ ad comitia pertinent. Lex fuit, quam Gellius memorat, ut quo die auspicia capta essent, eodem ea de re, cujus rei caussa auspicatum esset, comitia absolverentur. alioqui infirmum & inane populi jussum erat.

CAP. IX.

De Legibus tabellariis, *& reliquis ad comitia pertinentibus*.

LEGES quoque tabellariæ hoc de genere videntur. sunt enim de suffragiis ferendis: cum porro suffragium populus fert, comitia dicuntur. hæ quatuor fuerunt, omnes, ut puto, tribuniciæ, Gabinia, Cassia, Papiria, Cœlia. Gabinia sanxit, ut populus in magistratibus mandandis suffragium non, ut antea, voce, sed per tabel-

A lam ferret. Cassia biennio post idem jussit, in omnibus judiciis populi, perduellione excepto. Papiria & ipsa populo tabellam dedit, in jubendis ac vetandis legibus. Cœlia, quo uno in genere vocis suffragium reliquum erat, hoc est, in perduellione, quod lex Cassia exceperat, in eo genere tabellam dedit. ita quatuor tribunorum pleb. rogationibus factum est, ut populus libere, quod sentiret, in omnibus comitiis, nullo inimicitiarum metu, posset ostendere. ideo tabellam *vindicem tacitæ libertatis* appellat Cicero in agraria II. & libr. III. de legibus: in oratione autem pro C. Cornelio, *principium justissimæ libertatis* Cassiam legem, quæ
B tabellam in judiciis populo dedit. magis enim intererat populi, tabella voluntatem in judiciis tegere, cum ageretur de capite fortunisque civium, quam aut in magistratibus, quod lex Gabinia sanxerat, aut in legibus, quod postea Papiria. Hæc de sententia legum tabellariarum: nunc de latoribus, & quo quæque anno lata sit. Gabiniam rogavit homo ignotus & sordidus: quod libr. III. de legibus Cicero tradit. &, cum biennio ante Cassiam rogata sit, quod idem eodem in loco demonstrat, Cassiam vero Lepido & Mancino coss. esse latam, ex libro de claris oratoribus constet: necesse est, Pisone & Lænate coss. rogatam, existima-
C re. Cassiam Lepido & Mancino coss. auctore Scipione Africano posteriore, tulit L. Cassius Q. F. Longinus Ravilia, pater illius L. Cassii, qui in omnibus caussis quærere solebat, *Cui bono*? & C. Cassii, ejus, quem C. Mario C. Flavio coss. leges multas ad minuendam nobilitatis potentiam tulisse, in quibus hanc, ut, quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in senatu non esset, Pedianus tradidit. Papiriam tulit C. Carbo, ille eloquentissimus: tulit autem, ut opinor, P. Popillio, & P. Rupilio coss. nam eo anno tribunum pleb. fuisse, quo Scipio Æmilianus de Numanti-
D nis triumphavit, omnes historiæ declarant: quem a porta ad concionem productum, quid de Tit. Gracchi morte sentiret, seditiose interrogavit. Cœlia, non facile est conjicere, a quo sit rogata: sed, rogatam Q. Metello, T. Flaminino coss. crediderim, ex iis verbis, quæ sunt apud Ciceronem lib. III. de legibus: *Ut opprimeret Cœlius Popillium*. nam, id de P. Popillio dictum esse, quem C. Gracchus Metello & Flaminino coss. tribunus pleb. in exsilium ejecit, videtur intelligendum. ut ejus judicii caussa, quo Popillius, tribuno pleb. Gracco, est oppressus, Cœlius sua lege tabellam dederit. sed hoc, quia non plane firmis ni-
E titur conjecturis, inter dubia referatur. Etiam in eo consultum est Reipublicæ, quod adversus ambitionem lata lex, ne quis candidatus nomenclatore in magistratus petitione uteretur. eo tamen, ut fere fit, progressa pedetentim licentia est, ut, Ciceronis ætate, suus cuique candidato nomenclator, cum prensaret, peteretve, adesset. atque inter laudes M. Catonis, qui Uticensis postea dictus est, hanc enumerat Plutarchus, quod in petitione tribunatus legem, quæ candidato nomenclatorem adesse vetat, solus servavit. Lex Maria ipsa quoque præclara: quam Plutarchus a C. Mario, qui septies consul fuit,
F tribuno pleb. esse latam significat. Ejus legis hæc sententia fuit, ut pontes, quibus suffragiorum cistæ imponebantur, essent angustiores; ne scilicet multos capere possent. nam in turba fraudem aliquam committere, difficilis negotii non est, propterea, quod hac lege sancitum est, id ambitiosis oppositum fuisse; & plane Cicero dicit in III. de legibus, & Plutarchus ipse significat in Marii vita, cum ait: *In tribunatu legem de suffragiis tulisse*, *qua potentium opes tum in ferendis suffragiis*, *tum in creandis magistratibus imminuit*. Pontes autem illi perpetui non erant, sed ad tempus exstruebantur, vel in foro, vel

in campo, utrobique enim comitia habebantur, nec vere pontes, sed mensæ angustissimæ, pedibus altioribus, fuere, singulæ singulis tribubus, aut centuriis attributæ, pontes a similitudine dictæ, de quibus infra paulo uberius agemus. Tulit & P. Sulpicius tribunus pleb. L. Sylla, Q. Pompejo coss. ut in omnibus tribubus libertini suffragium ferre possent, cum in quatuor tantum urbanis tribubus antea ferre consuevissent. hanc legem puto victore Sylla, Sulpicii inimico, esse abrogatam. puto autem ob eam caussam, quia C. Manilius tribunus pleb. aliquot post annis eandem legem ferre conatus est: idemque postea & P. Clodius cogitavit. testis Cicero in duabus orationibus, pro C. Cornelio, & pro Milone. Sancitum & legibus illud existimo, quod apud Ciceronem lib. 2. de legibus scriptum est, ut augurum arbitratu comitiatus & concilia vel instituta dirimerentur, vel habita rescinderentur. Quod autem in eorundem augurum commentariis traditum erat, Jove fulgente tonante comitia haberi nefas esse: & illud, sinistrum fulmen adversum infaustumque comitiis esse signum. item illud, dimittenda esse comitia, cum quis eo morbo, qui inspuatur, corruisset, ex quo *comitialis morbus* dictus est: hæc omnia & in augurum libris notata, &, ut servarentur, legibus cautum esse, non dubito. Atque hæc, quæ ad impedienda comitia pertinent, non tam religionis caussa homines sapientissimi legibus constitui voluerunt, quam ut, si quando perniciosa Reipub. rogatio ferretur, obsisti per aliquem augurem facile posset. quam totam rationem C. Cæsar, qui nihil, nisi potentiæ suæ caussa, fecit, in consulatu neglexit, Bibulumque collegam obnunciantem armis foro expulit. Pertinere & illud ad vim comitiorum videtur, quod in XII. tabul. cautum invenio, ut, quod postremum populus jussisset id jus ratum esset. Item lex illa, qua cautum est, ne privilegia, nisi centuriatis comitiis, irrogarentur. cujus mentionem facit Cicero in oratione pro domo, & in ea pro Sextio, & libro III. de legibus. Nec excluditur ab hoc genere illa lex, quam renovare multis post annis C. Cornelius tribunus pleb. quem Cicero defendit, conatus est, ne quis, nisi per populum, legibus solveretur. itaque in omnibus S. C. quibus tum aliquem legibus solvi placebat, adjici erat solitum, ut de ea re ad populum ferretur. sed paulatim ferri desitum est: resque in eam consuetudinem venit, ut postremo ne adjiceretur quidem in S. C. de rogatione ad populum ferenda: eaque ipsa S. C. per pauculos admodum fiebant, quam ob caussam ferente legem Cornelio, ut antiquum jus renovaret, inductus a senatu P. Servilius Globulus tribunus pleb. intercessit. Firmavit etiam populi judicia, quæ comitiorum nomine continentur, Cassia lex, C. Mario, C. Flavio coss. & C. Cassio tribuno pleb. L. Cassii Raviliæ filio, de quo proxime mentionem fecimus, rogata, ut quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in senatu ne esset.

CAP. X.

Leges de provinciis.

MIGREMUS nunc paulisper ex urbe in provincias. Tulit primo de provinciis C. Gracchus tribunus pleb. Tiberii frater, ut consulares provinciæ per senatum quotannis decernerentur. Postea C. Cæsar, qui dictator fuit, ne prætoriæ provinciæ plus, quam annum, neu plus, quam biennium, consulares obtinerentur. tulit autem hanc legem victo Pompejo: cum ipse jam per novem annos Galliam contra C. Gracchi legem obtinuisset, consecutus id, quod nemo antea, & S. C. & lege. Hic, quando legum caussa de provinciis incidit mentio, non alienum est, & quot omnino in ditione populi Rom. & a quibus, quove anno captæ, tum, quæ consulares, quæque prætoriæ fuerint, subjicere. Quo anno M. Cicero Ciliciam proconsul administravit, qui fuit ab urbe condita DCCII. M. Marcello, Ser. Sulpicio coss. provinciæ XX. fuerunt in ditione populi Rom. Sardinia, Corsica, Sicilia, duæ Hispaniæ, citerior, ulterior; Asia, Ætolia, Macedonia, Illyrium, Dalmatia, Africa, Achaja, Galliæ duæ, Cisalpina, Transalpina; Cilicia, Bithynia, Pontus, Creta, Syria, Cyprus. quibus ex omnibus provinciis vectigal capiebat annuum Respub. ut a Plutarcho proditum est, scutatorum, quos appellant, octuagies quinquies centena millia, non excedente scutato pretium decem Marcellorum argenteorum, qui Venetiis imprimuntur, vel Juliorum, qui Romæ. Sardiniam cepit, inter primum & secundum Punicum bellum, consul T. Manlius Torquatus, de qua triumphavit; eaque prima, anno urbis D. XVIII. provincia populi Rom. facta est, missis ad eam componendam X. legatis: quod in faciendis provinciis servatum est. Corsicam vicit, ac provinciam fecit C. Papirius Maso consul. & a senatu triumpho non impetrato, ipse de sua sententia in monte Albano primus triumphavit, anno D. XIIX. & hanc una cum Sardinia semper unus rexit magistratus Romanus. Siciliam primus vicit, magnaque ex parte provinciam fecit Q. Catulus primo Punico bello: post aliquot annos, captis Syracusis, universam in provinciæ formam redegit M. Marcellus bello Punico secundo, aut certe, qui ei successit, M. Lævinus. nam de Marcello Vellejus tradit: Debellatum vero in Sicilia a Lævino potius prætore, quam a Marcello consule, & Cicero in Verrem, & Livius significant. Marcellus quidem, secutus exemplum Papirii Masonis, in Albano monte triumphum egit, urbemque ovans est ingressus. Hispaniæ tum a Scipione Africano majore, secundo Punico bello, tum, aliquot post annis, M. Catonis Censorii virtute, multis victoriis domitæ; & in eas magistratus Romani modo pro consulibus, modo pro prætoribus ierunt. varie tamen possessæ, &, ut ait Vellejus, sæpe partibus amissæ, certa ac stabilis esse populi Rom. possessio, stipendiumque pendere non prius, quam Augusto principe, cœperunt. Asiam cis Taurum montem bello Antiochino L. Scipio, majoris Africani frater, profectus in eam consul, ad imperium adjunxit, annoque post consulatum proximo triumphavit, ab urbe condita DLXIV. post eam possedere beneficio senatus populique R. reges Attali, donec M. Perperna consul Aristonicum, qui eam, Attalo rege mortuo, occupaverat, devicit ac cepit. eam tamen in provinciæ formam non Perperna, sed, qui ei successit, M. Aquillius consul redegit: qui etiam de Aristonico triumphavit, anno DCXXIV. Ætoliam M. Fulvius Nobilior subegit. bellum gerere cœpit consul, proconsul confecit, & triumphavit biennio post, anno urbis DLXVI. Macedoniam XL. diebus devicit consul iterum L. Æmilius Paulus anno DXXCVI. neque tamen provinciam fecit, sed de sententia X. legatorum, quos ad componendam Macedoniam atque Illyricum senatus de more misit, Macedonas omnes liberos esse jussit: &, ut suis legibus viverent, suas urbes, & agros haberent, magistratus annuos crearent, permisit: veteris etiam stipendii, quod regibus pependerant, dimidia parte relevavit: anno proximo, Perse rege inter captivos Romam ducto, triumphavit. provinciam vero Macedoniam fecit anno urbis DCVII. Q. Metellus, is, qui ex ea proprætor triumphavit, & Macedonici cognomen est adeptus.

hanc provinciam postea cum Achaja conjunxit, eque duabus unam fecit, rogatione perlata. P. Clodius tribunus pl. utramque L. Pisoni quasi præmium, quod in Cicerone ejiciendo consensisset, dedit administrandam. Illyricum & Dalmatiam eodem anno, quo Macedoniam Paulus, L. Anicius prætor debellavit, & unam provinciam fecit, triumphavitque post Paulum aliquot diebus, rege Illyriorum Gentio cum fratre, conjuge, & liberis ante currum ducto. Carthaginem & Corinthum, illam Africæ, hanc Achajæ caput, exciderunt eodem anno, & triumpharunt, Scipio Æmilianus & L. Mummius, tulitque inde Scipio cognomen Africani, Mummius Achaici. factæ sunt provinciæ duæ, Africa & Achaja. Africam autem intelligo regionem universam, quam Carthaginenses possederant. nam Numidia & ipsa pars Africæ, Massanissæ regnum fuit, Syphace superato, paruitque regibus, & a C. Cæsare demum post Scipionem, & Jubam Mauritaniæ regem, devictos, in formam provinciæ redacta. Mauritaniam vero, & ipsam in Africa, multis post annis, Caligula Imperator in duas provincias divisit. Galliam cisalpinam puto provinciam esse factam eo tempore, cum M. Marcellus, is, qui consul quinquies fuit, primusque Hannibalem acie vicit, Virdumarum, Gallorum regem, singulari certamine occidit, deque Gallis Insubribus triumphavit, anno DXXXI. patet enim provinciam esse factam, quia coloniæ plures annis sequentibus eo deductæ. transalpinam vero Galliam, quæ Narbonensis quoque dicta est, Q. Fabius, L. Pauli nepos, devictis Allobrogibus, unde cognomen sumpsit, in provinciæ formam redegit, anno DCLXXII. Ciliciam perdomuit P. Servilius proconsul, qui, quod Isauron Ciliciæ arcem evertit, Isauricus est dictus, triumphavitque anno DCLXXIX. ex eo tempore Cilicia provincia fuit. Bithyniam populo Rom. rex Nicomedes, ut antea rex Attalus Asiam, testamento reliquit: eaque simul cum Ponto, in quo Mithridates regnavit, una provincia fuit, Bithyniæque nomine appellata. utramque vero provinciam fecit, Mithridate victo, Pompejus Magnus proconsul, triumphavitque anno DCXCII. Ejusdem Pompeji lex a Plinio juniore in epistolis memoratur Bithynis & Ponticis data: ne quis annis XXX. minor magistratum caperet, neve in senatu esset: qui vero magistratum cepisset, ei liceret in senatu esse: ne decuriones, in curiam a censoribus lecti, pecuniam pro introitu darent. sed id observatum semper non est: nam, ut apud eundem Plinium legimus, quandoque bina millia solverunt, quæ vocabantur *sportulæ*. Item, ut senatores certis de caussis a censoribus ordine moverentur: ut Bithynicis civitatibus adscribere sibi, quos vellent, cives liceret, dum ne civitatis essent alienæ, sed earum quisque civitatum, quæ essent in Bithynia. atque hæc a Pompejo sunt ad exemplum Romanæ civitatis instituta. Cretam debellavit Q. Metellus proconsul, & triumphavit anno DCXCI. Creticusque postea nominatus. Syria, Pompeii Magni singulari virtute, ultimo bello Mithridatico victa, leges accepit, provinciarumque populi Rom. numerum auxit. triumphavit ex ea Pompejus proconsul, item ex Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Judæis, Albanis, Iberia, Creta, Bastarnis; præterea de regibus Mithridate, & Tigrane, anno DCXCII. Cyprus ultima, stante Rep. in provinciæ formam redacta, misso in eam M. Catone quæstore cum jure prætorio, lege P. Clodii tribuni pleb. Pisone & Gabinio coss. anno DCXCV. sed primum ea simul cum Cilicia, tanquam una provincia, S. C. tradita est P. Lentulo proconsuli. quod illa verba Ciceronis in epistola ad Lentulum significant: *Te posse perspicere, qui Ciliciam, Cyprumque teneas, quid efficere, & quid consequi possis.* eamque Lentuli successores, Appius & Cicero, rexerunt postea, tenente Remp. Cæsare, quæstores in eam missi. quod ab eodem Cicerone didicimus, qui ad C. Sextilium Rufum in quadam epistola ita scribit: *Tuæ laudi conducere arbitror, cum primus in eam insulam quæstor veneris, ea instituere, quæ sequantur alii.* Tertia pars superest, quæ provinciæ consulares, quæve prætoriæ dicerentur. Ne quis erret, neutrum perpetuum fuit. non enim hæc, vel illa provincia semper aut consularis, aut prætoria: sed ita nomen mutabant, ut varie modo a consularibus, modo a prætoriis administrabantur, quam potestatem senatus habebat, ut, quos vellet, in quas vellet, mitteret, administratione annua: quod lege Sempronia C. Gracchi tribuni pleb. sancitum erat. Cæsari tamen Galliæ in quinquennium, contra legem Gracchi, & lege Vatinia tribunicia, & S. C. mandatæ sunt: posteaque in alterum quinquennium lege Trebonia item tribunicia, Pompejo Magno, & Crasso II. coss. confirmatæ. qua de re sic ad Lentulum Cicero: *Stipendium Cæsari decretum: &, ne lege Sempronia succederetur, facile perfectum est.* Decerni autem solitas lege Gracchi, non a populo, sed a senatu provincias, idem in oratione pro domo, in P. Clodium invehens, plane demonstrat. *Itane vero?* inquit, *tu provincias consulares, quas C. Gracchus, qui unus maxime popularis fuit, non modo non abstulit ab senatu, sed etiam, ut necesse esset quotannis constitui per senatum, lege sanxit, eas, lege Sempronia per senatum decretas, rescidisti? extra ordinem, sine sorte, nominatim dedisti, non consulibus, sed Reip. pestibus?* Erat igitur eadem provincia ex voluntate senatus, modo consularis, modo prætoria. itaque Macedoniam (ut hæc exempli caussa nominetur) Cn. Dolabella, C. Curio, M. Lucullus, L. Torquatus, C. Antonius, omnes consulares, administrarunt: tum, Cn. Octavius prætorius, pater Augusti naturalis: rursus consularis L. Piso, &, Pisone revocato, Q. Ancharius prætorius. idemque patet in cæteris. Quo autem anno S. C. illud Cœlius in epistola sua ad Ciceronem misit, in quo S. C. hæc sunt: *Senatui placere, in Ciliciam provinciam, inque IIX. reliquas prætorias mitti*: regebantur IIX. provinciæ, quæ in eo S. C. prætoriæ vocantur, a magistratibus IIX. prætoriis, Sicilia, Sardinia, Ionia, Asia, Macedonia, Bithynia, Creta, Mauritania. & cum Sardinia Corsicam simul fuisse, cum Bithynia Pontum, paulo ante dictum est. Sed quæratur fortasse, quot fuerint, & quæ fuerint, & a quibus administratæ eo anno provinciæ consulares. Quattuor fuere. nam duas Gallias, Illyricum, & Dalmatiam, omnes uno provinciæ nomine comprehensas, unus C. Cæsar regebat: duas Hispanias item unus Cn. Pompejus per legatos absens administrabat: Syriæ M. Bibulus, Ciliciæ M. Cicero præerat. ita fuerunt hoc anno XII. provinciæ, consulares IV. prætoriæ IIX. cur autem in unam consularem Ciliciam, cum tres præterea essent, item ut in octo reliquas prætorias mittendum senatus censuerit, non qui consularis, sed qui prætorius fuisset, in nostro earum epistolarum commentario demonstratum est. Neque vero miretur quisquam, si Ætoliam, Græciam, Achajam, Thessaliam, Bœotiam, Pamphyliam, Phrygiam, Lycaoniam, Lydiam, Cariam, Mysiam, Gallogræciam sive Galatiam, Pisidiam, Lyciam, Cappadociam, Armeniam non nominarim. nam Ætolia Græciæ pars fuit: Græcia vero cum Achaja, Thessalia, Bœotia ad jurisdictionem Macedoniæ pertinuit, omnesque simul ab uno regebantur. id servatum est post consulatum Pisonis, & Gabinii. nam eo anno legem tulit P. Clodius, ut omnes

illæ provinciæ ab eo, qui Macedoniæ præesset, A regerentur. non enim tulit, ut a Pisone nominatim regerentur, (nam fuisset privilegium, non lex) sed, ut ab eo, cui Macedonia daretur. is autem fuit eo anno L. Piso, cujus caussa lata lex est. Pamphyliam vero, Phrygiam, Lycaoniam, cum Cypro insula, qui Ciliciam, idem administrabat; cujus etiam ad imperium Laodicea pertinuit, quam Plinius assignat Mediæ. at Lydiæ, Ioniæ, Cariæ, Mysiæ, etiam Phrygiæ parti præerat idem, qui Asiæ. nec mirum est, Phrygiam in duas jurisdictiones dispertitam fuisse, ut una pars Ciliciæ, altera tribueretur Asiæ. nam etiam ipsius Asiæ tres diœceses ad Ciliciam attinuisse, Cicero ipse, alii- B que prodiderunt. Galatiam regebat Dejotarus rex, socius fidelissimus populi Rom. Pisidæ, & Lycii inter socios erant: suisque legibus, sine magistratu Romano, utebantur. itaque Cicero eas gentes appellat *auxilia* in epistola ad Atticum. *Exercitum*, inquit, *infirmum habebam, auxilia sane bona. sed ea Galatarum, Pisidarum, Lyciorum. hæc enim sunt nostra robora*. Cappadociæ rex erat Ariobarzanes, ipse quoque socius populi Rom. nam Pompejus reges multos, a Mithridate pulsos, in regnum restituit, & fœdere ac societate Reip. obstrinxit: Armeniam Tigrani regi, qui Mithridatem C armis juverat, venia data, concessit: natione quasdam provincias fecit populi Rom. aliis, ut sui juris essent, suisque legibus viverent, permisit. Hæc est Romanæ ditionis ab Hispania ulteriore, ultima ad occidentem provincia, ad Euphratem, qui terminus ad orientem imperii fuit, descriptio quædam, breviter a nobis informata. nec enim vagari longius licuit in ea tractatione, quæ nostri argumenti propria non est: quia tamen disjuncta non videtur, hæc attigimus. In provincias ibant, vel consulares cum XII. fascibus, vel prætorii cum VI. totidem utrique, quot in urbe habebant. interdum etiam prætorios cum jure consulari, & XII. fasci- D bus, senatus in provincias mittebat, ut Q. Ciceronem in Asiam, de quo Suetonius, *Extant*, inquit, *M. Ciceronis epistolæ, quibus Quinctum fratrem, parum secunda fama proconsulatum Asiæ administrantem, hortatur, & monet, imitetur in promerendis sociis vicinum suum Octavium. proconsulatum* vocat hominis prætorii administrationem. eadem ratione titulus est, Q. Metello Celeri *procos*. in duabus epistolis, quæ lib. 5. fam. primæ leguntur: qui tamen consulatum non gesserat, sed ex prætura in Galliam cisalpinam profectus erat, & lib. III. de leg. Gellium ait Cicero proconsulem ex E prætura in Græciam venisse. Primis temporibus, cum provinciæ tuendæ armis essent, & in discrimine versarentur, exibant in eas, inito statim magistratu, consules & prætores, vel ut quæque cuique sorte obtigerat, vel etiam quandoque consulibus inter ipsos comparantibus. sic enim loquebantur, cum inter eos de consularibus provinciis convenisset. nam comparandi consuetudinem apud prætores non video fuisse. quod si bellum produceretur, imperium, in iisdem provinciis proconsulibus, aut proprætoribus a senatu prorogabatur. postea L. Sylla lege cavit, ne quis plus anno provinciæ præesset: qui viderit, opinor in Repub. diuturnis im- F periis assuescere, tutum non esse. itaque Galliarum illa per decennium Cæsaris administratio libertatis exitium fuit. hac de lege Cicero in epistola ad Appium his verbis: *Eo discessisti, quo ego te ne persequi quidem possem triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege, ut opinor, Cornelia constituti essent*. & in eadem: *Ut habere rationem possis, quo loco me salva lege Cornelia convenias: in provinciam veni pridie Kalend. Sext.*

CAP. XI.

Leges de provinciarum rectoribus & de coloniis in eas deducendis.

NUNC de legibus agamus, quæ rectoribus provinciarum imperium dabant: eæ duæ fuerunt, curiata, vetus admodum lex, & Cornelia, quam tulit L. Sylla dictator. curiata dabat imperium populus, ut Livius indicat lib. IX. Cornelia senatus. nam, cum S. C. esset factum, ut provincias magistratus sortirentur, aut compararent inter se: tum si ii, vel sine lege curiata in provincias proficiscerentur, imperium habere dicebantur, docet in urbem revertissent. ideo, quod in epistola Ciceronis ad Lentulum scriptum est, *Ap. Claudius frater P. Clodii, cupidus provinciæ, dictitabat, sese, si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam: si curiata lex non esset, paraturum cum collega, Lentuloque Spintheri, Ciliciam proconsule administranti, successurum: legem curiatam consuli ferri opus esse, necesse non esse: se, quoniam ex S. C. provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introiisset*. Quod autem in agraria II. scriptum est, *Rem militarem sine curiata lege attingere non licet:* propterea dictum, quia sumptu publico ibant in provincias, quorum de imperio lata curiata lex esset. poterant igitur publica pecunia milites alere, & bellum gerere. at sine curiata lege poterat quidem aliquis privato sumptu in provinciam ire: exercitum vero habere, bellumque de suo gerere, cui tantæ opes erant, ut liceret? non igitur sine curiata lege, quæ pecuniam dabat, rem militarem attingere cuiquam licebat. nam, cum ad Atticum lib. IV. Cicero ita scribit: *Appius sine lege suo sumptu in Ciliciam cogitat*: non intelligit de pecunia in stipendia militum eroganda, (nec enim sustinere sumptum potuisset) sed, opinor, de suo cohortisque viatico. ipse enim Cicero, viaticum dari solitum comitibus eorum, qui irent in provincias, significat in epistola ad Cassium his verbis: *Cætera cujusmodi sint, ex hoc judica, quod legato tuo viaticum eripuerunt*. Curiata porro lex, non, ut primis temporibus, universi populi suffragiis curiatim in forum convenientis ferebatur, sed tantum a XXX. lictoribus, XXX. veteres curias repræsentantibus. itaque Cicero in oratione II. in Rullum, cum loquatur de curiatis comitiis, id est, de lege curiata, qua xviris imperium dari Rullus volebat, *Illis*, inquit, *comitiis, ad speciem atque ad usurpationem vetustatis, per* XXX. *lictores auspiciorum caussa adumbratis*. Ferri autem solitam a consulibus legem curiatam, idem Cicero in eadem oratione significat his verbis: *Consulibus, legem curiatam ferentibus, a tribunis pleb. sæpe est intercessum*. idemque confirmant illa verba in epistola ad Lentulum: *Legem curiatam consuli ferri opus esse, necesse non esse*. Nam, quod in sua lege Rullus posuerat, ut a prætore ferretur, extraordinarium fuit: quia videbat adduci consules minime posse, ut eam ferrent, utpote qui nullum xviris imperium dari vellent: itaque Ciceronis exstant orationes adversus legem Rulli de xviris. Moris autem fuit, ut, cum lex de imperio ferretur, tres augures adessent, ob eam caussam, opinor, quia XXX. curiæ tres veteres tribus repræsentabant, quas singulas in denas curias Romulus divisit: porro veteres tribus suum quæque augurem habuit, quod a Livio lib. 10. traditum est. In provincias populi Rom. coloniæ ducebantur, propterea, quando de provinciis proxime dictum est, subscribemus hic legem illam, qua Cn. Pompejus Strabo Consul, Cn. Pompeii Magni pater, transpadanis coloniis jus dedit Latii, ut possent habere jus, quod cæteræ Latinæ coloniæ, id est, ut, petendi magi-

ſtratus gratia, civitatem Romanam adipiſcerentur. quod ego ſic interpretor, ut qui in iis coloniis magiſtratus geſſiſſent, deinde cives Romani eſſent, ferendique ſuffragii jus haberent, eadem conditione, qua populi Latini. quod etiam ſignificatur epiſt. II. lib. 5. ad Att. Has colonias poſtea jus abſolutum Romanæ civitatis cupiiſſe, id eſt, ut, etiam non geſto Magiſtratu, cives Romani eſſent, in eo Suetonius oſtendit, cum ait, Cæſarem colonias Latinas, de petenda civitate agitantes, adiiſſe, & aliquid utique effecturum fuiſſe, niſi conſules conſcriptas in Ciliciam legiones ob id ipſum retinuiſſent.

CAP. XII.

Lege de militia & de triumpho.

SEQUITUR militia: de qua legem veterem video fuiſſe, ut, qui civem ab hoſte ſervaſſet, is ab imperatore quercea corona donaretur: quam Cn. Marcio Coriolano datam eſſe, Plutarchus memoriæ tradidit. Fuit & illa, ne dolo malo, neve aliena iniquitate, ſed jure & propria virtute bellum gereretur. quam Camillus, is, qui urbem Romam a Gallis Senonibus liberavit, ita diligenter coluit: ut, cum Falerios, Faliſcorum urbem, obſideret, eamque illi tradere publicus litterarum magiſter, deductis in caſtra nobilibus pueris, tentaſſet, injuſtum beneficium recuſarit, magiſtrumque vinctum Falerios cum pueris remiſerit. Lex etiam lata eſt, quam *ſacratam* Livius appellat, ne cujus militis ſcripti nomen, niſi ipſo volente, deleretur: & ne quis, ubi tribunus milit. fuiſſet, poſtea ordinum ductor eſſet. Duas aliquot poſt annis tribuni pleb. eodem anno rogarunt, unam L. Atilius & C. Marcius, ut tribuni milit. ſeni deni in quattuor legiones a populo crearentur: quæ antea, perquam paucis ſuffragio populi relictis locis, dictatorum & conſulum ferme fuerant beneficia: alteram M. Decius, ut II. viros navales, claſſis ornandæ reficiendæque cauſſa, populus juberet. Leges duas C. Gracchus tribunus pleb. tulit, unam de veſtibus militi publice dandis, ſtipendio non imminuto; alteram, ne quis infra 17. ætatis annum ad militiam cogeretur. ex quo patet, interdum ad militiam ante coactos fuiſſe, qui nondum annum ætatis XVII. agerent. quod puto difficillimis Reipub. temporibus, exhauſta cladibus civitate, ut ſecundo Punico bello, extra ordinem eſſe factum. Legibus de militia recte ſubjicientur leges de triumpho. non eſt enim triumphus ſine militia. Antiquiſſima fuit, quæ nunquam ſervata non eſt, ut, qui ob rem in bello bene geſtam triumphum ducturi eſſent, ante triumphum urbem ne ingrederentur. triumphabant enim cum imperio: &, imperium deponere, urbem intrantibus neceſſe erat. triumphum autem ſenatus decernebat: ſed imperium in urbe, quo die triumphus duceretur, populus dabat, rogatione ab aliquot tribunis pleb. lata. id aperte demonſtrant illa apud Livium, lib. XLV. *Tribus his omnibus triumphus ab ſenatu decretus: mandatumque Q. Caſſio prætori, cum tribunis pleb. ex auctoritate patrum ageret, rogationem ad plebem ferrent, ut iis, quo die urbem triumphantes inveherentur, imperium eſſet.* Et erant impediendi triumphi rationes multæ: primum cum tribuni pleb. imperatori, qui triumphum peteret, aliqua de cauſſa infenſi, de rogatione ferenda omnes recuſarent: deinde, cum rogationem quidem tribunus aliquis ferret, ſed eam populus ſuffragiis antiquaret: tertio, ubi, tribuno rogationem ferentem, unus, pluresve de collegio intercederent: poſtremo, cum tribunus imperatori ob res in bello geſtas diem diceret, ſicuti C. Memmius L. Lucullo,

A qui, duobus potentiſſimis regibus, Mithridate, & Tigrane, devictis, tamen non niſi triennio poſt triumphare potuit: ad extremum, accuſationem Memmio remittente, Cicerone conſule triumphum duxit. unde illa in Academicis, lib. 2. *Cum victor a Mithridatico bello revertiſſet, inimicorum calumnia triennio tardius, quam debuerat, triumphavit. nos enim currum clariſſimi viri noſtra manu in urbem duximus.* hanc legem de imperio unius diei intra urbem Cicero ſignificat his verbis lib. IV. ad Att. *Pontinius vult ad 3. Non. Novemb. triumphare. Huic obviam Cato, & Servilius prætores aperte, & Q. Mucius tribunus pleb. negant enim latum de imperio. &* B *eſt latum, Hercule inſulſe. latum inſulſe* dicit, quia legem de imperio Pontinii Ser. Galba prætor clam ante lucem tulerat. quod a Dione traditum eſt. & agi quidquam cum populo ante horam primam leges vetabant. Paulo poſt ſecuta eſt altera, (ſi modo primis temporibus lege potius, quam more, triumphabant) ut, qui hoſtes acie viciſſent, triumphantes urbem inirent. idque factum etiam cum intra VII. lapidem urbis Romanæ fines includerentur, apud Valerium notavimus. Poſt, ut imperatorum ambitioni, qui levibus prœliis proſpere factis, triumphum petebant, obviam iretur, lege cautum eſt, ne C quis triumpharet, niſi qui & V. millia hoſtium una acie cecidiſſet, & de ſuo exercitu multo pauciores amiſiſſet. quo in utroque ne falſus ſenatui numerus ederetur, altera lex a L. Mario, & M. Catone tribunis pl. lata eſt, ut punirentur ii, qui aut hoſtium occiſorum, aut civium amiſſorum in numero mentiti eſſent. Sancitum & illud eſt, ut, pro aucto imperio, non pro recuperatis, quæ populi Ro. fuiſſent, triumphus decerneretur: quam ob cauſſam neque Q. Fulvio, qui Capuam receperat, neque L. Opimio, qui Fregellas, permiſit ſenatus, ut triumpharent. Eademque fuit eorum conditio, qui ad res gerendas ſine magiſtratu miſſi erant. qui etſi res D triumpho dignas geſſiſſent, triumphare tamen lege vetabantur. itaque nec P. Scipioni, qui poſtea Hannibalem vicit, ob recuperatas Hiſpanias, nec M. Marcello ob captas Syracuſas triumphum ſenatus decrevit. Pompejus tamen, qui Magni cognomento eſt uſus, Sylla dictatore concedente, contra legem, eques Romanus adhuc, triumphavit. Illud etiam fortaſſe lege datum, ut qui triumphans urbem ingreſſus eſſet, ei laurea corona in ſpectaculis uti liceret. id ex eo conjicio, quod Valerius, cui Plinius lib. naturalis hiſtoriæ XV. ſubſcribere videtur, C. Papirium Maſonem tradit, cum, triumpho a E ſenatu non impetrato, in Albano monte triumphaſſet, myrtea corona pro laurea in ſpectaculis uſum eſſe.

CAP. XIII.

Lex de non ſevocando populo, itemque leges agrariæ.

INTER publicas leges illa quoque referenda, quam, quo anno Cn. Manlius cum C. Marcio conſul fuit, tribuni pl. tulerunt, ne quis populum ſe- F vocaret. nam, cum Manlius ad Satrium in caſtris, novo exemplo, tributim de viceſima eorum, qui manumitterentur, legem tuliſſet, ejuſque legis, quia publicum vectigal haud parum augeretur, patres auctores fuiſſent, tribuni pl. non tam lege, quam exemplo, moti, ne quis poſtea populum ab urbe avocaret, capite ſanxerunt: nihil enim non per milites juratos in conſulis verba, quamvis perniciosum populo, ſi id liceret, fieri poſſe. Leges agrariæ num ſunt de jure publico? ſunt omnino, quia pertinent ad populi commodum. Primus omnium promulgavit Sp. Caſſius Viſcellinus in III.

conſulatu : perferre tamen non potuit, Virginio collega, omnique ſenatu reſiſtente. hic anno proximo, quaſi de regno cogitaſſet, a patre, ut Valerius & Plinius Secundus affirmant, a populo, ut ab aliis traditum, Livius ait, damnatus, nefarii conſilii pœnas morte perſolvit. in quo fœdiſſimum in Valerio erratum deprehendi. nam libro II. ubi de parentum ſeveritate adverſus liberos agit, ita ſcribit: *Caſſius filium, qui tribunus pl. agrariam legem primus tulerat, adhibito propinquorum & amicorum conſilio, affectati regni crimine damnavit, verberibuſque affectum necari juſſit, ac peculium ejus Cereri conſecravit*. tribunum pl. ait fuiſſe Caſſium, qui agrariam legem promulgavit, quod aperte falſum eſſe, Livius & Dionyſius demonſtrant. tulit enim de agro Hernicorum dividendo in III. conſulatu: quo tempore Caſſii erant patricii, (conſules enim fiebant) & patricio tribunatum pl. dari leges vetabant. inde plebis concitandæ agrorum diviſio ſeditioſis tribunis pl. occaſio ſemper fuit. itaque de ferendis legibus non ſine magno civili motu ſæpe actum. Primus pertulit Sex. Licinius Stolo tribunus pl. is, qui etiam, ut alter conſul de plebe crearetur, legem rogavit. ejus lege nemini ultra D. agri jugera, neque pecoris majoris ultra C. minoris ultra D. capita licuit habere. his adjungebantur capita ſervorum, ac ingenuorum, quæ quis ad cuſtodiam agri, pecoriſque certo numero haberet. Et, ut appareat leges a tribunis pl. odio nobilium potius, quam ſtudio publici commodi eſſe latas, paucis poſt annis hic ipſe Stolo, accuſante M. Popillio Lænate, primus, ut ait Valerius, ſua lege damnatus eſt, quod M. jugera agri cum filio poſſideret, emancipandoque filium fraudem legi feciſſet. rationem poſtea locupletes inierunt, ut plus D. jugeribus poſſiderent, nec tamen Licinia lege damnari poſſent. aliis enim ad emendum agrum ſummiſſis, ipſi poſſidebant. huic malo mederi primus voluit C. Lælius, (de minore loquor: nam ita duo Lelii, ut duo Africani, fuere) Africani minoris amicitia non minus, quam ſua virtute, clarus: ſed, adverſante locupletum magno numero, cum excitari civilem diſcordiam & contentionem videret, otio ac tranquillitati civium conſulens ſuſceptam rem abjecit: ex quo ſapientis cognomen eſt conſecutus. Liciniam ſecuta eſt Flaminia, a C. Flaminio tribuno pl. lata, quam decem annis ante II. bellum Punicum, invito ſenatu, Fabio Verrucoſſo, iterum conſule, in primis reſiſtente, tamen pertulit, de agro Gallico, & Piceno viritim dividendo. poſt captam autem Carthaginem de agris in Africa dividendis Rubria lex lata eſt, Livia vero de X. viris, qui dividerent. quarum legum in tabula ænea mentionem invenimus. Ti. Gracchus tribunus pl. aliquot poſt annis legem pertulit. cujus ſententia hæc erat: ſi quis filium emancipatum haberet, ei dimidiam partem D. jugerum attribuere poſſet: III. viri agris dividendis plebi crearentur: ne quis agrum a III. viris acceptum venderet. hæc lex utrum ſervata ſit, an, occiſo Tiberio, neglecta, parum conſtat. ſervatam ait Plutarchus, idque ſenatum voluiſſe, ut plebis dolor, Tiberii morte ſuſceptus, leniretur: neglectam videtur Livius tradidiſſe, cum in epitome, renovatam a Cajo, Tiberii fratre, ſcriptum ſit. res ita conveniet, ſi & ſervatam, leniendæ plebis cauſſa, primis poſt Tiberii interitum annis, & poſtea ita neglectam credamus, ut eandem Cajus referre neceſſarium duxerit. quod & aliis non paucis in legibus eſſe factum animadvertit. Tulit & Sp. Thorius legem, qua agrum publicum vectigali levavit: quam vitioſam & inutilem Cicero appellat in Bruto, quia nocuit ærario. Sequuntur eodem de genere tribuniciæ duæ, Titia, Martia: Titia, M Antonio oratore, Poſthumio Albino coſſ. a Sex. Titio lata; Marcia, quibus conſulibus incertum, a L. Marcio Philippo. Eſt etiam agrariæ Plotiæ, & Flaviæ mentio apud Ciceronem lib. I. ad Atticum. quam utramque fuiſſe tribuniciam, conſtat. utraque autem videtur hoc ſanxiſſe, ut vel agri, quos a ſenatu locupletes emiſſent, reddita poſſeſſoribus pecunia, plebi diſtribuerentur: vel ſi neminem vetere poſſeſſione moveri ſenatus vellet, alii agri ea pecunia, quæ ex novis vectigalibus per quinquennium reciperetur, emerentur, & plebi, quæ agros non haberet, partirentur. hoc certe videtur in Flavia ſcriptum fuiſſe, ut ex epiſtola ad Atticum lib. I. licet conjicere. in alia vero, quæ ante hanc proxima eſt epiſtola, Flaviam eandem fere, quæ fuit Plotia, Cicero ſcribit eſſe. ex quo non diſſimilem utriuſque ſententiam fuiſſe, facile cognoſcitur. ſed Flaviam, quæ Q. Metello Celere & L. Afranio coſſ. promulgata eſt, cur exiſtimem eſſe perlatam, nihil habeo. Dictator quoque Sylla, lege lata, multos agros in Etruria militibus ſuis diviſit. Scriboniam tribuniciam C. Curionis filii nominat, eamque viariam appellat, nec diſſimilem agrariæ Rulli, M. Cœlius epiſt. fam. libri VIII. Ultimus agrariam legem pertulit C. Cæſar in primo conſulatu: qua *Stellatem campum, majoribus conſecratum*, ut ait Suetonius, *& agrum Campanum, ad ſubſidia Reipub. vectigalem relictum, diviſit extra ſortem xx. millibus civium, quibus terni plureſque liberi eſſent*. Poſtremo loco duas P. Clodii tribuni pl. leges conſtituemus, quæ ad jus publicum videntur pertinere: unam, ut frumentum populo, quod antea ſemis æris ac trientibus in ſingulos modios dabatur, gratis daretur: quam legem & L. Saturninus in tribunatu ferre conatus erat: altera fuit de collegiis reſtituendis, quæ novem ante annis Cæcilio & Marcio coſſ. ſublata fuerant: quibus alia quoque, quæ antea non fuerant, Clodius adjunxit, quod ei Cicero ſæpe in orationibus exprobrat.

CAP. XIV.

Lege de jure privato, eoque civili, & inter eas primo loco leges de adoptionibus & teſtamentis.

SUPERSUNT leges de jure privato: quarum duo genera eſſe diximus, unum earum, quæ ad jus civile, alterum, quæ ad crimina pertinent. De jure civili, quod, ut ait juriſconſultus, de jure gentium quædam detrahit, quædam aſſumit, lex erat de adoptionibus, qua ut curiata lege fierent, cautum erat. licebat autem non patricio plebejum, ſed plebejo patricium adoptare. atque hoc in genere tria lex jubebat obſervari: primum, ut is adoptaret, qui neque procreare jam liberos poſſet; & cum potuiſſet, expertus eſſet: alterum, ut tum generum, ac dignitatis, tum ſacrorum ratio haberetur, id eſt, ut ita fieret adoptio, ut ne quid aut de dignitate generum, aut de ſacrorum religione minueretur: tertium, ne qua omnino calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhiberetur: quæ ſi ſervarentur omnia, tum adoptionem recte fieri. nihil tamen horum in adoptione P. Clodii ſervatum eſſe, arguit Cicero in oratione pro domo ſua: neque ſolum ob hanc cauſſam ait eſſe infirmam irritamque illam adoptionem, verum etiam, quod, cum curiata lex ferretur, tum ſervatum de cælo ſit: quod cum fieret, neque legem ferri, neque omnino quidquam agi cum populo licebat. primum enim adoptandi cauſſas eſſe oportuit, de quibus pontifices judices erant: deinde, ſi cauſſæ probarentur, curiata lex ferebatur: quam qui ferret, is omnia ſervare debebat, quæ in cæteris legibus, cum ferrentur, ſervari mos fuit. quod utrumque ſignificat Cicero in ea oratione, cum ait: *Ut is adoptet, qui, quod natura jam aſſequi non poteſt, legitimo & pontificio*

jure quærat, itaque, quod est apud Cornelium Tacitum lib. XVII. *Lege curiata apud pontifices adoptio fiebat*: id ita est intelligendum, ut, nisi & lex ferretur, & adoptandi caussas pontifices probassent, adoptio fieri non posset. utrumque vero separatim agebatur, cum de caussis pontifices cognoscerent, legem vero magistratus ferret. Adoptantis autem ætatem XVIII. annis majorem, quam ejus, qui adoptaretur, esse oportere, a Modestino scriptum est his verbis: *Non tantum cum quis adoptat, sed & cum arrogat, major esse debet eo, quem sibi per adoptionem, vel per arrogationem filium facit, sed utique plena pubertate, id est, XVIII. annis, eum præcedere debet*. De testamentis leges multæ fuere, quarum nominantur Voconia, Furia, Falcidia, Cornelia, Junia Velleja. Voconia de mulierum hereditatibus, inter secundum & postremum Carthaginense bellum a Q. Voconio Saxa Aricino tribuno pl. suadente M. Catone censorio lata, sanxit hoc, ne quis heredem relinqueret filiam supra HS. XXV. M. nam Dio lib. LVI. ita scriptum reliquit: *Augustus quibusdam feminis tribuit, ut supra XXV. M. heredes esse possent: licet hoc lex Voconia vetaret*. Etiam hoc eadem lege cautum est, ut a Theophilo, in tit. Instit. de lege Falcidia, didicimus, ne plus legatarius, quam heres, haberet. quo de genere Trebellianum quoque S. C. exstat, ne bona ultra dodrantem universali fideicommisso ab herede relinqui possint, Voconia, & Furia, Falcidia, Junia Velleja, tribuniciæ fuere, Cornelia consularis, L. Syllæ. de Voconia diximus. Furia cavebatur, ut a Theophilo scriptum legimus, ne cui plus, quam M. nummum, legaretur: quod amplius legatum esset, quadruplum restitueretur. Falcidia cavebatur, ne cui plus liceret legare, quam dodrantem ex tota hereditate, id est, ut, sive unus heres institutus esset, sive plures, apud ipsum, eosve quarta pars tantum remaneret. mentionem facit huius legis Celsus, lib. XXII digestorum, his verbis: *Cum de lege Falcidia quæritur, heredis probatio est, locum habere legem Falcidiam. quod dum probare non potest, merito condemnabitur*. In Junia Velleja hoc erat, ut, qui testamentum faceret, omnes eos virilis sexus necessario institueret heredes, qui, cum nascerentur, ei heredes sui futuri essent, eorumque in locum liberi succederent: qui nisi instituti essent, aut nisi exheredati, ad exemplum postumorum, essent, testamentum ne valeret. atque in hac lege duplex caput fuit, primum, ut, mortuo filio, nepotes nondum nati possint institui: item, ut, vivente filio, nasciturí nepotes possint institui, si, avo vivente, & mortuo filio, nascantur: ne facti sui, cum nascentur, si se præteritos invenerint, rumpant testamentum. altero capite cautum est, ut nepotes, jam nati, vivente filio, ab avo heredes instituantur, vel nominatim exheredentur, ne forte, mortuo post testamentum filio, facti sui heredes, ad exemplum postumorum testamentum infirment. quæ tradita sunt in jurisconsultorum libris. Cornelia falsum testamentum facientibus pœnam irrogabat, eaque lege senatores soli tenebantur, ut in Suetonio legimus. nisi si, non *senatores*, sed *signatores*, legas. Quod si quis in hostium potestate decessisset, ejus testamentum perinde lex Cornelia confirmabat, ac si, qui testamentum illud fecisset, in hostium potestatem non pervenisset. testis Julianus lib. XXVIII. digestorum. Testamenta porro lex infirmabat, irritaque prorsus jubebat esse, quæ improba, inofficiosa, inhumana dicerentur, hoc est, contra leges, merita, pietatem facta: item, quæ a v. testibus, iisque fide dignis, non essent obsignata. quod ad VII. deinde testes prætorum edicto translatum est. postremo ab imperatoribus inventum, ut testes subscriberent, ut legitur I. Instit. *de testamentis*, paulo post principium. atque horum generum caussas, de rescindendis confirmandisve testamentis, a C. viris esse judicatas, quod hastæ judicium dicebatur, Cicero, Valeriusque declarant. Ælia Sentia, quam jurisconsulti nominant, non videtur ad nostrum institutum pertinere. non enim stante Rep. sed Augusti temporibus, a Sex. Ælio, L. Sentio coss. lata est. veruntamen, quia spectat ad testamenta, quorum leges hoc in loco exponuntur, simul cum aliis eam legibus enumerare non alienum duximus. In ea scripta sunt hæc: ut unus modo heres necessarius fieret: plures si fierent, irritum esset: ne duo pluresve ex eadem caussa heredes scripti essent: qui primo loco esset nominatus, heres esset. item, quibus de caussis manumitti servos placeret: ne quis, licet ex tutoris auctoritate, posset manumittere, nisi caussam apud consilium probaret: neve servi, in fraudem creditorum, aut libertate donarentur, aut heredes instituerentur. nam cum, pluribus heredibus servis institutis, iisdemque manumissis, futurum esset, ut creditores ad suum pervenire non possent: quia, data servis libertate, pretium hereditatis deminueretur: ideoque servorum manumissio injusta videretur, quia contra rem creditoris esset: lex Ælia Sentia sanxit, ut unum duntaxat servum cum libertate heredem debitor facere posset. atque hæc videre licet vers. I. Instit. *Quibus de caussis manumittere non licet*. Postremo jubebat, ut, si esset donatio facta inter virum & uxorem, maritusque, re nondum tradita, vita excessisset, ne mulier rei vindicationem post obitum mariti haberet, sed tantummodo exceptionem, si non possideret, contra petitores.

CAP. XV.

Leges de judiciis, testimoniis, & indiciis.

HÆC de lege Ælia Sentia, veterem fortasse aliquam legem referente, observavimus. Alia vero fuit Ælia Sanctia, a Cicerone in Topicorum libris nominata: quæ *assiduo vindicem esse assiduum*, id est, locupleti locupletem, jubebat. pertinuit igitur ad judicia. atque de hac lege nihil amplius, neque de latoribus, neque de sententia, compertum habemus. quin, eum Ciceronis locum esse mendosum, neque in libris scriptis ullam omnino in eo loco legis Æliæ Sanctiæ mentionem fieri, nonnulli tradiderunt. Verum hoc de genere leges præterea X. video nominari, diversis temporibus latas, tribunicias V. Semproniam, Serviliam, Liviam, Plotiam, Vatiniam: prætoriam, Aureliam: consulares, Corneliam, Pompejam, Juliam, Antoniam. His de singulis priusquam agamus, tria loca, quæ ad hoc de judiciis argumentum pertinent, unum Plutarchi, alterum Pediani, tertium Ciceronis, examinabimus. ordinem enim, & sententiam earum legum, quas nominavimus, perturbant & obscurant. Quare, ut erroris caussa tollatur, disputabimus primum ea, quæ veterum in libris aut re vera fortasse falsa sunt, aut ejusmodi, ut, vera cum sint, falsa tamen videri possint. hoc ubi satis apertum fuerit, tum, veritate quasi e tenebris educta, leges ipsas, & quibus singulæ temporibus latæ sint, & quæ cujusque vis ac sententia fuerit, ostendemus. Ac primum, quod in Gracchorum vita Plutarchus tradidit, legem a C. Graccho esse latam, ut CCC. equites simul cum CCC. senatoribus judicarent, id ego (pace tanti viri dixerim) falsum esse judico. non enim lege Gracchi equites cum senatoribus, sed soli equites rem judiciariam administrarunt. Probatur antiquorum exemplis. nam Paterculus, ubi leges C. Gracchi commemorat, *Dabat*, inquit, *civitatem omnibus Italis: extendebat*

eam pæne usque ad Alpes: dividebat agros: vetabat quemquam civem plus D. jugeribus habere: nova constituebat portoria: novis coloniis replebat provincias: judicia a senatu transferebat ad equites: frumentum plebi dari instituerat: nihil immotum, nihil tranquillum, nihil denique in eodem statu relinquebat. satis plane loquitur. non dicit, communicata inter equites & senatores judicia, sed a senatu ad equestrem ordinem translata. & idem infra: *Tribunatum iniit M. Livius Drusus. qui cum senatui priscum restituere cuperet decus, & judicia ab equitibus ad eum transferre ordinem: (quippe eam potestatem nacti equites Gracchanis legibus, cum in multos clarissimos atque innocentissimos viros sævissent, tum P. Rutilium, virum non sæculi sui, sed omnis ævi optimum, interrogatum lege repetundarum, maximo cum gemitu civitatis damnaverant) in iis ipsis, quæ pro senatu moliebatur, senatum habuit adversarium.* & infra: *Per idem tempus Cotta judicandi munus, quod C. Gracchus ereptum senatui ad equites, Sylla ab illis ad senatum transtulerat, æqualiter inter utrumque ordinem partitus est.* hæc ille: quæ Pedianus in commentario divinationis confirmat his verbis: *C. Gracchus legem tulerat, ut equites Romani judicarent. judicaverunt per annos* XL. *sine infamia. post victor Sylla leges tulerat, ut senatorius ordo judicaret: & judicarunt per x. annos turpiter.* & in eodem commentario infra: *Rutilium Rufum, quod in Asia cum prætore suo consensisset, ne publicani aliquid agerent in provincia sua, equites Romani, qui tum judicabant, damnarunt.* Quod si quis in tuenda Plutarchi caussa ita pertinax est, ut Velleii, & Pediani testimonio standum neget: vel quod de solis equitibus non satis aperte loqui videantur: vel quod ipsi quoque falli, ut homines, allucinarique potuerint: audiat Appiani verba, quæ, ut ego statuo, Plutarchum manifeste condemnant. is igitur libro I. sic: *M. Livius Drusus tribunus pleb. senatum, & ordinem equestrem, judiciorum caussa, quæ adempta senatui, & equitibus tradita fuerant, dissidentes, lege conciliare, & ad concordiam perducere conatus est. itaque tulit ad populum, ut ad utrumque ordinem cognitio caussarum pertineret. sed, quoniam, ob superiorum temporum discordias, numerus senatorum ad* ccc. *redactus erat, persuasit equitibus, ut de suo ordine totidem legerent, ne in judiciis numero inferiores essent.* Quid apertius? non enim tribus aut quatuor verbis rem obscure significat, sed ita copiose, ita non ambigue declarat, ut de illius sententia dubitare, nisi qui nodum in scirpo velit quærere, nemo possit. Quid opus fuit, legem a Druso ferri de communicandis inter duos ordines judiciis, si, quod ait Plutarchus, ejusdem sententiæ legem C. Gracchus ante pertulerat? præsertim cum, eam fuisse abrogatam, nemo dicat. Accedit ad hæc Livii testimonium: cujus in epitome lib. LXX. scriptum est: *P. Rutilius, vir summæ innocentiæ, qui, legatus Q. Mucii proconsulis a publicanorum injuriis Asiam defenderat, invisus equestri ordini, penes quem judicia erant, repetundarum damnatus in exilium missus est.* Et ibidem: *Senatus, cum impotentiam equestris ordinis in judiciis exercendis ferre nollet, omni vi niti cœpit, ut ad se judicia transferrentur.* Et libro sequenti: *M. Livius Drusus tribunus plebis legem tulit, ut æqua parte judicia penes senatum & equestrem ordinem essent.* Age, sit falsus testis Vellejus, levis Asconius, Appianus mendax, vanus & futilis Livius: quid de Cicerone? an ipsum quoque præ Plutarcho nihil putabimus? nemo est, opinor, qui non illum gravem & certum veritatis auctorem ducat, præsertim in ratione judiciaria, in qua ita versabatur, ut excelleret. Quid igitur hic ait? ante bellum Italicum nunquam equites cum senatoribus judicasse. quo patet, Gracchi legem de solis equitibus fuisse. Verba ipsa recitabimus: ne nobis, quod ajunt, sine pignore credatur. in oratione pro C. Cornelio, cujus inter Pediani commentarios fragmenta quædam sunt, ita scriptum est: *Memoria teneo, cum primum senatores cum equitibus Romanis lege Plotia judicarent, hominem diis ac nobilitati perinvisum, Cn. Pompejum, caussam lege Varia de majestate dixisse. Cum primum* dicit: ex quo satis liquet, lege Gracchi, quæ multis ante annis lata erat, nullam in judiciis equitum & senatorum societatem fuisse. quod ipsum interpres eorum verborum Pedianus confirmat. adscribit enim hæc: *M. Plautius Silvanus tribunus pleb. Cn. Pompejo Strabone, L. Porcio Catone coss. secundo anno belli Italici, cum equester ordo in judiciis dominaretur, legem tulit adjuvantibus nobilibus: quæ lex vim eam habuit, quam Cicero significat. nam ex ea lege tribus singulæ e suo numero quinos denos creabant, qui eo anno judicarent. ex eo factum est, ut senatores quoque in eo numero essent, & quidam etiam ex ipsa plebe.* Et in ea pro Scauro: *Reus est factus a Q. Servilio Cæpione lege Servilia, cum judicia penes equestrem ordinem essent.* non obscure significat solos equites judicasse. quod & Pedianus demonstrat, qui subscribit hæc. *Scaurus tanta fuit constantia, & animi magnitudine, ut Cæpionem contra reum detulerit, &, breviore die inquisitionis accepta, effecerit, ut ille prior caussam diceret: Marcum quoque Drusum tribunum plebis cohortatus sit, ut judicia commutaret.* quid est, *judicia commutaret?* nempe id, quod jam ex Appiano recitavimus, ne solis equitibus judicandi potestatem relinqueret. Eodemque referenda sunt illa verba in Bruto: *Equestrem ordinem C. Servilius Glaucia beneficio legis devinxerat.* Sequor igitur libentius ego quidem auctorem in hac re Ciceronem, quam Plutarchum: primum, quod in rebus Romanis homini potius Romano, quam Græco, credendum est; deinde, quod ab ætate C. Gracchi propius abfuit, quam Plutarchus: postremo, quod, judiciorum peritissimus cum esset, veteres leges minus ei cognitas fuisse verisimile non est. Atque hæc de Plutarcho. nam locum in epitome Liviana, ex quo videtur idem Livio placuisse, mendosum libenter existimaverim: ut homini parcam, alioqui Romanarum rerum peritissimo. jam enim, ante legem Plotiam nunquam cum senatoribus equites judicasse, Cicerone teste, ut alia omittam argumenta, probatum est. & ipsum quoque Livium idem sensisse, indicare videntur illa, quæ jam recitavi, ex epitome, lib. LXX. Venio ad Pedianum: qui & ipse, non ut Plutarchus, in genere judicum, sed in legum ordine ac numero peccavit. is in commentario divinationis ita scripsit: *C. Gracchus legem tulerat, ut equites Romani judicarent. judicaverunt per annos* XL. *sine infamia. post victor Sylla legem tulerat, ut senatorius ordo judicaret: & judicavit per decem annos turpiter.* Hæc, si legum sententiam consideres, vera sunt. nam & equites lege Gracchi, ut jam diximus, & senatores lege Syllæ judicarunt. itaque eadem sunt a nobis supra recitata, ut probaremus illud contra Plutarchum de solis equitibus lege Gracchi judicantibus. sin ordinem ac numerum suum spectes, falsa Pedianus narrat. non enim post legem Gracchi secuta proxime est lex Syllæ, sed lex Cæpionis, & deinde Drusi, post Silvani, postremo Syllæ. Drusi autem lege, quæ fuit eadem cum Cæpionis lege, eo ipso, quo lata est, anno sublata, rursus lege Sempronia per annum soli equites judicarunt. Multos ab equitibus, lege Varia de majestate accusatos, Appianus asserit esse condemnatos. Anno post, successit Plotia: & Plotiam tum denique Syllæ lex consecuta. Quare culpam Pediani, non video, qui liceat excusare: qui equites dicat lege C. Gracchi per annos XL. hoc est, ad L. Syllæ dictaturam, judicasse: cum tantum usque ad eum annum

annum soli ea lege judicaverint, quo M. Plautius Silvanus tribunus pleb. (legem enim Liviam, quæ statim, ut diximus, sublata est, omitto) ad populum tulit, ut singulæ tribus quinos denos e suo numero crearent judiciorum caussa. eosque non uno ex ordine, sed ex omnibus, hoc est, senatorio, equestri, ipsa plebe. Quod si generatim dixisset, nulla Gracchanæ legis mentione facta, equites per annos XL. judicasse: vere dixisset. licet enim intelligere id quod res est, equites modo solos lege Gracchi, modo cum senatu, atque etiam cum plebeiis hominibus lege Plotia, judicasse. ad quam sententiam referendum est illud Ciceronis in II. in Verrem actione: *Cognoscet ex me populus R. quid sit, quamobrem, cum equester ordo judicaret, annos prope L. continuos, nulla, judice equite Romano judicante, ne tenuissima quidem suspicio acceptæ pecuniæ ob rem judicandam constituta sit*. Quo loco fortasse adductus est Pedianus, ut solos equites Gracchi lege usque ad Syllam dictatorem judicasse crederet. qui cum explanat illud, *annos prope L. continuos*, ait: *Tanto enim fere tempore equester ordo lege Sempronia judicavit*: cum Cicero, ut opinio mea fert, equites quidem judicasse dicat usque ad Syllam dictatorem, tamen de solis equitibus, ut Gracchi lex jusserat, sed & de solis equitibus primum, & mox de equitibus una cum senatoribus, aliisque etiam ex ipsa plebe, judicantibus significet: quod lege Plotia cautum erat. Pedianum autem satis aperte de uno ordine equestri, per annos XL. judicante locutum esse, tum ea, quæ proxime recitavi, verba demonstrant, tum etiam illa, quæ in ejusdem commentarii scripsit argumento: quæ sunt hæc: *Agitur caussa senatoriis judiciis in invidia apud populum constitutis, flagitante plebe judicia equestris ordinis, quæ fere ante annos* X. *Sylla sustulerat*. Vocat judicia equestris ordinis ea, quæ Sylla sustulit: cum non unius equestris ordinis, sed omnium ordinum judicia fuerint: siquidem ut omnibus ordinibus judicandi potestas daretur, lex Plotia sanxerat. quod si quis dixerit, fieri posse, ut Plotia lege ante Syllam dictatorem abrogata, rursus Gracchi lex restituta sit, ideoque Syllam, lege Gracchi postea sublata, equestris ordinis judicia sustulisse: hic tamen nihil dicet. nam, cum Pedianus illa, quæ ipsa recitavimus, litteris mandavit: Gracchus legem tulerat, ut equites Romani judicarent: judicaverunt per annos XL. de Gracchi tantum lege videtur accepisse, oblitus videlicet Plotiæ legis, de qua scripsit postea idem in commentario orationis pro C. Cornelio. Et, quamquam apud scriptores antiquos in more sit positum, ut integros numeros malint, decem, centum, mille, quam cum exigui numeri additione pronunciare: quod a Cicerone factum in oratione adversus L. Pisonem, & in ea, quam habuit contra Catilinam in senatu, Pedianus animadvertit: in eo tamen nimis magnum Cicero numeri fecit incrementum, quod equestrem ordinem annos prope L. continuos judicasse dixit: cum anni tantum XLI. fuerint, id est, a primo Gracchi tribunatu, ut ex epitome Livii, Plutarchoque intelligitur, ad annum primum dictaturæ L. Syllæ. Sed oratoriæ licentiæ datur, ut res in narrando plus interdum, quam concedit veritas, efferatur. Quamquam historici quoque, qui quidem arctioribus tradendæ veritatis legibus adstringi videntur, id sibi juris arrogarunt, ut a veritate discederent. nam Livius, *Urbs*, inquit, *a Romulo viribus datis, tantum valuit, ut in* XL. *deinde annos tutam pacem haberet*. Cum Numæ regnum intelligat, quod per annos 43. perpetua pace duravit. Tertius restat de tribus, quos proposui, locus in Cicerone considerandus. nam cum in ea pro C. Cornelio dixerit, *Lege Plotia primum senatores cum equitibus Romanis judicasse*: falsum hoc esse, possit aliquis objice-

A re, cum biennio ante M. Livius Drusus, quod Appiani verbis jam ostendimus, legem tulerit, ut cum equitibus senatores pari numero judicia tractarent. Respondemus: utrumque verum esse, & lege Plotia primum senatores cum equitibus judicasse, & Drusum tamen ante rogationem tulisse, ut cum equitibus senatores judicarent. nam, etsi lege Drusi ita sancitum est, tamen, quod ea lex jussit, propterea non est observatum, quod eo ipso anno L. Marcius Philippus consul, inimicus Drusi, obtinuit a senatu, ut leges ejus omnes uno S. C. tollerentur: itaque decretum est, contra auspicia esse latas,
B neque iis populum teneri. Hoc tum a Pediano in commentario Cornelianæ, tum a Cicerene in lib. de legibus II. & in oratione pro domo sua proditum est. ut omittam, quod in Appiani notavimus historia, equites, Druso interfecto, lege Gracchi judicasse de iis, quorum dolo malo bellum Italicum esse commotum diceretur, idque ex ea lege, qua de majestate Q. Varius tribunus pl. eo anno rogavit. quo in nomine mendosi sunt ii, qui typis impressi veneunt, Appiani libri. nam, pro Q. Varius habent Q. Valerius: cum legem illam de majestate non a Valerio, sed a Vario latam esse, Valerius, Cicero pro C. Cornelio & in Bruto, & Pedianus de-
C clarent. Venio nunc ad leges ipsas, quas X. nominavi, Semproniam, Serviliam, Liviam, Plotiam, Corneliam, Vatiniam, Aureliam, Pompejam, Juliam, Antoniam: quibus de singulis ita nobis est agendum, ut, temporum ratione servata, prima quæque cognoscatur. Ante C. Sempronii Gracchi alterum tribunatum soli senatores, vetustissima, ut opinor, Romuli lege, judicabant. Gracchus tribunus pl. Cn. Domitio Ahenobarbo, C. Fannio Nepote coss. legem tulit, quam paucis ante annis frater ejus Tiberius ferre conatus erat, ut equites soli judicarent. sic enim contra quam Plutarchus prodidit, ex Vellejo, Pediano, Appiano, Cicerone
D ipso probavi. Postea Q. Servilius Cæpio consul, qui deinde cum Cimbris male pugnavit, legem rogavit, ut cum equitibus, qui antea lege C. Gracchi soli judicaverant, etiam senatores judicarent. hanc tamen legem, quam & Cassiodorus, & Obsequens, & Cicero ipse latam significant, non multo post esse abrogatam, ex eo suspicor, quod paucis post annis C. Norbanum, quo accusante Cæpio damnatus erat, non ab equitibus, & senatoribus, sed a solis equitibus esse judicatum, Cicero lib. II. de Oratore declarat his verbis: *Animos equitum Romanorum, apud quos tum judices caussa agebatur*
E *ad Q. Cæpionis odium, a quo erant ipsi propter judicia abalienati, renovabam atque revocabam*. Facit etiam mecum illa ratio, quod cum M. Livius Drusus tribunus pl. Philippo & Cæsare coss. legem tulerit, ut cum equitibus senatores judicarent, quod proxime, cum de lege Livia agetur, probabimus: manifestum est, solos equites ante Drusi tribunatum judicasse. Præterea scriptum est apud Ciceronem in oratione pro C. Cornelio, non ante legem Plotiam senatores cum equitibus judicasse, at, legem Plotiam Pompejo Strabone & Porcio Catone coss. latam esse, Pedianus docet. Ex quo, legis Serviliæ de communicandis inter equites & se-
F natores judiciis nullam habitam esse rationem, ac ne Liviæ quidem, quæ id sanxit, facile est cognoscere. Post Cæpionem M. Livius Drusus tribunus pl. ejus Drusi filius, quo tribuno pl. ad labefactandam C. Gracchi potentiam senatus usus erat, L. Marcio Philippo, Sex. Julio Cæsare coss. tulit ad populum, ut cum equitibus senatores caussas cognoscerent. cujus legibus, Philippo consule referente, S. C. sublatis, in eundem, quo ante fuerat, statum re judiciaria restituta, soli equites ex lege Gracchi judicarunt. Anno deinde interjecto, M. Plautius Silvanus tribunus pl. Cn. Pompeio

Strabone, L. Porcio Catone coſſ. qui fuit annus belli Italici ſecundus, tulit ad populum, ut ſingulæ tribus e ſuo numero quinos denos per annum judicaturos ſuffragio crearent. quo factum eſt, ut ſenatores quoque in eo numero eſſent, & quidam etiam ex ipſa plebe. Poſt victor Sylla, dictator primus Reip. conſtituendæ cauſſa factus, infenſus equitibus, quia pro Cinnanis partibus ſteterant, legem tulit, ut nemo, niſi qui ſenator eſſet, judicare poſſet. quod ante C. Gracchi tribunatum fieri ſolitum eſſe diximus. Sylla mortuo, quod ille ſanxerat, per annos XI. ſervatum eſt, hoc eſt, uſque ad Cn. Pompeii & M. Craſſi primum conſulatum: quo anno L. Aurelius Cotta prætor populum rogavit, populuſque juſſit, ut tres ordines, ſenatores, equites, tribuni ærarii, ſimul judicarent. tametſi & centurionibus aditum ad res judicandas patuiſſe hac ipſa lege, & ſequentibus Pompeja, Julia, cenſu tamen præfinito, Cicero docet in Philippica I. Videtur autem Paterculus, niſi mendoſi libri ſunt, neque tempus, neque ſententiam hujus legis perfecte noviſſe; qui libr. II. legem a Cotta latam per id tempus ſignificet, quo Gabinius tribunus pl. rogationem tulit, ut Pompejus contra piratas ſummo cum imperio mitteretur. quod falſum eſſe conſtat. nam Gabinius biennio poſt Pompeii conſulatum, hoc eſt, Piſone & Glabrione coſſ. eam legem tulit: quod Vellejus ipſe aſſerit. & inde facile licet exiſtimare, quod, abſoluto bello piratico, ſtatim C. Manilius tribunus pl. tulit ad populum, ut Mithridaticum bellum Pompejo mandaretur. id Plutarchus, Vellejuſque confirmant. Maniliam autem legem Cicerone prætore latam eſſe, luculenta ipſius oratio declarat. Porro autem Ciceronem geſſiſſe præturam Lepido & Tullo coſſ. qui fuit annus poſt Piſonis & Glabrionis conſulatum proximus, quis eſt qui ignoret? teſtem habemus Pedianum: ut alia, quæ facile probarent, argumenta prætermittam. Tulit igitur de piratico bello rogationem Gabinius tribunus pl. Piſone & Glabrione coſſ. at Cotta, cum rogationem de judiciis eo anno tulerit quo deſignatus ædilis Cicero Verrem accuſavit, defendente Hortenſio conſule deſignato, plane videtur eo anno tuliſſe, quo Pompejus & Craſſus conſules fuerunt. quod aperte Dio narrat. Hoc de tempore. Quod ad ſententias attinet, non video, qui probari poſſit id, quod idem narrat, Cottam judicandi munus inter equites & ſenatum æqualiter eſſe partitum: cum, eam poteſtatem non his modo, ſed præterea tribunis ærariis eſſe permiſſam, ſexcenti loci demonſtrent; niſi forte illud (libenter enim tutor antiquitatem) æqualiter inter utrumque ordinem partitus eſt, ideo Paterculus dixit, ut ſignificaret non ſolum ſenatum, ut antea, ſed equeſtrem pariter ordinem poſt legem Aureliam judicaſſe: ut ærarios tribunos, qui deinde cum ſenatoribus & equitibus judicarunt, etſi non nominavit, non tamen excluiſſe videatur. Quo modo & Ciceronem libr. V. in Verrem locutum videmus: ait enim, cum Cottæ legem ſignificet: *Judicium de judicibus, & de te futurum eſt. at quo tempore futurum eſt? nempe eo, cum populus R. aliud genus hominum, atque alium ordinem ad res judicandas requirit, nempe ea lege de judiciis judicibuſque novis promulgata. Alium ordinem* dixit, cum tamen non uno de ordine, ſed de tribus, hoc eſt, de ſenatoribus, equitibus, tribunis ærariis, in ea lege mentio fieret. Eodemque modo, cum cenſorum judicia reſciſſa eſſe judicum ſententiis ſignificare vellet, in oratione pro Cluentio locutus eſt: *Senatores*, inquit, *equiteſque Romani in compluribus jam reis, quos contra leges pecunias accepiſſe ſubſcriptum eſt, ſuæ potius religioni, quam cenſorum opinioni, paruerunt.* & in Divinatione: *Judiciorum levitate ordo quoque alius ad res judicandas poſtulatur.* Pedianus etiam in commentario II. orationis in Verrem, *Cottam*, inquit, *prætorem ſignificat, qui legem promulgarat de reſtituendis equeſtri ordini judiciis.* cum tamen Cottæ lex non de uno equeſtri ordine, ſed de ſenatoribus, equitibus tribunis ærariis mentionem faceret. Plutarchus etiam in Pompejo judicia ad equites ait eſſe translata: cum tamen lege Cottæ inter tres ordines eſſent communicata. Quod ſi quis putat in uno ordine, quem Cicero ad res judicandas requiri ſignificat, ſimul cum equitibus tribunos ærarios intelligi, opinione fallitur. nam ſenatores, equites, tribuni ærarii, non ordines duo, ſed tres a ſcriptoribus antiquis appellantur. Itaque Pedianus in commentario Cornelianæ, *L. Cotta*, inquit, *lege ſua judicia inter tres ordines communicavit, ſenatum, equites, tribunos ærarios.* & in commentariis duarum orationum, in Piſonem in extremo, pro Milone in principio. Suetonius etiam in Julio: *Judicia*, inquit, *ad duo genera judicum redegit, equeſtris ordinis, ac ſenatorii: tribunos ærarios, quod erat tertium, ſuſtulit.* Lex Vatinia ſecuta eſt. tulit enim eam, ut opinor, P. Vatinius tribunus pleb. Cæſare & Bibulo coſſ. qua ſententia, nondum invenire potui: ſed fuiſſe popularem, cum Vatinius ſenatum, ſenatus illum vehementer oderit, facile poſſum exiſtimare. Lex Pompeja, quam tulit Cn. Pompejus Magnus in conſulatu II. nihil ab Aurelia de tribus ordinibus judicantibus exempla multa ſunt, maximeque apud Pedianum: & Suetonii teſtimonio, tria fuiſſe judicum genera uſque ad Cæſaris dictaturam, cognoſcitur) ſed ex ampliſſimo cenſu, e centuriis legi judices jubebat. ampliſſimus autem cenſus a Livio traditur; centum millia æris, eoque amplius. Julia, quam C. Julius Cæſar, rerum potitus, tulit, judicia ad duo genera judicum redegit, equeſtrem ordinem, ac ſenatorium: tribunos ærarios, quod erat tertium, ſuſtulit. Antonia conſularis, M. Antonii, qui III. vir fuit, hoc ſanxit, ut ad duas judicum decurias accederet tertia e centurionibus, hoc eſt, ut cum equitibus, & ſenatoribus (tertium enim ordinem, tribunos ærarios, lex Julia ſuſtulerat) centuriones judicarent. quod genus hominum ne ſuperiores quidem leges, Julia, Pompeja, Aurelia, judicandi jure excluſerant, ſed præſcripſerant, quo cenſu eos eſſe oporteret: ſicuti ſenatoribus quoque, & equitibus, & tribunis ærariis cenſus erat præfinitus, *cum in judice*, ut ait Cicero, *& fortuna ſpectari deberet, & dignitas*. Antonii vero lex plus æquo impudens & diſſoluta, quæ rationem cenſus nullam habuit, omnibus, quicunque ordinem duxiſſent, judicandi poteſtatem permiſit. atque hanc Antonii legem de tribus decuriis non eſſe abrogatam, cum ille hoſtis judicatus eſt, cum ejuſdem legem de ſacerdotiis abrogatam eſſe ſupra docuerim, e Suetonio cognoſcitur: qui in Auguſto ita ſcripſit: *Ad tres judicum decurias quartam addit, ex inferiore cenſu, quæ ducenariorum vocaretur, judicarentque de levioribus ſummis.* Hæc de ordine judiciorum, pro variis legibus, vario. De numero autem judicum, lex Gracchi CCC. fecit, omnes ex equeſtri ordine, totidem, quot antea ſenatores judices fuerant: lex Druſi CCC. equites, & CCC. ſenatores, numero pari: lex Plautii DXXV. juſſit enim e ſingulis tribubus, quæ XXXV. erant, quinos denos creari: lex Syllæ CCC. omnes ex ordine ſenatorio: lex Aurelia cum lege Syllæ de numero, ut opinor, congruebat, cum in ordinibus diſcreparet: nam libro epiſtol. famil. VIII. de judicibus CCC. cum lex Aurelia ſervaretur, mentionem fieri video. quod ſi ita eſt, auctum deinde numerum eſſe lege Pompeja, vere dicemus: quia Vellejus avum ſuum inter CCCLX. a Pompejo lectum eſſe narrat. eundemque numerum Plutarchus in Pompejo tradidit: lex Cæ-

saris, cum de tribus ordinibus unum, ut diximus, sustulerit, numerum simul judicum, ut ego sentio, commutavit: lex Antonii cum tertiam decuriam addiderit, satis liquet, eorum, qui res judicarent, ampliorem numerum esse factum. quem rursus & ab Augusto esse auctum, cum ad tres decurias quartam addidit, facile cognoscitur. De judicum ætate legem fuisse, ne quis intra XXX. ætatis annum judicaret, facile possum ex eo conjicere, quod Suetonius de Augusto scripsit: *Judices a 25. ætatis anno elegit, id est, quinquennio maturius, quam solebant*. Callistratus quidem jurisconsultus, *lege Julia cautum esse*, ait, *ne minor annis xx. judicare cogeretur, neve minorem annis xx. compromissarium judicem liceret eligere*. Sanxit idem eadem lege, ut opinor, de numero patronorum. nam, ante L. Domitii Ahenobarbi, & Ap. Claudii Pulchri consulatum, raro quisquam pluribus, quam quattuor, patronis usus erat. his consulibus M. Scaurum, de repetundis accusatum, sex defenderunt. Sed, ut existimem hac de re biennio post a Magno Pompejo III. consule lege cautum esse, Taciti verbis adducor. is enim in dialogo de oratoribus ita scriptum reliquit. Transeo ad formam, & consuetudinem veterum judiciorum. Nemo intra paucissimas horas perorare cogebatur: & liberæ comperendinationes erant: & modum dicendi sibi quisque sumebat: & numerus neque dierum, neque patronorum cavebatur. Primus tertio consulatu Cn. Pompejus adstrinxit, imposuitque frenos eloquentiæ. Hac de lege ita loquitur Cicero in Bruto: *Lege Pompeja ternis horis ad dicendum datis ad caussas simillimas inter se, vel potius easdem novi veniebamus quotidie*. & ad Atticum lib. 13. epistol. 47. Verum post bella civilia, neglecta lege Pompeja, perventum ad duodecim patronos: eique licentiæ modum, a Cæsare dictatore impositum, Pedianus significat. Et fortasse idem Cæsar, qua in lege de numero patronorum, in eadem tulit de ratione judicandi, quod Gellius lib. XIV. cap. II. significare videtur his verbis: *Atque in rerum quidem diffissionibus, comperendinationibusque, & aliis quibusdam legitimis in rebus ex ipsa lege Julia, & ex Sabini Massurii, & ex quorundam aliorum juris peritorum commentariis commoniti sumus*. Legimus etiam apud Priscianum de Lege Lætoria, quæ minorem annis XXV. stipulari vetabat. De diebus quoque judicariis leges nominat Ulpianus his verbis: *Si feriatis diebus fuerit judicatum, lege cautum est, ne iis diebus judicatum sit, nisi ex voluntate partium. &, quod aliter adversus ea judicatum erit, ne quis judicatum facere, neve solvere debeat: neve quis, ad quem ea de re aditum erit, judicatum facere cogat*. In hoc ordine locum habent leges illæ, quæ de personis, quæ facinus iudicare possent; & de caussis, in quibus possent; tum de indiciis, deque testimonii dicendi potestate agebant. Ac primum illud ponatur, legibus eos jure judicandi exclusos non esse, quos ignominia censores notassent. id Cicero significat his verbis in oratione pro Cluentio: *In omnibus legibus, quibus exceptum est, de quibus caussis aut magistratum capere non liceat, aut judicem legi, aut alterum accusare, hæc ignominiæ caussa prætermissa est. timoris enim caussam, non vitæ pœnam, in illa potestate esse voluerunt*. & ibidem, paulo post: *Prætores urbis, qui jurati debent optimum quemque in selectos judices referre, nunquam sibi ad eam rem censoriam ignominiam impedimento esse duxerunt*. postea tamen inductum lege Julia, ut senatu moti judicare non possent. quod & lege Cassia, de senatoribus, traditum est: & Paulus quoque, ut proxime docebimus, significat. Turpi autem judicio damnatis ademptam esse judicandi potestatem. idem Ciceto in eadem oratione, paulo ante, demonstrat. *Quod si*, inquit, *illud judicium putaretur, ut cæteri, turpi judicio damnati, in perpetuum omni honore ac dignitate privantur: sic hominibus ignominia notatis neque ad honorem aditus, neque in curiam reditus esset*. Turpia vero, famosaque judicia erant, calumniæ, prævaricationis, furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo malo, pro socio, mandati, tutela, depositi, & alia quædam a Juliano memorata digest. libr. III. Famosos etiam non minus, quam qui turpi judicio damnati essent, Pegasus & Nerva filius eos judicarunt, qui quæstus caussa in certamina descendissent, aut propter præmium in scenam prodiissent. athletas autem, quia ludicram artem non facere, sed virtutis gratia exerceri viderentur, infamia liberabant Sabinus & Cassius, quæ scripta sunt apud Ulpianum. Præterea, cum ab eodem ita traditum sit lib. digesf. XLVIII. qui judicio publico damnatus esset, eum jus accusandi non habuisse, nisi si libertorum, vel patronorum suorum mortem, vel rem suam exequeretur: consentaneum videri potest, eundem judicandi munere exclusum. quamquam ad rationem accedit auctoritas. nam ita scriptum postea comperi apud Marcellum jurisconsultum. Omnes etiam de vi privata damnatos judicare lex Julia prohibebat. qua de re Martianus his verbis libr. digest. XLVII. *De vi privata damnati pars tertia bonorum ex lege Julia publicatur: & cautum est, ne senator sit, aut decurio, aut ullum honorem capiat: neve in eum ordinem sedeat, neve judex sit*. Huc illa pertinent, quæ tradita sunt a Paulo jurisconsulto: quæ servata credimus etiam Reip. temporibus, nihil enim a jure, aut æquo dissentiunt: *Quidam*, inquit, *lege impediuntur, ne judices sint, quidam moribus, quidam natura: natura, ut surdus, mutus, & perpetuo furiosus, & impubes, quia judicio carent: moribus, ut feminæ, & servi: non, quia non habeant judicium, sed, quia receptum est, ne civilibus fungantur officiis: lege, qui senatu motus est. qui vero possunt esse judices, nihil interest, in potestate, an sui juris sint*. Cum judicibus recte conjungentur testes. itaque subscribemus ea, quæ de testimonio dicendo idem Paulus tradidit: *Lege*, inquit, *Julia, & Papia judiciorum publicorum cavetur, ne cui invito denuncietur, ut testimonium dicat adversus socerum, generum, vitricum, privignum*. Cassius etiam Longinus, cujus libri non exstant, sed eorum testimonio Martianus Digestorum libr. I. utitur: putabat, ei, qui ob turpitudinem senatu motus, nec restitutus esset, non licere neque judicare, neque testimonium dicere: quia lex Julia repetundarum ea fieri vetaret. Calumniæ damnatis publico judicio quid licuerit, satis aperte Papiniani præclara sane verba demonstrant: *Quæsitum*, inquit, *scio, an in publicis judiciis calumniæ damnati testimonium judicio publico perhibere possint. sed neque lege Rhemmia prohibentur: & leges Juliæ de vi, repetundarum, peculatus, eos homines testimonium dicere non vetuerunt. verumtamen, quod legibus omissum est, non omittentur religione judicantium: ad quorum officium pertinet, ejus quoque testimonii fidem, quod integræ frontis homo dixerit, perpendere*. Mulieribus quoque videtur licuisse testimonium dicere: siquidem, non licuisse de adulterio damnatis, Paulus indicat his verbis: *Ex eo, quod prohibet lex Julia de adulteriis testimonium dicere condemnatam mulierem, colligitur, etiam mulieres testimonium in judicio dicendi jus habere*. Dictum est de judicio, & testimonio: superest de indicio. Senatori indicium profiteri salvis legibus non licebat. aliis impunitas dabatur, nec tamen omnibus in caussis, sed proditionis, majestatis, & si quid hujusmodi; in caussa repetundarum non dabatur: itaque nec per indices agi solitam esse legimus. Non est ab hoc genere aliena Memmia lex, quæ eorum, qui Reipub. caussa abessent, recipi nocipi nomina vetabat. itaque C. Cæsar, cum in

provinciam, peracto consulatu, abiisset, & ab L. Antistio tribuno pl. Romæ postulatus esset, appellato collegio obtinuit, cum Reipub. caussa abesset, reus ne fieret. At M. Antonius, ille disertus, L. Crassi æmulus in oratoria laude, cum, quæstor in Asiam proficiscens, Brundusium jam pervenisset litteris certior factus, incesti se postulatum apud L. Cassium prætorem, cujus tribunal, propter nimiam severitatem scopulus reorum putabatur, legis Memmiæ beneficio uti noluit, ne sibi male conscius videri posset; statimque in urbem recurrit, &, caussa dicta, absolutus est. Hanc legem Cicero significat in oratione in Vatinium, cum ait: *Cum tibi, utrum velles, liceret*. poterat enim Vatinius, cum legatus esset, judicium recusare. quod ei per legem Memmiam licebat. Cur igitur, inquit Cicero, *Cum legationis perfugio, quod lex Memmia tibi dabat, uti nolueris, postea, ne caussam diceres, tribunos pl. appellasti?* Non abhorret a legibus de judiciis lex illa, quam C. Calpurnio Pisone, M. Acilio Glabrione coss. C. Cornelius tribunus pl. tulit, ut prætores ex edictis suis perpetuis jus dicerent: cum antea, ut quisque avaritia, aut ambitione ducebatur, varie jus dicere consuessent.

CAP. XVI.

Leges de conjugiis, de jure & libertate civium Romanorum, de sepulchris, de fœnore: itemque leges Cæcilia Didia, & Junia Licinia.

IN jure civili & conjugia sunt: de quibus illa fuit admodum præclara lex, quam a Romulo latam, Dionysius & Plutarchus prodidere, ut uxor viro pecuniarum sacrorumque omnium esset socia, eique, si sine liberis & intestato diem obiisset, heres esset: sin filios reliquisset, æqualem cum iis partem possideret. quæ si adversus virum delinqueret, vir ipse cum propinquis eam judicaret, &, si aut impudica fuisset, aut venefica in liberos suos, aut etiam vinum ebibisset, (hæc enim omnia Romulus capitalia esse voluit) morte multaret; vel, si mallet, divortium faceret. Quod si quis alia de caussa uxorem repudiasset, ejus bonorum partem ad uxorem pertinere, partem vero Cereri sacram esse jussit. Diis porro inferis, qui divortium faceret, sacrificare voluit. Ita probas mulieres, & viro obsequentes, tum præmio, tum pœna Romulus effecit. quæ lex ad matrimonii concordiam ita valuit, ut per annos DXX. nullum divortium in urbe fuerit. mores enim ad ingenium viri unaquæque fingebat, eique in omnibus rebus morigera fidem officiumque præstabat. Legem etiam video fuisse, illam quidem paulo severiorem, sed ad augendam viribus civitatem utilissimam, ut, quicunque per ætatem uxorem ducere possent, omnes ducerent, quæque genita essent, educarent. qua lege factum est, ut maximis cladibus civitas affecta, præsertim secundo Punico bello, nunquam tamen penitus exhauriretur, sed novos semper exercitus summitteret: adeo ut extremis illius cædis temporibus, post multas legiones occidione cæsas, tamen supra C. millia civium Romanorum in armis fuerit. Post Romulum Numa quiddam lege sanxit, quod ad tuendam matrimonii fidem ac religionem pertinuit. scripsit enim hæc in pellices, quæ legimus in Gellio: *Pellex ædem Junonis non tangito: si tangit, Junoni, crinibus demissis, agnum fœminam cædito*. quæ Festus eadem narrat. Fuit illa quoque lex de conjugiis, quam in XII. tab. X. viri scripserunt, ne patriciis liceret cum plebe connubio jungi. quod eo consilio factum est, ne per nuptias reconciliati iisdem animis contra X. viros, qui deponere imperium nolebant, pro libertate consentirent. Quam legem paucis post annis C. Canulejus tribunus plebis abrogavit, lege lata, ut patrum & plebis promiscua connubia essent. in quo tamen patres acerrime repugnarunt, qui contaminari sanguinem suum, confundi jura gentium ea rogatione arbitrabantur: cum tamen ad civium concordiam, in qua civitatum sita salus est, nihil esset utilius. Legem etiam video fuisse, ne libertinam ingenuus, aut libertinus ingenuam uxorem duceret. nam S. C. Hispalæ Feceniæ libertinæ concessum esse scribit Livius, ut ei nubere ingenuo liceret. quo patet, libertinis cum reliquis civibus connubia non fuisse. Postea lege Papia cautum est, ut omnibus ingenuis, præter senatores eorumque liberos, uxores libertinas habere liceret. hoc Julianus. addit Ulpianus: *Si senator libertinam habuerit uxorem, quamvis interim uxor non sit, attamen in ea conditione est, ut, si amiserit dignitatem, uxor esse incipiat*. Et Paulus ex lege Julia subjungit: *Qui senator est, quive filius, nepos proneposve, ex filio, vel ex filia natus, cujus eorum est, eritve, ne quis eorum sponsam, uxoremve sciens dolo malo habeto libertinam, aut eam, quæ ipsa, cujusve pater, materve artem ludicram facit, fecitve: neve senatoris filia, neptisve ex filio, proneptisve ex nepote, filio nato, nata libertino, eive, qui ipse, cujusve pater, materve artem ludicram facit, fecitve, sponsa, nuptave sciens dolo malo esto*. Propterea reprehendit in orationibus Cicero M. Antonium, qui libertini hominis, Q. Fadii, filiam uxorem duxerat. Mulierum dotibus cautum eadem lege animadvertimus, ne quis, invita uxore, dotale prædium, quodve dotis caussa datum esset, alienare posset. Non omittendum, quod apud Callistratum legimus, quinque legibus mulieris damnatæ dotem publicatam, majestatis, vis publicæ, parricidii, veneficii, de sicariis. Nunc agamus de jure ac libertate civium Romanorum quo de genere primum sacratis legibus, deinde XII. tabulis sancitum est, ut neque privatis hominibus leges irrogarentur, hoc est, ne privilegia ferri possent: nec de capite civis, nisi comitiis centuriatis, rogari liceret. quod utrumque memorat Cicero in oratione pro Sextio, & in suas leges libro de legibus tertio transtulit. Legem autem de provocatione ad populum ter a Valeria familia latam animadverti: primum, ab eo, cui Poplicolæ cognomen fuit. is enim consul, ejecto Tarquinio rege, & hanc legem de provocatione, & duas præterea, ut in ejus vita scripsit Plutarchus, pertulit: quarum prior capitis pœnam irrogabat, si quis ad magistratum injussu populi adisset: altera civium vectigalia sustulit. Sed, quæ de provocatione fuit, eam tertio M. Valerius consul diligentius sanxit, adscripta pœna, si quis eum, qui provocasset, virgis cecidisset, securive necasset. at qua pœna? hac una, improbe fecisse. ea tum probitas erat, ut ignominia non minus, quam acerbissima pœna, timeretur. Postea lex Porcia, quam fortasse M. Porcius Cato, ille major, in consulatu tulit: etsi neque Plutarchus in ejus vita, neque alius, quod meminerim, ullam mentionem facit, ne civem Romanum verberari, necarive liceret, si quis fecisset, gravi pœna puniretur. Qua in sententia leges alias deinde scriptas esse significat in conjuratione Catilinæ Sallustius, cum ait: *An, quia lex Porcia vetat? at aliæ leges item condemnatis civibus non animam eripi, sed exilium permitti jubent*. Præterea videmus in criminum suspicione servos ad eliciendam veritatem torqueri solitos esse, cum de liberis hominibus quæstionem haberi leges vetarent. quo fiebat, ut ii, qui aliquid supplicio dignum commiserant, servos, si quos ejus culpæ participes, aut conscios habebant, statim liberarent: liberos enim torqueri sciebant non licere. quod cum magistratus, qui judicio præerat, antequam fieret, suspicaretur, mittebat ad eum cujus nomen delatum erat, *ut servos in sua potestate haberet*, (sic enim loquebantur) hoc est, ne manumitteret, cum eos ad con-

fitendam veritatem tormentis cogi vellet. hinc illud apud Livium lib. VIII. *Eo anno Minucia Vestalis suspecta primo propter mundiorem justo cultum, insimulata deinde apud pontifices ab indice servo, cum decreto ejus jussa esset sacris abstinere, familiamque in potestate habere: facto judicio viva sub terram ad portam Collinam dextra via strata defossa Scelerato campo*. Cum enim pontifices fore suspicarentur, ut Minucia, indicium metuens, servos, a quibus prodi posset, manumitteret, habere eam in potestate familiam jusserunt. Ideo & Pedianus in commentario orationis pro Milone, *Pompejum ad Milonem* significat *misisse, ut quosdam servos, quorum opera in occidendo Clodio usus esse dicebatur, in potestate sua haberet: Milonem respondisse, ex iis servis, quos nominasset, partim neminem se unquam habuisse, partim manumisisse*. Postea quoque lege Julia Augusti cautum est, ne servi uxoris adulterii accusatæ intra LX. dies manumitterentur: idemque in servis patris ejus constitutum. de quo apud jurisconsultos. Tulit & C. Gracchus tribunus pl. ne de capite civium Romanorum injussu populi judicaretur. qua de lege Plutarchus in ejus vita mentionem facit. Fuerunt hoc de genere & illa, quæ ad moderanda judicia legibus esse constituta, significat Cicero in oratione pro domo sua: ne pœna capitis cum pecunia conjungeretur: ne nisi prodicta die quis accusaretur: ut ante magistratus accusaret intermissa die, quam multam irrogaret, aut judicaret: ut esset accusatio trium nundinum, prodicta die, qua judicium esset futurum. repentina enim accusatione reos opprimi, iniquum & grave visum est. Fuere & de sepulchris leges, quorum jura Romanis sacra fuisse, antiquæ legis illa verba declarant: *Ubi corpus demortui hominis condas, sacer esto*. & illa: *Ne quis vestibulum aditumve ad sepulchrum usu capito, neu bustum violato*. & illa: *Deorum manium jura sancta sunto*. Quod & postea servatum esse, irrogata violantibus pœna, posteriores jurisconsulti Ulpianus, Paulus, Cajus tradiderunt. In urbe sepeliri, neque ante XII. tab. usitatum fuit, & deinde lex ipsa XII. tab. vetuit his verbis: *In urbe ne sepelito, neve urito*: Illa omnium antiquissima, quam a Numa rege latam memorat Festus, *ne justa fierent ei, qui fulmine occisus esset, neve is supra genua tolleretur*. quasi ictus fulmine infensus Jovi videretur esse. id autem opinor, tum ut ab oculis viventium cadavera, quæ mœstitiam animis inferunt, quamprimum amoverentur: tum ne cœlum illud urbanum, unde proxime spiritus duceretur, tetro putrescentium corporum nidore corruptum, pestem aliquam importaret. quod autem a docto & diligenti viro scriptum est, ante XII. tab. consuetudinem fuisse, ut intra urbem mortui sepelirentur, id refelli videtur a Cicerone, qui lib. II. de legibus, ita scriptum reliquit: *Credo fuisse aut eos, quibus hoc ante hanc legem virtutis caussa tributum est, ut Poplicolæ, ut Tuberto, quod eorum posteri jure tenuerunt: aut eos, si qui hoc, ut C. Fabricius, virtutis caussa soluti legibus, consecuti sunt*. plane significat etiam ante XII. tab. intra urbem sepeliri non licuisse: siquidem Poplicolæ, & Tuberto virtutis caussa tributum est. quod ipsum & Dionysius confirmat, & Plutarchus in Poplicola, his fere verbis, aut certe hac sententia: Decretum est, ut intra urbem juxta Veliam sepeliretur, utique ejus posteris idem jus esset: qui tamen ætate nostra eo jure non utuntur: sed, ubi quis de genere Valerio mortuus est, cadavere in eum locum, ubi Poplicola sepultus est, delato, extollitur accensa fax: deinde eadem demittitur. quo genere quandam vetusti juris imaginem ostendunt: ut perspicuum sit, eo se, si velint, uti posse. Servius quidem, ubi explanat illud Virgilii, Æn. lib. XI. *Finitimos tollunt in agros, urbique remittunt*, Duilio consule primum a senatu decretum esse ait, ne quis in urbe sepeliretur. Quod imperatores quoque Hadrianus & Antoninus Pius renovarunt: & fuisse hanc veterem consuetudinem, patet in L. *Mortuorum*, C. *de religiosis, & sumptibus funerum*. Vestalibus tamen, intra urbem sepeliri, nunquam non licuit. nullis enim legibus tenebantur. ideo etiam nocentes intra urbem in campo Scelerato sepulchrum habebant. idemque jus imperatoribus fuit. Hæc idem Servius. Datum etiam decreto senatus iis, qui triumphassent, ut, cum eorum corpora extra urbem cremata essent, in urbem ossa & cineres referrentur, humique mandarentur. hoc Pyrrhonem Liparæum scripsisse tradit Plutarchus in libro Romanarum rerum. Sumptum in mortuis & lamentationem 12. tab. sustulerunt. quo utroque in genere stulte nimis & pueriliter hodie peccatur. Cætera, quæ scripta sunt in 12. tab. quæ ad hoc genus pertinent, quia lib. 2. de legibus a Cicerone commemorantur, huc transferre non necesse duximus. illa, quæ ab aliis scripta observavimus, de sepulchrorum ratione adscribemus: ac primum hoc, in agris sepulchra fuisse: in agri venditione jura tamen sepulchrorum penes eum, qui venderet, remansisse, eumque sibi tantum in venditione excepisse, quantum adeundo sepulchro satis esset: quod qui non faceret, ei summo probro ac turpitudini fuisse. unde in oratione Ciceronis pro Roscio Amerino: *Cui de tanto patrimonio ne iter quidem ad sepulchrum patrium relictum est*. hac autem ipsa de re Pomponius jurisconsultus ita scripsit: *Dominis fundorum, in quibus sepulchra fecerint, etiam post venditos fundos adeundorum sepulchrorum jus est*. tum igitur in agris, tum juxta militares, vel publicas vias, vel cadavera, vel, si cremata essent, cineres condebantur. nam & sepeliendi cadaveris, & cremandi consuetudinem fuisse, indicat illud in XII. tab. *In urbe ne sepelito, neve urito*. & illud, quod in II. de legibus scripsit Cicero: *P. Cornelium Africanum sepultum esse, L. Cornelium Syllam primum e Corneliis cremari voluisse*. Sepeliri autem antiquius fuisse, quam cremari, Plinius lib. VII. cap. LIV. declarat his verbis: *Ipsum cremari, apud Romanos non fuit veteris instituti. terra condebantur. at, postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum. & tamen multæ familiæ priscos servavere ritus: sicut in Cornelia nemo ante Syllam dictatorem traditur crematus, idque voluisse veritum talionem, eruto C. Marii cadavere*. hæc Plinius: cui, quod ante XII. tab. in more fuerit, id vetus non videri, mirum est. Cremandi consuetudo usque ad Antoninorum imperatorum ætatem perduravit. rursus terra condi cœptum est. Illud ex Festo Pompejo scitu dignum, ante, quam cadaver ad pyram deferretur, digitum abscissum esse, ut, reliquo corpore perusto, ad eum justa fierent. Cadavere pyræ imposito, qui propinquitate mortuo devinctus arctissime fuerat, is aversus rogo facem accensam inferebat. Legimus & illud, majores natu, ad tubas: minores, ad tibias, ad sepulchrum esse delatos: qui vero claris majoribus orti essent, his eorum imagines in funere prælatas. addit Servius Honoratus, ante sepulchrum aram fieri solitam: quod & Cicero in epist. ad Att. significat. tametsi non aram modo, sed fanum filiæ mortuæ cogitabat. At fuisse definitum in sepulchrorum exstructionem sumptum, indicat idem, cum ad eundem scribit, lib. XIII. his verbis: *Nunquam mihi venit in mentem, quo plus insumptum in monumentum esset, quam nescio quid, quod lege conceditur, tantundem populo dandum esse*. Signum hominis sepulti non unum fuit: nam & lapis, & tegula, & cespes, & tumulus, & cippus sepulturæ locum indicabant. De fœnore leges multæ fuerunt ad avaritiam coercendam: unam Livius lib. VII. nominat, quam C. Marcio, Cn. Manlio coss. duo tribu-

ni pleb. M. Duilius, L. Menenius de unciario fenore tulerunt: id quod jam antea lege XII. tab. cautum esse, tradit Tacitus lib. V. nec multo post, ne quis semunciario fenore amplius exerceret, latum est: quod lib. VII. Livius prodidit. & aliquot post annis tulisse ad populum L. Genucium tribunum pleb. ne fenerari liceret, idem Livius a quibusdam proditum esse tradit. Sed, ut est hominum genus lucri appetens, cum via fraudis inita esset, ut in socios, qui non tenebantur iis legibus, nomina transcriberentur, M. Sempronius tribunus pl. L. Cornelio, Q. Minucio coss. legem tulit, ut cum sociis ac nomine Latino pecuniæ creditæ jus idem, quod cum civibus Romanis, esset. De creditis pecuniis, ob unius feneratoris libidinem & crudelitatem, qui nexum debitorem formosum adolescentem, de stupro recusantem, verberibus laceraverat, C. Petilius, L. Papirius Mugillanus lege sanxerunt, ne quis, nisi noxam meruisset, donec pœnam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur. pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium esse. idem a posterioribus sancitum. *Feneratores autem olim quadrupli, fures dupli condemnatos; ex quo patet pejorem apud veteres habitum feneratorem, quam furem*, apud Catonem in lib. de re rustic. scriptum est. Sylla dominante, L. Valerius Flaccus consul de quadrante, creditoribus solvendo, legem tulit: hoc est, ut terni nummi pro centenis in anno penderentur. quod factum Vellejus, ut injustum reprehendit in historia sua: quia, cum ipsum fenerari non honestum sit, idque etiam leges vetuerint, Flaccus de quadrante sua lege concedebat. Postea, sensim leges usu vincente, ad centesimas menstruas perventum est. quam inter usuras gravissimam fuisse, ex epist. ad Att. lib. I. cognoscitur. Unciarium autem fenus pro centenis erant singuli annui: quæ levissima fuit usura. Licinia consularis, a Licinio Lucullo, Asiæ proconsule, ad levandam ære alieno provinciam lata, primum sanxit, ne supra centesimam jure fenoris solveretur: deinde, ne majores essent usuræ, quam quibus veteri jure pecuniæ antea credebantur: postremo, in quo debitoribus consultum est maxime, ne creditoribus a debitore fenoris nomine plus omnino liceret accipere, quam quanta fructuum creditoris quarta pars esset. Sunt & illæ duæ de jure civili, Cæcilia Didia, Junia Licinia, utraque consularis. Cæciliam Didiam tulerunt Q. Cæcilius Metellus, T. Didius coss. anno ab U. C. DCLV. Juniam autem Liciniam D. Junius Silanus, L. Licinius Murena coss. anno ab U. C. DCXC. nam & Cicero eam consularem videtur agnoscere, cum ad Cæciliam Didiam adjungat: &, latam Ciceronis ætate, indicant illa verba in oratione V. in Antonium: *Ubi pœnæ recenti lege Junia & Licinia?* De Cæcilia Didia primum illud pono, quod video minus esse animadversum: ab his consulibus non unam legem, sed duas diversa sententia esse latas. id ego, cum Ciceronis loca contulissem diligenterque considerassem, facile potui conjicere. nam in oratione pro domo sua ita scripsit: *Quæ est quasi alia vis, quæ sententia Cæciliæ legis & Didiæ, nisi hæc, ne populo necesse sit in conjunctis rebus compluribus, aut id, quod nolit accipere, aut id, quod velit, repudiare?* Quibus verbis hanc Cæciliæ Didiæ sententiam fuisse constat, ne diversis de rebus lex ferretur. At in eadem oratione de alia Cæcilia Didia mentionem fieri, ex ea re, qua de Cicero loquitur, intelligo. loquitur autem de trinundino, quod in ferenda lege servabatur, & M. Drusi leges, quod in iis ferendis trinundini habita ratio non esset, sublatas a senatu significat. verba sunt hæc: *Hora fortasse sexta questus sum in judicio, cum C. Antonium collegam meum defenderem, quædam de Repub. quæ mihi visa sunt ad illius miseri caussam pertinere. hæc homines improbi ad quosdam viros for-*

A *tes longe aliter, atque a me dicta erant, detulerunt. Hora nona illo ipso die tu es adoptatus. si, quod in cæteris legibus trinundinum esse oportet, id in adoptione satis est trium esse horarum, nihil reprehendo: sin eadem observanda sunt, ut decrevit senatus M. Drusi legibus, quæ contra legem Cæciliam & Didiam latæ essent, populum non teneri: jam intelligis, omni genere juris, quod in sacris, quod in auspiciis, quod in legibus sit, te tribunum pleb. non fuisse?* Quid? illa quæ scripta sunt in oratione V. in Antonium, nonne satis aperte declarant, legem Liciniam de tempore sanxisse, quod in ferenda lege B servari oporteret? quæ, quo res pateat illustrius, placet recitare. *Tulerunt*, inquit, *tribuni pleb. de provinciis contra acta Cæsaris, ille biennii, iste sexennii. num etiam hanc legem populus Rom. accepit? quid? promulgata fuit? quid? nonne ante lata, quam scripta? nonne ante factam vidimus, quam futuram quisquam est suspicatus? ubi lex Cæcilia & Didia? ubi promulgatio trinundinum? ubi pœnæ recenti lege Junia & Licinia?* Quo in loco quia Cæciliam Didiam cum Junia Licinia conjungit, quæ iis, qui trinundinum non servassent, pœnas irrogabant, propterea libr. II. epist. ad Att. ubi Cæciliæ Didiæ pariter & Juniæ Liciniæ mentio simul fit, C de hac Cæcilia Didia, quæ tempus legum latoribus definiebat, non de illa, quæ diversis de rebus legem ferri vetabat, opinor intelligendum. Nunc de Junia Licinia agamus. Hæc, non plane video, quid sanxerit. nam quod ajunt nonnulli, eam, festis diebus cum populo agi, aut legem aliquam promulgari, vetuisse: id a quo libro didicerint, non invenio. nemo enim ex iis, quorum scripta æneis typis divulgata circumferuntur, id memoriæ mandavit. & ut aperte meam sententiam pronunciem, quam peritiores judicabunt: vereor ne, quicunque ille fuit, ex iis verbis, quæ sunt in oratione pro Sextio, D inductus sit in errorem. sunt autem hæc: *Iisdem consulibus sedentibus atque inspectantibus, lata lex est, ne auspicia valerent, ne quis obnunciaret, ne quis legi intercederet, ut omnibus festis diebus legem ferri liceret, lex Ælia, lex Fusia ne valeret.* quæ non ad Juniam Liciniam, sed ad Fusiam pertinent. Fusia enim non omnibus diebus festis, sed iis tantum, qui comitiales essent, leges ferri jubebat. quod jam antea, in ordine legum de comitiis, demonstratum est. quæ fuit igitur, dicet aliquis, Juniæ Liciniæ sententia? forte hæc, ut iis, qui trinundinum in ferenda lege non servassent, graviores, quam lex Cæcilia Didia sanxisset, pœnæ irrogarentur. id, E puto, declarant illa verba in Antonium, quæ etsi ante recitavimus, iterare tamen, quia postulat locus, non alienum videtur. *Ubi*, inquit, *lex Cæcilia & Didia? ubi promulgatio trinundinum? ubi pœna recenti lege Junia & Licinia?* Fuit alia Licinia non recens consularis, sed vetus tribunicia, & ejusdem generis Æbutia: quibus hoc rogatum, ut potestas nulla curatione non modo iis, qui de aliqua curatione, aut potestate tulissent, sed nec eorum collegis, cognatis, affinibus mandaretur. Est autem illud animadvertendum, duas fuisse diversis de rebus Æbutias leges, hanc, de qua mentionem facit Cicero in agraria II. quæ cum Licinia idem sanxit: F & illam, quæ XII. tab. correxit, quam Gellius lib. XVI. cap. X. nominat. Sunt & de jure civili Atinia, Furia, Fusia, de quibus mentionem facit Cicero lib. in Verrem III. & de civium jure omnes fuisse, criminum capitalium publicique judicii nihil attigisse, Pedianus asserit. Atiniam de usucapionibus fuisse, ne furtiva res usucapi posset, sed ejus rei perpetua esset auctoritas, tum Jurisconsultorum libri, tum Gellius lib. XVII. cap. VII. declarat. etiam lex Julia, & Plautia, de quibus agetur inter crimina, quasi Atiniæ subscribentes, rem vi possessam usucapi prohibuerunt. Furiam eam fuisse puto, quam

de testamentis esse latam, supra dixi, ne cui plus, A quam M. nummum, legari posset: alioquin ejus, quod amplius legatum esset, quadruplum restitui debere. Fusiæ sententiam nemo significat, nisi si Furiam & Fusiam eandem putemus: quia Fusios, & Valesios, pro Furiis, Valeriis, veteres dicebant.

CAP. XVII.

Leges de jure civitatis dando, de vectigalibus tollendis, lex Manilia, leges de multis dicendis, de nummis, de frumento pauperibus distribuendo, de muneribus ob caussam orandam. B

De civitate, quin vel a primis Reip. temporibus latæ leges multæ sint, dubitare non licet: sed earum nomina vetustas delevit. duarum exstat mentio apud Livium. prior sanxit, ut socii ac Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, cives Romani fieri possent. postea, cum ei legi fraudem socii facerent, altera lex, sociarum civitatum petentibus legatis, lata est, ne quis quem, civitatis mutandæ caussa, suum faceret, neve alienaret. Aliæ deinde leges, ut res, aut hominum voluntas tulit, C latæ sunt, Servilia, Licinia Mucia, Julia, Plautia Papiria, Petronia, Papia. Servilia fortasse prætoria fuit, aut tribunicia, a C. Servilio Glaucia lata, qui cum L. Saturnino tribuno pl. in prætura occisus est. patet enim, hanc legem ante Muciam Liciniam rogatam esse. quod Cicero in ea pro Balbo declarat his verbis: *Quod si, acerbissima lege Servilia, principes viri, ac gravissimi & sapientissimi cives hanc Latinis, id est, fœderatis, viam ad civitatem populi jussu patere passi sunt: neque in his est hoc reprehensum Licinia & Mucia lege, cum præsertim* & quæ sequuntur. Hujus legis hæc sententia fuit: ut Latini, senatoribus Romanis damnatis, cives D ipsi Romani fierent. Licinia & Mucia consularis fuit L. Crassi & Q. Scævolæ, ut socii Latini, qui se pro civibus Romanis gererent, cum re vera non essent, in suarum civitatum jura redigerentur. qua lege ita alienati sunt Italorum animi, ut Italici belli, quod post triennium exortum est, ea vel maxima caussa fuerit. hoc spectavit Cicero, cum dixit in oratione pro C. Cornelio: *Legem Liciniam & Muciam de civibus regundis, video constare inter omnes, quam duo consules omnium, quos vidimus, sapientissimi tulissent, non modo inutilem, sed perniciosam Reipub. tulisse*, quo in loco paulo fusius historiam narrat Pedianus interpres: *Cum*, inquit, E *summa cupiditate civitatis Romanæ Italici populi tenerentur, & ob id magna pars eorum pro civibus Romanis se gereret: necessaria lex visa est, ut in suæ quisque civitatis jus redigeretur. verum ea lege ita alienati animi sunt principum Italicorum populorum, ut ea vel maxima caussa belli Italici, quod post triennium exortum est, fuerit*. Idemque Cicero de officiis: *Esse*, inquit, *pro cive, qui non sit civis, rectum est non licere, quam tulerunt legem sapientissimi consules, Crassus, & Scævola*. Unam tamen hæc lex habuit exceptionem, ut non omnes plane in suarum civitatum jura redigerentur, sed omnes præter F eos, qui civitatem Romanam lege Servilia essent consecuti. id mihi demonstrarunt facile illa, quæ jam recitavi, Ciceronis verba pro Balbo. Julia lata est a L. Cæsare consule, P. Rutilii collega. ea sanxit, ut iis, qui, bello Italico exorto, in fide mansissent, (manserant autem omnes Latini) & iis, qui in amicitiam postea rediissent, civitas daretur. ita primum Latini, deinde etiam Italici omnes, cum ad amicitiam populi Rom. rediissent, civitate donati. Julia autem dicta, quia solus eam Cæsar, cum ejus collega Rutilius in prælio esset occisus, ex S. C. tulit. Hujus legis beneficio coloniarum omnium, & municipiorum, quæ in Italia fuerunt, æquata jura sunt, non ut legibus Romanis æque uterentur, (nam coloniarum duntaxat Romanarum hoc fuit, municipia suis legibus, atque institutis vivebant:) sed ut æque jus illud civium Romanorum, ferendi scilicet suffragii, & adipiscendorum magistratuum, obtinerent. quod antea municipiis & Romanis coloniis licuerat, Latinis vero coloniis & Latino populo non item. postea sublatam hanc legem licet opinari, cum dicat Suetonius, homini Latino jus Quiritum a Claudio Imperatore propositum. nisi si hoc intelligas, omnibus id propositum, qui tantum Latii jus haberent: cujusmodi erant omnes extra Italiam Latinæ coloniæ, omniaque municipia, quæ jus Latii haberent; jus autem Quiritum nondum essent assecuta. legis enim Juliæ beneficium intra terminos Italiæ continebatur. Plautia Papiria, quod ego sciam, a nemine nominatur: mihi tamen ea, quam Cicero nominat in oratione pro Archia, cum ait, *Data civitas Silvani lege & Carbonis*, Plautia & Papiria videtur fuisse, lata a duobus ejusdem anni tribunis pl. M. Plautio Silvano, C. Papirio Carbone, C. Carbonis, eloquentissimi viri, filio, sexennio postquam Crassus & Scævola legem eam tulerant, de qua supra mentionem fecimus. nam Silvanum Cn. Pompejo Strabone, L. Porcio Catone coss. tribunatum gessisse, Pedianus docet. Carbonem autem eodem anno tribunum pl. fuisse, ex eo suspicari licet, quod eum post M. Livii mortem, qui Philippo & Cæsare coss. est interfectus, tribunatum administrasse, Cicero in Oratore significat his verbis: *Me stante C. Carbo C. F. tribunus pl. in concione dixit: O M. Druse, patrem appello: tu dicere solebas sacram esse Remp. quicunque eam violassent, ab omnibus esse ei pœnas persolutas. patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit*. Præterea, cum a duobus ejusdem anni consulibus non esse latam hanc legem, satis liqueat, quia Silvanus & Carbo collegæ in consulatu nunquam fuerunt, necesse est a duobus tribunis pl. latam existimare: quod si a tribunis pl. sequitur, ut ab iis duobus potius, quos nominavi, quam ab aliis: ut tamen de secundo Carbonis tribunatu intelligamus. nam primum cum Q. Vario, C. Curione, Q. Metello, Cn. Pompejo gessit, Cæsare & Lupo coss. ut ex Ciceronis Bruto patet. Ejus legis hæc sententia fuit, ut adscriptis in fœderatas civitates civitas daretur, ita, si tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium haberent, & si sexaginta diebus apud prætorem essent professi. Post hanc legem Petronia, ut opinor, secuta est. latam enim ante Papiam patrum ætate, ut peregrini urbe prohiberentur, Cicero de officiis ostendit: *Petronius*, inquit, *apud patres nostros, Papius nuper*. Sed Papiam post eam esse latam, quam a Silvano & Carbone rogatam dixi, idem Cicero & in oratione pro Archia significat his verbis: *Quid? cum cæteri non modo post civitatem datam, sed etiam post legem Papiam aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepserint: hic, qui nec utitur quidem illis, in quibus est scriptus, quod semper se Heracliensem esse voluit, rejicietur?* Ex quo primum de tempore, deinde de sententia legis Papiæ docemur: de tempore, latam esse post eam, qua civitas data est, quam a Silvano & Carbone rogatam ostendimus: de sententia, pœnam esse irrogatam iis, qui dolo in tabulas municipiorum irrepsissent, ut ex eo, legis Plautiæ, & Papiriæ beneficio, cives Romani fieri possent. nam adscriptis, ut dixi jam, in fœderatas civitates aditus ea lege in civitatem Romanam dabatur. Verum nemo apertius Dione historico hujus legis & sententiam & tempus ostendit. ait enim diserte lib. XXXVII. latam esse a C. Papio tribuno pleb. anno ante L. Cæsaris & C. Figuli consulatum, id est, Cotta & Torquato

coss. biennio ante Ciceronem consulem: sancitum autem ea lege, ut omnes peregrini, præter Italos, urbe excederent. Valerius Max. M. Perpernæ patrem, hac damnatum, pristinas in sedes rediisse tradit, amissa civitate Romana, in quam contra leges irrepserat. Aliæ videntur de civitate fuisse leges, quas Cicero pro Balbo significat his verbis: *Num fundos populos Latinos factos arbitramur aut Servilia lege, aut cæteris, quibus Latinis hominibus erat propositum aliqua ex re præmium civitatis?* Subjungatur lex Cæcilia de vectigalibus tollendis, quod affine quiddam habet superioribus legibus. tulit eam Q. Cæcilius Metellus Nepos prætor, ut apud Dionem lib. XXXVII. scriptum est. quid cautum sit, idem Dio satis plane significat. *Cum enim*, inquit, *civitati, ac reliquæ Italiæ molesta, nec jam ferenda vectigalia viderentur: Metellus Nepos prætor ea, lege lata, invito senatu sustulit.* & Cicero libr. II. epist. ad Atticum: *Portoriis Italiæ sublatis, agro Campano diviso, quod vectigal superest domesticum, præter vicesimam?* Maniliæ legis mentio reperitur, de finibus per singulos arbitros regendis: & Maniliæ, in eos, quorum consilio Jugurtha senatus decreta neglexisset, quique ab eo in legationibus, aut imperiis pecunias accepissent, qui elephantos, quique perfugas tradidissent: item, qui de pace aut bello cum hostibus pactiones fecissent. quam legem tulit C. Mamilius Limetanus tribunus pl. eamque Cicero de legibus in Bruto, & Sallustius in Jugurthino memorant. Habet autem argenteum nummum vir clarissimus, antiquitatis bene peritus, Andreas Lauretanus, ita inscriptum: C. MAMIL. LIMETAN. Legem de multis primam tulerunt duo consules T. Menenius Lanatus & Sestius Capitolinus consules. ea lege sancitum est, ut peculatus pœna gravissima esset duarum ovium, & triginta boum. quod a Festo traditum est. Postea lex Ateria cum alia, tum hoc sanxit, ut multarum dicendarum non, ut ante, consulum duntaxat, sed omnium esset magistratuum. hanc legem & a Gellio, si modo Gellius ita scripsit, & ab iis, qui Gellii testimonium secuti sunt, falso nominatam Aterinam existimo. opinor enim Ateriam legem, non Aterinam fuisse, quam Sp. Tarpejus Montanus Capitolinus & A. Aterius coss. tulerint. quod videtur confirmare Festus Pompejus, qui de Tarpeja lege scribit his verbis: *Posteaquam ære signato populus Rom. uti cœpit, Tarpeja lege cautum est, ut bos centussis, ovis decussis æstimaretur.* Quam *Tarpejam* Festus, eandem Gellius *Ateriam* (sic enim est legendum) appellat: quod, cum a duobus ejusdem anni consulibus esset lata, utrius nomine vocaretur, nihil interesset. nec est ab re, ut id ita esse constet, ipsius Gellii verba recitare. sic enim lib. XI. cap. I. scriptum reliquit: *Timæus in historiis, quas oratione Græca de rebus populi Ro. composuit, & M. Varro in Antiquitatibus rerum Romanarum, terram Italiam de Græco vocabulo appellatam, scripserunt, cum boves Græca veteri lingua ἰταλοὶ vocitati sint, quorum in Italia magna copia fuerit, bucetaque in ea terra gigni, pascique solita sint complurima: conjectare autem ob eandem caussam possumus, quod Italia tunc esset armentosissima, multam quoque, quæ appellatur suprema, institutam, in singulos dies duarum ovium, triginta boum pro copia scilicet boum, proque ovium penuria. sed quoniam, cum ejusmodi multa pecoris, armentique a magistratibus dicta erat, abigebantur boves, ovesque alias pretii parvi, alias majoris: eaque res faciebat inæqualem multæ punitionem: idcirco postea lege Ateria constituti sunt in oves singulas æris deni, in boves æris centeni.* Papiriam quoque Juliam consularem item de modo multarum esse latam, ex Livio cognoscitur. Multam autem videntur ii tantum indixisse, apud quos legis erat actio. quod apud jurisconsultos, l. tertia,

A C. *de modo multarum*, constat, & in eod. tit. multarum coarctata est licentia. Tres etiam de nummis leges, omnes, ut opinor, tribunicias, a Plinio video nominatas, Papiriam de assibus, ut, qui unciales erant, semunciales fierent: Liviam, ut octava æris pars argento misceretur: Clodiam, ut Victoriati, quod antea nummi genus, ex Illyrico advectum, mercis loco habebatur, percussi, &, quod indicat ipsum nomen, Victoriæ imagine signati, in usu essent. Atque ex his legibus licet conjicere, novum nummum nisi lege nullum Romæ esse percussum, aut in pondere, pretiove mutatum, ut cum B as ex librali factus est duarum unciarum: quod significat Plinius, cum ait: *Pondus æris imminutum primo Punico bello, cum impensis Respub. non sufficeret: constitutumque, ut asses sextantario pondere ferirentur.* est enim sextans sexta pars libræ. idemque de asse postea, primum unciali, deinde semunciali facto, deque denario a decem assibus ad sexdecim, quinario a quinque ad octo, HS. a dupondio ac semisse ad quatuor deducto, videtur existimandum. Sempronia C. Gracchi, tribunicia, de frumento pauperibus semissibus & trientibus distribuendo, jubebat ut frumentum publice emeretur, singulisque mensibus per singulas tribus vilissimo pre- C tio plebi divideretur. eratque locus Romæ constitutus, in quo frumentum publicum asservabatur una cum legibus frumentariis, qui dicebatur, *Horrea Sempronia*. Fabia de sectatorum numero, Cincia de donis & muneribus nominantur, illa contra ambitionem, hæc adversus avaritiam. ac de Cincia Livius lib. XXXIV. *Quid*, inquit, *legem Cinciam excitavit de donis & muneribus, nisi quia vectigalis jam, & stipendiaria plebs esse senatui cœperat?* Tacitus autem libro XIII. *Patres legem Cinciam flagitant: qua cavetur antiquitus, ne quis ob caussam orandam pecuniam, donumve accipiat.* & infra eodem libro: *Cincia lex adversus eos, qui pretio caussas oravissent.* D libro autem XV. *Oratorum licentia Cinciam rogationem, candidatorum ambitus Julias leges, magistratuum avaritia Calpurnia scita pepererunt.* Hanc legem Festus *muneralem* esse dictam significat. quod autem addit: *Qua Cincius cavit, ne cui liceret munus accipere*, non de omnibus generatim, sed de patronis tantum accipio. alioqui Festum errasse, dicendum esset. Ejusdem legis mentio fit a Cicerone lib. I. epist. ad Attic. & libr. I. de oratore. Sed primus omnium ob defensum negotium, ut ait Ammianus lib. 30. pecuniam accepit Antipho Rhamnusius. postea Claudius Imperator usque ad X. HS. capi permisit: quod & Nero confirmavit. qua de E re testem habemus Suetonium: cui subscribit lib. II. Tac. & Plin. in 6. epist. ad Rufum. jurisconsultis permissus videtur capere usque ad c. aureos. l. I. vers. *Si cui cautum. de variis & extraordinariis cognitionibus.*

CAP. XVIII.

Leges sumptuariæ, nec non & aliquot aliæ ex XII. tabulis.

Privati sumptus non sunt ab iis, qui Reip. præsunt, negligendi. domus enim exhauriuntur: F & ex domibus civitas constat: itaque valere non potest, quasi corpus aliquod, membris male affectis. propterea leges sumptuariæ multæ ad coercendam luxuriam diversis temporibus, omnes utilissimæ, latæ sunt, ut de modo supellectilis domesticæ, funerum, cænarum, alioque de genere. Publium quidem Cornelium Rufinum, a quo L. Sylla dictator originem duxit, strenuum ducem, bis consulatu & dictatura functum, Plutarchus, Valerius, & Gellius motum senatu narrant a censoribus C. Fabricio Luscino, Q. Æmilio Papo, quod eum comperissent argenti facti, hoc est, vasorum argen-

teo-

teorum, (sic enim Q. Mucius, ut ait Ulpianus, definit) decem pondo habere. Et de sumptibus mulierum C. Oppius tribunus pl. tulit, ne qua mulier plus semuncia auri haberet, neu vestimento versicolori uteretur: neve juncto vehiculo in urbe, oppidove, aut propius inde M. passus, nisi sacrorum publicorum caussa veheretur. Fuit etiam lex Metilia, qua ratio poliendarum vestium fullonibus præscribebatur. Hanc ego mendose opinor nominari *Metellam* apud Plinium, lib. XXXV. leges enim a nomine, non a cognomine, vocabantur. & hunc Polibius Μετίλιον appellat. ea lata est anno ab U. C. DXXXIII. siquidem, ut ait Plinius, *dedere ad populum ferendam C. Flaminius & L. Æmilius censores.* De moderando autem funerum sumptu legem tulit Sylla dictator : qui tamen in funere Metellæ conjugis præscriptum sua lege modum transgressus est. De sumptibus in cœnas tribunicia C. Orchii, consulares C. Pannii, T. Didii, P. Licinii Crassi Divitis, L. Cornelii Syllæ, M. Æmilii Lepidi : rursus tribunicia Q. Antii Restionis, consularis C. Julii Augusti. Quibus de legibus, videntur ea subscribenda, quæ scripta sunt apud Macrobium, ut, quid singulæ sanxerint, cognoscatur. *Prima*, inquit, *omnium de cœnis lex ad populum Orchia pervenit: quam tulit C. Orchius tribunus pleb. de senatus sententia, tertio anno, quam Cato censor fuerat. cujus verba, quia prolixa sunt, prætereo. summa autem ejus præscribebat numerum convivarum. & hæc est lex Orchia, de qua Cato mox orationibus suis vociferabatur, quod plures, quam præscripto ejus cavebatur, tum ad cœnam vocarentur. cumque auctorem novæ legis aucta necessitas imploraret, post annum* XXII. *Fannia lex lata est, anno post Romam conditam, secundum Gellii opinionem*, DLXXXIIX. *de hac lege Sammonicus Serenus ita refert : Lex Fannia, sanctissimi Augusti, ingenti omnium ordinum consensu pervenit ad populum. neque eam prætores, aut tribuni, ut plerasque alias, sed ex omni bonorum consilio & sententia ipsi consules pertulere : cum Resp. ex luxuria conviviorum majora, quam credi potest, detrimenta pateretur. siquidem eo res redierat, ut gula illecti plerique ingenui pueri, pudicitiam, & libertatem suam venditarent : plerique ex plebe Romana vino madidi in comitium venirent, & ebrii de Reip. salute consulerent. Hæc Sammonicus. Fanniæ legis severitas in eo superabat Orchiam legem, quod in superiore numerus tantummodo cœnantium cohibebatur, licebatque secundum eam unicuique bona sua inter paucos consumere: Fannia autem & sumptibus modum fecit assibus centum : unde a Lucilio poeta, festivitatis suæ more, Centussis vocatur. Fanniam legem post annos decem & octo lex Didia consecuta est. ejus ferundæ duplex fuit caussa. prima, & potissima: ut universa Italia, non sola urbs, lege sumptuaria teneretur, Italis existimantibus Fanniam legem, non in se, sed in solos urbanos cives esse conscriptam : deinde, ut non soli, qui prandia cœnasve majore sumptu fecissent, sed etiam qui ad eas vocati essent, atque omnino interfuissent, pœnis legis æque tenerentur. Post Didiam Licinia lata est a P. Licinio Crasso Divite. cujus ferundæ, probandæque tantum studium ab optimatibus impensum est, ut S. C. juberetur, ut, ea tantummodo promulgata, prius quam trinundino confirmaretur, ita ab omnibus observaretur, quasi jam populi sententia comprobata. lex vero hæc, paucis mutatis, in plerisque cum Fannia congruit. in ea enim ferenda quæsita est novæ legis auctoritas, exolescente metu legis antiquioris, ita Hercules, ut de ipsis* XII. *tab. factum est. quarum ubi contemni antiquitas cœpit, eadem illa, quæ legibus cavebantur, in alia latorum nomina transierunt. sed legis Liciniæ summa, ut Kalendis, nonis, nundinis Romanis cuique in dies singulos* XXX. *duntaxat asses edun-*

A *di caussa consumere liceret: cæteris vero diebus, qui excepti non essent, ne amplius apponeretur, quam carnis aridæ pondo tria, & salsamentorum pondo libra &c. Secuta est, non ita multis post annis, lex Cornelia, & ipsa sumptuaria, quam tulit L. Cornelius Sylla dictator : in qua non conviviorum magnificentia prohibita est, nec gulæ modus factus, verum minora pretia rebus imposita, & quibus rebus, dii boni, quamque exquisitis, & pæne incognitis generibus deliciarum! quos illic pisces, quasque offulas nominat! Sylla mortuo, Lepidus consul legem tulit & ipse cibariam. Cato enim sumptuarias leges cibarias appellat.* B *Dehinc, paucis interjectis annis, alia lex pervenit ad populum, ferente Antio Restione: quam legem, quamvis esset optima, obstinatio tamen luxuriæ, & vitiorum firma concordia, nullo abrogante, irritam fecit. illud tamen memorabile de Restione, latore ipsius legis, fertur, eum, quoad vixit, foris postea non cœnasse, ne testis fieret contemptæ legis, quam ipse bono publico pertulisset.* Hæc Macrobius. addit Festus, legis Orchiæ suasorem fuisse M. Catonem, Liciniam vero centenis assibus, præter terra nata, impensam cœnarum definiisse. Subjiciam hic leges aliquot ex XII. tabul. quæ sunt de jure civili, sumptas a Cicerone, Livio, Vale- C rio, Plinio, Seneca, Festo, Quinctiliano, Gellio, Dionysio: atque illam primum, ei legi admodum similem, quam Romulus tulit, ut parentibus liberos ter vendendi jus atque potestas esset, statuque liberos etiam possent venundare. id postea ab imperatoribus sublatum est, cautumque, ut ob solam famis necessitatem a patre distrahi filius posset, l. 1. & 2. C. *de patribus qui filios distraxerunt*. Alia fuit item XII. tab. *Si furiosus existet, agnatorum gentiliumque in eo pecuniave ejus potestas esto*. Nec ab hac lege abhorret illa, & ipsa XII. tab. qua prodigo bonis interdicebatur, utique in agnatorum curatione esset, cogebatur. Alia lex fuit XII. tab. ut, D si quis in agendo plus petiisset, caussa caderet. idem apud jurisconsultos legimus in versic. *si quis agens*, Instit. de actionibus. sed immutatum postea, in versic. *& hæc quidem*, Instit. de actionibus. Etiam illa nominatur: *Si quis in jus vocatur, si morbus, ævitasve vitium est, qui in jus vocabit, jumentum dato; si nolet, arceram ne sternito*. Ad judicia pertinet ea, quæ sanxit, ut vindiciæ secundum libertatem darentur. Nec minus ea, in qua tuendæ fidei caussa scripta sunt hæc: *Æris confessi, rebusque jure judicatis, xxx. dies justi sunto : post deinde manus injectio esto: in jus ducito: ni judicatum faxit, aut quis pro eo in jure vindex sit*, (sic enim E apud Gellium lib. XX. c. 1. legitur) *secum ducito, vincito, aut nervo, aut compedibus, xv. pondo ne minore: aut, si volet, majore vincito, si volet, suo vivito: ni suo vivit, qui eum vinctum habebit, libras farris in dies dato: si volet, plus dato. Erat autem jus interea paciscendi : ac, nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies* LX. *inter eos dies, trinis nundinis continuis ad prætorem in comitium producebantur: quantique judicati essent, prædicabatur. quod si plures essent, quibus reus esset judicatus, lex ita loquebatur: Tertiis nundinis partes secanto: si plus minusve secuerint, sine fraude esto*. Civilis humanitatis F atque clementiæ videtur lex illa XII. tab. quam X. viri tulerunt, ut vicinos ad societatem magis allicerent: quæ fuit hujusmodi: *Sanatibus idem juris esto, quod fortibus*. Et ad jus commune spectavit illa item XII. tab. *ut, si quis spem in confinio poneret, terminum non excederet: si murum, pedem relinqueret: si domum, pedes duos: si sepulchrum foveamve, quantum id profundum esset: si puteum, passum: si olivam ficumve, pedes novem: si denique aliæ arbores plantarentur, quinque pedes ab alieno loco ponerentur: in controversia de finibus, quinque pedum usucapio nulla esset*. Nec absurdum est, credere, in XII. tab. eam quoque fuisse, quæ

moribus, & liberorum hominum honestati consuluit, ne quis percunctatum patris familiæ nomen servum mitteret. cujus legis mentionem a Catone majore factam esse in suasione legis Orchiæ, scripsit Festus. Ad civiles controversias pertinet ea lex, quam de Sacramento, L. Papirius tribunus pleb. tulit, ne quis alteri temere negotium facesseret. Eam Festus memorat his verbis: *Sacramentum æs significat, quod pœnæ nomine penditur, sive eo quis interrogatur, sive contenditur. id in aliis rebus quinquaginta assium est, in aliis rebus quingentorum inter eos, qui judicio inter se contenderent. qua de re lege L. Papirii tribuni pleb. sanctum est his verbis: Quicunque prætor posthac factus erit, qui inter cives jus dicet, tres viros populum rogato, iique tres viri ...*... quicunque * facti erunt, sacramenta, ex ..*.. judicantoque eodemque jure sunto, uti ex legibus, plebeique scitis exigere, judicare, esseque oportet. Sacramenti autem nomine id æs dici cœptum est, quod & propter ærarii inopiam, & sacrorum publicorum multitudinem, consumebatur id in rebus divinis.*

CAP. XIX.

Leges de criminibus publicis, iisque capitalibus in genere.

NUNC, quando de jure civili leges dictæ sunt, eas, quæ ad crimina pertinent, explicabo. &, quia non omnium eadem est vis & natura criminum, sed alia publica, alia privata: rursus, quia non ejusdem generis ipsa publica sunt, sed ita distinguuntur, ut alia capitalia sint, alia non capitalia, ordinem a conditione criminum petemus, & de publicis capitalia primum, deinde non capitalia, postremo loco privata, eaque ipsa duobus dispertita generibus, aut cum infamia, aut sine infamia, persequemur. quod antequam agamus, definiendum est, quale fuerit in Rep. id, quod capitale crimen nominavimus. quod ut aperiatur, præponendum illud est, lege Porcia cautum fuisse, ne quem civem Romanum ullam ob culpam, perduellione excepto, necare verberareve liceret. quod si quis ita graviter peccasset, ut supplicio dignus ultimo duceretur: is post M. Catonis censorii ætatem, qui eam legem tulit, non capite, aut ulla omnino corporis parte, sed aut bonorum publicatione, aut amissione civitatis, cum aqua & igni interdiceretur, (nam exilium nulla lex irrogabat: sed, interdicta aqua & igni, exilium necessario sequebatur) aut carcere etiam pœnas dabat. vinculorum enim video fieri mentionem in oratione pro Cæcina, & in primo de oratore. Excipio illa tempora, cum, ob seditiones domesticas, ad illud S. C. necessario descendebatur, *Darent operam consules, ne quid Resp. detrimenti caperet.* qua de re plenius infra. Redeo ad propositum. Crimen capitale non ita plane est intelligendum, quod vita privaretur is, qui crimine capitali damnatus erat, sed ideo capitale, quod eum, qui damnatus erat, capitis pœna sequeretur. capitis autem pœna, vel libertatis, vel civitatis amissio dicebatur. quam utramque capitis deminutionem vocabant. at capitis deminutio cum triplex esset, maxima, media, minima: non omnis tamen pœna fuit, sed tantum duæ priores: maxima, quæ libertatis ademptione fiebat: & media, quæ civitatis. minima, cum familia mutaretur, beneficium potius, quam pœna, fuit. quod si cui magistratus adimeretur, capitis ea deminutio non fuit, ut Instit. lib. I. legimus: sicuti capitis deminutio fuit manente magistratu, ut in emancipatione filii: quod lib. XLVIII. Digestorum, de capite minutis traditum est. quocunque autem in crimine vel maxima, vel media capitis deminutio sequeretur, capitale illud esse crimen dicebatur. porro qui libertatem, idem civitatem simul, & familiam amittebat: servi enim neque cives, neque gentiles erant: qui civitatem, familiæ quidem jura, non tamen libertatem. nam etsi in oratione pro Cæcina scriptum ita est: *Si semel civitas adimi potest, retineri libertas non potest: qui enim potest jure Quiritum liber esse is, qui in numero Quiritum non est?* quod videtur Livius libr. XLV. confirmare, cum ait: *Omnibus V. & XXX. tribubus movere, id esse civitatem libertatemque eripere:* tamen eo non moveor: nec, quia dicat Callistratus jurisconsultus, *per deportationem adimi libertatem*, & in Topicis Boetius, *deportationem esse capitis maximam deminutionem*. non enim vere proprieque exules, aut deportati, aut omnibus tribubus moti, in ærariosque relati, libertate carent: etsi neque testamentum facere, neque hereditatem capere, neque omnino earum rerum, de quibus jure civili statutum est, habere ullam liceat. jus quidem io eo suum exul, ac deportatus amisit, & quodammodo partem pristinæ libertatis: (siquidem amittit ea, quæ juris civilis sunt: quæ vero jus gentium complectitur, ea retinet omnia) libertatem tamen ipsam, qui redactus in servitutem non sit, adhuc retinet. quare caussæ potius, quam agebat, rationem, oratorio more, Cicero habuit, quam veritatis. & apud Livium Claudius censor, contra collegam disputans, exaggerandi caussa eripi libertatem ordini libertino cum civitate dixit. Boetius autem cum deportationem esse deminutionem capitis maximam dixit, non ad jus gentium, neque ad libertatis universæ, sed ad earum tantum rerum, quibus jure civili constitutis deportati privabantur, amissionem spectavit. Nec ab re videtur, quæ de capitis deminutione Festus tradidit, subjungere: *Deminutus*, inquit, *capite appellatur, qui civitate mutatus est, & ex alia familia in aliam adoptatus, & qui liber alteri mancipio datus est, & qui in hostium potestatem venit, & cui aqua ignique interdictum est.* Illa sunt de exilio notanda: etsi mentionem civium Romanorum exulantium sæpe fieri videmus, nulla tamen lege damnatis civibus exilium esse irrogatum. quod ne vocari possit in dubium, ponam verba Ciceronis in oratione pro Cæcina: *Exilium*, inquit, *non supplicium est, sed perfugium portusque supplicii. nam, qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatem, eo solum vertunt, hoc est, sedem, ac locum mutant. itaque nulla in lege nostra reperietur, ut apud cæteras civitates, maleficium ullum exilio esse multatum: sed, cum homines vincula, neces, ignominiasque vitant, quæ sunt legibus constituta, confugiunt, quasi ad aram, in exilium. qui si in civitate legis vim subire vellent, non prius civitatem, quam vitam, amitterent. quia nolunt, non adimitur iis civitas, sed ab iis relinquitur, atque deponitur. nam, cum ex nostro jure duarum civitatum nemo esse possit, tum amittitur hæc civitas. denique, cum is, qui profugit, receptus est in exilium, hoc est, in aliam civitatem.* Hæc Cicero: quæ tum, non esse exilium ulla in lege nominatum, aperte docet: tum vero ideo multos in exilium ante damnationem sua voluntate profugisse, quia legis pœnam, quam præsentes corpore subirent, ut vincula, neces, ignominiam aliquam, omnino vitare vellent. nam, etsi, reo in exilium profecto, nihilo minus caussa peragebatur, & sententiæ ferebantur: (id exemplo Fabricii, de veneficio condemnati, ex oratione pro Cluentio constat: qui cum, absolutione desperata, a subselliis sua sponte discessisset, eum tamen, latis sententiis, absentem judices condemnarunt: idemque de Verre Pedianus significat, & in commentario Milonianæ, cum ait: *Multi præsentes, & cum citati non respondissent, damnati sunt*) tamen, quod ad corpus attinet, aut ad præsentem ignominiam, ipse sibi jam reus caverat: leviora ducebat reliqua, sive sibi absenti aqua & igni interdiceretur, sive bona publi-

carentur, sive aliqua infamiæ nota inureretur. At idem Cicero ipse sibi quasi repugnare in Paradoxis videtur: ubi de exilio, tanquam pœna legum, ita loquitur: *Omnes scelerati, atque impii, quorum tute ducem esse profiteris, quos leges exilio affici volunt, exules sunt, etiamsi solum non mutarunt. an, cum omnes leges te exulem esse jubeant, non eris tu exul?* & ibidem alia his similia. in oratione autem pro Murena, nova ambitus lege, quam ipse tulit, senatores in exilium missos, his verbis demonstrat: *Legem ambitus flagitasti, quæ tibi non deerat: erat enim severissime scripta Calpurnia. gestus est mos & voluntati, & dignitati tuæ. sed tota illa lex accusationem tuam, si haberes nocentem reum, fortasse armasset, petitioni vero refragata est. pœna gravior in plebem tua voce efflagitata est: commoti animi tenuiorum. exilium in nostrum ordinem concessit senatus postulationi tuæ, sed non libenter duriorem fortunæ communi conditionem te auctore constituit.* Atque hac ipsa de lege, deque exilio X. annorum loquitur & Dio libr. XXXVII. nec desunt alia de civibus Romanis exulantibus exempla: quos tamen a lege, vel a judicibus, qui ministri legum sunt, nominatim in exilium esse ejectos, non debemus opinari. Quomodo igitur exules? Sciendum est, exilii duo genera fuisse, voluntarium, & legitimum: & voluntarii rursus duo genera, unum cum reus antelatas a judicibus sententias in exilium abibat, vel ut legis pœnam vitaret, quod jam diximus, vel quia, cum se damnatum iri perspicue videret, sponte vellet eam pœnam subire, quam paulo post leges & sine dubio illaturæ viderentur: quod ii, quos paulo ante nominavi, Verres, Fabriciusque, omni prorsus absolutionis abjecta spe, fecerunt. non enim ante damnationem ideo discesserunt, ut legis pœnam vitarent: quandoquidem Fabricius nihil exilio gravius timere a judicibus poterat: cum Oppianicum, qui mox eodem crimine præsens damnatus est, nullam omnino, præterquam exilii, calamitatem tulisse constet: nec de repetundis, quo crimine damnatus est Verres, alia præter exilium, & litis æstimationem, nocentes reos pœna sequebatur. quam utramque pœnam, post profectionem damnatus, Verres tulit. Alterum exilii voluntarii genus fuit, cum reus post damnationem, quia multam, a judicibus dictam, solvere non posset, ex urbe discedebat. quod ut putem & legibus, ad effugiendam multæ solutionem, fuisse permissum, adducor iis verbis, quæ sunt in oratione pro Cæcina. *In colonias Latinas sæpe nostri cives aut sua voluntate, aut legis multa profecti sunt: quam multam si sufferre voluissent, tamen manere in civitate potuissent.* Legitimum autem exilium erat, cum reus, non ille quidem verbo, re tamen ipsa in exilium mittebatur. vetus enim consuetudo fuit, inducta legibus, more confirmata, quæ non modo in rep. sed imperatorum quoque ætate, multisque post sæculis viguit: ut, si quis exilii pœna dignus videretur, ei, nulla exilii facta mentione, tecto, aqua, igni, interdiceretur. ita earum rerum, quæ maxime sunt ad vitam sustentandam necessariæ, usu privatus, cum uno aeris alimento contentus esse non posset, abire cogebatur. ex quo exulare cives Romani dicebantur. patet hoc in oratione pro domo, in qua ita scriptum est: *Qui erant rerum capitalium condemnati, non prius hanc civitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc est, mutandi, soli caussa venerant. id autem ut esset faciendum, non ademptione civitatis, sed tecti, & aquæ, & ignis interdictione faciebant.* Ac ne cives quidem omnium improbissimi atque audacissimi, cum in suos inimicos, acerrimo incitati odio, non leges, sed privilegia ferrent, exilium nominabant, sed iis aqua & igni interdicebant. itaque & de ipso Cicerone, quod in eadem oratione legimus, P. Clodius tribunus pl. cui nihil in tota vita pudoris aut mo-

A destiæ fuit, qui in tribunatu pro sua libidine, neglecto more majorum, abjectis legibus, cuncta gessit, ita populum rogavit: *Velitis, jubeatis, ut M. Tullio aqua & ignis interdicatur.* neque solum Clodius, sed antea quoque homines maxime seditiosi, C. Gracchus, & L. Appulejus Saturninus, de suis inimicis eodem modo tulerunt. est enim eadem in oratione ita scriptum: *Ne tum quidem, cum aberam, negare poteras esse me tua lege senatorem. ubi enim tuleras, ut mihi aqua, & ignis interdiceretur? quod Gracchus de P. Popillio, Saturninus de Metello tulit.* & minorem, sive mediam capitis deminutionem, cum civitas etsi non verbo, re tamen adime- B batur, ita fieri solitam, tradit Justinianus Instit. lib. I. de capitis deminutione, his verbis: *Minor, sive media capitis deminutio est, cum civitas quidem amittitur, libertas vero retinetur: quod accidit ei, cui aqua & igni interdictum fuerit; vel ei qui in insulam deportatus est.* ergo, cum dixit Cicero adversus Clodium in Paradoxis, *Familiarissimus tuus de te privilegium tulit, ut, si in opertum Bonæ deæ accessisses, exulares,* hoc significavit: ut tibi aqua, & igni interdiceretur. &, cum de ambitu damnatis X. annorum exilio puniendis Dio locutus est, cujus verba supra recitavimus, non aliud intellexit, quam, ut iis C in X. annos aqua, & ignis interdiceretur. Erat autem, ut neque flagitia sunt paria, sic hoc pœnæ genus neque loci spacio, neque temporis æquale. quibusdam enim tantum intra urbem, hoc est, intra pomœrii fines, aliis longius, aqua & igni interdicebatur. crediderim tamen, actum satis leniter ac misericorditer cum reis, neminemque, aut certe paucos admodum extra Italiæ terminos aquæ & ignis interdictione summotos, qui videam Oppianicum, de veneficio, quod capitale crimen erat, damnatum, impune tamen ad urbem habitare potuisse. notavimus enim hæc in oratione pro Cluentio: *Cum vagus & exul erraret Oppianicus, & huc ad* D *urbem profectus esset, (solebat enim intra urbem aliquid habere conducti) cecidisse ex equo dicitur, & homo infirma valetudine latus offendisse vehementer, &, postea quam ad urbem cum febri venerit, paucis diebus esse mortuus.* Quid, quod Q. Pompejum Rufum, & T. Plancum Bursam, utrumque de vi damnatum, quod ex Dionis historia constat, alterum Baulis fuisse, alterum Ravennæ, scribit M. Cœlius in epistola ad Ciceronem? nam Cicero ipse CD. millibus passuum, non ulla communi lege, neque judicum sententiis, sed iniquissimo P. Clodii privilegio, per operas Clodianas lato, abesse jussus est, a- E qua & igni citra ullum terminum interdictis. Milonis autem Massiliæ exulantis exemplum vix cum altero licet exemplo conjungere. grave enim facinus, occiso in Appia via Clodio, a senatu judicatum est: & fuit satis faciendum populo, Clodii morte concitato. ideoque nova lex perlata, & extra ordinem quæsitum. nec tamen satis habeo compertum, Massiliamne sedem exilii Milo delegerit, quod citra esset ei interdictum aqua & igni: an vero, quod, cum propius urbem, concedente lege, posset habitare, Massiliam tamen probaverit, ac voluerit. nec puto leges aut judices præscripsisse cuiquam, ubi esse deberet, sed ubi esse non posset. nec vero iis, de F quibus & Cicero in oratione pro Balbo, & historiæ loquuntur, Q. Maximo, P. Popillio, Q. Philippo Nuceria, aut C. Catoni Tarraco, aut Q. Cæpioni, & P. Rutilio Smyrna locus exilii definitus est: sed ipsi, cum Romæ esse non liceret, eas urbes, ut jucundas, aut quietas, aut commodas, aut sibi fortasse benevolas, ad habitandum legerunt. Memorabile illud fuit, quod legimus in Polybio: *Capite damnatis egredi palam ex urbe licuisse: quod si tribuum una, quæ scilicet ad damnationem deesset, suffragium de reo nondum tulisset, facultatem reo esse datam exilii suo sibi arbitratu deligendi. exulibus autem commorari*

tuto licebat, in qua vellent urbe fœderata, ut Nea-
poli, Præneſte, Tibure. Hæc Polybius : cujus æta-
te populus de capitalibus criminibus judicabat : quod
idem ſcriptum reliquit . nam poſtea prætores quæ-
ſierunt, excepto crimine perduellionis, aut ſi quan-
do tribunus pleb. diem alicui diceret , ſuffragium-
que de reo mallet a populo , quam ſententias a ju-
dicibus , & prætore ferri . Quod autem exilii tem-
pus diſparibus in culpis diverſum fuiſſe dixi , id ita
veriſimile eſt , ut exemplis probari multis non de-
beat . quare unum ponam , etſi minime neceſſa-
rium . Damnatis de ambitu aqua & igni per x. an-
nos tantum interdicebatur: quod ante demonſtravi .
at damnatis de corrupto judicio, in univerſum vitæ
tempus : quod ex oratione pro Cluentio licet con-
jicere : cujus in extremo , periturum extra patriam
Cluentium , ſi damnatus erit, his verbis ſignificat:
Quid erit profectum , niſi ut hujus ex mediis mortis
inſidiis vita ad luctum reſervata, mors ſepulchro pa-
tris privata eſſe videatur? Ac de duobus exiliis, vo-
luntario, ac legitimo , utrum fuerit gravius, venit
in mentem quæri poſſe . legitimum exiſtimo : pri-
mum , quod eos , quibus aqua & igni interdictum
eſt, recipi tecto intra ſpatium interdictum leges ve-
tant : quod iis non contigit , qui ſua ſponte in e-
xilium profugerunt : deinde , quod , ut ego arbi-
tror, aliquanto turpius eſt, exulare legibus ejectum,
quam exulare non ejectum . ejicitur enim civitate,
cui aqua, & ignis interdicitur : qui vero ſua volun-
tate diſcedit, non is civitate pellitur, ſed eam ipſe
deſerit, ac relinquit . huc adde , quod, quibus in-
terdicitur, ii ſenatores poſtea non ſunt, & eos legi
ſuo loco a cenſore in ſenatum leges prohibent: qui-
bus vero non interdicitur , ii etiamſi urbe carent ,
ſenatores tamen ſunt . hoc ex oratione pro domo
didicimus, in qua hæc ſunt: *Ne tum quidem, cum*
aberam, negare poteras eſſe me ſenatorem. ubi enim
tuleras , ut mihi aqua & ignis interdiceretur? quod
Gracchus de P. Popillio, Saturninus de Metello tu-
lit . homines ſeditioſiſſimi de optimis ac fortiſſimis ci-
vibus, non ut eſſet interdictum, quod ferri non pote-
rat, tulerunt, ſed ut interdiceretur. ubi caviſti, ne
meo me loco cenſor in ſenatum legeret ? quod de o-
mnibus, etiam quibus damnatis interdictum eſt, ſcri-
ptum eſt in legibus . Ergo cum de pœnis capitalibus
loquimur , aut exilium inter eas numerandum non
eſt , quod lex nulla , nullum ob malefactum , ir-
rogabat : aut eo de exilio dicendum , quod , etſi
non nominaretur, neceſſario tamen, cum damna-
tis interdiceretur aqua & igni, conſequebatur. Ca-
pitalia vero crimina publicis judiciis omnia cogno-
ſcebantur : non item publica judicia de capitalibus
omnia criminibus fiebant . nam , ut Inſtit. lib. IV.
traditum eſt, ſi quam infamiam irrogabant publica
judicia cum damno pecuniario , publica quidem e-
rant, non tamen capitalia. quod quidem ſi de cauſ-
ſis publicis , in quibus cum detrimento rei familia-
ris famæ jactura conjungeretur , verum eſt : mul-
to magis de privatis . & hoc ipſum declarat Cice-
ro ſatis aperte in epiſt. ad Pætum , his verbis : *Ju-*
dicia non ſolemus omnia tractare uno modo . priva-
tas cauſſas , & eas tenues , agimus ſubtilius : capi-
tis , aut famæ , ſcilicet ornatius . ſejunxit enim a
cauſſis capitalibus cauſſas famæ , ſive publicas , ſive
privatas . Sed ipſe me in dubitationem revoco . Si
cauſſæ famæ capitales non ſunt : cur Quinctii cauſ-
ſam , quæ famæ eſt , capitalem Cicero ſignificat ?
ait enim in exordio : *Quid hoc iniquius, aut indi-*
gnius , quam me , qui caput alterius , famam , for-
tunaſque defendam , priore loco cauſſam dicere ? &
infra : *Clamabat Quinctius , ſeſe icciirco nolle ſatiſ-*
dare , ne videretur judicaſſe , bona ſua ex edicto
poſſeſſa eſſe : ſponſionem porro ſi iſtiuſmodi faceret ,
ſe , id quod nunc evenit , de capite ſuo priore loco
cauſſam eſſe dicturum . & in extrema oratione : *Hor-*

A *ribile eſt, cauſſam capitis dicere : horribilius priore lo-*
co dicere . ſane non leviter aliquandiu hæc me lo-
ca, & alia hujuſmodi in ea oratione perturbarunt,
eoque magis , quod cauſſa Quinctii ad recuperato-
rem agitur . ex quo ſequitur , ut privata ſit. recu-
peratores enim , & c. viri , & arbitri, judices ſunt,
(liceat hic arbitros inter judices, vocabulo minime
proprio , nominare) civilibus in controverſiis ab ur-
bano prætore dati . cauſſam porro capitalem ad re-
cuperatorem agi , ita mihi abſurdum , ita non ra-
tioni conſentaneum videbatur , ut perſuaderi nullo
modo poſſet . ſed fortaſſe , ut ſæpe diſtinctione ve-
ritas illuceſcit, idem hic quoque poteſt evenire. co-
B gitavi, nunquid *cauſſam eſſe capitalem*, &, *agi de*
capite , ſive *capitis eſſe cauſſam* , idem ſit . non e-
nim dubito , quin cauſſæ capitales quæ vocantur ,
eædem cauſſæ capitis vocari omnes poſſint : quæ ve-
ro capitis, fortaſſe non omnes item capitales. nam
cauſſa capitis Quinctiana dicitur: quam tamen nul-
lo modo capitalem fuiſſe concedo , cum in ea ne-
que de libertate, neque de civitate adimenda, quæ
capitalia fuiſſe judicia notum eſt, agatur. & cauſſa
Mancini, quem , ut Cicero, & alii prodiderunt ,
a patre patrato ex S. C. Numantinis deditum, Nu-
mantini non receperunt, cauſſa quidem capitis eſt,
C (agitur enim in ea de civitate, de libertate, de capi-
te) capitalis tamen non eſt . in capitalibus enim quæ-
ritur de crimine, & damnatos deminutio capitis ex
judicum ſententia ſequitur : in aliis autem capitis
cauſſis agitur quidem de capite , non tamen quæri-
tur de crimine , capitiſque deminutio vel nulla ſe-
quitur , ut in cauſſa Quinctii, vel, ſi ſequitur, ut
in cauſſa Mancini , non ſequitur uti pœna a judi-
cibus irrogata, ſed ideo ſequitur , quia is, qui jam
deditus erat ex S. C. Numantinis, capite fuiſſe de-
minutus oſtenditur. ita ut judex non judicet, ſit,
nec ne, capite minuendus, quod fit in cauſſis ca-
pitalibus , ſed fuerit ne antea , an non fuerit , ca-
D pite deminutus : & ſtatus hominis non tunc mu-
tatur , ſed qualis ſit cognoſcitur . itaque , cum de
eo dixit Cicero lib. I. de oratore : *Quam poſſumus*
reperire ex omnibus rebus civilibus cauſſam , conten-
tionemque majorem , quam de ordine , de civitate,
de libertate , de capite hominis conſularis? crimen
nullum ſignificavit , cujus criminis cauſſa vocatus
in judicium Mancinus, periculum amittendæ civi-
tatis, aut libertatis in eo judicio ſubiret, ſed facul-
tatem judicibus cognoſcendi , ac ſtatuendi datam
intellexit , eas ne res æque Mancinus poſſideret , at-
que antea quam a patre patrato eſſet deditus, an ve-
ro, quia deditus eſſet, amiſiſſet, etiamſi receptus a
E Numantinis non eſſet . quare capitalis cauſſa non
fuit: actum tamen eſſe de capite, ob eam, quam
expoſui, cauſſam recte Cicero dixit . At, quod ad
Mancini cauſſam attinet, ferri poteſt . exſtat enim
ratio, cur in ea de capite agi dicatur. in cauſſa vero
Quinctii , in qua nullo modo neque de civitate ,
neque de libertate agebatur , mentio capitis unde
ducta? an ex eo, quia *caput* pro exiſtimatione uſur-
pari poſſe videatur ? repugnat vetus loquendi con-
ſuetudo: nec hujus generis exempla licet invenire.
potius igitur, ex oratoris licentia, crediderim , ut
exaggeretur res , ad invidiam adverſus Nævium ex
F ejus crudelitate , & miſericordiam erga Quinctium
ex ejus periculo quærendam . atque hoc eo magis
conſtat, quod Cicero nec in eo vere ac proprie lo-
quitur , cum eam vocat accuſationem , quæ ſponſi
cauſſa eſt : nec, cum ait, *quem nunc interficere ne-*
farie cupis : quandoquidem civibus Romanis eripi
nullo crimine vita , excepto perduellione , poſſet :
cauſſam vero non eſſe capitalem , propriis verbis ipſe
clare demonſtrat in eo : *Judicium, C. Aquilli, non*
de re pecuniaria, ſed de fama, fortuniſque P. Quin-
ctii vides . & cum dixit : *Hortenſius partes accuſatoris*
obtinet : oratorie loquitur . nec enim re vera accuſabat

Hortensius, sed accusare videbatur, nec est, nisi criminalibus in caussis, accusator. Redeo unde diverti. Publicorum criminum alia capitalia, alia non capitalia. quodque notandum magis est, ne majestatis quidem judicium capitale semper fuit, cum tamen publicum semper esset. nam Claudiæ Vestali, Appii Cæci filiæ, C. Fundanius, & Ti. Sempronius ædiles pleb. quod populo Rom. calamitatem esset imprecata, multam dixerunt æris gravis xxv. millia, quæ capitalis pœna non fuit. judicium autem illud & publicum fuisse, inde patet, quod ad populum factum est, idque etiam Atejus Capito propterea inter publica judicia retulit, & majestatis nomine notatum, Suetonius in Tiberio significat his verbis: *Claudia novo more judicium majestatis apud populum mulier subiit, quod in conferta multitudine, ægre procedente carpento, palam optaverit, ut frater suus Pulcher reviviſceret, atque iterum classem amitteret, quo minor turba Romæ foret*. Publica erant capitalia, incestus, majestas, repetundæ, vis publica duplex, ea, quæ in Rempublicam ac magistratus inferebatur, de qua lex Lutatia fuit: & ea, quæ in privatos cives, de qua Plotia, & aliæ leges: tum, peculatus, de residuis, inter sicarios, parricidium, veneficium, ambitus, pecuniæ ob judicandum captæ, adulterium, de falsis, de plagiariis, de tutorum fraude, de famosis libellis, de furto, clandestina coitio. quibus de criminibus aut ad prætorem, aut ad judicem quæstionis, aut ad populum notio pertinebat. de majestate, perduellione excepto, de vi, de repetundis, de crimine inter sicarios, de ambitu prætor quærebat: de incestu, & perduellione populus, sed tributis comitiis de incestu, tribuno pl. populum per tribus in forum cogente: centuriatis autem de perduellione, cum in campum consul centuriatim populum advocasset. de veneficio autem & prætor, qui judex quæstionis idem dicebatur, & judex quæstionis, etiamsi prætor non esset, cognoscebat. Prætores, quæ cujusque futura esset quæstio, ante sortiebantur: ut deinde singulis de criminibus singuli, prout sors tulisset, cum consilio quærerent. etsi de crimine inter sicarios, cum in judicium quandoque ita multi vocarentur, ut prætor unus minime sufficeret, non unus, sed duo prætores cognoscebant. quod in oratione pro Cluentio animadvertimus. idemque eandem ob caussam in aliis criminibus interdum esse factum, licet existimare. Nonnunquam etiam diem dicente aliquo tribuno pleb. qui cogendi ad judicium populi jus habebat, non prætor, sed populus ipse de majestate quæstionem exercebat. itaque Cn. Domitius tribunus pl. is, qui cum C. Cassio postea consul fuit, accusavit M. Silanum, quod injussu populi bellum cum Cimbris consul gessisset, cum in eo bello graves ob eam caussam calamitates acceptas esse diceret. qua de re suffragium tribus tulerunt. In quo illud animadvertendum, quod a Festo proditum est: cum populus de reo suffragium laturus esset, reum, ad eliciendam misericordiam, suppliciter per deos orasse, ut eo periculo liberaretur. quibus verbis quia populus religione quadam obstrictus esse videbatur, iccirco magistratus eundem reum jubebat resecrare, id est, populum religione solvere. Quod autem dixi prætores de criminibus quæsisse, unum excipio prætorem urb. qui nullo de crimine publico quærebat: itaque nec quæsitor dicebatur. tantum, civilibus controversiis ad eum delatis, jus dicebat; hoc est, judices & judicii formulam, quam sequerentur, dabat. nec enim prætor ipse judicare solitus erat, sed, cum judices, ab ipso dati, de controversia cognovissent, ac judicassent, exequebatur. ideo in omnibus ferme edictis prætorum legitur, *judicium dabo*. in quo posteriores lapsi sunt. Est igitur aliud, *jus dicere*: aliud, *judicare*: contra quam, qui veterum jurisconsultorum libros ignorant, opinantur, &, quemadmodum civilibus in rebus prætor non cognoscit, neque judicat, sed jus dicit: sic, qui ab ipso judices dati sunt, non jus dicunt, sed cognoscunt, ac judicant. hinc recuperatores, hinc c. viri, hinc arbitri, quos prætor dabat, & in epistola ad Q. fratrem, *Prætor*, inquit, *solet judicare, deberi?* Quædam tamen erant, in quibus non modo non judicabat, verum nec jus dicebat prætor urb. sed, omissa jurisdictione, imperio prætorio exequebatur: ut, cum bonorum possessionem secundum tabulas, aut contra tabulas dabat: item, cum restituebat in integrum: & hujus generis nonnulla. Porro, cujus prætoris erat jurisdictio, ejus non erat quæstio publica: neque, cujus quæstio publica, ejus jurisdictio. unus tamen de toto prætorum collegio, qui erant omnes octo, & juris dicendi, & quærendi potestatem habebat, is, qui prætor inter peregrinos vocabatur. nam &, jus inter peregrinos ab eo dictum, satis constat: & quæsitum, sociorum, hoc est, peregrinorum caussa, de repetundis, Pedianus demonstrat in orationis commentario adversus competitores.

CAP. XX.

Leges de criminibus capitalibus in specie, ac primo leges de incestu Virginum Vestalium, aliisque ad religionem pertinentibus.

NUNC, quæ diversis temporibus leges ad ea, quæ nominavimus, crimina vindicanda, peccandique licentiam reprimenda rogatæ sunt, eas ostendemus. &, quoniam inter publica primum locum obtinet religio, de incestu, quæ in sacram personam, sacrove in loco commissa libido fuit, ante omnia est agendum. Incestus ita grave crimen ducebatur, ut, cum P. Clodius Bonæ deæ cerimonias & sacra libidinis caussa polluisset, S. C. factum sit, ut populus de reo cognosceret. quo licet conjicere, quæstionem de incestu non esse legibus prætori demandatam. quod eo magis opinamur, quia legimus apud Pedianum de M. Æmilio Scauro, qui princeps senatus fuit, deminutæ ac neglectæ religionis reo, comitiis tributis, accusante tribuno pl. Cn. Domitio, esse quæsitum. Lex illa fuit severissima, quæ virginem Vestalem, si stuprum commisisset, ad portam Collinam defodi vivam jubebat. quam legem Numa Pompilius, Romanorum II. rex, qui Vestalium virginum sacerdotium Romæ instituit, ab Albanis transtulit. illi enim Vestales virgines, in stupro deprehensas, virgis ad mortem cædebant: Numa vero mortem quidem & ipse pœnam esse voluit, sed cruoris expertem, ut, vivæ sepultæ, diem suum miserrimis in tenebris obirent: ne corpora sacrosancta cujusquam manu violarentur. Qui vero stuprum cum Vestali commisisset, verberibus necabatur. de quo scripta sunt hæc apud Festum: *Probrum virginis Vestalis, ut capite puniretur: vir, qui eam incestavisset, verberibus necaretur*: lex fixa in atrio Libertatis cum multis aliis legibus incendio consumpta est, ut ait M. Cato in ea oratione, quæ de auguribus inscribitur. adjicit quoque, virgines Vestales sacerdotio exauctoratas. Possem alia non pauca adversus religionem crimina subjungere: sed locus hic non est. agitur enim de capitalibus: ea porro capitalia non sunt, ut, si quis auguri non paruerit, aut inaugurato quid fecerit: si quis deos patrios alieno ritu, aut novos separatim coluerit: si quis loca sacra privata fecerit: si quis in deos, aut de diis nefarie atque impie locutus erit: si quis sacrum, aut in loco sacro surripuerit: si quis sacram personam, aut profanam in loco sacro percusserit: & illa duo, quorum

alterum apud Paulum jurisconsultum, alterum apud Ulpianum legimus: si quis alicujus numinis superstitione leves mentes terruerit: si quis illicitam divinationem pollicitus erit.

CAP. XXI.

Leges de majestatis, & perduellionis crimine.

De majestate, nisi si aut perduellionis caussa esset, aut tribunus ædilisve pleb. accusaret, quæstionem prætor, is, cui obvenisset ea quæstio, exercebat. quod ex Pediano, qui C. Cornelium apud P. Cassium prætorem de majestate reum ait esse factum, satis liquet. interdum tamen capitale non fuisse crimen de majestate, supra demonstratum est. Quot autem modis majestas læderetur, non omnino fortasse, sed magna tamen ex parte, ut opinor, exponemus. Læsa majestas judicatur, ubi quid in populum suum, suamve Rempub. aut in magistratus, personamve principis commissum est: in populum, ut si quis exercitum hostibus tradidit: si exercitum sollicitavit, delectumve injussu populi aut senatus habuit: si quis exercitum extra suam provinciam injussu populi duxit, aut ipse, relicto exercitu, provinciæ finibus excessit: si quis Rempub. sua culpa male gessit: si stationem deseruit: si contra libertatem consilia iniit: si seditionem aut bellum excitavit: si publicum hostem domi privatus habuit: si jus civitatis aut magistratus imminuit: si præter dignitatem populi Rom. regio in comitatu fuit: si contra bonum publicum locutus est, quod majestatis quidem crimen non tamen capitale fuit, ut exemplo docuimus: præterea, si quis ad hostem transiit, aliudve quid cum iis adversus Remp. pactus est. Hæc in populum læsæ majestatis crimina. in magistratum autem, vel in principis personam, si quis vim omnino ullam attulit: si tribuno pl. intercedenti non paruit, aut ab eo concionem avocavit, eumve privati loco habuit, ut puta, si occurrenti in via non cessit, si consilium plebis disturbavit: & hujus generis alia, quæ facile possumus intelligere ex ea definitione, quæ prodita litteris est: Majestatem is minuit, qui ea tollit, ex quibus civitatis amplitudo constat. Leges nominantur hæ: primum illa XII. tab. de qua Polybius lib. V. ut, qui hostem concitasset, vel civem hosti tradidisset, capite pœnas daret: deinde Tribuniciæ, Appuleja, Varia; consulares, Cornelia, Julia, Antonia. Appulejam tulit, opinor, L. Appulejus Saturninus tribunus pleb. quem postea cum C. Servilio Glaucia prætore C. Marius VI. consul S.C. interfecit. hac lege damnatum legimus C. Junium Norbanum: quia, seditione populi concitata, quod ad majestatem pertinuit, Q. Servilium Cæpionem innocentem damnasset. Variam tulit Q. Varius Sucronensis tribunus pleb. qui Philippo & Cæsare coss. in locum M. Livii Drusi interfecti tribunus pl. creatus est. hujus legis hæc sententia fuit, ut quæreretur de iis, quorum ope aut consilio bellum Italicum esset concitatum. quo crimine cum essent multi condemnati, & ad plures præterea, quos damnari necesse esset, ea culpa pertinere videretur: fecit sapienter senatus, qui decreverit, ne, dum tumultus Italicus esset, judicium ullum lege Varia fieret. Secuta est Cornelia, L. Syllæ dictatoris: inde Julia, C. Cæsaris, in primo, ut opinor, lata consulatu, aut post victum in Pharsalia Pompejum. nam consul iterum, bello Pompeii, aut Alexandrino impeditus, abfuit. hæc lex damnatis aqua & igni interdicebat. Postremo Antonia, M. Antonii consulis, qui III. vir postea fuit: quæ damnatis de majestate provocationem ad populum dabat. quod antea in uno perduellione, omnium A de majestate criminum gravissimo, licebat. In caussa majestatis & proditionis, & si quid esset hujusmodi, impunitatem indici datam Pedianus ait: in caussa repetundarum negat. nulla vero prorsus in caussa senatoribus licuisse indicium profiteri, ne videlicet summi dignitas ordinis minueretur, affirmat. Præmium autem, si quis accusasset, & damnasset aliquem magistratum, ei datum crediderim ejus ipsius, qui damnatus esset, magistratum, si modo accusator competitor fuisset, aut ei alioqui per leges petere liceret: aut, si reus magistratus designatus non esset, & magistratum antea gessisset, B jus eodem loco dicendæ sententiæ, si modo senator esset accusator. nam, cum ait Cicero in oratione pro Balbo: *Legum præmiis prætoriam sententiam, & prætextam togam consecuti sunt*, aperte significat, quæ summa darentur accusatoribus præmia, hæc duo fuisse, potestatem dicendæ prætorio loco sententiæ, & magistratum: cum scilicet damnatus esset is, qui, ob gestam ante præturam, sententiam prætorio loco diceret: aut is, qui designatus esset in aliquo magistratu. quod si hæc summa erant accusatoribus præmia: certe non nisi summis de criminibus dabantur. & si hoc, sequitur illud, ut ob majestatem, quod summum erat cri- C men, præcipue darentur. Perduellio, quod omnium de majestate criminum fuit atrocissimum, (nam tunc est perduellio, cum in ipsam Rempub. vel in personam magistratus, aut principis infertur injuria) non a prætore, sed a II. viris cognoscebatur. deinde ad populum erat provocatio. itaque & Horatium illum, qui sororem occidit, & Sp. Cassium Viscellinum, qui de regno cogitavit, perduellionis accusatos, alterum a populo esse absolutum, alterum condemnatum, &, bonis publicatis, necatum, Livius monumentis historiarum prodidit. quamquam Horatii factum parricidium, non perduellio, videtur fuisse: & lege parricidii, quam D Numa Pompilius fecerat, judicatum esse, Hostilii regis jussu, Festus Pompejus docet. cur igitur perduellionem Livius nominat? ait enim, *Rex, concilio populi advocato, II. viros, inquit, qui Horatio perduellionem judicent secundum legem, facio.* Caussam hanc, fortasse veram, licet opinari: vel quia Numa, vir sanctissimus, parricidium omne perduellionem voluit esse: vel quia, si non omne parricidium, saltem illud, quod in cognatos, affinesve committeretur, lege perduellionis primum II. viri judicabant, deinde ad populum erat provocatio. declarat hoc oratio pro Rabirio perduellionis reo: E ex qua, primum a II. viris, deinde a populo de Rabirio judicatum esse, cognoscitur. quod etiam Suetonius tradidit. quamquam, multo ante, judicem hoc de crimine populum fuisse, non modo Horatii proximo demonstratur exemplo, verum etiam ex eo, quod a Plutarcho in Poplicola de Vitelliis, & Aquilliis, qui patriciæ gentis utrique fuerunt, proditum est. nam cum de Tarquinio rege restituendo cogitassent, damnati a populo pœnas morte debitas luerunt. Atque hoc uno crimine damnatos necare cives Romanos licuisse, cum eo tamen, si populus ita judicasset, (nam, alioqui ne liceret, Sempronia C. Gracchi tribunicia lege san- F citum est) satis plane constat: quippe, cum & crucem Rabirio a Labieno accusatore in campo constitutam Cicero dicat, &, mortem lege Julia irrogatam, posteriores etiam jurisconsulti tradiderint, rei quoque memoria post mortem condemnata. Notat Ulpianus, quod a nobis omittendum non fuit, purgandum fuisse crimen perduellionis etiam successoribus, si forte reus obiisset ante quam de eo judicatum esset. ait enim sic: *Is, qui in reatu decedit, integri status decedit. exstinguitur enim crimen mortalitate, nisi quis forte majestatis crimine reus fuerit. nam, si hoc crimen a successoribus*

purgetur, hereditas fisco vindicatur. plane non, quisquis legis Juliæ majestatis reus est, eadem conditione est; sed qui perduellionis reus est, hostili animo adversus Remp. vel principem animatus. cæterum, si quis ex alia caussa legis Juliæ majestatis reus sit, morte crimine liberatur. Hæc Ulpianus: quæ alii quoque confirmant, ut paulo post in crimine repetundarum ostendemus. Quemadmodum autem omnium de majestate criminum perduellio gravissimum fuit: sic a populo iis comitiis, quæ maxima omnium erant, centuriatis, inquam, judicabatur. quod in ea, quam proxime nominavi, oratione pro Rabirio declaratur. idemque Livius Valeriusque significant, qui centurias nominant in eo perduellionis judicio, quod de T. Graccho, & C. Claudio censoribus, accusante tribuno pleb. fiebat. nec dubito quin Atilius ille Calatinus, Q. Fabii Maximi socer, quem scribit Valerius oppidi Soranorum proditione reum ad populum esse factum, centuriatis & ipse comitiis caussam dixerit: cum oppidi proditio, quæ in Remp. gravis injuria est, videatur esse perduellio. itaque miror (ut aliud ex alio) cur proditionem & majestatem Pedianus quodam in loco separatim nominaverit: cum proditio certe in majestatem includatur, atque etiam, ut ego existimo, perduellio sit: quod inter majestatis crimina summum fuit. nisi si ut speciem, quomodo philosophi loquuntur, a genere sejunxit, perduellionem scilicet a majestate. nam & vocabulum ipsum *prodere*, videtur proprie ac directe perduellionem spectare. est enim, ubi quis cum hostibus adversus Remp. conspirat. Videtur etiam considerandum: cum tribuni pleb. aliquem perduellionis accusarent, ut duos, quos nominavi, censores Rutilius, Rabirium Labienus, qua ratione populum, ut de reo judicaret, per centurias convocarent. siquidem tribunus pleb. minor erat magistratus: centuriata vero comitia non nisi a majore magistratu, ut consule, prætore, esse habita, traditum est. Dicendum, quod veterum in libris patet, accusasse quidem tribunum pleb. comitia vero majorem magistratum, tribuno poscente, habuisse. & hoc significat Livius libro XXVI. cum ait: *C. Sempronius Blæsos perduellionis se judicare Cn. Fulvio dixit, diemque comitiis ab C. Calpurnio prætore urb. petit.* eodemque modo locutus est lib. XLIII. *Utrique censori*, inquit, *tribunus pleb. Rutilius perduellionem se judicare pronunciavit, diemque comitiis a Cn. Sulpicio prætore urb. petiit.* est igitur, *petere diem comitiis*, petere ut sibi certo die comitia dentur. fuitque hoc genus antiquum loquendi, quo & ante Livium Valerius Antias usus est. notavi enim apud Gellium hæc, hoc ipso de crimine, lib. VII. cap. IX. *Peposci, non poposci, Valerius Antias lib. Annalium* XLV. *scriptum reliquit. Denique*, ait, *Licinius tribunus pl. perduellionis ei diem dixit, & comitiis diem a Q. Marcio prætore peposcit.* Quæro etiam illud, cur censores illos, perduellionis accusatos, in exilium ituros fuisse, si damnati essent, non morte multatum iri, Livius demonstret. ait enim sic: *Gracchus conceptis verbis juravit, si collega damnatus esset, non exspectato de se judicio comitem exilii ejus futurum.* Hoc ego mihi videor hac tueri ratione posse: quia censor magistratus esset, nec interfici, aut omnino violari magistratum, leges sinerent. Addi fortasse & illud potest: non fuisse vere, quæ censoribus illis objiciebantur, crimina perduellionis: quod eorum alter concionem a tribuno pl. avocasset, alter eum, intercessioni non parendo, in ordinem coegisset: majestatem quidem illam fuisse, perduellionem autem non fuisse: cum sit omnis perduellio majestas, non omnis majestas perduellio. quod si quis tribunum pleb. aliumve magistratum necasset, aut adversus Rempub. tyrannidis caussa consilia iniisset: vere tunc perduellio fuit. ideo & A Cassium Viscellinum, de regno cogitantem, esse necatum: & Rabirio, ob interfectum Saturninum tribunum pl. accusato, crucem in campo Martio supplicii caussa fuisse constitutam animadvertimus. Postea hoc ad populum provocandi jus lex Julia, non C. Cæsaris, sed Octaviani, sustulit.

CAP. XXII.

Leges de crimine repetundarum.

REPETUNDARUM crimen capitale, necne, B fuerit, dubitatur a doctis. verum omnem dubitationem tollit una distinctio: prioribus enim temporibus capitale non fuit: postea, cum avaritia magistratuum haud paulo latius manare jam in provinciis cœpisset, visum est ut acrioribus remediis obviam iretur. itaque, lege lata, capitale crimen factum est. utrumque probatur exemplis. L. Lentulum, de repetundis damnatum, postea cum L. Marcio Censorino censorem esse factum, tradit Valerius lib. 6. quo patet damnatione jus Romæ manendi ademptum illi non esse, siquidem censuram deinde sit assecutus: quam gessit anno ab urbe condita DCVI. Idem illa confirmant, quæ scripta sunt C lib. I. rhetoricorum ad Herennium: *Lex vetat eum, qui de repetundis damnatus sit, in concione orationem habere. augur quidam, damnatus de repetundis, in demortui locum qui petat, nominavit.* veteris enim legis, non ejus, quæ postremis Reip. temporibus lata esset, exemplum videtur attulisse: cum libro de officiis II. ita loquatur Cicero: *Proximæ quæque leges de repetundis duriores.* Hæc mansisse Romæ primis illis temporibus, qui jam de repetundis damnati essent, facile demonstrant. Rursus, capitale crimen fuisse, eoque damnatos exulasse, interdictis aqua & igni, A. Gabinii, & C. Verris exemplo D cognoscitur. quod si quis objecerit, non eos lege exulasse, sed quia, cum solvendo non essent, aut omnino cum nollent solvere, voluntarium in exilium profecti sint, adjungemus de C. Catone: quem & esse damnatum de repetundis, Cicero in Verrem, Vellejusque tradunt, & exulasse Tarracone, ex oratione pro Balbo perspicuum fit: cum tamen æstimata ei lis esset tantummodo HS. XVIII. millibus. ut exulasse videatur, non, quod fortasse posset aliquis de Gabinio, & Verre suspicari, ne solveret quod æstimatum erat, quod minimum sane pecuniæ fuit: sed quia legi, quæ repetundarum damnatis aqua & igni interdiceret, parere cogeretur. Est etiam apud E Vellejum P. Rutilii exemplum, repetundarum lege damnati: quem exulasse, & Cicero in oratione pro Balbo, & epitome Liviana lib. LXX. declarat. Verum, ut hæc sint dubia, quæ tamen satis aperta mihi quidem videntur, Pediani testimonio nihil certius, nihil illustrius. is, ubi explanat illud Ciceronis in Verrem lib. I. *Avaritiæ supplicio communi*, subjungit: *Æstimatione litis, & exilio*: satis manifeste exilium cum pecuniaria pœna in repetundarum crimine conjungens. Actionem fuisse in hoc crimine adversus heredes, nisi si rei in reatu, ut jurisconsulti loquebantur, periissent, cum ex ipsis F cognoscitur jurisconsultis, tum Valerius indicat his verbis: *C. Licinius Macer, vir prætorius, Calvi pater, repetundarum reus, dum sententiæ dicerentur, in Mænianum conscendit: deinde M. Ciceronem, qui id judicium cogebat, prætextam ponentem cum vidisset, misit ad eum, qui diceret, se non damnatum, sed reum periisse, nec sua bona hastæ posse subjici: ac protinus sudario, quod forte in manu habebat, ore & faucibus coarctatis, incluso spiritu pœnam morte præcurrit. qua cognita re, Cicero de eo nihil pronunciavit. igitur illustris ingenii orator ab inopia rei familiaris, inusitato paterni fati genere vindicatus est.*

Pœna vero damnatis de repetundis, quod ex Pe- A diano ſatis liquet, dupli fuit. Lex per annos DC. hoc de crimine lata Romæ nulla eſt: conſulibuſque Cenſorino & Manilio L. Piſo Frugi tribunus pleb. primum de repetundis rogationem tulit, ut Cicero lib. de officiis II. & in Bruto docet, eodemque anno, aut certe proximo, alia lex a Cæcilio tribuno pl. lata eſt: qua damnatum L. Lentulum, eum, de quo proxime mentionem fecimus, qui poſtea cenſor fuit, prodidit Valerius lib. VI. neceſſe eſt enim, ut ſi ante cenſuram lege Cæcilia damnatus eſt, lata lex ſit vel L. Marcio, M. Manilio coſſ. quo anno & Calpurnia lata eſt, vel certe Sp. Poſtumio, L. Calpurnio. B nam Africano & Druſo coſſ. qui anno proximo conſules fuere, cenſuram Lentulus & Cenſorinus geſſerunt. Aliæ deinde leges de repetundis, Servilia, Acilia, Cornelia, Julia: quibus ſingulis aliquandiu judicia ſunt adminiſtrata: nam poſterior quæque proximam ſuperiorem abrogavit, ſic tamen, ut quædam retineret, atque adeo interdum multa. non enim dubito, quin, quot in rebus crimen repetundarum Servilius conſtituit, iiſdem in rebus, aut omnibus, aut pleriſque, idem crimen Acilius, cum ſuam legem ferret, eſſe voluerit. quod igitur ad criminis rationem, & peccandi genera pertinet, legem a lege non admodum diſ- C ſenſiſſe crediderim. pœnam vero ſemper fere auxit poſterior lex, & judicii rationem aliqua re multæ mutarunt. itaque C. Servilius Glaucia, (redeo enim ad quattuor leges, quas proxime nominavi) is, qui cum Saturnino tribuno pl. prætor eſt occiſus, cum de repetundis rogationem ferret, novum de comperendinatione caput primus intulit, intraque ſpatium hoc judicii tempus concluſit, ut accuſatori dies XX. ad agendum, totidem defenſori ad defendendum darentur. ante hanc legem ampliari quidem licebat, comperendinari vero in judicio repetundarum non licebat quorum alterum lege Servilia confirmatum, alterum nulla in veteri lege D ſcriptum, ſed novum inductum, Acilia ſuſtulit. qua de re Pedianus ſic: *Ante legem Glauciæ de comperendinatione, aut ſtatim ſententia dicebatur, ſi abſolvendus eſſet reus: aut, Amplius, pronunciabatur, ſi videretur eſſe damnandus, cum dixiſſent judices: Non liquet, hoc eſt, obſcura eſt. itaque ea pars, interpoſita dilatione, dicebat, in cujus peroratione videbatur obſcuritas. comperendinatio vero utriuſque partis recitatio eſt.* & infra ſubjungit hæc. *Alii ſic: Inter comperendinationem, & ampliationem hoc intereſt, quod comperendinatio ex una tantum re dabatur, cum cauſſam judex non intelligeret. & omnino, ſi videbatur judicibus bona cauſſa, abſolvebant reum: ſi mala,* E *non ſtatim damnabant, ſed hac excuſatione parcebant. nam, cum condemnandi nota eſſet C. littera, abſolvendi A. ampliandi ſignum N.L. dabant, quo ſignificabant non liquere: unde ampliatio naſcebatur.* quibus ex verbis primum illud intelligitur, in ampliatione aut accuſatorem ſolum, aut defenſorem iterum cauſſam egiſſe. deinde, etiam hoc conſtat, eſſe *amplius*, pronunciatum, non cum ambigeretur, abſolvendus, an condemnandus eſſet reus, ſed cum ita dilucide pateret culpa, & condemnandus omnino videretur. in quo tamen, ut, quaſi ad excuſandam dilationem, ſpeciem aliquam dubitationis præ ſe ferrent, F ampliandi ſignum in tabellis dabant N.L. tumque iterum dicebat is, vel pro reo, vel contra reum, qui, quod propoſuerat, argumentis non ſatis probaſſe videretur. Quod ad primum attinet: etſi Pediano, ſicuti debeo, plurimum tribuo, quæro tamen, verene ſenſerit, an ſecus. venit enim in mentem ſuſpicari, ne, quemadmodum in comperendinatione, ſic in ampliatione ab utraque parte iterum acta cauſſa ſit. Livius enim libr. XLIII. cauſſam de repetundis ex ampliatione utrimque ait eſſe actam. idem ex iis verbis poſſum conjicere, quæ ſunt apud Ciceronem actionis ſecundæ lib. I. in Verrem: *Quid ego nunc in altera actione Cn. Dolabellæ ſpiritus, quid hujus lachrymas, & concurſationes proferam?* Vocat alteram actionem poſt *ampliationem*. quod verbum ſpectare potius utramque partem, quam alterutram, videtur. & Aſconius ipſe, non dubito, quin idem ſenſerit. ſubjungit enim hæc in ſuo commentario: *Hic apparet, etiam in ampliatione ſic alteram dici, quemadmodum in comperendinatione.* De illo altero, cum dixit, ampliationem fuiſſe, non in cauſſa dubia, ſed in manifeſta rei culpa, non ad cauſſam melius cognoſcendam, ſed ad damnationem differendam, plane non aſſentior. nec tamen audeo diſſentire. libenter enim exiſtimaverim, *amplius*, eſſe pronunciatum, cum obſcura cauſſa eſſet, nec de abſolutione, aut condemnatione ſatis liqueret, propterea que *amplius* requiri ad cauſſam demonſtrandam videretur. nam ſi ampliatio futuræ damnationis eſſet ſignum: quorſum, cum de Philodamo eſſet *amplius* pronunciatum, tantopere Dolabella & Verres contendiſſent, ut condemnaretur? nonne opera ſupervacanea fuiſſet? contenderunt autem, quia videbant poſſe fieri, ut abſolveretur. quid? Pedianus ipſe nonne contra ſuam ſententiam loquitur? quaſi enim oblitus ea, quæ ante de ampliatione dixerat, hoc in loco ait: *Mos veterum hic fuerat, ut, ſi abſolvendus quis eſſet, ſtatim abſolveretur: ſi damnandus, ſtatim damnaretur: ſi cauſſa non eſſet idonea ad damnationem, abſolvi tamen non poſſet, Amplius pronunciaretur.* Sed fortaſſe Pedianus excuſari poterit, ſi tempora diſtinguantur, hoc modo. ut ante legem Glauciæ ampliatio fuerit dilatæ condemnationis indicium: poſt legem vero Glauciæ, obſcuritatis, nec ſatis exploratæ ſententiæ. utrumque ſane duo Ciceronis loca, ſi quis attenderit, videntur oſtendere: primum, in judicio Philodami, de quo proxime dictum eſt. ibi enim, dubium fuiſſe poſt damnationem eventum judicii, plane conſtat. deinde, cum ea dixit in eodem libro: *Verum, ut opinor, Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus, antea vel judicari primo poterat, vel Amplius pronunciari. utram igitur putas legem molliorem? opinor, illam veterem, qua vel cito abſolvi, vel tarde condemnari licebat.* Nam hoc, *tarde condemnari*, ad illud, quod proxime dixerat, refertur, *amplius* pronunciari. ut ampliatione nihil aliud, quam tardam condemnationem, ſignificare videatur. Differt etiam in hoc a comperendinatione ampliatio, quod ampliatio tantum a judicum arbitrio ac voluntate pendet, comperendinatio eſt illa quidem in judicibus poſita, ſed petente vel accuſatore, vel defenſore. nam, niſi alteruter, aut uterque petiiſſet, nihil judices de comperendinando reo cogitaſſent. non potuiſſe autem comperendinationem invitis judicibus omitti, Pedianus docet, cum ait, *ideo teſtibus uſum eſſe Ciceronem, ut, ſi poſſet, comperendinationem tolleret.* ſperabat enim Cicero, cauſſa per teſtes patefacta, judicibusque probata, futurum ut de tollenda comperendinatione a judicibus impetraret. ergo, tum in judicibus, tum in accuſatore ac defenſore ſitum fuiſſe comperendinandi jus, vere dixi. Differebant etiam origine ampliatio & comperendinatio. nam vetuſtiorem fuiſſe ampliationem, verba Ciceronis de lege Glauciæ demonſtrant. &, P. Licinio, C. Caſſio coſſ. hoc eſt, multis ante primam de repetundis legem annis, quam a L. Piſone latam diximus, ampliatos eſſe reos in judicio repetundarum, apud Livium libr. XLIII. animadvertimus. Redeo ad rem: nec tamen a re longius diſceſſum eſt: quando in lege Servilia caput fuit de comperendinatione: & Acilia, de qua proxime agemus, comperendinationem ſimul cum ampliatione, quæ utraque rei potius cauſſa, quam accuſatoris, videtur eſſe conſtituta, omnino ſublatam eſſe juſſit. Tulit eam legem M. Acilius Glabrio, pater ejus, qui Verris in

cauſſa

caussa prætor fuit, & cum C. Calpurnio Pisone post biennium consulatum gessit. tulerit autem in tribunatu pl. an in prætura, minus constat; latam tamen in tribunatu potius, quam in prætura, ut existimem, hoc adducor argumento, quod reliquas de repetundis leges a tribunis pleb. omnes video rogatas esse, exceptis iis, quas patricii, qui tribuni pl. esse non poterant, rogarunt, ut Cornelia, Julia. Severissimam fuisse hanc Glabrionis legem, in qua comperendinari quidem, aut ampliari liceret reum, Cicero lib. I. in Verrem, & Pedianus tradunt. itaque multi, nulla omnino, neque comperendinationis, neque ampliationis, dilatione interposita, semel accusati, semel dicta caussa, semel auditis testibus, ea lege damnati sunt. Quod autem in eo loco Cicero dixit: *Ego tibi illam Aciliam legem restituo*: non dixit, *restituo*, quasi de lege ante Serviliam lata, sed habuit rationem præsentis temporis, cum ex lege Cornelia, non jam ex Acilia, de repetundis quærebatur. Acilia enim tollebat omnino & comperendinationem, & ampliationem: quæ utraque, comperendinatio quidem certe, lege Cornelia permittebatur. id Cicero significavit satis aperte, cum dixit: *Adimo enim comperendinatum: quod habet lex in se molestissimum, bis ut caussa dicatur*. & in eo: *Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus*. nam, si primus Glaucia, ergo aliquis post eum item de comperendinatione tulit. eum autem Acilium constat non fuisse: id quod ostendimus. fuit igitur L. Sylla: cujus ex lege hoc tempore judicia de repetundis administrabantur. idemque declarat Pedianus, cum ait, *ideo testibus usum esse Ciceronem, ut, si posset, comperendinationem tolleret*. frustra enim Cicero conatus esset tollere, ac ne conatus quidem esset, si necessaria fuisset. Cum autem in eo loco subjunxit: *Ita mittam in consilium, ut, etiamsi lex ampliandi faciat potestatem, tamen isti turpe sibi existiment, non primo judicare*: hoc dicit: *Ita testes interrogabo, ita scelera Verris patefaciam, ut, etiamsi lex Acilia, quam, quod ad me attinet, tibi restituo, (adimo enim comperendinatum) permittat id quod minime permittit, dilationem videlicet, judices tamen, haudquaquam ampliantes*, (comperendinationem non nominat, quia comperendinatio non judicum, sed accusatoris & defensoris erat, cum eorum alterutro petente, fieret; ampliatio vero judicum) *magnitudine criminum, & vi probationum inspecta, sibi turpe arbitrentur non primo judicare*. &, quod Aciliam Cicero *mitissimam* vocat, quam Asconius *severissimam*. uterque recte: severissimam, si cum veteribus: mitissimam, si cum Cornelia conferatur. Hæc pluribus verbis, tum quia pertinent ad leges, tum quia locus Ciceronis in Verrem satis habet obscuritatis: & in eo interpretes omnes implicati, tanquam in salebra hæserunt. Quincta fuit Cornelia, L. Syllæ dictatoris, quæ comperendinationem, lege Acilia sublatam, restituit. fuit autem, ut posterior quæque lex, durior, quam Acilia: etsi comperendinationem concedebat, quam Acilia tollebat. sicuti lex Glauciæ durior, quam vetus: cum tamen Glauciæ lege comperendinari posset reus, vetere lege non posset. id Cicero significat his verbis: *Utram putas legem molliorem? opinor illam veterem*. eodemque modo severior, quæ consecuta est, Julia, quam Cornelia. quod idem Cicero in oratione pro Posthumo tradit. Sunt autem lege Cornelia judicia de repetundis omnia usque ad C. Cæsaris, qui postea dictator fuit, primum consulatum administrata. consul enim Cæsar novam de repetundis legem rogavit. cujus quidem capita, quæ ex veterum scriptis liceat colligere, hæc maxime fuerunt: ut repeterentur pecuniæ, quas quis in magistratu, potestate, curatione, legatione, vel quo alio officio, munere, ministeriove publico cepisset, vel aliquis ex

A cohorte ipsius: ut urbani magistratus ab omni sorde se abstinerent, neve plus doni munerisve in anno acciperent, quam quod esset aureorum centum: neve quis ob judicem arbitrumve dandum, mutandum, jubendumve, ut judicaret: neve ob hominem in vincula publica conjiciendum, vinciendum, vincirive jubendum, vel ex vinculis dimittendum: neve quis ob hominem condemnandum, absolvendumve, neve ob litem æstimandam, judiciumve capitis pecuniæve faciendum vel non faciendum, aliquid acciperet. quæ verba non minus pertinebant ad provinciales, quam ad urbanos magistratus. item, ne quis omnino ob negotium faciendum, vel B non faciendum, per calumniam pecuniam acciperet. Cautum præterea, ne provinciæ præsidum avaritia premerentur, aut exhaurirentur: ne illi, qui provincias regebant, quive circa eos erant, negotiarentur, nec mutuam pecuniam darent, fœnusve exercerent: neque hoc tantum, sed ne uxorem quidem quisquam ducere posset ex ea provincia oriundam, vel domicilium ibi habentem: neve filio uxorem ducenti consentiret: ne iis in liberos populos jus de pecuniis creditis dicere liceret: item, ne quis de provincia exiret, aut exercitum inde sua auctoritate educeret, bellum sua sponte gereret, in re- C gnum alienum injussu senatus ac populi accederet: ut libertas sociis, ac præmia, ob merita in Rempub. data, integra essent: ne cuiquam aurum coronarium, aut imperare, aut accipere liceret, nisi cui decretus esset a senatu triumphus. cautum etiam hac lege, ne dona acciperent quæstores, aut xenia: ut rectores provinciarum rationes, prius quam decederent, apud duas in provincia civitates deponerent: ne quis proconsul, aut proprætor legatum suum ante se de provincia dimitteret quod ab Ulpiano, in l. *meminisse*, traditum est. spectavit hæc lex non modo ad eos, qui cum aliqua potestate erant, verum etiam ad eos, qui curabant aliquod o- D pus publice faciendum, frumentum comparandum, vel viam reficiendam: item ad legatos, qui provinciarum rectoribus a senatu dabantur, præfectosque & tribunos, quæstores etiam, totamque cohortem prætoriam, si quid accepisse a provincialibus convicti essent. eadem lege illud etiam sancitum erat, quid rectoribus provinciarum, dum in provinciam irent, a sociis populi Rom. liceret accipere. qua de lege Cicero, dum in provinciam proficiscitur, ita scribit ad Atticum lib. V. *Adhuc sumptus nec in me, aut publice, aut privatim, nec in quemquam comitum. nihil accipitur lege Julia, nihil ab hospite*. postea vero quam in provinciam pervenit, eodem E libro sic: *Scito non modo nos fœnum, aut quod lege Julia dari solet, sed ne ligna quidem, nec præter quatuor lectos, & tectum, quemquam accipere quidquam*. Ad hanc legem postea Cæsar, rerum potitus, fortasse caput hoc addidit, ut repetundarum convicti etiam ordine senatorio moverentur. id quidem ab eo factum, Suetonius narrat. quod vel aucta, ut dixi, sua vetere lege potuit, vel nova lege data, vel etiam, sine lege, pro ea, quam omnium rerum unus habebat, potestate. Scriptum etiam apud Martianum jurisconsultum invenio, lege Julia repetundarum cautum esse, ne judicare, neve testi- F monium dicere liceret ei, qui ob turpitudinem senatu motus, nec restitutus esset.

CAP. XXIII.

Leges de vi publica.

DE vi sequitur. ea duplex fuit, publica, & privata. publica definitur, ea, quæ armis: privata, quæ sine armis infertur. privatis enim hominibus armorum usu tum in urbe, tum in agro lege Julia interdictum, nisi si haberent ea venationis,

itineris, navigationisve caussa, legimus in Martiano, tit. ad l. Juliam *de vi publica*. idque renovatum a Justiniano, scribit ipse in lib. Novellarum const. tit. *de armis*. sed hoc ante legem Juliam, & ante Magni Pompeii edictum. de quo legimus in Plinii naturalis historiæ lib. XXXIV. qui vetuit in tumultu necis Clodianæ ullum in urbe telum esse, primis temporibus institutum, observatumque non dubito. video enim, Servio regnante, populum Rom. ad centuriata comitia in campum extra urbem propterea convenisse, quia in urbe usus armorum interdiceretur. serpit deinde licentia: quam novis legibus & edictis reprimi necesse est. Publica vis vel contra Remp. & magistratus, vel contra privatos fiebat. contra Remp. & magistratus capitalis erat semper, contra privatos non item, sed tantummodo, cum erepta vita esset. Privatam vim non fuisse capitalem, etiamsi non probetur exemplis, facile tamen ex ipsa definitione licet existimare. Neque vero, ut de publica, item de privata prætor cognoscebat, sed judices dabat. ac ne de publica quidem semper. nam existunt controversiæ quædam de vi, quæ consistunt in jure civili, ut ea pro Cæcina: in qua non prætor, sed recuperatores, quos a prætore urbis datos judices esse jam diximus, judicarunt. ergo de publica vi modo prætor, cui ea quæstio obtigisset, (is autem nec urbanus, nec peregrinus erat, sed unus de reliquis sex) modo judices, a prætore dati, cognoscebant. dabat autem eos prætor vel urbanus, si caussa esset in jure civili, & ageretur inter cives, ut ea pro Cæcina: vel peregrinus, si ageretur inter peregrinos: vel unus de reliquis sex, si cognitio non a jure civili penderet. de privata vero nunquam prætor, semper judices a prætore dati cognoscebant, prætore autem vel peregrino, si res esset inter peregrinos: vel urbano, si civis civem in judicium vocaret, & in jure civili posita caussa esset: vel uno de reliquis, si de jure civili nulla esset consideratio. Nunc, quando de capitalibus agitur criminibus, leges de vi publica narrabimus. Plotia fuit tribunicia, de vi publica privatis civibus illata: (nam de publica contra Remp. lex Lutatia fuit) qua Catilinam ab L. Paulo, M. Lepidi, qui III. vir postea fuit, fratre, accusatum, in Sallustio legimus, Clodium a Milone, in oratione pro Milone: M. Tutium a C. Sempronio Rufo, in epistola M. Cœlii. quæ omnes caussæ, non dubito, quin capitales fuerint: cum, Catilinam & Clodium minime levibus flagitiis affines fuisse, constet, caussam autem, qua in judicium Tutius est vocatus, extraordinariam Cœlius appellet. hanc legem tulit, opinor, M. Plautius Silvanus tribunus pleb. Cn. Pompejo Strabone, L. Porcio Catone coss. is, qui, ut jam diximus, legem judiciariam tulit. Sequuntur consulares. primum Lutatia de vi Reipub. illata, quam Q. Lutatius Catulus consul, M. Æmilii Lepidi collega, in tumultu Reip. tulit: quæ festis etiam diebus judicium de vi jubebat exerceri, ut ex prooemio patet orationis pro M. Cœlio. eaque damnati sunt, qui de Catilinæ sociis in urbe remanserant. unde illud in ea pro Sylla: *Severitatem judiciorum, quæ per hos menses in homines audacissimos facta est, lenitate ac misericordia mitigate*. quod exponitur in ea pro Cœlio his verbis: *De vi quæritis. quæ lex ad imperium, ad majestatem, ad statum patriæ, ad salutem omnium pertinet: quam legem Q. Catulus, armata dissensione civium Reip. extremis pæne temporibus tulit: quæque lex, sedata illa flamma consulatus mei, fumantes reliquias conjurationis exstinxit*. Ex quo mihi oritur opinio, in oratione, quæ Sallustii nomine in Ciceronem inscribitur, ubi *legis Plautiæ* legitur, rectius fore, si legatur, *legis Lutatiæ*: cum eo loco de conjuratorum damnatione verba fiant, qui vim non in privatos cives, quæ

A lege Plotia judicabatur, sed in universam Remp. comparaverant, cujus criminis quæstio Lutatiam ad legem pertinebat. & ob eam caussam ipse Cicero pro Cœlio dixit: *Quæ lex fumantes reliquias conjurationis exstinxit*: cum de Lutatia lege loqueretur. Sed quæri potest: cum Plautia lex de vi, Ciceronis ætate servaretur, cur M. Cœlius, pro quo exstat Ciceronis oratio, Lutatia lege potius, quam Plautia, sit ab Atratino in judicium vocatus. quid enim adversus Rempub. Cœlius commiserat? Facile respondetur: non quod Romæ aut senatum obsedisset, aut magistratibus vim attulisset: sed quod, seditione Neapoli concitata, (id enim objiciebat accusator) intulisse vim Reip. videretur. nam in oratione quodam in loco ita scriptum est: *Illam partem caussæ facile patior graviter, & ornate a M. Crasso peroratam, de seditionibus Neapolitanis, de Alexandrinorum pulsatione Puteolana*. quod attinebat ad Alexandrinorum pulsationem, aut ad venenum, quod Clodiæ necandæ caussa paratum esse arguebat accusator, quibus in criminibus non publica, sed privata res agebatur, postulatus esset Cœlius lege Plotia, non Lutatia: sed cum simul crimen de seditione Neapolitana conjungeretur, quæ ad imperium statumque Reip. pertinebat, propterea C lege Lutatia est accusatus. atque hanc quidem partem caussæ M. Crassus egit: illam de veneno Clodiæ dato libenter Cicero suscepit, inimicitiarum caussa. sed principem locum dedit accusator, quo gravius reum opprimeret, seditionibus Neapolitanis, ideoque lege Lutatia accusavit; cum tamen, præter seditiones Neapolitanas, alia crimina objiceret, lege Plotia, non Lutatia, vindicanda. nam, damnatos esse reos aliis criminibus, ac legibus, quam quo potissimum crimine, quaque potissimum lege essent accusati, colligitur ex oratione pro Cluentio. erat igitur utrique legi locus eodem tempore in civitate: quia, cum diversa essent de publica D vi crimina, diversis etiam quæri legibus oportebat. Post Lutatiam consularis Pompeja fuit, a Cn. Pompejo Magno III. consule post occisum Clodium lata: quæ & pœnam graviorem, quam reliquæ de vi superiores leges, & formam judiciorum breviorem continebat. jubebat enim, ut prius, quam caussa ageretur, citati testes per triduum audirentur: dicta eorum judices consignarent: quarta die adesse omnes in diem posterum juberentur, & coram accusatore ac reo pilæ, in quibus nomina judicium inscripta essent, æquarentur: dein rursus postera die a quæsitore sortitio judicum fieret unius & LXXX. E qui numerus cum sorte obtigisset, ipsi protinus sessum irent: tum ad dicendum duas accusator horas, tres reus haberet, reusque eodem die illo judicaretur: prius autem quam sententiæ ferrentur, quinos ex singulis ordinibus accusator, totidem reus rejiceret, ita ut numerus judicum relinqueretur, qui sententias ferrent LI. hac lege qui damnati sunt, omnes exularunt, Milo, quia Clodium occidisset: Q. Pompejus, Syllæ dictatoris ex filia nepos, T. Munatius Plancus Bursa, Sex. Clodius, quod, iis auctoribus P. Clodii corpore in curiam illato, curia flagrasset. cum cæde enim Clodii, in Appia via facta, incendium simul curiæ, & oppu- F gnationem domus M. Lepidi Pompejus ea lege nominatim comprehenderat. sed hos postea, & omnes lege Pompeja de vi damnatos, uno Milone excepto, victor C. Cæsar restituit. Pompejam consularis Julia secuta est, a C. Cæsare post victum Pompejum lata, ut damnatis de vi aqua & igni interdiceretur. sic enim oratione I. in Antonium scriptum invenimus. Aqua vero, & igni interdicere, nihil aliud est, quam exilium, non nominatim, sed re ipsa inferre. damnato enim necessitas imponitur exilii, ope ea denegata atque interdicta, sine qua vivi non potest. quod etiam Pompeja, &

ante Pompejam Plautia, & aliæ quoque superiores leges, ut puto, sanxerant. itaque non dubito, quin Cæsar una lege novam sententiam, ad vim removendam, attulerit. Quod autem jurisconsultorum in libris ita scriptum est, deportationem de vi publica damnatis, de privata vero publicationem bonorum in tertiam partem Julia lege irrogatam, possit aliquis suspicari, cum videat mentionem fieri deportationis, non esse legem Juliam, de qua Cicero mentionem facit, sed duas fuisse leges Julias, unam a C. Cæsare latam, alteram ab Augusto. ego autem sic existimo, unam omnino fuisse. nam, si duæ, aliquid crederem jurisconsultorum in libris, distinctionis caussa, additum: sicuti, ad legem Juliam de adulteriis, addit Ulpianus: *Hæc lex ab Augusto lata est*: ne qua scilicet ex Juliæ nomine dubitatio posset existere. unam igitur de vi puto Juliam legem, eamque latam a C. Cæsare. nam, quod deportatio nominatur, quæ ante Augustum nulla fuit, sciendum est, sublata aquæ & ignis interdictione, eam successisse: cum tamen veteres eædem leges valerent. itaque & in lege Cornelia de sicariis & veneficiis, quam tulit L. Sylla Reip. temporibus, deportationem tamen Martianus nominat. sed redeo ad sententiam legis. Si commissa vis armis non esset, verum aut virgo, aut vidua rapta esset: raptor, & qui opem tulisset, capite plectebatur. *Hac lege tenebantur*, ut Martianus ait, *qui turbæ seditionisve faciendæ consilium iniissent, servosve, aut liberos homines in armis habuissent, omnesque puberes cum telo in publico deprehensi*. Subjungit idem: *de vi privata damnatos, neque senatores, neque decuriones, neque judices esse, neque honorem ullum capere, Julia lege, potuisse*. Consularis & Antonia, a M. Antonio post obitum C. Cæsaris lata, ut damnatis de vi ad populum provocatio esset. quod ad conciliandos sibi multitudinis animos, qui tyrannidem spectaret, excogitavit. Harum autem legum testimonia non recito, ne perdat narratio dignitatem, neve non modo aliis, verum etiam ipse mihi molestiam pariam, dum illa crebro repetantur, *ut ait*, *ut scribit*, & ejusdem generis alia.

CAP. XXIV.

Leges de peculatu & residuis.

PECULATUS a principio gravissima pœna fuit duarum ovium, & triginta boum, lege Menenia, Sestia: postea lege Ateria, Tarpeja cautum est, ut bos centussibus, ovis decussibus æstimaretur. quæ ne levior, & contemnenda multa videretur, addit Gellius, quod omisit Festus, *in singulos dies*. tot autem, opinor, dies, quot magistratus judicasset, præter æstimationem furti. Peculatus igitur eo tempore capitalis non fuit. quod Livius quoque significat lib. XXVII. cum ait: *M. Livius erat, multis annis ante ex consulatu populi judicio damnatus. quam ignominiam adeo ægre tulerat, ut & rus migraret, & per multos annos & urbe & omni cœtu careret hominum*. Ex his verbis, non esse M. Livio, qui postea Salinator est appellatus, aqua & igni interdictum, sed affectum animo graviter ex eo judicio, iratum populo, sua sponte urbe cessisse, animadverto. eum autem peculatus nomine a populo esse damnatum, ex eo libello didici, quem nescio quis de viris illustribus composuit. est enim in eo ita scriptum: *Livius Salinator primo consul de Illyriis triumphavit: deinde, ex invidia, peculatus reus ab omnibus tribubus, excepta Mæcia, condemnatus*. & apud Livium lib. XXXVIII. damnato de peculatu L. Scipione Asiatico, Africani majoris fratre, litis æstimatæ, & carceris, nisi solveret, A mentio fit: aquæ vero & ignis interdictio nulla nominatur. habemus etiam exemplum M. Camilli, qui urbem Romam obsidione Gallorum liberavit. hic ob Vejentanam prædam, ut ait Livius, a L. Appulejo accusatus, XV. millibus gravis æris damnatus est. abiit autem in exilium ante judicii diem: quia cum, se damnatum iri, de suis tribulibus & clientibus cognovisset, de patria maluit decedere, quam iniquissimam multam, populi suffragiis irrogatam, exsolvere. nam damnatis de peculatu vel solvendum erat quanti lis esset æstimata, vel in vinculis, quoad solverent, miserrime vivendum. quod in Scipionis Asiatici judicio, quo de proxime B dictum est, Livius significat. quod si reus, judicio non exspectato, in exilium voluntarium abiisset: tunc accusationem quidem is, qui cœperat, persequebatur: reum tamen absentem non alia quam pecuniaria pœna populus condemnabat: eamque pecuniam solvere, si rediret, damnatus cogebatur, aut, si solvendo non esset, in carcerem ire. &, cum ait Livius de Camillo lib. V. *Non prius ab Ardea profectum Camillum quam comperit legem latam: quod injussu populi mutari finibus non posset*: non significat, quod fortasse videri possit, non licuisse Camillo aliam in civitatem, extra populi Rom. ditio- C nem, migrare: sed, non potuisse Romam redire, nisi, quam ab eo solvi pecuniam populus jusserat, aut solveret, aut, lege lata, rescissoque populi judicio liberaretur. non enim in exilium ire coactus esset, si multæ satisfecisset. idque satis aperte Livius declarat, cum ait: *Accitis domum tribulibus & clientibus, quæ magna pars plebis erat, percunctatus animos eorum, responsum tulit: se collaturos quanti damnatus esset, absolvere eum non posse*. quare non fuit capitalis peculatus, cum pecunia puniretur: sed, vel quia solvere multam rei non possent, vel quia nollent, ut Camillus, tanquam in exilium proficiscebantur.. Quod si quis de Marcio Coriolano id, D quod Dionysius & Plutarchus tradiderunt, mihi objiciat, perpetuo exilio a tribubus esse multatum, quod prædam in Antiati agro factam occultasset, nec in publicum retulisset: fatebor fortasse, peculatum fuisse, quo Marcius est condemnatus, judicium tamen illud non vocabo, sed vim quandam & impetum multitudinis concitatæ. ulcisci plebs cum alias injurias a Marcio acceptas, tum illam maxime voluit, quod cum frumentum a senatu peteret, unus ex omnibus patriciis acerrime restiterat. quare in illo judicio nihil minus, quam quid leges vellent, a plebe spectatum est. Quod autem Dio- E nysius & Plutarchus, non absentem, sed præsentem, Livius autem contra damnatum absentem tradit, Livio magis assenserim: est enim verisimilius, Coriolanum, irritatæ plebis vim timentem, judicio se non commisisse, & ante judicii diem urbe exiisse. Accedit illud, quod, etsi de Coriolani exilio inter omnes convenit, de crimine tamen, quo damnatus est, non idem omnes tradunt. Plutarchus peculatum memorat. Livius delicti nomen non ponit. Dionysius nominatam quidem a Sicinio tribuno pleb. prædam Antiatem in Coriolani accusatione significat, sed ut peduellionis crimen, quod illi objectum erat, probaretur: quod eam prædam Coriola- F nus amicis & clientibus divisisset, eo consilio, ut socios & satellites ad parandam tyrannidem quamplurimos haberet. quare, si verum est quod Græci homines scriptum reliquere, multatum exilio Coriolanum, cum Livius, non damnatum exilio, sed damnatum in Volscos exulatum abiisse tradat, ut significare quiddam de voluntario exilio videri possit: tamen, vel quia judicium illud non fuit, sed furentis plebis impetus, vel quia cum peculatu conjunctum una fuit perduellionis crimen: nihil obstat, quin peculatum ex eo genere criminum fuisse credamus, quo in genere non capitis erat, sed pecuniæ pœna

constituta. Hoc de crimine lex nulla nominatur: sed ante M. Æmilium Lepidum, C. Flaminium coss. quo anno superior Africanus a duobus Petiliis tribunis pleb. est accusatus, judicem senatum fuisse, Livius libro XXXVIII. significat his verbis: *Huic rogationi Q. & L. Nummii intercedebant. senatum quærere de pecunia non relata in publicum, ita ut antea semper factum esset, æquum censebant.* tum Q. Terentium Culeonem prætorem de pecunia, quæ capta, ablata, coacta ab rege Antiocho diceretur, quærere patres jusserunt. eoque cognoscente L. Scipio Asiaticus damnatus est. me tamen idem Livius in dubitationem adducit, senatus ne, an
B populus ante eos consules, quos nominavi, de peculatu quæsierit. scribit enim duobus libris, XXVII. & XXIX. M. Livium Salinatorem post priorem consulatum a populo esse condemnatum, ideoque eum, cum censuram gereret, tribus omnes, excepta Mæcia, in ærarios retulisse, quod & innocentem se condemnassent, & consulem postea censoremque fecissent. eam porro damnationem peculatus nomine fuisse, docet is, ut jam ostendi, qui de viris illustribus librum conscripsit. parum igitur ipse sibi constare Livius videtur, qui ante consules M. Æmilium & C. Flaminium semper de peculatu senatum quæsiisse affirmet, cum idem eo de crimine M. Livium,
C populo judicante, damnatum ante dixerit. sed videlicet existimo, quovis de crimine, si tribunus pleb. aliquis esset accusator, populum judicare potuisse. id quod ante dictum est, exemplisque comprobatum. quare, ne gravis auctor, T. Livius, damnetur inconstantiæ, locum hæc habeat exceptio. Post Africani ejusque fratris Asiatici accusationem, prætor cum judicum consilio de iis, qui peculatus arguerentur, quæstionem exercuit. id opinor lege ab aliquo magistratu lata institutum. alioqui quod senatus universi munus erat, ad prætorem, certumque judicum numerum, senatu negligente, translatum, vix putarim. Lege postea Julia capitalis peculatus
D factus est: quod jurisconsulti declarant. nec injuria: cum & repetundarum crimen, huic admodum simile, capitale jam antea fuisset. cur enim, quod sociis tribuebatur, id ærarii, hoc est, civium caussa minus fieret? tametsi Cæsar, cum tam acriter de peculatu cavit, suam potius rem, quam publicam spectavit. sibi enim, qui omnia teneret, furtum fieri statuit, non Reipub. Lege autem peculatus tenebatur, *si quis pecuniam publicam surripuisset; vel, ut surriperetur, curasset: si quis in aurum, argentumve, aut æs publicum quid indidisset, vel immiscuisset, fecissetque dolo malo, quo id pejus fieret.*
E Hæc apud Ulpianum scripta sunt. Quod autem additur, eadem Julia lege obstrictos fuisse, qui æs, in quo leges incisæ erant, refixisset, vel quid immutasset, aut in publicis tabulis delevisset, induxissetve: hæc ego non ad peculatum, sed ad majestatem retulerim. quod si pretio commissum id fuisset: ne sic quidem peculatus mihi videtur, sed damnandi potius majestatis & corruptus, & corruptor. quædam enim incerta crimina in majestatem conferebantur: neque aliud crimen patebat latius. atque etiam, quod in lege Julia peculatus ait Ulpianus scriptum fuisse, *ne quis ex pecunia sacra religiosaque auferret, interciperet, in rem suam verteret,*
F non peculatum magis, quam sacrilegium fuisse existimaverim. Hæc præterea sunt in crimine peculatus: si quis imperator pecuniam ex præda captam penes se privatim retinuisset, eamque nec in triumpho tulisset, nec in ærarium retulisset. Pœna peculatus vel pecuniaria fuit, vel capitalis: nam, qui prædam ab hostibus captam surripuerat, in quadruplum damnabatur: cæteris autem aqua & igni interdicebatur. postea irrogata est alia lege deportatio, abrogata interdictionis pœna. deportati vero, quod in Ulpiano legimus, sicut omnia pri-
A stina jura, ita & bona amittunt omnia. Et quoniam ut repetundæ, ita peculatus publicum furtum fuit; propterea ut in repetundis, sic in peculatu æstimationes fiebant litium, contraque heredes, ut scripsit Papinianus ad legem Juliam peculatus, actio dabatur. peculatum tamen, qui ante quinquennium esset admissus, objici non oportuit, si Venulejo credimus. Cum peculatu residuæ pecuniæ conjunguntur. damnum enim utroque modo infertur ærario. residuæ autem pecuniæ sunt, ut ait Paulus, quæ privatim retinentur, cum vel in usum publicum erogari, vel in ærarium inferri debeant.
B nec minus in hoc crimine, quam in peculatu, actio adversus heredes dabatur: quæque de peculatu, eadem residuis de pecuniis lex cavebat. ut non dubitem, quin eadem pœna sit damnatis irrogata. amplius quidem tertia parte, quam deberent, solvisse eos, qui de residuis pecuniis damnarentur, Martianus ait. capitis autem lege Julia esse damnatos, verisimillimum est.

CAP. XXV.

Leges de sicariis.

C INTER sicarios grave crimen fuit, & ad vim pertinuit, propria tamen lege Cornelia vindicatum est, sicuti nec de perduellionis crimine, quod ad majestatem pertinuit, eadem lege, qua de reliquis majestatis criminibus, quæsitum est: cum de perduellione populus, de reliqua vero majestate prætor cognosceret. Lege de sicariis Cornelia, quam dictator Sylla tulit, tenebatur qui hominem occidisset, aut occidendi caussa cum telo ambulasset, vel venenum parasset, habuisset, vendidisset: sive quis privatus testimonium dolo malo dixisset, quo quis judicio publico condemnaretur: aut si magistra-
D tus ob capitalem caussam pecuniam accepisset, eorumve quid fecisset, quod legibus permissum non esset. adjectum est ex S. C. eadem lege teneri eos, qui homines libidinis, vel, ut jurisconsulti loquuntur, promercii caussa castravissent, aut filios, exceptis Judæis, circumcidissent, sacrificiave mala fecissent, habuissent. excipiuntur tamen hac lege, qui occidissent perfugam, vel vim inferentem, vel pudicitiam violenter attentantem. exceperat etiam eos Sylla, qui ob relata proscriptorum civium capita pecuniam ex ærario accepissent: quos tamen postea C. Cæsar, cum de sicariis quæreret, in sicariorum
E numero habuit. hac lege tenebantur etiam ii, quorum fraude, aut consilio naufragi per vim suppressi fuissent, quive data opera in eorum, quos odissent, res atque bona incendium immisissent. Hic, quæ pœna esset lege Cornelia iis, qui hominem occidissent, fortasse quæretur. mors, ut jam significavimus, non fuit, sed aquæ & ignis interdictio. nam Cato censorius, cives Romanos necari, aut verberari, perduellibus exceptis, lege lata vetuit. quod si quis objiciat, a Nasica Ti. Gracchum, ab Opimio Cajum, a Mario Saturninum & Glauciam, a Cicerone ipso cives Romanos vita privatos, neque tamen quemquam eorum lege Porcia condemna-
F tum: huic facile satisfieri poterit, si ita respondebitur: cum S. C. illud fieret, quo deventum nisi difficillimis ac periculosissimis Reipub. temporibus non esse, traditum est: *Darent operam consules, ne quid Respub. detrimenti caperet,* jacuisse prorsus legem Porciam, & impune licuisse cives seditiosos, nec salutariter de patria cogitantes interficere. quibus S. C. excitati atque armati Nasica, Opimius, Marius, Cicero, fecerunt id contra legem Porciam, quod nisi fecissent, timendum magnopere fuit, ne leges reliquæ omnes perniciosis malorum civium consiliis ac scelere, conciderent. leges enim

ad ſalutem publicam referuntur. ea cum in dubium A venit, ſi legibus ſubvenire non licet, ad vim confugitur. eaque juſta vis, ea pietas in patriam eſt, nullo neque præſenti, neque poſteritatis judicio damnata, ſed omnium ſæculorum perpetuis ſermonibus ac laudibus excepta. Atque hanc in cives ultimo ſupplicio animadvertendi poteſtatem non niſi S. C. ut diximus, conſulibus eſſe datam (nam legibus multare cives morte non licebat) illa in Catilinam indicant: *Ad mortem te Catilina duci juſſu conſulis jam pridem oportebat. habemus enim S. C. in te Catilina vehemens, & grave. non deeſt Reipub. conſilium, neque auctoritas hujus ordinis. nos, nos, dico aperte, conſules deſumus. Decrevit quondam* B *ſenatus, ut L. Opimius conſul videret, ne quid Reſp. detrimenti caperet. nox nulla interceſſit: mox interfectus eſt propter quaſdam ſeditionum ſuſpiciones C. Gracchus, clariſſimo patre natus, avis, majoribus: occiſus eſt cum liberis M. Fulvius conſularis. ſimili S. C. C. Mario, L. Valerio coſſ. permiſſa eſt Reſp. num unum diem poſtea L. Saturninum tribunum pleb. & C. Servilium prætorem pœna remorata eſt? at nos vigeſimum jam diem patimur hebeſcere aciem horum auctoritatis. habemus enim ejuſmodi S. C. veruntamen in tabulis, tanquam in vagina, reconditum. quo ex S. C. confeſtim interfectum te Catilina* C *convenit*. & Salluſtius in Catilinario: *Senatus decrevit, quod plerumque in atroci negotio ſolet, Ut darent operam conſules, ne quid Reſp. detrimenti caperet. ea poteſtas per ſenatum more Romano magiſtratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis ſocios, atque cives, domi militiæque imperium atque judicium ſummum habere. aliter ſine populi juſſu nulli earum rerum conſuli jus eſt*. Verum quia S. C. hujuſmodi non niſi adverſus eos cives fieri ſolitum eſt, qui vel pernicioſis legibus, vel armis, vel alia quavis ratione Remp. oppugnarent, perduelles fuiſſe T. & C. Gracchos, Saturninum, Glauciam, Catilinam, ejuſque ſo- D cios, ideoque non modo S. C. ſed lege quoque Porcia concedente, jure cæſos, licet exiſtimare. Opponitur etiam illud, quod a Pediano traditum eſt: *L. Tubulus, homo prætorius, ætate patrum Ciceronis, propter multa flagitia, cum de exilio eſſet accerſitus, ne in cacere necaretur, venenum bibit*. qui ſi necem timuit, non videtur, ſatis ſibi conſtitutum fuiſſe præſidii in lege Porcia, judicaſſe. Ego contra ſic. Potuit Tubulus commiſſi perduellionis, quo crimine damnatos affici extremo ſupplicio neque Porcia, nequa ulla omnino lex vetabat, ſibi eſſe conſcius: ideoque mortem jure pertimeſcens, ne in carcere necaretur, venenum bibit. potuit etiam, per- E duellione non commiſſo, deterritus conſcientia potius, quam legibus, mortem timere, ut ii, quos aliquo ſcelere contaminatos furiæ vexant, horrent omnia: quocunque adſpexerint, aut venerint, ibi carcer, ibi carnifex, ibi laqueus, & ſecuris, ibi factis eorum digna ſibi videntur intueri. timuit igitur Tubulus, ne quemadmodum multi ob recte facta legibus ſoluti ſunt, ut ſummos honores ante legitimam ætatem, aut aliquid, quod nemini præterea concedi ſoleret, conſequerentur: ſic ipſe, quandoquidem ſe ab exilio revocari videret, exilio gravius aliquid, mortem nimirum, vel contra leges ob F flagitia plurima ſubire cogeretur. certe, quo minus de Porciæ legis perpetua vi, perpetua, inquam, ad uſque poſtrema Reipub. tempora, in dubium veniam, facit illa vox Ciceronis in Verrem lib. v. *O nomen dulce libertatis! o lex Porcia, legeſque Semproniæ! huccine tandem omnia reciderunt, ut civis Romanus, in provincia populi Rom. in oppido fœderato, ab eo, qui beneficio populi Rom. faſces & ſecures haberet, deligatus in foro virgis cæderetur?* & pro C. Rabirio perduellionis reo, *Porcia lex*, inquit, *virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit: hic miſericors flagella retulit. Porcia lex libertatem civium lictori eripuit: Labienus, homo popularis, carnifici tradidit*. jam illa C. Cæſaris apud Salluſtium, ſi pro perduellibus, Lentulo, Cethego, Gabinio, & reliquis, Reip. ſtatum non leviter labefactare, ſed omnino convellere conantibus, dicuntur: quanto plus habere loci videantur, ſi pro civibus, qui privatis hominibus vim attulerint, nihil adverſus majeſtatem publicam deliquerint, pronuncientur? *Per deos*, inquit, *immortales, quamobrem in ſententiam non addidiſti, uti prius verberibus in eos animadverteretur? an, quia lex Porcia vetat? atqui & aliæ item leges condemnatis civibus non animam eripi, ſed exilium permitti, jubent*. & infra: *Majores noſtri, Græciæ morem imitati, verberibus animadvertebant in cives, de condemnatis ſummum ſupplicium ſumebant. poſtquam Reſp. adolevit, & multitudine civium factiones valuere: circumveniri innocentes, aliaque hujuſcemodi fieri cœpere. tunc lex Porcia, aliæque leges paratæ ſunt, quibus legibus exilium damnatis permiſſum eſt*. Exſtat etiam Milonis exemplum. qui ſi, occiſo P. Clodio, de qua nece & quærendum extra ordinem, ut in atrociſſima re ſenatus cenſuit, & a Pompejo Magno conſule lata nova lex eſt, Porciæ legis beneficio vitam retinuit, civili tantum morte, hoc eſt, exilio, affectus eſt: multo magis reliquos cives, qui leviora delicta commiſiſſent, ejuſdem legis perfugio eſſe uſos, naturalemque mortem effugiſſe, credibile eſt. At in oratione pro Cæcina, & in primo de Oratore, mors, quaſi pœna legibus irrogata, nominatur. nam pro Cæcina: *Nulla*, inquit, *in lege noſtra reperietur, ut apud cæteras civitates, maleficium ullum exilio eſſe multatum: ſed, cum homines vincula, neces, ignominiamque vitant, quæ ſunt legibus conſtituta, confugiunt, quaſi ad aram, in exilium*. de Oratore autem: *Vitia hominum, atque fraudes damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exiliis, morte multantur*. Hæc loca legem Porciam non infirmant, ſed ad perduellionis crimen ſpectant. quo uno in crimine cives Romanos occidi vetuſtis legibus licuiſſe, jam diximus: quas tanquam civitati ſalutares, neque Porcia, neque lex ulla unquam abrogavit. Sed venit in mentem quærere, magiſtratus ne ſoli, quorum in vindicandis reis poteſtas eſſet, an etiam privati lege Porcia tenerentur. Primum, ubicunque hujus legis mentionem fieri video, verbum nullum animadverto, quod ad privatos referri poſſit: ad magiſtratus omnia manifeſte ſpectant: idque ea maxime, quæ proxime recitata ſunt, Salluſtii verba declarant. deinde, quorſum de privatis? an veriſimile, nullam antea in civitate legem de vi fuiſſe? an poteſt ulla civitas ſine legibus, præſertim iis, quæ injurias arceant, non dico diu vigere, ſed omnino ſtare, atque incolumis eſſe? ante igitur de privatorum vi leges multæ. magiſtratus autem a corporibus civium Romanorum abſtinere prima juſſit Porcia lex: quam deinde aliis legibus idem jubentibus confirmatam, Salluſtii teſtimonio cognoſcitur. ſed, ut de privatis Porcia non loqueretur, intelligi tamen, quis non videt? nam quæ poteſtas & magiſtratibus, & contra ſontes, omnique ſupplicio dignos adimitur, an ea privatis relinquetur? Reſtat, ut ſoli peregrini, ſi modo ita meriti eſſent, necarentur. id quo minus fieri liceret, nulla lex unquam vetuit. & faſces illi ac ſecures, quæ magiſtratibus præferebantur, poteſtatis quidem, vetuſto more, erant inſignia, ejus tamen poteſtatis, quam in peregrinos tantum liceret exercere. exilium, publicatio bonorum, carcer nocentibus civibus propoſita fuerunt: mors, niſi ſi quis & in ipſam Rempub. & quam acerbiſſime peccaſſet, (omnium enim de majeſtate criminum perduellio ſummum erat) timenda non fuit. Illud miror, cum prætor de crimine inter ſicarios quærere ſolret,

Suetonium tradere, C. Cæsarem in ædilitate quæstionem de sicariis exercuisse. quod fortasse illi a senatu extra ordinem mandatum. Quod autem a Martiano scriptum est, ut digestorum lib. XLVIII. constat, legis Corneliæ de sicariis & veneficis pœnam fuisse deportationem in insulam: nolo aliquem ideo perturbari, quia, Sylla dictatore, id est, Reipub. temporibus, deportatio nominetur. quod a me jam negatum est. nam Sylla pœnam irrogavit aquæ & ignis interdictionem: cujus in locum deinde successit deportatio, ut Ulpianus non semel Justinianusque declarant. spectavit igitur Martianus sui temporis consuetudinem, pœnamque nominavit, non eam, quam in sua lege scripserat Sylla, sed eam, qua tunc, sublata aquæ & ignis interdictione, lege Cornelia damnati plectebantur. manebat enim, & observabatur eadem lex, pœna mutata.

CAP. XXVI.

Leges de parricidio & patricidio.

De parricidio prima fuit Romuli, primi regis, lex: quæ permittebat, ut monstruosi partus impune possent necari, vel exponi. hanc legem, ut alias, a familia nominare volumus, Silviam licebit appellare. est enim Romulus Silviæ gentis prænomen: reliquique sex, qui Romæ regnarunt, suum omnes nomen, & prænomen habuerunt. Tulit idem de parricidio, id est, de cæde hominis liberi. nam adversus eos, qui patrem, aut matrem occidissent, pœnam nullam statuit: qui neminem unquam tam ab humanitate aversum, tam naturæ inimicum fore existimaret, ut parentibus, unde vitam ipsam ac lucis usuram accepisset, manus afferret. neque per annos DC. Romæ quisquam tale facinus perpetravit. post Hannibalis bellum L. Ostius patrem fertur primus occidisse. Romulus autem, quicunque hominem occidisset, parricidam appellari voluit. Etiam Numa Pompilius legem his verbis composuit, ac edidit: *Si quis hominem liberum sciens morti duit, parricida esto.* qua lege Tullus Hostilius rex Horatium illum, qui sororem occiderat, voluit judicari. Postremis Reip. temporibus pœnas adversus parricidas, lege lata, C. Cæsar auxit. tulit enim, ut parricidæ non exilio solum, ut antea, sed bonis etiam omnibus multarentur: reliqui vero, capitalium rerum condemnati, dimidia bonorum parte, cum antea integris patrimoniis exularent. Hic, propter nominis potius, quam rei similitudinem, leges de patricidio subjungemus. aliud enim est, esse parricidam, aliud, esse patricidam. parricida parem occidit, hoc est, civis civem: patricida patrem, ut matricida matrem. Sanxit igitur lege Pompejus Magnus, ut, qui hoc tam impio crimine damnatus esset, insutus culeo cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia, in mare vel in amnem projectus, vitam, omnium elementorum usu privatus, amitteret. hoc & ante L. Sylla Felix lege sanxerat: sed Pompeius nova lege correxit, addiditque multa, & inter ea ut, non qui patrem matremve tantum, verum etiam qui cognatos, aut patronos occidissent, patricidii lege tenerentur. tametsi non omnes eadem pœna afficiebantur. nam, qui cognatos, aut patronos occiderant, iis pœna erat ea, quam lex Cornelia de sicariis irrogabat. summo autem illo, quod memoravimus, supplicio, quod a rege Superbo excogitatum historiæ narrant, ut puniret gravius M. Tullium II. virum, qui librum de sacris mysteriis describendum Petronio Sabino tradidisset, mactabantur ii, qui patrem aut matrem, avum aut aviam necassent. de quibus tamen, nisi confessi prius essent, supplicium sumi leges vetabant.

CAP. XXVII.

Leges de veneficio.

Nunc de veneficio dicendum. locus autem videtur postulare, ut, antequam ad leges veniamus, quæ nobis est proposita tractatio, nova quædam afferamus, quæ fore non inutilia credimus non modo litterarum humanarum studiosis, verum etiam ipsis jurisconsultis, iis quidem, qui paulo splendidiorem doctrinam colunt, quales maxime novimus, excellenti non minus humanitate, quam doctrina præditos viros, Romæ, Silvestrum Aldobrandinum, Antonium Augustinum: Florentiæ, Lælium Taurellum: Mediolani, M. Antonium Caymum: Veronæ, Franciscum Morandum: Brixiæ, Jacobum Chiziolam, Vincentium Portulacam, qui Latine scribendi elegantia, meo judicio, ad antiquorum laudem accedit proxime: Patavii vero, jus civile eximia cum laude profitentem, Vidum Pancirolum, familiarem meum, qui noctes vigilat serenas, ut ait Lucretius, assiduoque studio antiquitatem ex tenebris educit. Primum igitur illud ponatur, veneficii crimen fuisse capitale: alterum, de eo quæsiisse non prætorem modo, qui & judex quæstionis dicebatur, verum etiam judicem quæstionis, qui prætor interdum non erat: tertium, videri mihi satis manifesto errore Budæum, virum alioqui bene doctum, in suis annotationibus esse lapsum, qui criminalibus, ut appellant, in caussis, præter prætorem urbanum, neminem quæsiisse: eumque tum, nomine commutato, judicem quæstionis esse dictum, tradiderit. Capitale fuisse veneficium, indicat exilium Oppianici, de veneficio condemnati, cujus mentio fit in ea pro Cluentio: & illud in eadem, cum futurum ait Cicero, si Cluentius veneficii reus damnetur, ut patris sepulchro privetur. clarissime autem hoc significatur Institutionum juris civilis libro IV. Probemus alterum, quod paulo difficilius videtur: Judicum quæstionis duo video fuisse genera: unum eorum, qui, cum prætores essent, quæstionis etiam judices appellabantur: alterum eorum, qui, cum prætores non essent, capitali tamen de crimine quærebant. de judice quæstionis prætore, patet ex ea, quam proxime nominavi, pro Cluentio, in qua ita scriptum est: *Jubet lex, judicem quæstionis, hoc est, Q. Voconium, eosque, qui illi judices obvenerint, quærere de veneno.* Voconium autem prætorem fuisse, duobus argumentis conjicio: primum, quod in eo loco paulo ante Cicero dixit: *Quid sibi illi scribæ? quid lictores? quid cæteri, quos apparere huic quæstioni video, volunt?* lictores enim, qui magistratum non gereret, non habebat. judicem autem quæstionis magistratus nomen fuisse, certe nemo dixerit. Alterum argumentum est, quod ibidem Cicero subjungit de aliis prætoribus, suam unoquoque quæstionem exercente: *Hæc*, inquit, *quæstio sola ita gubernatur? quid M. Plætorii, & C. Flaminini inter sicarios? quid C. Orchinii peculatus? quid mea de pecuniis repetundis? quid C. Aquillii de ambitu? quid reliquæ quæstiones?* quibus ex verbis, prætorem fuisse Voconium, qui judex quæstionis appellatur, quis non intelligit? nam, etsi prætores non nominat, satis tamen constat, de prætoribus intelligi. a quibus enim & tot quæstiones, nisi a prætoribus, & tam graves exercerentur, inter sicarios, de repetundis, de ambitu, peculatus, præterea, se quæsiisse de repetundis, in eo loco Cicero dicit. quod ab eo factum in prætura, Valerius & Plutarchus confirmant. ut omittam, quod quæsitorem Aquillium nominat: cujus annum fuisse legitimum, eundem qui Ciceroni, ad petendum consulatum, prima docet ad Atticum epistola. ex quo, fuisse collegas in prætura, licet existimare. quod etiam libr. II. de officiis manifestum est. col-

legam enim suum Cicero appellat. Rursus judicem quæstionis Junium, qui prætor non erat, quæsiisse de veneno in Oppianici caussa, docet Pedianus his verbis: *Junius quæsitor fuit in Cluentii caussa, Verre prætore: in qua Oppianicus damnatus est.* & alio loco: *Damnato Oppianico, res in invidia fuit, quod pecunia reus videretur oppressus: & princeps illorum judicum damnatus est C. Junius, quod diceretur alios suppofuisse, qui reum damnarent, non eos, quos prætor Verres fuerat subsortitus.* neque hic eum Pedianus, neque supra prætorem nominavit. Cicero autem in ea pro Cluentio, *Condemnatus est*, inquit, *C. Junius, qui ei quæstioni præfuerat; adde etiam illud, si placet: tum est condemnatus, cum esset judex quæstionis.* & alio loco: *Quinctius tribunus pleb. convicium C. Junio judici quæstionis maximum fecit.* non fuisse autem prætorem, aperte, sic inquam aperte, ut clarius esse nihil possit, idem demonstrat in eadem, his verbis: *In hanc flammam recentem C. Junium, qui illi quæstioni præfuerat, injectum esse memini, & illum, hominem ædilicium, jam prætorem opinionibus hominum constitutum, de civitate esse sublatum.* Ecce, non *prætorium*, sed *prætorem opinionibus hominum constitutum* dicit: quod, eum prætorem sine dubio futurum, homines opinarentur. prætor autem si fuisset, non eum ædilicium, sed prætorium vocasset: laudabant enim veteres, ubi ornare aliquem vellent, ab eo magistratu, quem postremum gessisset: itaque, homo ædilicius, prætorius, consularis, dicebant. Præterea, cum prætores in leges non juraverint, neque sententias tulerint, quod & Cicero & Pedianus docent; a Junio autem judice quæstionis ideo multa petita sit, ut in oratione pro Cluentio legimus, quia in legem non jurasset: (erat enim illi jurandum idem quod in judicibus, leges omnino se esse in ferenda sententia servaturum) satis constat, Junium, cum de Oppianico quæsivit, prætorem non fuisse. Quod si quis dixerit, non tam Junium judicem quæstionis, quam Verrem prætorem, in illa Oppianici caussa quæsiisse, quia Pedianus ita dicat: *Junius quæsitor fuit in Cluentii caussa, Verre prætore.* & quia idem alio loco sortitionem & subsortitionem a Verre prætore factam tradiderit: huic ita responderi poterit, sortitionem & subsortitionem non illius modo judicii, verum etiam aliorum ideo pertinuisse ad C. Verrem, quia prætor urb. erat. quod ipse declarat Cicero in ea pro Cluentio. prætor autem urbanus de criminibus non quærebat: quare nec unquam quæsitor dicebatur, sed jus tantum dicebat, hoc est, judices & formam judicii dabat. idemque judices, quibus alii prætores ad cognoscendas capitales caussas uterentur, sortiebatur & subsortiebatur. quod ex Pediano, & ex ipso etiam Cicerone satis liquet. Accedit locus ex libr. I. accusationis in Verrem: quo in loco Q. Curtium judicem quæstionis appellat Cicero, in caussa Verris repetundarum, de qua prætor M. Acilius Glabrio cognoscebat: eumque Curtium ait Pedianus a Cicerone esse rejectum. Illud addo, cum jam docuerim, judicem quæstionis, & prætorem, de crimine capitali cognovisse, tertium genus judicum quæstionis interdum fuisse, quorum jus cognoscendi non esset, sed tantummodo subsortiendi. quod locus de Q. Curtio proximus jam ostendit: quem cognovisse de repetundis, absurdum est credere, cum, in ea caussa prætorem quæsiisse Glabrionem, ex Cicerone, & Pediano constet. itaque tertium hoc genus quæsitores dici non poterant: duo illa superiora genera, quoniam quidem quærerent, quæsitores & erant & proprie dicebantur. Quod autem a Budæo scriptum est, *prætorem urb. ubi de criminibus quæreretur, solum cognovisse*, aperte falsum esse dico. non modo enim solus non quæsivit prætor urb. sed nec omnino quæsivit. ipse jus dicebat: quod quærere non est. quæ-

A rebant cæteri collegæ, cum iis judicibus, quos prætor urb. & sortitus, & subsortitus esset. exemplorum plena sunt omnia: unam, quæ multorum exemplorum loco sit, rationem afferam. Accusat Verrem Cicero in suis libris acerbissime: præturam urbanam totam exagitat. objicit ne unquam, quod in caussa capitali contra leges aliquid commiserit? nunquam certe. neque dubium, quia Verres, si potestatem illam prætor habuisset, multa fuerit inique facturus. Addit idem: *prætorem urb. cum quæreret, judicem quæstionis esse dictum.* hoc certe nemo (de veteribus loquor: hos enim sequor) unquam tradidit: miror que, cur hoc illi, qui suæ sententiæ testem non haberet, placuerit affirmare, sed, ut opi-

B nor, error ex errore fluxit. nam, cum prætorem urbis quærere de criminibus jam sibi persuasisset, quod omnino falsum est, sequi videbatur, ut idem quæstionis judex appellari posset. ego autem ostendi jam, quæstionis judicem interdum quæsiisse, & prætorem fuisse, non tamen urbanum, ut quæsivit Q. Voconius de veneficio: prætorem autem urbanum Reipub. temporibus quæsiisse, aut judicem quæstionis vocatum, neque de veteribus video quemquam fuisse qui dixerit, neque conjecturis omnino ullis adduci possum ad suspicandum. Quæsitoris por-

C ro erat, accusatorem, defensorem, testem, in officio quemque suo continere. Leges, quibus veneficium vindicaretur, Romæ per annos multos nullæ fuerunt. non enim proprie ad veneficium pertinet XII. tab. lex illa, *Qui fruges excantassit*, &, *Qui malum carmen incantassit, coercetor:* etsi conjunctionem habere quandam videtur cum veneficii crimine. proprie vero, ac nominatim eo primum anno, quo C. Valerius Flaccus, M. Claudius Marcellus consulatum gesserunt, qui post urbem conditam, si fastos sequimur, annus CDXXII. fuit, de veneficiis esse quæsitum, legemque constitutam, Livius libro VIII. scriptum reliquit. ex quo, quæ tum pro-

D bitas fuerit, apparet, cum in tanta civitate, per tot annos, veneficii nomine in judicium vocatus nemo sit. Cornelia postea fuit, L. Syllæ, quam, bello civili confecto, dictator tulit, cum unus omnia teneret: quod ex his verbis, quæ scripsit Cicero pro Cluentio, manifestum est: *Postea*, inquit, *L. Sylla, homo a populi caussa remotissimus, tamen, cum ejus rei quæstionem hac ipsa lege constitueret, qua vos hoc tempore judicatis, populum Rom. quem ab hoc genere liberum acceperat, alligare novo quæstionis genere ausus non est. quod si fieri posse existimasset, pro illo odio, quod habuit in equestrem ordinem, nihil fecisset libentius, quam omnem illam acerbitatem*

E *proscriptionis suæ, questus in veteres judices, in hanc unam quæstionem contulisset.* Hujus autem legis pœna capitalis non ad veneficos tantum, sed ea ad eos etiam pertinuit, qui magicis incantationibus homines occidissent, aut qui mala medicamenta publice vendidissent: omnesque prorsus, nemine excepto, viri, mulieres, liberi, servi, hac lege in judicium vocabantur. Permissum autem esse reo, ut ex illius voluntate, clam aut palam, a judicibus sententiæ ferrentur, ex ea, qua de proxime mentionem fecimus, oratione cognoscitur. eademque lege de corruptis judiciis quæsitum, eadem declarat ora-

F tio. Secuta est consularis Julia, C. Cæsaris, qui & ipse dictator fuit. nec tamen deinde ex lege Julia, sed ex Cornelia, quamquam vetustior fuerit, judicia sunt administrata: puto, quia non semper posterior lex priorem comprehendebat, sed interdum aliquid tantum addebat: ut universa pæne judicii ratio a priore lege penderet. propterea Corneliam potius, quam Juliam, posteriores jurisconsulti nominarunt.

CAP. XXVIII.

Leges de ambitu.

De ambitu quæ prima lata est, tribunicia Pœtelia fuit, C. Fabio Ambusto, C. Plautio Proculo coss. deinde consularis Cornelia Bæbia, a duobus ejusdem anni consulibus lata: quæ ne derogaretur, M. Cato, ille major, dissuasit, ut in Festo legimus. tum, quæ Cn. Cornelio Dolabella, M. Fulvio Nobiliore coss. lata, ut ex epitome Liviana colligitur: quæ utrum tribunicia fuerit, an consularis, conjicere non licet. Multis deinde post annis consularis Calpurnia: quam C. Calpurnius Piso consul, anno ab urbe condita DCLXXXVI. graviorem, quam antea, tulit: in qua, præter alias pœnas, pecuniaria quoque erat adjecta. huic legi ob nimiam ejus severitatem puto aliquid postea derogatum. nam in oratione pro C. Cornelio, de quatuor generibus, in quibus per senatum more majorum statueretur aliquid de legibus, tertium Cicero memorat his verbis: *Tertium est de legum derogationibus. quo de genere persæpe S. C. fiunt, ut nuper de ipsa lege Calpurnia, quæ derogaretur.* nunquam enim Calpurnia lex est abrogata: quam servari Cicerone consule, ex oratione pro Murena cognovimus: sed ei derogatum aliquid, quod ita senatus censuisset, ea, quæ recitavi, verba significant. Hac lege accusatoribus præmium videtur fuisse, ut, si ipsi ambitus damnati essent, aliorumque eodem in genere culpam demonstrassent, in integrum restituerentur. id apparet (ut alia omittamus exempla) ex oratione pro Cluentio: quam post Calpurniam legem habitam esse, ex eo constat, quia prætor Cicero eam caussam egit. Quod si accusator magistratum designatum in judicium vocasset, ejusque culpam judicibus probasset: reus magistratum amittebat, accusator ejus locum assequebatur: si modo ei per ætatem, & per leges magistratum illum capere liceret. suspicari licet hoc e Syllæ Autroniique notissimo exemplo: quibus de ambitu, cum designati consules essent, damnatis, accusatores eorum Torquatus & Cotta consules facti sunt. nisi si, quod ego verius existimo, consules non legis præmio factos intelligas Torquatum & Cottam, sed quia, comitiis post Syllæ Autroniique damnationem iterum habitis, populus eos creaverit. Tertium præmium lege datum accusatori, hoc quidem in crimine, tribus permutationem invenio: si modo ea tribus, in qua reus censeretur, nobilior esset, quam tribus accusatoris. hoc in oratione pro L. Balbo Ciceronis illa verba declarant: *Objectum est etiam, quod in tribum Crustuminam pervenerit; quod hic assecutus est legis de ambitu præmio.* Quod si nullum ex eo præmium accusator consequi posset, hoc est, neque suam ipsius absolutionem, quia damnatus non esset: neque ullum, dejecto reo, magistratum: neque tribum, quia rei tribus non esset accusatoris tribu nobilior: pecuniam illi de publico esse datam, licet opinari. id autem ex eo suspicor, quod Asconius in orationis pro Milone commentario, *Milo*, inquit, *postero die factus reus ambitus apud Manlium Torquatum, absens damnatus est. illa quoque lege accusator ejus fuit Ap. Claudius: &, cum ei præmium lege daretur, negavit.* non enim est ut intelligi possit, præmium illi lege datum, aut ipsius absolutionem, nec enim recusasset: aut Milonis magistratum, qui designatus non erat: aut permutationem tribus, cum ipse in tribu rustica nobilissima censeretur. Claudios enim Pulchros in tribu Claudia fuisse, ex Livio cognoscitur. reliquum igitur fortasse pecunia fuit, quam accipere, dignitatis non erat: itaque Appius, patricia familia natus, Appii, viri consularis & auguris, filius, negavit. Post Calpurniam Tullia fuit, consu-

A laris & ipsa, lata a M. Tullio Cicerone consule: quæ & pœnam graviorem, quam Calpurnia, & præterea aquæ & ignis per annos x. interdictionem, hoc est, x. annorum exilium irrogavit ordini senatorio. itaque sine caussa mirantur nonnulli, parum videlicet attente in legenda historia versati, cur Cicero in oratione pro Sylla de Autronio dicat: *Relictus intus, exspectatus foris.* & de ipso Sylla: *Abfuit ab oculis vestris, &, cum lege retineretur, ipse se exilio pæne multavit.* quibus verbis, de ambitu damnatis, quo crimine Autronius & Sylla pœnas dederant, civitatem non esse lege Calpurnia ereptam, significat: cum idem in oratione pro Plan-

B cio scriptum reliquerit: *Nunc postulatur a vobis, ut ejus exilio, qui creatus sit, judicium populi Rom. reprehendatis.* quo declarat, Plancio exilium, si de ambitu damnatus sit, pœnam futuram. pugnare omnino hæc inter se videntur: sed concilientur distinctione temporum. nam Sylla, & Autronius damnati sunt ante Ciceronem consulem, Lepido & Tullo coss. ea lege, quam C. Calpurnius Piso tulerat: quæ cum esset severissima, damnatis tamen exilium non inferebat. oratio autem pro Plancio post Ciceronis consulatum habita est. quo tempore judicia de ambitu ex ea lege, quam ipse consul Ci-

C cero tulerat, exercebantur: qua lege exilium senatoribus irrogatum esse, non obscure pro Murena oratio demonstrat. exilium autem non per omnem vitam, ut in aliis criminibus capitalibus, sed per decennium fuisse, tradidit Dio lib. XXXVII. Polybius tamen in eo libro, quem scripsit de rerump. generibus, aperte significat, multo ante legem Tulliam, atque etiam Calpurniam, capitalem ambitum fuisse. ait enim sic: *Pecuniis palam apud Carthaginienses magistratus emuntur: quod Romæ capitali pœna vindicatur.* illa porro temporibus Africani minoris Polybius prodidit. ut novam postea legem, vetere abrogata, de ambitu latam credere sit neces-

D se, quæ capitis pœnam ademerit. Aut, dicamus Polybii ætate capitalem fuisse ambitum non lege, sed more: cum eo de crimine, deque aliis item capitalibus nondum prætores quærerent, sed populus ipse tributis comitiis judicaret. quod idem Polybius in eodem libro docet his verbis: *Capite damnandi solus potestatem habet populus.* In Tullia illud quoque scriptum est, ne quis biennio, quo magistratum petiisset, petiturusve esset, gladiatores daret, nisi ex testamento præstituta die: ne quis prandia vulgo daret. quam legem cum P. Vatinius contempsisset, objicit ei Cicero tantam licentiam atque arrogantiam in asperrima illa interrogatione, & in oratio-

E ne pro Sextio. In Aufidia tribunicia, quam tulit M. Aufidius Lurco, eadem fuere, quæ in superioribus; novi hoc, ut, qui nummos in tribu pronunciasset, si non dedisset, impune esset; sin dedisset, ut is, quoad viveret, singulis tribubus HS. CIƆ CIƆ CIƆ deberet. Consulares præterea duas invenio, Pompejam, & Juliam, Cn. Pompeii Magni, & C. Julii Cæsaris, qui postea dictator fuit: quæ quid aut diversum, aut amplius, quam quæ antea latæ fuerant leges, habuerint, exploratum non est. id quidem facile crediderim, cum lege Tullia de ambitu damnatis aquæ & ignis interdictio, hoc est,

F exilium, per x. annos irrogaretur, quam Pompejus III. consul tulit, diuturnius exilium, aut fortasse perpetuum, esse irrogatum: nam in hac lege pœnam graviorem, quam antea, & formam judiciorum breviorem Pedianus nominat. Hoc etiam hac lege sancitum esse video, ne rei laudarentur. quod idem Pompejus cum in Planci judicio non servasset, M. Cato judex Pompeii laudationem legi vetuit. item illud, quod Appianus lib. 2. bel. civ. scriptum reliquit, ut alterum indicanti daretur impunitas. quod etiam lege Calpurnia sancitum, supra ostendimus. cur igitur, idem sua lege Pompejus itera-

iteravit? dixi jam, derogatum aliquid Calpurniæ legi. hoc fortasse illud est, quod Pompejus, crescente ambitu, renovandum putavit. Idem hoc tempore judicum numerum videtur constituisse CCCLX. quod & Vellejus lib. 2. & Plutarchus in Pompejo declarat. & pro CCC. legendum puto CCCLX. in epistola Cœlii, fam. lib. VIII. nisi si aut Vellejum & Plutarchum malis esse mendosum, quam epistolam Cœlii, ut ubique legatur CCC. aut mendum æque apud omnes esse, aliquis existimet, nec CCC. aut CCCLX. sed CCCL. judices fuisse, ut eorum numerus cum numero tribuum, quæ XXXV. erant, congruat, quod ex singulis tribubus deni crearentur. Hanc legem significat in Panegyrico Plinius, his verbis: *Annonæ aliquando cura Pompejo non minus addidit gloriæ, quam pulsus ambitus campo*. Lege item Julia capitalem ambitum fuisse, apud Justinianum scriptum est.

CAP. XXIX.

Leges de corruptis judiciis, de adulteriis, de falsis, de plagiariis, de suspectis tutoribus, de famosis libellis, de furtis, & de clandestina coitione.

CRIMEN de corruptis judiciis ipsum quoque capitale crediderim. id ex eo conjicio, quod C Gracchus tribunus pleb. eam legem in ordinem senatorium tulit, cæteros ordines excepit: ut in oratione pro Cluentio legimus. Cum igitur & crimen ipsum per se gravissimum fuerit, (quid enim gravius, quam innocentem, accepta pecunia, condemnare?) & Gracchus eam legem, ut in eadem oratione ait Cicero, pro plebe tulerit, ad licentiam senatorii ordinis retundendam: leviore pœna eum contentum fuisse, verisimile non est. quod eo magis existimo, quia postea crimen hoc L. Sylla comprehendit ea lege, quam de veneno tulit, ut capitale crimen cum capitali, venenum scilicet cum judiciis corruptis, conjunxisse videatur. hoc orationis pro Cluentio (ne pluribus utar exemplis) partes multæ declarant. & Sylla equestri ordini admodum fuit infensus, senatorii vero studiosissimus: Gracchi tamen legem in hoc secutus, equestrem ordinem, & plebem periculo liberavit. Quod autem conjectura adductus existimabam, id legis XII. tab. testimonio Gellius confirmat: in qua scriptum esse ait, ut, qui ob rem judicandam pecuniam accepisse convictus esset, capite puniretur. ut Gracchus non hoc ipse novum sanxerit, sed a XII. tab. petitum in suam legem transtulerit. Romæ autem quis judicium primus corruperit, ignoratur. quod & a Plutarcho traditum est in vita Coriolani. Athenis vero, idem scribit, Anytum, Anthemionis filium, hanc pestem induxisse primum. Unum addam ad ingenia excitanda, quod, quæstionibus positis, maxime fit: mirari me vehementer, cur in ea, quam proxime nominavi, oratione pecunias ob judicandum captas Cicero *repetundas* vocet, quas diversas fuisse nemo nescit. de quibus etiam propria lege quærebatur: cum de iis, quæ ob rem judicandam essent acceptæ, lege Cornelia de veneno cognosceretur. nisi si pecuniæ repetundæ dicebantur non eæ solum, quas provinciarum rectores contra leges accepissent; verum & illæ, quarum caussa, qui ob judicandum eas cepissent, in judicium vocarentur. quodam enim modo, cum adversus eos ageretur, judicio repeti pecunia videbatur. ideo facilius crediderim, quia lege Julia de repetundis non rectores modo provinciarum, sed eos etiam, qui pecunia corrupti aliquid in judicio vel commisissent vel omisissent, esse comprehensos, jurisconsultorum libri demonstrant. nec sane, si ad rationem animus referatur, video quid intersit, utrum a sociis, publico fungens munere,

A pecunias contra leges, an a civibus aliquis accipiat. Adulterium lege Romilia capitale fuisse, litteris proditum est: sic inquam capitale, ut pœna mors esset. tulit enim Romulus legem his verbis: *Adulterii convictam vir, & cognati, uti volent, necanto*. quod item lege Julia confirmatum est: qua lege supplicio afficiebantur eodem, qui cum maribus nefandam libidinem exercuissent. stupratoribus autem, si essent honesti, pœnam irrogabat, publicationem partis dimidiæ bonorum, & capitale tunc stuprum non erat: sin humiles, corporis coercitionem cum relegatione quinquennali, nisi per vim stuprum commissum esset: si per vim, tempore non præfinito. *Et inter liberas* B *tantum personas*, ut scripsit Papinianus, *adulterium stuprumve passas, lex Julia locum habuit. Quod autem*, inquit, *ad servas pertinet, & legis Aquilliæ actio facile tenebit, & injuriarum quoque competit*. Hanc legem ab Augusto, non a C. Cæsare, qui eum adoptavit, esse latam Ulpianus tradit. Fuit etiam Scatinia, quam C. Scatinius Aricinus tribunus pl. tulit in eos, qui alienam pudicitiam solicitassent, aut suam ipsi prostituissent: quibus pœnam irrogavit X. millia nummum. est autem hæc lex multis ante Juliam annis lata, satis levi pœna, quam Julia capitalem fecit, non tamen, ut opinor, in eos, qui alienam pudicitiam tentassent, sed in eos, qui præposteram vel C adversi, vel aversi venerem exercuissent. De falsis, quod in Polybio, Cicerone, Gellio scriptum invenerim, lex fuit XII. tab. ut, qui falsum testimonium dixissent, e saxo Tarpejo dejicerentur. Postea, hujus legis exemplum secutus, L. Sylla dictator legem tulit, quæ servis ultimum supplicium, liberis aquæ & ignis interdictionem irrogabat, si quis in testamento, aliove scripto, aut nummo fraudem aliquo modo fecisset, qua de lege mentionem facit Cicero in Verrem. Partus etiam suppositios, asseverationem falsi nominis vel cognominis, signa adulterina, & si quis se pro alio gereret, vel illicitis insignibus D uteretur, ad legem Corneliam L. Syllæ, quam proxime nominavimus, pertinuisse constat: præterea, qui duobus diversa testimonia præberent, quique duobus eandem rem diversis (ut hoc utar verbo) contractibus in solidum venderent: item qui, ad litem falsam instituendam, pecuniam acciperent, eamve in rem coirent, consentirent, celarent, non obsisterent. De iis, quos plagiarios vocarunt, legem Fabiam invenio, quæ capitis pœnam interdum graviorem, interdum leviorem, personarum, & rerum habita ratione, irrogabat. nam, *si quis liberum hominem sciens emisset, adversus eum*, ait Ulpianus, *capitale crimen ex lege Fabia de plagio nascebatur*. E Tutelarum quam diligenter apud veteres habita ratio sit, inde constat, quod suspecti tutoris judicium, ut ex Cicerone cognoscitur, lege XII. tab. capitale fuit. Et, ad arcendam infamiam alia sancitum est lege XII. tab. ut, si quis actitavisset, carmenve condidisset, quod infamiam flagitiumve alteri inferret, capite puniretur. atque hoc postea L. Sylla, lege lata, majestatis crimen fecit, ut Cicero in epistola ad Appium significat his verbis: *Est majestas, ut Sylla voluit, ne in quemvis impune declamare liceret*. Furta quoque veteres Romani capitali pœna vindicarunt. video enim, in XII. tab. ita scriptum esse: *Si quis nocte furtum faxit, et im aliquis occisit, jure cæsus* F *esto*. &, *Fur manifesto furto prehensus interdiu, si se telo defenderit, & im aliquis occisit, jure cæsus esto*. &, *Frugem, aratro quæsitam, furtim noctu si paverit, secueritve pubes, suspensus Cereri necator: impubes verberator, noxiamque duplionem præstato*. Et clandestinæ coitionis capitale crimen fuit. nam, ut Porcii latronis declamatio demonstrat, lege XII. tab. cautum est, *ne quis cœtus nocturnos in urbe agitaret*: idque si quis fecisset, capite multaretur. postea lex Gabinia idem sanxit.

CAP XXX.

Leges de criminibus non capitalibus.

HÆC de legibus, quibus capitalia crimina punirentur. Fuerunt aliæ de minoribus culpis, parem flagitio pœnam inferentes. hoc est, minime capitalem, ut illa XII. tab. *Si quis injuriam alteri faxit, XXV. æris pœna sunto.* & illa, huic admodum similis: *Qui injuria ceciderit alienas arbores, luito in singulas æris* XXV. Atque has leges magna ex parte lex Aquillia de injuria, ab Aquillio tribuno pleb. rogata, correxit: de qua mentionem facit Ulpianus his verbis: *Lex Aquillia omnibus legibus, quæ ante de damno injuriave locutæ sunt, derogavit, sive lex XII. tab. sive alia quæcunque fuerit.* fuit autem ea lex plebiscitum, cum eam Aquillius trib. pl. a plebe rogaverit. Fuit etiam Atinia de furtis, ne quid surreptum usucapi posset, sed jus rei suæ vindicandæ penes eum, cui surrepta esset, perpetuo maneret. Furti vero judicium inter famosa turpiaque judicia numerabatur: quibus damnati omni honore ac dignitate in perpetuum excludebantur, ut neque magistratum ullum capere, neque in senatum pervenire unquam possent. quod in oratione pro Cluentio demonstratur. Injuriæ nomine & vis, non modo publica, verum etiam privata continetur. Nam L. Sylla, ad arcendam vim, legem tulit de injuriis: de qua sic digestorum lib. XLVII. *Lex Cornelia de injuriis competit ei, qui injuriarum agere volet, ob eam rem, quod se pulsatum, verberatumve, domumve suam vi introitam esse dicat. qua lege cavetur, ut non judicet, qui ei, qui agit, gener, socer, vitricus, privignus, sobrinusve, propiorve eorum.* quibus verbis, omnem injuriam, quæ manu fiat, constat lege Cornelia contineri. Huc referri potest, quod in agraria lege latum a C. Cæsare Callistratus ait, ut, qui terminos statutos extra suum agrum finesve dolo malo movissent, pecunia multarentur. Sunt etiam de sodalitiis leges, prima Romuli, secunda XII. tabularum, tertia Gabinia, quarta Licinia, quinta & postrema, ut opinor, Clodia; quæ non ad unum, sed ad plura sodalicii genera pertinent. fuerunt enim sacrorum caussa, comessationum, ambitus, opificum; postremo etiam contra Rempublicam sodalitia, ut conjurationes, coitionesque nocturnæ. Lex Romuli, de qua jam diximus, hæc fuit, *Nocturnas in templo vigilias ne habento*: tum, ne quid per noctem in æde sacra minus fortasse caste committeretur: tum etiam, ne quid iniretur occultæ fraudis contra Rempublicam. Secundo loco sancitum videtur esse in XII. tabulis, ne quis in urbe cœtus nocturnos agitaret. nox enim facinus occultans impunitatis fere spem promittit: ideo nocturnæ coitiones cavendæ. hanc legem nominat Porcius Latro in oratione adversus Catilinam. pœnam non memorat, sed, eam capitalem certe non fuisse, ex eo conjicimus, quod idem Latro hæc subjungit: *Deinde Lege Gabinia promulgatum, qui coitiones ullas clandestinas in urbe conflavisset, more majorum capitali supplicio multaretur.* Patet igitur, utraque lege omnia sodalitia generatim interdicta, posteriore pœnam etiam capitalem irrogatam. at quam pœnam? nam etiam capitis pœna exilium fuit. non dubito, quin de nece sit intelligendum, cum in ea lege scriptum sit, *more majorum*. nam *more majorum*, antequam Porcia, Semproniæque leges ferrentur, crimine rerum capitalium damnati necabantur. Sic etiam loquitur apud Sallustium Cato in oratione, qua conjuratos vita privandos censuit: *De confessis*, inquit, *sicuti de manifestis rerum capitalium, more majorum supplicium sumendum censeo*. Non igitur omnes coitiones, sed nocturnæ XII. tabulis, Gabinia vero lege omnes clandestinæ, sive

A nocturnæ, sive diurnæ, sunt interdictæ: nam, honesta sodalitia lege XII. tabularum esse permissa, Cajus jurisconsultus lib. IV. ad legem XII. tab. l. ultim. de coll. indicat, his verbis: *Sodales sunt, qui ejusdem collegii sunt. his potestatem lex facit, pactionem, quam velint, sibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant. Sed hæc lex videtur ex lege Solonis translata esse.* Et Martianus prohibitum negat, rei divinæ caussa, coire, dum ne quid contra S.C fiat, quo illicita collegia coercentur. Si quis autem, illicitæ rei caussa, coiisset, ea pœna teneri Ulpianus ait, qua tenentur ii, qui hominibus armatis loca publica, vel templa occupasse judicati sunt: qui-

B bus aqua & igni interdictum esse, constat. Sodalitates, quæ commessationum caussa fierent, nominatim nulla lege vetitas invenio. quamquam nec sodalitas, ut opinor, ulla proprio comessandi nomine est instituta, sed multæ sacrorum caussa: ex quo deinde sequebatur inter sodales epulatio. hinc illæ Catonis Censorii apud Ciceronem in libro de senectute: *Sodalitates, me quæstore, constitutæ sunt, sacris Idæis Magnæ Matris acceptis. epulabar igitur cum sodalibus.* Licinia lex, de sodalitiis lata, ad ambitum pertinuit: sanxit enim, ne quis coiret, magistratus adipiscendi gratia: quod a Laterensi objectum

C Cn. Plancio, ostendit Cicero in oratione pro ipso. Opificum autem sodalitates, quæ *Collegia* dicebantur, sæpe tum senatusconsultis, tum legibus etiam interdictas, ex Pediano cognoscitur: postremo, ut idem Pedianus ostendit, cum eas L. Cæcilio, Q. Marcio coss. senatus sustulisset, Clodius post novem annos, lege lata, restituit. quod in Pisoniana Cicero reprehendit, his verbis: *Collegia, non ea solum, quæ senatus sustulerat, restituta, sed innumerabilia quædam ex omni fæce urbis ac servitiorum constituta.* Multorum igitur, quacunque de re, coitiones in libera civitate senatus non probabat, qua de re S.C. esse factum, cum alibi scriptum legimus, tum libr.

D II. ep. ad Q. Fratrem Cicero demonstrat. *Eo die*, inquit, *factum est S. C. ut sodalitates, decuriatique discederent.* Lectoria fuit, de pœna in eos, qui adolescentes circumscriberent: quibus etiam, ut iis caveretur magis, jubebat curatores dari. Remmia contra eos, qui sine caussa, & temere accusarent. Clodia, quam tulit P. Clodius trib. pl. is, qui Ciceronem iniqua rogatione in exilium ejecit, de publicis injuriis: quam Anagnini nescio cujus Menulæ caussa, hominis impuri, latam, reprehendit Cicero in oratione pro domo. De alea Titia & Cornelia, illa, ut opinor, tribunicia, hæc consularis: etsi Cornelii etiam plebeii fuere, ut is, quem Cicero defendit: ges-

E sit enim tribunatum pl. Tum Julia de annona, & illæ, quæ ignominia sontes reos notarent, ne capere magistratum, ne inter judices legi, ne alterum liceret accusare. quibus omnibus pœnam quidem esse irrogatam, non tamen capitalem, legitur. quo mirari minus licet, si de iis nec ita multa veterum in libris reperiuntur. nos autem nihil de nostro: antiqua narramus, ab antiquis tradita: & ex eorum scriptis oratio nostra, sive paulo sit uberior, sive restrictior, tota pendet.

CAP. XXXI.

F

De legis definitione.

HACTENUSS de numero, nominibusque legum, quæ ad jus & publicum & privatum pertinent. nunc, ut in eo, quem instituimus, doctrinæ ordine pergamus: legis definitionem, a quibus leges latæ sint, quomodo latæ, quo in loco, quo tempore, quibus de caussis, quæ postremo vis legis esset, quam licebit diligenter exponemus. Legem Atejus Capito definiebat his verbis: *Lex est generale jussum populi, aut plebis, rogante ma-*

A

giſtratu. Lex igitur fuit, non modo quæ comitiis centuriatis, in campo Martio, ferente ſuffragium univerſo populo, id eſt, patriciis & plebeiis in centurias diſtributis, rogante majore magiſtratu, ferebatur; verum etiam quæ tributis comitiis, in foro, ferente ſuffragium plebe, ſine patriciis, in tribus diſtributa, rogante majore magiſtratu, id eſt, tribuno pleb. nam ſolus tributis comitiis legem tulit, ſolus autem inter minores magiſtratus: quia conſules, etiam tributis comitiis, legem tuliſſe, conſtat. In iis verbis non videtur Capito plebiſcitum a lege diſtinxiſſe. At Lælius Felix apud Gellium, *Tribuni*, inquit, *neque advocant patricios, neque ad eos referre de re ulla poſſunt: ita ne Leges quidem proprie, ſed Plebiſcita appellantur, quæ tribunis pleb. ferentibus accepta ſunt. quibus rogationibus ante Patricii non tenebantur, donec Q. Hortenſius dictator eam legem tulit, ut eo jure, quod plebs ſtatuiſſet, omnes Quirites tenerentur*. A quo ego tempore plebiſcita *leges* appellari cœpta, quandoquidem legum vim Hortenſia lege jam obtinerent, facile crediderim. nam antea, quæ tributis comitiis ferebantur, *plebiſcita* conſtat eſſe nominata. Varro quidem, quo nemo diligentius antiquitatis uſum retinuit, *legem* tamen vocat, quam tribunus pl. M. Plætorius tulerat: quod appellari *plebiſcitum*, multis poſt annis Cenſorinus maluit. Sed, de plebiſcitis, quæ Lælius, eadem fere Feſtus. *Scita plebei appellantur*, inquit, *ea quæ plebs ſuo ſuffragio ſine patribus juſſit, plebejo magiſtratu rogante*. Verum & Lælius, & Feſtus proprie loquuntur, ad priſca illa tempora ſpectantes. nam poſtea paulatim obtinuit conſuetudo, ut legis nomen de plebiſcitis etiam uſurparetur. Eodemque modo contra definitionem Capitonis, qui generale juſſum, legem appellavit, quæ de uno cive populus juſſit, leges dictæ: licet privilegia verius, ut eſſent, ſic etiam appellari poſſent. cujus generis exempla, de imperio Cn. Pompeii, de reditu Ciceronis, de cæde Clodii quæſtionem Gellius commemorat. in quo illud animadvertendum: cum in XII. tabulis eſſet ſcriptum, ne de ſingulis, niſi centuriatis comitiis, ferri poſſet, quod in lege de reditu Ciceronis obſervatum eſt, de imperio tamen Pompeii tributis comitiis, rogante Manilio tribuno pl. actum eſſe. Sed, ſive populi ſcitum, ſive plebiſcitum eſſet: quorum alterum magiſtratu patricio, alterum plebejo rogante factum eſſe, ex Feſto cognoſcitur: ſive ad plures homines, pluresve res, aut ad omnes homines, omnesve res, aut ad unum hominem, unamve rem, pertineret: prorſus omnia populi, plebiſve juſſa, tum legis, tum etiam rogationis nomine, quia populus, plebſve a magiſtratu rogaretur, appellari ſolita, veterum monumentorum obſervatio declarat. quod Gellius quoque notavit. Nam, quod Ælius Gallus, ut apud Feſtum eſt, ajebat, *inter legem, & rogationem hoc intereſſe, quod rogatio eſſet genus legis; quæ autem lex, non continuo rogatio*: quod ita Feſtus exponit: *Rogatio eſt, cum populus conſulitur de uno, pluribuſve hominibus, quod non ad omnes pertineat: & de una pluribuſve rebus, de quibus, non omnibus, ſanciatur*: id mihi (pace utriuſque dixerim) falſum videtur. nomen enim ipſum rogationis oſtendit, omnes ſive ad unum pluresve homines, ſive ad unam pluresve res pertineant, uno rogationis vocabulo appellari poſſe. nam, ut Gellius animadvertit, nullum populi plebiſve juſſum fieri poteſt, niſi populus, aut plebs rogetur. quod dum fit, ea vere rogatio eſt, & dicitur: idque etiam poſt lata ſuffragia nomen manſit. quamquam frequentius omnino, de quocunque populi plebiſve juſſu, in antiquorum ſcriptis legis nomen invenitur.

CAP. XXXII.

A quibus latæ fuerint leges.

LEGES autem nec niſi a magiſtratibus, nec niſi comitiis ferebantur, idque probandum exemplis non exiſtimo, ne, quæ ipſa per ſe ſatis aperta res eſt, in ea demonſtranda ſupervacaneam operam ſuſcipiam. ſed, quia nec unus magiſtratus, nec una comitia erant, utrum ab uno, an ab omnibus magiſtratibus: & utrum unis, an omnibus comitiis ferrentur, aperiendum videtur. Ferebantur leges a magiſtratibus majoribus quatuor, uno minore: a majoribus, prætore, & conſule, qui ordinarii magiſtratus erant: item a dictatore, & interrege, qui majores quidem, ordinarii tamen non erant, neque populi comitiis creabantur. cenſor autem, etſi erat inter majores magiſtratus, jus tamen ferendæ legis, aut habendorum comitiorum non habebat. ideo dixit Plinius lib. XXXV. capite XVII. *Lex Metilia exſtat, Fullonibus dicta, quam cenſores dedere ad populum ferendum*. minor magiſtratus, qui leges ferret, tribunus pl. erat. nam ædiles cur. quæſtores, ædiles pl. III. viri capitales, III. viri monetæ cudendæ, tribuni mil. tam rufuli, quam comitiati, etſi magiſtratus erant, leges tamen non ferebant: iique neque viatorem, ut tribunus pleb. neque lictorem, ut conſul, & prætor, habebant: propterea tum vocandi, ac prehendendi jure, quod conſul & prætor habebant: tum etiam prehendendi, quod unum tribuni pleb. erat, omnino carebant. qui vero poteſtatem neque vocationis haberent, neque prehenſionis, eos magiſtratus a privato quoque in jus vocari potuiſſe, & M. Lævinum ædilem cur. a privato in jus eductum eſſe, tradidit Varro lib. XXI. rerum humanarum. Verum, quæ doctrinæ cauſſa a me traduntur, veterum teſtimonio ſingula confirmare, & exemplorum multitudine librum infercire, minime neceſſarium exiſtimo: non ſolum, quod hiſtoriæ, librique, unde ipſi hæc hauſimus, omnibus patent; ſed etiam quod exemplis referta narratio dignitatem non habet, ſed putidæ potius cujuſdam diligentiæ & ambitionis ineptæ ſpeciem quandam præfefert.

CAP. XXXIII.

De ratione ferendarum legum, ac primo quæ quibus comitiis latæ.

LEGISLATORES aut tributis comitiis, aut centuriatis aut etiam, ut in imperio mandando, & in adoptionibus, curiatis legem ferebant. ſi tributis, aut cum S. C. aut ſine: ſi centuriatis, e S. C. ſemper plus omnino dignitatis atque auctoritatis in centuriatis, ſed poteſtatis non minus erat in tributis. æque enim populus univerſus tenebatur iis legibus, quæ tributis comitiis ferebantur, atque iis, quæ centuriatis. idque ſancitum eſſe lege a Q. Hortenſio dictatore lata, cum ante jure eo, quod ſtatuiſſet plebs, patricii non tenerentur, Lælii teſtimonio jam probavimus. Hortenſius, quæ rogata plebs ſanxiſſet, ideo pertinere ad omnes Quirites voluit, vel, ut jura plebis augeret, cum plebejus ipſe eſſet: vel utili Reipublicæ conſilio, quod in libera civitate diſſimilem civium conditionem diſcordiæ ſemina putaret. in quo diſſidentes veterum opiniones licet agnoſcere. nam, quod Hortenſio dictatori a Lælio tribui, ſcribit Gellius, id ad Q. Publilium Philonem dictatorem Livius refert, qui multis annis ante Hortenſium dictator fuit. rurſus neque ab Hortenſio, neque a Philone, ſed multo ante L. Valerio Potito, & M. Horatio Barbato coſſ. eam legem eſſe latam, Dio-

nysius tradit. qua in varietate verum internoscere difficile sit. nisi si, quod res est, non tanquam novam legem esse latam, sed quasi veterem a duobus dictatoribus Philone, & Hortensio, renovatam intelligas. Scripsit etiam idem Lælius, cum tribunus pleb. populum adesse juberet, non comitia, sed consilium edicere debuisse: cum non universum populum, sed plebem tantum, quæ pars populi est, advocare tribunus posset. verum hoc, quod a Lælio scriptum in Gellio legimus, observatum sit, necne, haud sane mihi certum est. quin, quo me inclinat conjectura, eo me dare si velim: comitia, quæ tribunus pleb. haberet, dicta crediderim, non solum post legem Hortensiam, quæ, discrimine sublato, tribuniciis rogationibus cives omnes pari jure subjecit, sed antea quoque, cum plebiscitis patricii non parerent. quid enim? non ne tributa comitia dicebantur, quæ designandis minoribus magistratibus haberentur? at tributa comitia non & a tribuno pl. habebantur? an igitur est, qui, cum tribuni pl. essent designandi, ejus rei caussa consilium a tribuno edictum legerit? quod si quis, ut omnino Lælii distinctio confirmetur, non de eo populo, qui ad designandos magistratus, sed de eo, qui ad sciscendam legem advocaretur, accipi velit, ne hoc quidem assenserim: cum, aliter esse, ipso Cicerone magistro didicerim. vocat enim hic noster lib. 2. de divinatione comitia & in legum jure, & in judiciis populi, & in creandis magistratibus. præterea in oratione pro Sextio: *Venio*, inquit, *ad comitia, sive magistratuum, sive legum*. & Livius lib. XXXI. *Rogatio*, inquit, *de bello Macedonico primis comitiis ab omnibus ferme centuriis antiquata est*. & ibidem: *Pro se quoque consulem hortari, ut de integro comitia rogationi ferendæ ediceret*. & libro XLV. *Macedonicus exercitus imperatori erat negligenter affuturus comitiis ferendæ legis*. Jam vero & de reo judicando comitia dicta, quæ tribunus pl. haberet, exempla testantur, ut in 3. de legibus, 2 de divinatione, & apud Livium quatuor libris, III XXVI. XL. XLIII. Quamquam si quis ipsa Lælii verba paulo attentius consideret, intelliget, nec ab ipso traditum id, quod nos, quasi traditum, exemplis redarguimus. ait enim, *qui non universum populum, sed partem aliquam populi adesse juberet, eum non comitia, sed consilium edicere debere*. quibus verbis, non quid fieret, sed quid fieri deberet, significat. notat igitur, & quodammodo reprehendit depravatam consuetudinem, sicuti eodem loco, cum infert: *Ita ne leges quidem proprie, sed plebiscita appellantur, quæ tribunis pl. ferentibus accepta sunt?* quo in loco, *appellantur*, accepit, pro *appellari debent*. quod enim tradidit, observatum non esse, quæque tribunis rogantibus plebs jussit, ea tum plebiscita, tum leges, & a Livio, & ab aliis dici, sæpe licet animadvertere: sicuti & consilium plebis, & comitia de reo Postumio apud eundem Livium libro XXV.

CAP. XXXIV.

De scriptione legum, deque earum relatione ad senatum, & promulgatione.

LEGEM laturus magistratus scribebat eam domi, & cum peritis consultabat: ne quid contra populi rem, aut voluntatem sanciret: ne forte pugnantia capita simul ferret: neve quid, quod vetus aliqua lex, si ferretur, inane infirmumque juberet esse: (etsi, quæ postea ferretur lex, superiores omnes, præter sacratas, abrogabat) ne curationem, potestatem, commodumve aliquod ipse sibi sua lege, aut collegis, cognatis, affinibus mandaret: quod leges duæ, Licinia, & Æbutia, fieri vetuerunt. contra quas leges fecit P. Clodius: tulit A enim, quod in oratione pro domo traditum est, ut sibi Ciceronis ædes liceret possidere. etiam illud in scribenda lege cavebatur, ne pluribus de rebus, quæ non ejusdem generis viderentur, una rogatione ferretur: quod fieri cum lex Cæcilia & Didia vetabat, itaque a Clodio factum accusat Cicero pro domo sua: tum, faciendum non esse, indicat idem in suarum legum lib. III. his verbis: *Qui agent, non plus quam de singulis rebus consulunto*. nam, *consulunto*, est, populum roganto. consulitur enim populus, cum lex rogatur. itaque in oratione pro Milone, *Nihil*, inquit, *de ejus morte populus consultus, nulla quæstio decreta a senatu est*. & pro B domo sua: *Si populus de ista re consultus esset*. & Festus: *Rogatio est, cum populus consulitur*. etiam in senatu, *consulere*, est rogare sententias. ad Att. lib. XII. *Hic me laudat*, inquit, *quod retulerim, non quod patefecerim, quod cohortatus sim, quod denique ante, quam consulerem, ipse judicaverim*. Addebatur illa exceptio: ut, si quid jus non esset rogari, ne esset rogatum. quod in oratione pro domo notavimus. item: si quid contra alias leges ejus legis ergo latum esset, ut ei, qui eam legem rogasset, impune esset. quod fuisse tralaticium, hoc est, scribi solitum in omnibus legibus, tradit Cicero li-C bro III. epist. ad Att. Hæc igitur, quæ proposui, quasi legitima a bonis viris in ferenda lege omnia cavebantur. sed, ubi rationem vicit libido, spreta bonorum consuetudine, nihil præter suam potentiam & utilitatem in lege spectarunt. ideo sæpe leges Clodii, aut Vatinii, alienas a more majorum, acerbe reprehensas a Tullio videmus. Scripta lege, legislator bene de Repub. sentiens, ante quam eam promulgaret, referebat ad senatum, ut, quo plus ponderis majoremque vim lex haberet, de senatus eam sententia ferret. popularis vero, ac seditiosus magistratus, ut Vatinius tribunus pleb. Cæsare consule, non modo prætermissa senatus auctoritate, D sed interdum etiam contra senatus auctoritatem legem rogabat. Promulgabatur deinde lex, id est, in publico ponebatur. est enim *promulgare*, ut ait Festus, *quasi provulgare*. id autem eo fiebat, ut inspiceret qui vellet, inspectam consideraret: non solum, ut intercedi posset ante, quam ferretur: verum etiam, ut aliquanto ante statuere cuivis liceret, utrum, cum ferretur, antiquanda suffragiis, an accipienda lex esset. addo etiam illud, ut quivis monere legislatorem posset vel de corrigenda, vel omnino de non ferenda lege. spatium autem promulgationis, ut ex Macrobio, Dionysio, Cice-E rone, Quinctiliano, & aliis patet, quacunque de re ferretur lex, erat trinundinum, id est, per trinas nundinas. cum enim nundinarum caussa ex agris in urbem cives convenirent, per trinundinum leges, ut a rustica plebe ter legi cognoscique possent, patere voluerunt. quod cum M. Antonius non servasset, invehitur in eum Cicero Philippica V. his verbis: *Ubi lex Cæcilia, & Didia? ubi promulgatio trinundinum?* Et idem pro domo sua: *Hora fortasse sexta dici questus sum in judicio, cum C. Antonium collegam meum defenderem, quædam de Rep. quæ mihi visa sunt ad illius miseri caussam pertinere. hæc homines improbi ad quosdam viros fortes lon-F ge aliter, atque a me dicta erant, detulerunt. hora nona, illo ipso die tu es adoptatus. si, quod in cæteris legibus trinum nundinum esse oportet, id in adoptione satis est trium esse horarum, nihil reprehendo. sin eadem observanda sunt, ut decrevit senatus, M. Drusi legibus, quæ contra legem Cæciliam & Didiam latæ essent, populum non teneri: jam intelligis, omni genere juris, quod in sacris, quod in auspiciis, quod in legibus sit, te tribunum pleb. non fuisse*. Et, ut aliud ex alio, trinundinum non solum in lege ferenda, sed & in magistratu designando video esse servatum, ob eam scilicet caussam, ut

consuleretur candidatis pariter & populo: illis ad magis conciliandos sibi plebis animos: huic, ne imprudenter aliquem repente crearet, quem creatum postea nollet. locum autem & in lege, & in magistratu fuisse trinundino, minime miror: qui videam a Cicerone, oratione II. in Rullum, appellari legem ea comitia, quibus majores magistratus crearentur. nam, si comitia lex sunt, sequitur, ut, quod in lege, idem in comitiis observetur. &, quod rationi consentaneum videtur, id exempla clarius ostendunt. x. *viris creandis*, inquit Livius lib. III. *in trinundinum comitia indicta sunt*. & in epistola ad Tironem Cicero: *Ad consulatus petitionem se venturum: neque jam velle absentis rationem haberi sui: se præsentem trinundinum petiturum*. Quod tamen non nisi tranquilla Rep. servatum existimo. nam Punico bello secundo Q. Fabius Maximus consul tertium, Romam comitiorum caussa proficiscens, in eum, quem primum diem comitialem habuit, comitia edixit. idemque fecit anno proximo C. Claudius Cento, dictator comitiorum consularium caussa creatus. Sed nimirum, quod dici solet, silent leges inter arma: & ad Rempub. cujus caussa latæ leges ipsæ sunt, omnia referenda. Servabatur præterea in judicio populi trinundinum, cum scilicet a populo reus judicaretur. unde illud pro domo: *Cum tam moderata judicia populi sint a majoribus constituta: primum, ut ne pœna capitis cum pecunia conjungatur: deinde, ne, nisi prodicta die, quis accusetur: tertio, ut ante magistratus accuset intermissa die, quam multam irroget, aut judicet: quarto, sit accusatio trinundinum*. Constat igitur, in omnibus plane comitiis, de legibus, de magistratibus, de reis, trinundini rationem esse ductam. Neque vero trinundinum ita interpretor, ut, ipso tertiarum nundinarum die vel latas esse leges, vel designatum magistratum, vel reum a populo judicatum, existimem: cum & Macrobius lib. I. comitia nundinis haberi non licuisse, veterum testimonio probet: & Festus, nundinas non solum inter ferias, sed etiam inter nefastos dies apud antiquos fuisse dicat: inter ferias, ne cum populo agi liceret: inter nefastos dies, ne lege. *Nundinas*, inquit, *feriarum diem esse voluerunt antiqui, quo rustici mercandi vendendique caussa in urbem convenirent, eumque nefastum, ne, si liceret cum populo agi, interpellarentur nundinatores*. Aliud autem erat, *cum populo agere*: aliud, *lege agere. cum populo, populum, est, ad consilium aut comitia vocare*, ut ait Festus: vel, ut Gellius, *rogare populum, quod suffragiis suis aut jubeat, aut vetet*: quod tamen idem est. lege autem agere, est jus experiri, in judicio contendere. libro etiam IV. epist. ad Atticum, per duos nundinarum dies nihil de comitiis tentatum his verbis Cicero declarat: *Ante x. Kal. nundinæ. concio biduo nulla*. Trinundinum igitur in eam sententiam dictum accipio, ut inter eum diem, quo promulgata lex erat, & eum, quo deinde ferretur, trinæ nundinæ intercederent: quo & sæpius, & a pluribus, urbem mercandi vendendique caussa visitantibus, promulgata lex cognosci posset.

CAP. XXXV.

De recitatione legis ad populum, suasione aut dissuasione, & de loco unde suaderetur.

POST tertias nundinas, magistratus in eum locum, ubi legem laturus erat, sive in forum, sive in campum Martium, populum convocabat. ibi cum legem præco, subjiciente scriba, recitasset: tum primum quidem is, qui legem promulgarat, populo suadebat, ut rogationem acciperet, sed post eum alii, non privati modo, quibus ab aliquo magistratu concio daretur, (nam alioqui concionandi potestas privatis non erat) verum etiam quandoque magistratus, pro suo quisque sensu, vel suadebant, vel dissuadebant. Suasorem rogationis eum, qui rogabat, fuisse, ita verisimile est, ut exemplis, quæ multa suppetunt, mihi esse utendum in re minime dubia, non existimem. quod autem minus verisimile est, ut aliquis ejus rogationis, quam ferret, ipse dissuasor fuerit: id nisi testimoniis probem, credibile non erat. atque hoc tum fiebat, cum magistratus non e sua, sed e senatus sententia rogationem ferebat. neque enim prohibebatur dissuadere ad populum, quod non probaverat in senatu. Pisonis consulis exemplum habemus in epistola, *Vereor*, ad Atticum lib. I. *Piso*, inquit, *consul, lator rogationis, idem erat dissuasor*. quod Attico, ut novum & iniquum, scripsit Cicero, cum suadere suas rogationes reliqui solerent. unde illud Attici ad Ciceronem lib. II. de legibus: *Suade igitur, si placet, istam ipsam legem, ut ego, Uti rogas, possim edicere*. loquitur enim Atticus cum Cicerone, uti cum magistratu legem rogante. & quemadmodum in eo libro personam Cicero sustinet magistratus legem rogantis, quod proxime superiora verba declarant: *Si quæ forte leges a me hodie rogabuntur, quæ non sint in nostra Repub. nec fuerint, tamen erant fere in more majorum, qui tum ut lex valebat*: sic Atticus civem agit de ipsa suffragium ferentem. quod indicat illud: *Ut ego, Uti rogas, possim edicere*. refert enim morem illum tabellarum, quibus sciscebatur lex: quæ his duabus erant litteris signatæ, *V. R.* id est, *Uti rogas*: cum eæ, quibus lex rejiciebatur, una littera *A.* essent inscriptæ: quæ valebat, *Antiquo*, hoc est, nihil novari volo, antiqua probo, &, ut explanat Festus, in morem pristinum reduco. Vereor autem, (ut a re proposita paululum digrediar) ne mendum lateat in verbo, *edicere*. cui, quantum ex antiqua Latine loquendi consuetudine conjicere ac meminisse possum, in hac sententia locus non est. Sed ad rem. privatus legem Ciniam de donis & muneribus Q. Fabius Maximus suasit: Ogulniam de sacerdotiis P. Decius Mus: Voconiam de hereditatibus M. Cato ille Censorius: Corneliam de reditu Ciceronis Cn. Pompejus. Nec vero, qui privati item legem dissuaserint, invenire non facile est. exemplum habemus in oratione pro lege Manilia, Q. Hortensii; in libro de amicitia, C. Lælii, & minoris Africani. Maniliam legem, de bello Mithridatico Cn. Pompejo extra ordinem mandando, dissuasit Hortensius: Papiriam, de tribunis pleb. reficiendis, Lælius, & Africanus. atque hanc ipsam consuetudinem, ut privati legem suaderent, aut dissuaderent, indicat Livius lib. XLV. his verbis: *Ita traditum erat, ne quis prius intercederet legi, quam privatis suadendi dissuadendique potestas facta esset: quo melius aut commoda legis aperirentur, aut vitia. quo persæpe evenit, ut aut ii, qui ad intercedendum venerant, desisterent: aut intercederent, qui non professi essent se intercessuros*. & eodem libro infra: *Cum in Capitolio rogationem eam Ti. Sempronius ferre vellet, & privatis lege dicendi locus esset, neque ad suadendum, ut in re minime dubia, quisquam procederet, Ser. Galba repente processit*. item Cicero in oratione pro C. Cornelio, cujus exstant reliquiæ quædam, cum Asconii commentariis editæ: *Est*, inquit, *jus vetandi, dum privati dicunt, dum sitella defertur, dum æquantur sortes, dum sortitio fit*. quibus in locis cum & Livius & Cicero de solis privatis mentionem fecerint, non tamen eam potestatem solis privatis fuisse, debemus existimare. partem enim pro toto posuerunt, quia privati & sæpius, & plures, quam magistratus, aut pro lege, aut contra legem dicere solerent. Magistratuum porro vel suadentium, vel dissuadentium legem exempla habemus hæc. M. Porcius Cato,

ille major, consul rogationem de abroganda lege Oppia; C. Lælius, ille sapiens, prætor Liciniam de cooptatione sacerdotum ad populum transferenda dissuaserunt. legem Maniliam prætor Cicero luculenta, quæ exstat, oratione suasit: agrariam Rulli iis, quæ exstant, orationibus consul idem dissuasit. Verum hæc, quæ paulo longius, ut illustriora fierent, produximus, paucis admodum verbis libro de legibus III. Cicero comprehendit: *Populum*, inquit, *docento, doceri a magistratibus privatisque patiuntor*. in quo significatur, ut & ipsi magistratus, qui legem ferent, doceant, hoc est, de ipsa lege dicant, & dicere alios quoque tum magistratus, tum privatos patiantur. Infra vero, eodem libro, cum dixit, *de promulgatione, de singulis rebus, de privatis, magistratibus audiendis*: privatos posuit ante magistratus, cum supra primum magistratus, deinde privatos nominasset. quod si ad veritatem ordo referatur, prius nominari privatos, deinde magistratus oportuit. prior enim privatis locus in suadenda dissuadendave lege ideo datus est, ne, si eos, qui magistratum gerebant, ante audissent, ab iis dissentire non auderent. idque Dio historiæ suæ libr. XXXIX. scriptum reliquit. quos autem suadere aut dissuadere leges solitos fuisse diximus, eos in ea pro Flacco *legis auctores* Cicero appellat: cum auctores intelligat vel accipiendæ legis, vel antiquandæ. Hæc de suadentibus dissuadentibusque legem. nunc de loco, unde suaderent, aut dissuaderent, addendum quiddam est. Nemo ad populum, nisi de loco superiore, concionabatur, sive is privatus esset, sive magistratum administraret. id autem ob eam caussam, quo longius a stantibus in concione tum exaudiri vox, tum intelligi verba possent. concionabantur igitur, si in foro, de *Rostris, quæ ad Comitium fuisse, prope juncta curiæ*, Pedianus ait: si in campo Martio, vel alibi, de suggestu, aut editiore aliquo loco. concionari autem magistratibus pro ea, quam habebant, potestate omnibus licebat: privatis, quod jam diximus, nisi concionem, id est, concionandi potestatem, a magistratu aliquo acciperent, non licebat. &, quia sæpius in foro, ubi Rostra fuisse diximus, quam in campo, leges ferebantur: ideo sæpius de Rostris, quam in campo, conciones habebantur. multo enim plures tributis comitiis, quæ, legum quidem caussa, in foro, interdum & in Capitolio habebantur, quam centuriatis, quæ in campo, latas esse constat, cum tribuni pleb. qui comitia tributa, non centuriata, habebant, facillime ad leges rogandas adducerentur, quippe qui leges non ferrent ex senatus auctoritate: quod necesse erat de legibus centuriatis. Dixi, privatos non nisi potestate a magistratu accepta concionari potuisse, magistratus autem cunctos suo jure potuisse. quod cum ita esse nunc etiam confirmem, tamen illud addo, summum in eo jus, summamque potestatem tribunorum pleb. fuisse: qui, si vellent, non privatos modo, verum & magistratus ipsos, atque etiam consulem, qui summus erat magistratus, prohibere concione poterant. itaque Ciceronem consulem extremo magistratus die Q. Metellus Nepos tribunus pleb. concionis habendæ potestate privavit: & Q. Metellum Celerem consulem a L. Flavio tribuno pl. in carcerem deductum, annoque proxime consecuto M. Bibulum, item consulem, a P. Vatinio tribuno pleb. historiæ narrant. non enim de Rostris modo concionantem, atque etiam de curru triumphantem detrahere tribuno pleb. licebat, verum &, quoque vellet, deducere, vel ad supplicium, si liberet: propterea quod, cui vellet, manus injicere, vetusto Sacratarum legum jure, poterat: ipsi, cum sacrosanctus esset, nemo poterat. Verum tribuni pl. potestatem suo loco, id est, libro de Magistratibus, reservemus: interim, quod in manibus est, ipsum agamus.

A

B

C

D

E

F

CAP. XXXVI.

De sortitione tribuum aut centuriarum, de tribunorum intercessione & aliis impedimentis, deque discessione civium in suam tribum aut centuriam.

CUM suaserant, dissuaserantve legem primo loco magistratus, qui legem ferebat, secundo privati, tertio reliqui magistratus: tum, præsentibus sacerdotibus, ut Dionysius scribit, & divina exponentibus, sitella, vel urna (*sitellam* Cicero, *urnam* Lucanus vocat) deferebatur: in quam sive tribuum, si tributis comitiis lex ferretur, sive centuriarum, si centuriatis, nomina conjiciebantur. deinde, sortibus æquatis, hoc est, ita agitata sitella, ne qua sors subsultaret, atque existeret, sed pariter omnes æquatæ jacerent, sortitio fiebat, quæque prima vel tribus, vel centuria, quæ secunda, quæ tertia de sitella exiisset, eundem, quem sors dederat, in suffragio ferendo locum atque ordinem obtinebat. hæc dum agerentur, si quis tribunus pleb. legi vellet intercedere, locus erat. nunquam autem ante suasionem dissuasionemque legis intercessionem fuisse, declarant illa proxime recitata, quæ Livius lib. XLV. Cicero in oratione pro C. Cornelio tradiderunt. Et, quoniam de intercessione, quæ legem impediebat, mentionem facimus: (neque enim legi tantum, verum & sanatusconsultis, & prætorum decretis, aut judiciis intercessum esse, animadvertimus) omnibus de caussis, quæ, quo minus promulgata lex perferri posset, impedimento fuerunt, dicendum nobis est. Hæ quatuor traduntur: prima, intercessio, cum tribuni pleb. quorum proprie intercedendi jus erat, edita voce illa, *Veto*, de qua mentionem facit Livius, intercedebant: cujus generis exempla non desunt. Altera, cum is, qui promulgarat, vel amicorum precibus adductus, vel senatus auctoritate commotus, vel ipse sua sponte consilium mutabat: quod C. Manilius, & L. Cæcilius, uterque tribunus pl. diversis temporibus fecerunt, ille in lege de libertinorum suffragiis, hic in ea, quam de minuenda ambitus pœna promulgavit. Tertia ratio fuit, cum, neque intercedente tribuno, neque eo, qui promulgaverat, consilium mutante, comitiales dies, id est, eos, quibus agi cum populo licebat, consul eximebat, vel supplicationibus decernendis, vel feriis indicendis, non solum iis, quæ Latinæ dicebantur, quas indicere soli consules poterant, sed etiam iis, quæ imperativæ, quas non modo consulibus, verum etiam prætoribus ipsorum arbitratu licebat imperare. quo genere usum esse Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum consulem, ut C. Catonis tribuni pleb. legibus obsisteret, videmus in epistola, *Placiturum* libr. II. ad Q. fratrem. Quartam caussam, quæ & ipsa comitiis, quacunque de re haberentur, impedimento esset, auspicia invenimus. quorum duo genera reperio, unum, quo magistratus tantum utebantur, quæ *spectio* dicebatur, vel, *de cœlo servare*: quo de genere testes locupletes habemus Tullium in II. Philippica, & Varronem apud Nonium: alterum genus ad augures pertinebat, cum ex avium signis, id est, volatu, cantu, & tripudio sollistimo, auspicium faciebant. nam, si quid adversi viderant, aut audierant, id nunciantes, comitia impediebant. quod Cicero lib. II. de Legib. ut alia omittantur exempla, significat. illo autem priore genere, vel si adversi nihil esset, ipsa tamen per se spectio rem impediebat. quod a Dione lib. XXXVIII. traditum animadverti. Obnuntiatio autem, quæ augurum erat, duarum rerum observatione fiebat, vel cum de cœlo fulsisset, aut tonasset: (erat enim in augurum disciplina, ut, Jove fulgente, tonante, comitia dimitterentur) quo genere impedimenti Pompejus Magnus in secundo consulatu, cum prætorem crea-

ri, virum omnium integerrimum, M. Catonem videret, ipse autem, hominem flagitiosissimum, P. Vatinium, Cæsaris gratia, vellet, comitia dissolvit: vel cum aves adversa portenderent. avium autem tria genera; alites, quæ volatu; oscines, quæ cantu; pulli, qui tripudio signa dabant rerum futurarum. Nec omnium erat eadem significatio, cum quædam a dextra, quædam a sinistra volantes, aut canentes, prosperos eventus ostenderent. hinc illud lib. I. de Divinat. *Juppiter ne cornicem a læva, corvum a dextra canere jussisset.* & Plautus in Asin. *Picus, & cornix est ab læva, corvos porro ab dextera.* & in epistola ad Cæcinam: *Non igitur ex alitis involatu, nec ex cantu sinistro oscinis, nec ex tripudiis solliftimis tibi auguror.* Aves aut utriusque generis, id est, alites, & oscines persequitur Festus 13. 241. Et, quanquam sinistra Romanis læta, ut Græcis dextra, iisdem tamen, ut lib. 2. de Divinat. cognovimus, sinistrum fulmen triste omen fuit ad comitia, cum ad cæteras res esset optimum: &, si bubo volaret a sinistra. præclare Lucanus hoc de genere libr. III. cum neglectam veterem comitiorum rationem significaret, illa pronunciat:

—— *Fingit solemnia campus.*
Nec cœlum servare licet. tonat, augure surdo,
Et lætæ jurantur aves, bubone sinistro.

Redeo ad institutum. Sortitione tribuum aut centuriarum facta, dicebat is, qui legem ferebat: *Si vobis videtur, discedite Quirites.* de quo Pediani verba subscribam. *Cum,* inquit, *id solum superest, ut populus sententiam ferat, jubet unumquemque is, qui fert legem, discedere. quod verbum non hoc significat, quod in communi consuetudine est, de eo loco, ubi lex fertur, sed in suam quisque tribum discedat, in qua est suffragium laturus. populus enim confusus, ut semper alias, ita & in concione.* Livius autem lib. 2. ubi de lege Lectoria loquitur, *Consul,* inquit, *Appius negare jus esse tribuno in quenquam, nisi in plebejum: non enim populi, sed plebis eum magistratum esse, nec ullum ipsum summovere pro imperio posse more majorum, quia ita dicatur: Si vobis videtur, discedite Quirites.* ubi, *discedite*, dictum apparet ad suffragia ferenda libro vero 3. ubi de Terentia lege agit, idem significat, cum ait: *Quemadmodum se tribuni gessissent in prohibendo delectu, sic patres in lege, quæ per omnes comitiales dies ferebatur, impedienda gerebant. initium erat rixæ, cum discedere populum jussissent tribuni, quod patres se summoveri haud sinebant.*

CAP. XXXVII.

De diribitione, de modo, nec non & de ordine suffragiorum ferendorum, itemque de suffragiorum diremptione.

Cum igitur, de concione jussi discedere, in suam quisque tribum, aut centuriam abiisset, privatos homines invenio, qui de lege laborarent, ipsos, ne quid fallaciæ committeretur, aut tabellas distribuisse, aut distribuentibus præfuisse. idque *diribere* proprio vocabulo dicebatur. quod muneris quia fere obiri curarique ab iis soleret, qui neque ætate graves, neque gestis honoribus insignes admodum essent, id sibi & a senibus, & a dignitate præstantibus præcipue contigisse, gloriose commemorat Cicero in Pisonem. *Hoc,* inquit, *certe video, quod indicant tabulæ publicæ, vos rogatores, vos diribitores, vos custodes fuisse tabellarum: &, quod in honoribus vestrorum propinquorum non facitis, vel ætatis excusatione, vel honoris: in salute mea, nullo rogante, vos vestra sponte fecistis.* Eodemque verbo eadem de re usus est in ea post reditum in senatu, cum ait: *Quando tantam fre-*

A *quentiam in campo, tantum splendorem Italiæ totius, ordinumque omnium, quando illa dignitate tot rogatores, diribitores, custodesque vidistis?* Nec dubito, quin legendum sit, *diribeantur*, non *diripiantur*, ut in ea in Pisonem, in eo loco: *An exspectas dum de te* LXXV. *tabellæ diripiantur?* pro, distribuantur, ut de te judicium fiat. sic & Plinius manifeste accepit libro XXXVI. cap. XV. *Hic est,* inquit, *ille domitor orbis populus, qui gentes & regna diribet.* Cistis autem suffragiorum custodiendis certos homines in comitiis præfuisse, qui *nongenti* sint appellati, idem Plinius libr. XXXIII. capite secundo scriptum reliquit. Objicitur hic quæstio perdifficilis,

B quo modo suffragia ferrentur: quod, in tanta rerum antiquarum obscuritate, suffragandi usu non solum intermisso, verum etiam penitus amisso, post tot sæcula manifestum non esse, quis miretur: itaque nec opinor, totam rem explicare quisquam possit: nec tamen ignorabit omnia, qui veterum libros diligenter examinarit. Primum igitur, illud, multorum testimonio, constat, cistas cum suffragiorum tabellis pontibus quibusdam, quo tutius custodirentur, imposita esse: ex quibus tabellæ populo ministrarentur. quem morem Cicero in epistola quadam ad Atticum libr. I. declarat his

C verbis: *Operæ Clodianæ pontes occuparant. tabellæ ministrabantur, ita ut nulla daretur, Uti rogas.* & libr. III. de Legibus: *Pontes lex Maria fecit angustos.* quam legem Plutarchus etiam in Mario significat. libro autem I. Rhetoricorum ad Herennium: *Cæpio, ut Saturninum contra S. C. legem de semissibus, & trientibus adversus Rempub. vidit ferre: cum viris bonis impetum facit, pontes disturbat, cistas dejicit, impedimento est, quo secius feratur lex.* Deinde, cum a Festo scriptum videam, suffragia per pontem comitiis ferri solita, adducor in eam sententiam, ut existimem tabellas in eorum pontium capite ministratas esse, & in extremis

D pontibus alias cistas fuisse, in quibus tabellas quisque suas deponeret: quod erat suffragium ferre. quod & si ex duobus locis Ciceronis, & ex libr. Rhetoricorum ad Heretinium satis licet intelligere: tamen, quo res pateat illustrius, Festi verba recitabimus: *Quo tempore,* inquit, *primum per pontem cœperunt comitiis suffragium ferre, juniores conclamaverunt, ut de ponte dejicerentur sexagenarii, qui jam nullo publico munere fungerentur, ut ipsi potius sibi, quam illi, deligerent imperatorem.* vanam autem opinionem de ponte Tiberino confirmavit Afranius. & idem alio loco: *Depontani senes appellabantur, qui sexagenarii de ponte dejiciebantur.*

E Quo spectasse Macrobius videtur, cum ait Sat. lib. I. *His ne tam doctis viris, quorum M. Cicero, & Varro imitatores se gloriantur, adimere vis in verborum comitiis jus suffragandi, & tanquam sexagenarios de ponte dejicies?* Transibant igitur per eos pontes ad lationem suffragii, tabellis acceptis in prima pontis parte, quas in extrema redderent. Erant autem, quot tribus, aut quot centuriæ, tot pontes: ut per suum singulæ pontem suffragium ferrent. alioqui negotium longi temporis, nec sine perturbatione aliqua fuisset, si ponte unico tribus omnes, aut centuriæ transire cogerentur. & cum ait Cicero:

F *Operæ Clodianæ pontes occuparant*: &, *Pontes lex Maria fecit angustos*: & ille, qui scripsit ad Herennium, *Pontes disturbat, cistas dejicit*: pontium multitudinem perspicue declarant. Nec de duabus tabellis cuique datis quisquam dubitat, una cum hac littera, A, quæ legis *antiquationem* significat: altera, sic inscripta, V. R. id est, *Uti rogas*: quæ legem accipiebat, uti magistratus rogaverat. Pontes autem dicti, quod exstructæ ad tempus mensæ satis angustæ, præsertim post legem Mariam, pontium similitudinem haberent: quæ, si tributim populus in forum vocaretur, XXXV. pro

numero tribuum fuere: si centuriatim in campum, totidem, quot centuriæ, id est, CLXXXXIII. Nunc de ordine in ferendis suffragiis agamus. Primo loco ea tribus, eave centuria, quæ, omnium tribuum, autem centuriarum nominibus in sortem conjectis, prima de sitella, de qua jam diximus, sorte exierat, suffragium ferebat: eaque *prærogativa* dicebatur, quia prima rogaretur a magistratu, qui comitia habebat. at in prima tribu, aut centuria quis primus? videlicet is, quem magistratus legem ferens deligebat: deligebat autem, quem & dignitate præstare, & rogationi suæ præter cæteros favere judicabat. utrumque cognoscitur in oratione pro Plancio, in qua ita scriptum est: *Nam quod primus scivit legem de publicanis, tum vir amplissimus consul id illi ordini per populum dedit, quod per senatum, si licuisset, dedisset: si in eo crimen est, quia suffragium tulit, quis non tulit publicanus? si, quia primus scivit, utrum id sortis esse vis, an ejus, qui illam legem ferebat? si sortis: nullum crimen est in casu. si consulis: splendor etiam Plancii, hunc a summo viro principem ordinis judicatum.* quo constat, ideo primum Plancium ad suffragium ferendum a Cæsare consule lectum esse, quia primus ordinis equestris judicaretur. quod ipsum confirmant illa pro domo sua: *Consulari homini P. Clodius, eversa Rep. civitatem adimere, consilio advocato, conductis operis non solum legentium, sed etiam servorum, Sedulio principe?* dixit enim, *Sedulio principe*, pro, *primo omnium suffragium ferente*. quod apertius proxime ostendit, cum ait: *Sin autem is primus scivit*. erat enim quodam modo legis ornamentum, cum is eam sciscebat primus, cujus in civitate non levis esset auctoritas. quod etsi satis clare indicant ea, quæ ex oratione pro Plancio recitavimus: tamen in hac ipsa pro domo sua idem fit illustrius. subjungit enim post ea, quæ proxime ad exemplum attuli, non magno intervallo: *Tu hujus, ut acta tui præclari tribunatus hominis dignitate honestes, auctoritatem amplecteris*. quasi Clodius Sedulii, tanquam clari hominis, nomen publicis in tabulis ad legem honestandam scripsisset, aut fortasse etiam in æs simul cum ipsa lege incidisset. nam, ut dicam quod sentio, suspicor de mendo, ubi Sedulii mentio fit in ea pro domo sua. quod enim legitur, *Quid te audacius, qui in ejus nomen incideris*? id non placet. non enim cum audacia casus congruit. nam *incidere* verbum est in casu positum: audacia vero voluntatis est. non enim, qui incidit, audax est, sed imprudens & inscius: qui vero audax, is non incidit, sed incurrit & irruit. quare aliter suspicor a Cicerone scriptum esse, & forte sic: *Quid te audacius, qui in æs ejus nomen incideris?* leges enim in æs incidi solitas paulo post docebimus. Cum igitur ab eo, quem magistratus ipse primum delegisset, deincepsque ab aliis ejusdem tribus aut centuriæ perlata suffragia erant: tum, suffragiis in utramque sententiam dinumeratis, & eorum numero punctis notato, ejus tribus aut centuriæ voluntas cognoscebatur, eaque a præcone renunciabatur: &, eadem in reliquis tribubus aut centuriis ratione servata, ex majore tribuum centuriarumve numero vel antiquabatur, vel sciscebatur lex. hoc autem *dirimere suffragia*, & *diremptio* suffragiorum dicebatur. itaque vetera habent exemplaria Varronis de re rust. lib. III. *Dum dirimuntur suffragia, vis potius villæ publicæ utamur umbra, quam privati candidati tabella?* Quod aperte declarat Lucanus, quem locum depravari, & ut aliis in locis *diribet* pro *dirimit*, reponere, facile non fuit, in illo versu, lib. V.

Et non admissæ dirimit suffragia plebis.

& ad Q. fratrem, libr. III. epist. IV. lego *diremptis tabellis*; non ut vulgo legitur, & ut habent libri quoque veteres, *diruptis*. item in oratione pro Plancio *diremptio*, non *direptio*.

CAP. XXXVIII.

De lege antiquata vel accepta, deque ejusdem confirmatione per jusjurandum, incisione in æs vel columnam, & de loco ubi custodienda reponebatur.

DIREMPTIS igitur suffragiis, vel de antiquata lege, vel de accepta cognoscebatur. ac de antiquata, id est, suffragiis improbata, (Festus enim, *Antiquare*, explanat, in *morem pristinum reducere*) nihil est dicendum. scitam autem, atque acceptam, omnium civium jurejurando confirmari solitam legimus. itaque Q. Metellus, ille Numidicus, ne in legem Saturnini per vim latam juraret, in exilium abire maluit, sibique potius de patria, quam de sententia, decedendum putavit. quem anno post XLIII. imitatus non est M. Cato, is, quem Uticensem historici nominant: qui cum leges P. Clodii nullo neque jure, neque more rogatas putaret, in eas tamen juravit, consilio usus optimo, ut Cicero ait in ea pro Sextio. nam ab eo, quod omnino, ne fiat, fieri non potest, cum periculo dissentire, temeritatis videtur esse. Post jusjurandum, in æs lex incidebatur: quod indicat Livius lib. III. his verbis: *Prius quam urbe consules egrederentur, leges xvirales, quibus tabulis duodecim est nomen, in æs incisas in publico proposuerunt*. atque hoc libro X. Dionysius confirmat. & Cicero in oratione III. in Catilinam, *Memoria tenetis*, inquit, *Cotta, & Torquato coss. complures in Capitolio turres de cœlo esse percussas: cum & simulachra deorum immortalium depulsa sunt, & statuæ veterum hominum dejectæ, & legum æra liquefacta*. quod ipsum versibus deinde persecutus est in secundo de consulatu suo, ut lib. I. & II. de Divinatione patet. eandem consuetudinem probant illa, quæ in I. Philippica scripta sunt: *Forum sepietur: omnes claudentur aditus: armati in præsidiis multis in locis collocabuntur. quid tum? quod erit ita gestum, id lex erit, & in æ. incidi jubebitis?* quod etiam non multo ante dixerat; *Quæ ille in æs incidit, in quo populi jussa perpetuasque leges esse voluit, pro nihilo habebuntur?* Exemplis non egemus: sed unum Suetonii, quod in C. Cæsaris vita legimus, quod apertam rem multo etiam illustrius ostendit, apponemus: *Marcus*, inquit, *Claudius Marcellus consul, edicto præfatus de summa se Rep. acturum, retulit ad senatum, ut ei succederetur ante tempus: quoniam, bello confecto, pax esset, ac dimitti deberet victor exercitus: &, ne absentis ratio comitiis haberetur, quando nec plebiscito Pompejus postea abrogasset. acciderat autem, ut is, legem de jure magistratuum ferens, eo capite, quo a petitione honorum absentes summovebat, ne Cæsarem quidem exciperet per oblivionem: ac mox, lege jam in æs incisa, & in ærarium condita, corrigeret errorem*. Hic illud occurrit: Si tum denique in æs leges incidebantur, cum perlatæ essent, quod proxima Suetonii verba ostendunt: cur in oratione pro Milone, cum de legibus nondum latis, sed quas Clodius ferre cogitarat, mentionem facit, *incidebantur*, inquit, *jam domi leges, quæ nos nostris servis addicerent?* cur non, *scribebantur* potius, quam *incidebantur*? an incideret Clodius leges nondum latas? Dicamus, quod omisit Pedianus interpres, qui in arte Ciceronis indicanda parcus nimis est, sicuti in exponenda historia satis liberalis. notat Cicero confidentiam Clodii hominis audacissimi, qui domi suæ leges non modo scriberet, sed etiam, quasi latas, incideret: quas, quo jure quave injuria, cum suis operis & servis omnino perferre

ferre constituerat. & est Oratoris artificium, ad odium concitandum ea de inimico dicere, quæ etiamsi fortasse facta non sunt, fieri tamen potuisse, ejus, in quem dicitur, ante acta vita declarat. nihil erat, quod in Clodium, quamvis atrociter excogitatum, non verisimile videretur. ideo, *incidebantur* potius, quam *scribebantur*, dixit, vel vere, vel quod magis puto, ὑπερβολικῶς, & tamen verisimiliter, ut de P. Clodio, quem omnium audacissimum fuisse constabat. Ne illud quidem prætermittam, non in tabulis modo æneis, sed etiam in columnis incisas esse leges. de tabulis dubium non est: quas etiam aliquot, in hunc usque diem servatas, ipsi vidimus. de columnis autem Cicero pro Balbo sic: *Cum Latinis omnibus fœdus ictum Sp. Cassio, Postumo Geminio coss. quis ignorat? quod quidem nuper in columna ænea meminimus post Rostra incisum & perscriptum fuisse*. qua ipsa de re Livius libro II. sic: *Tantum sua laude obstitit famæ consulis Marcius, ut, nisi fœdus cum Latinis, columna ænea insculptum, monumento esset, ab Sp. Cassio uno, quia collega abfuerat, ictum, Postumum bellum gessisse cum Volscis, memoria cessisset*. & Varro, ut apud Macrobium legimus, antiquissimam legem in columna ænea scripsit incisam fuisse, cui mentio intercalaris adscriberetur. nec deest Dionis in historia testimonium, qui lib. XLI. columnas, quibus incisæ leges legerentur, de cœlo tactas memoriæ prodidit. Scripta jam lege, promulgata, perlata, in æs incisa, (his enim quasi gradibus ad id, quod in lege ultimum, ac summum est, pervenimus) unum restat, ut, ubi custodienda reponeretur, ostendamus. Scire igitur oportet, non eandem legum omnium fuisse rationem, sed aliquot, maximeque tabulis æneis incisas, in publico proponi solitas, ut oculis civium paterent, quod exempla demonstrant: quæ vero æneas in tabulas essent incisæ, eas ad ærarium delatas, quo scilicet & senatusconsulta. ibi cum publicis pecuniis omniumque publicarum rationum libris conditæ asservabantur. erat autem Ærarium, tum aliorum, tum maxime Festi, Macrobii, & Plutarchi in problematibus testimonio, in Saturni Opisque templo: templum autem in vico Jugario, ad Capitolii radices: unde septies millies HS. a Cæsare dictatore depositum, post illius interitum M. Antonius consul abstulit. etsi tantum Opis in Philippica I. & II. ubi hac de re Cicero loquitur, mentio fit: puto, quod duabus cellis simulachra Opis & Saturni separatim dedicata colerentur, & ad Opis cellam propius, quam ad Saturni, eam pecuniam Cæsar locasset. primis tamen Reipub. temporibus legem Iciliam in templo Dianæ, quod in Aventino monte fuit, repositam esse, legimus in historia Dionysii.

CAP. XXIX.

De loco ferendarum legum.

QUÆ ad rationem perferendæ legis attinerent, quæ fere ponderis alicujus esse viderentur: omnia, ut arbitramur, persecuti sumus. nam, in quo differrent legum ferendarum comitia a cæteris comitiis, ut de magistratu creando, de reo judicando, quia convenire magis in librum de Comitiis hæc tractatio videtur, qui post hunc de Legibus exibit, hic omittimus. Locum ferendæ legis interdum Prata Flaminia, qui postea Circus Flaminius dictus est; interdum etiam Lucum Petilinum, quandoque Capitolium, sed plerunque Forum, aut Campum Martium fuisse legimus. de Pratis Flaminiis, Luco Petilino, Capitolio, Livius testis est: de Foro, declarant illo pro C. Rabirio Postumo: *Si lex ferretur, convolaretis ad Rostra*. erant enim Rostra in foro. dixit autem, *convolaretis ad Rostra*, cum hoc intelligeret, ut inde legem dissuaderetis. & aperte in oratione I. in Antonium, & in V. pro domo, & ubi non? de Campo inde constat, quod cum leges centuriatis comitiis sæpe latæ sint, centuriata porro comitia in Campo esse habita, omnes historiæ narrent: manifeste sequitur, ut leges, centuriatis comitiis latæ, in Campo latæ sint. Hic oritur alia consideratio, loco ne sacro, an profano ferretur? Sacro potius, quam profano, crediderim: primum, quod in Rostris qui locus erat auguratus, Templumque dicebatur, sæpe a magistratu ferretur: itaque pro Sextio, *Princeps*, inquit, *rogationis Q. Fabricius templum aliquanto ante lucem occupavit*. occuparat enim, ut legem ferret. quod illa verba pro Milone declarant: *Potuitne Fabricio, viro optimo, cum de reditu meo legem ferret, pulso?* occuparat autem Rostra, non templum alicui deo sacrum: quod ipse Cicero declarat infra, in eadem pro Sextio, subjungens, *Tribunos pleb. ferro e Rostris a Clodio pulsos*, Fabricium intelligens. sed clarissime in Vatinium his verbis: *Cum L. Vettium indicem in Rostris, in illo, inquam, augurato templo ac loco collocaris*. & Livius libr. VIII. *Naves*, inquit, *Antiatium partim in navalia Romæ subductæ, partim incensæ: Rostrisque earum suggestum in foro exstructum adornari placuit: Rostraque id templum appellatum*. Altera est ratio, quod leges a P. Clodio tribuno pleb. in templo Castoris latas invenio. quod indicat illud in Pisonem: *Eodem in templo, eodem & loci vestigio & temporis, arbitria non mei solum, sed patriæ funeris abstulisti*. sic enim interpretor illud, *Eodem in templo: quo in templo legem de mea pernicie tulerat Clodius, eodem in templo de Macedonia tibi tradenda statim legem tulit: quam tu provinciam ad arbitrium tuum pro meo funere, quod idem funus patriæ fuit, ipse pactus eras. itaque provinciam lege traditam, quasi præmium a Clodio debitum, abstulisti*. & apertius in oratione pro domo sua: *Cum arma*, inquit, *in ædem Castoris comportabas, nihil aliud, nisi, uti ne quid per vim agi posset, machinabare*. in libris autem de inventione, *Flaminium*, inquit, *eum qui consul Rempub. male gessit bello Punico secundo, legem agrariam per seditionem ad populum ferentem, pater suus de templo deduxit. accersitur majestatis*. & apud Livium, ante quam Rostra in foro exstructa essent, de tribunis pleb. legum rogandarum caussa in templum coeuntibus, non semel mentionem fieri videmus. Ferebat ergo magistratus legem in templo: ferebat suffragia de lege populus circa templum. locum enim tantæ multitudini ullo in templo fuisse, credibile non est. cum vero lex a magistratu ferretur, eodem in templo alios quoque magistratus affuisse, eos nimirum qui cum magistratu legem ferente consentirent, legimus in oratione in Vatinium: *Quæ quidem leges*, inquit, *anno post, sedentibus in templo non consulibus, sed proditoribus hujus civitatis ac pestibus, una cum auspiciis, cum intercessionibus, cum omni jure publico conflagraverunt*. Ostendi latam in templo legem, cum in foro ferebatur, hoc est, tributis comitiis. quid, cum in campo, centuriatis? tum in templis deorum non existimo, quæ in campo nulla fuisse legimus: quo tamen in loco a magistratu ferretur, eum locum ante auguratum fuisse crediderim. nam, si tributis comitiis semper in templo, cur centuriatis, quæ majorum rerum caussa habebantur, profano in loco lex ferretur? sed fortasse videri possit infirma conjectura. addamus exemplum, ut dubia res testimonio probetur. Livius igitur lib. III. *Tribuni*, inquit, *ut impediendæ rei nulla spes erat, de proferendo exercitu agere, eo magis, quod & augures jussos adesse ad lacum Regillum, fama exierat, locumque inaugurari, ubi auspicato cum populo agi posset: ut, quidquid Romæ vi tribunicia rogatum esset, id comitiis ibi abrogaretur*. Inter leges autem, quæ in foro, & eas, quæ in campo ferrentur, dixi jam hoc interfuisse, quod in foro tributis

comitiis ferrentur. in campo comitiis centuriatis. nunc adjungo, primum illud, centuriatis comitiis eas eſſe latas, quæ e S. C. ferebantur: deinde illud, quæ centuriatis comitiis ferrentur, eas, ſi e S. C. non ferrentur, patribus quidem auctoribus ſemper eſſe latas. quod non a primis Reipub. temporibus, ſed tantum poſt Publilii Philonis dictaturam obſervatum eſt. hunc enim dictatorem legem tuliſſe, ut legum, quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante latum ſuffragium patres auctores fierent, ſcribit Livius lib. IIX. quo ſignificatur, non omnes antea leges, quæ centuriatis comitiis ferrentur, e S. C. aut patribus auctoribus eſſe latas. quod ſi factum nunquam antea non erat, conſuetudine ſervata, quæ in Numa rege creando eſt inducta, ut ſcilicet, ante quam populus ſuffragium iniret, patres in incertum comitiorum eventum auctores fierent: Publilius in plebem propenſus, quia plebejæ gentis erat, quod ſenatui liberum erat, id neceſſarium fecit, quodque more factum erat, id ut lege fieret, ſua lege ſanxit. Neque vero, quod ait Livius, *Patres auctores fierent*, explano, *patres S. C. probarent*. fiebant enim de re & relata & diſputata S. C. quid porro referri & diſputari opus erat id, quod omnino probari a ſenatu Publilia lex juberet? nam de quo fit S. C. id ejuſmodi eſt, ut improbari & abjici potuerit: eſt autem & probatum, & acceptum, quia major pars ſenatus ita ſenſerit. at in hoc nunc, utrumvis licere, neque plurium ſenatorum voluntatem ſpectari, Publilius voluit, ſed quaſi ab univerſo ſenatu jam probatum eſſet, ita, vellent nollent, patres auctores eſſe. ergo ſic exiſtimare debemus, quæ leges centuriatis comitiis ferrentur, eas poſt legem Publiliam aut e S. C. aut certe patribus auctoribus eſſe latas: quæ vero ante legem Publiliam centuriatis comitiis latæ erant, alias e S. C. alias ſine S. C. patribus tamen auctoribus, alias neque e S. C. neque patribus auctoribus. Nihil ne igitur interfuit, dicet aliquis, inter leges, quæ patribus auctoribus, & eas, quæ e S. C. ferrentur? nihil, mea ſententia, ante legem Publiliam. nam, ſive e S. C. ſive patribus auctoribus ferrentur, e ſenatus voluntate ferebantur. poſt legem autem Publiliam multum inter hujuſmodi leges interfuit, atque adeo tantum, quantum inter ſecundam & adverſam voluntatem intereſt. nam ſecunda ſenatus voluntate ferebantur eæ leges, quæ S. C. probatæ jam erant: adverſa vero nonnunquam eæ, quarum patres auctores fiebant. probabant enim inviti, lege coacti. itaque honorificentius habebatur id, quod e S. C. centuriatis comitiis latum eſſet, quam id, quod iiſdem comitiis patribus auctoribus. ſed extremis Reipub. temporibus nullam legem centuriatis comitiis e S. C. patribus auctoribus latam invenio, permultas autem S. C. iiſdem comitiis, ſive, quod abrogata ſit Publilia lex: ſive, quod, poſteaquam Q. Hortenſius dictator legem tuliſſet, ut eo jure quod plebs ſtatuiſſet, omnes Quirites tenerentur, nihil attinuit patres auctores de eo fieri, quo vel ſi auctores ipſi non fierent, tamen omnes cives æque tenerentur. itaque magiſtratus aut e S. C. centuriatis comitiis, aut, ſi ſenatus diſſentiret, tributis leges tulerunt: (quamquam & leges multæ tributis comitiis ex S. C. latæ ſunt) cum duabus legibus, Publilia, & Hortenſia, eandem vim haberent leges tributis comitiis latæ, quam habuerunt antea leges eæ, quæ centuriatis comitiis, patribus auctoribus, latæ erant. non enim, quod ait Cicero Philippica x. *Legem Panſa comitiis centuriatis ex auctoritate noſtra laturus eſt*, eo ſenſu dictum exiſtimo, quod eam legem patribus auctoribus Panſa laturus eſſet, ſed *ex auctoritate noſtra*, explano, *e S. C.* loquitur enim de Cæſaris actis: quæ lege confirmari, & ſanciri, ſenatus cupiebat. cum porro cuperet, nimirum S. C. potius, quam alia quavis ratione, declararet. quod ſi cui auctoritatem ſenatus pro S. C. uſurpari, novum eſt: nihil errabit, ſi, ut de Latine loquendi conſuetudine recte judicare poſſit, Ciceronis libros diligenter evolverit. Hic fortaſſe quæretur, ante Publiliam legem omnes ne leges, quas ſenatus, ſive centuriatis, ſive tributis comitiis, ferri cuperet, ferrentur e S. C. an vero aliæ e S. C. aliæ vero ſine S. C. tantum patribus auctoribus. utrumque factum eſt. nam neque omnes e S. C. neque omnes patribus auctoribus latæ ſunt. de latis e S. C. teſtimonium res non deſiderat: exemplorum enim plena ſunt omnia. patribus autem auctoribus minus quidem multæ, ſed aliquot tamen latæ ſunt, ut Petilia de ambitu, a tribuno pleb. tributis comitiis lata, de qua Livius lib. VII. Quæritur etiam, (pergam enim dubitando, quo non ſolum veterum librorum obſervatio, ſed ipſa me conjectura ducit) utrum centuriatis comitiis leges a majore tantum magiſtratu, an etiam a minore ferrentur. faciamus, quod oratores ſolent: qui cum teſtibus rem probare non poſſunt, argumentantur a ſimili, & hoc genere ſæpe fidem faciunt. item nos, cum, centuriatis comitiis a minore magiſtratu leges latæ ſint, nec ne, affirmare non poſſimus, quia neutrum ab antiquis traditum eſt, ſimilitudinem ſequemur, &, quod in creandis magiſtratibus fieri ſolitum eſt, idem in ferendis legibus obſervatum eſſe dicemus. nam, ſi creandis magiſtratibus centuriata comitia nunquam, niſi a majore magiſtratu, habita ſunt: itidem ferendis legibus nunquam, niſi a majore, eſſe habita, conſentaneum eſt. illud autem eſt, eſſe igitur & hoc dicemus. neque enim, cur non ſit, aut ratio ſuadet, aut exempla demonſtrant.

CAP. XL.

De tempore legis ferendæ.

De legum tempore, quæ notavimus, hæc ſunt: neque omnibus diebus licuiſſe legem ferri, neque quibus liceret, per omnes horas. licebat faſtis tantum diebus: nefaſtis non licebat. nec vero faſtis omnibus, ſed comitialibus duntaxat. comitialibus autem ita licebat, ſi nemo de cœlo ſervaret. quæ duabus legibus, Ælia & Fuſia, ſancita erant. id annis prope centum ante Ciceronis ætatem, ut ſcripſit ipſe oratione in Piſonem, inſtitutum, ad extrema fere manſit Reipub. tempora. Piſone autem & Gabinio coſſ. P. Clodius tribunus pl. Ciceronis ac bonarum partium inimicus, ut armaret immoderata licentia tribuniciam poteſtatem, dierum diſcrimen, & auſpiciorum impedimenta ſuſtulit. neque enim tantum, ut omnibus plane faſtis ferri lex poſſet, verum etiam, ne quis per eos dies, quibus cum populo liceret agi, de cœlo ſervaret, rogationem tulit. idque poſtea ſervatum eſſe, videntur illa ſignificare, quæ ſcripta ſunt in oratione de provinciis: *Aut ſtatuendum vobis eſt, legem Æliam manere, legem Fuſiam non eſſe abrogatam, non omnibus faſtis legem ferri licere, cum lex feratur, de cœlo ſervari, obnunciari, intercedi licere.* Ergo, ante legem Clodiam, non omnibus, ſed faſtis; non omnibus faſtis, ſed comitialibus; nec comitialibus, ſi quis de cœlo ſervaret, jus ferendæ legis erat: poſt legem Clodiam, non omnibus quidem diebus, ſed omnibus tamen faſtis, quod ante non licuerat, etiamſi de cœlo ſervaretur, ferri lex potuit. Opinor etiam, qui dies religioſi vocabantur, quorum in numero atri erant, iis non potuiſſe legem ferri: de quibus hæc legimus in Feſto: *Dies religioſi, quibus, niſi quod neceſſe eſt, nefas haberetur facere: quales ſunt ſex & triginta, atri qui appellantur, & Allienſis, atque ii, quibus mundus patet.* Allienſem autem diem, quam Feſtus non nominat, XV. Kal. Sext. fuiſſe, Livius docet lib. VI. idemque ſubjungit, religioſum diem fuiſſe poſtridie etiam Idus Quinct. cui Gellius

lib. v. cap. 17. Macrobius lib. 1. Satur. assentiuntur: ex quibus id cognoscitur, quod Varro quoque lib. v. & Festus docent, Liviusque significat, dies postridie omnes Kalendas, Nonas, Idus, atros esse habitos, ut neque præliares, neque puri, neque comitiales essent. itaque quod ad Kalendas attinet, legitur illud Afranii apud Nonium: *Septembris heri Kalendæ, hodie ater dies.* quod si dies atri comitiales non sunt, ergo diebus atris ferri legem non licuit. Dies autem, *quibus mundus patebat*, alio loco Festus nominat, & ait fuisse, postridie Volcanalia, III. Nonas Octob. VI. Idus Novembris: & postridie Volcanalia fuit IX. Kalendas Septembris, ut apparet in Kalendario Romano. His adduntur dies, *quibus penus patebat*: de quo sic Festus: *Penus vocatur locus intimus in æde Vestæ, tegetibus septus*, (sic enim fortasse legendum) *qui certis diebus circa Vestalia aperitur. ii dies religiosi habentur.* Vitatos etiam a plerisque, ut ominis adversi, IV. Kalendas, Nonas, Idus, Gellius, & Macrobius tradidere. quamquam unius Gellii mihi quidem sufficit auctoritas: a quo Macrobium & in hoc loco, & alibi totidem verbis eadem sumpsisse constat. Diebus autem religiosis exercitum conscribere, legiones educere, manus cum hoste conserere, sponsalia inire, peregre proficisci, denique publicæ, vel privatæ rei quidquam moliri, non licuit: quod his diebus adversus rerum exitus consecutus esset. De diebus hæc. Horæ vero, quibus agi cum populo posset, omnes erant intra ortum solis & occasum, reliquis non licebat. ante primam enim horam nihil agi licuisse cum populo, cum ait Dio in extremo lib. λθ, non explano, ante primam horam Romani diei, cujus initium a media nocte sumebatur, sed, ante lucem, ante auroram. quod ipse quoque Dio sic interpretatur, his verbis: Ὁ Γάλβας ὁ Σέργιος κρύφα, καὶ ὑπὸ τὴν ἕω στρατηγῶν τὴν ψῆφόν τισιν ἔδωκε: καίπερ οὐκ ἐξὸν ἐκ τῶν νόμων, πρὶν πρώτην ὥραν γενέσθαι, ἐν τῷ δήμῳ τι χρηματισθῆναι. Quod si non ante primam, sequitur, ut nec post extremam, id est, eam, quæ diem claudit, agi cum populo licuerit: siquidem neque vespertina S. C. rata fuisse, neque prætori urb. jus dicere post solis occasum licuisse, traditum est a Cicerone in Philippica 2. & a Censorino de die natali. Sicut igitur non omnibus diebus ferre legem licebat, ita nec omnibus horis: quibus autem horis, iis ita licebat, si neque fulgeret Jupiter, neque tonaret.

CAP. XLI.

De caussis, ob quas leges latæ sunt.

NUNC de caussis agamus: quæ ipsa quoque nostri promissi pars est. A corruptis moribus manasse leges, nemini dubium est. nam, ubi continenter & sobrie vivitur, ubi colitur pietas, ubi justitiæ locus est, quorsum ibi lex feratur? nec sanis corporibus quæsita medicina est: nec, qui leniter & sedato cursu amnes fluerent, sed incitatis, extraque ripas difluentibus aggeres objecti. ac vetustissimi motalium, prorsus omnem vim, atque omnem luxum ignorantes, tranquillam vitam, ipsa natura duce, vivebant. post erupit injuria, &, quod quisque potuit, id quisque velle, neglecta ratione, cœpit. tunc necessario leges latæ, & injecta licentiæ quasi frena, quæ, si quis recte agere sua sponte nollet, eum pœnæ metu in officio continerent. itaque, conservandæ augendæque civitatis caussa, & ut esset bene vivendi norma, legem inventam, manifeste cognoscitur. neque minus ad hunc finem spectarunt, quæ de religione, quam quæ de bello leges latæ sunt. quæsita pietas in deos videtur, quæsita populo voluptas, ut in ludis: omnia tamen ad publicam utilitatem referebantur. cujus autem legis vitiosa ac turpis origo sit, ea lex nominanda non est.

A nam legis caussa justitia, & lex ipsa justa ac sancta debet esse. inde enim publicum exoritur commodum. publicum dico, & quo munitur imperium adversus hostilem vim, & quo privati cives, sua quisque bona, suum quisque jus, adversus privatorum injurias tuentur. quod si hoc in omni bene instituta civitate, multo magis agnoscitur in Repub. Romana: quæ dum optimis legibus paret, malas autem vel abrogat suffragiis populi, vel tollit S. C. orbem terrarum pæne universum imperio comprehendit. quæque civitates aut malas leges habuerunt, aut bonis non recte sunt usæ: aliæ vi externa, aliæ domestica seditione conciderunt. quod & apud veteres sæpe accidisse legimus, & nostra non semel
B tempestate vidimus.

CAP. XLII.

De potestate legum latarum.

SUPEREST de potestate legis. ea, quæritur primum, utrum maxima: deinde, si maxima, utrum perpetua. quod pro nostra consuetudine breviter ostendemus. Erat in lege summa vis, non solum, quia, quod erat lege sancitum, Quirites
C omnes tenebantur, quod tribus legibus, una consulari Valeria Horatia, duabus dictatoriis, Publilia & Hortensia, sancitum supra diximus (paucas tamen excipio, quibus non omnes plane cives obstringebantur: quo de genere fuisse legem de repetundis, jam ostendimus: lata enim est post illas tres, consularem unam, dictatorias duas, a nobis proxime nominatas: &, quodcunque postremum populus jussit, id jus ratumque esse XII. tab. lege sancitum est) verum etiam, quia non, ut prætoris edictum, item lex annuo spatio terminabatur, sed vigebat usque dum alia lege abrogaretur: abrogari vero omnes licuit, præter sacratas: quæ violatæ sæpe, abrogatæ
D nunquam sunt. abroganti vero non eadem, quæ violanti legem, pœna sancitur. cæteræ leges & abrogari omnes potuerunt, & abrogatæ multæ sunt. tametsi nulla lata lex est, quæ ipsa se contra abrogationem quasi sanctionis sepimento non munierit gravi pœna, multave ei, qui abrogasset, irrogata. at multi multas abrogarunt, neque tamen ullam propterea subiere pœnam. dixi jam, plus fuisse potestatis in eo, quod postremum populus jussisset, quam in eo, quod antea jusserat: id lege XII. tab. sancitum esse. jussum autem populi & suffragia fuerunt, quibus abrogabantur leges. itaque, non quid antea populo placuisset, sed quod ei postremum pla-
E ceret, spectari solebat. sensit autem in hoc genere populus non semper e Repub. nam quemadmodum sæpe malas leges bonus populus, sic interdum bonas malus abrogavit. a senatu vero nunquam lex ulla, nisi Reipub. caussa, sublata est, ut, cum Appulejæ, Mario consule referente, S. C. damnatæ sunt, quod ab hoste Reip. Appulejo Saturnino rogatæ essent: aut, cum Liviæ consilio Philippi consulis sublatæ, quia contra auspicia, quæ servari lex Ælia jubebat, a M. Livio Druso latæ judicarentur. erant enim quatuor omnino genera, (ut ipsa fere Ciceronis verba usurpem, quæ sunt in oratione pro
F C. Cornelio) quibus per senatum more majorum statueretur aliquid de legibus: unum ejusmodi, placere legem abrogari, ut Q. Cæcilio, M. Junio coss. quæ leges rem militarem impedirent, ut abrogarentur. atque hoc genere non abrogabat legem senatus, (nam abrogare proprie populus dicebatur) sed, ut abrogaretur, statuebat. Alterum genus erat: quæ lex lata esse diceretur, ea non videri populum teneri, ut L. Marcio, Sex. Julio coss. de legibus Liviis: quæ ut uno S. C. tollerentur, Philippus consul, Livii inimicus, obtinuit a senatu. ideo autem, hujusmodi legibus non videri populum teneri, se-

natus decernebat, quia, contra auspicia latas esse, augures monuissent. Tanta Romæ fuit in auguribus auctoritas, de quibus libro II. de legibus hæc a Cicerone scripta legimus: *Quid religiosius, quam cum populo, cum plebe agendi jus aut dare, aut non dare? quid leges, non jure rogatas, tollere? nihil domi, nihil militiæ, per magistratus gestum, sine augurum auctoritate posse cuiquam probari*. Quæ ipsa, & alia, in libro de Religione tractabimus. Tertium, de legum derogationibus. quo de genere persæpe S. C. fiunt, ut de lege Calpurnia de ambitu, quæ derogaretur. Quartum genus, quod ea Ciceronis oratio mutila admodum est, neque in ipsa, neque in Pediano interprete, ac ne alibi quidem, quod sciam, invenitur. me tamen in eam partem conjectura ducit, ut existimem, cum aliquem senatus hostem judicaret, simul, ut ejus quoque leges, quæ quidem adversus Rempub. essent, tollerentur, eodem S. C. aut alio proxime facto, judicasse. quarum enim maxime legum caussa perniciosus patriæ civis damnatus sit, & a Repub. remotus: eas ipsas leges in Repub. non hæsisse, sed abjectas illico esse, etiamsi ab historia non prodatur, veri tamen simillimum est. quale fuit, quod de legibus Saturnini proxime, & de legibus M. Antonii in prima hujus libri parte diximus. Recte igitur semper & justissime senatus. A populo vero, aut ab iis, qui mercede conducti speciem quandam populi præ se ferebant, temeritate potius aut fraude, quam consilio aut ratione, salutares civitati leges nonnunquam abrogatæ sunt, ut, rogante P. Clodio tribuno pl. Ælia de auspiciis, Fusia de diebus comitialibus. Postremum illud est, cum, verbo quidem, neque a senatu, neque a populo, tacito autem omnium consensu per desuetudinem leges abrogabantur. id quod & Julianus jurisconsultus notavit. Erat igitur in lege vis non solum maxima, quod Cicero in Philippica II. satis plane narrat, cum ait: *In publicis actis nihil est lege gravius*; verum etiam perpetua: siquidem vetustate neque tollebatur lex, ut edictum: neque debilitabatur, ut S. C. nisi si leges essent ejusmodi, ut Reipub. minimum consulere viderentur. nam has contrario usu non solum debilitatas, verum etiam plane exstinctas, neque damnatum esse quemquam, quia fecisset adversus eam legem, quæ jam exerceri desiisset, satis constare video. leges autem multæ, quamdiu Respub. stetit, perpetuo jure valuerunt, cum ipso libertatis initio, a primis consulibus, ac jam ante a primis regibus latæ essent. quibus ego de legibus loquor, cum perpetuam vim legi tribuo. nam perniciosas leges, nec jure rogatas, non perpetuo jure esse, sed tolli quam primum utile est: cujusmodi multa S. C. sublata sunt. populus autem, quem sæpe a Reipub. commodo malæ rationes averterent, rectam dijudicandis legibus normam non agnovit, sed utiles sæpe abrogavit, sæpe scivit inutiles. Illud tamen, quia pertinet ad abrogandi rationem, quod in Festo Pompejo notavi, non omittam: *In sanctione legum adscribi solitum, ne per saturam abrogari derogarive liceret. erat enim satura, lex multis aliis conferta legibus, accepto nomine a genere cibi, ex variis rebus condito*, quod apud Diomedem Grammaticum scriptum est. id autem eo placuit in sanctione adscribi, quia in lege, multis legibus permixta & infusa, subesse fraus, quæ populum falleret, facile poterat: at in simplici lege, si de abrogando derogandove populus rogabatur, non difficile erat, id, quo derogabatur, quale esset, intelligere. Addam & illud, fractam esse legis vim, non modo cum alia lege nominatim abrogaretur, sed etiam, cum, non omnino tota, sed ejus pars lege posterius lata tolleretur, quod *derogare* dicebatur: aut, cum, nulla superioris legis mentione facta, aliquid ei contrarium posteriore lege rogaretur, quod erat *obrogare*. atque hoc quidem de genere apud Livium lib. IX. P. Sempronius tribunus pleb. adversus Ap. Claudium censorem in concione ita disputat: *Ideo Æmiliæ potius legi paruerunt, quam illi antiquæ, quia hanc postremum populus jusserat, & quia, ubi duæ contrariæ leges sunt, semper antiquæ obrogat nova*. Est etiam in II. de inventione ita scriptum: *In duabus contrariis legibus, utra posterius lata sit, considerare oportet. nam postrema quæque gravissima est*. Omnino quod legis vim maximam fuisse dixi, eo dixi, non solum quia nihil esset lege gravius, & in publicis actis nihil observaretur magis, verum etiam quia legis sententia pertineret ad omnes cives, & omnibus æqua jura describeret; præsertim a quo tempore Q. Hortensius dictator rogationem tulit, de qua jam mentionem fecimus, ut, quod plebs sanxisset, eo Quirites omnes tenerentur. verumtamen duo genera legum excipio: alterum, quod non omnes cives, alterum, quod omnes quidem, sed dispari jure comprehenderet. primum enim illud apud Ciceronem lib. III. ad Atticum observavi, quam legem aliquis tribunus pleb. ferret, ea lege collegas ejus obstrictos minime fuisse. deinde, ut omittam leges alias, quibus senatores tenebantur, cæteri autem erant ordines liberati: quam legem, ne quis judicio circumveniretur, C. Gracchus tulit: eam pro plebe, non in plebem esse latam, declaratur in oratione pro Cluentio. posteaque L. Sylla Felix, cum ejus rei quæstionem sua lege constitueret, populum Rom. quem ab hoc genere liberum acceperat, alligare novo quæstionis genere ausus non est. ergo hac lege, quæ primum Sempronia fuit de C. Gracchi latoris nomine; deinde Cornelia, posteaquam L. Sylla, lege lata, quæstionem & ipse ejusdem rei constituit: qua deinde potius, quam Sempronia, ejus generis judicia sunt administrata: hac, inquam, lege, ut est in oratione pro Cluentio, senatores, & ii qui magistratum gesserant, soli tenebantur: ut quemadmodum recte agentibus plura præmia, sic plura peccantibus judiciorum pericula proposita essent. Lege etiam Julia de pecuniis repetundis equestrem ordinem non fuisse alligatum legimus in oratione pro Rabirio Posthumo. in oratione vero pro Cluentio, quæ lex item de pecuniis repetundis nominatur, qua & ipsa præter ordinem senatorium nemo tenebatur, Julia non fuit, ut ex temporum examinatione, quæ me sæpe magnis erroribus expedivit, facile conjeci. nam cum, Juliam de repetundis latam esse a C. Cæsare in primo consulatu, notum sit vel ex historia, vel e Ciceronis orationibus, atque epistolis: orationem autem pro Cluentio annis aliquot ante Cæsaris consulatum Cicero prætor habuerit: sequitur, ut omnino, quod ad nomen attinet, diversæ leges fuerint. Quænam igitur fuit, dicet aliquis? Cornelia, L. Syllæ: ex qua multa in suam legem postea Cæsar transtulit. de qua sic in ea pro Posthumo: *Si est hoc novum in lege Julia, sicuti multa sunt severius scripta, quam in antiquis legibus, & sanctius judicata: sane etiam consuetudo hujus generis judiciorum nova. sin hoc totidem verbis translatum caput est, quot fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Servilia: per deos immortales, quid agimus judices, aut quem hunc morem novorum judiciorum in Rempub. inducimus?* Reliquum est, ut de lege agamus, quæ omnes quidem cives, dissimili tamen conditione adstringeret. at hoc quidem cum multis exemplis probare possim, uno contentus ero. Fuit igitur hujus generis Tullia de ambitu: qua lege aliam plebi, aliam senatoribus irrogatam esse pœnam, constat ex oratione pro Murena. id quod ostendimus jam, cum de legibus capitalia crimina vindicantibus ageretur. Dictum est de Legibus. ordiemur nunc de Magistratibus.

ANTONII AUGUSTINI
ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS
de legibus & ſenatusconſultis liber,

CUM NOTIS FULVII URSINI.

ANTONIUS AUGUSTINUS
FULVIO URSINO.



ROXIMIS tuis literis intellexi eſſe Romæ qui cupiant in vulgus edi quas amico noſtro Pyrrho Taro I. C. legendas iſthic dederam noſtras de Legibus Romanis, & Senatuſconſultis lucubrationes: eoſdemque ais magnopere deſiderare, ut ſi quid illis addendum, vel tollendum putarem, id ego tibi ſignificarem: aut ſi quod aliud accuratius ſcriptum exemplar haberem, id ad te mitterem. Ego vero etſi hoc tempore nihil minus quam de iſta editione cogitabam, urgentibus aliis quæ ſunt hujus noſtri muneris propria magis ac neceſſaria, tamen hoc quidquid eſt ſcripti ad te mitto, ut id tu, ſi videbitur, vel contineas domi, vel illi additum alteri libello edas. Id certe opus olim a me cœptum, deinde propter varias occupationes neglectum plane fuit. Nam illud Pyrrhi noſtri exemplar Bononiæ cum eſſem, ſcripſi: hoc alterum, quod nunc mitto, poſt octo, aut novem annos Romæ inchoaveram, non illud Smyrnæ exemplum ſequutus, nonum prematur in annum, ſed manu de tabula, ut ajunt, ſublata, non extremam ei manum admovi. Ejuſdem argumenti multos conatus vidimus, in manibuſque ſunt populi, qui partim nimis jejune atque tenuiter de his rebus agunt, partim quod juris civilis eſt peculiare ac proprium, non attingunt. An vero hæc noſtra cum illis ſint conferenda, aut inter illa legi mereantur, tuum erit judicium, quod ego facio, ut debeo, plurimi. Vale.

FULVIUS URSINUS
LECTORI.



NTER *omnes, qui Romanas litteras profitentur, ſatis conſtat, nullum exſtare monumentum antiquitatis illuſtrius Legum tractatione, quibus domina gentium Reſp. ſapienter olim ac laudabiliter inſtituta fuit. Omittam ſcriptorum teſtimonia, quæ de aliis Romanorum legibus circumferuntur, & Craſſi tantum de duodecim Tabulis proferam judicium. Unus mehercule (inquit ille) duodecim Tabularum libellus, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate bibliothecas omnium philoſophorum ſuperavit. Utinam vero tam præclarum atque excellens bonum, aut non eripuiſſet nobis injuria temporum, aut non diſſipaſſet hominum incuria. In quod quidem incommodum quando culpa vel hac vel illa incidimus, multum ſane debemus doctiſſimis quibuſdam viris tum ex noſtris, tum ex Tranſalpinis, qui vetuſtatis reliquias hujuſmodi variis locis diſperſas ſum-*

ma cum diligentia partim in unum quasi corpus collegerunt, partim selectiores quasdam ex iis pristino nitori restituerunt. In quo quidem, etsi ad communem litterarum caussam tantum omnes contuelrint, quantum expeti par fuit ab hominibus excellentis ingenii, summaque doctrina excultis, videtur tamen Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis amplius quiddam & perfectius aliis in ea re præstare potuisse: qui præter multiplicem omnium pæne disciplinarum cognitionem, exquisitamque juris civilis, in quo fere solus excellit, peritiam, Romæ stlitibus judicandis summa cum laude XII. *vir, diu vivendo, eam sibi universæ Romanæ antiquitatis supellectilem comparavit, ut ex præstanti talium rerum intelligentia plurimum ornamenti ad Legum Romanarum tractationem afferre potuerit. Hoc igitur usu, atque hoc genere scientiæ adjutus, cum præclarum hunc de Legibus & Senatusconsultis commentarium Tarracone superioribus mensibus ad me misisset, ut ego illum, si mihi videretur, cum eruditis quibusdam viris, qui sæpius jam editionem ejus scripti flagitaverant, communicarem, ita pro mea in res Romanas propensione, & erga clarissimum virum observantia sum ejus libri lectione delectatus, ut tantam studiosis hominis doctrinam tantamque utilitatem diutius deberi non sim passus. Itaque feci perquam libenter, ut non solum Leges & Senatusconsulta a viro præstantissimo collecta & restituta edenda curarem, sed ut bene de litteris, quatenus ipse possem, mererer, tabulas etiam omnes tum æneas, tum lapideas adjungerem, in quibus Leges aliquæ, aut Senatusconsulta incisa essent, quod ex hac societate nonnihil commendationis ad eum librum accessurum putarem. Hoc etiam amplius: adductus sum non laudis aliqua cupiditate, quam certe non specto, sed publico studiosorum commodo, ut notas etiam quasdam adjicerem, quas, dum liber Augustinianus ederetur, excerpsi raptim ex iis, quæ in id genus antiquitatis erant a nobis uberius jam notata. Ex quibus, maxime vero ex iis quæ sunt ad leges* XII. *Tabularum, & verborum prisca vetustas cognoscitur, & illis temporibus quis usus linguæ Latinæ, quodve scribendi loquendique genus viguerit, aliqua ex parte intelligi potest. Nam antiquissimos Romanos a Numa Rege ad Duilium Consulem, cui ob primam de Pœnis victoriam navalem, columna rostrata in Foro cum inscriptione, quæ hodie exstat in Capitolio, priscis illis composita verbis, posita fuit, constat ita locutos fuisse, vix ut intelligerentur ab iis, qui postea sunt sequuti: adeo scilicet perpolita, vel potius immutata loquendi ratione, ut Polybius gravis in primis auctor, qui cum Africano superiore vixit, testetur se quo tempore historiam Romanam contexuit, vix unum aut alterum Romæ invenire potuisse, qui quantumvis antiquitatis curiosus fœdera quædam inter Romanos & Carthaginenses vetustissimis illis concepta verbis intelligeret, ac sibi tunc eam rem scribenti interpretaretur. Et nisi me fallit memoria, videor mihi apud Quinctilianum quodam loco legisse, carmina Saliorum, quæ dicebantur ab ipso Numa composita, novissimis Reip. temporibus vix a suis quidem sacerdotibus satis intellecta fuisse. tanta scilicet antiquarum vocum, & tunc pæne obsoletarum erant obscuritate involuta. Hæc sane verborum vetustas, priscaque scribendi ratio, quantum licuit ex veteribus, tum scriptorum, tum lapidum, ærisque monumentis, restituta est in iis fragmentis, quæ nostris notis continentur. Æquum est enim eos maxime de Romana lingua, si non ita ut debent, saltem quo possunt modo bene mereri, quibus sub Romano cœlo nasci, aut excoli contigit: quando id ab externis hominibus, & longe alio sub cœlo natis factum est, quibus multorum, & quidem luculentiorum Latinæ linguæ Scriptorum restitutio, perpolitioque sine ulla controversia debetur.*

DISPUTATIO GENERALIS
DE LEGIBUS

continet XVIII. capita, quorum uniuscujusque summam hic videre licet subjectam, ut uno aspectu lector totam disputationem habeat.

CAP. I.

Legis nomine quid contineatur, & quod ad jus proprie refertur. A legendo, id est, deligendo, ut & legere & legati, deduci, non a legendo eam scriptam.

CAP. II.

Justitiæ fruendæ caussa leges constitutæ, ut & reges. Quod a Deo manarunt, & illarum finis est justitia. A regibus tandem & sapientibus Dei ministris latæ.

CAP. III.

Variæ & variorum legis definitiones. leges Romanorum aliter definiuntur & plebiscita continent. Quid lex & plebiscitum differant. de privilegiis. Hæc leges & rogationes esse.

CAP. IV.

Quæ in lege requiruntur & quæ sit ejus virtus & finis. Respub. præmio & pœna continetur. Legum multitudo, frequentia, & mutatio vitanda.

CAP. V.

Lex multiplex statuum respectu. Reip. leges variæ denominatæ a tabulis, a re ipsa, a loco, vel modo rogandi; ad sacra, ad magistratus pertinentes; de comitiis, de judiciis, de aliis rebus latæ sunt. ad mores, ad crimina, ad seditiosos legislatores, ad rem militarem spectantes enumerantur.

CAP. VI.

Tres legis partes, prooemium, capita, sanctio, & earum exempla. Certis capitibus quoad numerum non constabat. Tria in sanctione requiri.

CAP. VII.

Legis ferendæ ratio. Rogantes & jubentes ferre videntur. Qui populum, qui plebem jure rogare poterant. Quid cum populo, quid cum patribus agere: & qui poterant, qui non: & de tribus pop. Rom. ordinibus, Senatorib. Equitib. & Plebe.

CAP. VIII.

De tribus comitiorum generibus, Centuriatis, Curiatis, & Tributis: & unde dicta. De loco, tempore, & ratione ea habendi. Quis ea edicebat, per quas personas calabantur. Quis ordo. Quæ inter ea differentia. De suffragiis quædam & Tribu prærogativa.

CAP. IX.

De diebus festis, profestis, intercisis, fastis, nefastis, comitialibus, comperendinis, statis, præliaribus. De feriis stativis, conceptivis, imperativis & nundinis.

CAP. X.

Quomodo & quare lex trinundino promulgabatur.

CAP. XI.

De legis suasione ab auctore, & dissuasione ab eo qui intercedebat, & forma legis ferendæ.

CAP. XII.

De intercessione & interpellatione comitiorum. De auspiciis & obnunciationibus. Quando & quomodo ea fiebant & habebantur. Comitiorum vitia, intercessionum exempla.

CAP. XIII.

Rogationis (quæ & interrogatio appellatur) formula duplex, & quod de una re tantum fiebat.

CAP. XIV.

Tria suffragiorum genera, voce, manu aut pedibus, & tabellis. Qualia fuerint & quis eorum usus. uniuscujusque verba solemnia. De testulis, sitellis, pontibus, cistis, & cistellis, æquatione sortium, sortitione.

CAP. XV.

Quomodo in legem jurabatur & sacramento leges confirmabantur, illiusque forma.

CAP. XVI.

Leges latæ in æs incidebantur & figebantur. De XII. *Tab. denominatione & earum custodia. de Ædilibus & eorum munere,*

CAP. XVII.

Quid sit abrogatio, quid derogatio, quid obrogatio. de utilitate, honestate & necessitate abrogandi. De mutatione legum, & Rempubl. novis non esse onerandam.

CAP. XVIII.

Qui legibus solvebantur & quomodo: quodque non omnibus, sed quibusdam tantum id daretur per privilegium.

CAP. I.

De nomine legis.



LEGIS nomen late patet. neque enim solum populi plebisve jussa & scita, seu cujuscunque potestatis decreta, verum doctrinarum etiam præcepta, & quamcunque conventionem atque conditionem significat. Hinc (a) leges prædiorum ac mancipiorum; hinc Manilianæ Censoriæque leges; hinc testamentorum, locationum, venditionumque leges manant. Artifices quoque, astrologi, ac medici suas leges & institutiones habent. Sed in his omnibus translatitio genere utimur. Legis enim nomen proprie ad jus justitiamque refertur. Cujus nominis origo a legendo, hoc est, deligendo, ducitur; quod, ut Varro ait (b), & verbum ipsum legendi, cum
A ad scripturam refertur, quod ab oculis litteræ singulæ deligantur; & legati, quod ut publice mittantur deligi soleant; & leges, quod lectas oporteat ad populum ferri, a legendo dictæ sunt. A Græcis νόμος παρὰ τὸ νέμειν, quod jus suum unicuique tribuat, dicitur: idque non minus legis proprium, quam delectum esse, Cicero scribit. (c) Neque illos audio, qui ab eo quod scriptura contineantur, leges a legendis legum tabulis dictas putant: id enim magis conservandæ memoriæ caussa post legem acceptam fit, quam quod legi sit necessarium. *Lex est*, inquit Cicero, *recta ratio imperandi atque probibendi;*
B *quam qui ignorat, is est injustus, sive est illa scripta uspiam, sive nusquam.*

(a) L. eum debere. *D. de serv. urb. prædi. l.* is qui duo. *de ser. rus. præd. l.* legem. *Co. de pac. l.* Lucius. *p.* Lucius. *D. fideic. lib. Cicero, & Terent. sæpe.* (b) *item Varro lib.* v. *de lingua Latina. Vide l.* qui mittuntur. *D. ex qui. cau. man. l.* qui pendentem. *de act. em. Cicero li.* 1. *de legib. c. lex. distin* 1. *Isid. li.* 5. *etym. ca.* 3.

(c) *Cic. eo lib.* 1. *Adde Arist. li.* 10. *cap.* 9. *Ethic.*

CAP. II.

De origine legum.

DIXIMUS de nominis origine, nunc de ipsius legis initio videamus. Fruendæ justitiæ caussa, ut idem (a) scribit, & bene morati Reges, & leges constitutæ sunt. Reges quidem, dum a bonis justisque viris jus suum consequi adversus potentiores populus desiderabat: leges autem, dum si

(a) *Ci. lib.* 2. *offi. Vide Aphth. in progymn. contra tyrannum.*

minus boni Reges judicesve contigissent, legibus, quæ semper una eademque voce loquerentur, ad æqualitatem pervenirent. Demosthenes (b) melius divinum inventum, donumque esse significat: & Plutarchus legem omnium reginam, ipsis quoque Regibus imperare: per quos Deus bona omnia fruenda ceteris concessit, quorum finis est justitia; quæ non solum Dei comes est, verum etiam Deus ipse justitia appellatur. Itaque bonas Principum leges a Deo inventas esse Plato (c) significat. Et Cicero (d) legem alio loco a numine deorum tractam rationem appellat; alio Zenonem refert naturalem legem divinam appellasse, recta imperantem, prohibentemque contraria. Legis quoque latores omnes constat patrios deos suarum legum auctores dixisse. (e) Et ut Moysen prætercam, qui solus a Deo optimo maximo leges duabus tabulis scriptas accepit, (f) Zaleuci & Charondæ leges nil aliud initio jubent, quam ut Dei, a quo bona cuncta procedunt, religio ab omnibus colatur. Deum bonis probisque viris amicum ac benevolum esse; malos, criminibusque ullis obnoxios odisse. Quibus indicant hoc verum legum initium esse. (g) Sed quoniam Reges sapientesque viri deorum in terris personam sustinent, eorum leges alicubi primæ acceptæ sunt. Romulum quidem certe, qui Urbem condidit, constat primum leges tulisse Romanis (h), quas Curiatas Pomponius appellavit. Tulerunt ceteri quoque Reges; & exactis Regibus, Consules, Dictatores, Tribuni, &c, qui nomen omnibus præripuere, Decemviri legibus conscribendis creati, qui decem tabulis ex Solonis, aliisque Græciæ legibus sumptis, duabusque aliis adjectis duodecim tabularum leges ediderunt. secutæ deinde sunt multarum quoque legum rogationes, de quibus postea latius scribemus. Hic itaque est fons & origo Romanarum legum, ut ille, de quo antea scripsimus, omnium nationum.

(b) l. 2. *D. de legib. Demosth. in Aristog.* 1. *Plut. in lib. de princip. doct. Vide Nov.* 72. *Auth.* ut hi qui obl. *in prin.* (c) *Plato in Minoe. & lib.* 1. *de legib.* (d) *Cicero Phili.* 11. *& de natura deor. lib.* 1. *Plato in Minoe. & lib.* 1. *de legib. Arist. lib.* 2. *Politic. vid. c.* 1. *dist.* 7. (e) *Vide Joseph. lib.* 3. *Antiquit. & contra Apion. lib.* 2. (f) *Diod. Sicu. lib.* 2. *Bibl. Stob. cap.* 62. (g) *Plutar. in lib. de princ. doct.* (h) *l.* 2. *in princ. de orig. jur.*

CAP. III.

Quid lex sit.

NUNC videamus, quid lex ipsa sit. Et Papinianus (a) Demosthenis definitionem secutus legem esse scribit, commune præceptum, virorum prudentium consultum, delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrahuntur, coercitionem, sponsionem denique Reipublicæ communem. Qua definitione quatuor legis propria expressa sunt (b). Debet enim lex coli ab omnibus, utpote de omnibus generatim scripta; debet prudentium virorum consilio promulgari; supplicia denique vitiis, præmia virtutibus deferre: quibus rebus, quod postremo scriptum est, eveniet, ut totius Reipublicæ vinculum esse videatur. Chrysippi (c) definitio a Marciano relata non minus laudem legis expressit, quam ut quænam lex ipsa esset explicaret. Divinarum humanarumque rerum reginam legem appellat, ducem, principem, atque præsidem bonis malisque rebus judicandis, juris injuriæque regulam; quæ homines qui natura duce civili jure censentur, quid agere eos oporteat, doceat; a quibus abstinere debeant, coerceat. A Cicerone (d) multis mo-

(a) *l.* 1. *&* 2. *C. de legib.* (b) *Vide Aphth. in progymn. de legislatio.* (c) *Vid. Arist. l.* 3. *c.* 6. *de rep. Cic. lib.* 1. *de legib. d. l.* 2. (d) *Cice. lib.* 1. *de legib. & Philip.* 11. *Idem lib.* 2. *de legib. & lib.* 1. *de nat. deor.*

A dis legis definitio tentata est: summam rationem insitam in natura, libro primo de legibus; alio loco rectam, & a numine deorum tractam rationem appellat, honesta imperantem, prohibentemque contraria; alio æternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientiam, item rationem mentemque sapientis ad jubendum & deterrendum idoneam, justorum injustorumque distinctionem, ad antiquissimam & rerum omnium principem naturam expressam. Sed illa omnium brevissima descriptio est, libro secundo de natura deorum: *Lex est*, inquit, *recti præceptio, pravique depulsio.* B Ex quibus omnibus apparet, prudentissimos viros non multum a juris, justitiæ, & jurisprudentiæ definitionibus decessisse. *Jus est*, inquit apud Ulpianum (e) Celsus, *ars boni & æqui. Justitiam namque colimus, & boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes: veram (nisi fallor) philosophiam, non simulatam affectantes.* Justitiam idem Ulpianus (f) definit, constantem & perpetuam voluntatem esse jus suum cuique tribuendi: Juris præcepta honeste vivere, alterum non lædere, suum C cuique tribuere: Juris vero prudentiam divinarum atque humanarum rerum notitiam, justi atque injusti scientiam. Cicero quoque legem cum jure gentium, quod nonnunquam etiam naturale dicitur, confundere videtur. Id enim est quod naturalis ratio inter omnes homines constituit. Quamobrem illorum magis sententiam probo, qui leges Romanorum alia ratione definiendas esse putaverunt. *Lex est*, inquit Justinianus (g) *quod populus Romanus Senatorio magistratu interrogante veluti Consule constituebat:* aut, quod Severino (h) placet, *Lex est, quam populus centuriatis comitiis sciverit:* aut, quod Capito (i) existimavit, *Lex est generale jussum populi aut ple-* D *bis rogante magistratu.* Hac definitione plebiscita comprehenduntur, quæ ab illis rejiciebantur: privilegia tamen a Capitone rejecta, in illis continentur. Sed cum (K) & plebiscita & privilegia legis nomine appellari constet, de iis nonnihil dicemus. *Plebiscitum est*, inquit Justinianus, *quod plebs plebejo magistratu interrogante veluti Tribuno constituebat.* Sextus Pompejus: *Scita plebis appellantur ea, quæ plebs suo suffragio sine patribus jussit, plebejo magistratu rogante.* Plebis (l) appellatione sine patriciis & senatoribus ceteri cives significantur, populi vero appellatione omnes cives continentur. Neque E solum (m) illa plebiscita sunt, quæ plebs in discordia fecit, sed ut omnia quæ Tribunus rogabat, & plebs sciscebat, non Hortensia solum, sed aliis quoque legibus Horatia & Publilia, jussum est, omnes tenerent. Hæc Cicero solet Tribunicias leges appellare, illas, quæ a populo jussæ sunt Consule rogante, Consulares. Constat autem Tribunos neque patricios vocare potuisse, neque ad eos de re ulla referre. illud itaque inter plebiscita & ceteras leges intererat, quod hæc a plebe, illæ a populo rogabantur; hæc Tribunus tributis comitiis, illas Consul, aliusve ex majoribus magistratibus centuriatis, tributis, curiatisve comitiis ferebant; hæc plebem tantum olim tenebant, illæ semper omnes. Post legem Hor- F tensiam sine controversia plebiscita pro legibus haberi

(e) *l.* 1. *D. de just. & jure.* (f) *l.* justitia *eo in Inst. eo tit. in prin. l.* omnes populi. *D. de justit. & jur. instit. de jur. natur. p.* 1. *& de rer. divi. p.* singulorum. (g) *In inst. de jure nat. p.* lex. (h) *Boet. in Top. Cic. lib.* 3. *Vide cap.* 1. *dist.* 2. (i) *Au. Gell. lib.* 10. *cap.* 20. *l.* 1. *D. ad l. Aqu. l.* (k) *l.* postliminii jus. *in fin. de captivis. l. ul. de legat.* (l) *in inst. de jure nat. p.* plebiscitum. *vid. c.* 2. *dist. l. plebs. D. de verb. sig. d. p.* plebiscitum 2. *Gell. lib.* 10. *c.* 20. (m) *Vid. l.* 2. *p.* deinde cum esset. *de orig. jur. l.* 1. *Ad l. Aquil. d. p.* plebiscitum. *Cic. p. Sextio & de leg. Ag. Vid. c.* quædam 2. *dist. Gel. lib.* 15. *cap.* 27. *d. p.* deinde. *Gell. lib.* 10. *cap.* 20.

cœpe-

cœperunt: & ita factum eſt, quod Pomponius ſcribit, ut inter plebiſcita & leges, ſpecies conſtituendi intereſſet, poteſtas autem eadem eſſet. Hujuſmodi ſunt Aquillia lex, Semproniæ, Appulejæ, Clodiæ, quas modo plebiſcita, modo leges appellari videmus. Hæc de plebiſcitis. De privilegiis illud ſciendum eſt, vere (n) priva dixiſſe, quæ nos ſingula: eaque privilegia vocaſſe, quæ de ſingulis leges latæ eſſent, ſive id populus, ſive plebs ſciviſſet. De his Cicero (o) legem illam finxit, PRIVILEGIA NE INROGANTO: quam ex Duodecim tranſtuliſſe ſe ait, eaque privilegia tolli, quod majores in privatos homines leges ferri noluerunt, *id eſt enim*, inquit, *privilegium, quo nil injuſtius, cum legis hæc vis ſit, ſcitum & juſſum in omnes*. Sextus tamen Pompejus (p) rogationem videtur hac eadem definitione comprehendiſſe: *Rogatio*, inquit, *eſt, cum populus conſulitur de uno pluribuſve hominibus, quod non ad omnes pertineat: & de una pluribuſve rebus, de quibus, non de omnibus, ſanciatur. Nam quod in omnes homines reſve populus ſcivit, lex appellatur. Itaque Gallus Ælius ait inter legem & rogationem hoc intereſſe, quod inter genus & ſpeciem*. Sed & in ſanctione legis Regiæ Veſpaſiani leges, rogationes, plebiſcita, ſenatuſque conſulta res eſſe ſeparatas apparet. Ceteri (q) rogationem eam eſſe dicunt, cum populus aut plebs rogatur, velint jubeantne illud aut illud fieri: ſive id ad ſingulos, ſive ad univerſos pertineat. Itaque omnia plebiſcita & privilegia leges eſſe, ac rogationes fuiſſe. Et licet diximus privilegia in duodecim tabulis prohibita fuiſſe, lata tamen ſunt pleraque, eiſdem cum tabulis contineretur, ut quod poſtremum populus juſſiſſet, id jus ratumque eſſet. Hujuſmodi ſunt Gabinia, & Manilia de Cn. Pompeii imperio, Pedia de Cæſaris interfectoribus, Hirtia contra Pompejanos, Clodia contra Ciceronem, quæ jure ſingulari (r) propter aliquam utilitatem introductæ ſunt. Sed de privilegiis in Duodecim, de plebiſcitis in Hortenſia, Horatia, & Publilia plura ſcribemus.

(n) *Sex. Pomp. ver.* privos *Vid. ca. privilegia* 111. *diſt.* (o) *Cic lib. 3. de legib.* (p.) *Sex. Pomp. ver.* rogatio. (q) *Gell. lib.* 10 *c.* 20. *Liv. lib. 7. & 9.* (r) *l. jur. l.* jus ſingulare. *D. de legib.*

CAP. IV.

Qualis ſit lex.

CONSEQUENS eſt, ut qualis eſſe lex debeat cognoſcamus. Qua in re non contemnenda eſt Iſidori regula: ut lex honeſta (a) ſit, juſta, poſſibilis, ſecundum naturam, ſecundum patriæ conſuetudinem, loco temporique conveniens, neceſſaria, utilis, manifeſta, hoc eſt, non obſcura, non captioſa, nulli privato commodo, ſed communi civium utilitati conſcripta. Ab his non longe diſcedunt (b) rhetores, cum de legum ſuaſione ac diſſuaſione præcipiunt. *Vitium legis*, inquit Quintilianus, *aut in verbis aut in rebus eſt. in verbis quæritur, an ſatis ſignificent, an ſit in his aliquid ambiguum. in rebus, an lex ſibi ipſa conſentiat, an in præteritum referri debeat, an in ſingulos homines. Maxime vero commune eſt quærere, an ſit honeſta, an utilis. Juſtum, pium, religioſum, ceteraque his ſimilia honeſto complectimur. Juſti tamen ſpecies non ſimpliciter excuti ſolet. Aut enim de re ipſa quæritur, ut dignane pœna, vel præmio ſit: aut de modo præmii pœnæve, qui tam major, quam minor culpari poteſt. Utilitas quoque interim natura diſcernitur, interim tempore; quædam an obtineri poſſint, ambigi ſolet. Ne illud quidem ignorare oportet, leges*

(a) *e. erit. diſt.* 4. (b) *Aphth. in progymn. de legislatione. Hermog. lib. 2. de inven. Quinctil. lib. 2. cap. 4. Viden. Fortunati. lib. 2. Fabius major declam.* 261.

A *aliquando totas, aliquando ex parte reprehendi ſolere*. Hæc Fabius dilucide de vitiis, virtutibuſque legis. Sed mihi in hac re animum intendenti duæ res potiſſimum conſiderandæ eſſe videntur: an leges, de quibus ferendis agimus, de totius Reipub. conſtitutione ſanciantur, an vero unum atque alterum articulum contineant. illo caſu legislatorem (c) oportet omnia genera rerum publicarum, omnes qualiſcunque Reipublicæ mutationis & conſervationis modos diligenter perſcrutari, cives ſuos ſuamque Rempub. noſſe, & ad illum ſtatum perducere, qui ad bene beateque vivendum quam proxime accedat, **B** aut quantum humano ingenio, & providentia fieri poteſt, quam diutiſſime ſalutaribus hiſce legibus conſervetur. quæ omnia Ariſtotelis præceptis ſunt conſentanea, ſi de ſingulis rebus ferantur, tum illa ſolum, quæ antea retulimus, etſi ſemper animadvertenda ſunt, plus tamen momenti habent. Verum enim vero reſpiciendum in levibus quoque rebus eſt, ut ad virtutem omnes leges accommodatæ ſint: ex hac enim felix ille ſtatus naſcitur. Hanc alii juſtitiam, alii æquitatem, multi honeſtatem, felicitatem alii, beatam alii vitam appellant. Ex hac civium ſalus, incolumitas Reipub. æterna libertas, gloria decuſque perpetuum civitati legumque latori **C** naſcitur. Quamobrem non ſatis probamus illorum ſententiam, qui putant leges factas eſſe, ut earum metu humana coerceatur audacia. Contra enim Plato (d) legis putat eſſe perſuadere, non omnia vi ac minis cognoſcere. & Diodorus (e) barbarorum leges reprehendit, quæ magis punire quam docere videantur. ac Xenophon Perſarum inſtituta maxime laudat, quod non ut ceteri de pœnis criminibus ex legibus imponendis ſolliciti ſint, ſed multo magis caveant, ut ne qua crimina apud ipſos reperiantur. Legis tamen virtutem eſſe non negamus, ut punire nihilo minus, quam imperare, vetare, & permittere poſſit: illas tamen optimas eſſe leges di**D** cimus, quæ ad bene beateque vivendum ſint accommodatæ. cui rei neceſſarium nonnunquam eſt pœnis ac multis uti: ne impunita crimina delinquendi cupiditatem improbis augeant. Ac Plato inferorum pœnis quæ in ſceleratos inferuntur, non contentus, ſimiles excogitavit. Nos Ciceronis hac in re moderationem probamus, ut noxæ pœna par ſit, & in ſuo vitio quiſque plectatur. vis capite, avaritia multa, honoris cupiditas ignominia ſanciatur. Sed etſi lex ſevere ſcripta ſit, judex benigna interpretatione utatur neceſſe eſt. Extat Martiani elegans admonitio, in levioribus cauſſis proniores ad lenitatem judices eſſe debere, in gravioribus pœnis **E** ſeveritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis exequendam. Sed cum Rempublicam (f) his duabus rebus contineri, præmio & pœna a Solone & Platone uſurpatum fuerit, & de pœna, diximus ſatis: de præmio idem Plato ſecundus eſt, qui Reipublicæ ſalutem ex harum rerum ordine conſiſtere putat: ut animi bona præ ceteris omnibus honoribus adficiantur, tum corporis, poſtremo fortunæ. Hujus generis ſunt quæ militibus, quorum opera imperatores victoriam adipiſcuntur, donantur: quæ trium liberorum cauſſa, ut ab Lycurgo & Auguſto, immunitas multorum munerum data **F** eſt: quod Hippodamus rem utilem Reipublicæ in-

(c) *Ariſt lib. 1. Rhe cap. 4. & lib. 3. Politic. c. 7. & lib. 4. c. 1 & lib 5. c. 9. & lib. 6. c. 5. & lib 7. c. 2. item lib. 10. c. 9. Eth. Plato libr. 1. de legib. Ariſto. eiſdem locis. Cicer. libr. 1. de legib. & pro Cluen. Diod. lib. 3 bibliotb. c. 1. diſt. 4.* (d) *Cic. lib. 1. de legib.* (e) *Diodo. Sicul. lib. 1. bibliotb. Xenoph. li. 1. de Cyri vita. Adde Iſocr. in Areopag. l.* legis. *D. de legib. c. ult. 3. diſt. Quinct. lib. 7. cap. 5. Diod. lib 2. & 3. bibliotb. l.* ſi operis. *C. de pœn. Plato lib. 9. de legib. Cic. lib. 3. de legib. Iſæus apud Stob. cap. 46. l.* perſpiciendum *D. de pœ.* (f) *Cic. in Epiſt. ad M. Brut. Plato lib. 3. de legib. Polyb. lib. 4. biſtor. Ariſt. l. 2. c. 7. de rep. Ælia. lib. 6. de varia biſt. Ariſt. lib. 2. c. 6. de* **Rep. Idem** *lib. 5. c. 7. Idem lib. 4. c. 1. & 4. l. 1. & 2. D. de legib.*

venienti pollicebatur: quodque magiſtratibus atque judicibus, ne quæſtui poteſtatem ac judicia habeant, promitti oportere Ariſtoteles putat. Idem ait, quarumcumque legum latoribus utile eſſe, ut præmia ſuppliciaque juſte proponere poſſint, diligenter animadvertere, quid rerum homines ſponte, quidque inviti contrahant: & Papinianus Demoſthenem ſecutus, ut antea ſcripſimus, legem coercitionem appellat delictorum, quæ ſponte vel ignorantia contrahuntur. Marcianus, *Delinquitur*, inquit, (g), *aut propoſito, aut impetu, aut caſu*: & Claudius Saturninus, *Aut facta*, inquit, *puniuntur, aut dicta, aut ſcripta, aut conſilia. Hæc quatuor genera conſideranda ſunt ſeptem modis, cauſſa, perſona, loco, tempore, qualitate, quantitate, eventu*. Quæ omnia in præmiis quoque conſiderabuntur. Sed ut ad illa revertamur, non dubium eſt, quin vitiorum emendatricem legem eſſe oporteat, commendatricemque virtutum, ut Cicero (h) ſcribit; quo fit, ut ab ea vivendi doctrina ducatur. Quamobrem cum Iſocrates, quæ in legibus bene conſtitutis ſpectanda ſint, Nicoclem docuiſſet, (ſunt autem hæc; ut omnibus juſtæ atque utiles eſſent, & inter ſe conſentientes; quæ dubitationis minimum, litium celerrimam compoſitionem haberent) addit laborum præmia, calumniarumque pœnas; ut illa expetant, has omnes averſentur. Illud ejuſdem (i) oratoris laudandum, quod putat legum multitudinem atque frequentiam, & ut arbitror, crebram earum mutationem ſigna eſſe mali ſtatus Reipublicæ; propterea quod dum delicta, quaſi aggeribus coercere nitimur, leges cumulantur. Non itaque porticus legibus implendæ, ſed civium animi juſtitia imbuendi ſunt. Quod (k) bene inſtituti paucis legibus obtemperant. mali omnes leges facile contemnunt. Arceſilaum dixiſſe ferunt, ubi plurimæ leges, & medicamenta forent, illic morborum & injuſtitiæ plurimum eſſe. Itaque idem Iſocrates in Panathenaico eas laudat, quæ paucæ ſint, & aptæ, laudat item cognitione faciles, juſtas, utiles, & inter ſe conſentientes, ad publica inſtituta, non ad privata commoda factas: quales, inquit, eſſe decet, in Reipub. bene conſtituta.

(g) *l.* perſpiciendum, *in fine. D. de pœn. l.*aut facta. *e. tit* (h) *Cic. lib. 1. in fin. de legib.* (i) *Iſocr. in Areopag.* (k) *Thucyd. apud Stob. c.* 41.

CAP. V.

Quotuplex ſit lex.

VIDIMUS quid ſit lex, qualiſque eſſe debeat: nunc quotuplex ſit, cognoſcamus. Id vero multiplex eſt. Nam ſi legem (a) pro jure naturali, vel gentium, vel civili accipiamus, ut philoſophi ſolent; eaſdem tres differentias legum recipiemus; ſi ad ſingulorum populorum, aut regum rerumve publicarum juſta reſpiciamus; in tot genera leges dividemus; quot rerum quoque publicarum ſunt. eæ autem ſunt ſex, ſi Ariſtotelem (b) ſequamur: Regis, tyranni, optimatum, paucorum inſolentiæ, reipublicæ, & populi, quarum tres probandæ, tres reliquæ improbandæ ſunt. Tyranni enim, paucorum, & populi ſtatus iniquus eſt, cæterorum æquus. Omnium optimus regius. & huic par, vel fortaſſe melior, quod magis eſt perpetuus, ex omnibus mixtus: qualis Romanorum, ut Polybio (c) videtur, fuit. Ejuſdem vero Reipublicæ leges varias appellationes accipiunt, vel ex auctori-

(a) *Ariſt. lib. 1. cap. 10. & 13. & 15. artis Rhet. & lib. 5. c. 6. Ethic.* (b) *Ariſt. lib. 1. cap. 8. artis Rhet. & lib. 8. cap. 10. Ethic. & lib. 3. c. 5. Politic.* (c) *Polyb. lib. 6. Vide Cicer. Philipp. 1.*

A bus, ac legum latoribus, ut Solonis ac Draconis Athenienſium, & omnes fere Romanorum, quas hoc libro perſequemur, aut a tabulis in quibus ſcriptæ vel inciſæ ſunt, ut duodecim tabularum, & Draconis ac Solonis (d) ἄξονες & κύρβις: aut ab eo quod jubetur, ut Oſtraciſmus, vel σεισάχθεια, vel ἀμνηστεία apud Græcos; apud Romanos Agrariæ, Sumptuariæ, Frumentariæ, Fenebris, Muneralis, Viceſima, Regia, Majeſtatis, Ambitus, & aliæ id genus, quæ ſuis locis referentur: a loco vel modo rogandi vel auctoritate, ῥῆτραι Lycurgi, Romanorum Sacratæ leges & Rhodia de jactu: item Curiatæ leges, curiatis comitiis latæ, de quibus pau-
B lo poſt ſcripturi ſumus. huc accedit quod antea ſcripſimus de plebiſcitis ac privilegiis, quæ a generali lege populi Romani differunt. item quod de Tribuniciis & Conſularibus a Cicerone (e) uſurpatum retulimus, quod a Tribunis vel Conſulibus promulgarentur. mixtarum quoque rerum nomina habent lex Satyra, & lex Julia Miſcella. Sed ut omnium legum Romanorum, de quibus ſcribere aggredior, nomina recenſeantur, eas in aliquot claſſes atque centurias deſcribamus. ita enim fiet, ut omnia legum genera, ac totius pæne juris notitiam prægu-
C ſtemus. Ac principio ſunt quædam leges, quæ de toto jure feruntur; ut Regiæ, quas Romulus & cæteri Reges tulere uno libro collectæ a Sexto Papirio (f) qui liber jus civile Papirianum appellatur. Item duodecim tabulæ, quas Decemviri (g) exactis Regibus ex Græcis legibus magna ex parte deſcriptas tulerunt. Quas vero per partes plerique magiſtratus promulgarunt, in novem claſſes conſcripſimus. Aut enim ad ſacras res pertinent; aut ad magiſtratus; aut de comitiis, de judiciis, de aliis rebus civilibus latæ ſunt; aut ad mores, ad omnium hominum crimina, ad ſeditioſos legiſlatores, ad rem militarem ſpectant. De rebus ſacris præter illas quas Numa Pompilius Pomponis filius Rex tulit, in quibus
D Pompiliam de Veſtalibus, Poſthumiam de ſacrificiis numeravimus; Licinia de Decemviris ſacris faciundis; Ogulnia, Domitia, & Julia de Sacerdotiis, Papiria de conſecratione fuerunt. De magiſtratibus multo major eſt numerus. quarum aliæ ad omnes, vel ad plures; aliæ ad ſingulos pertinent. Ad omnes Julia annalis, Cornelia de ordine magiſtratuum, Gabinia Tabellaria de magiſtratibus mandandis; Valeria, Duilia, & Horatia de provocatione, Caſſia & Sentia de patriciis adlectis, Æbutia de magiſtratibus. Ad multos, Sempronia & Trebonia de provinciis, Gabinia de legationibus, Julia de liberis le-
E gationibus, Lætoria de plebeiis magiſtratibus. Ad ſingulos pertinent Regia de poteſtate imperatoris; Licinia de Conſulibus plebeiis; de Cenſoribus etiam ex plebe Publilia; Æmilia & Clodia de Cenſoribus; Plætoria de Prætore urbano, Bæbia de quatuor prætoribus; Duilia, Valeria, Horatia, Sicinia, Atinia, Aurelia, Trebonia, Cornelia de Tribunis plebis, ſive de Tribunitia poteſtate; Atilia, Martia de Tribunis militum; Æbutia de Centumviris, vel Decemviris; Decia de Duumviris navalibus, Clodia de Scribis Quæſtoriis. Jam vero de comitiis permultas leges fuiſſe accepimus; Æliam &
F Clodiam de obnuntiatione, Fuſiam de auſpiciis, Cæciliam & Didiam, atque Liciniam & Juniam de legibus ferendis, Papiriam Tabellariam de legibus, Mæniam item de legibus, Corneliam de legibus ſoluto, Hortenſiam de nundinis, Pupiam de Comitialibus; Gelliam & Juliam & Papiriam de civitate Romana, Liciniam & Muciam de civibus regundis, Maniliam, Corneliam & Sulpiciam de libertinorum ſuffragiis, Mariam & Semproniam de ſuffragiis, item Semproniam de civibus Romanis

(d) *Plut. in vita Solon. & Diogenes.* (e) *Cic. in Sextia & de leg. agr. Viden. c.* quædam *diſt.* 11. (f) *l. 2. princ. & p.* fuit autem *D. de orig. jur.* (g) *ea l. p.* exactis.

A Ad judicia pertinent Judiciales leges, Sempronia, Servilia, Livia, Plautia, Cornelia, Aurelia, Pompeja, Julia, Cassia Tabellaria. De Centumviralibus judiciis Æbutia; Cornelia de edictis perpetuis; Tarpeja, Æternia, & Papiria de multis; Hortensia de nundinis fastis; Julia de patronorum numero; Vatinia de alternis consiliis. De aliis rebus civilibus, Canuleja de connubio, Papia de nuptiis, Julia de fundo dotali, & Julia Miscella. De tutelis Atilia, Julia, & Titia de tutoribus dandis, Claudia de tutelis feminarum, Lectoria de curatoribus. De testamentis Fusia, Caninia, & Glitia, de postumis Junia Velleja, de mulierum hereditate Voconia, de quarta portione Falcidia. de manumissionibus Ælia Sentia, B Fusia Caninia, Julia, Junia Norbana, Junia Petronia, Vectibulicia, Viscelia; de libertate Scribonia; de rebus creditis Julia; de sponsione Titia, Publicia, & Cornelia; de nexu Petilia, Licinia de alienatione in fraudem, Julia de bonis cedendis, Atinia de usucapionibus, Manilia de quinque pedibus, Thoria de agris & pascuis, Quinctia de aquæ ductu, Rhodia de jactu. Adde his Papiriam nummariam, Clodiam de victoriatis, Manliam de vicesima, & Vicesimam hereditatum. Nunc de his quæ ad morem & disciplinam pertinent videamus. Quarum principatum obtinent Sumptuariæ, Orchia, Fannia, C Didia, Licinia, Cornelia, Antia, Æmilia, Julia; Muneralis Cincia; Funebris Duilia, Menenia, Genutia; Claudia de navibus; Mævia de funeribus; Julia de pudicitia; item de maritandis ordinibus; Oppia de ornamentis mulierum; Theatralis Roscia, Julia; de ludo vel sponsione Cornelia, Publicia, Titia; de collegiis Clodia; de fullonibus Cæcilia Metella. Nunc ad criminum coercitionem veniamus. Ac de majestatis & perduellionis crimine leges fuerunt Varia, Appuleja, Cornelia, Julia, item Tabellaria Cælia. de parricidiis Pompeja, de sicariis & veneficis Cornelia. de vi Plautia & Pompeja, de vi publica & privata Julia, de adulteriis & stupro Julia, de im- D pudicis Scatinia, de injuriis Cornelia, de damno, injuria Aquilia, repetundarum Calpurnia, Acilia, Servilia, Cornelia, Julia; ambitus Petilia, Cornelia & Bæbia, Calpurnia, Pompeja, Julia, Tullia, Fabia, Manilia, Licinia. Testamentaria Cornelia, de plagiariis Fabia, de annona Julia, item peculatus, item de residuis; de calumniatoribus Remnia, de damnatis Cassia. Per seditionem ac vim latæ leges permultæ sunt. Nam cum mixta Respublica esset, quotiens plebs in seditiosos Tribunos plebis inciderat, aut in alios populares viros; in malum illum Reipublicæ statum inclinabat, in quo populus tyrannidem exer- E cet. Quotiens optimates plus nimio poterant, & aut ex nobilium inter se aut cum popularibus contentione, aut ex tyrannidis cupiditate privata commoda legibus in speciem popularibus persequebantur, Rempub. ad paucorum, atque ad extremum ad unius potestatem perduxere. Populares leges Agrariæ Cassia, Licinia, Livia, Flaminia, Semproniæ, Appuleja, Servilia, Juliæ. Frumentariæ Sempronia, Appuleja, Livia, Terentia, Cassia, Octavia, Clodia. Tabellariæ Gabinia, Cassia, Papiria, Cælia. De plebiscitis Hortensia, Publilia. de Tribunis plebis, quæ ante relatæ sunt in classe de magistratibus. de con- F nubio Canuleja; de Consulibus & Censoribus ex plebe Licinia & Publilia; Icilia de Aventino, Porcia & Sempronia de civium libertate, Manilia de colonia deducenda, Licinia & Sulpitia de ære alieno, Clodia de Censoria nota, item de obnuntiatione, aliquot judiciales, & de suffragiis ac civibus, atque aliæ id genus. In Sullæ tyrannide, Valeria de imperio Sullæ, Cornelia de proscriptione, item de Tribunitia potestate. In C. Cæsaris, Hirtia contra Pompejanos. In Augusti, Pedia contra percussores, Papia de caducis, Regia de imperio. Infinitum esset omnia persequi, quæ per vim aut fraudem facta fuerunt simulatione legum ferendarum. Itaque ad rei militaris leges perveniamus, quæ paucæ admodum sunt: Cornelia de captivis, Junia & Sempronia Militaris, Maria, Porcia, Triumphalis. Hæc sint dicta de legum divisione: quanquam non ignoro posse easdem varie dividi, & multis modis immutari.

CAP. VI.

De partibus legis.

SED tempus est ut de partibus legis aliqua dicamus. Sunt autem hæc in omnibus fere legibus Romanorum: prooemium, capita, & sanctio. Quod si Satyra lex sit, aut de universa Repub. lata, fieri potest ut sæpius & prooemium & sanctio repetantur, quod tunc non simplex lex sit. Sed & posset sine prooemio ac sanctione, aut cum altero ex his, lex esse. Nos vero ut in aliis rebus, quod frequentius accidit, sectamur. Animadverti itaque ante omnia scribi solere quis legem rogaverit, quis jusserit, quo loco, quo tempore, quæ tribus, qui vir primum suffragium tulerit: ut ex Frontino libro secundo de aquæductibus exemplum sumamus ex lege Quinctia: T. QUINCTIUS CRISPINUS COS. POPULUM JURE ROGAVIT. POPULUS QUE JURE SCIVIT IN FORO PRO ROSTRIS ÆDIS D. JULI PR. K. JULIIS TRIBUS SERGIA PRINCIPIUM FUIT PRO TRIBU SEX. TERENTIUS L. F. VARRO.

Similibus verbis usus est Cicero in Antoniana prima: *Cedo illa legitima*: CONSULES POPULUM JURE ROGAVERUNT (*hoc enim a majoribus accepimus jus rogandi*) POPULUS Q. JURE SCIVIT? *Qui populus? quo jure?* Et in tabula octava Corneliæ de viginti Quæstoribus: PRINCIPIUM FUIT PRO TRIBU. ita intelligendum est. & in prima Thermentium Pisidarum majorum. C. ANTONIUS M. F. CN. CORNE ... *... C. FUNDANIUS C. F. TRIBU. PLEB. DESS. PLEBEM ... *... PREIMUS SCIVIT. Est autem hoc plebiscitum, (a) quod Tribuni plebem rogavere, plebsque scivit illo loco, illo die, illaque Tribus principium fuit, & pro tribu, id est, in tribu, ille vir primus scivit. Sic apud Ciceronem in Planciana: *Quod primus scivit legem de publicanis, si in eo crimen est, quia suffragium tulit, quis non tulit publicanus? si quia primum scivit utrum id sortis esse vis an ejus qui illam legem ferebat? si sortis, nullum crimen est in casu: si Consulis, splendor etiam Plancii, hunc a summo viro principem ordinis judicatum.* Et in oratione ad Pontifices de Sedulio similia dicuntur. Crederem post hæc laudem & causam legis ferendæ conscribi; quod Cicero (b) significare videtur. Tamen sine prooemio & hoc ipsum privilegium, & lex illa Quinctia initium sumpsere. QUICUNQ. POST HANC LEGEM ROGATAM RIVOS. & in plebiscito: QUEI THERMESES MAJORES PEISIDÆ FUERUNT. Quæ verba primi capitis sunt. Id in multis legibus usurpatum, apparet ex faceta illa Glauciæ (c) admonitione ad populum: ut cum lex aliqua recitaretur, primum versum attenderent: si esset DICTATOR CONSUL PRÆTOR MAGISTER EQUITUM: ne laborarent, scirent nihil ad se pertinere: sin autem QUICUNQUE POST HANC LEGEM: viderent ne qua nova quæstione alligarentur. Capita vero interspatiis tantum distincta semper vidi; sed in lege Manilia, Roscia, Peducæa apud Hyginum Gromacium de constitutionibus limitum singulis capitibus additur eorum numerus in hunc modum.

K. L. III. QUÆ COLONIA HAC LEGE DEDUCTA.
K. L. IIII. QUI LIMITES DECIMANI.

(a) *Vide Liv. lib.* 3. (b) *Cic. lib.* 2. & 3. *de leg.* (c) *Cic. pro Rabirio Posthum.*

K. L. V. QUI HAC LEGE COLONIAM DEDUXERIT. Quibus notis ſignificatur caput legis tertium, quartum, quintum; quod Terentianus & Probus interpretantur. Numerorum quoque ratio ad totam legem referri debet; ut capite quinto legis Juliæ de adulteriis, aut capite tertio legis Aquilliæ: non ad numerum tabularum, in quas longiores leges dividuntur. Tot vero capitibus ſingulæ leges conſtant, quot viſum his eſt qui leges conſcripſerunt, totam legem concipi poſſe. Et in epiſtola quadam M. Cælii ad Ciceronem refertur unum & centeſimum caput legis Juliæ de repetundis. Extrema legis pars ſanctio appellatur, quam in ærea tabula legis Regiæ de imperio Veſpaſiani inciſam agnoſcimus; in qua hæc verba ſcripta ſunt.

SANCTIO

SI QUIS HUJUSCE LEGIS ERGO ADVERSUS LEGES ROGATIONES PLEBISVE SCITA SENATUSVE CONSULTA FECIT FECERIT SIVE QUOD EUM EX LEGE ROGATIONE PLEBIS SCITO S. VE C. FACERE OPORTEBIT NON FECERIT HUJUS LEGIS ERGO ID EI NE FRAUDI ESTO NEVE QUID OB EAM REM POPULO DARE DEBETO NEVE CUI DE EA RE ACTIO NEVE JUDICATIO ESTO NEVE QUIS DE EA RE APUD SE AGI SINITO. De hac ſanctione Papinianus (d) libro ſecundo definitionum ita ſcribit: *Sanctio legum, quæ noviſſime certam pœnam irrogat his qui præceptis legis non obtemperaverint, ad eas ſpecies pertinere non videtur, quibus ipſa lege pœna ſpecialiter addita eſt.* & Juſtinianus, *Ideo muros*, inquit (e) *ſanctos dicimus, quia pœna capitis conſtituta eſt in eos qui aliquid in muros deliquerint. Ideo & legum eas partes, quibus pœnas conſtituimus adverſus eos qui contra leges fecerint, ſanctiones vocamus.* & Ulpianus, *Proprie*, inquit (f) *dicimus ſancta, quæ neque ſacra neque profana ſunt: ſanctione enim quadam confirmata: ut leges ſanctæ ſunt: ſanctione enim quadam ſunt ſubnixæ. & interdum*, inquit, *in ſanctionibus adjicitur, ut, qui ibi aliquid commiſit, capite puniatur.* M. Cicero ad Atticum lib. tertio: *Scis Clodium ſanxiſſe, ut vix, aut omnino non poſſet nec per ſenatum neque per populum infirmari ſua lex. Sed vides*, inquit, *nunquam eſſe obſervatas ſanctiones earum legum quæ abrogarentur. nam ſi id eſſet, nulla fere abrogari poſſet. neque enim ulla eſt quæ non ipſa ſe ſepiat difficultate abrogationis. Sed cum lex abrogatur, illud ipſum rogatur, quomodo eam abrogari oporteat.* Et in calce Verrinæ de ſignis: *Niſi legum ſanctionem, pœnamque recitaſſem; tabularum mihi poteſtas facta non eſſet.* Idem pro Balbo Cornelio: *Sacroſanctum eſſe nihil poteſt, niſi quod populus plebſve ſanxiſſet. Deinde ſanctiones ſacrandæ ſunt, aut genere ipſo, aut obteſtatione & conſecratione legis, aut pœna, cum caput ejus, qui contra facit, conſecratur.* Denique Sext. Pompejus ita ſcribit: *Satura eſt cibi genus ex variis rebus conditum, & lex multis aliis conferta legibus.* Itaque in ſanctione legum adſcribitur. NEVE PER SATURAM ABROGATO AUT DEROGATO Ex his omnibus apparet, tria eſſe quæ in ſanctione ſcriberentur: ut cæteris legibus contrariis ſolutus eſſe videretur, qui eam legem ſervaret aut ferret: pœna adverſus eos qui contra legem facerent: cautio ne abrogari aut derogari ei legi unquam poſſet. Sunt etiam aliæ partes legis, cum in eis, de quibus mentionem ſæpe fecimus, tabulis aheneis lex inciditur, de qua re poſtea dicemus.

(d) *l.* ſanctio *D. de pœn.* (e) *In Inſtit. de rer. diviſ. p.* ſanctæ. (f) *l.* ſacra *p.* proprie. *D. eod.*

CAP. VII.

De legis ferendæ ratione, & a quibus & per quos ferri poſſit.

NUNC de legis ferendæ ratione videamus. Qua in re a quibus, quo loco, quo tempore, quove modo, dicendum erit. A quibus duplicem habet ſignificationem: nam & qui rogant, & qui jubent, ferre legem videntur. Jam vero id ipſum quoque ad plebiſcitum & legem referri poteſt. Itaque videamus qui populum rogare poſſit, mox qui plebem, deinde populi plebiſque partes diſcutiemus. Hoc igitur principio conſtituamus, illum ferre ad populum, ac rogare legem poſſe, qui (a) cum populo agere poteſt. Agere enim cum populo eſt rogare quid populum, quod ſuffragiis ſuis aut jubeat, aut vetet. Legem vero eſſe conſtat, quod (b) populus Romanus ſenatorio magiſtratu interrogante, veluti Conſule, conſtituebat: vel generale juſſum populi rogante magiſtratu. At cum populo agere, & cum patribus, id eſt, comitia & ſenatum habere, licet Conſuli, Prætori, Dictatori, Magiſtro equitum. Senatum habere etiam poſſunt Tribunus plebis, Interrex, Præfectus urbi, & Præfectus feriarum Latinarum cauſa: item extraordinario jure & leges ferre & ſenatum habere potuerunt Tribuni militum, qui pro conſulibus creati ſunt, ac Decemviri legum ferendarum cauſa, Triumviri quoque Reipub. conſtituendæ cauſa creati. Interregem leges ferre potuiſſe crediderim; atque interregis lex Valeria de L. Cornelii Sullæ imperio fuit. & a Cicerone (c) illis verbis ſignificari poteſt: EIQUE QUEM PRODUNT PATRES CONSULUM ROGANDORUM ERGO. Adderem (d) Regem & Tribunum Celerum, item Imperatorem, poſt legem regiam, qua populus ei & in eum omnem poteſtatem tranſtulit. De legibus Juliis, quæ ab Auguſto latæ ſunt, ut de legibus Regum nulla dubitatio eſt. Tribuni illa eſſe dicitur, qua Reges exacti ſunt, Tribuniciamque Pomponius appellat. Magiſtri equitum legem nullam invenio: Dictatoris Hortenſia fuit: Prætoris Aurelia Judiciaria. Ex his apparet neque (e) Cenſorem, neque Proconſulem, neque Ædilem Curulem, neque Quæſtorem urbanum, neque Præfectum urbi, etſi ſenatorii magiſtratus eſſent, rogare potuiſſe. Tribunos vero plebis neque advocare patricios, neque ad eos referre de re ulla potuiſſe, Lælius Felix ſcripſit. Quibus verbis ſenatum quoque habere negaretur: contra tamen ex Cicerone & Varrone conſtat. Itaque id tantum juris illi habuerunt, ut plebem jure rogarent, plebiſque ſciti auctores eſſent: & cum Dictator, Conſul, Prætor aberant, aut conſuluerant; tum Tribunis pleb. ſenatus conſulendi jus erat. At vero an alii plebeii magiſtratus plebem rogare poſſent dubitamus. Nam licet Sextus Pompejus (f) & Juſtinianus generaliter de magiſtratibus ſcripſerint: nullum habeo ejus rei antiquitatis exemplum. Hanc etiam ipſam Tribunorum poteſtatem, ut legem rogare poſſent, Sulla abſtulit, ut in Cornelia de Tribunis dicemus; ſed Cn. Pompejo Conſule reſtituta eſt. De plebiſcitis an tenerent omnes vetus erat quæſtio, de qua variis locis dicturi ſumus. Ex his igitur conſtat, (g) qui populum, quique plebem jure rogare legemque ferre potuerint. Populum vero ſolum legum poteſtatem habuiſſe, ut creationis

(a) *Gell. lib. 13. cap. 15.* (b) *In Inſtit. de jure natur. p.* lex. *Gell. lib. 10. cap. 20. Cicer. lib. 3 de legib. Gell. lib. 14. cap. 7. & 8.* (c) *Cic. eo lib 3.* (d) *l. 1. D. de conſtit. princ. l. 1. ad leg. Jul. de adul. l. 2. in princ. de orig. jur. p.* exactis *e. l.* (e) *Gell. lib. 15. cap. 7. Cic. lib. 3. de leg. Gell. lib 14. cap 7. & 8.* (f) *Sext. Pomp. ver.* ſcita. *In Inſt. de jure nat. p* plebiſcitum. *Adde cap. 2. diſt. 1.* (g) *Dionyſ. lib. 2. & 5. antiq. Polyb. li. 6. hiſt. Viden. Cic. li. 3. de leg. Ariſt. li. 5. Polit. c. 14. Appian. in Lybico.*

magistratuum, & aliquorum judiciorum publicorum, item belli, pacis, fœderis ac sociorum Polybius scribit. Nam senatus ærarii, vectigalium, legationum, consiliorum, & auxiliorum curam habebat. Consulibus in bello ferre omnia, in pace omnium rerum cura, atque leviorum administratio & imperium, ac populi & senatus jussorum executio competebat. Qua de causa ex tribus mixtis generibus Reipubl. constare civitatem Romanam dixit. Apud Livium (h) tamen reperio in legibus magistratibusque rogandis usurpatum, ut, priusquam populus suffragium iniret, patres auctores fierent. quod Cicero (i) non uno in loco significat. Itaque non facile concessum id populo est, ut solus leges juberet. sed tamen nimis levis hæc patrum cautio esse videbatur, cum id, quod futurum esset, in eorum potestate non foret. Sed de his in Mœnia & Publilia videbimus. De plebe pauca dicemus. Inter omnes constat tres (k) populi Romani ordines fuisse, Senatores, Equites & Plebem. Senatores fuerunt jam inde a Romulo, & ab illis orti majorum gentium patricii, & qui a cæteris Regibus aut ab L. Bruto minorum gentium adlecti sunt, & a Cæsare, & ab Augusto, & Claudio, qui in magistratu Curuli, aut Tribunatu plebis plebeii, aut equites fuerunt, senatum constituebant: si modo ætate senatoria essent, & si a Censore in senatum lecti forent. (l) Equites principio, quod equo mererent, postea Judices a judicando dicti, ad extremum annulis & censu distinguebantur a plebe.

Si quadringentis sex septem millia desunt,
Plebs eris.

ut ait Horatius.

Senatores ab equitibus lato clavo, & censu, olim octingentorum millium, postea duodecies sestertium. At plebs, quæ pedibus merebat, in quinque classes describebatur, quarum prima centum millibus æris, secunda septuaginta quinque, tertia quinquaginta, quarta viginti quinque, quinta undecim millibus, exceptis capite censis & proletariis, qui multo minoris censebantur. Horum omnium descriptio Censorum fuit: ad quos ea pertinent quæ Cicero eleganter collegit: (m) CENSORES POPULI ÆVITATES SOBOLES FAMILIAS PECUNIASQUE CENSENTO URBIS TEMPLA VIAS AQUAS ÆRARIUM VECTIGALIA TUENTOR POPULIQUE PARTES IN TRIBUS DISTRIBUUNTO EXIN PECUNIAS ÆVITATES ORDINES PARTIUNTO EQUITUM PEDITUMQUE PROLEM DESCRIBUNTO. Quod ad Leges sciscendas attinet, plebis appellatione sine senatoribus & patriciis cæteri cives significantur. Itaque equites quoque continentur.

(h) *Livius lib.* 1. *&* 8. (i) *Cic. pro Plan. & in Bruto.* (k) *Auson. in ternario. Liv. lib.* 1. *Tacit. lib.* 11. *Gell. lib.* 14. *cap.* 7. *&* 8. *& lib.* 1. *cap.* 23. *& lib* 3. *cap.* 18. (l) *Plin. lib.* 33. *cap.* 1. *&* 2. *Horat. libr.* 1. *epistol.* 1. *Sueton. in Aug. Livius libr.* 1. *Dionys. lib.* 6. *histor. Gell. lib.* 16. (m) *libr.* 2. *de leg. l.* plebs *D. de verbor. sign. in Instit de jure nat. p.* plebiscitum.

CAP. VIII.

Quo loco, quo tempore, qua ratione comitia haberentur, centuriata, curiata, atque tributa.

DIXIMUS quæ ad personas eorum, qui populum ac plebem rogabant, pertinebant, quæque populi & plebis esset differentia, & quæ hujus loci visa sunt. Nunc de loco & tempore, & cæteris, quæ necessaria erant ad leges recte atque ordine jubendas, videamus. Et cum leges aut centuriatis comitiis, aut curiatis, aut tributis fierent; de his ipsis tribus comitiorum generibus est videndum. Nam & persona, & locus, & dies, & mo-

A dus comitiorum legitimus; is etiam legibus legitimus paucis exceptis est. Et si lex est, quam populus centuriatis comitiis, aut majore magistratu rogante tributis tulerit; & plebiscita, quæ sciverit tributim plebs; leges curiatæ, quæ curiatis comitiis placuerunt: quod erit in comitiis vitii, legi quoque noceat necesse est. Principio igitur (a) Consules edictum proponebant, quo edicebant, quis dies comitiis centuriatis futurus esset, & in eo caveri solebat, ne quis magistratus minor de cœlo servasse vellet. Calabantur (b) autem, & convocabantur comitia curiata per lictorem curiatim, centuriata per cornicinem. ex quo utraque calata comitia ap-
B pellabantur: eratque genus testamenti unum, quod calatis comitiis in concione populi fieret, alterum in procinctu, tertium per familiæ emptionem. Tributa comitia plebis per viatorem Tribuni calari solere crediderim. Centuriata intra pomerium fieri nefas erat, quia exercitum extra urbem imperari oporteret, intra urbem jus non esset. Itaque in Campo Martio haberi, exercitumque imperari præsidii causa solitum, quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus. *Majores vestri* (inquit apud Livium (c) Consul in Concione) *ne vos quidem, nisi cum aut vexillo in arce posito comitiorum causa*
C *exercitus edictus esset, aut plebi concilium Tribuni edixissent, aut aliquis ex magistratibus ad concionem vocasset, temere coire voluerunt.* Consilii verbum hoc loco ad tributa comitia, ni fallor, refertur. Nam ut Lælius Felix scribit: *Qui non universum populum, sed partem adesse jubet; non comitia, sed consilium edicere debet. Tribuni neque advocant patricios: neque ad eos referre de re ulla possunt.* Locus autem tributorum comitiorum tum in foro Rom. tum alibi tam intra, quam extra pomerium fuit. Curiatorum vero in comitio, quæ pars etiam fori erat, esse solebat, ut Varro significat. Erat igitur & in convocando, & in loco ha-
D bendorum comitiorum differentia, quam diximus. Sed & in descriptione ac ferendorum suffragiorum ordine illud intererat, quod ipsis fere nominibus significatur. Centuriata (d) enim a centuriis dicuntur. etenim per centurias divisi cives in singulis classibus coibant, censebantur, ac suffragia ferebant. Singularum classium censum antea retulimus. Ætate quoque distinguebantur; ut partim juniorum, partim seniorum centuriæ in singulis classibus forent. Ita fit, quod idem Lælius (e) scribit, ut, cum ex censu & ætate suffragium feratur, centuriata comitia sint. Et Cicero: *Ferri de*
E *singulis, nisi centuriatis comitiis noluerunt. Descriptus etenim populus censu, ordinibus, ætatibus, plus adhibet ad suffragium auxilii, quam fuse in tribus convocatus.* & de aruspicum responsis: *Eamdem domum populus Romanus, cujus est summa potestas omnium rerum, comitiis centuriatis omnium ætatum, ordinumque suffragiis eodem jure esse jussit, quo fuisset.* Ordininibus vero in his comitiis distinguebatur populus, & suffragium (f) ferebat: propterea quod equitum centuriæ ab aliis separatæ sua quoque suffragia ferebant. In cæteris comitiis neque census, neque ordinis, neque ætatis distinctio erat, sed fuse tribus, aut curiæ convocabantur. Lælius tamen,
F cum ex generibus omnium suffragium feratur, curiata comitia: cum ex regionibus & locis, tributa fuisse scribit. Non satis clare rerum differentiam explicare mihi visus est. Id nos facere conabimur, quantum post tot sæcula licebit, & in magna mul.

(a) *Boeth. lib.* 3. *Topic. Cic. Gell. lib* 13. *cap.* 14. (b) *Idem lib.* 15. *cap.* 27. *In Instit. de testam. in pr. Gell. d. c.* 27. *in fine. Viden. Cicer. lib.* 2. *de nat. deor. & lib.* 1. *&* 2. *de divin.* (c) *Liv. lib.* 29. *Sex. Pomp. ver.* justi dies. *Macrob. lib.* 1. *Saturn. Gell. d. c.* 27. (d) *Liv. lib.* 1. *Dionys. lib.* 4 *antiq.* (e) *Gell. ibidem Cic. libr.* 3. *de legib.* (f) *Liv. lib.* 1. *Cic. pro Muræn. Dionys. lib.* 4. *antiq. Gell. lib.* 15. *cap.* 27.

torum varietate, qui curiam cum tribu, & curiata cum tributis comitiis confuderunt. Varroni (g) loca fuere intra urbem comitium & curiæ. *Comitium ab eo dictum, quod coibant eo comitiis curiatis & litium causa. Curiæ duorum generum: nam & ubi curarent sacerdotes res divinas, ut curiæ veteres; & ubi senatus humanas, ut curia Hostilia, ab Hostilio rege ita appellata.* & (h) alio loco: *Curia, ubi senatus Rempub. curat, & ubi cura sacrorum publica, ab his curiones.* Addit Sex. Pompejus: *Novæ curiæ proxime compitum Fabricium ædificatæ sunt: quod parum amplæ erant veteres a Romulo factæ, ubi is populum, & sacra in partes triginta distribuerat, ut in his ea sacra curarent, quæ quando ex veteribus in novas evocarentur; septem curiarum per religiones evocari non potuerunt. Itaque Foriensis, Raptæ, Veliensis, Velitiæ res divinæ fiunt in veteribus curiis.* & alio loco: *Curiæ etiam nominantur, in quibus uniuscujusque partis populi Romani quid geritur: quales sunt hæ, in quas Romulus populum distribuit numero triginta (quibus postea additæ sunt quinque) ut in sua quisque curia sacra faceret, feriasque observaret. his curiis singulis nomina curiarum * virginum imposita esse dicuntur, quas virgines Romani de Sabinis rapuerant.* Livius (i) scribit, ut Sabinis aliquid daretur, Quirites a Curibus appellatos Romanos; & cum populum in curias triginta divideret Romulus, nomina Sabinorum curiis imposuit. His similia sunt quæ Pomponius (k) scribit: *Romulus traditur populum in triginta partes divisisse, quas partes Curias appellavit; propterea quod tunc Reipublicæ curam per sententias partium earum expediebat: & ita leges quasdam & ipse curiatas ad populum tulit.* Dionysius libro secundo antiquitatum, & Plutarchus in Romulo, in tres partes populum esse divisum scribunt, quas Tribus ea de causa dictas, eisque præfectos Tribunos appellatos. Earum partium denas partes Curias esse, & præfectos (l) Curiones. Curias in Decurias divisas, præfectos earum Decuriones: agrumque Romanum in triginta etiam partes esse divisum, exceptis sacris & publicis locis, aut ad ea pertinentibus. Atque Appianus libro tertio bellorum civilium. *Curias*, inquit, *Romani tribus aut plebem per partes dividentes solent appellare, ut Græci quas φρατρ'ας vocant.* Ex his igitur apparet curiam aut locum significare, quo vel senatus haberetur, vel curarentur sacra; aut unam ex triginta partibus, in quas Romulus populum divisit. Si nihil horum Romanæ tribus sunt, verum non erit easdem curias & tribus esse: quamquam Sex. Pompejus, cum centumviralia judicia interpretatur, in eum errorem inciderit: & Pedianus, quæ de nominibus curiarum dicta sunt, ea ad tribus transferat, in Prætura urbana. Plutarchus vero in Romulo negat curias nomen Sabinarum habere, cum locorum pleræque habeant nomina: ac Varro apud Dionysium libro secundo, curias ante raptas Sabinas, a principibus alias viris appellatas, alias ab aliis rebus atque personis scribit. Sed quando, quæ de curiis dicuntur a veteribus, collegimus; quæ de tribuum origine, nomine, atque vi scripta sunt, referamus. *Ager Romanus*, inquit Varro (m), *primum divisus in partes tres, a quo tribus appellatæ Tatiensium, Ramnensium, Lucerum; nominatæ a Tatio, Romulo, & Lucumone. Ab hoc quoque quatuor partes urbis tribus dictæ, & ab locis Suburana, Esquilina, Collina, Palatina. quinta quod sub Roma Romilia; sic reliquæ tribus ab his rebus, de quibus in tribuum libris scripsi.* Sex. Pompejus. *Urbanas*, inquit, *tribus appellant, in quas urbs erat dispertita a Servio Tullio Rege, Suburana, Esquilina, Collina, Palatina.* Livius (n) a Varrone & Dionysio, & a se ipso diversus est; quod Romulum tradit centurias tres equitum conscripsisse, Ramnenses ab Romulo, Tatienses a T. Tatio, Luceres incerta origine dictas. Servius vero Tullius quadrifariam urbe divisa, regionibus collibusque, quæ habitantur partes, tribus eas appellavit, *ut ego*, inquit, *arbitror, ab tributo.* nam ejus quoque æqualiter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est. Neque hæ tribus ad centuriarum distributionem numerumque quidquam pertinuere. Alio tamen loco tres antiquas tribus Ramnenses, Tatienses, Luceres singulos augures habuisse fatetur. *Rusticæ tribus*, inquit Plinius (o), *laudatissimæ eorum qui rura haberent. urbanæ vero, in quas transferri ignominia esset, desidiæ probro. Itaque quatuor solæ erant a partibus urbis, in queis habitabant, Suburana, Esquilina, Collina, Palatina, Nundinis urbem revisitabant.* Pomponius vero (p), *Dicti*, inquit, *Tribuni, quod olim in tres partes populus divisus erat, & ex singulis singuli creabantur; vel quia Tribuum suffragio creabantur.* Hoc tamen ipsum de Tribunis Varo (q) aliunde deducit: *Tribuni militum*, inquit, *quod terni tribus tribubus Ramnensim, Lucerum, Tatiensium olim ad exercitum mittebantur. Tribuni Plebei, qui ex Tribunis militum primum Tribuni Plebei facti, qui plebem defenderent in secessione Crustumerina.* Pedianus lib. II. Verrinarum ita scribit: *Tribus urbanæ, rusticæque omnes triginta quinque numerantur: ex quibus aliquam necesse est, cujusque ordinis fuerit, civis Rom. obtineat. Moris autem fuit, cum aliquis civis Romanus ostendendus esset, aut a prænomine, aut a nomine, aut a cognomine, aut a cognatione, aut a tribu in qua censeretur, aut a curia, aut a censu, ut si erat senator, equesque Romanus, significaretur.* M. Tullius Antoniana VI. *Num quispiam est vestrum, qui tribum non habeat? certe nemo. Atqui illum quinque & triginta tribus patronum adoptarunt.* Idem Pedianus lib. III. *Principio tres fuerunt tribus, Tatiensi a Tatio, Ramnensis a Romulo, Luceres a Lucumone, sive a luco asylo; post de nominibus Sabinarum plures fuere; postremo triginta quinque factæ.* obtinuerunt autem nomen aut a tributo dando, aut quia primo tres fuerunt. Unde etiam tribuni dicti, Dionysius lib. IV. refert Ser. Tullium urbem in quatuor illas tribus divisisse, cum antea tres essent; agrum autem Romanum in viginti sex, si Fabius sequendus sit, aut si Cato vel Venonius in unam & triginta tribus. Cujus opinio omnem tolleret controversiam, nisi contraria esset Livio (r) qui multarum tribuum tempus quo additæ fuerunt, dilucide refert, quod ipsum magnam ostendit tribuum & curiarum differentiam: cum alteræ a Romulo ad Ciceronem triginta semper fuerint: alteræ sive a Romulo, sive a Servio initium sumpserint, multis modis variæ creverint. ut nominum differentiam prætereamus, tam quod curiæ & tribus appellentur, quam quod singulæ sua nomina habeant: ut Æmilia, Næcia, Horatia, Publilia, Voltinia tribus: Faucia, Foriensis, Rapta, Tisata, Titia, Veliensis, Velitia, curiæ. Et sane sive ab eo Rege, sive ab alio tempore tribus initium sumpsere, nihil aliud significabant, quam locorum divisionem, urbis quidem in quatuor partes, ceterorum locorum in unam & triginta, quas rusticas tribus appellabant. Recte igitur Lælius (s) dicebat, cum ex regionibus & locis suffragium ferretur, tributa comitia esse. Eodem nomine, quo quatuor urbanas tribus, regiones quatuor urbis Varro appellat, licet Plinius (t) & Paulus quatuordecim regiones fuisse Augusti tempore scribant. Distinguuntur itaque tribus a centuriis quod centuriæ personarum sint, ætate & censu distinctæ,

(g) *Lib. 4. de lin. Lat.* (h) *Lib. 5. de lin. Lat.* (i) *Viden. Plut in Romul. Liv. lib. 1. l. 2.* (k) *in princ. de orig. jur.* (l) *Vide D. l. 11. p.* eisdem temporibus. (m) *Lib. 4. de lin. Lat.*

(n) *Liv. lib. 1. & 10.* (o) *Plin. lib. 17. cap. 3. hist. nat.* (p) *l. 2. p.* eisdem temporibus *de orig. jur.* (q) *lib 4. de lin. lat.* (r) *Liv. lib. 2. 6. 7. 8. 9. & 10.* (s) *Gell. libr. 15. cap. 27.* (t) *Plin. lib. 3. c. 5. l. 1. 2. & 3. D. de offic. Præf. vig.*

tribus autem regionum atque locorum tam urbanorum, quam ruſticorum deſcriptiones, in quibus cenſi, ſuffragium ſinguli in ſua tribu fuerunt ſuſe, ut Cicero ait, convocati. Curiæ ab utriſque diſtabant, quod neque ætate & cenſu diſtinguebantur, ut centuriæ & claſſes, neque regionibus ac locis, ut tribus. Quod itaque ex generibus omnium ſuffragium ferri, comitiis curiatis dicitur, & per lictorem curiatim calari ea comitia, aperte ſignificatur nullam fieri ſolitam locorum, cenſus, aut ætatum diſtinctionem, ſuffragiumque latum ex generibus omnium, id eſt, ut arbitror, ex omnibus permixte ordinibus. Quod Dionyſius libro nono clarius quam Lælius explicat. Alia differentia horum comitiorum ex oratione ad Pontifices Ciceronis, & de lege Agraria ad populum elici poteſt. in altera enim, *Si patricius nemo relinquitur, brevi*, inquit, *tempore populus Romanus nec Regem ſacrorum, nec Flamines, nec Salios habebit, neque ex parte dimidia reliquos ſacerdotes, neque auctores centuriatorum & curiatorum comitiorum: auſpiciaque populi Romani, ſi magiſtratus patricii creati non ſint, intereant neceſſe eſt.* In altera, *Curiata*, inquit, *lege magiſtratus non datur, cui nullis comitiis ante ſit datus. Majores de omnibus magiſtratibus bis vos ſententiam ferre voluerunt. Nam cum centuriata ceteris patriciis magiſtratibus: tum iterum de eiſdem judicabatur, ut eſſet reprehendendi poteſtas, ſi populum beneficii ſui pœniteret. Nunc quia prima illa comitia tenetis centuriata & tributa: curiata tantum auſpiciorum cauſſa remanſerunt. Hic autem Tribun. Ple. quia videbat poteſtatem neminem injuſſu populi aut plebis poſſe habere, curiatis eam comitiis, quæ vos non initis, confirmavit, tributa, quæ veſtra erant, ſuſtulit.* (v) & poſtea: *Conſuli, ſi legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet: hic vetat intercedendi poteſtatem, eamdemque poteſtatem Decemviris conſtituit, quam ſi lata lex eſſet. Sint igitur Decemviri neque veris comitiis, hoc eſt, populi ſuffragiis, neque illis ad ſpeciem, atque ad uſurpationem vetuſtatis per triginta lictores auſpiciorum cauſſa adumbratis, conſtituti.* Ex his verbis apparet longam eſſe curiatorum comitiorum a ceteris differentiam: tum quod his magiſtratus Ciceronis ætate non dabantur, illis dabantur: tum quod hæc auſpiciorum cauſſa ad ſpeciem & uſurpationem antiquitatis: illa autem eſſent vera comitia: in illis omnes ſuffragium ferebant; in his non triginta curiæ, ſed pro triginta curiis triginta nonnumquam lictores: illis olim dabantur ſine poteſtate magiſtratus, curiatis comitiis magiſtratus confirmabantur. Verba Meſſalæ (x) in libro de auſpiciis hæc ſunt: *Patriciorum auſpicia in duas ſunt poteſtates diviſa: maxima ſunt Conſulum, Prætorum, Cenſorum, reliquorum magiſtratuum minora ſunt auſpicia: ideo illi minores, hi majores magiſtratus appellantur.* Minoribus creandis magiſtratibus tributis comitiis magiſtratus, ſed juſtius curiata datur lege, majores centuriatis comitiis fiunt. Livius libro nono: *L. Papirius curſor Dictator C. Junium Bubulcum Brutum Magiſtrum equitum dixit: atque ei legem curiatam de imperio ferenti, triſte omen diem diffidit: quod Fauciæ curiæ fuit principium duabus inſignis cladibus, captæ urbis, & Caudinæ pacis, quod utroque anno ejuſdem curiæ fuerat principium. Macer Licinius tertia etiam clade, quæ ad Cremeram accepta eſt, abominandam eam curiam facit. Dictator poſtero die de auſpiciis repetitis pertulit legem, & profectus eſt.* Gellius (y) de juris conſultorum ſententia: de his eiſdem comitiis curiatis ita ſcribit: *Per Prætorem adoptio, per populum arrogatio fit. Arrogantur hi, qui cum ſui juris ſint, in alienam ſeſe poteſtatem tradunt, ejuſque rei ipſi auctores fiunt, id-*

(v (*Viden. Cic. in epiſt. ad Lentulum ult. Liv. l. 5.* (x) *Gell. lib. 15. cap. 14.* (y) *Lib. 5. cap. 12. Vide l. 1. D. de ad opt. Vid l.* in ſuis. *in fine. de libe. & poſtu.*

A *que non temere fit. nam comitia arbitris etiam Pontificibus præbentur: quæ curiata appellantur. Arrogatio dicta, quia per populi rogationem fit. Ejus rogationis verba ſunt hæc: Velitis jubeatis, uti L. Valerius L. Titio tam jure legeque filius ſiet, quam ſi ex eo patre matreque familias ejus natus eſſet: utique ei vitæ neciſque in eum poteſtas ſiet uti patri endo filio eſt* (ſic enim legendum, non ut in vulgatis libris *pariendo filio*) *Hoc ita, ut dixi, ita vos Quirites rogo.* De eadem arrogatione Cicero in eadam illa oratione ad Pontifices: *Credo enim*, inquit, *quamquam in illa adoptione legitime factum eſt nihil, tamen te* B *eſſe interrogatum, auctor ne eſſes, ut in te P. Fontejus vitæ neciſque poteſtatem haberet ut in filio. Quæro, ſi aut negaſſes, aut tacuiſſes, ſi tamen id triginta curiæ juſſiſſent, num id juſſum eſſet ratum? Certe non.* (z) & paulo antea dixerat: *quo die de te lex curiata lata eſſe dicatur, audes negare de cœlo eſſe ſervatum?* & de aruſpicum reſponſis: *Tum leges Julias contra auſpicia latas & hic, & in concionibus dicebat, in quibus legibus inerat curiata illa lex, quæ totum ejus tribunatum continebat.* Denique legis curiatæ mentio fit a Tacito (a) libro XI. Annalium: *Quæſtores*, inquit, *Regibus etiam tunc imperantibus inſtituti ſunt, quod lex curiata oſten-* C *dit, ab L. Bruto repetita.* Item Pomponius (b) Romulum tradit curiatas leges tuliſſe de triginta curiarum ſententia. Capta quoque urbe Livius ait lib. 5. comitiis curiatis revocatum de exilio Furium Camillum, legem curiatam latam; eumque Dictatorem eſſe dictum, ut auſpicia in exercitu habere poſſet. & decem Tribunos primum comitiis curiatis creatos Cicero in Corneliana, & Dionyſius lib. 6. auctores ſunt. Sed Lectoria poſtea lege comitiis tributis ceteri creati ſunt. Illud etiam animadverti, tributa comitia in plebis poteſtate fuiſſe, centuriata, & curiata patrum ac patriciorum fuiſſe videri. Conjecturam facio tum ex his omnibus quæ antea retuli, tum ex D his quæ Livius (c) libro IV. ſcriptum reliquit. Interroganti Tribuno cur plebejum Conſulem fieri non oporteret, ut fortaſſe vere, ſic parum utiliter in præſens certamen, reſpondit Conſul, quod nemo plebejus auſpicia haberet; ideoque Decemviros connubium diremiſſe, ne incerta prole auſpicia turbarentur. Ea de cauſſa centuriatorum & curiatorum comitiorum auctores, non etiam tributorum, Pontifices (d) Cicero appellat. & in concione ad Quirites, *Curiata*, inquit *quæ non initis, confirmavit; tributa, quæ veſtra erant, ſubſtulit.* Et in legibus, quæ de plebiſcitis latæ ſunt, ſcriptum eſt, ut quod tributim E plebs juſſiſſet, populum teneret. Et in (e) lege Lætoria, ut plebeii magiſtratus tributis comitiis fierent. de qua lege cum Dionyſius lib. x. ſcribere cœpiſſet, quid inter curiata & tributa comitia intereſſet explicavit. *Namque illis*, inquit, *patres auctores fuere. item auſpicato per curias ſuffragia feruntur, tributis nihil horum erat expectandum, ſed tributim ineunt ſuffragia.* Jam vero operæ pretium eſt maximam centuriatorum comitiorum ab aliis differentiam in medium proferre: quod ad ſuffragiorum vim cognoſcendam neceſſarium eſt. Ab Romulo (f) traditum eſt, & ceteri Reges ſervarunt, ut viritim ſuffragium eadem vi eodemque jure omnibus daretur. Primus F Ser. Tullius gradus ſuffragiorum fecit, ut neque excluſus quiſquam ſuffragio videretur, & vis omnis penes primores civitatis eſſet. Equites enim primi vocabantur, deinde octuaginta primæ claſſis centuriæ peditum, quos centum millib. æris cenſeri diximus. Ibi ſi variaret, quod raro incidebat, ſecunda claſſis vocabatur, nec fere umquam ad infimos perventum eſt. hæc Livius de centuriatis. & Dionyſius lib. IV.

(z) *Vid. Appian. l. 3. Diony. l. 46.* (a) *Adde lib. 2. epiſt. ad Attic.* (b) *Vide l. 1. D. de offi. Quæſt. Viden. Cic. in Corne. apud Aſco.* (c) *Adde eund. Liv. l. 3. ad finem.* (d) *Cic. pro Domo. & at lege Agra.* (e) *Liv. l. 5. Idem l. 2.* (f) *Idem l. 1.*

Cum ad populum, inquit, *tres maximæ res pertinerent: ut magiſtratus crearent, leges juberent atque vetarent, ac de bello decernendo conſtituerent, idque curiatis comitiis facerent, in quibus paria ſuffragia pauperum & locupletum erant: hi vero pauci, illi plures eſſent, omnia in egenorum poteſtate fuerunt. Ser. tamen Tullius id ſubſtulit: & primas equitum centurias decem & octo peditum octuaginta ad ſuffragia vocabat. Quibus conſentientibus, reliquæ claſſes non inibant ſuffragia; ſi variarent, inibant, quoad ſeptem & nonaginta centuriæ conſentirent.* Idem ait l. VII. *Tributaque comitia a Coriolani judicio primum cœpiſſe.* Aſconius (g) vero de prærogativa ita ſcribit: *Prærogativæ ſunt tribus, quæ primæ ſuffragium ferunt ante jure vocatas.* Mos enim fuerat, quo facilius in comitiis concordia populi firmaretur, bina omnino de iiſdem candidatis comitia fieri: quorum tribus primæ prærogativæ dicebantur, quod primæ rogarentur, quos vellent Conſules fieri: ſecundæ jure vocatæ, quod in his ſequente populo (ut ſæpe contigit) prærogativarum voluntatem jure omnia complerentur. Livius lib. viceſimo ſeptimo: *Galeria juniorum, quæ ſorte prærogativa erat, Q. Fulvium & Q. Fabium Conſules dixerat: eodemque jure vocatæ reliquæ inclinaſſent, ni Tribuni plebis ſe interpoſuiſſent.* Idem lib. viceſimo ſexto: *Cum comitia Conſulibus rogandis Fulvius haberet, prærogativa Veturia juniorum declaravit T. Manlium Torquatum, & T. Otacilium. Manlius petit, ut centuriam, quæ tuliſſet ſuffragium, revocari juberet, oculorum valetudinem excuſans. Denique centuria petit a Conſule, ut Veturiam ſeniorum citaret: velle ſe cum majoribus natu colloqui, & ex auctoritate eorum Conſules dicere: citatis centuriæ ſenioribus datum ſecreto in ovili* (h) *cum his colloquendi tempus, ſeniores de tribus conſulendum eſſe dixerunt. ſenioribus dimiſſis juniores ſuffragium ineunt, M. Marcellum, & M. Valerium Conſules dixerunt, auctoritatem prærogativæ omnes centuriæ ſecutæ ſunt.* Item Cic. in Planc. *Una centuria prærogativa, quæ unius tribus pars eſt, tantum habet auctoritatis, ut nemo eam prior tulerit, quin renunciatus ſit.* & pro Muræna: *Tanta illis comitiis religio eſt, ut adhuc ſemper omen valuerit prærogativum.* Et altera in Anto. oratione: *Ecce Dolabellæ comitiorum dies, ſortitio prærogativæ, quieſcit. renunciatur, tacet. prima claſſis vocatur, renuntiatur, deinde ut aſſolet, ſuffragatum ſecunda claſſis vocatur, quæ omnia citius ſunt facta, quam dixi. Confecto negotio bonus augur: Alio die, inquit.* Idem Livius lib. XXIIII. *Cum ſors prærogativæ Anienſis juniorum exiſſet, eaque T. Otacilium & M. Æmilium Regillum Conſules diceret; tum Q. Fabius oratione ea eſt uſus, ut prærogativa juniorum in ſuffragium revocaretur: ea ſuffragium init. creatique in ea Conſules Q. Fabius Maximus quartum, & Marcus Marcellus tertium: eoſdem Conſules cæteræ centuriæ ſine variatione ulla dixerunt.* Hæc omnia exempla centuriatorum comitiorum ſunt: in quibus initio claſſibus tantum, & centuriis diſtinguebantur: poſtea etiam tribubus. nam in una tribu ex omnibus quinque claſſibus cenſebantur. Denæ enim centuriæ in ſingulis tribubus fuere. Ita Galeria; juniorum centuria eſt primæ claſſis ex tribu Galeria; Veturia juniorum, Anienſis juniorum, ex tribu Veturia, & Anienſi: & a Cicerone centuria tribus portio vocatur. Tributis vero comitiis non eadem claſſium diſtinctio erat, neque eadem prærogativa centuriarum, ſed tribuum. Mutatam autem fuiſſe rationem centuriatorum comitiorum poſt expletas quinque & triginta tribus, quæ initio ad centuriarum diſtributionem non pertinebant, Livius (i) auctor eſt. *Nec mirari*, inquit, *oportet hunc ordinem, qui nunc eſt, poſt expletas quinque & XXX. tribus, duplicato earum numero centuriis juniorum ſeniorumque ad inſtitutam ab Ser. Tullio ſummam non convenire.* Hæc nos pluribus verbis de comitiorum differentia: tum quod non eſſent omnibus obvia, tum quod ex his legum conſtituendarum ratio magna ex parte perſpiciatur. Si quid vero deeſt (deeſſe enim multa fatemur) ea ex his quæ in ſingulis legibus perſcribentur, & ex libris de comitiis Nic. Gruchii, cognoſcere plenius licebit.

(g) *Pedian. lib. 2. Verr.* (h) *De ovili Strabo lib. v.* (i) *Liv. lib. 1.*

CAP. IX.

De comitialibus diebus, & tribus nundinis.

NUNC de comitialibus diebus, & tribus nundinis, poſtea de ſuadenda, roganda, & jubenda, aut antiquanda lege dicemus. Apud Romanos dies omnes aut feſti, aut profeſti, aut interciſi erant. Feſtis fiebant ſacrificia, epulæ, ludi, feriæ. Profeſti aut faſti erant, aut comitiales, aut comperendini, aut ſtati, aut præliares. Feriarum publicarum genera quatuor: Stativæ, conceptivæ, imperativæ, nundinæ. *Dies faſti*, inquit Varro, *per quos Prætoribus omnia verba ſine piaculo licet fari. Comitiales dicti, quod tunc, ut iſſet populus, conſtitutum eſt ad ſuffragium ferendum; niſi ſi quæ feriæ conceptæ eſſent, propter quas non liceret, ut Compitalia, & latinæ. Contrarii horum vocantur dies nefaſti, per quos dies nefas fari Prætorem* DO, DICO, ADDICO. *Itaque non poteſt agi. Comitiales ſunt*, inquit Macrobius, (a) *quibus cum populo agi licet. Faſtis lege agi poteſt, cum populo non poteſt, comitialibus utrumque poteſt.* Extant eadem de re non inelegantes Ovidii (b) verſus.

Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur:
Faſtus erit, per quem lege licebit agi.

Et poſtquam interciſos declaraſſet, de comitialibus & nundinis ita luſit:

Eſt quoque, quo populum jus eſt includere ſeptis:
Eſt quoque qui nono ſemper ab orbe redit.

Si quis tamen ſcire velit, quinam in ſingulis menſibus dies faſti, nefaſti, interciſi, comitiales eſſent: quoque die ſtativæ, feriæ, ludi, nundinæ, aliaque id genus cognitione digna: faſtos adeat nuper e ruinis Romæ erutos atque editos. Qui vero dies comitialis non erit, idem dies legitimus legi ferendæ non erit, quæ comitiis ferri ac juberi debet.

(a) *Macrob. l. 1. Satur. c. 16* (b) *Lib. 1. Faſt.*

CAP. X.

De promulgatione legis.

PROMULGATA autem lex, & ſcribenda antea erat, ut trinis nundinis propoſita legi poſſet ab iis qui in urbem e ruſticis tribubus ac municipiis veniebant. Nam Rutilius apud Macrobium (a) ſcribit Romanos inſtituiſſe nundinas, ut octo quidem diebus in agris ruſtici opus facerent, nono autem die, intermiſſo rure ad mercatum, legeſque accipiendas Romam venirent: & ut ſcita atque conſulta frequentiore populo referrentur, quæ trinundino die propoſita a ſingulis atque univerſis facile noſcebantur. Unde etiam mos tractus, ut leges trinundino die promulgarentur. Cicero in Antonium lib. 1. & 5. contra legem Cæciliam & Didiam fieri ſignificat, ſi ante perlatæ ſint, & in æs inciſæ, quam aut promulgatæ, aut ſcriptæ fuerint. Enumerat Quinctilianus libro ſecundo inſtitutionum, quæ contra legem dici poſſint. *Aut enim*, inquit, *de jure dubitari poteſt ejus qui rogat; ut de P. Clodii, qui non rite creatus Tribunus arguebatur; aut de ipſius rogationis, quod eſt varium. ſive non trino forte*

(a) *Macrob. ib.*

nundi-

nundino promulgata, ſive non idoneo die, ſive contra, interceſſiones, vel auſpicia: aliudve quid, quod legitimis obſtet; dicitur lata eſſe, vel ferri: ſive alicui manentium legum repugnare. & quæ ſequuntur. De eadem promulgatione, & tribus nundinis, & a Cicerone pro Flacco, & libro tertio de legibus, & a nobis in Cæcilia & Didia dictum eſt. Quibus etiam locis cognoſcitur, non eandem ſemper promulgandi formam fuiſſe.

CAP. XI.

De ſuadenda, ac diſſuadenda lege.

PROMULGATA rogatione ſuadere legem auctores ſolebant; diſſuadere qui intercedebant, aut quorum res agebatur. Idem Fabius eodem libro: *Legum laus, & vituperatio majores*, inquit, *vires deſiderat. Apud Græcos lator legum ad judicem vocabatur: Romanis pro concione ſuadere, ac diſſuadere moris fuit.* Extant apud Ciceronem utriuſque rei exempla præclara. Nam legis Maniliæ de Cn. Pompeii Magni imperio contra Mithridatem ſuaſio; diſſuaſio autem legis Agrariæ Rulli, quo pacto fierent, ſatis oſtendunt. Apud Livium (a) multarum legum contentiones videmus inter optimates ac populares, item omnium optimam legis Oppiæ abrogationem, quam M. Cato major diſſuaſit, neque obtinuit. Ejuſdem Ciceronis (b) lex effic̃ta eſt de legibus ferendis in hæc verba. PROMULGATA PROPOSITA IN ÆRARIO COGNITA AGUNTO. NEC PLUSQUAM DE SINGULIS REBUS SEMEL CONSULUNTO. REM POPULUM DOCENTO. DOCERI A MAGISTRATIBUS PRIVATISQUE PATIUNTOR. His verbis apparet, quid ſervari ſoleret, dum lex ferretur. Promulgabatur lex a legis auctore; proponebatur in ærario; cognoſcebatur ab omnibus, antequam de ſingulis rebus populus conſuleretur; docebatur legis ſententia tam a magiſtratibus, quam a privatis, uti aut pro lege aut contra legem dicere vellent: tum populus rogabatur de ſingulis & ſuffragia ferebat, niſi interceſſum eſſet. Idem Cicero pro Flacco: *O morem præclarum, diſciplinamque, quam a majoribus accepimus, ſi quidem teneremus. Quæ ſciſceret plebs, aut quæ populus juberet, ſummota concione, diſtributis partibus, tributim & centuriatim deſcriptis ordinibus, claſſibus, ætatibus; auditis auctoribus, re multos dies promulgata, & cognita, juberi, vetarique voluerunt.*

(a) *Liv. lib.* 34. (b) *Cic. lib.* 3. *de legib.*

CAP. XII.

De interceſſione, & auſpiciis, atque aliis impedimentis ſuffragiorum.

NUNC de interceſſione, & aliis impedimentis videamus; qui intercedere poſſent, & quomodo interceſſio fieret. Ex libro Meſſalæ de auſpiciis conſtat Conſulem omnibus magiſtratibus & comitiatum & concionem avocare poſſe; Prætorem ceteris præter Conſulem; minores magiſtratus nemini comitiatum, aut concionem avocare poſſe; ſed qui eorum primus vocat ad comitia, is recte agit. Multi magiſtratus ſimul concionem habere poſſunt, ſimul cum populo agere non poſſunt. (a) *Patriciorum maxima auſpicia ſunt Conſulis, Prætoris, Cenſoris. Neque tamen eorum omnium inter ſe eadem, aut ejuſdem poteſtatis: quod collegæ Cenſores & Conſules aut Prætores non ſunt; Prætores & Conſules collegæ ſunt. Ideo neque Conſules aut Prætores Cenſoribus; neque Cenſores Conſulibus aut Prætoribus turbant aut retinent auſpicia. At Cenſores inter ſe, rurſus Prætores Conſuleſque inter ſe, & vitiant, & obtinent. Prætor etſi collega Conſulis eſt, neque Prætorem, neque Conſulem jure rogare poteſt: quia imperium minus Prætor, majus habet Conſul & a minore imperio majus, aut a majore collega rogari non poteſt; neque in comitiis in auſpicio eſſe debent.* Cæteri minores magiſtratus appellantur; de quibus in edicto Conſulum, quo edicunt quis dies comitiis centuriatis futurus ſit: NEQUIS MAGISTRATUS MINOR DE COELO SERVASSE VELIT. Hæc Meſſala. Ex quibus duo genera interpellandi comitia cognoſcimus: alterum cum collega collegæ paris imperii turbabat aut retinebat auſpicia; alterum cum major magiſtratus minori comitiatum avocabat; tertium (quod vereor ne idem ſit cum primo) quotiens de cœlo per collegam ſervabatur. Id obnuntiare tum dicebatur, cum ei qui cum populo agere volebat, id renuntiabatur. Negabant enim augures fas eſſe agi cum populo, cum de cœlo ſervaretur. Quamobrem cum Cicero (b) Clodii legem impugnat, quæ vetabat, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo ſervaret, tuliſſe ait, ne auſpiciis obtemperaretur; ne obnuntiare conſilio, aut comitiis; ne legi intercedere liceret. Sed hæc in Ælia & Clodia de obnuntiatione dicemus. Legem tamen Tullianam, qua de interceſſione agitur, referamus: VIS IN POPULO ABESTO. PAR MAJORQUE POTESTAS PLUS VALETO. AST CUI TURBASSITUR IN AGENDO FRAUS ACTORIS ESTO. INTERCESSOR REI MALÆ SALUTARIS CIVIS ESTO. QUI AGENT AUSPICIA SERVANTO. AUGURI PUBLICO PARENTO. Qua lege primum vis tollitur: neque enim aliter interceſſio juvare Rempublicam poteſt. *Quærunt quid ſit* (inquit idem Cicero Philippica prima) *cur bonis Tribunis plebis leges malas metuam? Paratos habemus qui intercedant, paratos qui Rempublicam religione defendant. Negligimus iſta, & nimis antiqua, & ſtulta dicimus. Forum ſepietur, omnes claudentur aditus, armati in præſidiis multis in locis collocabuntur. Quod erit ita geſtum, id lex erit*, & in quinta: *Omnes fori aditus ita ſepti, ut etiam ſi nemo obſtaret armatus, tamen niſi ſeptis revulſis introiri in forum nullo modo poſſet. ſic vero erant diſpoſita præſidia, ut quo modo aditus hoſtium prohibetur caſtellis & aggeribus; ita ab ingreſſione fori populum, Tribunoſque plebis propulſari videres.* (c) Hoc remedio interceſſiones excludebantur. Eæ vero erant legitimæ, ſi par aut major poteſtas prohibuiſſet. Parendum autem erat interceſſori: quod impediri bonam rem melius eſſet, qua concedi malæ. Si vero intercederetur, aut turbaretur, & ſeditio eſſe cœperat; licebat agenti cum populo conſilium dimittere. Itaque vim quærebat, qui permanebat. quod Ciceronis lege præclare vetatur. Dat etiam ea lex poteſtatem cuicumque civi, ut rei malæ intercedat. quod etſi ſpeciem habeat juſtitiæ, multorum malorum cauſſa eſſe poteſt. facile enim fiet, ut optimis quibuſque rebus intercedatur. (d) De auſpiciis, conſtat veteres auſpiciis ſervatis leges ferre ſolitos; nihilque niſi auſpicato facere, quæ rata eſſe vellent. Quæ vero auſpicia, & quo pacto haberentur centuriatis comitiis, ad Varronem in calce libri quinti de lingua Latina eum, qui diſcere velit, allego. Ridicula ſane fuit Tiberii Gracchi optimi viri religio, qui in Sardinia recordatus eſt, ſe Romæ comitiis Conſularibus, cum ſemel auſpicato pomœrium tranſiſſet, deinde intraret urbem ſenatus habendi cauſſa, in redeundo cum idem pomœrium tranſiret, auſpicari eſſe oblitum, ac tabernaculum vitio cepiſſe. Itaque quod vitio creati eſſent Conſules, idque reſciſſent, magiſtratu ſe abdicaverunt. In commentariis augurum ſcriptum erat, Jove tonante, fulgurante comitia po-

(a) *Idem cap.* 14 *Vide Liv. lib.* 3.

(b) *Cic. pro Dom. idem poſt reditum in Sena. & in Piſon.* (c) *Cic. lib.* 3. *de leg.* (d) *Donatus in Andriam. ver.* ea lege atque omine. *Cic. lib.* 1. *de divin. Cic. lib.* 2. *de natur. deor. & lib.* 1. *&* 2. *de divinat. & lib.* 2. *ad Qu. Fr. Epiſt.* 2.

puli habere nefas. Id non male Cicero (e) interpretabatur Reip. caussa constitutum fuisse: ut multas comitiorum non habendorum caussas haberent nam comitiorum solum vitium est fulmen. Erat etiam omnibus commodum, ne aut in campo in magnis imbribus omnes essent, aut pauci legem præferrent. Vitium quoque faciebat comitiis morbus, qui ea de caussa comitialis dicebatur. Cato (f) apud Sext. Pompejum: *Si cui servo aut ancillæ dormienti venit, quod comitia prohibere solet; ne id quidem mihi auspicanti domi vitium fuit.* Is morbus & major, & ἐπιληψία dicitur. Sed ut ad intercessionem revertamur; intercedi (g) non solum poterat cum lex ferebatur, sed & cum privati dicebant; hoc est, dum suaderetur, dum sitella deferretur, (vas erat sortibus necessarium) dum æquabantur sortes, dum sortitio fiebat, quænam tribus prærogativam ferret. His peractis, cum id solum supererat, ut populus sententiam ferret, jubebat unumquemque is, qui legem ferebat, discedere: quod verbum non id significat, quod vulgo ut de eo loco discederent, ubi lex ferebatur; sed ut in suam quisque tribum discederet, in qua erat suffragium laturus. erat enim in concione populus, ut semper, confusus. Hoc verbo usus est, ni fallor, Cicero (h) libro tertio de legibus: *Lex recitata est*, inquit, *discedite. & tabellam jubebo dari.* Recitabatur autem lex a præcone, cui verba ab scriba, ut fit, subjiciebantur. Qui intercedebant, vetare solebant, ne præco, neve scriba suum officium facerent. solus C. Cornelius Tribunus plebis cum eadem ratione legem ferre impediretur; ipse codicem, in quo lex scripta erat, cœpit recitare: quæ res seditionem concitavit, & periculum capitis Cornelio creavit: sed Cicerone patrono absolutus est. Nullus erat intercedendi finis, nisi intercessio remitteretur. id apparet ex Livio, (i) de abroganda lege Oppia, frequentia & precibus mulierum remissam intercessionem. A. Gabinius (K) Trib. pleb. cum legem ferret, ut extra ordinem Cn. Pompejo bellum adversus piratas decerneretur; L. Trebellius ejus collega intercesserat, ac senatui promiserat moriturum se antequam lex perferretur. Introvocare tribus Gabinius cœpit, ut Trebellio magistratum abrogaret; sicut Ti. Gracchus Trib. pleb. M. Octavio collegæ magistratum abrogavit. Perstabat Trebellius in intercessione, Gabinius in abrogatione: postquam decem & septem tribus rogationem acceperant, remisit intercessionem. unam enim mentem esse populi videbat. Hæc Cicero & Pedianus in Corneliana.

(e) *Cic. lib. 2. de div & in Vatin. & Philip. 5.* (f) *Gell lib 18. cap. 2.* (g) *Cic. apud Asc. in Corneliana.* (h) *Adde Liv. lib. 2.* (i) *Liv. lib. 34.* (k) *Idem lib. 38.*

CAP. XIII.

De roganda lege, jubenda, atque vetanda.

AD rogationem ipsam ventum est, quam non pessime interrogationem Justinianus (a) appellat. Illis enim verbis concipitur, quibus interrogatur populus, velint ne & jubeant: Sed melius est ut rogentur, quo solum verbo veteres usunt. *Velitis jubeatis, ut M. Tullio aqua & igni interdictum sit? Velitis jubeatis, uti L. Valerius L. Titio tam jure legeque filius siet, quam si ex eo patre matreque familias ejus natus esset? utique ei vitæ necisque in eum potestas siet, uti patri endo filio est? Hoc ita ut dixi, ita vos Quirites rogo.* Item illa apud Livium (b) de vere sacro: *Rogatus in hæc verba populus est, Velitis jubeatis hoc sic fieri, si res po-*

(a) *In Inst. de jure nat. p.* lex. *Cic. pro domo. Gell. lib. 5. cap 19.* (b) *Liv. lib. 22. Adde lib. 30. & 38.*

A
puli Rom. Quiritium ad quinquennium proximum, sicut velim eam, salva servata erit hisce duellis: datum donum duit populus Romanus Quiritium, & cætera. Alio rogatio est quæ ab his omnibus longe differt: (c) *De Campanis, qui cives Romani erant, senatus censuit, uti plebs sciseret, quod senatui visum foret. L. Atilius Tribunus plebis ex auctoritate senatus plebem in hæc verba rogavit: Omnes Campani, Atellani, Calatini, Sabatini, qui se dediderunt in arbitrium ditionemque populi Romani Fulvio Proconsule, quæque una secum dediderunt, agrum, urbemque, divina, humanaque utensiliaque, sive quid aliud dediderunt; de his rebus quid fieri velitis, vos*
B
rogo Quirites? Plebs sic jussit: Quod senatus maxima pars censeat, qui assident: id volumus, jubemusque. Erat autem legibus cautum (quod Ciceronis (d) effictam legem interpretando dicebamus) ut rogationes de pluribus rebus dividerentur; nec plus quam de singulis rebus semel rogaretur, ne populo necesse esset, in conjunctis rebus compluribus, aut id quod nollet accipere, aut id quod vellet repudiare. Itaque pluribus de rebus uno sortitu referri ex lege Cæcilia & Didia non poterat.

(c) *Liv. lib. 26.* (d) *Cic. pro domo. & lib. 3. de legib.*

C

CAP. XIV.

De toto suffragiorum genere.

DE suffragiis vero multa essent dicenda, quæ nos plane ignoramus. Nam neque id veteres scripserunt, quod suis temporibus res nemini esset incognita: neque nos omnia colligere potuimus, quæ literis singuli mandarunt. Dicam tamen quædam illustriora, cætera minutiora divinare liceat, aut negligere. Ac quidem suffragiorum genera erant tria: Voce, manu aut pedibus, & tabellis.
D
Voce in comitiis ac consiliis ante leges Tabellarias populus Romanus usus est: voce & pedibus senatus. Tabella (a) judicum fuit, eaque triplex: Absolvendi, condemnandi, & quæ non liquere inscribebatur. At in comitiis cunctis suffragia singulorum significabantur: quo verbo Cicero in Planciana, & pro L. Muræna usus est. item testulis & sitella usos Livius indicat libro XXV. Leges Tabellariæ quatuor tantum fuerunt. prima de magistratibus mandandis Gabinia: altera Cassia de populi judiciis, excepto perduellionis: tertia Papiria Carbonis de legibus jubendis atque vetandis: postrema Cælia perduellio-
E
nis. Ante Carbonem itaque voce suffragia ferebantur. Quid autem in suffragio, vel voce, vel tabella dato contineretur; observatum est, legibus jubendis UTI ROGAS, vetandis ANTIQUO dictum, scriptumve esse. Livius libro sexto: *Cum uti rogasset, primæ tribus dicerent.* & lib. XXX. *De pace uti rogatæ omnes tribus erant, jusserunt.* & XXXVIII. *Omnes tribus uti rogasset, jusserunt.* Idem lib. VIII. (b) *M. Flavius Trib. plebis tulit ad populum, ut in Tusculanos animadverteretur. Tribus omnes præter Polliam antiquarunt legem. Polliæ sententia fuit puberes verberatos necari, conjuges liberosque sub corona lege belli venire, in cujus rei memoriam nullum*
F
ferme ex Pollia tribu candidatum Papiriam solitum ferre. Cicero libro I. ad Atticum: *Cum dies venisset rogationi ex S. C. ferendæ, concursabant barbatuli juvenes; & populum, ut antiquaret, rogabant. Piso autem Consul lator rogationis, idem erat dissuasor. Operæ Clodianæ pontes occuparant. Tabellæ ministrabantur, ita ut nulla daretur* UTI ROGAS. *Hic tibi rostra Cato advolat, accedit Hortensius & Favonius. Hoc concursu optimatum comitia dirimuntur.* Idem libro 3. de legibus. *Vos demum, ut video, legem antiquastis*

(a) *Asco. lib. 3. Ver. Cic. lib. 3. de legib.* (b) *Val. Max. lib. 9. cap. 10.*

sine tabella. Improbat idem Cicero omnes leges, quæ post illas Tabellarias latæ sunt, quæ tegunt omni ratione suffragium, ne quis inspiciat tabellam, ne roget, ne appellet. *Pontes etiam lex Maria*, inquit, *fecit angustos; quæ si opposita sunt ambitiosis, non reprehendo*. De his ipsis pontibus præter illud Cæpionis contra Saturninum, Macrobii verba referemus. Sed id ipsum Cæpionis (c) attente considerandum est. *Senatus decrevit, si L. Apulejus Saturninus legem frumentariam de semissibus & trientibus ad populum ferat, adversus Remp. videri eum facere. Saturninus ferre cœpit; collegæ intercedere: ille nihilominus cistellam detulit. Cæpio Quæstor urbanus cum viris bonis impetum facit, pontes disturbat, cistas dejicit; impedimento est, quo secus feratur lex, accersitur majestatis*. Macrobii (d) illud: *His ne tam doctis viris adimere vis in verborum Comitiis jus suffragandi, & tanquam sexagenarios, majores de ponte dejicies?* Et Ovidius (e) ait:

Pars putat, ut ferrent juvenes suffragia soli,
Pontibus infirmos præcipitasse senes.

Quæ de cistis & cistella; eadem de sitella antea dicta sunt ex Livio & Cicerone in Corneliana: *Dum sitella defertur, dum æquantur sortes, dum sortitio fit*. Æquantur sortes, ut ex Asconio in Miloniana cognoscimus, cum pilæ, in quibus nomina inscripta sunt vel tribuum, vel centuriarum, vel curiarum, publice æquantur. Sortitio autem fit vel prærogativæ, vel cum totidem punctis paria suffragia sunt, ut Cicero in Planciana scribit. Urnam Virgilius sitellam appellat:

Quæsitor Minos urnam movet.

id aptius fuit his, quorum cineres urna tegebat. M. Varro libro tertio de re rustica, finxit se comitiis Ædiliciis, posteaquam suffragium tulisset, dum diriberentur suffragia, in villam publicam venisse. in ea Ap. Claudium augurem sedentem invenisse in subselliis, ut Consuli, si quid usus posceret, præsto esset. Eam villam ædificatam a majoribus scribit, ut eo succederent e campo cives, ubi cohortes ad delectum Consuli adductæ considerent, ubi arma ostenderent, Censores censu admitterent populum. Et cum multa retulisset se locutum more dialogorum de villa & avibus: *Clamor*, inquit, *fit in campo, nos athletæ comitiorum cum id fieri non miraremur propter studia suffragatorum: narrat Pantulejus ad tabulam, cum diriberent, quendam deprehensum tesserulas conjicientem in loculum: eum ad Consulem tractum a fautoribus competitorum. Tum Pavo surgit, quod ejus candidati custos dicebatur deprehensus. Paulo post venit apparitor Appio a Consule, & augures ait citari. ad extremum redit Pavo; & si vultis, inquit, anchoras tollere, latis tabulis sortitio fit tribuum: ac cœpti sunt a præcone renuntiari, quem quæque tribus fecerint Ædilem. Appius surgit, ut ibidem candidato suo gratularetur, ac discederet in hortos*. & post pauca: *Nos hæc, at strepitus a dextra; & eccum recta candidatus noster designatus Ædilis. cui nos occurrimus, & gratulati in Capitolium prosequimur: ille inde eundo suam domum, nos nostram*. Hæc Varro, qui nobis imaginem quandam comitiorum expressit. Cui nos quod addamus, nihil habemus.

(c) *Ad Herenn. lib.* I. (d) *Macrob. libr.* I. *Satur.* (e) *Ovid. lib.* I. *Fast.*

CAP XV.

De jurejurando.

JURARE in leges sæpe observatum est, (a) quod Saturninus in lege Agraria cavit. ea enim lege jubebatur, ut qui in eam non jurasset, ei aqua & igni interdiceretur. Et in Sacratis legibus, quibus Tribunos in sacro monte crearunt, si Dionysio credimus, ne populo Rom. liceret eam legem abrogare, jurare omnes cives jubebantur se suosque liberos eis legibus perpetuo usuros. Id si fecerint, propitios habeant: si fefellerint, aversos deos. Livius ejusdem sacramenti mentionem facit libro tertio: Tribunos vetere jurejurando plebis, cum primum eam potestatem creavit, sacrosanctos esse. Constat (b) Qu. Metellum Numidicum in exilium ivisse, quod noluisset in Apulejam Agrariam, de qua dicebamus, jurare. Itaque tum jurandum erat, cum legibus cavebatur ut jurarent. Atheniensium generale sacramentum erat, ut omnes leges servarent. Apud Censores Romani, & cum in bellum exercitus educeretur, sacramento se multis modis obligabant. Sed tamen Dion. libro XXXVIII. solitos fuisse dicit leges sacramento confirmare; & in Juliam Agrariam Qu. Metellum Celerem Catonem minorem, & M. Favonium Catonis imitatorem jurare noluisse; quoad pœnas veriti postero die ne ultima paterentur, jusjurandum præstitissent.

(a) *Plin. de viris illustr. Appian. lib.* I. *civil. Dionys. lib.* 6. *antiq.*

(b) *Flor. lib.* 69. *Appian. libr.* I. *civil. Stob. cap.* II. *Livius lib.* 43. *Polyb. lib.* 6.

CAP. XVI.

De conscribenda conservandaque lege.

PERLATAM legem in æs incidi, atque conservari oportebat. Cicero Philippica prima: *Quod erit ita gestum, id lex erit, & in æs incidi jubebitur?* Et Ovidius libro primo fabularum:

—— nec verba minantia fixo
Ære legebantur. ——

Plautus (a) urbane in Trinummo: *Mores leges perduxerunt jam in potestatem suam. eæ miseræ etiam ad parietem sunt fixæ clavis ferreis, ubi malos mores affigi nimio fuerat æquius*. Plinius (b) quoque irridet senatusconsultum de liberto Claudii Cæsaris nimis serviliter factum, in quo ut in æs incideretur, idque æs figeretur ad statuam loricatam divi Julii: *Sic quasi fœdera antiqua*, inquit, *sic quasi sacræ leges censebantur*. Hinc Venuleii Saturnini (c) verba intelligemus: *Qui tabulam, inquit, æream legis, formamve agrorum, aut quid aliud continentem refixerit, vel quid inde immutaverit, lege Julia peculatus tenetur*. Cicero (d) quoque vehementer queritur Antonium falsas leges C. Cæsaris nomine & falsa decreta in æs incidenda, & in Capitolio figenda curasse. Æs vero, quod aptum esset & legentibus, & incidentibus quærebatur. Itaque in tot tabulas, quot commodum erat, secabatur. Sic Duodecim tabularum lex appellationem accepit: non quod duodecim leges essent, sed quod totidem tabulis conscriberetur. Numæ Regis legum tabulæ referuntur a Sext. Pompejo (f) ex secunda tabula secunda lege, vel secundæ legis. Laudatur a Suetonio Vespasianus, quod restitutionem Capitolii aggressus ærearum tabularum tria millia, quæ simul conflagraverant, restituenda suscepit, undique investigatis exemplaribus. *Instrumentum*, inquit, *imperii pulcherrimum ac vetustissimum, quo continebantur pæne ab exordio urbis senatusconsulta & plebiscita de societate & fœdere ac privilegio cuicunque concessis*. Extant adhuc aliquot ex his tabulis, quas ad calcem hujus libri diligenter perscribi curavimus. *Segnius enim irritant animos demissa per aures*, (g) ut optimus poeta scribit, *quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus*. At Cicero legum custodiam nullam haberi queritur;

(a) *Act.* 4. *scen* 3. (b) *Plin. lib* 8. *epistol.* (c) *l.* qui tabulam *ad l. Jul. pecul.* (d) *Cic. Philip.* 3. (e) *l.* 2. *p.* exactis. *de orig. juris*. (f) *Sext. Pomp. ver.* Reus. (g) *Horat. in arte poetic. in Inst. de gradib. in fin. Cic. lib.* 3. *in fin. de legib.*

easque leges esse, quas apparitores voluerint, a librariis peti; publicis literis consignatam memoriam publicam non esse. Græcos vero laudibus effert, apud quos diligentius Nomophylaces creentur; quibus ipse Censores substituit. Sane apud Aristotelem (h) longe major eorum potestas est, quam ut custodes tantum tabularum sint. Pomponius (i) id munus Ædilibus plebeiis dedit: *Ut essent*, inquit, *qui ædibus præessent, in quibus omnia scita sua plebs deferebat, duos ex plebe constituerunt, qui etiam Ædiles appellati sunt*. Livius non plebiscitorum, sed senatusconsultorum conservandorum caussa creatos scribit: ut ad ædem Cereris deferrentur, quæ antea arbitrio Consulum supprimebantur, ac vitiabantur. Dionysius (k) neutrum scribit: sed eorum munus esse, ut Tribunis subministrarent; judicesque essent quarumdam controversiarum; tum etiam sacra & publica loca, item annonam curarent. Varro quoque Ædiles esse dicit, qui ædes sacras, & privatas curarent. At Sext. Pompejus, *Ædilis*, inquit, *initio dictus est magistratus, qui ædium non tantum sacrarum, sed etiam privatarum curam gerebat. Postea hoc nomen ad magistratus relatum est. Dictus est autem Ædilis, quod facilis ad eum plebi aditus esset*. Hæc varie ab his traduntur. nos cætera persequamur.

(h) *Arist. lib.4. cap.14. & lib.6. cap.8. de Rep.* (i) *l.2 p.* itemque ut essent, *de orig. jur. Liv. lib.3.* (k) *Dionys. lib.6*

CAP. XVII.

De abrogatione & derogatione legum.

DIXIMUS initio de nomine atque origine legum; item quid lex esset, & qualis, & quotuplex; partes quoque legis persecuti sumus: jam quo pacto leges Romanorum fierent, accurate (nisi fallor) perscripsimus, cum a quibus, & per quos, quo loco, quo tempore, qua ratione comitia haberentur, centuriata, curiata, atque tributa, tradiderimus: de comitialibus diebus, de tribus nundinis, & promulgatione legis, de suadenda ac dissuadenda lege, de intercessione, & auspiciis, atque aliis impedimentis suffragiorum, de roganda denique lege, jubenda, atque vetanda, totoque ipso genere suffragiorum, de jurejurando, & de conscribenda, conservandaque lege. Nunc de abrogatione & derogatione legum, & de his, qui legibus solvebantur, dicendum est. Qua in re videndum erit, an præstet nunquam id fieri; vel si fieri oportet, quando oporteat; quod ipsum multiplex est; tum de modo atque ratione tractabimus, quæque his erunt consentanea. Sed principio videamus quid ipsa abrogatio ac derogatio sit. *Derogatur legi*, inquit Modestinus (a) libro septimo regularum, *aut abrogatur. Derogatur legi, cum pars detrahitur; abrogatur legi, cum prorsus tollitur*. Cicero libro secundo de inventione, indignum esse de lege aliquid derogari, aut legem obrogari, aut aliqua ex parte commutari. Est etiam abrogandi verbum, quod magis ad obrogationem, quam ad derogationem pertineat; *Obrogare est*, inquit Pompejus, *legis prioris infirmandæ caussa legem aliam ferre. Opponitur enim rogationi rogatio; derogatione vero, de ea rogatione quid tollitur: abrogatione antiquatur atque amovetur, quod rogatum erat*. Cicero lib. 3. ad Atticum omnia hæc in sanctione quadam abrogationis legis Clodiæ ita scripta refert: SI QUID IN HAC ROGATIONE SCRIPTUM EST QUOD PER LEGES PLEBISVE SCITA PROMULGARE ABROGARE DEROGARE OBROGARE SINE FRAUDE SUA NON LICEAT NON LICUERIT QUODQUE EI QUI PROMULGAVIT ABROGAVIT DEROGAVIT OBROGAVIT OB EAM REM POENÆ MULTÆVE SIT. E. H. L. N. R. Livius quoque eleganter verbis antiquandi & abrogandi libro vicesimo secundo usus est: *Plebiscitum*, inquit, *quo oneratus magis, quam honoratus sum, primus antiquo, abrogoque*. Magis proprie Julianus (b) in libris Digestorum: *Quid interest*, inquit, *suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis & factis? Quare rectissime etiam illud receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur. Lex aut rogatur, id est, fertur*, inquit Ulpianus in fragmentis, *aut abrogatur, id est, prior lex tollitur; aut derogatur, id est, pars primæ legis tollitur; aut subrogatur, id est, adjicitur aliquid primæ legi; aut obrogatur, id est, mutatur aliquid ex prima lege*. Cum hæc ita se habeant, illud videamus, an leges abrogari utile, honestum, aut necessarium sit. Et (c) Charondas, ne suæ leges abrogari possent, laqueum parari voluit ei qui abrogationem suadere vellet, ut si non obtinuisset, moriendum ei esset. Is ea animi constantia atque adeo pertinacia fuit, ut cum legem tulisset, ne quis cum telo in forum veniret, & casu gladium in foro habere postea visus fuisset; neque abrogari legem, neque legibus solvi se passus est, eodemque gladio se interemit. Ab Hierocle (d) eadem lex de laqueo summis laudibus effertur. *Oportet enim leges*, inquit, *alteros deos esse putare: ad earum jussa se omnes formare atque instituere. Et qui abroget, aut deroget, obviam eundum est. Nam legum contemptio & antiquatio nihil boni civibus adfert. Nil igitur temere novum recipiatur*. Aristoteles, (e) cum in hanc quæstionem incidisset, multa pro abrogatione argumenta proposuit; quibus cum quæ ex altera parte dici possent, retulisset, controversiam in aliud tempus dirimendam reliquit. Capita autem argumentorum contra abrogationem sunt hæc. Non dubium est, quin res novas in Rempublicam introducentes, Reipublicæ commutationi obnoxii sint: Hippodami autem lex, quæ præmium novam rem licet commodam civitati reperienti dabat; item illæ, quæ abrogare leges volunt, eidem periculo valde proximæ sunt. Præterea magno detrimento Resp. afficitur, si cives facile leges abrogare soleant. Neque ita commodum est aut utile, illud nescio quid, quod in veteri lege aut deest, aut melius esse potuit, corrigere ac mutare; atque damnosum & inutile, vel potius perniciosum est, consuetudinem inducere legibus non parendi, & arbitratu singulorum facile mutandi. Neque enim verum est, ut in cæteris artibus ac disciplinis, si quid novi melius reperiatur, accipiendum esse. leges enim moribus utentium comprobantur; mores autem sæpe mutari nequeunt: cæteræ disciplinæ a diuturnis moribus nihil, aut parum roboris accipiunt. Huc etiam pertinet, quod M. Cato (f) contra abrogationem legis Oppiæ dicebat: *Quam accepistis, jussistis suffragiis vestris legem, quam usu tot annorum & experiendo comprobastis; hanc ut abrogetis, id est, ut unam tollendo legem cæteras infirmetis? Quid attinebit universos rogare leges, quas mox abrogare, in quos lata sunt, possint?* Enumerat idem Aristoteles (g) sæpe civitatibus nocuisse legum morumve mutationem non solum magnam & apertam, sed quæ tacite obrepsisset minimo quoque neglecto. Neque etiam deest (h) qui putet satius esse Rempublicam minus bonis legibus, modo firmis uti, quam bonis, quæ non ita firmæ, fixæque sint. Fertur etiam Atheniensium sacramentum fuisse, ut leges minime quisquam abrogari sineret, sed potius solus & cum cæteris legum ultor esset. Quod si vera est illorum definitio, qui putant (i) legem esse rationem summam insitam in natura, quæ jubet

(a) *l.* derogatur. *D. de rerum. signif.*

(b) *l.* de quibus. *D. de legib.* (c) *Diodor. libr. 12. biblioth.* (d) *Stob. c.37.* (e) *Arist. lib.2. cap.6. Polit.* (f) *Liv. lib. 34.* (g) *Arist. lib.5. cap.3.* (h) *Thucyd. apud Stob. cap.41. Idem Stob. ibi.* (i) *Cicer. lib.1. de legib.*

ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria; aut justorum injustorumque distinctio, ad illam antiquissimam & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos; aut si qua alia ratione definire velimus, quæ nos antea retulimus: hæc ipsa (K) naturæ jura, divina quadam providentia inter homines constituta, semper firma atque immutabilia permanere debent. Sed etsi lex justa, honesta, utilis & Reipub. accommodata esse debet, si quis ei legi contrariam tulerit, injustam, turpem, atque inutilem Reip. ferat necesse est; aut non legem abrogare dicetur, sed tunc primum legem conscribere. Quid? quod tum de legibus judicare oporteat, cum promulgantur; receptis utendum est, & non de ipsis, sed secundum ipsas, judicare debemus, etiamsi duræ sunt, & non nemini acerbæ. *Nulla lex*, inquit Livius, (l) *satis commoda omnibus est: id modo quæritur, si majori parti & in summam prodest. Non possunt omnes articuli singillatim aut legibus aut senatusconsultis comprehendi*, inquit Julianus (m) *sed cum in aliqua caussa sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet. Judicis officium est*, inquit Arist. (n) *quod lege comprehendi non potest, ex bono aut æquo decernere*. Illæ optimæ leges sunt, quæ minimum judicibus relinquunt. Omnes tamen de omnibus rebus definire nequeunt. Qua in re non legis aut actoris vitio peccatur: sed ita rerum natura fert, ut de quibus leges fiant, infinita sint. Infiniti autem nulla comprehensio est. Ad æquitatem ergo judicum hæc referenda sunt: non leges accusandæ, neque novis legibus Respubl. oneranda, neque veteres facile abrogandæ sunt. Huc accedunt, quæ ante oculos habemus rerum Romanarum exempla, tam illa vetera, quam recentiora: (o) quæ omnia recte ab antiquissimo poeta uno versu comprehendebantur:

Moribus antiquis res stat Romana virisque.

Quem quidem versum Ennius vel brevitate, vel veritate, ut Cicero lib. quinto de Republica dicebat, tanquam ex oraculo quodam esse effatus videtur. Cum enim a moribus & institutis antiquis recessum est, cum leges improbissimus quisque mutare est ausus; tum libertatem & cæterarum provinciarum imperium amiserunt. Præclare Tacitus (p) flagitiis primum, postea legibus laborasse Rempublicam: finem æqui juris Duodecim tabulas fuisse. *Nam secutæ leges*, inquit, *etsi aliquando in maleficos ex delicto, sæpius tamen dissensione ordinum, & adipiscendi inlicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava, per vim latæ sunt*. Tribonianum silentio prætereamus, in quem Virgilianum (q) carmen in ore omnium habetur. Fixit enim leges pretio, si Græcos (r) audiamus, atque, quod nobis magis perniciosum fuit, veteres novasque refixit. Hæc contra abrogationem. At vero non minus multa sunt, quæ nos abrogare ac derogare legibus suadeant, & ut Androcles dicebat, ut marinos pisces sale, oleas oleo; ita leges legibus condiendas. Aristoteles (s) quidem optimum esse ait in omnibus disciplinis melioribus institutionibus uti: neque dubium esse legum ferendarum, ac Reip. instituendæ atque administrandæ disciplinam quandam esse. Tum veterum leges simplices, duræ, ac barbaræ fuerunt, quas nisi mutare liceret, multum ab humanitate discederemus. Jam vero nihil ita accurate scribi-

(k) *In Instit. de jure nat. p.* sed naturalia. *l. pen. D. de just. & jure. cap.* erit. *dis.* 4. *c.* in istis. *ead. dist. l* prospexit. *D. qui. & a quib. Vidend. Lysias contra Alcib* (l) *Liv. lib.* 34. (m) *Vid. l.* jus plurib. *D. de justit. & jure. l.* neque leges. *l.* & ideo *l.* non possunt. *D. de legib.* (n) *Arist. initio lib.* 1. *Rhet. & lib.* 5. *Ethic. cap.* 9. *Idem lib.* 7. *Polit. cap.* 4. (o) *Aug. lib.* 2. *de civ. Dei. cap.* 21. (p) *Corn. Tacit. lib.* 3. *histor.* (q) *lib.* 6. *Ænei.* (r) *Suid. & Hermnop.* (s) *Arist. lib.* 2. *Rhetor. cap.* 23. *Idem lib.* 2. *Polit. cap.* 6.

A tur, quin multa desint, multa minus recte tradantur, in legibus præsertim, (t) quæ ad ea, quæ frequenter & facile, non perraro accidunt, conscribuntur. Platonis (v) vero sententia mihi omnium optima visa est: ut legibus caveatur, ne juniorum quisquam quærere audeat, rectene, an contra leges constitutæ sint; sed omnium una vox sit, optimas esse, a Diis emanasse, illis esse obtemperandum. Seniores si quid excogitaverint, magistratibus indicent: deque his rebus cum inter se verba faciant, adolescens intersit nemo. Hoc temperamento multis malis medebimur, quæ antea recensebamus, tam his quæ a malis legibus, quam his quæ temporum vitio, at- B que ex mala consuetudine mutandi, & non obtemperandi manarent. Illud negare non possumus, (x) jus illud, quod semper æquum ac bonum est, mutari non posse, neque debere, ut est jus naturale, quod gentium quoque appellamus: veluti erga Deum religio, ut parentibus & patriæ pareamus. Quod vero omnibus aut pluribus in quaque civitate utile est, quod jus civile dicitur; id sæpe mutari solet (y) vel tacito consensu populi, vel alia postea lege lata, id si omnibus aut pluribus semper utile est, mutari quidem non debet. Mutatur autem quod utile esse desiit, quodque inutile videtur. Apud Livium (z) is qui abrogationem legis Oppiæ C suadebat, quando & quæ leges abrogari possent, his verbis ostendit: *Ego enim, quemadmodum ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis caussa in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut usus coarguit, aut status aliquis Reipublicæ inutilem fecit: sic quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales, ut ita dicam, & temporibus ipsis mutabiles esse video: Quæ in pace latæ sunt, plerumque bellum abrogat; quæ in bello, pax. ut in navis administratione alia in secunda, alia in adversa tempestate usui sunt*. Quod ait, aut usu, aut statu Reipubl. commutato inu- D tilem legem fieri; cum his consentiunt quæ Aristoteles scribit libro quarto de Rep. usu plerumque evenire ut Resp. ex legibus non sit popularis, moribus tamen & vivendi ratione ut popularis administretur; vel contra: propterea quod in rerum publicarum mutationibus, quæ paulatim ac sensim accidunt, eisdem omnes legibus sæpe utuntur; sæpe eas evertunt ac mutant. Ex his ergo apparet, quando, & quas leges abrogare liceat. Quod ipsum ad derogationem quoque trahitur. Forma vero eadem est, quam legibus jubendis fore diximus, eo solum excepto, quod cum moribus abrogatur, is modus necessarius est, qui in cæteris rebus, quæ usu intro- E duci solent.

(t) jura. *l.* ex his *l.* nam ad ea. *& seq. D. de legib.* (v) *Plato lib.* L. *de legib.* (x) *l.* jus plurib. *D. de just. & jure. p.* sed naturalia. *in instit. de jure nat. l.* 1. *in fine &* 2. *D. de just. & jur. d. p.* (y) sed naturalia. *l.* de quib. *in fin. D. de legib.* (z) *Liv. lib.* 34.

CAP. XVIII.

De iis qui legibus solvebantur.

De his qui legibus solvebantur, breviter agendum; quod in Corneliis, Julia Annali, & F Regia de iis multa dicemus. Est autem alterum genus ex his, cum in eisdem legibus aliquis nominatim excipitur; (a) ut in ea lege, qua peregrini Roma ejiciuntur, Glaucippus excipitur. & in illa Pompeii de jure magistratuum, eo capite quo a petitione honorum absentes summovebat, Cæsar exceptus est lege jam in æs incisa, & in ærarium condita, ut Suetonius (b) scribit. Alterum cum quis legibus solvebatur lege aut senatusconsulto, quod initio per populum tantum fiebat; postea se-

(a) *Cicer. in Agrar.* 2. *in senatu.* (b) *Suet. in C. Cæsare c.* 28.

natus ad populum ferri jubebat, neque ferebatur: ad extremum ne in frequenti quidem senatu id agebatur. neque ut ad populum ferretur, scribebatur. Id C. Cornelius lege lata coercuit, licet intercessionem eidem rogationi abstulerit (c). Huic persimilis est rogatio, quæ privilegium appellatur. utrumque enim jus singulare est, quod contra tenorem rationis, ut Ulpianus (d) scribit, propter aliquam utilitatem auctoritate constituentium introductum est. De utroque illa etiam quæ optimus declamator (e) tractat, intelligi possunt: *Negant*, inquit, *rogationem esse recipiendam, quæ ad singulos homines pertineat. ego porro hoc in eo jure, quod perpetuum, & in omnia tempora scribitur, existimo esse servandum. Quotiens ad præsens tantummodo tempus rogatio fertur, ne ferri quidem nisi de singulis potest. Quod si hanc tollimus consuetudinem, nec duces ad exercitus ducemus, nec provincias decernemus, nec imperia prorogabimus. omnia enim ista rogationibus ad singulos pertinentibus consumuntur*. Hi vero omnes quos legibus solvi diximus, non omnibus legibus solutos esse credamus; sed illis tantum quæ rogatione aut senatusconsulto continerentur. Solus princeps legibus solutus dicitur ab Ulpiano (f) libro tertio decimo ad legem Juliam & Papiam: quod ad omnes referri plerique voluerunt. Ego vero ad illas solum leges Juliam & Papiam respexisse Ulpianum crediderim. Ita enim in lege Regia Vespasiani scriptum est; ut non ad omnes referatur, sed ad eas, in quibus scriptum esset, ne Divus Augustus, Tiberiusque Julius, & Ti. Claudius Cæsares tenerentur. UTIQUE QUIBUS LEGIBUS PLEBISVE SCITIS SCRIPTUM FUIT NE DIVUS AUG. TIBERIUSVE JULIUS CÆSAR AUG. TIBERIUSVE CLAUDIUS CÆSAR AUG. GERMANICUS TENERENTUR IIS LEGIBUS PLEBISQUE SCITIS IMP. CÆSAR VESPASIANUS SOLUTUS SIT. Adjicitur etiam esse, quod ex legibus principem facere oporteat, ne omnibus esse solutum, ut vulgo, putemus. QUÆQUE EX QUAQUE LEGE ROGATIONE DIVUM AUG. TIBERIUMVE JULIUM CÆSAREM AUG. TIBERIUMVE CLAUDIUM CÆSAREM AUG. GERMANICUM FACERE OPORTUIT EA OMNIA IMP. CÆSARI VESPASIANO AUG. FACERE LICEAT. In his omnibus, quæ de legibus solvendis, & privilegiis diximus, modus adhibendus est; ut non sine magna utilitate concedatur. Alioqui omnia illa mala evenient, quæ ex legum abrogatione oriri solere dicebamus. Nihil enim interest, abrogetur ne lex, an facile legibus cives solvantur. Legum quoque distinctio est, ut temporum & hominum, adhibenda.

(c) *Asc. in Cornel.* (d) *l.* jus singulare. *D. de legib.* (e) *Fabius decl. c.* 154. (f) *l.* princeps. *D. de legib.*

ACILIA

REPETUNDARUM.

ASCONIUS Pedianus libro secundo in Verrem scribit, Manium Acilium Glabrionem legem Aciliam tulisse de pecuniis repetundis severissimam; in qua ne comperendinari quidem reum liceret. Hunc autem & Asconius, & Cicero significant ejus Glabrionis fuisse patrem, qui Cn. Pompejo Magno, M. Licinio Crasso Consulibus Prætor huic eidem repetundarum judicio præerat tum, cum Verres accusatus est. Et cum idem Cicero in Sextiana Consularem fuisse hanc legem dicat; latam esse existimo anno post Urbem conditam sexcentesimo tricesimo octavo, eodem Manio, & Cajo Porcio Catone Consulibus. Ciceronis verba sunt de hac lege ad Glabrionem Prætorem: *Fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mentem, qua lege populus Ro-* A *manus de pecuniis repetundis optimis judiciis, severissimisque judicibus usus est*. & in Prætura urbana: *Ego tibi illam Aciliam legem restituo; qua lege multi semel accusati, semel dicta causa, semel auditis testibus condemnati sunt*. (a) Ex his verbis apparet, quod antea ex Pediano retulimus de comperendinatione. Nam cum veteres tertium diem perendinum appellarent, comperendinare reum usurpabant, cum causa iterum cognoscebatur, quasi in perendinum diem differrent cognitionem. Hoc itaque repetundarum reis ab Acilio ablatum est; itaque semel dicta causa aut absolvebantur, aut con- B demnabantur. Hanc legem C. Servilius Glaucia Tribunus plebis abrogavit, qui primus tulit, ut idem Cicero scribit, ut comperendinaretur reus. *namque antea*, inquit, *aut judicari primo poterat, aut amplius pronunciari*. Amplius autem pronuntiabatur, cum judices non liquere dixissent, eaque pars, in cujus oratione obscuritas videbatur fuisse, iterum causam dicebat.

Aciliam vero hoc quoque sustulisse Pedianus ait, ut neque comperendinare, neque ampliare liceret; Servilia utrumque reddidit. De repetundis autem, & in Calpurnia, quæ antiquior hac est, & in Cornelia, Servilia & Julia, quæ hodie obtinet, plura C scribemus.

(a) *Cic. in orat. pro L. Muræn.*

ÆBUTIA

DE CURATIONE POTESTATEVE MANDANDA.

LEGES *veteres sunt*, (inquit Cicero (a) Consul in P. Servilium Rullum Tr. pl.) *neque eæ Consulares, si quid interesse hoc arbitramini, sed Tribuniciæ, vobis majoribusque vestris vehementer gratæ atque jucundæ. Licinia est lex, atque altera Æbutia, quæ non modo eum qui tulerit de a-* D *liqua curatione ac potestate, sed etiam collegas ejus, cognatos, adfines excipit, ne iis potestas, curatiove mandetur*. De hac lege nihil amplius accepi. De Licinia suo loco.

(a) *Cic. orat.* 2. *in Rullum*.

ÆBUTIA

DE CENTUMVIRIS.

AGELLIUS libro sextodecimo scribit irrisum fuisse jurisconsultum, qui duodecim tabularum antiquitatem contemnebat, nisi quid in legis E actionibus Centumviralium causarum lege Æbutia lata compositum esset. Ex his Gellii verbis crederem Centumviralia judicia hac lege fuisse constituta. Horum nomen a centum & quinque viris, qui plerasque res privatas judicabant, ductum est. Cum enim quinque & triginta tribus essent, terni ex singulis tribubus electi sunt: (a) Centumviri tamen dicebantur. His omnibus Decemviri, qui stlitibus judicandis dicebantur, præerant. Ad centumviros pertinebant judicia usucapionum, tutelarum, gentilitatum, adgnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stil- F licidiorum, testamentorum ruptorum atque ratorum, aliarumque rerum innumerabilium. De querela inofficiosi testamenti, (b) multis exemplis constat, cognitionem Centumvirorum fuisse. Augustus centumviralem hastam, quam Quæstura functi cogere solebant, Decemviris commisit, ut Suetonius scribit. Pomponius (c) tamen significare videtur De-

(a) *Sex. Pomp ver.* centumviralia. *Cic. lib. 1. de Orat.* (b) *l.* qui repudiantis. *D. de inoff. testam. l.* maximum. C. *de liber. præt. l. ult. C. de pet. hered. Cic. lib. 1. & 2. de Orat. Quinctil. sæpe.* (c) *l.* 2. *p.* deinde cum esset. *D. de orig. jur. Cic. in Orat. Dion. lib.* 54. *Quinctil lib. 1. cap. 6.*

cemviros ſtlitibus judicandis, ut haſtæ præeſſent, fuiſſe inſtitutos. quod mihi minus probatur. vel ipſum enim nomen docet litibus, non haſtæ ſolum conſtitutos, & antiquius nomen eſt, quam Auguſti haſta. Stlites (d) autem, veteres pro litibus dicebant, ut ſtlata navigia pro latis, & ſtlocum pro loco. Primus L. Cornelius Sulla haſta uſus eſt. eum C. Cæſar, & Triumviri imitati ſunt: poſteriores haſtam fiſcalem introduxerunt. Ad Decemviros quoque pertinuiſſe, uti de libertate civium Romanorum cognoſcerent, ex oratione pro A. Cecinna cognovimus.

(d) *Sex. Pomp. ver.* ſtlata. *C. de fid. inſtit. & jure haſtæ fiſc. lib. x.*

ÆLIA

DE OBNUNTIATIONE.

HÆC lex ab aliquo Tribuno plebis lata eſt, poſt annum ſexcenteſimum Urbis conditæ, de qua Aſconius in Piſoniana, *Obnuntiatio*, inquit, *qua pernicioſis legibus reſiſtebatur, quam Ælia lex confirmaverat; P. Clodii lege, ut ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo ſervaret, ſublata fuit.* (a) Cum enim auſpicia de cœlo ſervando fierent, & fas non eſſet cum populo agi, cum de cœlo ſervaretur, ſi quis reſiſtere legi cuperet, ne a populo acciperetur, comitiis obnuntiabat de cœlo ſervare ſe. Itaque lata lege, ut comitialibus diebus fas non eſſet de cœlo ſervare; tota obnuntiandi intercedendique ratio peribat. *Inſpectante & tacente te* (inquit Cicero Piſoni) *a P. Clodio fatali portento prodigioque Reipublicæ lex Ælia & Fuſia everſa eſt, propugnacula murique tranquillitatis atque otii*: & poſtea: *Centum prope annos legem Æliam & Fuſiam tenueramus; quas leges auſus eſt non nemo improbus, potuit quidem nemo unquam convellere.* Idem poſt reditum in Senatu: *Quo inſpectante atque ſedente legem Tribunus plebis tulit, ne auſpiciis obtemperaretur; ne obnuntiare conſilio, aut comitiis; ne legi intercedere liceret; ut lex Ælia & Fuſia ne valerent: quæ noſtri majores certiſſima ſubſidia Reipublicæ contra Tribunicios furores eſſe voluerunt.* Idem de Provinciis conſularibus: *Vobis ſtatuendum eſt legem Æliam manere; legem Fuſiam non eſſe abrogatam; non omnibus faſtis legem ferri licere; cum lex feratur, de cœlo ſervari, obnuntiari, intercedi licere.* In Vatiniana quoque, & libro ſecundo ad Atticum ejuſdem legis mentio fit. Sed ex ſupra ſcriptis ſatis apparet, & quo tempore lata, & quo tempore abrogata ſit, & quid ea contineretur. Si quid autem deeſt, id in Clodiis, & Fuſiis & in Duodecim dicetur.

(a) *Cic. pro domo & de Aruſp. reſponſ. & in Vatin.*

ÆLIA SENTIA

DE MANUMISSIONIBUS.

SEX. Ælio Catulo, C. Sentio Saturnino Conſulibus hanc legem eſſe latam arbitror, poſt Romam conditam anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſexto, quo anno Tiberius adoptatus eſt ab Auguſto, ut Paterculus libro ſecundo ſcribit. Cujus ſex capita animadverti.

Primum de dediticiis libertis: ut qui ſervus publice vinctus, aut notis inuſtus, aut publice verberatus fuiſſet, ſi manumitteretur, dediticiam libertatem conſequeretur; neque unquam ad civitatem Romanam perveniret. Id Suetonius in Auguſto, & Juſtinianus lib. I. inſtitutionum (a) ſcripſerunt: *Nam qui manumittebantur, modo majorem & juſtam libertatem conſequebantur, & fiebant cives Romani;*

(a) *In Inſtit. de libertin. p. ultim.*

A *modo minorem, & Latini ex lege Junia Norbana fiebant: modo inferiorem, & fiebant ex lege Ælia Sentia dedititii.* Quem locum Theophilus omnium optime interpretatur, ut ex Cajo (b) & Paulo cognovimus. Eandem interpretationem recipiunt Ulpiani verba libro primo ad legem Æliam Sentiam: *Verum eſt, eum qui in carcere cluſus eſt non videri neque vinctus, neque in vinculis eſſe, niſi corpori ejus vincula ſint adhibita.* *Dedititiorum numero ſunt* (inquit Ulpianus (c) in fragmentis) *qui pœnæ cauſa vincti ſunt a domino; quibusve ſtigmata inſcripta fuerunt; qui propter noxam torti, nocenteſque inventi*

B *ſunt; quive traditi ſunt, ut ferro, aut cum beſtiis depugnarent, vel in cuſtodiam conjecti fuerunt; deinde quoquo modo manumiſſi ſunt: idque lex Ælia Sentia facit.* Dedititii a veteribus dicebantur, qui aut ſponte ſua deditionem feciſſent, ut Campani apud Livium libro ſeptimo: aut cum bellum a ſociis aut fœderatis timeretur, ut apud Florum libro quadrageſimo nono de Carthaginienſibus. Extat apud eundem Livium lib. I. Collatinorum deditionis vetus formula hæc: *Rex interrogavit: Eſtis ne vos legati oratoreſque miſſi a populo Collatino, ut vos, populumque Collatinum dederetis? Sumus. Eſt ne populus Collatinus in ſua poteſtate? Eſt. Deditis ne vos,*

C *populumque Collatinum, urbem, agros, aquas, terminos, delubra, utenſilia, divina, humanaque omnia in meam, populique Romani ditionem? Dedimus. Et ego recipio.* (d) Hoc caput, cum dedititii nulli eſſent, civitate Romana omnibus data, ab Juſtiniano abrogatum eſt.

(e) Alterum caput erat, ut manumiſſiones in fraudem factæ non valerent, uno excepto herede. Namque is, qui ſolvendo non eſt, poteſt ex hac lege ſervum inſtituere cum libertate, qui ei neceſſarius heres fiat, ut Juſtinianus eodem libro, Paulus libro primo ad legem Æliam Sentiam ſcripſerunt. Idem ait libro quinquageſimo ſeptimo ad edictum,

D ita demum hanc legem conſervare libertatem, ſi nemo alius ex eo teſtamento hæres eſſe poteſt. Itaque ſi ſervo liber homo, aut is, cui libertas ex fideicommiſſo debetur, ſubſtitutus ſit; a ſecundo gradu incipiendum erit. Celſus quoque libro viceſimo nono Digeſtorum ſcribit hac lege caveri, ut ſi duo, pluresve ex eadem cauſa heredes ſcripti ſint, uti quiſque primus ſcriptus ſit, heres ſit. Idem Ulpianus in fragmentis confirmat; eumque ſervum xxx. annis minorem, & qui in ea cauſa ſit, ut dedititius fieri deberet, civem Romanum & heredem fieri.

(f) Eadem lege domino viginti annis minori non aliter manumittere permittitur, quam vindicta, ſi

E apud conſilium juſta cauſa manumiſſionis adprobata, ut Juſtinianus ait, a quo permultæ manumiſſionis juſtæ cauſæ enumerantur. Lælius Felix libro primo ad Quinctum Mucium relatus apud Gellium libro quinto decimo: *Qui non univerſum populum, ſed partem aliquam adeſſe jubet, non comitia, ſed conſilium edicere*, inquit, *debet.* Quibus verbis conſtat conſilium ſignificare eos, qui, ut de cauſis manumittendi cognoſcerent, cum Prætore aut Præſide convenerant. Unde etiam conſiliarii, adſeſſoreſque appellati poſtea ſunt, (g) qui ad hujuſcemodi conſilia deligerentur. *In conſilium adhibentur* (inquit Ul-

F pianus in fragmentis) *Romæ quinque Senatores, & quinque equites Rom. in provincia viginti recuperatores cives Romani.* Eadem lege cautum eſſe ait, ut minor triginta annorum ſervus vindicta manumiſſus civis Rom. non fiat, niſi apud conſilium cauſa probata fuerit: teſtamento vero manumiſſum perinde haberi, atque ſi domini voluntate in libertate eſ-

(b) *Cajus lib. I. Inſtit. Paul. lib. 4. ſenten. tit. de manumiſſ.* (c) *l.* verum. *D. de verb. ſign.* (d) *l. unic. C de dedi. liber. & d. p. ult. l.* in fraudem. *C. deteſt. ma.* (e) *II. l. I. C. qui man. non poſ. in Inſt. quib. ex cauſ. man. non li. in prin. l.* ſi is qui ſolvendo. *I. & 2. D. de hæred. inſt. l.* qui ſolvendo. *eo. tit.* (f) *III. d tit. quib. ex cau. p.* eadem lege. *Vide Dion. lib. 55.* (g) *D. & Cod. de adſeſſor.*

ſet ; Ideoque Latinum eſſe . De vindicta autem in Junia Norbana lege dicemus.

(h) Alio capite prohibetur patronus adigere jurejurando, ne nubat liberta, vel liberos tollat libertus. Nam & ipſe & liberi ejus jus patronatus perdunt, ut Paulus ait libro ſecundo ad eandem legem, qua de re Terentius Clemens libro quinto ad legem Juliam & Papiam, & Ulpianus libro quarto decimo ad Sabinum ſcripſere. Id jusjurandum lege Julia de maritandis ordinibus remitti conſtat.

Eadem lege prohibentur patroni libertos obligare, ut mercedem operarum præſtent onerandæ libertatis cauſſa. Non tamen prohibentur hac lege patroni a libertis mercedes capere, ſed eos ita obligare; quod idem Clemens libro octavo refert. Idem ait, quod Paulus (i) quoque libro ſecundo ſcribit: *Qui ſtipulatus eſt a liberto centum operas, aut in ſingulas aureos quinos dari; non videtur contra legem ſtipulatus, quia in poteſtate liberti eſt operas dare.* Huc etiam pertinet, quod Julianus (k) ait apud Ulpianum libro undecimo ad legem Juliam, non dari contra tabulas teſtamenti liberti filio bonorum poſſeſſionem, cujus pater donum, munus, operas liberto revendiderit: quod facile credimus a Prætore adjectum fuiſſe. Ejus enim verba apud Paulum relata ſunt libro quinquageſimo nono ad edictum.

(l) Illud etiam hujus legis eſt, quod multis locis proditum eſt, de ingratis libertis in ſervitutem redigendis. Ita enim Paulus ſcribit lib. LXXIII. ad edictum: *In lege Ælia Sentia filius heres poteſt libertum paternum, ut ingratum accuſare, non etiam ſi heredi heres extiterit.* Et ex contrario libertus, ſi patronus eum non aluerit, poteſt ex hac lege libertatis cauſſa impoſita non præſtare; hereditatemque legitimam patronus amittit, ut Modeſtinus (m) ſcribit libro ſingulari de manumiſſionibus. Ad hanc legem Ulpianus libros quatuor, Paulus tres conſcripſere, ex quibus permulta exſtant variis Digeſtorum locis. Sed & libro quadrageſimo titulus eſt, Qui & a quibus liberi non fiunt, & ad legem Æliam Sentiam, ſub quo legis materia collecta eſt. Videnda denique eſt Novella CLXII. Juſtiniani cap. I. qua hujus legis caput quoddam reprehenditur, quo videbatur denegare uxori actionem ex donatione viri conſtante matrimonio.

(h) IV. *l.* adigere *l.* qui contra. *de jure patron. l.* quæſitum. *D. qui & a quib. l. 3. p.* ſi quis. *de ſuis & legi. d. l.* adigere. *in fine.* V. (i) *l. ult. qui & a quibus. d. l.* adigere (k) *l.* Julianus. *de bonis liber.* VI. (l) *l.* ſæpe *de verbo ſig. l.* ſciendum eſt. *eo. tit. Vid. Dion. libro 55.* (m) *l.* ſi patro *de bon. liber.*

ÆMILIA

DE CENSORIBUS.

INITIUM Cenſuræ extat apud Livium libro IV. M. Geganio Macerino iterum, T. Quinctio Capitolino quintum Conſulibus. Morum & diſciplinæ Romanæ penes eam regimen fuit, ſenatus equitumque centuriæ, decoris dedecoriſque diſcrimen, publicorum privatorumque locorum jus, vectigalia populi Romani ab ejus nutu atque arbitrio pendebat. (a) Hæc cum initio quinquennalis fuiſſet, Mamercus Æmilius Dictator iterum poſt novem annos legem tulit, ne plus quam annua ac ſemeſtris Cenſura eſſet. Cenſores C. Furius Pacilus, M. Gaganius Macerinus id ægre paſſi, Mamercum, quod magiſtratum populi Romani minuiſſet, tribu moverunt, cenſuque octuplicato, ut Livius ſcribit, ærarium fecerunt. Fuit is annus trecenteſimus nonusdecimus Urbis. Uſuſque eſt ea lege populus Romanus annos centum & viginti, ad Appium Claudium Cæcum, C. Plautium Venocem, qui luſtrum viceſimum ſextum fecerunt. Etenim poſt decem & octo menſes Cenſuræ cum C. Plautius ſe antea abdicaviſſet, Appius noluit, magnaque ei cum P. Sempronio de ea re contentio fuit, Q. Fabio Maximo Rulliano iterum, C. Marcio Rutilo, qui poſtea Cenſorinus appellatus eſt, Conſulibus, poſt Romam conditam anno quadringenteſimo quadrageſimo tertio. Quæ omnia diſerte a Livio libro nono tradita ſunt. Clodii quoque lege Cenſura debilitata eſt, & Cæſarum imperio plane abolita. De qua re alius erit ſcribendi locus.

(a) *Vide Liv. lib. 45.*

ÆMILIA

SUMPTUARIA VEL CIBARIA.

M. ÆMILII Quincti filii, Marci nepotis, Lepidi, qui Conſul cum Q. Lutatio Catulo fuit anno Urbis ſexcenteſimo ſeptuageſimo quinto, plures rogationes fuerunt, ſed turbidæ, ut Tacitus libro tertio ait, hoc eſt, ſeditionis & tumultus plenæ, quibus acta Sullæ reſcindere concupivit, ut Florus libro nonageſimo Livianæ epitomes, & libro tertio rerum Romanarum ſcribit. Appianus tamen agros tantum prioribus dominis reſtituere tentaſſe affirmat. Inter omnes conſtat bellum civile excitaſſe, quo a Q. Catulo collega, & a Cn. Pompejo magno oppreſſus eſt. Sumptuaria lex a Gellio (a) & Macrobio Æmilia refertur: qua lege non ſumptus cœnarum, ut aliis, ſed ciborum genus & modus præfinitus eſt. quamobrem cibaria quoque appellatur. Cato tamen ſumptuarias omnes, ut Macrobius refert, cibarias appellabat. Sed vereor ne non hæc Æmilia ſumptuaria ad M. Æmilium Scaurum referenda ſit, qui de ſumptibus, & de libertinorum ſuffragiis tulit in Conſulatu anno ſexcenteſimo triceſimo octavo. auctor eſt Plinius, ſive quis alius, in libello de viris illuſtribus. Apertius Plinius major libro octavo naturalis hiſtoriæ: *Glires*, inquit, *Cenſoriæ leges, princepſque M. Scaurus in conſulatu non alio modo cœnis ademere, quam conchylia, aut ex alio orbe convectas aves.* Hanc legem Julia ſecuta eſt, de qua, ut de ceteris ſumptuariis, poſtea. Illud, quod a Priſciano libro nono ex Æmilii Porcinæ oratione, uti lex Æmilia abrogaretur, relatum eſt, quo ſit referendum, incertum eſt. Et quidem M. Æmilius Porcina Conſul fuit cum C. Hoſtilio Mancino, ſed his temporibus, ut neque ad ſuperiorem de Cenſoribus, neque ad has ipſas Lepidi & Scauri referri poſſit, anno poſt Romam conditam ſexcenteſimo ſextodecimo. Sed potuit alius ex eadem familia eſſe, eodemque cognomine; item alia lex eſſe, de qua nobis nondum conſtat.

(a) *Gel. lib. 1. cap. 24. Macro. lib. 3. cap. 17.*

ÆTERNIA DE MULTIS.

De hac lege in Tarpeja Æternia videndum eſt.

AGRARIÆ LEGES.

De his in Caſſia, Licinia, Flaminia, Semproniis, Appuleja, Servilia, & Juliis.

AMBITUS LEGES.

In Petillia, Bæbia, Calpurnia, Tullia, Pompeja, Julia.

ANNALIS VEL ANNARIA.

Videnda lex Julia Annalis.

ANNONIANÆ VEL FRUMENTARIÆ.

Hæ in Semproniis, & Clodiis, atque Appulejis quærendæ.

ANTIA SUMPTUARIA.

HANC legem poſt Æmiliam, & ante Juliam Antius Reſtio tulit, quæ præter ſumptum æris id etiam ſanxit, ut qui magiſtratus eſſet, magiſtratumve capturus, ne quo ad cœnam, niſi ad certas perſonas itaret. ita enim Gellius & Macrobius

crobius tradiderunt. Hanc nullo abrogante populus irritam fecit; latorque legis foris postea nunquam cœnasse dicitur; ne testis fieret contemptæ legis, quam ipse tulisset.

APPULEJA

DE MAJESTATE.

CICERO libro secundo de Oratore refert C. Norbanum majestatis accusatum lege Appuleja, qua minuens majestatem plectebatur, accusavit P. Sulpicius, defendit M. Antonius optimus orator, odioque magis Q. Servilii Cæpionis, in quem seditio fuerat concitata, quique legem judiciariam tulerat, absolutus est, quam caussa, qua maxime premebatur. Dixit in C. Norbanum testimonium M. Scaurus princeps senatus (a), neque tamen tanta auctoritate, aut religione vir, quidquam nocuit. Majestatis leges aliæ fuere magis celebres, Varia, Cornelia, & Julia. De hac vero nihil amplius accepi.

(a) *Vid. Max. lib. 8. cap. 5.*

APPULEJA

FRUMENTARIA ET AGRARIA.

L. APPULEJI Saturnini pleræque leges fuere in Tribunatu latæ, quem triennio continuavit per vim ac seditionem. Eosdem enim tumultus excitabat eisdem legibus, aut valde similibus iis, quæ Semproniis Gracchis perniciem attulerant. Sed repressus hic furor est C. Mario sextum, L. Valerio Flacco Consulibus, anno sexcentesimo quinquagesimo tertio, auctorque legum Tribunus occisus est, qua in re omnes conveniunt. (a) Legibus referendis non modica discrepantia est. Namque libro primo ad Herennium scriptum est, legem frumentariam de semissibus & trientibus ferre eum cœpisse: quod ex his, quæ de Sempronia Florus & Pedianus scribunt, ita accipio, ut semisse & triente tritici hordeique modius daretur. Sed hanc legem Q. Servilium Cæpionem Quæstorem Urbanum impedivisse, tum Senatum docendo ærarium non posse pati tantam largitionem, tum etiam facto Senatusconsulto, si eam legem ad populum ferret, adversus Rempublicam videri eum facere, & collegis intercedentibus, ipsoque perseverante cistellam deferre, Cæpionem cum aliis viris bonis impetum fecisse, pontes disturbasse, cistas dejecisse, impedimentoque fuisse, quominus lex ferretur. Sed sive hæc lex non tenuerit, sive tota efficta a rhetore sit; L. Pisone, A. Gabinio Consulibus a P. Clodio Tribuno plebis remissi trientes semissesque sunt, quos Sempronia lex introduxerat, jussumque est, ut gratis frumentum populo daretur. Agraria varie a multis refertur. (b) sunt enim qui scribant tulisse eum (ut gratiam Marianorum militum pararet) ut veteranis centena agri jugera in Africa dividerentur; ut Achaja, Macedonia, Sicilia novis colonis destinaretur; ut aurum Tolosanum dolo scelereque Cæpionis partum ad emptionem agrorum converteretur; ut aqua denique & igni ei, qui in leges has non jurasset, esset interdictum. Appianus eam tantum partem refert, qua ea Galliæ pars, unde Cimbros Marius ejecerat, dividi jussa est. alii agrariam tantum, alii Semproniam instauratam scribunt. Illud nemo negat, leges has per vim latas, abrogatasque postea fuisse.

(a) *Cice. in orat. pro C. Rabir. perduel. reo. Appian. lib. 1. bel. civ. Eutrop. lib 5. Flor. epit. Livii lib. 19. & lib. 3. cap. 16. rer. Rom. Plutar. in Mario.* (b) *Plin. in lib. de viris illu. Cic. pro Balbo.*

AQUILLIA

DE DAMNO INJURIA.

AQUILLIUS Tribunus plebis hanc legem a plebe rogavit, ut Ulpianus (a) scribit libro octavo decimo ad edictum; & Justinianus atque Isidorus referunt. Quis tamen hic Aquillius, quove tempore fuerit, ignoratur. Sunt qui arbitrentur C. Aquillium Gallum (b) fuisse. cujus sunt illa de dolo malo, de postumorum institutione, de stipulatione: sed mihi jurisconsultorum formulæ illæ esse videntur, hoc autem plebiscitum; de cujus rogatione nullum certum auctorem habeo quem sequar. Hujus autem legis verba Cajus in libris ad edictum provinciale refert. Capite primo ita cavetur: QUI SERVUM SERVAMVE ALIENUM ALIENAMVE QUADRUPEDEM VEL PECUDEM INJURIA OCCIDERIT, QUANTI ID IN EO ANNO PLURIMI FUIT, TANTUM ÆS DARE DOMINO DAMNAS ESTO. Deinde cavetur, ut adversus infitiantem in duplum actio sit. Secundi capitis, quia in desuetudinem abiit, ut Ulpianus & Justinianus (c) scribunt, verba ejusve sententia non exstat. Tertio capite ait lex: CETERARUM RERUM PRÆTER HOMINEM ET PECUDEM OCCISOS SI QUIS ALTERI DAMNUM FAXIT, QUOD USSERIT FREGERIT RUPERIT INJURIA, QUANTI EA RES ERIT IN DIEBUS TRIGINTA PROXIMIS, TANTUM ÆS DOMINO DARE DAMNAS ESTO. De horum verborum interpretatione legenda sunt quæ eleganter ad hanc legem, & in Digestis, & in Constitutionibus & Institutionibus exstant. Apud declamatores (d) non dissimilis lex fingitur: DAMNI INJURIA DATI SIT ACTIO. Item illa: QUI SCIENS DAMNUM DEDERIT REDDAT QUADRUPLUM: QUI INSCIENS SIMPLUM. Cicero in Bruto Aquilliæ legis mentionem facit, & nisi mendum in ejus verbis sit, non eadem lex est: *Eodem tempore*, inquit, *accusator de plebe L. Cæsidenus fuit, quem ego audivi jam senem, cum ab L. Sabellio multam lege Aquillia de justitia petivisset.*

(a) *l. 1. D. ad l. Aqu. in inst. eod. tit. p.* illud. *Nov. 18. Authen. de trien. & semiss. p.* studium *Isid. lib. 5. Etymol. Cic. lib. 3. Offi. & lib. 3. de natu. deo.* (b) *l.* Gallus, *de li. 6. & post. l.* & uno. *D. de accepti. in inst. quib. mod. tol. ob. p.* est autem *l. 2. d. eo.* (c) *l.* si servus servum. *p. hujus D. eo. in Inst. eo. ti. p.* caput. (d) *Fabius decla. 13. alter Fabius 383. Senec. lib. 3. declam. 6. & li. 5. decla. 5.*

ATILIA MARCIA

DE TRIBUS MILITUM.

POST Romam conditam anno quadringentesimo quadragesimo secundo. C. Junio Bubulco Bruto tertium, Q. Æmilio Barbula iterum Consulibus, L. Atilius & C. Marcius Tribuni plebis tulerunt, ut Tribuni militum seni deni in quatuor legiones a populo crearentur; quæ antea, perquam paucis suffragio populi relictis locis, Dictatorum & Consulum ferme fuerant beneficia. Hæc Livius libro nono scribit. Polybius tamen libro sexto non senos denos, sed quaternos & vicenos creari solitos scribit: denos, qui dena stipendia fecissent; quaternos & denos, qui quina. Auctum itaque numerum credendum est.

ATILIA

DE TUTORIBUS DANDIS.

SI cui nullus omnino tutor fuerat, ei dabatur, in Urbe quidem a Prætore Urbano, & a majore parte Tribunorum plebis, tutor ex lege Atilia; in provinciis vero a Præsidibus provin-

ciarum ex lege Julia, & Titia. Hic Atilianus tutor dictus est; qui neque ex testamento, neque legitimus fuit. Sed ex his legibus tutores pupillis dare desierunt, posteaquam primo Consules tutores ex inquisitione dare cœperunt; deinde Prætores ex constitutionibus. Hæc Justinianus libro primo Institutionum. (a) Sed & Suetonius ait Ti. Clodium primum jussisse, ut pupillis extra ordinem tutores a Consulibus darentur: & Julius Capitolinus, a M. Antonino Prætorem tutelarem introductum esse: de cujus officio Ulpianus, & Paulus singulares libros scripserunt. Ex his constat Atiliam usque ad Claudium tenuisse. Quid vero a Justiniano constitutum sit, in Julia, & Titia dicemus. Antiquam fuisse hanc legem ex Livio libro trigesimo nono cognoscimus. Is enim scribit, Sp. Postumio Albino, Q. Marcio Philippo Consulibus, anno post Romam conditam quingentesimo sexagesimo septimo, Hispalam post patroni mortem, quia in nullius manu erat, tutorem a Tribunis & Prætore petiisse. Ulpianus in Fragmentis: *Lex Atilia jubet mulieribus, pupillisve non habentibus tutores, dari a Prætore, & majore parte Tribunorum plebis.*

(a) *In Inst. de Atilia. tuto. in princ. & p.* sed ex his.

ATINIA

DE TRIBUNIS PLEBIS.

HÆC lex lata est, ut arbitror, a C. Atinio Labeone Tribuno Plebis C. Clodio Pulchro, M. Perperna Coss. anno urbis sexcentesimo vicesimo tertio. Hic enim Tribunus eo anno Q. Cæcilium Metellum Macedonicum Censorem, a quo in Senatu legendo præteritus fuit, de saxo dejici jussit: sed ceteri Tribuni auxilio Metello fuerunt. Metelli collega Q. Pompejus fuit, uterque e plebe; quod tum primum accidit. Hæc ex Cicerone in oratione ad Pontifices, & ex Floro libro quinquagesimo nono, qui legis nostræ nullam faciunt mentionem. At vero A. Gellius libro quartodecimo Capitonem Tuberoni contra Mucii sententiam adsentiri scribit, ut Præfectus Urbi Latinarum feriarum causa relictus, Senatum habere possit. Namque & Tribunis plebis Senatus habendi jus erat, quamquam Senatores non essent ante Atinium plebiscitum. Ex his verbis apparet Atinia lege Senatores esse Tribunos factos, eosdemque posse Senatum habere: quod Varro quoque apud eundem Gellium scribit. (a)

(a) *Gel. lib. 14. cap. 7. & 8.*

ATINIA

DE USUCAPIONE.

FURTIVARUM rerum, ut Julianus, & Justinianus scribunt, (a) lex Duodecim tabularum, & lex Atinia inhibent usucapionem; vi possessarum lex Julia, & Plautia. Paulus (b) quoque libro quinquagesimo quarto ad edictum scribit: *Quod autem dixit lex Atinia, ut res furtiva non usucapiatur, nisi in potestatem ejus, cui subrepta est, revertatur; sic acceptum est, ut in domini potestatem debeat reverti.* Idem (c) libro singulari ad legem Furiam Caniniam: *In lege Atinia*, inquit, *in potestatem domini rem furtivam venisse videri, si ejus vindicandæ potestatem habuerit, Sabinus & Cassius ajunt.* Referuntur ab Gellio libro septimo decimo legis hujus, quam veterem appellat, verba: QUOD SUBREPTUM ERIT EJUS REI ÆTERNA AUCTORITAS ESTO. *Quis aliud*, inquit, *putet in hisce verbis, quam de tempore futuro legem loqui?*

(a) *l.* non solum. *in princ. D. de usurp. & usuc. in Inst. eod. p.* furtiva. (b) *l.* sequitur. *p.* quod autem. *eo. tit.* (c) *l.* potestatis. *de verb. sign.*

A *Sed Q. Scævola patrem suum, & Brutum, & Manilium viros apprime doctos quæsisse ait, dubitasseque, utrumne in post facta modo furta lex valeret, an etiam in ante facta: quoniam* QUOD SUBREPTUM ERIT, *utrumque tempus videretur ostendere, tam præteritum, quam futurum.* Verba Q. Mucii referuntur, ni fallor, a Pomponio (d) libro vicesimo sexto ad Q. Mucium: *Verbum, Erit, interdum etiam præteritum, nec solum futurum tempus demonstrat.* quod Pomponius multis exemplis confirmat. Auctoritas autem in hac lege eodem pacto accipitur, atque in Duodecim ADVERSUS HOSTEM ÆTERNA AUCTORITAS, & apud Ciceronem in
B Topicis: *Quoniam usus auctoritas fundi biennium est, sit etiam ædium.* licet Venulejus & Scævola (e) in aliam rationem hoc verbo utantur. Hujus quoque legis mentio fit a Cicerone in Prætura urbana.

(d) *l.* verbum erit. *de verb. sign.* (e) *l. ult. D. de evict. l. ult. de pigne. actio.*

AURELIA

DE TRIBUNIS PLEBIS.

C TRES fratres germani Aurelii Cottæ fuere, qui consulatum intra decennium adepti sunt, C. Cotta, qui cum L. Octavio Cn. F. Consul fuit anno Urbis sexcentesimo septuagesimo octavo; Marcus, qui ei successit, collega Luculli, & L. collega L. Manlii Torquati. Caii legem Cicero & Asconius referunt in Corneliana: ut quod L. Cornelius Sulla Dictator contra Tribunos Plebis tulisset, ne alios magistratus eis capere liceret, abrogaretur. Qua lege Consul plebi gratificatus est, optimates offendit; licet, ut Cicero scribit, paulum dignitatis eis, non potestatis addiderit. Aliæ leges aliis de rebus ab eodem latæ ipso postulante abrogatæ sunt. De Tri-
D bunicia potestate restituta in Sicinia scribemus.

AURELIA

JUDICIARIA.

M. LICINIO Crasso, Cn. Pompejo Magno Consulibus judicia per L. Aurelium Cottam Prætorem ad equites Romanos translata sunt, ut Florus scribit libro nonagesimo septimo. Is est L. Cotta, de quo supra scripsimus. Sed Pedianus & Paterculus (a) non ad equites translata, sed communicata esse judicia significant. Nam
E cum Sempronia lege a C. Graccho lata equites annos fere quinquaginta judicassent, decem Cornelia Senatores, quod Cicero in Verrinis significat, L. Cotta, ut Senatores, Equites & Tribuni Ærarii judicarent, ad populum tulit. Sed Pompejus secundo consulatu legem promulgavit, ut ex amplissimo censu, & centuriis lecti judices, æque tamen ex eisdem tribus ordinibus judicarent. & Cæsarem ipsos Tribunos a judicandi munere amovisse Suetonius auctor est. Hos autem ex equitibus fuisse Plinius significat libro trigesimo tertio: (b) *Divo*, inquit, *Augusto decurias ordinante major pars judicum in ferreo annulo*
F *fuit, qui non equites, sed judices, vocabantur. Equitum nomen subsistebat in turmis equorum publicorum. Judicum quoque non nisi quatuor decuriæ fuere primo. Decuriæ quoque ipsæ pluribus discretæ nominibus; Tribunorum æris, & Selectorum, & Judicum. Propter hoc etiamnum Nongenti vocabantur ex nominibus selecti ad custodienda suffragiorum scita in comitiis.* Varro originem nominis ostendit: ut cum tributum dictum sit, quod ea pecunia, quæ a populo imperata erat, tributim a sin-

(a) *Asco. Ped. in orat. pro Corn. & lib. 2. in Verrem, & in Pisonem. Paterc. lib. 2.* (b) *Adde Gell. li. 7 cap. 10*

gulis proportione censu exigebatur, eaque adsignata attributum dictum est: *ab hoc*, inquit, *quibus attributa erat pecunia, ut militi reddant, Tribuni Ærarii dicti sunt*, Sed & Pedianus in Prætura urbana, eosdem pecuniam ex Ærario in militum stipendium capere, & Quæstoribus, qui in provincias mittuntur, adsignare scribit. (a) Ex his apparet non male scriptum esse Cottam ad equites transtulisse; cum majori ex parte equites judicarent.

(a) *Adde Gell. lib. 7. cap. 10.*

BÆBIA

DE PRÆTORIBUS.

CONSTAT (a) Prætorem eo tempore fuisse creatum, quo primum de Plebe Consules creari lege Licinia placuit: sed initio tantum unum; cui adjectus est alter Peregrinus, qui inter peregrinos & cives jus diceret circa Urbis annum quingentesimum & decimum, post primum Prætorem anno centesimo vicesimo quarto. (b) Non post multum temporis spatium quatuor Prætores jus dixerunt. (c) His Provinciæ singulis annis committebantur, Urbana, Peregrina, Sicilia, Gallia, quæ etiam Ariminum dicebatur. Sex Prætores primum creati, C. Cornelio Cethego, Q. Minucio Rufo Consulibus, provinciæque traditæ præter superiores utraque Hispania, sed pro Gallia Sardinia commissa fuit. Ab hoc tempore, ad L. Manlii Acidini Fulviani, & Q. Fulvii Flacci, qui fratres germani fuerunt, Consulatum, seni Prætores per eos octodecim annos creati sunt. Erat is annus duorum fratrum Consulatus, Urbis quingentesimus septuagesimus quartus, quo Livius (d) ait lege Bæbia, qua de agimus, quatuor post multos annos creatos esse. ea alternis quaternos creari jubet. Sed an alio tempore recepta fuerit, incertum est. Bæbii Tamphili paulo ante duo Consules fuerant fratres germani, Cn. & Marcus, Quincti filii, Cnei nepotes; ille L. Æmilii Pauli collega fuit, hic P. Cornelii Cethegi. Sed præter leges de Ambitu, quas P. Cornelius, M. Bæbius Consules ex auctoritate senatus ad populum tulerunt, nihil aliud relatum invenio. Fieri potuit, ut alter eorum eam tulerit, aut alius in Tribunatu plebis: neque enim alios eo nomine Consules fuisse accepi. Prætorum numerum Cornelius Sulla auxit, & Cæsares, ut a Pomponio (e) traditur, & ad decem & octo Prætores perventum est.

(a) *l. 2. p.* deinde cum placuisset. *D. de orig. jur. Liv. lib. 6. & 7.* (b) *Flor. epit. Liv. 19. & 20.* (c) *p.* capta. *ea. l. 2. Liv. lib. 32.* (d) *Livius lib. 10.* (e) *d. l. 2. d. p.* capta.

CÆCILIA

REPETUNDARUM.

POST Calpurniam, (a) quæ prima de repetundis lata est, Cæciliam fuisse apparet. Hac enim lege L. Cornelius Lentulus Lupus, qui Consul cum C. Marcio Figulo fuerat, anno Urbis quingentesimo nonagesimo septimo, damnatus est. Censor tamen post novem annos fuit, quam Consul cum L. Marcio Censorino, & lustrum quinquagesimum sextum fecit. Hanc Acilia, & ceteræ secutæ sunt.

(a) *Val. Max. lib. 6. c. 6. & Fast. Capitol.*

CÆCILIA ET DIDIA

DE LEGIBUS FERENDIS.

CONSULAREM hanc legem appellat Cicero in oratione pro P. Sextio: quamobrem arbitror latam esse anno post Romam conditam sexcentesimo quinquagesimo quinto, Q. Cæcilio Metello, T. Didio, Titi filio, Sexti nepote, Coss. Eam de legibus ferendis fuisse credidi, qua caveretur, uti trinis nundinis proposita lex esset, antequam ferretur: utique diversa capita separarentur, atque alia id genus. Ciceronis verba sunt in oratione de domo: *An etiam apertius aliquod jus populi, atque legum? Si quod in cæteris legibus trinum nundinum esse oportet, id in adoptione satis est trium esse horarum: nihil reprehendo. Sin eadem observanda sunt: decrevit Senatus, M. Drusi legibus, quæ contra legem Cæciliam & Didiam latæ essent, populum non teneri.* Ante Cæsarum principatum (a) adoptio ejus qui sui juris esset, lege lata ad populum fiebat: lex vero, nisi trinis nundinis proposita fuisset, non recte lata erat. Nundinæ dicebantur rusticorum feriæ, quibus nono quoque die in urbem rustici conveniebant, ut Rutilius apud Macrobium scribit. Hæ fastæ deinde lege Hortensia factæ sunt, ut Prætori jus dicere rusticis quoque liceret. Jure igitur Cicero queritur trinundinum in P. Clodii adoptione non esse servatum. Idem Philippica quinta, *Nonne ante*, inquit, *lata, quam scripta? nonne ante factam vidimus, quam futuram quisquam est suspicatus? Ubi lex Cæcilia & Didia? ubi promulgatio trinundinum? ubi pæne recentes lex Junia, & Licinia?* De separandis capitibus rogationum idem Cicero (b) in eadem illa oratione pro domo: *Nonne fieri poterat, ut populo de Cyprio Rege placeret, de exulibus Byzantinis displiceret? Quæ est quasi alia vis, quæ sententia Cæciliæ legis & Didiæ, nisi hæc, ne populo necesse sit in conjunctis rebus compluribus, aut id quod nolit, accipere; aut id quod velit, repudiare?* Huc pertinet quod idem ait libro secundo ad Atticum: *Orbis in Repub. est conversus culpa Catonis; sed rursus improbitate istorum, qui auspicia, qui Æliam legem, qui Juniam & Liciniam, qui Cæciliam & Didiam neglexerunt.*

(a) *Dionys. lib. 45. & 46. Gell. lib. 5. cap. 19.* (b) *Viden. Cic. lib. 3. de legib.*

CÆCILIA METELLA

DE FULLONIBUS.

EX Plinio libro trigesimo sexto scimus Metellam legem fullonibus dictam, quam C. Flaminius, L. Æmilius Censores dedere ad populum ferendam, Metello, ut arbitror, Tribuno Plebis. Fuere hi Censores anno quingentesimo trigesimo tertio; lustrumque fecerunt tertium, & quadragesimum, ut ex Livio libro vicesimo tertio, & ex Consulum fastis nuper effossis cognovimus. Quid ea lege contineretur, ignoramus.

COELIA TABELLARIA

PERDUELLIONIS.

QUATUOR Tabellarias leges Cicero libro tertio de legibus enumerat, Gabiniam, Cassiam, Papiriam, Cœliam. His sancitum erat, ut populus non voce, sed tabella suffragium ferret; Gabinia in magistratibus mandandis, Cassia in judiciis publicis, excepto perduellionis, Papiria in legibus, Cœlia in ipso judicio perduellionis. Hoc crimen (a) nos vix a majestatis crimine distinguimus, quo hostium numero habebatur, qui Rempublicam hostili animo læsisset. Quos enim nos hostes dicimus, eos veteres perduelles appellabant, quasi eos, cum quibus duellum esset. Sic enim bellum quoque appellatum est, ut Cajus (b) libro secundo ad legem Duodecim tabularum, & Cicero sæpe scripse-

(a) *In Instit. de here. quæ ab int. de. p.* interdum *l. ult. D. ad l. Jul. majest.* (b) *l.* quos nos. *de verb. sign. Cic. lib. 1. Offi. & in Oratore.*

rant. Exstat ejusdem Ciceronis oratio, qua C. Rabirius hujus criminis reus apud populum Romanum, a M. Tullio Consule defenditur.

CALPURNIA

REPETUNDARUM.

De pecuniis repetundis primum lata lex est (a) a L. Calpurnio Pisone Frugi, Tribuno plebis, L. Marcio Censorino, M. Manilio Coss. initio tertii belli Punici; quam secutæ sunt Cæcilia & Acilia, & aliæ pleræque, quibus provinciæ a rapinis magistratuum nonnunquam vindicatæ fuerunt.

(a) *Cic. lib. 2. Offi. & in Bruto. & in frumen. & de signis, in Verrem.*

CALPURNIA

DE AMBITU.

Calpurnius Piso Consul hanc legem tulit anno Urbis sexcentesimo octuagesimo sexto, ejus collega fuit M. Acilius Glabrio. Qua lege præter alias pœnas pecuniariam adjectam Asconius (a) ait. Et licet Cicero videatur significare de ea abroganda in Senatu actum esse, idem tamen in oratione pro L. Muræna ita scribit: *Dixisti Senatusconsultum me referente esse factum, si mercede conducti obviam candidatis issent; si conducti sectarentur; si gladiatoribus vulgo locus tributus; & item prandia si vulgo essent data: contra legem Calpurniam factum videri.* Ante hanc legem idem crimen Petillia & Cornelia, Bæbia, post eam Tullia, Pompeja & Julia coercebatur.

(a) *Asco. in Cornel. & in Anto. & Catil. Cic. in eadem Cor.*

CALPURNIA

MILITARIS.

Apud Nonium Marcellum Sisenna libro quarto historiar. scribit Calpurnia lege milites civitate donari concessum fuisse. quod de auxiliis intelligendum est. Non dissimilis est Gellia, de qua suo loco.

Caninia de manumissionibus.
Videnda Fusia Caninia est.

CANULEJA

DE CONNUBIO.

Livius initio libri quarti scribit, M. Genutio, P. Curiatio Consulibus, C. Canulejum Tribunum plebis rogationem promulgasse de connubio patrum, & plebis; ceteros Tribunos, uno excepto, Ut populo potestas esset, seu de plebe, seu de patribus vellet Consules faciendi. Fuerat autem vetitum in duabus illis tabulis, quas, Decemviri aliis e Græcia allatis addiderunt, ne matrimonia inter eos communia essent. quod & Livius significat, & Dionysius dilucide scribit libro decimo antiquitatum. Itaque cum de utraque rogatione magnis contentionibus ageretur, atque impediretur a Tribunis delectus; lex de connobio accepta est; & Tribunos militum Consulari potestate ex utroque corpore patres creari passi sunt. Fuit is annus trecentesimus nonus, ut Livio placet; alii anno ab eo discrepant. Dionysius (a) in alterius Consulis nomine variat: Florus loco, in Janiculum enim plebem concessisse scribit. Sed & de tota connubii mentione Dionysius silet, cum cetera magna diligentia exequatur.

(a) *Dion. lib. 11. antiquit. Flor. lib. 1. cap. 25. re. Romanarum.*

A

B

C

D

E

F

CASSIA

AGRARIA.

Idem Livius scribit libro secundo, Sp. Cassio tertium, Proculo Verginio Consulibus primum Agrariam legem esse promulgatam, nunquam postea sine maximis motibus agitatam. Namque cum esset fœdus ictum cum Hernicis, agrique partes duæ essent ademptæ; inde dimidium Latinis, dimidium plebi dividebat Spurius; adjiciebat agri publici aliquantum, quem possideri a privatis criminabatur. Alter Consul largitioni resistebat auctoribus patribus, & plebe non invita, quod cum Latinis & Hernicis agrorum communicatio regni suspicionem præberet. Itaque altera lege promulgata ab eodem, ut pro Siculo frumento pecunia accepta populo redderetur; aspernata utramque plebs est, auctorque earum Cassius damnatus, necatusque est. (a) Agrariæ legis nomen sæpius deinde a Tribunis jactatum, illas quoque turbas concitavit, quas in Liciniis & Semproniis persequemur. Erat is annus Urbis ducentesimus sexagesimus octavus, ab exactis Regibus vicesimus quartus.

(a) *Viden. Diony. lib. 8. Valer. lib. 5. cap. 8. & lib. 6. cap. 3. Cic. pro domo.*

CASSIA TABELLARIA

DE JUDICIIS.

Secuta post biennium Gabiniam de magistrabus mandandis Cassia est de populi judicio. Ea a nobili homine lata est L. Cassio, sed dissidente a bonis, atque omnes rumusculos populari ratione aucupante. Hæc Cicero lib. tertio de legibus. Idem in Bruto scribit L. Cassium multum potuisse, non eloquentia, sed dicendo tamen; qui non liberalitate, sed ipsa tristitia & severitate popularis fuit. *Cujus quidem legi Tabellariæ*, inquit, *M. Antius Briso tribunus plebis diu restitit, M. Lepido Consule adjuvante. Eaque res P. Africano vituperationi fuit; quod ejus auctoritate de sententia deductus Briso putabatur.* & postea: *Judicia populi, quibus aderat Carbo, jam magis patronum desiderabant tabella data: quam legem L. Cassius Lepido & Mancino Consulibus tulit*, M. Æmilius Lepidus Porcina, & C. Hostilius Mancinus Consules fuere anno sexcentesimo sexto decimo, ut in Æmilia Sumptuaria scripsimus. Africani culpam indicat idem Cicero libro tertio. *Cassiæ*, inquit, *legis culpam Scipio tuus sustinet, quo auctore lata esse dicitur: tu si tabellariam tuleris, ipse præstabis.* De eadem lege in Lælio, & in Sextiana plura scribit. Nusquam tamen relatum inveni, in quo magistratu Cassius tum fuerit. Illius exceptionis in Cœlia mentionem fecimus, ut in perduellionis solo crimine non tabella, sed voce judicium perageretur: quod illa lege abrogatum est. Hic est ille L. Cassius, qui identidem in causis quærere solebat, cui bono fuisset, ut Asconius libro secundo in Verrem notat & Cicero in Rosciana priore. A quo Cassiani judices optimi quique & justissimi appellati sunt.

CASSIA

DE DAMNATIS.

M. Tullius apud Pedianum in Corneliana scribit principium justissimæ libertatis Cassiam fuisse, qua lege suffragiorum vis potestasque convaluit, & alteram Cassiam, quæ populi judicia firmavit. Hæc ita Pedianus interpretatur; ut de Tabellaria illa superiore, & de hac ipsa, qua de agimus, Tullius senserit: latamque fuisse dicit a L. Cassio L. F. Longino, qui Consul cum

cum C. Mario fuit anno Urbis sexcentesimo quadragesimo sexto. Is plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulisse dicitur: in quibus hanc, ut quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in Senatu ne esset. Gerebat autem simultates cum Q. Cæcilio, qui ante biennium Consul fuerat; cui populus, quod male adversus Cimbros pugnasset, imperium abrogaverat. Hæc Asconius; quem in his, quæ de Cæcilio scribit, memoria lapsum putaverim; cum Florus (a) libro sexagesimo septimo eadem de Qu. Servilio Cæpione scribat, quod ex Plutarcho in Mario, & Eutropio libro quinto cognosci potest: aut pro Qu. Cæcilio, Qu. Cæpione legendum est. Qu. vero Cæcilius Metellus, ne in Appulejam juraret, in exsilium abiit sexto Marii Consulatu.

(a) *Flor. lib. 69. Appian. lib. 1. bell. civ. Cic. post reditum, & pro Balbo, & pro domo.*

CASSIA

DE PATRICIIS.

C. Cæsarem Dictatorem lege Cassia Senatorum patriciorumque numerum auxisse Cornelius Tacitus libro undecimo scribit: *Iisdem*, inquit, *diebus in numerum patriciorum adscivit Claudius vetustissimum quemque e Senatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus majorum, & L. Brutus minorum gentium appellaverant; exhaustis etiam, quas Dictator Cæsar lege Cassia, & princeps Augustus lege Sentia sublegere.* Suetonius quoque eum & Senatum suppleviss, & patricios adlegisse significat. Notaque sunt, quæ de novis Senatoribus, & de angustis sedibus jocose illis diebus dicta fuere (a). Patricii tum dicebantur, qui a patribus, hoc est senatoribus, descendebant; de quibus Ulpianus & Justinianus (b) senserunt, cum aut Quæstoris officium, aut populi significationem ostendunt. Aliis (c) tamen locis Senatores quosdam significant insigni quadam & supra omnes illustres viros dignitate præstantes.

(a) *Macro. Quinctil.* (b) *l. unic. D. de off. Quæst. in Instit. de jure natur. p.* plebiscitum. (c) *l. ult. D. de Senat. in Instit. quib. mo. jus p. p. sol. p.* filius. *l.* nemini. *l. ult. C. de consulib. lib. xii. l. ult. C. de decurio. lib. 10. Novel. 38. 62. 81.*

CINCIA MUNERALIS

SIVE DE DONIS ET MUNERIB.

Plauti verba sunt; *Neu muneralem legem, neu lenoniam roga: fuerit necne, flocci æstimo.* Sex. Pompejus hæc ita interpretatur, ut Muneralis sit, qua Cincius cavit, ne cui liceret munus accipere. Latam esse hanc legem arbitror a M. Cincio Alimento Tribuno plebis, qui cum Prætore & decem legatis in Siciliam trajecit, ut de P. Scipionis exercitu inquireret, M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano Consulibus, ut Livius refert lib. vicesimo nono. Namque his consulibus Cicero in Catone Majore scribit, Q. Fabium Maximum senem admodum legem Cinciam de donis & muneribus suasisse. & libro secundo de oratore, *M. Cincium*, ait, *quo die legem de donis & muneribus tulit, cum C. Centho prodisset, & satis contumeliose, Quid fers Cinciole, quæsisset; ut emas Cai*, respondisse, *si uti velis*. Ejusdem legis Livius (a) in his, quæ de lege Oppia abroganda Cato dixerat, mentionem facit: *Quid*, inquit, *legem Cinciam de donis & muneribus excitavit, nisi quod vectigalis jam & stipendiaria plebs esse Senatui cœperat?* (b) Arnobius de eadem libro secundo contra gentes, & Tacitus lib. undecimo, tertio decimo, & quinto decimo: qui solus ne quis ob caussam orandam pecuniam, donumve acciperet, hac lege fuisse cautum scribit. Id Claudium lege restituta ad sestertia dena moderatum fuisse. Ulpianus (c) centum aureos nummos permitti lib. octavo de omnibus tribunalibus scribit. Quæ omnia, etsi aliquando tenuerint, usu abrogata sæpius sunt. Denique ad hanc legem Julius Paulus librum singularem scripsit, ex quo illud sumptum est, quod libro primo Digestorum (d) extat: *Contra legem facit, qui id facit quod lex prohibet: in fraudem vero, qui salvis verbis, legis sententiam ejus circumvenit.*

(a) *Liv. lib. 34.* (b) *Adde Cic. li. 1. epist. ult. ad Atticum. Plin. lib. 5. epist.*

(c) *l. 2. p.* si cui. *de extraor. cog.* (d) *l.* contra. *de legib.*

CLAUDIA

DE TUTELIS FEMINARUM.

De hac lege nihil aliud accepimus, quam quod Leonis constitutione continetur (a): *Constitutione*, inquit, *divæ memoriæ Constantini lege Claudia sublata pro antiqui juris auctoritate, salvo manente adgnationis jure, tam consanguineus, id est, frater, quam patruus, ceterique legitimi ad pupilarem feminarum tutelam vocantur.* Hanc esse Constantini constitutionem arbitror, quæ lib. tertio Theodosianar. reperitur aliqua ex parte deminuta. *In feminis*, inquit, *tutelam legitimam consanguineus patruus non recuset* (b). Vereor tamen ne non lex Claudia ad tutelas feminarum pertineret, de quibus Cicero in oratione pro L. Muræna & pro L. Flacco. Etenim veteri jure omnes mulieres propter infirmitatem consilii in tutorum potestate erant. Hanc perpetuam tutelam Severinus appellat libro secundo Topicorum Tullianorum; qua liberari mulieres dicit, cum in manum viri convenissent. Sed tutela hæc in usu non est, & nulla sexus in tutelis differentia est, modo in ætate pupillari sint.

(a) *l. 3. C. de legit. tut.* (b) *Vidend. Livius initio. lib. 34.*

CLAUDIA

DE NAVIBUS.

Q. Claudius Tribunus plebis, C. Flaminio, qui cum Cn. Servilio Gemino eodem anno Consul iterum designatus fuit, legis suasore, tulit hanc legem, ut ne quis Senator, quive Senatoris pater esset, maritimam navem, quæ plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet. *Id satis habitum* (inquit Livius in calce libri vicesimi primi) *ad fructus ex agris vectandos; quæstusque omnis patribus indecorus visus est.* Erat is annus Urbis quingentesimus trigesimus quintus. De hac lege Cicero in libro de suppliciis in Verrem: *Noli*, inquit, *metuere Hortensi, ne quæram, qui licuerit ædificare navem Senatori. antiquæ sunt istæ leges, & mortuæ, quemadmodum tu soles dicere.* Hoc idem lege Julia repetundarum (a) Senatoribus prohibetur.

(a) *l. 3. de vaca & excu. mun.*

CLAUDIA

DE SOCIIS.

Livius libro quadragesimo primo scribit C. Claudio Ap. F. Pulcro, Ti. Sempronio P. F. Graccho Coss. anno Urbis quingentesimo septuagesimo sexto, legatos sociorum nominis Latini questos esse in Senatu cives suos plerosque Romam migrasse, deserta oppida, desertos agros, brevi nullum militem dare posse: genera fraudis esse, quod lex sociis nominis Latini qui stirpem ex sese domi relin-

querent, dabat, ut cives Romani fierent. Hos ne stirpem domi relinquerent, liberos suos quibusquibus Romanis ea conditione ut manumitterentur, mancipio dare, libertinosque cives esse: quibusque stirpes deesset, cives Romanos fieri per migrationem & censum. Itaque C. Claudius Coss. legem de sociis tulit, & edixit, Uti qui socii, ac nominis Latini ipsi majoresve eorum, M. Claudio, T. Quinctio Censoribus, postque ea apud socios nominis Latini censi essent; omnes in suam quisque civitatem ante Kal. Novembres redirent: quæstio, qui ita non redissent, L. Mummio Pr. decreta est. Ad legem, & edictum Consulis, Senatusconsultum adjectum est: ut Dictator, Consul, Interrex, Censor, Prætor, qui nunc esset, apud forum, cum manumitteretur, in libertatem vindicaretur, ut jusjurandum daret qui eum manumitteret, civitatis mutandæ caussa manu non mittere; qui id non juraret eum manumittendum non censuerunt. Hæc in posterum caussa, jurisque dictio C. Claudio Consuli decreta est. Huic legi Licinia & Mucia similis fuit, de qua suo loco dicemus.

CLODIA ANNONIANA

SIVE FRUMENTARIA.

P. CLODII, qui se P. Fontejo in adoptionem dedit, ut Tribunus plebis fieret, quatuor leges fuisse Asconius (a) ait: Annonianam, quæ summe popularis fuit, Ut frumentum, quod antea populo semissibus ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur: alteram de obnuntiatione tollenda: tertiam de collegiis: quartam de Censoria nota. Has in Tribunatu L. Calpurnio Pisone, A. Gabinio Consulibus tulit, post Romam conditam anno sexcentesimo nonagesimo quinto. Easdem Fontejas appellari posse facile dixerim; sed quia nusquam id nomen aut auctori legum, aut ipsis legibus inditum legi, magis frequentato usus sum. De hac nostra Cicero in Sextiana conqueritur quintam prope partem vectigalium remissis trientibus & semissibus ærarium perdidisse. In Appuleja autem diximus, C. Sempronii Gracchi de eadem re legem fuisse, qua frumentum hac modica pecunia dabatur, item Appulejum similem promulgasse; Clodium vero totam eam pecuniam sustulisse. Hanc libertatem Cæsares secuti sunt; quorum vestigia manent libro undecimo Constitutionum ab Justiniano (b) collectarum.

(a) *Cice. in orat. de domo. Asco. in Pison.* (b) *C. de navicul. & C. de can. fru. ur. Ro. & C. de fru. ur. const. & C. de fru. Alex. lib. 11.*

CLODIA

DE OBNUNTIATIONE.

HAC lege Æliam & Fusiam abrogatas fuisse antea scripsimus. Hac enim cavebatur, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo servaret. Et quidem Gellius libro tertio decimo scribit in edicto Consulum, quo edicere solebant, quis dies comitiis centuriatis futurus esset, scribere solitos ex vetere forma perpetua: NE QUIS MAGISTRATUS MINOR DE COELO SERVASSE VELIT. Minores autem magistratus appellabant, quorum minora auspicia erant. Maxima auspicia consulum, Prætorum, Censorum. sed Censores Consulibus aut Prætoribus collegæ non fuerunt. Prætores Consulibus fuerunt. Itaque Censores tantum inter se; & Prætores, Consulesque inter se turbabant & retinebant auspicia. Sed quod majus imperium Consulum erat, quam Prætorum, Prætor Consuli non obnuntiabat, licet ejus collega esset. Reliqui minores magistratus erant, qui tributis comitiis fiebant: nam majores centuriatis. Hæc Gellius ex M. Messalæ Au-

A guris de Auspiciis libro primo, & tertio decimo C. Tuditani. Hac eadem de re Tullianæ leges extant præclaræ: VIS IN POPULO ABESTO. PAR MAJORQUE POTESTAS PLUS VALETO. AST CUI TURBASSITUR IN AGENDO, FRAUS AUCTORIS ESTO. INTERCESSOR REI MALÆ SALUTARIS CIVIS ESTO. QUI AGENT AUSPICIA SERVANTO. AUGURI PUBLICO PARENTO. His omnibus fiebat, quod idem Tullius ait, ut licet nonnunquam bonis legibus impedimento mali cives essent, tamen impediri bonam legem melius erat quam concedi malas. Cetera in Ælia persecuti sumus. Hujus legis Cicero mentionem facere videtur in Antoniana secunda his verbis:
B *Quisquam ne divinare potest, quid vitii in auspiciis futurum sit, nisi qui de cœlo servare constituit? quod neque licet comitiis per leges; & si quis servavit, non habitis comitiis, sed priusquam habeantur, debet nuntiare.*

CLODIA

DE COLLEGIIS.

TERTIA lege P. Clodius collegia restituit, a Senatu antea sublata; novaque instituit, quæ Cicero (a) ait innumerabilia fuisse, eaque ex
C omni fece Urbis ac servitiorum constituta. Sed si modus ea in re fuisset, sodalitates, collegiaque hujusce modi, dum ne quid ex publico jure corrumpant (b), & Solonis lege, & Duodecim tabularum permissa sunt. Qua de re in Duodecim plenius.

(a) *Cice. in Piso. & pro Sexti.* (b) *l. ult. D. de collegiis.*

CLODIA

DE CENSORIA NOTA.

QUARTA Clodii lex fuit. Ne quem Censores in Senatu legendo præterirent, neve qua ignominia afficerent; nisi qui apud eos accusatus,
D & utriusque Censoris sententia damnatus esset. Hæc Pædianus. Cicero hac de re in Sextiana: *Consulibus illis tacentibus lata lex est, ut Censoria notatio, & gravissimum judicium sanctissimi magistratus de Rep. tolleretur.* & in Pisonem: *Quadringentos annos judicium rationemque Censoriam tenueramus: eam potestatem minuere, quominus de moribus nostris quinto quoque anno judicaretur, nemo tam effuse petulans conatus est.* De initio, & potestate Censoria in Æmilia ex Livio libro nono scripsimus: ex quibus apparet aliquando imminutam quinquennalem potestatem, & non totos quadringentos annos Romanos ea potestate usos.
E Eleganter quoque a M. Cicerone in oratione Cluentiana, quanti notæ Censoriæ faciendæ essent, perscriptum est.

CLODIA

DE VICTORIATIS.

VICTORIATUM lege Clodia percussum esse Plinius (a) ait: namque antea ex Illyrico advectum mercis loco habitum fuisse, nomenque ex Victoria, qua signatus erat, habuisse scribit. Victoriam ab eo dictam Varro (b) significat, quod
F superati vinciantur; eamque cum corona & palma fingi, quod corona vinculum capitis est, palma autem ex utraque parte natura vincta habet paria folia; vel quia (ut Plutarchus apud Gellium (c) scribit) prementibus urgentibusque non cedat. Valusius Mæcianus in libello de asse: *Victoriatus tantundem*, inquit, *valet, quantum olim quinarius. At peregrinus nummus loco mercis, ut tunc tetradrachmum & drachma habebatur. Denarius primo asses decem valebat, unde & nomen traxit: quinarius dimidium ejus,*

(a) *Plin. lib. 33. cap. 3. Livius lib. 41.* (b) *Varro lib. 4. de ling. Lat.* (c) *A. Gellius lib. 3. cap. 6.*

id eſt, quinque aſſes, unde & ipſe vocatur: ſeſtertius duos aſſes & ſemiſſem. Nunc denarius ſexdecim, Victoriatus & quinarius octo, ſeſtertius quatuor aſſes valet. Hæc Mæcianus, quæ magna ex parte cum Plinio conveniunt, & non aliena ſunt ab Juſtiniani conſtitutionibus (d), Quis autem hujus legis auctor fuerit, quove tempore ea promulgata ſit, ignoramus.

(d) *l. ult. C. de donat. p.* poſtea. *in Inſt. de ſucceſ. libert.*

CLODIA
DE SCRIBIS

SUETONIUS auctor eſt Domitianum Scribas Quæſtorios ex conſuetudine, ſed contra legem Clodiam, negotiantes, venia donaſſe. De hoc ſcribarum ordine, Cicero in Frumentaria: *Ordo eſt honeſtus*, inquit, *quis negat? eſt vero honeſtus, quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ periculaque magiſtratuum committuntur.* Illic etiam perſequitur eos, qui ſcribarum nomine quidquam detrahunt: ut omnis hæc nundinatio lege Clodia recte amota ſit. De qua tamen lege nihil amplius accepi.

CORNELIA BÆBIA
DE AMBITU.

ANNO poſt Urbem conditam quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo P. Cornelius Lucii filius, Publii nepos Cethegus, M. Bæbius Q. F. Cn. N. Tamphilus Conſules leges de ambitu ex auctoritate Senatus ad populum tulerunt, ut Livius ſcribit libro quadrageſimo (a). Legis capita, aut pœnam ipſe non expreſſit: quod in Petilia, quæ prima de hoc crimine lata eſt, deſideramus: item apud Florum libro quadrageſimo ſeptimo. Sed hiſtorici juriſconſultorum munere fungi noluerunt, exſtantibus præſertim tabulariis legum in ære inciſarum. De Calpurnia de ambitu antea dictum eſt.

(a) *Livi. lib.* 7.

CORNELIA TESTAMENTARIA
NUMMARIA SIVE DE FALSO.

L. CORNELIUS, Lucii filius, Publii nepos, Sulla Felix dictator perpetuus anno Urbis ſexcenteſimo ſeptuageſimo primo factus eſt: in ea poteſtate pæne regia multa conſtituit, quæ nos ſingillatim perſequemur. Ac principio Pomponius (a) refert quæſtiones publicas conſtituiſſe de falſo, de parricidio, de ſicariis; prætoreſque quatuor adjeciſſe. De falſo legem Macer (b) Corneliam de teſtamentis, Juſtinianus (c) teſtamentariam & de falſis, Cicero teſtamentariam nummariam appellant. De qua Imperator ita ſcribit: *Item lex Cornelia de falſis, quæ etiam teſtamentaria vocatur, pœnam irrogat ei qui teſtamentum vel aliud inſtrumentum falſum ſcripſerit, ſignaverit, recitaverit, vel ſubjecerit, vel ſignum adulterinum fecerit, ſculpſerit, expreſſerit ſciens dolo malo. Ejuſque legis pœna in ſervos ultimum ſupplicium eſt, quod etiam in lege de ſicariis & veneficis ſervatur, in liberos vero deportatio.* Aſconius in Prætura urbana Corneliam teſtamentariam nummariam interpretatur eam eſſe, quæ de moneta ſcripta eſſet: ut ne quis privatus pecuniam faceret. Sed & Ulpianus (d) eadem de re, *Lege*, inquit, *Cornelia cavetur, ut qui in aurum vitii quid addiderit, qui argenteos nummos adulterinos flaverit, falſi crimine teneatur.* Eadem lege exprimitur, ne quis nummos ſtagneos, plumbeos, emere, vendere dolo malo vellet. Præerant huic muneri Triumviri Monetales, auri, æris, argenti flandi, feriundi gratia creati: de quibus Cicero in epiſtola ad Trebatium, & Pomponius (e) libro ſingulari enchiridii. Ad hanc legem multa Juſtinianus libro quadrageſimo octavo Digeſtorum ex variis juris interpretum locis collegit.

(a) *l.* 2. *p.* c. *D. de orig. jur.* (b) *l* 1. *D. de pu. jud.* (c) *in Inſt. eo. p.* Item. *l. Corn. Cic. li.* 3 *in Verrem.* (d) *l.* lege. *D. de l. Cor. de falſ.*

(e) *d. l.* 2. *p.* deinde cum eſſet.

CORNELIA.
DE SICARIIS ET VENEFICIS.

LEGE *Cornelia de ſicariis & veneficis*, inquit Marcianus (a) *tenetur qui hominem occiderit, cujusve dolo malo incendium factum erit, qui hominis occidendi, furtive faciendi cauſſa cum telo ambulaverit, quive cum magiſtratus eſſet, publicove judicio præeſſet, operam dediſſet, quo quis falſum judicium profiteretur, ut quis innocens conveniretur, condemnaretur. Præterea tenetur, qui hominis necandi cauſſa venenum confecerit, dederit: quive falſum teſtimonium dolo malo dixerit, quo quis publico judicio rei capitalis damnaretur: quive magiſtratus judexve quæſtionis ſub capitalem cauſſam pecuniam acceperit, ut publica lege reus fieret.* De veneno alio loco idem (b) ſcribit cap. quinto ejuſdem legis caveri, qui venenum malum necandi hominis cauſſa fecerit, vel vendiderit, vel habuerit, plecti. Cicero in oratione pro A. Cluentio hæc eadem legis verba refert: *Jubet*, inquit, *lex ea, qua lege hæc quæſtio conſtituta eſt, judicem quæſtionis cum iis judicibus qui ei obvenerint, quærere de veneno. In quem quærere? Infinitum eſt*: QUICUNQUE FECERIT VENDIDERIT EMERIT HABUERIT DEDERIT. QUI VENENUM MALUM FECIT FECERIT: *omnes viri, mulieres, liberi, ſervi in judicium vocantur. Quid eadem lex ſtatim adjungit?* DEQ. EJUS CAPITE QUÆRITO, QUI TRIBUNUS MILITUM LEGIONIBUS QUATUOR PRIMIS, QUIVE QUÆSTOR TRIBUNUS PLEBEI. *Deinceps omnes magiſtratus nominavit.* QUIVE IN SENATU SENTENTIAM DIXIT DIXERIT: QUI EORUM COIT COIERIT CONVENIT CONVENERIT QUO QUIS JUDICIO PUBLICO CONDEMNETUR. Hac parte equites Romanos, qui in magiſtratu non erant, non teneri, ex ipſis verbis defendit: eamque prius a C. Sempronio Graccho, deinde a L. Sulla latam non multo poſt ſignificat (c). Item de falſo teſtimonio eadem caveri: QUI COIERIT CONVENERIT CONSENSERIT FALSUMVE TESTIMONIUM DIXERIT. De eo vero qui cum telo ambulaverit, idem in Miloniana, *Perſapienter*, inquit, *& quodammodo tacite dat ipſa lex poteſtatem defendendi, quæ non modo hominem occidi, ſed eſſe cum telo hominis occidendi cauſſa vetat.* Hujus criminis legiſque pœnam Juſtinianus (d) ait eandem eſſe, quæ in lege ſuperiore, ut ultimo ſupplicio puniantur non ſervi tantum, ut ſupra ſcriptum eſt, ſed homicidæ ultore ferro, venefici capite damnentur: quibus contingit eos qui artibus odioſis tam venenis, quam ſuſurris magicis homines occiderint. Sed Marcianus (e) Corneliæ de ſicariis pœnam fuiſſe ait, inſulæ deportationem, & omnium bonorum ademptionem: ſolitos tamen poſtea capite puniri, niſi honeſtiores eſſent. Sicarios a ſica, quem ferreum cultrum Juſtinianus (f) interpretatur, appellari conſtat. Teli vero appellatio latius patet: quidquid enim manu in aliquem mitti poteſt, comprehenditur. Jam vero Suetonius ſcribit C. Cæſarem in exercenda de ſicariis quæſtione eos quoque ſicariorum numero habuiſſe, qui in proſcriptione ob relata civium Romanorum capita pecunias ex ærario acceperant, licet Cornelius legibus exciperentur. Sed & Cajus (g) libro ſeptimo decimo ad edictum provinciale lege Cornelia caveri ſcribit, ut de

(a) *l.* 1. *D. ad l. Corn. de ſic.* (b) *l.* 3. *eod. tit.* (c) *d. l.* 1. & *l.* is qui. *C. eod.* (d) *p.* item. *lex Cornelia de falſ. in Inſt. de pub. Jud.* (e) *p.* item *lex Cornelia de ſicar. eod. tit. l.* 3. *fin.* (f) *d. p. de ſicariis.* & *l.* ſi calvitur. *D. de verb. ſigni.* (g) *l.* lege Cornelia. *D. de S. C. Silanian.*

præmio accusatoris, qui requisivit & renunciavit eos servos qui ex ea familia ante quæstionem fugissent, ut in singulos servos, quos convicerit, quinque aureos ex bonis occisi, aut si inde redigi ea quantitas non possit, ex publico accipiat. *Præterea cavetur*, inquit, *ut de his qui ante quæstionem habitam fugerint, si aperto testamento liberi scripti inveniantur, lege de sicariis judicium fiat, ita ut ex vinculis caussam dicant, & convicti perinde ac servi puniantur, & ei qui convicerit, deni aurei præmii nomine dentur ex bonis damnati*. Hæc omnia latius in Digestis & Constitutionibus videre licet.

CORNELIA.

DE PROSCRIPTIONE.

CUM victis Marianis Sulla Urbem esset ingressus, & cives cædendi finis nullus fieret, Qu. Catulus dixisse fertur Sullæ: Cum quibus tandem victuri sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus: tum L. Sulla Fufidio primipilari auctore tabulam proscriptionis primus excogitavit. Ac principio octoginta tantum viros postea quadringentos proscripsit, ut Eutropius libro quinto scribit. Tulit autem de proscriptione legem, ut qui proscriptum recepisset, capitale esset; nemine neque fratre, neque filio, neque parente excepto. qui proscriptum occidisset, sive servum dominus, sive patrem filius interemisset, ei duo talenta mercedis nomine darentur. Proscriptorum quoque liberos honoribus privavit, & bona proscriptorum publicavit, positaque hasta vendidit. Hæc Plutarchus in Cornelii Sullæ vita. Cicero in Rosciana priore, quæ tota ad hanc legem pertinet, dubitare videtur, Valeria ne, an Cornelia lex hæc de proscriptione appellanda sit. *Verum ego*, inquit, *hos quæro, qui potuerunt ista ipsa lege, quæ de proscriptione est, sive Valeria est, sive Cornelia, (non enim novi, neque scio) verum ista ipsa lege bona Sex. Roscii venire qui potuerunt? Scriptum enim ita dicunt esse, ut eorum bona veneant, qui proscripti sunt, aut eorum qui in adversariorum præsidiis occisi sunt*. Dubitationis caussa esse videtur, quod, ut idem (a) scribit, L. Valerius Flaccus Interrex de Sulla Dictatore tulit, (b) ut omnia quæcumque ille fecisset, essent rata, utque quem vellet civium indicta caussa occidere posset: cum vero hæ omnes injustissimæ essent, ac per vim latæ, contemnere eas Cicero, atque earum minus peritus videri vult. De eadem lege Cicero in Prætura urbana sensit, cum docet lege Cornelia proscriptum juvari vetitum esse. Quod vero de proscriptorum liberis dicitur, sæpius tentatum est ut abrogaretur: sed Cæsar eos primus ad honores admisit, ut Suetonius scribit. Eadem lege arbitror agros publicatos quorumdam municipiorum, & coloniarum, quæ Marianorum partes sequebantur, ut Cicero in Rullum tertia oratione ostendit.

(a) *Cic. de lege agraria lib. 3. & de leg. li. 1.* (b) *Appian. lib. 1. bell civil. Flor. lib. 89.*

CORNELIA

DE TRIBUNIS PLEBIS.

HOC quoque Sullæ fuit adversus plebejos, (a) ut Tribuniciam potestatem multis modis minueret. Abstulit enim Tribunis jus legum ferendarum; quo jure omnem Rempubl. conturbare solebant, lege præsertim Hortensia plebiscitis confirmatis. Abstulit (b) honores alios, magistratusve habendi potestatem: quod postea C. Cotta Consul lege Aurelia lata restituit. Illud denique Tribunis solum reliquit, ut, cum injuriæ faciendæ potestatem non haberent, auxilium ferendi haberent facultatem. At-

(a) *Flor. lib. 89.* (b) *Appian. lib. 1. bell. civil. Asco. in Corn. Cic. lib. 3. de legib.*

A que ea plane caussa fuit Tribunos creandi, ut auxilio essent ne cui injuria fieret: quamobrem prehensionem habebant, vocationem non habebant. Extat Macri Tribuni plebis oratio ex historiis Salustii, (c) qua lex hæc abroganda curatur. Enumerat autem, qui Tribuniciam potestatem aut restituere, aut evertere conati sint: de quibus in Sicinia dicemus. In ea oratione vim Tribuniciam telum a majoribus libertati paratum appellat, servitutem vero eum rerum statum. Constat autem Cn. Pompejo Consule, neque Cæsare, neque M. Crasso altero Consule invito, Tribuniciam potestatem fuisse restitutam.

B (c) *Gell. lib. 13. cap. 12.*

CORNELIA

SUMPTUARIA.

SUMPTUARIAS leges Ammianus Marcellinus lib. sextodecimo scribit, ex rhetris Lycurgi sumptas fuisse, diuque observatas, & jam senescentes reparasse Sullam. Diodorus Siculus libro duodecimo bibliothecæ, Zaleucum omnium optimas Locrensibus tulisse, quibus & convivia & sodalitates coercuit: & aureis annulis aut delicatis vestibus uti vetabat, excepC tis mœchis, aut lenonibus; mulieres una plus ancilla uti, nisi temulenta foret; item domo noctu egredi ne liceret, nisi ad amatorem iret. Ita prius magnum crimen confiteri oportebat, quam deliciis sumptibusque operam darent, quibus ad illa facilis aditus pateret. Sed ut ad Corneliam redeamus, ea cœnarum sumptus coercebatur. Namque, ut Gellius (a) scribit, Kalendis, Nonis, Idibus, atque ludorum diebus, feriisque quibusdam solemnibus, sestertiis tricenis cœnam parare jus potestasque erat; ceteris tantum ternis. Macrobius (b) hac lege non magnificentiam conviviorum prohibitam fuisse ait, sed minora pretia rebus venalibus imposita. Plutarchus (c) D Sullam non solum de sumptibus cœnarum, sed de funerum quoque sumptibus leges tulisse scribit, quas postea facile migraverit. Hanc legem secuta Æmilia est, de qua antea scripsimus.

(a) *Lib. 2. cap. 24.* (b) *Lib. 3. Satur.* (c) *In Sulla.*

CORNELIA

JUDICIARIA.

IDEM L. Sulla equites Romanos, quos primus C. Sempronius Gracchus lege lata judices fecerat, judicare vetuit; & in Senatorum potestatem juE dicia restituit. Decem solos annos judicaverunt, ut Cicero in Verrinis scribit. Aurelia enim lege tribus ordinibus Senatorum, Equitum, & Tribunorum ærariorum judicia commissa sunt.

CORNELIA.

DE ORDINE MAGISTRATUUM.

SIVE hic magistratuum gerendorum ordo a Sulla constitutus lege lata sit, sive id sine lege servari voluerit, Appianus scribit non antea Prætorem, quam Quæstorem, neque antea Consulem, F quam Prætorem fieri permisisse. Item intra decennium nemini eundem magistratum dari jussisse. De Quæstura idem Ulpianus (a) scribit, ingressum esse & primordium gerendorum honorum, sententiæque in Senatu dicendæ. Tulliana tamen lex Ædilibus hoc tribuit, ut is primus ascensus sit ad honoris amplioris gradum. Et in Verrinis paulo amplius quam privatum Ædilem se vocat, licet Quæstor antea in Sicilia fuisset. Itaque sic constituendum est, Quæstores primo, postea Ædiles, deinde Prætores, po-

(a) *l. uni. D. de offic. Quæst. Cic. lib. 3. de legib.*

stremo

ſtremo Conſules veteres magiſtratus conſtituiſſe. His ætatem Annali lege certam fuiſſe conſtitutam conſtat, ut in Julia Annali ſcribemus. De decem annis Livius libro ſeptimo: *Apud quoſdam*, inquit, *invenio L. Genutium Tribunum Plebis tuliſſe ad populum, ne fœnerare liceret: item aliis plebiſcitis cautum, ne quis eundem magiſtratum intra decem annos caperet; neve duos magiſtratus uno anno gereret; utique liceret Conſules ambos plebejos creari*. Ea lege Florus ſcribit libro quinquageſimo ſexto Scipionem Æmilianum ſolutum fuiſſe ſecundo conſulatu, priori vero Annali. M. Tullii lex illa eſt ex legibus translata: EUNDEM MAGISTRATUM NI INTERFUERINT DECEM ANNI NE QUIS CAPITO. ÆVITATEM ANNALI LEGE SERVANTO. Huc quoque pertinet, quod in Miloniana de P. Clodii petitione ſcriptum eſt, qui, ſuo anno relicto, Præturam proximo petiit. & Philippica XI. *Qui ex Ædilitate Conſulatum petit, ſolvatur*, inquit, *legibus*.

CORNELIA

DE SOLUTO LEGIBUS.

HÆC lex non a Sulla, ſed a C. Cornelio tribuno plebis lata eſt, C. Calpurnio Piſone, M. Acilio Glabrione Conſulibus, poſt Romam conditam anno ſexcenteſimo octogeſimo ſexto. Hic poſtea accuſatus majeſtatis, quod intercedente collegas legis codicem acceperat ab ſcriba & legerat, defenſus eſt a M. Tullio duabus orationibus, quæ hodie non exſtant. Aſconii interpretatio exſtat, qua quid hac lege contineretur, cognovimus. Antiquo jure cautum erat, ne quis niſi per populum legibus ſolveretur: & in omnibus ſenatuſconſultis, quibus aliquem legibus ſolvi placebat, adjiciebatur, ut de ea re ad populum ferretur. Sed poſtea & ferri deſitum eſt, & nonnunquam ne de rogatione quidem ad populum ferenda in Senatuſconſultis adjiciebatur & Senatuſconſulta per paucos fiebant. Itaque C. Cornelius primo tulerat, ut ne quis niſi per populum legibus ſolveretur; id cum obtinere non potuiſſet, contentus fuit ea lege, ut ne quis in Senatu legibus ſolveretur, niſi ducenti adfuiſſent; neve quis cum ſolutus eſſet, intercederet, cum de ea re ad populum ferretur. Ulpianus (a) lib. III. decimo ad legem Juliam & Papiam Principem legibus ſolutum eſſe ſcribit, Auguſtam non eſſe. Id etiam per populum fieri olim ſolebat lege Regia lata, de qua poſtea. Sed mihi antiqua illa lex, quam Duodecim tabularum fuiſſe arbitror, magis e re publica fuiſſe videtur, ut cum populus legis condendæ ſolus poteſtatem haberet, idem abrogandæ legis, atque aliqua ex parte ei derogandæ poteſtatem haberet. (b) Idem de principe dicendum eſt; modo uterque non levi de cauſa moveatur.

(a) l. Princeps. *D. de legib.* (b) *l.* de quibus. *D. de legib. l.* Barbarius. *de offic. præt. l. ult. C. de leg. l.* digna. *eo.*

CORNELIA

DE EDICTIS PERPETUIS.

IDEM tulit, (a) ut Prætores ex edictis ſuis perpetuis jus dicerent: quæ res gratiam ambitioſis Prætoribus, qui varie jus dicere aſſueverant, ſuſtulit, ut Pedianus ſcribit. Nemo eſt qui ignoret Prætores edicta propoſuiſſe, ut ſcirent cives, quod jus de quaque re quiſque dicturus eſſet. id jus Prætorium, vel Honorarium dicitur (b); quod Prætores introduxerunt, adjuvandi, vel ſupplendi, vel corrigendi juris civilis gratia, propter utilitatem publicam. Hinc Publiciana actio appellata eſt, quam Publicus Prætor primus in edicto propoſuit: primus quoque Rutilius edixit ſe amplius non daturum patrono, quam operarum & ſocietatis actionem: poſteriores Prætores certæ partis bonorum poſſeſſionem pollicebantur. Itaque ſingulorum edicta, dum ipſi in magiſtratu erant, ſervabantur: quorum cum intra annum eſſet imperium, Prætoris edictum legem annuam appellabant. Actiones quoque tanto tempore durabant (c). Sed ſive hac lege juberentur ſibi conſtare, & non varie edicta eodem anno proponere; ſive ut eodem pacto omnes translaticiis edictis uterentur, quo Hadriano & Salvio Juliano deberi multi putant; conſtat Julianum perpetuum edictum collegiſſe, idque ab Hadriano Imp. edicto atque Senatuſconſulto confirmatum (d). Sed fieri potuit, ut quod a Cornelio conſtitutum eſt, uſu receptum non ſit; aut cum ne ea quidem lex tolleret veterum edictorum varietatem, Hadriano reſtituere optimam hanc juris partem operæ pretium eſſe viſum ſit.

(a) *l. 2. p.* eodem tempore. *D. de orig. jur.* (b) *l. jus* autem civile. *de juſtit. & jure. In Inſtitu. de actio. p.* ſed iſtæ quidem. *l. 1. D. de bon. liber.*

(c) *In Inſtit. de perpe. & temp. act. in princ. Cic. lib. 3. in Verrem* (d) *l. ii. p.* ſed quia divinæ. C. *de vet. jure enu. l.* ſi quis ſervum. C. *de cond. indeb.*

CORNELIA

DE CAPTIVIS.

JULIANUS (a) libro quadrageſimo ſecundo Digeſtorum ſic ſcribit: *Lege Cornelia teſtamenta eorum qui in hoſtium poteſtate deceſſerint, perinde confirmantur, ac ſi qui ea feciſſent, in hoſtium poteſtatem non perveniſſent; & hereditas ex his ad unumquemque pertinet*. Quæ ita intelligenda ſunt; non ut teſtamentum, quod is apud hoſtes fecit, valeat, (nam id ne illo quidem domum redeunte valet) ſed quod antea, dum in civitate eſſet, fecit; ſi illic deceſſerit, valeat ex lege Cornelia; ſin autem redierit, jure poſtliminii. (b) Paulus quoque libro ſingulari ad legem Falcidiam ſcribit, ad eos quoque pertinere, qui apud hoſtes moriuntur, propter legem Corneliam, quæ perinde eorum teſtamenta confirmat, atque ſi in civitate deceſſiſſent. Addit Julianus, bona eorum qui in hoſtium poteſtate deceſſerint, ſive teſtamenti factionem habuerint, ſive non habuerint, ad eos pertinere, ad quos pertinerent, ſi in hoſtium poteſtatem non perveniſſent. *Idemque jus*, inquit, *in eadem cauſa omnium rerum jubetur eſſe lege Cornelia, quæ futura eſſet; ſi hi de quorum hereditatibus & tutelis conſtituebatur, in hoſtium poſtatem non perveniſſent*.

(a) *l.* lege Corn. *D. qui teſtam. fa. poſt.* (b) *In Inſt. quib. non eſt perm. fac. teſt. §. ult. l. 1. p.* lex Falc. *D. ad l. Falcid. l.* bona. *D. de captiv.*

CORNELIA

DE INJURIIS.

HUJUS legis auctorem Sullam putamus ex verbis Venuleii Saturnini (a). Illud Ulpianus (b) ſcribit, ex hac lege injuriarum agere poſſe, qui ſe pulſatum, verberatumve, domumve ſuam vi introitam eſſe dicat. Eadem lege caveri ait, ut non judicet, qui ei qui agit, gener, ſocer, vitricus, privignus, ſobrinuſve eſt, propriuſve eorum quemque ea cognatione adfinitateve attinget, quive eorum ejus, parentiſve cujus eorum, patronus erit. Permittitur autem actori jusjurandum deferre, ut reus juret injuriam ſe non feciſſe. Paulus vero lib. V. ſententiarum ſcribit: *Injuriarum actio ex lege Cornelia conſtituitur, quotiens quis pulſatur, vel cujus domus introitur ab his qui vulgo derectarii appellantur, in quos extra ordinem*

(a) *l.* hos accuſare. *in fi. de accuſ.* (b) *l.* lex Cornel. *D. de injur. Vide. l.* nec in ea. *ad l. Jul. de adul. & p.* ſed & lex Corn. *in Inſtit. de inju.*

animadvertitur. Derectarii sunt, qui in aliena cœnacula se dirigunt furandi animo, qui plus quam fures puniendi sunt (c). Hæc itaque lex ad illos tres casus pertinet, aliæ injuriæ aut legibus Duodecim tabularum, aut Prætoris edicto coercentur.

(c) *l. ul. D. de extraord. crim. l. 1. de effract. & expil.*

CORNELIA

MAJESTATIS.

INCERTUS etiam hujus legis est auctor. Tantum enim reperio C. Cornelium hac lege fuisse accusatum, L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato Consulibus, quod intercessioni collegæ Tribunus plebis non obtemperaverit: defensus tamen a Cicerone est, & absolutus magno numero sententiarum, ut Asconius refert. In Pisonem quoque ita scriptum est: *Mitto exire de provincia, educere exercitum, bellum sua sponte gerere, in regnum injussu populi aut Senatus accedere: quæ cum plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia Majestatis, Julia de pecuniis repetundis planissime vetant*. Et in epistola ad Lentulum de eadem Ciceronem sensisse existimo illis verbis: *Quoniam ex Senatusconsulto provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in Urbem introisset*. & in alia ad Ap. Claudium de triginta diebus, qui ad decedendum de provincia lege Cornelia constituti essent; item alia de sumptibus quam maxime ad legem Corneliam legatis decernendis. Ex quibus arbitror totam rem provincialem hac lege constitutam; ne, specie imperii legitimi, quidquam contra Rempublicam novaretur.

CORNELIÆ

INCERTÆ.

DE repetundis fortasse lex quoque Cornelia fuit, ex illis verbis Ciceronis in oratione pro Rabirio Postumo: *Jubet lex Julia persequi ab his, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus sit, pervenerit*. Hoc totidem verbis translatum caput est, quot fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Servilia. Eodem quoque pertinere potest, quod libr. IV. in Verrem idem scribit, leges Cornelias ne rejiciendi quidem amplius, quam trium judicum facere potestatem.

DE LUDIS. Marcianus (a) libro quinto regularum scribit ex lege Titia, & Publicia, & Cornelia sponsionem facere licere in his ludis, qui virtutis causa fierent.

DE PLAGIARIIS. Apulejus libro octavo: *Crimen*, inquit, *legis Corneliæ incurram, si civem Romanum pro servo tibi vendidero*. De hoc crimine in Fabia videndum est. Hæc itaque sunt, quæ de Corneliis legibus certis incertisque reperimus.

(a) *l.* in quibus. D. *de aleat.*

DECIA

DE DUUMVIRIS NAVALIBUS.

C. JUNIO Bubulco Bruto tertium, Q. Æmilio Barbula iterum Coss. duo imperia dari cœpta sunt per populum pertinentia ad rem militarem: alterum ut a populo crearentur Tribuni militum, de quibus in Atilia Marcia vidimus: alterum, ut Duumviros navales classis ornandæ reficiendæque caussa idem populus juberet. M. Decius Tr. pl. ad plebem id tulit. Hæc Livius lib. IX. Ante primum bellum Punicum Romani nullam pæne rei maritimæ operam dabant: terrestria bella finitimorum magno animo atque industria gerebantur. Primus C. Duilius Consul navalem de Siculis & classe Punica, egit triumphum Kalendis Intercalaribus, anno Urbis quadringentesimo nonagesimo tertio, post unum & quinquaginta annos quam hæc lex lata est. Tum primum classem ædificatam Polybius lib. I. scribit; antea sociorum classe utebantur. Itaque leve fuisse illorum Duumvirum officium crediderim.

DIDIA

SUMPTUARIA.

POST decem & octo annos quam lex Fannia lata est, hoc est, anno Urbis sexcentesimo decimo, Ap. Claud. Pulchro, Q. Metello Macedonico Consulibus hanc legem esse latam Macrobius libro tertio scribit: Ut eadem lege universa Italia teneretur; utque non solum qui prandia, cœnasve majore sumptu fecissent, sed etiam hi qui ad ea vocati essent, aut eis interfuissent, pœnis ejusdem legis tenerentur. Secuta est hanc legem Licinia, de qua suo loco videndum erit.

DOMITIA

DE SACERDOTIIS.

TERTIO C. Marii Consulatu, ut Paterculus ait libro secundo, Cn. Domitius Tribunus plebis tulit, ut Sacerdotes, quos antea collegæ sufficiebant, populus crearet (a). Dion tamen scribit libro trigesimo septimo Sullam hanc legem abrogasse, & Cicerone Consule per Labienum restitutam. De hac lege Cicero in quadam epistola ad M. Brutum ita scribit: *Ciceronem nostrum in vestrum collegium cooptari volo. existimo omnino absentium rationem Sacerdotum comitiis posse haberi: nam etiam factum est antea. C. enim Marius cum in Cappadocia esset lege Domitia factus est augur, nec quominus id postea liceret, ulla lex sanxit*. Eodem loco Juliæ de Sacerdotiis mentio fit, de qua posterius.

(a) *Videnda oratio 2. in Rullum. Cic. & Suet. in Neron.*

DUILIA DE TRIBUNIS

PLEBIS ET PROVOCATIONE.

QUO anno Virginiæ cædes Decemvirorum, qui legibus scribendis erant creati, imperio finem attulit: plebis secessione in Aventinum, Sacrumque montem Tribuni plebis creati sunt (a): in quibus M. Duilius, qui insignem Tribunatum ante Decemviros gesserat, & L. Icilius. Is statim plebem rogavit, plebesque scivit, ne cui fraudi esset secessio. Duilius de Consulibus cum provocatione creandis rogationem tulit. Creati sunt valde populares L. Valerius, M. Horatius, qui leges Sacratas tulere; Ut quod tributim plebs jussisset, populum teneret; item de provocatione, Ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet: qui creasset, eum jus fasque esset occidi; denique de Tribunis, Ut qui eis nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset. Tum M. Duilius Tribunus plebem rogavit, plebesque scivit; Ut qui plebem sine Tribunis reliquisset, quique magistratum sine provocatione creasset, tergo ac capite puniretur. Id partim Consulari lege sanciebatur, partim superioribus consequens erat. Cicero libro tertio prioris partis legem finxit: SANCTIQUE SUNTO, NEVE PLEBEM ORBAM TRIBUNIS RELINQUUNTO. Ad hanc legem pertinet quod Gellius ait libro tertio, Tribunos plebis nullum diem abesse Roma licere: ne si omnes abessent, plebem sine Tribunis relinquerent. Quod vero de provocatione dictum est; id in Dictatore negligi cœpit, T. Quinctio Capitolino sextum, Agrippa Menenio Lanato Consulibus, ut Livius scribit libro quarto.

(a) *Liv. lib. 3.*

Annus is erat trecentesimus quartus decimus post Romam conditam, cum ante decem annos leges de provocatione latæ fuissent.

DUILIA MENENIA

FENEBRIS UNCIARIA.

IN Varronis sententiam itum est (a), fenus, a fetu dictum esse, quasi pecunia eos fructus pariat, ut apud Græcos τόκος, ἀπὸ τοῦ τίκτειν. Hinc fenebres leges dici, quæ de hujusmodi nummorum fetu latæ essent, Pompejus scribit; Livius vero libro septimo C. Marcio Rutilo, Cn. Manlio Consulibus de unciario fenore a M. Duilio, L. Menenio Tribunis plebis latum esse anno Urbis trecentesimo nonagesimo sexto. Eam usuram levem fuisse ex parum læto vultu patrum, & cupiditate plebis apparet. Cumque semisses esse usuras sciamus in singulos annos, inque denarios centenos, denarios senos, & eadem ratione trientes, bessesque usuras interpretemur; semper unciarias centesimi nummi in annos singulos interpretatus sum. Non desunt tamen quibus placeat centesima ipsa usura, sed menstrua, eo præsertim argumento, quod ad semunciarium fenus post decem annos redacta sit, T. Manlio Torquato, C. Plautio iterum Consulibus. Tacitus libro quinto, in Duodecim amplius unciario fenore exigi prohiberi; Tribunitia rogatione ad semuncias redactum; postea vetitam versuram; postremo Cæsarem Dictatorem tulisse de modo credendi, ac possidendi intra Italiam. Hæc Taciti opinio nonnihil a Livii historia discrepat. Sed & ipse Livius in calce ejusdem libri. *Invenio apud quosdam*, inquit, *L. Genucium Tribunum plebis tulisse ad populum ne fenerare liceret*. Ejus legis Appianus libro primo mentionem facere videtur, cum de morte A. Sempronii Aselli Prætoris scribit, de qua Florus libro septuagesimo quarto. Sed hæc in Genucia, & in duodecim plenius.

(a) *Gell. lib. 16. cap. 12. Sex. Pomp. verbo* fenus. *Non. de pp. serm.*

FABIA

DE PLAGIARIIS.

HAc lege cavetur, ut Callistratus ait (a), *Ut liber homo, qui hominem ingenuum, vel libertinum invitum celaverit, vinctum habuerit, emerit, sciens dolo malo; quive in earum qua re socius erit; quique servo alieno, servæve persuaserit, ut a domino dominave fugiat; vel eum, eamve invito vel insciente domino dominave celaverit, vinctum habuerit, emerit sciens dolo malo; quive in ea re socius erit; ejus pœna teneatur*. Datur autem interdictum, (b) quod de libero homine exhibendo dicitur, ut exhibeatur is qui detinetur. Lege Fabia (c) pœna nummaria crimen coercetur. Ea tamen pœna in usu esse desiit; & pro delicti modo major minorve infligitur; nonnunquam gladio aut metallo rei plectuntur. Marcianus (d) hæc ejusdem legis verba refert: SI SCIENS DOLO MALO HOC FECERIT: propterea quod bona fide mancipium possidens non punitur. Ejusdem legis Cicero in Rabiriana perduellionis mentionem facit: neque extat antiquior hujus legis memoria. Addit Paulus (e) lege Fabia prohiberi servum, qui plagium admisit, pro quo dominus pœnam intulit, intra decem annos manumitti, mortis tempore, non testamenti facti numerandos.

(a) *l.* non statim. *in fine. D. de lege Fab. de plag. Paulus lib. 5. sententiar.* (b) *l. 1. & 3. D. de libero hom. exhib. Paul. uti supra.* (c) *l. ult. D. & C. ad l. Fab. de plag.* (d) *l. 3. D. eod. tit.* (e) *l.* lege Fabia. *D. de manu. l.* in bello. *p.* si deportatum. *de captiv.*

FALCIDIA

TESTAMENTARIA.

P. FALCIDIUS Tribunus plebis, L. Antonio, P. Servilio Isaurico iterum Consulibus, anno Urbis septingentesimo duodecimo legem tulit de testamentis (a). Cujus duo capita Paulus (b) libro singulari ad eandem legem refert: *Lex Falcidia*, inquit, *lata est, quæ primo capite liberam legandi facultatem dedit usque ad dodrantem his verbis*: QUI CIVES ROMANI SUNT, QUI EORUM POST HANC LEGEM ROGATAM TESTAMENTUM FACERE VOLET: UT EAM PECUNIAM EASQUE RES QUIBUSQUE DARE LEGARE VOLET JUS POTESTASQUE ESTO. *Secundo capite modum legatorum constituit his verbis*: QUICUNQUE CIVIS ROMANUS POST HANC LEGEM ROGATAM TESTAMENTUM FACIET, IS QUANTAM CUIQUE CIVI ROMANO PECUNIAM JURE PUBLICO DARE LEGARE VOLET JUS POTESTASQUE ESTO, DUM ITA DETUR LEGATUM NE MINUS QUAM PARTEM QUARTAM HEREDITATIS EO TESTAMENTO HEREDES CAPIANT. EIS QUIBUS QUID ITA DATUM LEGATUMVE ERIT, EAM PECUNIAM SINE FRAUDE SUA CAPERE LICETO: ISQUE HERES QUI EAM PECUNIAM DARE JUSSUS DAMNATUS ERIT, EAM PECUNIAM DEBETO DARE QUAM DAMNATUS EST. Hac lege consultum est heredibus (c), quibus ex verbis legis Duodecim tabularum minime erat cautum, si testatores totam hereditatem legatis exhausissent. Ac licet Furia & Voconia modus esset legatis adhibitus, ne plus uni legatario, quam heredi; neve cuiquam plus mille aureis nummis legaretur: plenius consultum est hac lege. Quid enim si pluribus minutis legatis patrimonium consumpserit; Eusebius (d) tamen in ea opinione est, ut quæ de retinenda quarta portione dicuntur, tum vera sint, cum quatuor aut pauciores heredes sunt: at si plures, tunc semissem retinere possint. Quo jure portio filiis debita ex Justiniani constitutione datur (e). Ego tamen Eusebio non facile crediderim. Illud constat; (f) si excesserit dodrantem testator, pro rata portione legata per legem ipso jure minui: sed detrahendum esse quod extra bonorum quantitatem est, deinde quod ex bonis apud heredem remanere oportet. Nam si quingenta legaverit, qui habebat quadringenta, prius quinta, postea quarta pars detrahi debet. Jam vero si velit testator omnia sine hujus legis diminutione, uti dilucide testamento scripta sunt, dari; veteri quidem jure non observabatur: Justiniano (g) pium visum est testatoris voluntatem exsequi. Longum esset omnia persequi, quæ in omnibus Justiniani libris hac de lege conscribuntur. Ad legem Falcidiam (h) Rutilius Maximus librum singularem scripsit, & Julius Paulus alterum, ex quibus aliquot extant in libris Digestorum capita.

(a) *Dion. lib. 48. Suidas, Euseb. in chron. Isidorus libr. 5. etym. c.* quædam *dist. 2.* (b) *l. 1. D. ad Falc.* (c) *In Instit. de lege Falc. in principi. ubi Theoph. vi.* (d) *Euseb. in chron.* (e) *Nov. 18. Authen. de trien. & sem.* (f) *l.* in quantitate. *in fi. D. ad l. Falc.* (g) *l.* quod in bonis. *p. 1. D. ad l. Falc. No. 1. c. 2. Auth. de hered. & Falc. p.* si vero expressim. (h) *l.* si heres centum. *D. de le. 1. l. 1. & 3. ad l. Falc. l.* ideoque. *de ritu nupt. l. grege de leg. 2. l.* quod dicimus. *de ritu nupt.*

FANNIA.

SUMTUARIA.

GELLIUS lib. 11. Noctium (a) ex Ateii Capitonis collectaneis refert, *Senatus decretum vetus C. Fannio Strabone, M. Valerio Messalla Coss. factum*, anno urbis quingentesimo nonagesimo secundo, *quo jubentur principes civitatis, qui ludis Megalensibus mutitarent, id est, mutua convivia agita-*

(a) *Cap. 24.*

rent, jurare apud Consules verbis conceptis non amplius in singulas cœnas sumptus esse facturos, quam centenos vicenosque æris, præter olus, & far, & vinum; neque vino alienigena, sed patrio usuros; neque argenti in convivio plus, quam libras centum illaturos. Post id Senatusconsultum legem Fanniam fuisse latam, quæ ludis Romanis, item plebeiis, & Saturnalibus, & aliis quibusdam diebus in singulos dies centenos asses insumi concessit, decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos, ceteris denos. Athenæus libro sexto legem Fanniam plures tribus convivas præter domesticos adhiberi; nundinis tamen, quæ ternæ singulis mensibus fiunt, plures quinque vetare scribit. Cibaria denis sestertiis emi permitti, carnis vero aridæ non plus quindenis libris in singulos annos insumi: terra vero nata, uti olera & legumina lege permissa, non æstimanda. Plinius libro decimo naturalis historiæ (b) sic scribit: *Gallinas saginare Deliaci cœpere. hoc primum antiquis cœarum interdictis exceptum invenio jam lege C. Fannii Consulis, undecim annis ante tertium Punicum bellum, ne quid volucrum poneretur, præter unam gallinam, quæ non esset altilis. quod deinde caput translatum per omnes leges ambulavit.* Et Tertullianus (c): *Quonam illæ*, inquit, *leges abierunt, sumptum & ambitionem comprimentes? quæ centum æra non amplius in cœnam subscribi jubebant, nec amplius quam unam inferri gallinam, & eam non saginatam. Video enim centenarias cœnas a centenis jam sestertiis dicendas.* Hanc legem, ut Macrobius (d) scribit, C. Titius suasit, lata autem est duobus & viginti annis post Orchiam, quæ prima de cœnis lata est, qua numerus convivarum præscribebatur. Ingenti autem omnium ordinum consensu pervenit ad populum. Eo enim res redierat, ut Sammonicus Serenus a Macrobio relatus scribit; ut gula illecti plerique ingenui pueri pudicitiam & libertatem suam venditarent, plerique ex plebe Romana vino madidi in comitium venirent, & ebrii de Reipub. salute consulerent. Fanniam post annos decem & octo Didia est consecuta, de qua antea scripsimus. De terra natis, quæ ut Athenæus ait, lege excipiebantur, exstat elegans Ciceronis ad Gallum epistola (e): *Lex*, inquit, *sumptuaria, quæ videtur λιτότητα attulisse, ea mihi fraudi fuit: Nam dum volunt isti lauti terra nata, quæ lege excepta sunt, in honorem adducere; fungos, heluellas, herbas omnes ita condiunt, ut nihil possit esse suavius. Ita ego, qui me ostreis & murænis facile abstinebam, a beta etiam & malva deceptus sum.*

(b) *Cap.* 1. (c) *Tertul. in apologet.* (d) *Macrob. lib.* 3. *Saturn.* (e) *lib.* 7. *epist.* 26.

FLAMINIA AGRARIA.

M. ÆMILIO Lepido, M. Publicio Malleolo Coss. anno post Romam conditam quingentesimo vigesimo primo C. Flaminius C. F. Tribunus plebis, qui postea bis Consul & Censor fuit, & ad Thrasimenum occisus est, legem tulit (a); Ut ager Picenus, unde Senones Galli fuerant expulsi, militibus divideretur. Tulit eam legem tum Senatu, tum omnibus optimatibus perinvitis, quem pater suus concilium plebis habentem de templo deduxit (b). Templum (c) dicebatur locus augurii aut auspicii caussa quibusdam conceptis verbis finitus. Eam tamen legem fuisse perlatam Polybius ostendit, qui ea de caussa Gallicum bellum excitatum fuisse scribit, quod viderent Galli non de gloria, sed de præda Romanos contendere.

(a) *Polyb. lib.* 2. *Cic. in Lucullo, & in Bruto.* (b) *Cic lib.* 2. *de inven.* (c) *Varro lib.* 6. *de ling. Lat. Gell. lib.* 14. *c.* 7 *Sex. Pomp. verbo* contemplari. *& verbo* minora templa.

FRUMENTARIÆ LEGES.

De his in Appuleja, Clodia, Octavia, & Sempronia.

FUSIA CANINIA

DE TESTAMENTARIA MANUMISSIONE.

PAULUS in calce libri quarti sententiarum scribit lege Fusia Caninia caveri, ut certus servorum numerus testamento manumittatur: a duobus usque ad decem, pars dimidia: a decem usque ad triginta, pars tertia: a triginta ad centum, pars quarta: a centum ad quingentos, pars quinta: plures quam centum manumitti non posse (a). Addit Cajus lib. 1. institutionum nullam esse eorum manumissionem, qui supra eum numerum testamento manumittuntur: itaque nominatim eis libertatem relinqui oportere, & ordinem testamenti sequendum. Sed & si pro nomine artificium aut officium servi scribat; ex Senatusconsulto Orphitiano, ut Paulus scribit, perinde libertas competit, ac si nominatim data sit: nisi forte plures sint. nam impediunt se servi tum, cum confuse nominantur. Hac de causa recte Justinianus (b) scribit: *Libertas incertæ personæ non videbatur posse dari, quia placebat nominatim servos liberari.* Idem tamen Imperator hanc legem constitutione sustulit, neque minus voluit dominos testamento, quam vivos omnibus servis suis libertatem relinquere. Ad hanc legem Paulus (c) librum singularem scripsit, ex quo aliqua in Digestorum libris referuntur, huic legi accommodata.

(a) *Vidend. Vopisc. in Tacito.* (b) *In Instit. de legat. p.* liber. *l. unica. C. de lege Fus. can. tol. & in Inst. eod. titu.* (c) *l.* si quis eum. *D. de cond. & demonst. l.* potestatis. *de verb. signi.*

FUFIA INCERTA.

CICERO in Prætura Urbana: *Cedo mihi leges Atinias, Furias, Fufias, ipsam, ut dixi, Voconiam, omnes præterea de jure civili: hoc reperies in omnibus statui jus, quo post eam legem populus utatur.* Asconius, *Istæ omnes*, inquit, *de jure civili sunt; nihil continent criminum capitalium, publicique judicii.* Fufia familia plebeja fuit. Consulatum habuit ex ea primus Q. Fufius, Q. F. C. N. Calenus, cujus collega fuit P. Vatinius, odium populi Romani, anno septingentesimo sexto. Itaque hanc legem Tribuniciam fuisse arbitror. Illa enim Ciceronis longius ab eo tempore absunt. Quinctus quidem certe pater Caleni laudatur a Cicerone in Antoniana octava.

FURIA

TESTAMENTARIA.

TULIT *apud majores nostros*, inquit Cicero pro Balbo, *legem C. Furius de testamentis: tulit Q. Voconius de mulierum hæreditatibus: quas Latini voluerunt, asciverunt.* Lege Furia, ut Theophilus ait (a) jubebatur uni legatario non amplius mille aureis nummis legari posse. Qui plus accepisset, id quod plus esset, quadruplicatum restitueret. Hæc lex abrogata est lege Falcidia lata. Quantam enim cumque pecuniam dari legarive permissum est; dummodo ex eo testamento quarta portio hereditatis apud heredem maneret (b).

(a) *Theoph. in Instit. de l. Falc. in prin.* (b) *l.* 1. *D. ad leg. Falc.*

FUSIA

DE OBNUNTIATIONE.

QUI *malam rem nuntiat, obnunciat: qui bonam, annuntiat. Et proprie obnuntiare dicuntur augures qui aliquid mali ominis, sævumque videint. inde etiam etymologia hujus verbi est.* Hæc Ælius Donatus in Adelphis. Fuit autem obnunciatio

duabus legibus Ælia & Fusia confirmata. Centum prope annos servatæ hæ leges fuere. sed lege Clodia, L. Pisone, A. Gabinio Consulibus, abrogatæ sunt.

GABINIA TABELLARIA

DE MAGISTRATIBUS.

CICERO libro tertio de legibus scribit quatuor leges Tabellarias fuisse, quibus populo permittebatur suffragium non voce, sed tabella ferre. In quo magnam jacturam nobilitas fecit, propterea quod qui palam repugnare non auderent, per tabellam quidvis efficiebant. Prima Gabinia fuit de magistratibus mandandis, lata ab homine ignoto & sordido Gabinio Tr. pl. anno Urbis sexcentesimo quarto decimo, Cn. Calpurnio Pisone, M. Popilio Lænate Consulibus. Biennio post Cassia lata est de populi judicio. Papiria tertia fuit de legibus. Extrema Cœlia de perduellionis judicio, quod solum lege Cassia excipiebatur. Ita factum est, ut omnia, quæ ad populum pertinerent, suffragio decernenda tabella tecta a popularibus viris circumferrentur. Nam præter leges & magistratus mandandos, & judicia publica, nihil populo Romano relinquitur (a).

(a) *Polyb. lib. 6. Dionys. lib. 2.*

GABINIA

DE LEGATIONIBUS.

IDEM Cicero libro secundo epistolarum ad Q. fratrem scribit lege Gabinia sanctum esse, ut ex Kalendis Februariis ad Kalendas Martias legatis exterarum nationum quotidie Senatus daretur. Et in epistola ad P. Lentulum (a) negat Senatum haberi alia de re posse mense Februario toto nisi perfectis, aut rejectis legationibus. In Verrinis quoque de Prætura urbana, & de jurisdictione mensis Februarii in eandem rationem facit mentionem. Alterum ejusdem legis caput fuit; Ut neve in urbe versuram facere, neve ex syngrapha jus dicere adversus provinciales homines liceret (b). Lata autem hæc lex est ab A. Gabinio, non illo quidem qui Tribunus plebis de Pompeii Magni imperio in piratas legem tulit, & postea Consul cum L. Pisone fuit, (nam Tribunatus Gabinii biennio post gestus est, quam Verres accusatus est) sed ab altero ex eadem familia.

(a) *lib. 1. epist. 4.* (b) *Cic. lib. 5. & 6. ad Attic.*

GENUCIA FENEBRIS.

C. MARCIO Rutilo quartum, Q. Servilio Ahala Coss. anno Urbis quadringentesimo undecimo, invenire se apud quosdam Livius scribit in calce libri septimi, L. Genucium Tribunum plebis tulisse ad populum, ne fenerari liceret: item aliis plebiscitis cautum, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet: neu duos magistratus uno anno gereret, utique liceret Consules ambos plebejos creari. Sed an omnes has leges Genucius tulerit, Livius non dicit; immo magis dubitat, an eodem anno latæ sint. M. Cato initio libri de re rustica ita scribit: *Est interdum præstare mercaturis rem quærere, ni tam periculosum siet; & item fenerari, si tam honestum siet. Majores enim nostri sic habuerunt, & ita in legibus posuerunt; furem dupli condemnari, feneratorem quadrupli. Quanto pejorem civem existimarint feneratorem, quam furem, hinc licet existimari.* Ejusdem Catonis Majoris responsum a Cicerone (a) laudatur. Nam cum quæreretur ab eo, an maxime in re familiari expediret fenerari, respondit: An hominem occidere? nihil interesse

(a) *Cic. lib. 2. in fine de Offic.*

A existimabat hominem gladio aut fenore occidere: Tacitus (b) quoque & Appianus veterem legem fuisse scribunt, ut in Duilia retulimus, quæ fenerari, versuramque facere vetaret.

(b) *Tacit. lib. 5. Appian. lib. 1.*

GLITIA

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO.

CAJUS (a) libro singulari ad legem Glitiam: *Non est consentiendum parentibus, qui injuriam adversus liberos suos testamento inducunt, quod* B *plerumque faciunt maligne, circa sanguinem suum inferentes judicium novercalibus delinimentis, instigationibusque corrupti.* De hac lege nihil amplius accepi. Vereor tamen, ne non mendosus hic locus sit: nam neque hoc familiæ nomen est, ut in reliquis; neque id memini me alio loco legisse, præter M. Claudii M. F. Glitiæ Dictatoris cognomen, qui scriba fuerat, & coactus est abdicare, ludis tamen prætextatus interfuit. Hunc Suetonius (b) Iliciam, Florus C. Glauciam appellat. Sed Glaucia Serviliorum cognomen est, ut in Servilia repetundarum dicemus. Glitia Dictator fuit anno Urbis quingente- C simo quarto.

(a) *l.* non est. *D. de inoffic.* (b) *Suet. in Tiber. Flor. lib. 19. Fast. Capitol.*

HIRTIA.

HUJUS legis apud Ciceronem mentio fit in epistola M. Antonii, Philippica XIII. *Massiliensibus jure belli adempta reddituros vos pollicemini. An nescitis neminem Pompejanum, qui vivat, tenere lege Hirtia dignitates?* hæc Antonius. Tum Cicero, *Quisquam jam legis Hirtiæ*, inquit, *mentionem facit? cujus non minus arbitror latorem ipsum, quam eos, de quibus lata est, pœnitere. Omnino qui-* D *dem (mea sententia) legem appellare fas non est: & ut sit lex, non debemus illam Hirtii legem putare.* Hanc legem A. Hirtius, ut opinor, tulit, Pompejo superato, & C. Cæsare Dictatore perpetuo constituto. Quæ cum per vim lata fuisse videatur, legis nomen habere non merebatur.

HORATIA.

HÆC lex lata est a L. Valerio Potito, & M. Horatio Barbato Coss. qui primi Consules post Decemviros fuerunt, ut Livius libro tertio scri- E bit. Cum enim in tyrannidem conversa esset Decemvirorum potestas, cum ipsi legibus ferendis tantum creati essent, neque vellent magistratus ceteros sufficere: Appii Claudii luxuria effecit, ut Virginius filiam occideret, & in montem Aventinum ex Algido exercitus signa transferret, quo plebs quoque urbana se contulit, ut Pomponius (a) scribit. Hanc seditionem populares Consules creati popularibus legibus sedaverunt.

I. *omnium primum* (inquit Livius) *cum veluti in controverso jure esset, tenerentur ne patres plebiscitis, legem Centuriatis comitiis tulere, ut quod tributim plebs jussisset, populum teneret. Qua lege Tribunitiis* F *rogationibus telum acerrimum datum est.* Dionysius de eadem lege lib. XI. scribit, confirmatas fuisse leges, quas plebs Tributis comitiis tulisset, eademque potestate eas esse voluerunt, cum his, quas populus Rom. centuriatis comitiis ferret: capiteque sanxerunt, si quid adversus eas fecisse deprehensus esset, ejusque bona publicari jusserunt. *Plebiscitum est*, ut Justinianus (b) ait, *quod plebs plebejo magistratu interrogante, veluti Tribuno, constituebat: Lex vero, quod populus Senatorio magistratu interrogante*,

(a) *l. 2. p.* initium. *de orig. jur.* (b) *Inst. de jure nat. p. lex p.* plebiscitis.

veluti Consule. Appellatione populi, universi cives significantur, connumeratis etiam patriciis & Senatoribus. Plebis autem appellatione sine patriciis & Senatoribus ceteri cives. Centuriata comitia erant, ut superius jam vidimus, cum per quinque classes, quæ censu & ætate erant separatæ, populus Romanus suffragium ferebat. In quibus comitiis optimates principatum tenebant, quippe qui cum locupletiores essent, primum locum in suffragiis ferendis obtinebant. Curiata vero & Tributa comitia habebantur, cum per curias & tribus populus confuse suffragium ferebat: in quibus populares homines regnabant. Cum enim multo plures plebeji & egeni homines essent, quam locupletes & optimates; quod plebi placuisset, efficiebatur. Quamobrem Livius ait plebiscita confirmata esse, cum plebi concessum est, ut quod Tributis comitiis placuisset, id pro lege observaretur. Hæc tamen lex iterum in contentionem venit, & Hortensia lege opus fuit, quæ plebiscita iterum confirmaret; quod mox scribam.

II. *Aliam deinde Consularem legem* (inquit Livius) *de provocatione, unicum præsidium libertatis, Decemvirali potestate eversam non restituunt modo, sed etiam in posterum muniunt, sanciendo novam legem, Ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet. Qui creasset, eum jus fasque esset occidi; neve ea cædes capitalis noxæ haberetur.* Hujus legis a Dionysio mentio non fit: sed exactis Regibus, a P. Valerio Publicola latam esse scribit, ut provocare ad populum liceret; qua de re in Valeria lege dicemus. Namque, ut Livius lib. X. scribit, ter ab eadem familia post Reges exactos de provocatione latum est. Pomponius (c) quoque noster scribit exactis Regibus Consules duos esse constitutos, penes quos summum jus uti esset, lege rogatum est. sed ne per omnia regiam potestatem sibi vindicarent, lege lata factum esse, ut ab eis provocatio esset. Interdum tamen necessitatibus Reip. coacti, Dictatores in sex menses crearunt, a quibus neque provocandi jus fuit, & capitis animadversio eis data est. Sed dictatura CXX. annis ante L. Sullam intermissa fuit. Quadringentis vero annis, & eo amplius, a primo Dictatore, ipse Sulla se Dictatorem in tempus, non certum, ut antea, sed incertum, creari jussit: quem secutus C. Cæsar dictaturam perpetuam accepit. Eam deinde M. Antonius Cos. S. C. sustulit, ut Cicero initio Antonianar. scribit. Sed ad Imperatores ventum est, qui Remp. sine provocatione rexerunt.

III. Addit Livius: *Et cum plebem hinc provocatione, hinc Tribunicio auxilio satis firmassent, ipsis quoque Tribunis, ut sacrosancti viderentur, cujus rei prope jam memoria aboleverat, relatis quibusdam ex magno intervallo cæremoniis renovarunt: & cum religione inviolatos eos, tum lege etiam fecerunt, sanciendo, ut qui Tribunis plebis, Ædilibus, Judicibus, Decemviris nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset, familia ad ædem Cereris, Liberi Liberæque venum iret. Hac lege,* inquit, *juris interpretes negant quemquam sacrosanctum esse, sed eum qui eorum cuiquam nocuerit, sacrum sanciri. Itaque Ædilem prehendi, ducique majoribus magistratibus: quod etsi non jure fiat, (noceri enim ei, cui hac lege non liceat) tamen argumentum esse, non haberi pro sacrosancto Ædilem: Tribunos vetere jurejurando plebis, cum primum eam potestatem creavit, sacrosanctos esse. Fuere qui interpretarentur eadem hac Horatia lege Consulibus quoque & Prætoribus, quia eisdem auspiciis, quibus Consules, crearentur, cautum esse. Judicem enim Consulem appellari. Quæ refellitur interpretatio, quod his temporibus nondum Consulem Judicem, sed Prætorem appellari mos fuerit.* Hæc Livius de Horatia lege scribit: quem locum totidem verbis describere placuit, quoniam est ab eo Jurisconsultorum

(c) *l. 2. p.* exactis. *D. de orig.*

A more lex interpretata, Et quod ait Jurisconsultos dicere ea lege sacros homines fieri, qui illis magistratibus nocuissent, Macrobius libro III. ex Trebatio lib. IX. religionum scribit, mirum non esse cetera sacra violari nefas esse, homines ex legibus Diis sacros jus fuisse occidi. Nam veteres nullum animal sacrum in finibus suis esse patiebantur, sed abigebant ad fines deorum, quibus sacrum esset; animas vero sacratorum hominum diis debitas esse existimabant. Itaque quamprimum eas ad deos mittere curabant. In eam rationem Virgilianum carmen interpretatur:

Injecere manum Parcæ, telisque sacrarunt
——— Evandri

B Sed & Horatianum illud eodem pertinet:

Hic intestabilis & sacer esto.

Quod vero Livius ait Tribunos non hac lege, sed veteri jurejurando sacrosanctos esse constitutos: ad Sacratam legem pertinet, & ad sacramentum, cujus Dionysius lib. 6. mentionem facit. Qua de re in Sacratis legibus dicemus. jam vero quod Consulum mentionem esse factam negat, opinionem nostram, de qua in duodecim scripsimus, confirmat; Consules a veteribus Prætores esse appellatos, idque in duodecim tabulis cum de impuberibus Prætoris arbitratu verberandis scribitur, intelligendum esse. Nam-
C que in hac lege ne Judices quidem esse dictos ait. Consules autem & Prætores & Judices esse aliquando appellatos, ex efficta hac Ciceronis lege constat. REGIO IMPERIO DUO SUNTO, HIQ. PRÆEUNDO, JUDICANDO, CONSULENDO PRÆTORES, JUDICES, CONSULES APPELLANTOR. Quamobrem recte dictum est hac lege de plebeiis magistratibus actum. Ædiles vero, quorum hic mentio fit, Ædiles plebis sunt, qui ædibus sacris præerant: in quibus omnia scita sua plebs deferebat, ut Pomponius (d) describit. Nam Curules, ut etiam Prætores, ex patribus fuerunt post aliquot annos constituti, tum, cum placuit etiam ex plebe Consules creari. Decemviri autem, & judices
D qui fuerint, non facile dixerim, sed existimo minores aliquot plebis magistratus fuisse, de quibus in Æbutia nonnulla.

(d) *d. l. p.* eisdem temporibus. *& p.* deinde.

HORTENSIA.

IDEM Pomponius (a) scribit, cum esset in civitate lex 12. Tabularum & jus civile, quod ejus legis interpretatio fuit, essent & legis actiones, evenisse, ut plebs in discordiam cum patribus perveniret, & secederet, sibique jura constitueret, quæ jura plebiscita vocantur: mox cum revocata est plebs,
E quia multæ discordiæ nascebantur de his plebiscitis, pro legibus placuisse ea observari lege Hortensia; & ita factum esse, ut inter plebiscita & legem species constituendi interesset, potestas autem eadem esset. Justinianus (b) quoque cum & legis & plebisciti differentiam constituisset, de qua in Horatia diximus: *Sed & plebiscita,* inquit, *lege Hortensia non minus valere, quam leges cœperunt.* Item A. Gellius lib. XV. refert, Lælium Felicem lib. I. ad Qu. Mucium scripsisse Tribunos plebis neque advocare patricios, neque referre ad eos de re ulla posse. Ita ne leges quidem proprie dici, sed plebiscita, quæ Tribunis ferentibus accepta sunt. *Quibus rogationibus ante,* inquit, *patricii*
F *non tenebantur, donec Q. Hortensius Dictator eam legem tulit, ut eo jure, quod plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur.* Fuit autem hic Dictator creatus, ut Florus lib. XI. scribit, cum propter æs alienum, & graves & longas seditiones plebs in Janiculum secessisset. Qui cum plebem inde deduxisset, in ipso magistratu decessit. Post hanc legem, quicquid Tribunus plebis rogaverat, etsi vere plebiscitum esset, tamen lex dicebatur. Quamobrem Ulpianus (c) lib. XVIII. ad edictum scribit: *Lex Aquilia plebiscitum est, cum eam A-*

(a) *d. l. 2. p.* deinde cum esset. (b) *Instit. de jure nat. p.* plebiscitum. (c) *l. 1. ad l. Aq.*

quilius Trib. pleb. a plebe rogaverit . Quod non recte Theophilus interpretatur, ut cum seditio illa orta est, id plebiscitum ab Aquilio Tribuno rogatum sit. Nam ceteræ omnes leges a Tribunis latæ plebiscita appellantur, ut Falcidia, Semproniæ, Appulejæ, Clodiæ, quas Tribunicias quoque leges vocabant. Illas autem, quas Consules populum rogabant, Consulares M. Cicero de lege Agraria: *Leges sunt*, inquit, *veteres neque eæ Consulares, si quid interesse hoc arbitramini, sed Tribunitiæ, vobis, majoribusque vestris vehementer gratæ atque jucundæ, Licinia atque Æbutia*. Et in Sextiana oratione: *Quem non tam admiror*, inquit, *quod meam legem contemnat hominis inimici, quam quod se statuit omnino Consularem legem nullam putare*. Idem tamen Cicero Tribuni plebis rogationem plebiscitum appellat lib. II. de Finibus. Nam cum L. Tubulus Prætor in quæstione inter sicarios ita aperte pecunias cepisset ob rem judicandam, ut anno proximo P. Scævola Trib. pleb. ferret ad plebem, vellent ne de ea re quæri: *Quo plebiscito*, inquit, *decreta a Senatu est Consuli quæstio Cn. Cæpioni: profectusque in exilium Tubulus statim est, neque respondere est ausus. erat enim res aperta*.

Lege quoque Hortensia effectum est, ut Macrobius scribit lib. I. Saturnaliorum, ut nundinæ, quæ olim feriæ fuerant, factæ postea essent: ut rustici, qui nundinandi caussa in urbem venissent, lites componere possent. Namque, ut in superioribus scripsimus, dies aut festi, aut profesti erant, aut intercisi. Festis, ut Macrobius ait, inerant sacrificia, epulæ, ludi, feriæ. Profestis fasti, comitiales, comperendini, stati, præliares dies, quos superius persecuti sumus. Feriarum publicarum idem quatuor genera constituit: Stativas, quæ universo populo communes erant certis constitutisque diebus, quæ in fastis statis observationibus adnotatæ erant, ut Agonalia, Carmentalia, Lupercalia. Conceptivas, quæ quotannis a Magistratibus & Sacerdotibus concipiebantur in dies vel certos, vel incertos, ut sunt Latinæ, Paganalia, Sementinæ, Compitalia. Imperativas, quas Consules vel Prætores pro arbitrio potestatis indicebant. Quartum genus feriarum nundinas olim constituebant, quibus diebus conveniebant in Urbem ad negotia vel publica, vel privata. Octo enim diebus, ut Rutilius scripsit, in agris rustici opus faciebant, nono die intermisso rure ad mercatum, legesque accipiendas Romam veniebant. Qua de caussa tribus nundinis, ut in Cæcilia lege diximus, proponi legem oportebat, antequam acciperetur, ut ab omnibus cognosci diligenter posset. Hac itaque de caussa nundinæ lege Hortensia fastæ factæ sunt. Fastos autem dies veteres appellant eos dies, quibus Prætori licebat fari tria verba solemnia, DO DICO ADDICO. Ceteri nefasti dicebantur. Etenim, ne rusticæ operæ litium caussa impedirentur, permissum Prætori est, ut his feriarum diebus, etsi nefasti essent, jus tamen dicere liceret.

HOSTILIA DE FURTIS.

JUSTINIANUS lib. IV. Institutionum (a) ita scribit: *Præterea lege Hostilia permissum erat furti agere eorum nomine, qui apud hostes essent, aut Reipub. caussa abessent, quive in eorum cujus tutela essent*. Hanc legem Regiam, aut Consularem fuisse, aut Tribuniciam, nobis incertum est. Fuit quidem certe A. Hostilius Mancinus Consul ann. II. belli Persici: cujus collega fuit A. Atilius Serranus: item L. Mancinus Consul cum Q. Fabio Maximo Æmiliano ann. Urb. sexcentesimo octavo: & C. Hostilius Mancinus M. Æmilii Lepidi Porcinæ collega ann. DC. XVI. Hic est C. Mancinus, qui deditus est Numantinis: nec eum, ut ait Pomponius, acceperunt.

(a) *In Instit. de iis per quos age. poss. in princ.*

ICILIA.

HANC legem L. Icilius Trib. pl. tulit, M. Valerio, Sp. Verginio Coss. ut Dionysius lib. X. & Livius lib. III. scripserunt. Qua lege Aventinus mons publicatus est; ut populus in eo ubi vellet, domos ædificaret. Sententia autem legis hujusmodi erat, ut Dionysius scribit: *Quæcumque privati homines juste possident, earum rerum domini sint. Quæ vero vi aut clam ædificare aliquis cœpit, solutis ædificii sumptibus populo tradantur. Cetera, quæ publica sunt, ea populus sine ullo sumptu inter se dividat*. Hanc legem Livius scribit non licuisse Decemviris tollere: ita enim legum ferendarum potestas eis permissa est, modo ne Icilia lex de Aventino, aliæque Sacratæ leges abrogarentur. Quamvis vulgo mendosi Liviani libri circumferantur, & Acilia pro Icilia scribatur. Fuit autem L. Icilius, qui L. Verginii filiam despondit, quæ a patre interfecta est, ne ab Ap. Claudio Decemviro stuprum pateretur: & Livius eo loco Icilium Tribunicium, & virum acrem, & pro caussa plebis expertæ virtutis appellat.

JULIÆ LEGES.

NULLUM nomen legum est magis celebre ac frequentatum hoc ipso Juliarum legum. Quod C. Julii Cæsaris, & ejus filii Augusti honori est datum, quorum cognomen ad cæteros omnes Imperatores pervenit. Nam, ut Justiniani Novellam legem XLVII. (a) imitemur, sive vetustissimam illam Romanorum originem investigemus, Ascanius nobis Æneæ filius præsto erit, de quo optimus Poeta.

At puer Ascanius, cui nunc cognomen Julo
Additur, Ilus erat, dum res stetit Ilia regno.

Et non multo post:

Julius a magno demissum nomen Julo.

sive ad maximi imperii initia respiciamus, & magnum illum Cæsarem, & pium Augustum inveniemus, ut Justinianus scribit. Nam quod nuper in ea lege Severus additus est, mendosi cujusdam libri peccato accidit. In Veneto enim, & Florentino libro, ex quo Noricus manavit, scriptum est, *τὸν καίσαρα τὸν μέγαν καὶ αὔγουστον τὸν σεβαστόν*. Ulpianus (b) quoque cum vellet lib. XLVI. ad edictum ostendere familiam appellari plurium personarum, quæ ab ejusdem ultimi genitoris sanguine proficiscuntur: *Sicuti*, inquit, *dicimus familiam Juliam, quasi a fonte quodam memoriæ*. Has autem Julias leges permultas fuisse reperimus, quarum latores duos illos Cæsares fuisse, atque alios vetustiores ex eadem familia existimamus. Nos itaque prius de legibus Aug. quæ plures atque insigniores fuerunt: deinde de ceteris scribemus. Et principio de lege Julia de adulteriis coercendis videamus.

(a) *Aut. ut præp. nom. imp.* (b) *l.* pronunciatio *in fin. de verb. signif.*

JULIA DE ADULTERIIS.

ULPIANUS (a) libro primo de adulteriis scribit: *Hæc lex lata est a Divo Augusto*. Quærunt aliqui, cur, cum Augusto ex Octavia familia fuerit, ejus lex Julia dicatur. Quibus etsi lib. III. Emendationum satis, ut arbitror, fecimus; tamen hoc loco illud addemus, veteres præter duo illa adoptionis genera, quæ in vulgus nota sunt, cum quis apud populum, vel principem adoptatur, si sui juris est, vel apud magistratum, si in aliena potestate est, tertium adoptionis genus per testamentum habuisse. Heredem enim aliquem ea conditione faciebant, ut nomen ejus ferret, filiusque illius qui adoptabat eum testamento, esse diceretur. Sic T. Pomponius Atticus a Q. Cæcilio ejus avunculo adoptatus testamento, Q. Cæcilius Pomponianus dictus est,

(a) *l. 1. ad l. Juliam de adult.*

ut Varro & Cicero ſcribunt. Cujus rei veſtigia apud Cajum (b) lib. II. fideicommiſſorum permanent de his qui heredes rogant, ut eorum nomen ferant, *Nihil enim*, inquit, *male eſt honeſti hominis nomen adſumere*. Ulpianus quoque lib. LXXVI. ad edictum ſcribit ſolitos eſſe quoſdam ea conditione quidquam donare, ſi juret alter ſe ejus nomen laturum. Quam non eſſe donationem ſcribit, quia ob rem facta eſt, & res ſecuta eſt. Sed, ut Dion ſcribit, hæc teſtatoris adoptio lege lata confirmabatur. Itaque in hunc modum C. Cæſar Dictator filium C. Octavii & Attiæ, quæ filia M. Attii Balbi & Juliæ Cæſaris ſororis fuit, teſtamento adoptavit: qua de cauſſa C. Julius Cæſar Octavianus dictus eſt. Cui cognomen Auguſti, ut Suetonius ſcribit, additum poſtea fuit, quoniam loca religioſa, & in quibus augurato quid conſecraretur, auguſta appellabantur. Hujus autem legis verba ſunt apud eundem Ulpianum (c) in eodem lib. I. de adulteriis: NE QUIS POST HAC STUPRUM ADULTERIUM FACITO SCIENS DOLO MALO. Quæ verba & ad eum qui ſuaſit, & ad eum qui ſtuprum vel adulterium intulit, pertinere Ulpianus exiſtimat. Papinianus (d) vero lib. I. de adulteriis ſcribit: *Lex ſtuprum & adulterium promiſcue & καταχρηστικότερον appellat. Sed proprie adulterium in nupta committitur, propter partum ex altero conceptum compoſito nomine: ſtuprum vero in virginem, viduamve committitur, quod Græci φθορὰν appellant*. Addit Modeſtinus (e) libro I. regular. *Adulterium in nupta admittitur: ſtuprum in vidua, vel virgine, vel puero committitur*. Idem (f) ait lib. IX. differentiar. *Inter ſtuprum & adulterium hoc intereſſe quidam putant, quod adulterium in nuptam, ſtuprum in viduam committitur. Sed lex Julia de adulteriis hoc verbo indifferenter utitur. Capite quinto legis Juliæ*, ut idem Ulpianus (g) lib. II. ad legem Juliam de adulteriis ſcribit, *ita cavetur, ut viro adulterum in uxore ſua deprehenſum, quem aut nolit, aut non liceat occidere, retinere horas diurnas nocturnaſque continuas non plus quam viginti teſtandæ ejus rei cauſa, ſine fraude ſua jure liceat. Quod adjicitur*, inquit Ulpianus, TESTANDÆ REI GRATIA, *ad hoc pertinet, ut teſtes inducat teſtimonio futuros accuſatori deprehenſum reum in adulterio*. Quod vero dicitur: Quem aut nolit, aut liceat occidere: indicat non quemcumque adulterum occidi licere. Namque Macer (h) lib. I. publicorum judiciorum ſcribit id patri ſolum permiſſum. *Nam hac lege*, inquit, *cavetur, ut liceat viro deprehenſum domi ſuæ, non etiam ſoceri in adulterio uxoris occidere eum qui leno fuerit, quive artem ludicram ante fecerit, in ſcenam ſaltandi cantandive cauſſa prodierit, judiciove publico damnatus, neque in integrum reſtitutus erit, quive libertus ejus mariti, uxoriſve patris, matris, filii, filiæ utrius eorum fuerit, nec intereſt proprius cujus eorum, an cum alio communis fuerit, quive ſervus erit. & præcipitur, ut is maritus, qui horum quem occiderit, uxorem ſine mora dimittat*. Id ſecutus eſſe videtur Alexander Imperator (i), qui Gracchum, qui in adulterio noctu deprehenſum interfecerat, ſi ejus conditionis adulter fuerat, ut per legem Juliam impune occidi potuerit, crimine liberavit. Sin vero non poterat, quia & nox & juſtus dolor factum ejus relevabat, in exilium dari poſſe reſcripſit. *Capite ſeptimo*, ut Ulpianus (k) lib. II. de adulteriis ſcribit, *ita cavetur*: NE QUIS INTER DEOS REFERAT EUM QUI TUM SINE DETRECTATIONE CAUSSA ABERIT. *Neceſſario*, inquit Ulpianus, *adjicitur* SINE DETRECTATIONE. *Ceterum ſi quis evitandi criminis cauſſa id egit, ut Reipublicæ cauſſa abeſſet, nihil illi commentum hoc proficiat*. Sed & in alia provincia eos abeſſe vult, quam in ea, in qua deferuntur.

(b) *l.* facta. *p.* ſi vero nominis. *ad Treb. l.* hnc jure. *in fine. de don.* (c) *l.* hæc verba. *de adult.* (d) *l.* inter liberas. *p.* I. *eo.* (e) *l.* ſtuprum. *eo.* (f) *l.* inter ſtuprum. *de ver. ſignif.* (g) *l.* cap quinto *de adult.* (h) *l.* marito. *eo.* (i) *l.* Gracchus. *C. eod.* (k) *l.* ſi maritus *p.* I. *eo.* (l) *l.* patri. *eo.* (m) *l.* quod ait. (n) *l.* nihil intereſt. (o) *l.* nec in ea. (p) *l.* ſi adulterium. *p.* Imp. Marcus (q) *l.* mariti lenocinium (r) *l.* 2. *p.* I. *eo.*

Cetera quoto capite reperiantur, ignoramus. Sed quod de patre dicitur, ante quintum caput ſcriptum fuiſſe putamus. Qua de re Papinianus (l) lib. I. de adulteriis ita ſcribit: *Patri datur jus occidendi adulterum cum filia, quam in poteſtate habet. Itaque nemo alius ex patribus idem jure faciet, ſed nec filiusfamilias pater*. Et Ulpianus (m) lib. I. de Adulteriis: *Quod ait lex*, IN FILIA ADULTERIUM DEPREHENDERIT: *non otioſum videtur. Voluit enim ita demum hanc poteſtatem patri competere, ſi in ipſa turpitudine filiam de adulterio deprehendat. Labeo quoque ita probat: & Pomponius ſcripſit in ipſis rebus Veneris deprehenſum occidi. & hoc eſt quod Solo & Draco dicunt ἐνέργῳ*. Domi autem ſuæ deprehendi oportere ſcribit, vel generi ſui: quoniam majorem injuriam putavit Legislator, quod in domum patris aut mariti auſa fuerit filia adulterum inducere. Idem ſcribit: *Quod ait lex* INCONTINENTI FILIAM OCCIDAT: *ſic erit accipiendum, ne occiſo hodie adultero, reſervet & poſt dies filiam occidat, vel contra. Debet enim prope uno ictu & uno impetu utrumque occidere, æquali ira adverſus utrumque ſumpta. Si vero altero occiſo alter vulneratus eſt, etſi verbis legis*, ut Macer (n) lib. I. de publicis judiciis ſcribit, *non liberatur: tamen D. Marcus & Commodus reſcripſerunt impunitatem ei concedi. Quia licet interempto adultero filia poſt gravia vulnera ſupervixerit, quæ ei pater inflixerat: magis fato, quam voluntate ejus ſervata fuiſſe videbatur*. Addit Papinianus (o) l. I. de adulteriis: *Qui occidere poteſt adulterum, multo magis contumelia poterit jure adficere. Ideoque patri, non marito, mulierem & omnem adulterum permiſſum eſſe occidere, quod plerumque pietas paterni nominis conſilium pro liberis capit. Ceterum mariti calor & impetus facile decernentis fuit refrænandus*. Itaque patri, ut filiam & quemcunque adulterum occidat, permiſſum eſt: marito vero, ut turpem adulterum, non etiam uxorem. Sed tamen apud Papinianum (p) lib. XXXVI. quæſtionum, Marci & Commodi, item D. Pii reſcripta referuntur, quibus ultimum ſupplicium remittitur, cum ſit difficillimum juſtum dolorem temperare, & magis quia plus fecerit, quam quia vindicare ſe non debuerit, puniendus ſit. Itaque ſi humilis loci ſit, in opus perpetuum tradi; ſi honeſtior, in inſulam relegari jubetur. *Mariti lenocinium*, ut Ulpianus (r) libro quarto de adulteriis ſcribit, *eadem, lex coercuit, qui deprehenſam uxorem in adulterio retinuit, adulterumque dimittit. Debuit enim*, inquit, *uxori quoque iraſci, quæ matrimonium ejus violavit. Tunc autem puniendus eſt maritus, cum excuſare ignorantiam ſuam non poteſt, vel adumbrare patientiam prætextu incredibilitatis. Idcirco enim lex ita locuta eſt*, ADULTERUM IN DOMO DEPREHENSUM DIMISRITE: *quod voluerit in ipſa turpitudine deprehendentem maritum coercere*. Idem ſcribit: *Quod ait lex, adulterii damnatam ſi quis duxerit uxorem, ea lege teneri, an & ad ſtuprum referatur, videamus. quod magis eſt. Certe ſi ob aliam*, inquit, *cauſſam ea lege ſit condemnata, impune uxor ducetur*. Addit Ulpianus (q) illum quoque *plecti, qui pretium pro comperto ſtupro acceperit, ſive maritus ſit, ſive alius: ſi gratis remiſit, non plecti. Qui quæſtum ex adulterio uxoris ſuæ fecerit*, hoc eſt, qui quid acceperit, ut adulteretur uxor, *plectitur. Sed ſi ob negligentiam, vel culpam, vel quandam patientiam, vel nimiam credulitatem, extra legem poſitus eſt*. Idem Ulpianus lib. VIII. diſputationum ſcribit: *Lenocinii crimen lege Julia præſcriptum eſt, cum ſit in eundem maritum pœna ſtatuta, qui de adulterio uxoris ſuæ quid ceperit: item in eum qui in adulterio deprehen-*

ſam retinuerit. *Ceterum qui patitur uxorem ſuam delinquere, matrimoniumque ſuum contemnit, quique contaminationi non indignatur, pœna in adulterum non infligitur*. Ad hanc partem legis, ut a præceptore accepi, Auſonii Galli carmen pertinet:

Juriſconſulto, cui vivit adultera conjunx,
Papia lex placuit, Julia diſplicuit.

Papia enim matrimoniis favebat, Julia mariti lenocinium vindicabat. *Is quoque quaſi adulter punitur*, ut Papinianus lib. II. de adulteriis (s) ſcribit, *qui domum ſuam, ut ſtuprum adulteriumve cum aliena matrefamilias vel cum maſculo fieret, ſciens præbuerit, vel quæſtum ex adulterio uxoris ſuæ fecerit. Appellatione autem domus, habitatio quoque ſignificatur, & ſi amici quis domum præbuiſſet, tenetur*, ut Ulpianus (t) ait libro IV. de adulteriis: *Sed & ſi quis*, inquit, *in agro, balineove ſtuprum fieri præbuiſſet, comprehendi debet*. Idem Ulpianus (v) eodem libr. ait, intra ſexaginta dies poſt divortium, ne mancipia per manumiſſionem ſubducantur quæſtioni, manumitti ea a muliere prohibuiſſe. Tot enim dies marito dantur ad accuſandum, ut Alexander (x) reſcripſit. *Ipſa igitur* (inquit Ulpianus) *quæ divertit, omnes omnino ſervos ſuos manumittere vel alienare prohibetur, quia ita verba faciunt, ut ne eum quidem ſervum, qui extra miniſterium ejus mulieris fuit, vel in agro, vel in provincia, poſſit manumittere vel alienare. Quod quidem perquam durum eſt; ſed ita lex ſcripta eſt*. Additur idem de his qui poſt divortium comparati ſunt, item de paternis ſervis, & maternis, qui in miniſterium filiæ fuerant. De eiſdem ſexaginta diebus aliis locis (y) tractatur. Sed & Ulpianus (z) lib. XLVII. ad edictum ſcribit, Juliam legem, niſi certo modo divortium factum ſit, pro infecto habere. Qua de cauſſa Caji verba lib. III. ad legem Duodecim Tabular. ad hanc legem potius, quam ad Duodecim tabulas referenda eſſe arbitror. *Si ex lege*, inquit (a), *repudium miſſum non ſit, & idcirco mulier adhuc nupta eſſe videatur, tamen ſi quis eam uxorem duxerit, adulter non erit*. Illud notandum eſt, quod in omnibus libris (Tuſco excepto) mendoſum circumfertur, Ulpianum libro tertio de adulteriis ita ſcripſiſſe: *Si poſtulaverit accuſator, ut quæſtio habeatur de ſervo adulterii accuſato, ſive voluit ipſe intereſſe, ſive noluit. jubent judices eum ſervum æſtimari, & ubi æſtimaverint, tantam pecuniam, & alterum tantum um qui nomen ejus ſervi detulerit, ei ad quem ea res pertinet, dare jubebunt*. Scribunt alii, *Tantam pecuniam adulterum, & tantam eum* &c. nimis ridicule, cum adulter ſervus ſit. Et ad extremum ejus capitis ita ſcribendum eſt: *Notandum eſt, quod capite quidem nono cavetur, ſi ſervus adulterii accuſetur, & accuſator quæſtionem in eo haberi velit, duplum pretium domino præſtari lex jubet: at hic ſimplum*. Agebat autem de ſervis rei vel reæ, quæ abſoluta fuit, in quæſtione debilitatis aut mortuis. Vulgo vero ſcribitur, Quod hoc capite quidem non cavetur. Cui mendo cauſſam dedit levis quædam occaſio, quod in Florentino libro, ex quibus ceteri deſcripti intra CCCC. annos ſunt, alterum o hujus verbi NONO, deletum eſſe videatur. Ego vero non dubito priora illa verba, quæ mendoſa eſſe diximus in omnibus libris præter Florentinum, ex nono capite legis Juliæ ſumpta fuiſſe. Namque etiam Papinianus lib. II. de adulteriis (b) ſcribit: *De ſervo qui accuſator, ſi poſtuletur, quæſtio habetur: quo abſoluto, in duplum pretium accuſator domino damnatur*. Idem Diocletianus Domitio reſcripſit (c): *Dominis ſervorum per accuſatoris calumniam tortorum, adverſus eum pœna dupli lege Julia providetur*. Quod Accurſium non fugit, etſi in ceteris mendoſo libro uſus ſit: Cetera quæ ad hanc legem pertinent, in noſtris libris plene tractantur. Tantum addam, poſt quinquennium neque adulterum neque mulierem accuſari poſſe, neque etiam ceteros qui ex hac lege accuſari poſſunt, ut Ulpianus ſcribit lib. IV. de adulteriis (d). Id autem tempus numeratur a die commiſſi criminis: at ſexaginta dies, qui marito ad accuſandum competunt, vel ſex menſes extraneo, ex die divortii numerantur, modo ne quinquennium exactum ſit, ut idem Ulpianus ſcribit. Tryphoninus (e) quoque lib. III. diſputationum ſcribit: denegari marito minori intra LX. dies non accuſanti reſtitutionem. Idem ait nullam deprecationem adulterii pœne eſſe, ſi ſe minor annis adulterum fateatur. Quod ad alia quoque omnia, quæ eadem lege puniuntur, porrigendum eſſe ſcribit: veluti ſi adulterii damnatam ſciens uxorem duxerit, aut in adulterio deprehenſam uxorem non dimiſerit, quæſtumve de adulterio uxoris fecerit, pretiumve pro comperto ſtupro acceperit, aut domum præbuerit ad ſtuprum adulteriumve in eam committendum. De pœna vero hujus legis ita Juſtinianus ſcribit libro IV. Inſtitutionum (f) *Item lex Julia de adulteriis coercendis, quæ non ſolum temeratores alienarum nuptiarum gladio punit, ſed & eos, qui cum maſculis nefandam libidinem exercere audent. Sed eadem lege Julia etiam ſtupri flagitium punitur, cum quis ſine vi vel virginem vel viduam honeſte viventem ſtupraverit. Pœnam autem eadem lex irrogat ſtupratoribus; ſi honeſti ſunt, publicationem partis dimidiæ bonorum; ſi humiles, corporis coercitionem cum relegatione*. Hæc de lege Julia de adulteriis.

(s) *l.* qui domum. (t) *l.* & ſi amici. (v) *l.* proſpexit. *& ſeqq. qui & a quib.* (x) *l.* jure mariti. *C. de adult.* (y) *l.* mil. *p.* ſexaginta. *l.* mariti. *p.* præterea. *de adult. l.* 3. *C. eod.* (z) *l. un. fin. unde vir & ux.* (a) *l.* ſi ex lege. *de adult.* (b) *l. ult. de calum.* (c) *l.* dominis. *C. de calum.*

(d) *l.* mariti. *p.* hoc quinquennium. *de adult.* (e) *l.* auxilium. *de minori.* (f) *Inſtit. de pub. jud. p.* item lex.

JULIA DE PUDICITIA.

Ab eodem Auguſto lex hæc lata eſt, quam arbitror ab Juſtiniano cum illa altera de adulteriis coercendis eſſe confuſam. Etenim Suet. de legibus Auguſti ita ſcribit: *Leges retractavit, & quaſdam ex integro ſanxit, ut ſumptuariam, & de adulteriis, & de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus*. Itaque quod antea diximus, qui adulterii damnatam uxorem duxerit, ea lege puniri: id Imp. Alexander ad hanc legem refert (a). *Caſtitati*, inquit, *temporum meorum convenit, lege Julia de pudicitia damnatam in pœnis legitimis perſeverare. Qui autem adulterii damnatam, ſi quocumque modo pœnam capitalem evaſerit, ſciens duxit uxorem, vel reduxit; eadem lege ex cauſſa lenocinii punietur*. Item quod idem Imp. reſcripſit (b), reos adulterii duos ſimul marem & feminam ex eadem cauſſa fieri lex Julia de pudicitia vetat, ſed ordine peragi utroſque licet. Ulpianus lib. II. de adulteriis (c) idem ſcribit; *Si quis & adulterum & adulteram ſimul detulit, nihil agit, poteritque quaſi neutrum detulerit, rurſus a quo velit, initium facere, quia nihil agit prima delatione*. Et alio loco (d) *Quæritur an alius adulteram, alius adulterum poſtulare poſſit: ut quamvis ab eodem ambo ſimul poſtulari non poſſint, a diverſis tamen ſinguli poſſint. Sed non ab re eſt hoc probare, diverſos accuſatores admitti poſſe, dum ſi ante denuntiationem nupſerit, prior mulier accuſari non poſſit*. Quod ea de cauſſa dictum eſt, quoniam, ut idem lib. I. ſcribit (e), *qui uxori repudium miſerit, poteſt ei denuntiare, ne Sejo nuberet: & ſi denuntiaverit, ab ea incipere poteſt*: ſin minus, *exſpectabile ſententiam de adultero latam. ſi abſolutus fuerit, per eum mulier vincit, nec ultra accuſari poteſt*, ut idem Ulpianus libro II. ſcribit. (f) Ad has leges Horatius reſpexit libr. IV. carminum:

(a) *l.* caſtitati. *C. de adult. l.* mariti *p.* quod ait. *D. eo.* (b) *l.* reos. *C. eo.* (c) *l.* ſi maritus ſit. *in fine. D eod.* (d) *l.* denuntiaſſe. *p.* quæritur. *eod.* (e) *l.* qui uxori. *eod.* (f) *d. l.* denuntiaſſe. *in fine.*

Nullis polluitur casta domus stupris,
Mos & lex maculosum edomuit nefas,
Laudantur simili prole puerperæ,
Culpam pœna premit comes.

JULIA

DE MARITANDIS ORDINIBUS.

HANC cum aliquanto quam ceteras severius emendasset Augustus, præ tumultu recusantium perferre non potuit, nisi adempta lenitave parte pœnarum, & vacatione triennii data, auctisque præmiis, ut Suetonius scribit. Cumque etiam immaturitate sponsarum & matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi sentiret, tempus sponsas habendi coarctavit, & divortiis modum imposuit. Ejus fraudis Martialis libro VI. ut opinor, mentionem facit his verbis:

Julia lex populis ex quo, Faustine, renata est,
Atque intrare domos jussa pudicitia,
Aut minus, aut certe non plus trigesima lux est,
Et nubit decimo jam Telesina viro.

Namque Domitianus Juliam legem restituit, & castrari mares vetuit: quod alio epigrammate idem poeta conjunxit:

Ludus erat sacræ connubia fallere tedæ,
Ludus & immeritos exsecuisse mares:
Utraque tu probibes Cæsar, populisque futuris
Succurris, nasci quos sine fraude jubes.

De eadem lege Florus lib. LIX. scribit, Qu. Metellum Censorem ut ducere uxores omnes omnino cogerentur liberorum creandorum caussa censuisse, ejusque orationem Augustum, cum de maritandis ordinibus ageret, velut eo tempore scriptam, in Senatu recitasse. De hac in nostris libris hæc scripta esse reperimus. Imp. Alexander (a) Minicio rescripsit, *ut qui duos filios in potestate vel diversis temporibus habuit, lege Julia de maritandis ordinibus obligatione operarum liberetur.* Ipsius Juliæ legis verba Paulus (b) lib. II. ad legem Juliam & Papiam refert hæc: QUI LIBERTINUS DUOS PLURESVE A SE GENITOS NATASVE IN SUA POTESTATE HABEBIT, PRÆTER EUM QUI ARTEM LUDICRAM FECERIT, QUIVE OPERAS SUAS UT CUM BESTIIS PUGNARET LOCAVERIT: NE QUIS EORUM OPERAS, DONI, MUNERIS, ALIUDVE QUIDQUAM LIBERTATIS CAUSA PATRONO, PATRONÆ, LIBERISVE EORUM, DE QUIBUS JURAVERIT, VEL PROMISERIT, OBLIGATUSVE ERIT: DARE, FACERE, PRÆSTARE DEBETO. Quæ vero postea sequuntur, legis verba non sunt. neque enim in Tusco libro diple notata sunt, ut reliqua. Ex quibus verbis apparet, quod Paulus, Ulpianus, & Cajus ad legem Juliam & Papiam scripserunt, id eos ad hanc legem de maritandis ordinibus, & ad legem Papiam & Poppæam scripsisse. Quod aliis quoque exemplis constat. Scribit Ulp. lib. XLVI. ad edictum (c): *Si liberta ab invito patrono divertit, lex Julia de maritandis ordinibus retinet istam in matrimonio, dum eam prohibet alii nubere invito patrono.* Idem Ulpianus (d) lib. III. ad legem Juliam & Papiam: *In eo jure, quod dicit invito patrono libertam, quæ ei nupta est, alii nubere non posse, patronum accipimus, ut rescripto Imperatoris nostri, & Divi patris ejus continetur, & eum qui hac lege emit, ut manumittat.* Et postea: *Hoc caput ad nuptam tantum libertam pertinet, ad sponsam non pertinet.* Deinde ait lex, INVITO PATRONO, *invitum accipere debemus eum qui non consensit ad divortium.* Et alio loco sub titulo de divortiis ex eodem libro (e) refertur: *Quod ait lex*, DIVORTII FACIENDI POTESTAS LIBERTÆ

(a) *l.* nec patronis. *C. de operis liberto.* (b) *l. qui* libertinus. *D. eo.* (c) *l* I. *in fin. unde vir. & uxor.* (d) *l.* in eo jure. *de ritu nupt.* (e) *l. ult. de divort.*

A QUÆ NUPTA EST PATRONO NE ESTO: *non infectum videtur effecisse divortium, quod jure civili dissolvit matrimonium.* Et postea: *Ait lex*, QUAMDIU PATRONUS EAM UXOREM ESSE VOLET, *& velle debet uxorem esse, & patronus durare.* Paulus (f) quoque lib. II. ad legem Æliam Sentiam scribit, lege Julia de maritandis ordinibus remitti jusjurandum, quod liberto in hoc impositum est, ne uxorem ducat, libertæ ne nubat, si modo nuptias contrahere recte velint. Qua de re in Ælia Sentia dictum est. Eodem pacto ex his quæ Terentius Clemens (g) lib. IV. & V. & Cajus libro III. ad legem Juliam & Papiam scribunt, arbitror hac eadem le- B ge Julia prohiberi omnes vias obligandi mulieres ne nubant; quamobrem legata ea conditione data, capi possunt conditione neglecta. Et ad hanc legem Clementem (h) respicere, cum ita scripsit, *Legem utilem Reipublicæ sobolis scilicet procreandæ caussa latam, adjuvandam interpretatione.* Ad eandem Flaccus in sæculari carmine referendus est:

Diva producas sobolem, patrumque
Prosperes decreta super jugandis
Feminis, prolisque novæ feraci
Lege marita.

C Exstat apud Paulum (i) lib. I. ad legem Juliam & Papiam caput integrum ejusdem legis. ita enim scribit: *Lege Julia ita cavetur*: QUI SENATOR EST QUIVE FILIUS, NEPOSVE EX FILIO, PRONEPOSVE EX FILIO NATO CUJUS EORUM EST, ERIT: NE QUIS EORUM SPONSAM UXOREMVE SCIENS DOLO MALO HABETO LIBERTINAM, AUT EAM QUÆ IPSA, CUJUSVE PATER, MATERVE ARTEM LUDICRAM FACIT, FECERIT. NEVE SENATORIS FILIA, NEPTISVE EX FILIO, PRONEPTISVE EX NEPOTE FILIO NATO, NATA: LIBERTINO, EIVE QUI IPSE CUJUSVE PATER MATERVE ARTEM LUDICRAM FACIT, FECERIT: SPONSA NUPTAVE SCIENS D DOLO MALO ESTO. NEVE QUIS EORUM DOLO MALO SCIENS SPONSAM UXOREMVE EAM HABETO. Celsus tamen lib. XXX. Digestor. scribit lege Papia (K) caveri omnibus ingenuis, præter Senatores, eorumque liberos, libertinam uxorem habere licere. Et Justinianus lib. V. constitutionum (l): *Si libertam quis uxorem habeat, deinde inter Senatores scribatur dignitate illustratus, an solvatur matrimonium apud Ulpianum quærebatur: quia lex Papia inter Senatores & libertas stare connubia non patitur.* Sed Justiniano visum est legis Papiæ severitatem eo casu comprimere. Idemque respondit, si liberti socer Senator factus sit. Ex his apparet, quod E Paulus legi Juliæ, id Justinianum & Celsum Papiæ legi tribuere. Sed, ut antea scripsi, utraque ab jureconsultis conjuncta est, & existimo in Papiam permulta capita legis Juliæ esse translata. Namque, ut Tacitus libro III. scribit, Papiam Poppæam senior Augustus post Julias rogationes incitandis cœlibum pœnis, & augendo ærario sanxerat. Sed de Papia alio loco scribemus. De hac parte hujus legis sive Julia, sive Papia est, credendum est Ulpianum lib. I. & Paulum lib. II. ad legem Juliam & Papiam scripsisse, ut lib. I. Dig. (m) relatum est de Senatoris filiis. Idem Justinianus (n) rescripsit, nuptias, quæ F inter masculos & feminas majores vel minores sexagenariis vel quinquagenariis lege Julia vel Papia prohibitæ sunt, nullo modo se prohibere. Suetonius vero scribit Claudium Cæsarem abrogasse legis Papiæ Poppææ caput, quod a Tiberio Cæsare adjectum erat, quasi sexagenarii generare non possent. quod Alciatus animadvertit lib. III. dispunctionum. Ejus tamen

(f) *l.* adigere. *in fine de jure pat.* (g) *l.* sed si hoc. *in fine l.* cum ita. *& seq. de con. & demonst.* (h) *l.* hoc modo. *eod.* (i) *l.* lege Julia. *de ritu nupt.* (k) *l.* lege Papia. *eod.* (l) *l. ult. C. de nupt.* (m) *l.* Senatoris filium. *& seq. de Senato.* (n) *l.* sancimus nuptias. *C. de nuptiis.*

opinio, ut eadem Papia ſit, quæ Julia de maritandis ordinibus dicitur, mihi non probatur, propterea quod Papiam ex Tacito poſt Julias rogationes latam eſſe conſtat. Multo minus, quod Iſidorum reprehendendum putat. qua de re in Papia dicetur. Juvenalis autem carmen ad hanc ipſam Juliam pertinet: *Nam placet*, vel ut alii ſcribunt, *ſed placet Urſidio lex Julia*. Quinquagenariæ mulieres, ut Ariſtoteles & Plinius lib. VII. ſcripſerunt, raro gignunt, earumque partus mirabiles Juſtinianus (o) altera conſtitutione appellat, legitimos tamen filios ex his naſci vult. Paulus (p) quoque libro XXXIII. ad edictum, *Si ſterilis*, inquit, *ancilla ſit, cujus partus venit, vel major annis quinquaginta, cum id emptor ignoraverit, ex empto tenetur venditor*. Quamobrem, cum ille, qui quinquagenariam mulierem duceret, ex aliis liberos habere poſſet, prohibitus eſt lege Papia ne quinquagenariam duceret. Idem in majoribus ſexaginta annis conſtitutum eſt, ut non ducerent uxores, quia illæ ex aliis liberos ſuſcipere poſſent. In quo Accurſius errat. de eadem lege apud Gellium (q) reperio ſcriptum: *Capite enim* VII. *legis Juliæ priori*, inquit, *ex Conſulibus faſces ſumendi poteſtas ſit, non qui pluris annos natus eſt, ſed qui pluris liberos, quam collega, aut in ſua poteſtate habet, aut bello amiſit. Sed ſi par utrique numerus liberorum eſt, maritus, aut qui in numero maritorum eſt, præfertur. Si vero ambo & mariti, & patres totidem liberorum ſunt, tum ille priſtinus bonos inſtauratur, & qui major natu eſt, prior faſces ſumit. Super his autem, qui aut cœlibes ambo ſunt, aut parem numerum filiorum habent, aut mariti ſunt, & liberos non habent, nihil ſcriptum in lege de ea ætate eſt. Solitos tamen*, inquit, *audio, qui lege potiores eſſent, faſces primi menſis collegis concedere aut longe ætate prioribus, aut nobilioribus multo, aut ſecundum Conſulatum ineuntibus*. Scribit Livius lib. I. Romulum primum Romanorum regem cum cætero habitu ſe auguſtiorem, tum maxime lictoribus XII. feciſſe. quoſdamque dicere ab numero avium, quæ augurio regnum portenderant, eum numerum eſſe ſecutum. Livio eorum opinio placet, quibus & apparitores, & lictores ab Etruſcis finitimis, unde ſella curulis, unde toga prætexta ſumpta eſt, numerum quoque ipſum ductum placet. *& ita habuiſſe*, inquit, *Etruſcos, quod ex duodecim populis communiter creato rege ſinguli populi lictores dederint*. Quod Dionyſius lib. III. ad Tarquinium Priſcum refert, ut Etruſcorum legati attulerint ei auream coronam, ſellam eburneam, ſceptrum, in quo ſummo aquila ſedebat, tunicam purpuream cum aureis ſignis, & amictum purpureum varium, cujuſmodi eſt, quo Lydorum & Perſarum reges utuntur, ſed non ita quadratum, ſed rotundum; quam Romani togam, Græci τήβεννον appellant. *item duodecim ſecures, ut quidam*, inquit, *ſcripſerunt, ex ſingulis urbibus ſingulas ferentes*. Erat enim Etruriæ mos Regi ſecurim & virgarum faſcem lictorem præferre. Quod ſi duodecim illis Etruriæ regulis unum eſſe ducem exercitus placuiſſet, illi duodecim faſces dabant; idque ait alios ad Romulum referre, ſed fieri potuiſſe, ut Romulus Tuſcorum morem ſecutus ſit. Tarquinium tamen ſcribit ad Senatum retuliſſe, an illis inſignibus eum uti paterentur: illis permittentibus auream coronam tulit, picta toga & prætexta uſus eſt, item ſceptro & ſella eburneis: lictores quoque duodecim cum ſecuribus & virgis jus dicenti præſto erant, & euntem præcedebant. Quæ omnia apud eos, qui regia poteſtate exactis Regibus uſi ſunt, hoc eſt, Coſſ. relicta fuerunt, corona & toga picta exceptis, niſi cum victores e provinciis redirent in triumpho. Sed de cæteris inſignibus alias. De faſcibus idem Livius lib. II. ſcribit Conſules an-

(o) *l.* ſi major. *de legib. her.* (p) *l.* ſi ſterilis. *de actio. em.* (q) *lib.* 2. *cap.* 15.

A nuos regia poteſtate creatos omnia jura, omnia inſignia tenuiſſe: id modo cautum eſſe, ne ſi ambo Coſſ. faſces haberent, duplicatus terror videretur. Brutus prior concedente collega faſces habuit. His faſcibus ſecures demptas fuiſſe a Valerio intra urbem tantum, cum de provocatione conceſſum eſt, ex Livio lib. III. & XXIV. ſunt qui arbitrentur. quod aperte Dionyſius lib. V. tradit, ut in Valeria dicemus. Sed faſcium habendorum viciſſitudo, ut ex Gellio apparet, non in dies ſingulos, ut Budæo placet, ſed in menſes mutabatur. Quod etiam Dionyſius ait lib. V. antiquit. *eoque menſe*, inquit, *alterum collegam miniſtri duodecim ſine ſecuribus cum bacillis* B *præcedebant*. Suet. etiam auctor eſt, C. Cæſarem Coſ. antiquum morem retuliſſe, ut quo menſe faſces non haberet, accenſus ante eum iret, lictores pone ſequerentur. Cætera in XII. Tabulis, cum de ſepulchris agetur, videbimus. Itaque cum Conſules alternis menſibus faſcibus uterentur, vetus conſuetudo fuit, ut primo menſe major natu faſces haberet. Sed D. Auguſtus maluit eum honorem plurium liberorum parenti concedere, aut, ſi pari numero liberos haberent, marito. Sed & obſervatum eſſe Gellius ait, ut, qui ea lege præferebatur, cederet nonnunquam longe ætate majoribus, aut multo no- C bilioribus, aut his qui iterum Conſules fierent. Idem opinor in nominibus Conſulum præponendis obſervatum, ut ejus nomen, qui primus faſces tenuiſſet, in Conſulibus appellandis præponeretur, quod tamen nuſquam traditum reperi. Ad hoc Gellianum caput Ulpianus (r) fortaſſe ſcribebat, cum lib. XX. ad legem Juliam & Papiam Proconſules non amplius quam ſex faſcibus uti ſcripſit: qua de re in Duodecim dicemus. Refertur etiam libro XXIII. Digeſtorum Marciani (s) caput lib. XVI. inſtitutionum, capite XXXV. legis Juliæ. ita enim inſcriptum eſt: *Qui liberos*, inquit, *quos habent in poteſtate, injuria prohibuerint ducere uxores vel nubere, vel qui do-* D *tem dare non volunt, ex conſtitutione DD. Severi & Antonini per Proconſules Præſideſque provinciar. coguntur in matrimonium collocare & dotare*. Illud etiam ad eandem legem pertinere arbitror, quod Ulpianus (t) lib. I. ad legem Juliam & Papiam ſcribit de his quæ palam quæſtum feciſſent, aut in adulterio deprehenſæ eſſent, quas opinor ea lege notari. Ejuſdem legis eſt, ut arbitror, quod Ulpianus (v) lib. VII. ad eaſdem leges ſcribit, ut ſi maritus invita uxore dotalem ſervum manumiſerit, quicquid ad eum pervenerit, reſtituat. *Adjicitur*, inquit, *in lege, ut & ſi dolo malo aliquid factum ſit, quominus ad eum perveniat, teneatur*. & po- E ſtea: *De viro heredeque ejus lex tantum loquitur, de ſocero ſucceſſoribuſque ſoceri nihil in lege ſcriptum eſt. Idem quod ait lex*, QUANTA PECUNIA ERIT, TANTAM PECUNIAM DATO: *oſtendit æſtimationem voluiſſe legem præſtari*. Paulus quoque lib. XXII. quæſtionum legis Juliæ verba refert hæc: AUT DOLO FECIT QUO MINUS AD EUM PERVENIAT. Sed & omnia, quæ ad legem Juliam & Papiam juriſconſulti ſcripſerunt, ad hanc legem & Papiam pertinere exiſtimo. Et ut ex ſingulorum capitum Digeſtorum inſcriptione animadverti, Ulpianus (x) libros viginti ad eas leges ſcripſit, ut ex illo capite, quo de faſcibus Proconſulum agi dicebamus, apparet: F item ex XVIII. capite de excuſationibus (y); quod ad Gellianam quoque legem pertinere non dubito. Ut enim illic bello amiſſi liberi Coſſ. proſunt, ut in faſcibus præferantur, ſic Ulpianus ad tutelæ excuſationem eos prodeſſe ait. Hi ſunt viginti illi libri, quos ad leges Ulpianum ſcripſiſſe in indice Digeſtorum dicitur. Sic etiam reliqui, qui ad leges ſcripti eſſe dicuntur, intelligantur; quod nemo hactenus

(r) *l.* Proconſules. *de offic. Proc.* (s) qui liberos. *de ritu nupt.* (t) *l.* palam. *de ritu nupt.* (u) *l.* ſi vero negotium. *de ſol. matr.* (x) *d. l.* Proconſules. (y) *l.* bello amiſſi. *de excuſ.*

animadvertit. Nam Cajus (z) quoque libros quindecim ad leges ſcripſiſſe dicitur, & ex quinto decimo ad legem Juliam & Papiam illa ſub titulo de his quæ ut indignis auferuntur, Juſtinianus refert: *In fraudem juris fidem accommodat, qui vel id quod relinquitur, vel aliud tacite promittit reſtituturum ſe perſonæ, quæ legibus ex teſtamento capere prohibetur*. Paulum (a) etiam ad leges libros decem ſcripſiſſe ferunt; & extremum caput, Si quid in fraudem patroni factum ſit, ex lib. X. Pauli ad legem Juliam & Papiam ſumptum eſt. Quamquam ſub titulo de concubinis quædam ex XII. libro reperiantur: quod aut mendoſum eſt, aut index ille, aut ego deceptus in deſcribendo ſum. Jam vero Terentius Clemens (b) ad leges libros viginti ſcripſiſſe dicitur; ex viceſimo quidem nihil relatum animadverti, ſed tamen ex XVIII. ſumptum eſt caput XV. de operis ſervorum, item ſingulare de ademptione libertatis. Sic etiam (c) Marcellus & Junius Mauricianus libros ſenos ad leges conſcripſerunt; ex tertio vero Marcelli quædam ſub titulo de ritu nuptiarum reperiuntur; ex tertio quoque Mauriciani (d) caput XV. de jure fiſci. Ex ceteris horum juriſconſultorum libris permulta in Pandectis relata eſſe animadverti, quæ hoc loco referre operæ pretium non eſſe exiſtimavi.

Sunt alia ex lege Julia, & Papia Poppæa ſumpta in Ulpiani fragmentis libri ſingularis regularum. Ad ceteras Julias leges veniamus.

(z) *l* in fraudem. *de his quæ ut ind.* (a) *l.* 1. *de concub.* (b) *l.* operis ſervi. *de ope. ſer. l. un. de ademp. lib.* (c) *l.* plerique. *l* proxime. *de ritu nupt.* (d) *l.* Senatus cenſuit. *de jure fiſci*

JULIA AMBITUS.

HANC legem idem Auguſtus tulit, ut Suetonius ait, de qua Paulus lib. V. ſententiarum ita ſcribit: *Petiturus magiſtratum, vel provinciæ ſacerdotium, ſi turbam ſuffragiorum cauſſa conduxerit, ſervos advocaverit, aliamve quam multitudinem conduxerit, convictus ut vis publicæ reus in inſulam deportatur*. Modeſtinus (a) vero lib. II. de pœnis eam legem in Urbe ceſſaſſe ſcribit; quia ad curam principis magiſtratuum creatio pertinet, non ad populi favorem. *Sed ſi in municipio contra hanc*, inquit, *legem magiſtratum aut ſacerdotium quis petierit, per S. C. centum aureis cum infamia punitur*. Sed ſciendum eſt, quod Dion. lib. LIII. & Strabo lib. XVII. & Theophilus lib. II. inſtitutionum ſcribunt, D. Auguſtum, ut firmiorem poteſtatem ſibi poſteriſque ſuis præſtaret, in illo totius orbis imperio adumbratam quandam popularis poteſtatis formam inſtituiſſe. Provincias enim omnes diviſit, atque eas, quæ pacatæ longe a Romanis hoſtibus aberant, populo reliquit, qui in eas Proconſules atque Prætores mitteret: in quibus eligendis ambitus vindicari potuit. Eas vero ſibi retinuit, quas impacatas, atque vicinas hoſtibus eſſe cognoverat. Nam cum is nomen Imperatoris, hoc eſt, ducis militaris, ſibi ſumpſiſſet, bella per eum adminiſtrari oportebat. In eas itaque legatos ſuos, procuratores, & præſides mittebat. Exſtantque hodie hujus diviſionis veſtigia, præter hæc ipſa magiſtratuum nomina, de quibus aliquando agemus; tum quod Theophilus (b) notat ab Juſtiniano differentiam eſſe ſublatam ſtipendiariæ & tributariæ provinciæ, tum etiam quod Conſtantinus Harmenopolus libro I. τȣ̃ προχείρȣ ſcribit, eas provincias, quæ populo Romano conceſſæ ſunt, proprie publica bona dici. Ceteras civitates, ſi quid habeant, tanquam peculium id obtinere, cum aut Cæſaris aut populi ſint. Quod Ulpianus lib. X. (c) ad edictum probat: *Bona*, inquit, *civitatis abuſive publica dicta ſunt. Sola enim ea publica ſunt, quæ populi Romani ſunt*. Et Cajus lib. III. ad edictum provinciale: *Eum*, inquit, *qui vectigal populi Romani conductum habet, publicanum appellamus. Nam publica appellatione in compluribus cauſis ad populum Rom. reſpicit: civitates enim privatorum loco habentur*. Sed hac etiam de re accuratius alio loco tractabitur, quo & provinciarum nomina & magiſtratuum, quorum in noſtris libris mentio fit, colligemus. Interea illud addamus, hanc Auguſti ſimulationem, qua illud aucupari videbatur ut is ſolus teneret rem bellicam & tributa (nam hoc etiam ſibi retinuit) quibus vinculis regiam poteſtatem occultaret, paulatim evanuiſſe. Namque initio in provincias illas populi de Cæſaris voluntate magiſtratus eligebantur, deinde ne populus quidem conſulebatur, ſed omnia ad principis nutum fiebant. Idque eſt quod Modeſtinus ſcribit. Alterum ambitus genus ſuffragiorum Juſtiniani Novella VIII. punitur, de quo alias.

(a) *l.* unde. *lege Julia ambitus*. (b) *Inſt. de rer. divi. p.* per traditionem. (c) *l.* bona. *& ſeq. de verb. ſign.*

JULIA SUMPTUARIA.

DE hac lege, præter Suetonium, ita Gellius lib. II. ſcribit (a): *Poſtremo lex Julia ad populum pervenit Cæſare Auguſto imperante, qua profeſtis quidem diebus ducenti finiuntur, Kalendis, Idibus, Nonis, & aliis quibuſdam feſtivis trecenti, nuptiis autem, & repotiis ſeſtertii mille. Eſſe etiam dicit Capito Atejus edictum, (Divi ne Auguſti, an Tiberii Cæſaris, non ſatis commemini) quo edicto per dierum varias ſolemnitates a trecentis ſeſtertiis adusque duo millia ſumptus cœnarum propagatus eſt, ut his ſaltem finibus luxuriæ efferveſcentis æſtus coerceretur*. Repotia ſunt, ut Sex. Pompejus notat, cum poſtero die nuptiarum apud novum maritum cœnatur, quia quaſi reficitur potatio. Seſtertii tum quatuor aſſibus æſtimabantur, ut apud Juſtinianum, & Mæcianum (b) lib. ſing. de aſſe, atque alios, quorum ſcripta lib. II. emendationum & opinionum retulimus. Aſſes autem ſemunciam æris pendebant, ut Plinius ſcribit ex Papiria lege: itaque ſeſtertii ſex libram æris conſtituebant: XX. libræ æris aureum nummum ex Arcadii conſtitutione (c). Qua ratione tota hujus legis æſtimatio confici poteſt, & ad ſimilitudinem noſtrorum nummorum redigi pingui, ut ajunt, Minerva. Namque, ut aurificum ſtatera hæc examinentur, non eſt a nobis hoc tempore poſtulandum.

AUGUSTI quoque lex a Paulo lib. XVI. ad Plautium (d) refertur: *Imperator*, inquit, *cum ſervum manumittit, non vindictam imponit, ſed cum voluit, fit liber is qui manumittitur ex lege Auguſti*. Hæc illa eſt fortaſſe, de qua in Fuſia Caninia dicebamus Suetonium ſcribere D. Auguſtum manumittendi modum terminaſſe, & pleraque de eorum manumiſſionibus conſtituiſſe: de quibus in Junia quoque Norbana dicemus. His reperio Auguſtum nomen Juliar. legum dediſſe, etſi de hujus poſtremæ legis nomine mihi non conſtet. Papiam quoque & Falcidiam eodem tempore latas eſſe conſtat. Nunc de ceteris videamus.

(a) *cap.* 24. (b) *l. ult. C. de dona.* (c) *l. un. C. de colla. æris ls.* 10. (d) *l.* apud eum. *de manum.*

JULIA DE REPETUNDIS.

M. CICERO in oratione Sextiana teſtis eſt hanc legem a C. Cæſare latam eſſe. De qua Marcianus lib. XIV. inſtitutionum (a) ſcribit: *Lex Julia repetundarum pertinet ad eas pecunias, quas quis magiſtratu, poteſtate, curatione, legatione, vel quo alio officio, munere, miniſteriove publico cepit, vel cum ex coborte cujus eorum eſt. Excipit lex a quibus licet accipere: a ſobrinis, propioreve gradu cognatis ſuis, uxore*. Addit Venulejus Saturni-

(a) *l.* 1. *de l. Jul. rep.*

nus (b) lib.III. public. judicior. *Eadem lege tenentur qui ob denuntiandum vel non denuntiandum testimonium pecuniam acceperint. Item eadem caveri*, ait, *ne quis ob militem legendum mittendumve æs accipiat: neve quis ob sententiam in Senatu consiliove publico dicendam pecuniam accipiat, vel ob accusandum, vel non accusandum: utque urbani magistratus ab omni sorde se abstineant, neve plus doni muneris in anno accipiant, quam quod sit aureor. centum.* Item Macer lib.I. judicior. publicor. (c) scribit: *Lex Julia de repetundis præcipit, ne quis ob judicem arbitrumve dandum, mutandum, jubendumve ut judicet: neve ob non dandum, non mutandum, non jubendum ut judicet: neve ob hominem in vincula publica conjiciendum, vinciendum, vincireve jubendum, exve vinculis dimittendum: neve quis ob hominem condemnandum, absolvendumve: neve ob litem æstimandam, judiciumve capitis pecuniæve faciendum, vel non faciendum, aliquid acceperit. Illud quoque cavetur, ne in acceptum feratur opus publicum faciendum, frumentum publice dandum, præbendum, adprehendendum, sarta tecta tuenda, antequam perfecta, probata, præstita lege erunt.* Datur ex hac lege, ut Scævola (d) libro IV. regul. scribit, in heredes actio intra annum, dumtaxat a morte ejus qui arguebatur. Usucapi autem vetatur, quod contra hanc legem datum est, ut Paulus (e) lib.LIV. ad edictum scribit. Eadem lex venditiones, locationes ejus rei caussa pluris minorisve factas irritas facit. M. quoque Cicero in oratione in Pisonem scribit: *Exire de provincia, educere exercitum, bellum sua sponte gerere, in regnum injussu populi aut Senatus accedere cum plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia majestatis, Julia de pecuniis repetundis planissime vetant.* Et pro Rabirio Posthumo: *Jubet lex Julia persequi ab his, ad quos ea pecunia, quam is ceperit qui damnatus sit, pervenerit. Si est hoc novum in lege Julia, sicuti multa sunt severius scripta, quam in antiquis legibus, & sanctius vindicata, sane etiam consuetudo hujus generis judiciorum nova sit.* Hoc totidem verbis translatum caput est, quot fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Servilia. Hujus autem legis pœna quæ fuerit, ignoramus. Macer (f) tamen scribit: *Hodie ex lege repetundarum extra ordinem puniuntur, & plerumque vel exilio puniuntur: vel etiam durius, prout admiserint.* Olim, ut ex Verrinis Ciceronis constat, lis æstimabatur, bonaque vendebantur ejus qui damnatus esset, is vero in exsilium voluntarium proficiscebatur. Sed illæ orationes ante C. Cæsaris Consulatum habitæ, quo tempore lex hæc lata; ceteræ, quas antea retulimus, post illius Consulatum. In epistolis autem M. Cœlii ad Ciceronem (g) reperitur, legis de repetundis unum & centesimum caput fuisse; QUOD EORUM JUDICUM MAJOR PARS JUDICARIT, ID JUS RATUMQUE ESTO. Quod ad hanc legem pertinuisse non dubito.

(b) *l.* eadem leg. *eo.* (c) *l.* lex Julia. *eo.* (d) *l.2. eo.* (e) *l.* quod contra. *eo.* (f) *d. l.* lex Julia. *in fine.* (g) *lib. 9. epi. 7.*

JULIA AGRARIA.

AGRARIAM legem idem Cæsar tulit, ut Callistratus (a) ait lib.V. de cognitionibus: & adversus eos, qui terminos statutos extra suum gradum finesve moverint dolo malo, pecuniaria pœna constituta est. Nam in terminos singulos, quos ejecerint, locove moverint, quinquaginta aureos in publicum dari jubet; & ejus actionem & petitionem ei qui volet, esse jubet. Hanc legem, ut Suetonius & Florus lib.CIII. scribunt, Cæsar Cos. tulit invito Senatu, & M. Bibulo ejus collega obnuntiante, quem armis foro expulit, &, ut domo abditus reliquum tempus ageret, coegit. Ipse campum Stellatem majoribus consecratum, agrumque Campanum ad subsidia Reipub. vectigalem relictum, divisit extra sortem viginti millibus civium, quibus terni pluresve liberi essent. Hæc Julia lex appellatur a Suetonio in Augusto, cujus pater C. Octavius inter XX. viros agrum Campanum plebi Julia lege divisit. Exstat etiam Tiberii Cæsaris constitutio de sepulchris post codicem Theodosianum, in qua monumentorum multa genera exprimuntur: in quibus est, quod non longe ab ædibus vel itinere publico constitutum est juxta legem Semproniam, & Juliam, quod cardinibus & decumanis constitutum esse monstratur. Decumanus limes, ut Urbicus & Sex. Pompejus scribunt, est, qui ab oriente ad occidentem, vel contra fit: cardo, qui ad meridiem a septentrione, vel contra. Idem Suetonius scribit Cæsarem Dictatorem octoginta civium millia in transmarinas colonias distribuisse.

(a) *l. ul. de term. mo.*

JULIA JUDICIARIA.

MODESTINUS (a) lib.II. de pœnis scribit: *Si reus, vel accusator domum judicis ingrediatur, per legem Juliam judiciariam in legem Ambitus committit; id est, aureos centum fisco inferre jubetur.* Hanc Paulus (b) lib.II. ad legem Juliam & Papiam, publicorum judiciorum appellasse videtur: *Lege*, inquit, *Julia publicorum judiciorum cavetur, ne invito denuntietur, ut testimonium litis dicat adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinam, sobrino natum, eosve qui priore gradu sint: item ne liberto ipsius, liberorum ejus, parentium, viri, uxoris, item patroni, patronæ: & ut ne patroni, patronæ adversus libertos, neque liberti adversus patronum cogantur testimonium dicere.* Ulpianus (c) autem lib.II. & III. ad edictum scribit ex his verbis legis Juliæ judiciorum, QUO MINUS INTER PRIVATOS CONVENIAT, sufficere privatorum consensum qui jurisdictioni alicujus se subjiciant, licet ille ignoret qui tribunali præest.

Ad eandem Callistrati (d) verba refero lib.I. edicti monitorii: *Cum lege Julia cautum*, inquit, *sit, ne minor XX. annis judicare cogatur: nemini licere minorem XX. annis compromissarium judicem eligere.* Item quæ de numero patronorum alio loco scripta sunt, cum hac lege convenirent; nisi quod illa magis ad Augusti leges pertinere videntur.

Existimo hanc legem a C. Cæsare Dictatore latam esse, quod Cicero Philippica I. significare videtur. Is enim, ut Suetonius scribit, judicia ad duo genera judicum redegit, Equestris ordinis, ac Senatorii; Tribunos ærarios, quod erat tertium, sustulit. In quo Aureliam abrogavit. Erant Tribuni ærarii, qui militibus æs dabant, eisque pecunia attributa dabatur, ut Varro scripsit; ipsi eam Quæstori provinciæ dabant, ut ex Asconio in Prætura urbana Budæus notat. Hi ex Equitibus erant, ut Plinius lib.XXXIII. scribit.

(a) *l. un. in fi. de l. Jul. ambitus.* (b) *l.* lege Julia. *de testib.* (c) *l.1. & 2. de judic.* (d) *l.* cum lege. *de recep.*

JULIA DE CIVITATE ROM.

JULIA, qua civitas universo Latio data est, de qua Ser. Sulpitius in libro de dotibus, & Neratius de nuptiis scripserunt, ut Gellius refert lib.IV. Noctium (a). Namque ait Servium scripsisse, in Latio qui uxorem ducturus erat, ab eo unde ducenda erat, stipulabatur eam in matrimonium ductum iri; qui daturus erat, spondebat daturum. Hic contractus sponsalia dicebatur; promissa, sponsa; alter sponsus dicebatur: agebaturque ex sponsu si fidem ille fregisset, lisque æstimabatur, nisi justa cauf-

(a) *cap.4.*

sa adferretur. Idque observatum esse ait, quoad civitas universo Latio lege Julia data est. Ejusdem rei (b) apud Ulpianum lib. sing. de sponsalibus & Florentinum lib. III. institutionum mentio relata est: *Sponsalia dicta sunt a spondendo. Nam moris fuit veteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras: unde & sponsi sponsæque appellatio nata est.* Sed & apud Arnobium lib. IV. speratæ, pactæ, & interpositis stipulationibus sponsæ differunt. Non longe ab eadem re matrimonia, quæ per coemptionem fiebant, absunt; de quibus in XII. Tabulis dicemus. Juliæ vero legis a Cicerone mentio fit, in oratione pro Balbo. Cujus verba, quoniam obscura esse existimantur, referam, & quo pacto accipienda esse arbitrer, scribam. *Innumerabiles*, inquit, *leges de civili jure sunt latæ; quas Latini voluerunt, asciverunt. Ipsa denique Julia, qua lege civitas est sociis & Latinis data; qui fundi populi facti non essent, civitatem non haberent: in quo magna contentio Heracliensium & Neapolitanorum fuit, cum magna pars in his civitatibus juris sui libertatem civitati anteferret.* Balbus Gaditanus, dum in castris Cn. Pompeii Magni militaret, ab eo civitatem Romanam est consecutus. Itaque L. Cornelius Balbus dictus est. Sed cum is ex fœderato populo esset, civem Romanum fieri eum non posse dicebant, nisi is populus fundus factus esset: hoc est, nisi is populus legibus Romanis uteretur. Reprehendit id Cicero, atque adserit eum fuisse in his rebus majorum morem, ut cum populus Rom. quidquam jussisset, si id socii, aut Latini recepissent, eaque lex in eo populo tanquam in fundo resedisset, tum ea lege is populus teneretur; qui ea de caussa fundus populus dicebatur. *Nisi forte*, inquit, *Julia lege cives Rom. facti non sunt, nisi qui fundi populi facti essent?* Gellius lib. XVI. (c) scribit: *Municipes sunt cives Rom. ex municipiis suo jure & legibus suis utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes: a quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus neque ulla populi Rom. lege adstricti, cum nunquam populus eorum fundus factus esset.* Cui Ulpianus (d) adstipulatur lib. II. ad edictum, & Paulus (e) lib. IX. Idem quoque Gellius translatione quadam non ineleganti hoc nomine libro XIX. usus est. *Hæc ego*, inquit, *dixi, non ut hujus sententiæ legisque fundus subscriptorque fierem, sed ut ne viri docti opinionem ἀπαραμύθητον destituerem.* Itaque apud Ciceronem Neapolitanorum contentio esse potuit, num magis placeret suo jure uti, quam cives esse Romanos. Sed quod de sociis ait, non est ad omnes populi Romani socios referendum, (id enim Antonini constitutione (f) effectum est) sed ad Italicos tantum. Florus tamen libro LXXX. Marianis temporibus ait Italicis populis a Senatu civitatem datam esse; id per quem actum sit, non dicitur. Quamobrem Julia ne ea lex fuerit, incertum est. Sed tamen hoc a Cæsare concessum arbitror: nam Quæstor, ut Suetonius scribit, colonias de petenda civitate agitantes adiit, & ad audendum aliquid concitabat. Sed & Cicero lib. XIV. (g) ad Atticum scribit: *Scis quam diligam Siculos, & quam illam clientelam honestam judicem. Multa illis Cæsar, neque me invito: & si Latinitas erat non ferenda: verum tamen. Ecce autem Antonius accepta grandi pecunia fixit legem a Dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Rom. cujus rei vivo illo mentio nulla.* Jus Latii a civitate Romana distinxit, non quod Latini cives non essent, sed quod, ut de libertatibus dicemus in Juniis legibus, non ita immunes Latinæ urbes erant, atque coloniæ, atque plebs urbana. Quod jus Italicum fortasse sub titulo de censibus lib. I. Digest. dicitur. Sed hæc posterius.

(b) *l.* 2. *&* 3. *de spons.* (c) *cap.* 13. (d) *l. ad municip.* (e) *l.* munus tri. *de verb. sign.* (f) *l.* in orbe. *de statu hom. & Nov.* 78. *in fine.* (g) *Epist.* 12.

A Ipsum Cæsarem legionem Alaudarum Gallicam civitate Romana donasse Suetonius scribit, omnesque medicinam Romæ professos, & liberalium artium doctores.

JULIA THEATRALIS.

SCRIBIT Plinius lib. XXXIII. (a) Tiberii Cæsaris anno nono anulor. equestrium auctoritati formam constitutam, C. Asinio Pollione, C. Antistio Vetere Coss. post Romam conditam anno DCCLXXV. constitutumque esse, ne cui jus anulor. esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri, avoque paterno sestertia CCCC. census fuisset, & lege Julia Theatrali in XIV. ordinibus sedendi. Ita verum fuit, quod ipse ante hæc verba refert, anulos distinxisse alterum ordinem a plebe, sicut tunica latior, quam latum clavum appellabant, Senatum ab equitibus distinguebat. Equites autem dicebantur, quod equo mererent suis sumptibus: item judices, quod Sempronia lege judicarent. His quatuordecim ordines lege Roscia, & Julia Theatrali ad spectacula dati sunt. Sed his tantum qui quadringentis millibus censerentur, ut antea dictum est. Quadringenta enim sestertia, totidem millia sestertiorum nummor. esse nemo ignorat. Hujus legis a Suetonio in Augusto mentio fit. *Cum enim*, inquit, *plerique equitum attrito bellis civilibus patrimonio spectare ludos e quatuordecim non auderent, metu pœnæ Theatralis, pronunciavit Augustus non teneri ea, quibus ipsis parentibusve equester census unquam fuisset.* De hoc equestri censu illud Martialis intelligendum est:

Si dederint superi decies mihi millia centum,
Dicebas nondum Scævola factus eques.

Item Horatius lib. I. epistolar.

Si quadringentis sex septem millia desunt,
Plebs eris.

D Ex quibus omnibus intelligimus, quod Cajus ait lib. XI. (b) ad edictum provinciale, receptam esse honoris caussa inter conjuges donationem: ut puta si uxor laticlavii petendi gratia donet, vel ut equestris ordinis fiat. census enim augendi caussa donatum esse existimamus. ex quo fiebat, ut Senator esse posset, cujus tunica illa latior, quæ & laticlavium & latusclavus dicitur, erat insigne: aut eques Rom. fieret, qui anulo utebatur. Senatorius census fuit duodecies sestertium, ut in Duodecim diximus. Lati autem clavi mentio quoque fit in Alexandri constitutione, ut alii animadverterunt, quamvis mihi nimis suspectus ille locus sit. De jure vero aureorum anulorum idem Plinius ait, quod etiam lib. XI. Digestor. Justiniani scriptum est; solere libertos id jus a principe impetrare, ut ingenui haberentur: quamvis ut Paulus (c) lib. IX. ad legem Juliam & Papiam scribit, ab hereditate ejus patronus non excluditur. Sed postea Justinianus libertis concessit Novella LXXVIII. ut id jus impetrare non oporteret.

(a) *Cap.* 2. (b) *l.* nuper. *de don. int. vir.* (c) *l.* is qui jus. *de jure aure. anu. Auth. ut* liberti de cetero.

JULIA DE SACERDOTIIS.

DE hac lege (a) ita Cicero scribit in epistola quadam ad M. Brutum: *Est etiam in lege Julia, quæ lex est de Sacerdotiis proxima, his verbis*: QUI PETIT, CUJUSVE RATIO HABEBITUR. *aperte indicat posse rationem haberi etiam non præsentis.* Quod, ut in Domitia scripsimus, a Cicerone relatum est, ut ejus filius in collegium augurum cooptaretur absens. Hanc a C. Cæsare latam arbitror.

(a) *l.* si Rufinus. *C. de test. milit.*

JULIA de patronorum numero nescio an eadem sit cum ea, quam judiciariam appellavimus. Tantum reperio apud Asconium defendisse M. Scaurum patronos sex, L. Domitio Ænobarbo & Appio Claudio Pulchro Coss. cum ad id tempus raro quisquam pluribus quam quatuor uteretur: ac post bella civilia ante legem Juliam ad duodenos patronos est perventum. Id tamen Augusti temporibus evenisse arbitror.

JULIA
DE LEGATIONIBUS.

APUD Ciceronem lib. XV. ad Atticum (a) ita crediderim scriptum fuisse: *Habent, opinor, liberæ legationes definitum tempus lege Julia, nec facile addi potest, idque adeo genus legationis, ut, cum velis, introire, exire liceat: quod nunc mihi additum est. Bella est autem hujus juris quinquennii licentia. Quanquam quinquennium cogitem? Contrahi mihi negotium videtur.* Ex quibus verbis videtur significare Julia lege quinquennium liberis legationibus esse præstitutum. Cicero tamen lib. III. de legibus cum legem hanc scripsisset, REI SUÆ ERGO NE QUIS LEGATUS ESTO: addit nihil turpius esse, quam quemquam legari, nisi Reip. caussa: neque placere ut hereditates & syngraphas suas persequantur legati sine mandatis & sine ullo Reipub. munere. Itaque hoc genus legationis ipse Cicero Consul approbante Senatu sustulisset, nisi ei levissimus Tr. Pl. intercessisset: annuum tamen fecit, quod erat perpetuum. Credendum ergo postea quinquennium permissum. De his legationibus ita Ulpianus scribit lib. LXXIV. ad edictum Prætoris (b): *Qui libera legatione abest, non videtur Reip. caussa abesse. Hic enim non publici commodi caussa, sed sui abest.* Quæ verba Accursium non precepisse recte Budæus notat. Sed & Alfenus lib. V. Digestorum (c) scribit: *Non vere dicitur Reip. caussa abesse eum, qui sui privati negotii caussa in legatione est.* M. Cicero oratione prima in Rullum: *Hereditatum*, inquit, *obeundar. caussa, quibus vos legationes dedistis* (cum Senatoribus autem loquitur) *qui & privati & privatum ad negotium exierunt; non maximis opibus, neque summa auctoritate præditi; tamen auditis profecto quam graves eorum adventus sociis vestris esse soleant.* Idem in altera oratione in Rullum, & in oratione pro Flacco scribit.

(a) *Epist.* II. (b) *l.* qui libera. *de legatio.* (c) non vere. *ex quib. cau. maj.*

JULIA MAJESTATIS.

HÆC lex præcipit, ut Marcianus (a) scribit lib. XIV. institutionum, eum qui majestatem publicam læserit, teneri. Cujus rei permulta exempla ab eodem & a Scævola (b) lib. IV. regular. traduntur. Sed & Ulpianus libro VIII. disputationum scribit: *Qui de provincia, cum ei successum esset, non discessit, aut qui exercitum deseruit, vel privatus ad hostes perfugit, quive sciens falsum conscripsit, vel recitavit in tabulis publicis. Nam & hoc*, inquit, *capite primo lege Majestatis enumeratur.* Justinianus vero lib. IV. institutionum (c) scribit hanc legem in eos qui contra Imp. vel Remp. aliquid moliti sunt, suum vigorem extendere. *Cujus pœna*, inquit, *animæ amissionem sustinet, & memoria rei etiam post mortem damnatur.* Hæc lex cui referenda sit, plane ignoro. Suspicor tamen C. Cæsaris fuisse. Etenim Cicero Philippica prima scribit ejus legem fuisse, ne Prætoriæ provinciæ plus quam annum, ne plus quam biennium Consulares obti-

(a) *l.* 3. *ad Jul. ma.* (b) *l.* cujusque. *eo.* (c) *Instit. de pu. jud. p. public.*

A nerentur. qua lege nulla melior, utilior, & optima in Rep. sæpius flagitata; sed eam M. Antonius sustulit.

JULIA DE VI PUBLICA.

MARCIANUS lib. XIV. institutionum (a) scribit hac lege teneri, qui arma, tela, domi suæ, agrove in villa præter usum venationis vel itineris vel navigationis coegerit. Item excipiuntur arma quæ quis promercii caussa habuerit, hereditateve ei obvenerint; ut Scævola scribit lib. IV. regul. Addit Marcianus (b), in eadem caussa esse, qui B turbæ seditionisve faciendæ consilium inierint, servos aut liberos homines in armis habuerint. Ulpianus (c) tamen lib. LXVIII. ad edictum, exceptum esse ait, qui propter venationem habeat homines qui cum bestiis pugnent, ministrosque ad ea habere conceditur. Venationem hoc loco tam publicam, quam privatam intellige. Solebant enim veteres publicis spectaculis venationum delectari, ad quas damnatos homines deferebant. M. Cicero (d) in epistola quadam ad M. Marium: *Reliquæ sunt* (inquit) *venationes binæ per dies quinque, magnificæ, nemo, negat. Sed quæ potest esse homini politico delectatio, cum aut homo imbecillus a valentissima bestia laniaC tur, aut præclara bestia venabulo transverberatur?* In hunc modum accipiendum est quod de venatione ferarum lib. XI. constitutionum (e) dicitur, ut occidere leones vulgo liceat; & ut bestiæ ad comitatum principis ab omnibus limitum ducibus transmittantur, quæ septem non amplius dies intra singulas civitates detineantur, ut quamprimum uti eis Cæsar possit: pœnaque constituitur adversus eos, qui eas bestias occiderint librar. auri quinque. Quamobrem recte Alciatus noster lib. II. παρέργων interpretatur quod Cajus lib. III. de pœnis (f) scripserat: *Ad bestias damnatos, favore populi Præses diD mittere non debet. Sed si ejus roboris vel artificii sint, ut digne populo Rom. exhiberi possint, principem consulere debet.* Hi enim non liberantur, sed consulitur princeps, utrum velit eorum artificio & robore in venatione uti. Huc etiam pertinet quod Cajus lib. I. ad legem Juliam & Papiam (g) scripsit, ad bestias damnatos longo tempore detineri solere ante quam supplicium sumatur. Diocletianus quoque & Maximianus in consistorio dixerunt, (h) Decurionum filios non debere bestiis objici: vanasque voces populi audiendas non esse, cum aut obnoxium crimine absolvi, aut innocentem condemnari desideraverint. Quamquam non iniqua est Accursianoruml E interpretatio, ut si quis artificio aut scientia excellat, tantisper ejus supplicium differatur, dum princeps consulitur. Sed & in venationibus erant qui operas suas locarent; erant etiam qui virtutis ostentandæ caussa cum bestiis pugnarent, ut Ulpianus scribit libro VI. ad edictum (i). Exstat hodie Novella CV. Justiniani, quæ consulibus spectacula præscribit, in quibus μονημέζιον exhiberi jubetur, quo die hujusmodi venationis genus edebatur. Namque lib. I. Græcor. epigrammatum in hanc sententiam Leon philosophus εἰς τὸ μονημέζιον sui Consulatus scribit:

F

Phœbe potens jaculis, musarum maxime princeps,
Fac, germana feras, animos addendo feroces,
Incitet, ut caveæ clamores æthera pulsent.
Nec tamen ullius gemitum me audire decebit,
Nunc cum sceptra Jovis fuerim placidissimi adeptus.

Sed ad legem Juliam revertamur. Et Marcianus lib.

(a) *l.* 1. *ad. l. Jul. de vi pub. l.* 2. *eo* (b) *l.* 3. *eo.* (c) *l.* qui dolo. *eo.* (d) *Lib.* 7. *epist.* 1. (e) *l. un. C. de vena. ferarum. lib.* 11. (f) *l.* ad bestias. *de pœnis.* (g) *l.* qui ultimo. *eo. tit.* (h) *l.* decurionum. *C. eo.* (i) *l.* 1. *p.* & qui operas. *de postul.*

XIV. institutionum (k) scribit eadem lege teneri, qui pubes cum telo in publico fuerit; & qui pessimo exemplo convocata seditione villas expugnaverit; & qui cum telis & armis bona rapuerit. Item qui ex incendio rapuerit aliquid præter materiam; & qui puerum vel feminam per vim stupraverit; quique in incendio cum gladio aut telo rapiendi caussa fuit, vel prohibendi dominum res suas servare. Item qui hominibus armatis possessorem domo, agrove suo, aut navi sua dejecerit, aut expugnaverit. Item (l) qui cœtu, concursu, turba, seditione incendium fecerit, quique hominem dolo malo incluserit, obsederit, quive fecerit quominus sepeliatur, quo magis funus diripiatur, distrahatur, quive per vim sibi aliquem obligaverit: nam eam obligationem lex rescindit. Addit Ulpianus lib. VIII. de officio Proconsulis (m): *Lege Julia de vi publica tenetur, qui cum imperium potestatemve haberet, civem Romanum adversus provocationem necaverit, verberaverit, jusseritve quid fieri, aut quid in collum injecerit, ut torqueatur. Item quod ad legatos, oratores, comitesve attinebit, si quis quem eorum pulsasse, sive injuriam ei fecisse arguetur.* Mæcianus quoque scribit lib. V. publicorum, eadem lege caveri, ne quis reum vinciat, impediatve, quominus Romæ intra certum tempus adeat. Sunt alia, quæ Ulpianus (n) persequitur lib. LXVIII. ad edictum, & alii aliis locis. Macer quoque libr. I. judiciorum (o) scribit posse dici sepulchri violati crimen ad hanc legem pertinere ex illa parte, qua de eo cavetur, qui fecerit quid, quominus aliquis funeretur, sepeliaturve: quia & qui sepulchrum violat, facit quo quis minus sepultus sit. Ad hanc legem fortasse Cicero respexit in oratione de aruspicum responsis: *Decrevit*, inquit, *Senatus eos qui id fecissent, lege de vi, quæ est in eos qui universam Remp. oppugnassent, teneri.* Sed hæc ad Plautiam quoque pertinere potuerunt. Damnato autem de vi publica, ut Ulpianus (p) scribit, aqua & igni interdicitur: quam deportationem Justinianus (q) appellat, & tum locum habere ait, cum armata vis plectitur: vis autem, quæ sine armis fit, lege Julia de vi privata in tertiam partem bonorum coercetur, idque est quod lib. XLIII. Digestorum dicitur de vi & de vi armata: quarum altera a Cicerone in oratione pro Cæcinna vis cottidiana, altera vis armata a nostris appellatur. Eratque olim duplex ea de re interdictum, ut ex illa Ciceronis oratione constat. Cujus tota defensio Ulpiani verbis (r) comprobatur lib. LXIX. ad edictum.

(k) *l.* 3. *ad l. Jul. de vi pub.* (l) *l.* qui cœtu. *e.* (m) *l.* lege Julia. I. *eod.* (n) *l.* qui dolo. *l.* hi qui ædes. *eod.* (o) *l.* sepulchri violati crimen. *de sep. vio.* (p) *d. l.* qui dolo. *in fine.* (q) *Instit. de pu jud. p.* item lex Julia *de vi. & de interd p.* recuperandæ. (r) *l.* quod est. *de vi & vi arm.*

JULIA DE VI PRIVATA.

PAULUS (a) lib. IV. ad edictum scribit: *Legis Juliæ de vi privata crimen committitur, cum cœtum aliquis, & concursum fecisse dicitur, quominus quis in jus produceretur, & si quis quæstionem de alterius servo habuisset.* Et si quis aliquem dejecit ex agro suo hominibus congregatis sine armis, ut Ulpianus (b) lib. LXIX. ad edictum. Sed & qui convocatis hominibus vim fecerit, quo quis verberetur, pulsetur, neque homo occisus erit, ut Scævola (c) lib. IV. regular. scribit. Id ipsum tamen Ulpianus (d) lib. LXVIII. ad edictum, ad legem Juliam de vi publica refert; in quo videtur Tribonianus hallucinari lib. XLVIII. Digestorum. Debuit enim altero loco cum armis, altero sine armis addere, ex

(a) *l.* legis Juliæ. *ad l. Jul. de vi priv.* (b) *l.* si quis aliquem. *eo.* (c) *l.* II. *eo.* (d) *l.* qui dolo. *p.* hac lege. *ad l. Jul. de vi pu.*

A lib. IV. institutionum Justiniani (e), ut antea retulimus. Addit Marcianus (f) lib. XIV. institutionum: *De vi privata damnati pars tertia bonorum ex lege Julia publicatur, & cautum est, ne Senator sit, nec Decurio, aut ullum honorem capiat; neve in eum ordinem sedeat, neve judex sit; & videlicet omni honore, quasi infamis ex S. C. carebit.* Illud nescio, ad hanc legem, an ad illam alteram pertineat, quod Julianus ait lib. XLIV. Digestorum (g) *Lex*: inquit, *Plautia & Julia ea demum vetuit longa possessione capi, quæ vi possessa fuissent, non etiam ex quibus vi quis dejectus fuisset.* Quod Justinianus quoque refert lib. II. institutionum. (h) Item quod

B Callistratus (i) libro quarto de cognitionib. scribit: *Lege Julia de vi caveri, ne hac lege in reum testimonium dicere liceret, qui se ab eo, parenteve ejus liberaverit; quive impuberes erunt; quique judicio publico damnatus erit; qui eorum in integrum restitutus non erit; quive in vinculis, custodiave publica erit; quive ad bestias ut depugnaret, se locaverit; quive palam quæstum faciet, feceritve; quive ob testimonium dicendum, vel non dicendum, pecuniam accepisse judicatus vel convictus erit.* Quæ verba diple notata in Florentino libro sunt. Diplen autem appello eam notam, de qua Isidorus lib. I. etymo-

C logiar. scribit, in libris interpretum rerum divinar. solere religiosos viros ea nota sacrorum librorum testimonia demonstrare. Et apud Ciceronem lib. VIII. ad Atticum (k) in optime scriptis libris est: *Animadvertito illum locum, ubi erit διπλῆ, videbis de Cneo nostro ipse Vibullius quid existimet.* Qua nota nos libenter utimur, quod eam in vetustissimis quibusque libris adjectam esse animadvertimus.

(e) *d. p.* item lex. *de pub. jud.* (f) *l.* I. *ad l. Jul. de vi priv.* (g) *l.* non solum *p.* si dominus. *de usuca.* (h) *Inst. de usuca. p.* furtivæ. (i) *l.* testium *p.* lege Julia. *de testibus.* (k) *Epist.* I.

JULIA DE ANNONA.

D ULPIANUS lib. IX. de officio Proconsulis (a) scribit, hac lege teneri, qui contra annonam fecerit, societatemve coierit, quo annona carior fiat. Eademque lege caveri ait, ne quis navem nautamve retineat, aut dolo malo faciat, quo magis detineatur, & pœna XX. aureor. statuitur.

(a) *l.* 2. *de l. Jul. de annona.*

JULIA PECULATUS.

E HAC lege cavetur, ut Ulpianus lib. XLI. ad Sabinum (a) scribit, *ne qui ex pecunia sacra, religiosa, publicave auferat, neve intercipiat, neve in rem suam vertat, neve faciat, quo quis auferat, intercipiat, vel in rem suam vertat, nisi cui utique lege licebit; neve quis in aurum, argentum, æs publicum quid indet, neve immisceat, neve quo quid indatur, immisceatur, faciat sciens dolo malo, quo id pejus fiat.* Addit Venulejus Saturninus (b) lib. III. judiciorum publicorum: *Qui tabulam legis, formamve agrorum, aut quid aliud continentem refixerit, vel quid inde immutaverit, lege Julia peculatus tenetur. Eadem lege tenetur, qui quid in ta-*

F *bulis publicis deleverit vel induxerit.* De pœna vero ita Ulpianus (c) lib. I. de adulteriis scribit: *Peculatus pœna aquæ & ignis interdictionem, in quam hodie successit deportatio, continet.* Sacrilegi capite puniuntur, ut Paulus ait lib. sing. de judiciis publicis.

(a) *l.* I. *ad l. Jul. pecul.* (b) *l.* qui tabulam. *eo.* (c) *l.* 3. *eo. l.* sacrilegii. *eo.*

JULIA DE RESIDUIS.

HÆc lex ab Justiniano (a) cum superiore conjungitur. Marcianus tamen lib. XIV. institutionum scribit: *Lege Julia de residuis tenetur is, apud quem ex locatione, emptione, alimentaria ratione, ex pecunia quam accepit, aliave qua causa, pecunia publica resedit. Sed & qui publicam pecuniam in usu aliquo acceptam retinuerit, nec erogaverit, hac lege tenetur.* Qua lege damnatus, amplius tertia parte, quam debet, punitur. Paulus quoque lib. sing. de judiciis publicis (b) scribit, legem Juliam residuorum post annum residuam esse jussisse eam pecuniam quam is qui in provinciam ibat, debebat, eamque professus erat apud ærarium. Addit Marcianus lib. I. judicior. publicor. (c) hac lege teneri, qui in tabulis publicis minorem pecuniam, quam quid venierit, aut locaverit, scripserit, aliudve quid simile commiserit.

(a) *l.* lege Julia. *p.* lege. *eo.* (b) *l.* sacrileg. *in fine. eo.* (c) *l.* hac lege. *eo.*

JULIA DE TUTORIB. A PRÆSIDIB. DANDIS.

JUSTINIANUS lib. I. institutionum (a) scribit: *Si cui nullus omnino tutor fuerat ex testamento, aut ex legibus, ei dabatur in Urbe quidem a Prætore urbano, & majore parte Tribunor. plebis tutor ex lege Atilia: in provinciis vero a præsidibus provinciarum ex lege Julia & Titia.* Aliis quoque casibus tutor ex his legibus petebatur, ut si sub conditione, aut ex die certo datus erat testamento tutor, item quamdiu ex testamento nemo heres existebat, atque etiam si tutor ab hostibus captus esset. Sed, ut in Atilia lege diximus, ex his legibus tutores pupillis desierunt dari, posteaquam primo Consules pupillis utriusque sexus tutores ex inquisitione dare cœperunt, deinde Prætores ex constitutionibus. Cœperunt autem Consules tutores dare D. Claudii temporibus, qui sanxit, ut pupillis extra ordinem tutores a Coss. darentur; ut Suetonius scribit. Quamobrem lib. sing. de excusationibus scripsimus Modestinum dixisse Consulari potestate suppleri, quod in testamento deerat. Prætor autem Tutelaris a M. Antonino Philosopho introductus est, ut Julius Capitolinus scribit; de cujus Prætoris officio Ulpianus & Paulus singulares libros scripserunt, ut in libris de excusationibus a Modestino refertur.

(a) *Inst. de Atili. tut. in prin.*

JULIA DE BONIS CEDENDIS.

LIB. VII. constitutionum titulo, Qui bonis cedere possunt, exstat Impp. Diocletiani & Maximiani rescriptum in hæc verba: *Legis Juliæ de bonis cedendis beneficium constitutionibus Divor. nostror. parentum ad provincias porrectum esse, ut cessio bonorum admittatur, notum est.* Item lib. quarto Theodosianar. constitutionum sub titulo, Qui bonis ex lege Julia cedere possunt, Gratiani & Theodosii constitutiones duæ reperiuntur, quæ in illo VII. lib. Justiniani relatæ sunt.

JULIA DE FUNDO DOTALI.

DE hac lege ita Cajus (a) lib. IX. ad edictum provinciale scribit: *Lex Julia, quæ de dotali prædio prospexit, ne id marito liceat obligare, aut*

(a) *l.* Lex Julia. *de fundo do.*

A *alienare, plenius interpretanda est, ut etiam de sponso juris idem sit, quod de marito. Dotale prædium*, inquit Ulpianus lib. V. de adulteriis (b), *accipere debemus tam urbanum, quam rusticum. Ad omne enim ædificium lex Julia pertinebit. Prædii appellatione etiam pars continetur; ut si prædium commune sit.* Justiniani quoque constitutio (c) exstat, in qua ita scriptum est: *Lex Julia fundi dotalis Italici alienationem prohibebat fieri a marito, non consentiente muliere; hypothecam autem, nec si mulier consentiebat.* Quod ab eodem principe ad provincias porrectum est; item additum, ut alienare fundum ne

B consentiente quidem uxore maritus possit. Quod etiam lib. II. institutionum (d) refertur. Hæ sunt Juliæ leges, quæ nescimus, ad Augustum ne Cæsarem, an vero ad Cajum referendæ sint.

CÆSARIS Dictatoris lex fuit, cujus nomen ignoramus, quam Suetonius (e) refert: *Octoginta enim civium millibus in transmarinas colonias distributis, ut exhaustæ quoque urbi frequentia suppeteret, sanxit ne quis civis major annis viginti, minorve* XL. *qui sacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abesset; neu quis Senatoris filius nisi contubernalis aut comes magistratus peregre proficisceretur; neve hi qui pecuariam facerent, minus tertia parte pu-*

C *berum ingenuorum, inter pastores haberent. Omnesque medicinam Romæ professos, quo libentius & ipsi Urbem incolerent, & ceteri appeterent, civitate donavit.* Hæc Suetonius. Et sane hæc lex necessaria fuit, non propter colonias solum, sed & propter bellor. civilium cædes, Urbe hominibus exhausta.

IDEM Cæsar *de pecuniis mutuis rejecta novar. tabular. expectatione, decrevit, ut debitores creditoribus satisfacerent per æstimationem possessionum, quanti ante bellum civile fuerant comparatæ, deducto fœnore. Qua ratione quarta pars fere*, ut Suetonius ait, *deperibat.* Hinc illi joci Ciceronis sunt in epistolis ad Papirium Pœtum: *Sed quando, ut video,*

D *æstimationes tuas vendere non potes, neque ollam denariorum implere, Romam tibi remigrandum est.* Item illud, *Numquam plura prædia habuisti.* Addit Tacitus lib. V. legem Dictatoris fuisse, qua de modo credendi, possidendique intra Italiam cavebatur. Quam Tiberii tempore neglectam ipse restituit.

JULIA ANNALIS a neutro Cæsare lata est, sed, ut in Annali dictum est, a L. Julio Annali Tr. Pl. ut Livius scripsit lib. XL. qua de ætate eorum qui magistratus gererent, agebatur, ut illic scripsimus.

JULIA MISCELLA ab Julio Miscella dicta est, ut Justinianus significare videtur XXII. Novella (f). Non desunt tamen, qui interpretentur hujus legis

E cognomen non a latore legis acceptum, sed a mixtis multarum rerum capitibus, ut Satyram: quod mihi non displicet. nam & id cognomen Juliæ gentis nusquam legi: & ut esset, potuit ab hac lege emanare, ut Annalis cognomen. Miscellos ludos Suetonius in Caligula factos refert, eadem fortasse ratione appellatos. Hac lege cautum fuit, ut si vir uxori testamento legatum reliquisset ea conditione, ne ad secundas nuptias veniret, intra annum legatum capere posset, & nubere, si modo juraret se liberorum procreandorum causa id agere. Post annum vero Qu. Mucii Scævolæ cautione præstita se

F nupturam non esse, legatum capiebat. Sed hanc legem Justinianus (g) abrogavit, & initio constituit nullo sacramento aut cautione opus esse, sed liberam voluntatem uxoribus ac viris reliquit legata capiendi. Postea vero ea capere quidem post annum permisit, sed cautione præstita restituturos se ea, si nuptias contraxissent.

(b) *l.* dotale. *eo.* (c) *l. un. p.* & cum lex. *C. de rei ux. act.* (d) *Inst. quib. alie. li. in prin.* (e) *In Jul. ca.* 42. (f) *Auth. de nupt. p.* quæ vero. (g) *l.* 2. & 3. *C. de jud. vid.*

JUNIÆ LEGES.

CICERO in Corneliana apud Asconium, Q. Cæcilio Metello, M. Junio Silano Coss. anno Urbis DCXLIV. latum esse scribit, ut leges, quæ rem militarem impedirent, abrogarentur. Cum enim Junius ipse bello Cimbrico male rem gessisset, leges, quæ per eos annos populo latæ erant, quibus militiæ stipendia minuebantur, abrogavit; ut Asconius scribit. qui liber maxime mendosus est tum hoc loco in Junii Silani nomine, quem modo Æmilium, modo Silvium appellat, tum etiam in Liviis legibus, quas Junias postea nominat.

JUNIA ET LICINIA a D. Junio Silano & L. Licinio Muræna Coss. lata, ut opinor, est ann. Urb. DCXCI. quam Cicero in Sextiana inter Consulares leges Juniam refert, quas lib. II. & IV. ad Atticum contemni moleste fert. Quid autem in his legibus scriptum amplius esset, ignoro.

JUNIA NORBANA.

HANC legem latam esse existimo Tiberii Cæsaris tempore, M. Junio Silano, L. Norbano Coss. anno DCCCLXXI. qua servi Latinam libertatem consequebantur. Namque civitas Romana, ut Cicero in Topicis scribit, tum competebat servis, cum censu, aut vindicta, aut testamento liberi fiebant. Quod ita Severinus interpretatur, ut censu manumitterentur servi, cum consensu domini servi nomen in censum delatum esset. Vindicta fiebat liber, lictoris virga ad servi caput admota (nam virgam ipsam vindictam appellabant) servum in libertatem eodem lictore vindicante. De censu idem Cicero ait lib. I. de Oratore: *Quid de libertate? quo judicium gravius esse nullum potest: nonne ex jure civili potest esse contentio? cum quæritur, is qui domini voluntate census sit, si non sit conditum lustrum, sit ne liber*. Lustrum enim a Censoribus fiebat quo tempore quibusdam sacrificiis, cum census ageretur, tota civitas lustrabatur; ut ex illo primo Servii Tullii lustro apud Livium lib. I. cognosci potest. Theophilus quoque lib. I. institutionum & tria illa genera manumittendi refert & in eundem modum ea interpretatur; sed addit opus esse, ut servi dominus ex jure Quiritum dominus esset, item ut legitimam ætatem servus habeat, hoc est, annos triginta. Quamobrem lib. III. Emendationum scripsimus, Justinianum (a) ita fortasse scriptum reliquisse sub titulo de libertinis: *Et omnes libertos nullo nec ætatis manumissi, nec domini manumittentis, nec in manumissionis modo discrimine habito civitate Romana decoravimus*. Nam, ut Theophilus scribit, non domini ætas, sed dominium inspiciebatur. De vindicta autem notum est poetæ (b) nescio cujus carmen:

Vindicta postquam meus a Prætore recessi.

Fiebat enim apud Prætorem aut Consulem hæc manumissio; apud quem ex lege Ælia Sentia si dominus minor XX. annis esset, causa probabatur. Vindicius autem, sive, ut Pomponius (c) scribit, Vindex, Vitelliorum servus, qui conjurationem post Reges exactos detexit, primus vindicta liberatus esse dicitur, ut Livius lib. II. scribit, Vindictæ quoque nomen ab eodem tractum putant: postea observatum esse scribit, ut qui ita liberati essent, in civitatem accepti viderentur. Cajus vero libro I. institutionum, cujus tamen libri duo, qui hodie exstant, mihi suspecti sunt (videntur enim alienas esse manus passi) in his tamen ita Cajus scribit: *Cives Romani sunt, qui his tribus modis, id est, testamento, aut in ecclesia, aut ante Consulem fuerint manumissi. Latini sunt, qui aut per epistolam, aut inter amicos, aut convivii adbibitione manumittuntur*. In quibus ver-

(a) *Inst. de liberti. p. ultim.* (b) *Persius.* (c) *l. 2. p.* initium. *de orig. jur.*

A bis existimo pro eo quod de censu diximus, manumissionem in ecclesia esse adjectam ab eo qui post Theodosianas leges institutiones Caii & Pauli sententias conjunxit. Etenim libr. IV. constitutionum Theodosii ea de re exstat Constantini rescriptum ad Olium episcopum datum XIV. Kalendas Maii, Crispo iterum & Constantino iterum Coss. Qui dies & Consules adscribendi sunt lib. I. constitutionum Justiniani (d), ubi ejusdem legis verba referuntur. Itaque censu obsoleto ex ea lege civitas Romana servis dabatur, si in æde sacra apud Pontificem ejus provinciæ libertas daretur. Latini vero & illis modis fie-
B bant, & aliis, qui ex Justiniani constitutione, & ex Theophili institutionibus colligi possunt. Namque Justinianus (e) dum totam hanc Latinam libertatem tollit, enumerare videtur eos modos quibus Latini liberti fiebant. Principio enim per epistolam jubet libertate data quinque testibus adhibitis, civitatem competere: quem esse Latinæ libertatis modum Cajus & Theophilus scribunt. Item inter amicos totidem testibus præsentibus. Addit, quod ex edicto D. Claudii, cujus apud Suetonium quoque mentio fit, olim Latinitas competebat, si ægrotus servus domo ejectus esset: hic enim olim libertus Latinus fiebat, hodie civis Romanus. Huc accedit,
C si ancilla adversus conditionem venditionis prostituta sit. Sed & qui pileati domini funus antecedunt, ut captivi cives Romani, qui in triumpho pileati incedebant, quasi liberati servitute ab eo qui triumphabat; ut apud Livium in calce libri XXX. Qu. Terentius Scipionem Africanum secutus est, & lib. XXXIV. T. Quinctium capitibus rasis qui servitute exempti fuerant. Est autem utrumque a Plauto in Amphitrione conjunctum. *Nisi etiam*, inquit, *herus me ignorabit, quod ille faciat Jupiter, ut ego hodie raso capite calvus capiam pileum*. Erat autem hoc etiam in manumissionibus observatum. unde testamento manumissi atque adeo omnes defuncti li-
D berti funus pileati antecedebant, ut in Fusia Caninia dictum est. Sed quoniam heredes solebant ostentationis gratia multos servos ita adornare, neque eis postea ut libertis utebantur, jussit Justinianus cives Romanus fieri: item illos qui cadaver ventilare in lectulo viderentur, de quibus nihil accepi. Sed arbitror ejusmodi esse, atque eos qui in funere Pontificum aut optimatum hodie ad cadaver atrati cum insignibus atque flabellis ministrant. Sed neque hos, neque illos, neque etiam ancillas prostitutas Latinitatem olim fuisse consecutas ab Justiniano aperte dicitur. Sed tamen initio scripsit se eos modos perse-
E qui, quibus Latina libertas dabatur. Quod sequitur apertum est, si libertas ea conditione data esset sive testamento, sive vindicta, ut manumissus libertate Latina uteretur. Hunc enim olim Latinum fuisse non dubito, ex Justiniani lege civem Romanum. Sed & si sub conditione libertas daretur, & heres ei præstitisset antea libertatem, Latinus erat: si conditio existeret, civis (ut opinor) Romanus. Sed ex illa constitutione civis utroque casu, sed altero heredis libertus, altero orcinus, hoc est, testatoris: ita enim a jureconsultis veteribus dicebatur qui libertatem a testatore directam cepisset: ab Orco nomine deducto, quo verbo Virgilius sæpe usus est. Sunt qui
F malint orthinos ἀπὸ τοῦ ὀρθοῦ quod rectum significat, ut Accursus hoc quoque animadvertit. Sed Theophilus χαρωνιανὸν interpretatur (f), & in Florentino libro non uno in loco *orcinus* appellatur, a cujus libri scriptura non temere recedendum esse arbitramur. Jam vero si in liberali judicio superatus fuerat servus a domino, deinde servi pretium ab aliquo ei solutum esset, in Latinitate servus constituebatur: sed id quoque Justinianus tollit, & ei

(d) *l. ul. C. de his. qui in ecc. ma.* (e) *C. de Latina libert. tol. l. unic.* (f) *l.* tutela. *in pri. de legit. tutor. l.* ergo. *p* hi qui. *le fid. li. l.* duo socii. *de hered. instit.*

civitatem dat, patronatus jure illi ablato. Item Latina fiebat, quæ cum ancilla eſſet, homini libero fuit in uxorem a domino data, & dos ei, tanquam liberæ data fuit. Sed & qui apud acta ſervum ſuum filium dixerat, aut ipſi ſervo inſtrumenta, ex quibus ſervus oſtendebatur, tradiderit vel ipſe corruperit, qui noviſſimus Latinitatis modus fuiſſe dicitur. Et his omnibus caſibus ex illa Juſtiniani conſtitutione cives Romani fiunt, hoc autem poſtremo neceſſe eſt quinque teſtes adeſſe, cum dominus inſtrumenta ſervo dat, aut ea corrumpit. Ceteros Latinitatis modos tollit, in quibus ille eſt, de quo Cajus & Theophilus ſcribunt, ſi ſervus ad convivium adhibeatur. Sed & Theophilus cum dicat ſervis XXX. annis minoribus civitatem Romanam non dari, item opus fuiſſe, ut eorum domini ex jure Quiritium domini eſſent, vel pleno jure: ſignificare videtur, tum quoque Latinam libertatem competere. De pleno jure ita ſcribit, dominium aut naturale, quod in bonis appellat, aut ex jure Quiritum eſſe: qui utroque jure dominus eſt, pleno jure dominus eſſe dicitur. Qua de re libro tertio Emendationum diximus. Nam licet nudum Quiritium jus, quod ex mancipatione & nexu, item exceſſione in jure veniebat, ut in XII. Tabulis dicemus, Juſtiniani conſtitutionibus (g) ſublatum ſit: tamen exſtant ejuſdem rei veſtigia, præter ea quæ a nobis illic relata ſunt. Etenim Severinus (h) in notis ad Ciceronem ita ſcribit: *Si quis nexu abalienet rem mancipi, id quod ſuum fuit, in alterius poteſtatem pleno jure tranſtulit. Quod ſi etiam in jure cedat, plenum abalienationis jus erit*. Et Juſtinianus lib. III. Inſtitutionum (i): *Cum paterfa.* inquit, *ſeſe in adrogationem dat, omnes res ejus corporales & incorporales, quæque ei debitæ ſunt, adrogatori antea pleno jure adquirebantur*. Item Imperatores Diocletianus & Maximianus Eucarpiæ reſcripſerunt (K): ſi poſt venditionem ante traditionem manumiſit venditor ancillam, pleno jure dominus conſtitutus, civem Romanam facere non prohiberi: perſonali tamen actione venditorem conveniendum. De eo vero dominio, quod in bonis dicitur, non ſolum in illa Juſtiniani conſtitutione de nudo jure Quiritium tollendo mentio ſit, ſed & lib. IV. inſtitutionum (l) ſcriptum eſt, in actione vi bonorum raptorum non ſpectari rem in bonis actoris eſſe. Nam ſive in bonis ſit, ſive non, ſi tamen ex bonis ſit, locum illa actio habet. Quo loco recte quidam notant, rem in bonis eſſe, quæ poſſideatur. Namque Ulpianus (m) libro quinquageſimo nono ad edictum ſcribit, in bonis noſtris computari non ſolum quæ dominii noſtri ſunt, ſed & ſi bona fide a nobis poſſideantur, vel ſuperficiaria ſint. (n) Item ſi quid eſt in actionibus, petitionibus, & perſecutionibus, hoc eſt, in perſonalibus, realibus & extraordinariis perſecutionibus, ut idem Ulpianus ſcribit lib. XLIX. ad Sabinum. Sed ad Latinos libertos, &, ut Juſtinianus appellat, Junianos revertamur, & qua in re a ceteris libertis differrent, videamus. Et Cajus lib. I. Inſtitutionum ſcribit Latinos a civibus Romanis differre, quod cives teſtamenti factionem habeant; Latini neque teſtamenta facere, neque ex teſtamento cuiquam ſuccedere poſſint. A dediticiis vero, de quibus in Ælia Sentia dictum eſt, qui inteſtabiles etiam ſunt, eo differunt Latini, quod dediticii nullo pacto civitatem Romanam conſequi poterant; Latini, ſi iterum teſtamento aut vindicta, aut in eccleſia manumitterentur, cives fiebant. Hoc ipſum in epiſtola quadam Plinii minoris agnoſcimus lib. VII. epiſtolar. *Proconſul*, inquit, *provinciam Bæticam per Ticinum*

A *eſt petiturus: ſpero, immo confido, me facile impetraturum, ut ex itinere deflectat ad te, ſi voles vindicta liberare, quos proxime inter amicos manumiſiſti*. Ex Juſtiniano autem lib. I. Inſtitutionum (o) conſtat, ſervos a dominis ſemper manumitti poſſe, veluti cum Prætor, aut Præſes, aut Proconſul in balneum vel in theatrum eunt. Quod vero de teſtamenti factione dicitur, id non uno in loco ab Juſtiniano quoque traditur. Nam ſub titulo de ſucceſſione libertorum (p) ita ſcribit: *Latinorum legitimæ ſucceſſiones nullæ penitus erant, quia licet ut liberi vitam ſuam peragebant, attamen ipſo ultimo ſpiritu ſimul animam atque libertatem amittebant, & quaſi*
B *ſervorum bona eorum jure quodammodo peculii ex lege Junia Norbana manumiſſores detinebant*. Sed & liberi manumiſſoris ex S. C. Largiano, niſi nominatim exheredati eſſent, extraneis heredibus præferebantur. Ex edicto autem D. Trajani, ſi invito vel ignorante patrono ad civitatem Romanam Latinus libertus vocatus eſſet, civitate vivus fruebatur, moriebatur autem Latinus. Hæc tamen omnia Latinitate ſublata, ut antea diximus, abrogata ſunt. Illa quoque conſtitutione (q) ſæpius hoc ipſum jus Latinorum repetitur: *Quis enim*, inquit, *patiatur talem eſſe libertatem, ex qua ipſo tempore mortis in eandem perſonam ſimul & libertas, & ſervitium con-*
C *currant; & qui quaſi liber moratus eſt, eripiatur non ſolum in mortem, ſed etiam in ſervitutem?* Sed animadvertendum eſt, quod ex Cajo (r) retulimus, ſolos cives Romanos poſſe ex teſtamento quidquam conſequi. Quod tamen in Juſtiniani libris non ita aperte ſcriptum reperio, data civitate Romana omnibus his qui ſub imperio Romano erant, ab Antonino Pio. Significare autem hoc Juſtinianus (s) & Theophilus videntur, cum originem fideicommiſſorum tradunt lib. II. Inſtitutionum: *Sciendum*, inquit Imp. *eſt omnia fideicommiſſa primis temporibus infirma fuiſſe, quia nemo invitus cogebatur præſtare*
D *id, de quo rogatus erat. Quibus enim non poterant hereditatem vel legata relinquere, ſi relinquebant, fidei committebant eorum, qui capere ex teſtamento poterant hereditatem*. Quæ verba ita Theophilus interpretatur, ut ea de peregrinis intelligat. Eveniſſe enim nonnunquam ait, ut civis Romanus parentes aut cognatos peregrinos haberet, qui cum ex teſtamento neque hereditatem neque legata conſequi poſſent, rogabantur heredes, qui teſtamenti factionem haberent, ut his legata aut hereditatem reſtituerent. Cujus opinio T. Antonini conſtitutione (t) comprobari videtur, verba ſunt hæc: *Qui deportantur, ſi heredes ſcribantur, tamquam peregrini capere non*
E *poſſunt. Sed hereditas in ea cauſa eſt, in qua eſſet, ſi ſcripti non fuiſſent*. Neque enim verum eſt quod quidam putant, peregrinos deportatos tantum ſignificare. Significat enim id nomen alterius civitatis civem. *Peregrini & incolæ officium eſt* (inquit Cicero lib. I. Officior.) *nihil præter ſuum negotium agere, nihil de alio inquirere minimeque in aliena eſſe Repub. curioſum*. Quin potius deportati ea de cauſa peregrini appellabantur, quod civitatem amittebant. Ulpianus lib. IV. ad Sabinum (u): *Solemus*, inquit, *dicere media tempora non nocere; ut puta civis Romanus heres ſcriptus, vivo teſtatore factus peregri-nus, mox ad civitatem Romanam pervenit, media*
F *tempora non nocent*. Idem lib. V. ad edictum (x) peregrinitatem appellat eum ſtatum, in quo deportatus eſt. In lege quoque Falcidia (y) non ſine cauſa adſcriptum eſt: QUI CIVES ROMANI SUNT, QUI EORUM POST HANC LEGEM ROGATAM TESTAMENTUM FACERE VOLET: ut Paulus lib. ſing.

(g) *l.un.C. de nudo jure Quir. tol.* (h) *l.un. C. de uſuca.tranſf. Boet. in Topic. Cicer.* (i) *Inſt. de adq. per adroga.* (k) *l.* ſi ancillam. *C. de act. em.* (l) *Inſt. de vi bo. rapt. p.* ſane (m) bonorum appellatio. *de verb. ſign.* (n) *l.* pecuniæ. *p.* actionis. *eo l. tit.*

(o) *Inſt. de libert. p.* ſervi. (p) *Inſt. de ſucc. lib. in fine.* (q) *C. de Lat. lib. in prin.* (r) *l.* in orbe. *de ſta. hom.* (s) *Inſtit. de fideicom. her. in princ.* (t) *l. I. C. de her. inſtit.* (u) *l.* ſed ſi condicioni. *p.* ſolemus. *de her. inſt.* (x) *l.* ſed ſi hac lege. *p.* ſed ſi per pœnam. *de injus vocan.* (y) *l. I. ad l. Falcid.*

ad eam legem ſcripſit. Hæc igitur eſt Latinorum libertorum & civium Romanorum differentia, quæ ab antiquis ducta temporibus eſt ad ſimilitudinem antiquæ Latinitatis, quæ in colonias miſſa eſt, ut Juſtinianus ait (z), ex qua nihil aliud Reip. niſi bellum civile acceſſiſſe ſcribit. Quæ verba neſcio an ita accipienda ſint, ut cum Romani colonias Latinas deduxiſſent, hæ poſtea coloniæ cum ceteris Latinis bellum ſociale civitatem petendo moverunt: quo pacto ipſa rei origo ſublata eſt, ut poſtea ſcribit. Quod vero ſupra dictum eſt, Latini liberti ſucceſſionem patronum accipere, tanquam peculium: id in Conſtantini quoque reſcripto ad Maximum reperitur, quod lib. II. Theodoſiani codicis refertur (a) in hæc verba: *Si is qui dignitate Romanæ civitatis amiſſa Latinus fuerit effectus, in eodem ſtatu munere lucis exceſſerit, omne peculium ejus a patrono, vel patroni filiis, ſive nepotibus ejus, qui nequaquam jus adgnationis amiſerint, vindicetur.* Aliam differentiam apud Paulum lib. IV. ſententiar. reperi titulo de manumiſſionibus. Mutus enim & ſurdus ſervum vindicta liberare non poterant; inter amicos tamen & per epiſtolam manumittere poterant. Itaque Latinos facere, non cives permittebatur: poterat tamen is ſervus ad juſtam libertatem, ſi ea conditione venderetur, pervenire. Hæc de Latinis libertis, qui ex lege Junia Norbana fiebant, ſcribere operæ pretium viſum eſt.

(z) *C. de Lati. lib. eod. in princ.* (a) *l. un. de here. pet. in C. Th.*

JUNIA PETRONIA.

HERMOGENIANUS lib. I. juris epitomarum (a) ſcribit: *Lege Junia Petronia ſi diſſonantes pares judicum ſententiæ exiſtant, pro libertate pronuntiari juſſum.* Item Modeſtinus lib. VI. regular. (b) ſcribit: *Poſt legem Petroniam & S. C. ad eam legem pertinentia, dominis poteſtas ablata eſt ad beſtias depugnandas ſuo arbitrio ſervos tradere.* oblato tamen judici ſervo, ſi juſta ſit domini querela, ſic pœnæ tradetur. De hac lege nihil amplius accepi.

Alia lex eſt, cujus Cicero mentionem facit lib. III. Offic. his verbis: *Male etiam qui peregrinos urbibus prohibent, eoſque exterminant, ut Petronius apud patres noſtros, Papius nuper: nam eſſe pro cive, qui civis non ſit, rectum eſt non licere: quam tulerunt legem ſapientiſſimi Conſules Craſſus & Scævola: uſu vero urbis prohibere peregrinos ſane inhumanum eſt.*

(a) *l.* lege Junia. *de manumi.* (b) *l.* circumcidere. *in fine ad l. Corn. de ſicar.*

JUNIA VELLEA.

ITA enim appellatur, non Julia, ut in Florentino libro vidimus apud (a) Cajum lib. II. inſtitutionum, & Ulpianum lib. XXXVI. ad Sabinum. De hac lege non eſt quod multa ſcribamus, in tanta librorum multitudine, qui nobilitatum illud Scævolæ caput, GALLUS SIC POSSE, interpretantur. Locos tantum quoſdam collegi, quibus hujus mentio fieri videtur, ex quibus ſententia ejus magna ex parte cognoſcetur. Et apud Scævolam lib. VI. Quæſtionum (b) hujus legis verba referuntur pauca, quæ duobus capitib. diviſa eſſe dicuntur. Priore capite cavetur, ut liceat inſtitui nondum natos, qui cum naſcentur ſui erunt. Qua de cauſa de lege Vellea ita cœpit tractare: *Voluit vivis*, inquit, *nobis natos ſimiliter non rumpere teſtamentum: & videtur primum caput eos ſpectare, qui cum naſcerentur, ſui heredes futuri eſſent.* Verba autem legis referuntur hæc: QUI TESTAMENTUM FACIET, IS OMNIS VIRILIS SEXUS, QUI EI SUUS HERES FUTURUS ERIT, & cætera. Quib. exiſtimo detracta fuiſſe verba hæc: aut his ſimilia, INSTITUENDI POTESTATEM HABETO. Poſteriore capite (c) non permittit inſtitui, hoc eſt, non id agit lex, ut permittat; ſed illud cavet, ut vetet rumpi, neve ob eam rem minus ratum eſſet, quod ſuccedat. De quo autem loquatur, ex ipſis legis verbis apparet. *Videndum num hac poſteriore parte*, inquit Scævola (d), SI QUIS EX SUIS HEREDIBUS HERES ESSE DESIERIT, LIBERI EJUS, & cetera, IN LOCUM SUORUM SUI HEREDES SUCCEDUNT: *poſſit interpretatione induci*, & quæ ſequuntur. Hoc autem poſteriori capite id agi, ut non rumpatur agnatione alterius ſui heredis teſtamentum; alia quoque Scævolæ verba (e) ſignificant: *Nam etſi*, inquit, *ita verba ſunt*, *Qui teſtamentum faciet, is omnis virilis ſexus, qui ei ſuus heres futurus erit, & cætera, etiam ſi parente vivo naſcantur; ſequenti parte ſuccedentes in locum liberorum non vult lex rumpere teſtamentum.* Sequentem enim partem alterum caput hoc, quo de agimus, interpretor: de quo mox, *Et ita interpretandum*, inquit, *eſt, ut ſi & filium, & nepotem, & pronepotem habeas; mortuis utriſque pronepos inſtitutus ſuccedens non rumpat. Et bene verba ſe habent, Si quis ex ſuis heredibus ſuus heres eſſe deſierit, ad omnes caſus pertinentia, quos ſupplendos in Galli Aquilii ſententia diximus.* Sunt (f) autem illi caſus de aquæ & ignis interdictione, & de emancipatione, & captivitate, quos Gallus omiſerat: item quod ad perſonas aliorum liberorum attinet. Ut vero hic, qui ſuccedit, non rumpat, (quod hoc capite dicebatur) inſtitui eum, aut exheredari nominatim erat neceſſe, quod Scævola (g) illis verbis ſignificat, *Dummodo heres inſtitutus ſit, aut exheredatus.* Quæ verba ad eam ſpeciem referuntur, cum mortuo filio & nepote, ſive nepos ante filium, ſive poſtea decedat, pronepos ſuus heres non rumpit, ſi inſtitutus aut exheredatus ſit. Etenim ex lib. II. inſtitut. (h) conſtat, ſuos & neceſſarios heredes eſſe, filium, filiam, nepotem, neptemve ex filio, & deinceps ceteros liberos, qui in poteſtate morientis fuerint. Sed ut nepos & reliqui ſui heredes ſint, opus eſt ut qui eos præcedunt, vivo avo deſierint in poteſtate eſſe. Item illud ad hæc ipſa recte intelligenda pertinet, ut ſciamus olim neceſſe fuiſſe ei qui filium in poteſtate haberet, ut eum heredem inſtitueret, vel nominatim exheredaret: filias vero, aut nepotes, ac reliquos liberos per virilem ſexum deſcendentes licebat inter ceteros exheredare, vel ſi ſilentio fuiſſent præteriti, jus adcreſcendi eis ad certam portionem præſtabatur. Qua de re etſi Juſtinianus in quadam conſtitutione (i) ſcribat, filiam præteritam ad ſemiſſem olim ex jure adcreſcendi fuiſſe vocatam; tamen ut Theophilus ſcribit, & Cajus lib. II. inſtitutionum, & Paulus lib. III. ſentent. notant, quod alii animadverterunt, ſi heredes ſcripti ſui heredes ſint, ut puta filiæ fratres, in eam partem vocabitur, quam eſſet ab inteſtato habitura. Sin autem extranei heredes ſint, ipſa ſemiſſem conſequebatur. De nepotibus nihil Cajus & Paulus ſcribunt, propterea quod hi lege Vellea ne rumpant, ſi ſui heredes ſunt, inſtituendi aut exheredandi ſunt nominatim. Id enim videtur lex Vellea ad vetus illud jus addidiſſe. Quæ lex, ut antea ſcripſimus, priore capite de poſtumis locuta eſt, quod Scævola ſcribit; item Ulpianus lib. III. ad Sabinum (k): *Poſtumi*, inquit, *per virilem ſexum deſcendentes ad ſimilitudinem filiorum nominatim exheredandi ſunt, ne teſtamentum*

(a) *l.* poſtumor. *in fin. de injuſ. rup. l.* ſi hereditas. *p.* qui filium. *de teſta. tut.* (b) *l.* Gallus. *p.* ille caſus. *de lib. & poſtu. p.* nunc de lege. *e. l.*

(c) *d. p.* ille caſus. (d) videndum. (e) *p.* nunc de lege. *& ſeq.* (f) *p.* & quid ſi tantum. (g) *p.* etiam ſi parente. *in fine.* (h) *Inſtit. de here. qual. & dif. p.* ſui. *inſtit. de exher. lib. in prin.* (i) *l.* maximum vitium. *p.* ſcimus. *C. de li. præ.* (k) *l.* 3. *in princ. de inju. rup.*

adgnaſcendo rumpant. Poſtumos autem dicimus eos duntaxat, qui poſt mortem parentis naſcuntur. Sed & hi qui poſt teſtamentum factum in vita naſcuntur, ita demum per legem Velleam rumpere teſtamentum prohibentur, ſi nominatim ſint exheredati. Scævola (l) quoque cum de Galli Aquilii ſententia diſputat, omnes illos caſus ad legem Velleam ait non pertinere: propterea quod Aquilius & Scævola de ea ſpecie ſcribunt, cum poſtumus nepos aut pronepos poſt teſtatoris mortem natus eſt. Vellea priori capite de eo poſtumo agit, qui vivo eo natus eſt, deinde de ceteris qui ſuccedunt in ſui heredis locum. De poſteriore capite multo pluribus locis agitur. Namque Cajus lib. II. inſtitutionum (m) ſcribit: *Poſtumorum loco ſunt & hi qui in ſui heredis loco ſuccedendo, quaſi adgnaſcendo fiunt parentibus ſui heredes.* & poſtea: *Ne ergo eo modo rumpat mihi teſtamentum, ſicut ipſum filium vel hæredem inſtituere, vel exheredare nominatim debeo, ne non jure faciam teſtamentum; ita & nepotem neptemve ex eo neceſſe eſt mihi vel heredem inſtituere, vel exheredare: ne forte me vivo filio mortuo ſuccedendo in locum ejus nepos neptiſve quaſi adgnatione rumpat teſtamentum. Idque lege,* inquit, *Junia Vellea proviſum eſt.* Idem ſcribit Juſtinianus (n), paucis quibuſdam verbis immutatis, quæ non recte ad principem eſſent referenda: quod in illis libris inſtitutionum Juſtiniani animadverti. Ut enim hæc obiter notemus: cum totæ pæne inſtitutiones conſtent ex his, quæ ex juriſconſul. inſtitutionibus atque aliis libris ſumpta ſunt: quidquid juriſconſulti (ut fit) de ſe finxerunt, id Tribonianus noluit de principe dici, niſi majeſtati ejus aptum eſſet: ut hoc loco. Cajus enim ita ſcribit: *Si filium, & ex eo nepotem neptemve in poteſtate habeam.* & poſtea quæ antea retulimus: *Ne ergo eo modo rumpat mihi teſtamentum.* At Juſtinianus: *Si quis filium & ex eo nepotem neptemve in poteſtate habeat.* Deinde cetera in eandem rationem: *Ne ergo eo modo rumpatur ejus teſtamentum,* & quæ ſequuntur (o). Idem ſub titulo de rerum diviſione multis locis animadverti poteſt, qui libro quoque XLI. Digeſt. referuntur. In quib. illud præclare immutatum eſt, quod Cajus lib. II. rer. cottidianar. ſive aureorum (p) ita ſcripſerat: *Item quæ ex hoſtibus capiuntur, jure gentium ſtatim capientium fiunt.* Etenim Juſtinianus Imperatoris dignitatem conſervans: *Item,* inquit, *quæ ex hoſtibus capimus, jure gentium ſtatim noſtra fiunt.* Relinquit autem ea quæ communia principi cum privatis ſunt, ut illud eſt (q): *Quarundam rerum dominium nanciſcimur jure naturali,* & cetera. *Item in poteſtate noſtra ſunt liberi noſtri, quos ex juſtis nuptiis procreavimus.* Quæ eodem pacto in Digeſtis reperiuntur. Sed ut ad Velleam revertamur, in inſtitutionibus poſt illa Caii verba: *Idque lege Junia Vellea proviſum eſt,* additur: *In qua ſimilis exheredationis modus ad ſimilitudinem poſtumorum demonſtratur.* Quæ verba cum iis quæ ex Ulpiano (r) antea retulimus, facere videntur, qui Velleam de exheredatione ſola retulit. Adde Imp. Alexandri conſtitutionem, (s) cujus verba ſunt hæc: Imp. Alexand. A. Heraclidæ: *Si avus tuus, qui patrem tuum & novercam æquis portionibus heredes inſtituit, cum te quoque haberet in poteſtate, teſtamento nominatim non exheredavit; mortuo patre tuo vivo avo, ſine impedimento legis Velleæ ſuccedendo in patris tui locum rupiſti avi teſtamentum, & ad te hereditas ejus tota pertinuit.* Hic enim cum exheredatus non eſſet, quaſi adgnaſcendo teſtamentum rupit, quod ne fieret lege hac proviſum eſt. Sed hi omnes de his teſtamentis loquuntur, in quibus hic qui ſuccedit, inſtitutus non eſt, quæ ne rumpantur, hic nepos exheredandus eſt. Sed tamen multo certius eſt, quod alii ſcribunt, ut aut inſtituantur, aut nominatim exheredentur. Ulpianus (t) lib. VI. ad Sabinum: *Nepotibus,* inquit, *poſſumus & deinceps ſubſtituere, ſi qui non recaſuri ſunt in patris poteſtate. Sed ſi eos patres præcedant, ita demum ſubſtitui eis poteſt, ſi heredes inſtituti ſint, vel exheredati. Ita enim poſt legem Velleam ſuccedendo non rumpunt teſtamentum. Nam ſi principale ruptum ſit teſtamentum; & pupillare evanuit.* Idem Ulpianus (u) ſcribit lib. XXXVI. ad Sabinum: *Qui filium, & ex eo nepotem habebat, ſi nepoti tutorem dederit, habet diſceptationem, an aliquo caſu non ſit utilis datio: ut puta ſi proponas filium vivo patre deceſſiſſe, & nepotem ex eo ſucceſſiſſe vivo avo. Et fortius dicendum,* inquit, *eſt tutelam quoque ex lege Junia Vellea confirmatam. Nam & Pomponius lib.* XVI. *ex Sabino ſcripſit valere tutoris dationem. Cum enim confirmatum ſit teſtamentum, conſequenter tutoris quoque datio valebit in eo teſtamento ſcripta, quod valet, id eſt, ubi nepos vel heres inſtitutus ſit, vel nominatim exheredatus ſit.* Hæc enim ita ſcribenda ſunt. Sed & ſolius inſtitutionis mentio fit apud eundem Ulpianum lib. IV. ad Sabinum (x). *Nepotes autem,* inquit, *& deinceps ceteri qui ex lege Vellea inſtituti non rumpunt teſtamenta, ſub omni conditione inſtitui poſſunt etſi redigantur ad filii conditionem.* Quæ verba Lælius Taurellus noſter ita interpretatur, ut ex lege Vellea nepotes inſtituantur ſub conditione, quæ in eorum poteſtate non eſt: ut puta ſi ſui naſcerentur. Cum tamen filius ſub ea conditione tantum quæ eſt in poteſtate ipſius inſtitui poſſit, ut idem Ulpianus (y) ſcribit: etſi hi nepotes, qui ſuccedunt, eadem conditione ſint qua filius; jura enim ſui heredis nanciſcuntur. Quæ res non eſt ſine difficultate. Ad extremum Juſtiniani conſtitutio (z) referenda eſt, in qua hæc etiam lex refertur. Filio exheredato extraneus heres inſtitutus eſt: deliberante herede filius deceſſit, filio vel nato vel naſcituro relicto: Juſtinianus ait, cum pater avo ſupervixerit, ex lege Vellea nepos patri ſuccedere non poteſt, & reſcindere teſtamentum. Sed tamen querelam ei patris nomine dat. Hæc ſunt quæ de lege Vellea reperimus; ad quam Paulus lib. ſing. ſcripſiſſe dicitur, ex quo nihil in Digeſtis relatum eſſe accepi.

(l) *d. l.* Gallus. *in princ. & p.* & quid ſi tantum. *& p.* quid ſi quid. *& p.* nunc de lege. (m) *l.* poſtumor. *de injuſ. rup.* (n) *Inſt. de exher. lib. p.* poſtumorum. (o) *l.* naturalem *l.* adeo *l.* qua ratione. *de adq. rer. domi.* (p) *d. l.* naturalem. *in fine. Inſt. de rer. divin. p.* item ea. (q) *Inſtit. eo. p.* ſingul. *l. 1. de acq. re. dom. Inſtit. de patria pot. in pri. l. 3. de his qui ſui.* (r) *d. l. 4. de injuſ. rup.* (s) *l. 2. C. de lib. præt.*

(t) *l. 2. de vulg. & pup. ſu.* (u) *l.* ſi hereditas. *p.* qui filium. de *teſt. tut.* (x) *l.* ſed ſi conditioni. *p. 1. de her. inſti.* (y) *l.* ſuus quoq. *eo.* (z) *l.* ſi quis filium. *C. de inoffi. teſt.*

LÆTORIA.*

T. LIVIUS lib. II ſcribit. P. Voleronem Tr. Pl. L. Pinario, P. Furio Coſſ. rogationem tuliſſe ad populum, ut plebeii magiſtratus Tributis comitiis fierent. Cui legi cum acriter ab nobilitate reſiſteretur (a) Plætorius ei collega creatus eſt, belli gloria nobilis, rudi, ut in homine militari, lingua: a patribus autem Appius Claudius Appii filius Conſul creatus eſt, & T. Quinctius. Cum itaque inter Appium & (b) Plætorium contentio in maximum periculum civitatem adduxiſſet, lex accepta eſt: & tum primum Tributis comitiis creati Tribuni ſunt quinque, cum antea duo tantum fuiſſent. Hæc Livius. Nos vero & alibi & in Horatia lege diximus, Centuriata comitia, quibus major erat patriciorum poteſtas, differre a Tributis vel Curiatis: utroque enim nomine eadem comitia ſignificantur. Nam licet Curiæ Tribuum portio initio fuerint, ut Dionyſius ſcribit, poſtea tamen pro eiſdem partibus utrumque nomen uſurpatur, ut Sex. Pompejus ait. In his populo ſuffragium ferente confuſe, plebs, quæ majori frequentia, quam nobilitas erat, vincebat patricios. Quamobrem ſoli plebeii magiſtratus ex hac

* *vel Plætoria.* (a) *vel Lætorius.* (b) *vel Lætorium.*

lege, item minores magistratus Tributis comitiis creabantur: majores vero, hoc est, Consules, Prætores, atque Censores, comitiis Centuriatis: ut apud Gellium lib. XIII.* M. Messala Augur scribit libro I. de auspiciis. Majores autem dici, quod majoribus auspiciis crearentur; quodque eorum auspicia magis rata essent, quam aliorum. Consules autem & Prætores collegas esse; quod eisdem auspiciis crearentur. Minores magistratus appellare videtur eos, qui neque vocationem ad se, neque prehensionem haberent, quique in jus vocari impune possent, ut Ædiles Curules, atque Quæstores; ut eodem libro scribit. Tribuni autem plebis vocationem non habebant, sed prehensionem, ad quam rem viatoribus utebantur. Ii enim initio intercessionibus faciendis, ne alicui injuria a magistratibus fieret, creati sunt. Itaque neque auspicia habebant, neque imperium, neque magistratum, ut Appius Claudius in ea contentione dicebat, quæ de hac lege facta est. Qui illud quoque negabat jus esse Tribuno in quemquam nisi in plebejum: sed neque illum ipsum submovere pro imperio posse, quia ita more majorum diceretur: Si vobis videtur, discedite Quirites. Sed hac quoque de re Gellius eodem libro scribit.

Lectoria quoque lege curatores vel propter lasciviam, vel propter dementiam dabantur. Primus enim D. Marcus constituit, ut omnes adulti non redditis causis curatores acciperent, ut Julius Capitolinus scribit: Et Suetonius IV. lib. Prætorum relatus a Prisciano lib. VIII. *Lætoria*, inquit, *vetat minorem annis* XXV. *stipulari*. Justinianus tamen lib. I. institutionum (c) scribit adolescentes invitos curatores non accipere, præterquam in litem. Prodigis vero ac furiosis ex lege XII. Tabular. curatores dabantur, ut in Duodecim dicemus. De hac lege M. Cicero scribit lib. III. officiorum: *Iste*, inquit, *dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela* XII. *Tabulis, & circumscriptio adolescentium lege Lætoria, & sine lege, judiciis, in quibus ex fide bona agitur*. Ita enim scribendum est, non lege Plectoria. Et lib. III. de nat. deor. *Inde judicium publicum rei privatæ lege Lætoria: inde everriculum malitiarum omnium judicium de dolo malo, quod C. Aquilius familiaris noster protulit*.

In XII. Tabulis retulimus M. Plætorii plebiscitum, cujus a Varrone, & a Censorino mentio fit, quo plebiscito Prætoris jurisdictio constituta esse videretur, ejus verba sunt hæc: PRÆTOR URBANUS QUI NUNC EST, QUIQUE POSTHAC FUERIT, DUOS LICTORES APUD SE HABETO, ISQUE SUPREMUM AD SOLIS OCCASUM JUS INTER CIVEIS DICITO. Non est tamen dissimulandum alios ubique legere Lætoria.

* *cap.* 13. (c) *Instit. de cura p.* inviti.

LENIA, VEL LEVIA.

APUD Cicer. lib. II. de legibus Leniæ vel Leviæ leges pro Liviis, ut opinor, scriptæ sunt, Philippo Cos. abrogatæ, ut postea scribemus.

LICINIA.

LIVIUS lib. VI. scribit. C. Licinium Stolonem, L. Sextium Tribunos has leges promulgasse: unam de ære alieno, ut deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset, quod superesset, triennio æquis portionibus, quod annua, bina, trima die a nostris dicitur, persolveretur (a). alteram de modo agrorum, ne quis plus quingentis jugeribus agri possideret. tertiam ne Tribunorum militum comitia fierent. fiebant enim Tribuni Consulari potestate, quod Pomponius (b) quoque refert. item ut

(a) *l.* 3. *in princ. de annu. legat.* (b) *l.* 2. *p.* deinde cum post. *de orig. jur.*

A Consulum alter ex plebe crearetur. Sed tamen de his legibus accipiendis permultis annis pugnatum est. Addita quoque alia rogatio est, ut pro Duumviris sacris faciundis Decemviri crearentur partim ex plebe, partim ex patribus, quam legem decimum eis refectis acceptam esse scribit. Post annum deinde leges omnes acceptæ sunt, & L. Sextius de plebe primus Consul creatus est, cui collega ex patribus fuit L. Æmilius Mamercinus anno urbis CCCXXCVI. Hac de causa Prætor urbanus patricius magistratus creatus est, item duo Ædiles Curules. Quod Pomponius quoque significat. Appianus autem lib. I. bellorum civilium Agrariam legem non solum de quin- B gentis jugeribus fuisse ait, sed etiam ut majorum armentorum nemo plus centum, neve minorum amplius quingentis haberet. Accidit autem percommode, ut C. Licinius sua lege intra decennium decem millibus æris damnaretur a M. Popilio Lenate; C. Marcio, Cn. Manlio Coss. quod mille jugera agri possideret, emancipandoque filium fraudem legi fecisset, ut Livius lib. VII. refert. De eadem lege M. Varro lib. I. de re rustica ita scribit: *Stolonis illa lex, quæ vetat plus D. jugera habere civem Rom. & qui propter diligentiam culturæ Stolonum confirmavit cognomen, quod nullus in ejus fundo reperiri poterat* C *stolo, quod effodiebat circum arbores e radicibus, quæ nascerentur e solo, quos stolones appellabant*. Addit illud quoque quod non alibi legi: *Ejusdem gentis C. Licinius Trib. pleb. cum esset post Reges exactos annis* CCCLXV. *primus populum ad leges accipiundas in septem jugera forensia e comitio eduxit*.

II. Ad eandem legem pertinere arbitror quod Cicero de lege Agraria oratione prima scribit: Leges veteres fuisse, neque eas Consulares, sed Tribunicias, Liciniam, atque alteram Æbutiam, quæ non modo eum qui tulerit de aliqua curatione, ac potestate, sed etiam collegas ejus, cognatos, adfines excipit, ne eis ea potestas curatiove mandetur. D Et de domo sua: *Quid nominis*, inquit, *inscriptio tibi? num aliud videtur esse, ac meorum bonorum direptio? præterquam quod ne id quidem per legem Liciniam, ut ipse tibi curationem ferres, facere potuisti*. De eadem etiam lib. II. ad Atticum, ut arbitror, intellexit, cum per multas leges enumerat; quarum contemptores Remp. everterint. Marcianus autem lib. XIV. institutionum aliud caput Liciniæ legis refert, de quo nihil amplius accepimus, *Si quis*, inquit, *judicii communi dividundo evitandi causa rem alienaverit, ex lege Licinia ei interdicitur, ne communi dividundo judicio experiatur. verbi gratia, ut potentior emptor per licitationem vilius eam accipiat,* E *& per hoc iterum ipse recipiat*.

LICINIA ET MUCIA.

CICERO in Corneliana apud Asconium scribit: *Legem Liciniam & Muciam de civibus regundis video constare inter omnes: quam duo Coss. omnium quos vidimus, sapientissimi tulissent; non modo inutilem, sed perniciosam Reip. fuisse*. Eam legem P. Licinius Crassus Orator, & Q. Mucius Scævola Pontifex Maximus, ut Asconius ait, tulerunt; cum summa cupiditate civitatis Romanæ Italici populi te- F nerentur, & ob id magna pars eorum pro civibus Romanis se gereret. Necessaria itaque lex visa est, ut in suæ quisque civitatis jus redigeretur. Sed tamen ita alienati ea lege animi principum Italicorum populorum esse dicuntur, ut ea vel maxima causa belli Italici fuerit, quod post triennium exortum est. Hæc Pædianus. Cicero lib. 3. Officiorum ita scribit: *Male etiam qui peregrinos urbibus uti probibent, eosque exterminant, ut Petronius apud patres nostros, Papius nuper. nam esse pro cive, qui civis non sit, rectum est non licere: quam tulerunt legem sapientissimi Consules Crassus & Scævola: usu vero urbis prohibere peregri-*

nos sane inhumanum est. Ex quibus Ciceronis (a) A verba intelligentur, qui cum Catonem majorem Lysiæ Attico compararet: *Est enim*, inquit, *Atticus, quoniam certe Athenis est & natus, & mortuus, & functus omni civium munere. quamquam Timæus eum, quasi Licinia & Mucia lege repetit Syracusas*. Idem in Rullum: *In illa lege, qua peregrini Roma ejiciuntur, Glaucippus excipitur*. Ad eandem legem refero quod idem in Planciana scribitur: *Sed aliquando veniamus ad causam, in qua tu nomine legis Liciniæ, quæ est de sodalitiis, omnes ambitus leges complexus es*. Namque arbitror eadem lege sodalitia fuisse prohibita, ut pacatior civitas esset. De eadem arbitror in B Sextiana quoque sensisse: *Statuit*, inquit, *omnino Consularem legem nullam putare: Aciliam, Didiam, Liciniam, Juniam contempsit*. Item in oratione pro Cornelio Balbo.

(a) *Cic. in Bruto*.

LICINIA SUMPTUARIA.

MACROBIUS lib. III. Saturnaliorum scribit, post Didiam, & Fanniam, Liciniam latam esse a P. Licinio Crasso Divite. Cujus ferendæ & probandæ tantum studium fuisse dicit, ut S. C. juberetur, ut ea tantummodo promulgata ante C trinundinum ita observaretur, quasi jam populi sententia comprobata. Qua de re in Cæcilia dictum est. Congruit autem hæc lex in plerisque cum Fannia. Ea autem summa legis est, ut Kalendis, Nonis, nundinis Romanis, cuique in dies singulos triginta duntaxat asses edendi causa consumere liceret. Ceteris diebus ne amplius apponeretur, quam carnis aridæ pondo tria, & salsamentorum pondo libra: & quod ex terra, vite, arboreve natum sit. Gellius vero libro secundo Noctium (a) legem Liciniam, sicut Fanniam ait centenos æris impendi permisisse, nuptiis ducenos; ceteris æris tricenos: *cum & carnis aridæ, & salsamenti certa*, inquit, *pondera in singu-* D *los dies constituisset: sed quidquid esset e terra, vite, arboreque promiscue largita est*. Cum Gellio Sext. Pompejus facit, qui centenarias cœnas, vel ut in quodam libro legi, centurias dictas fuisse scribit, in quas lege Licinia non plus centussibus præter terra nata impendebatur. Sed & M. Cicero in quadam epistola (b) ad Fabium Gallum: *Lex*, inquit, *Sumptuaria, quæ videtur* λιτότητα *attulisse, ea mihi fraudi fuit. Nam dum volunt isti lauti terra nata, quæ lege excepta sunt, in honorem adducere, fungos, helvellas, herbas omnes ita condiunt, ut nihil possit esse suavius. Itaque ego, qui me ostreis & murænis fa-* E *cile abstinebam, a beta etiam & malva deceptus sum*. De centenariis cœnis Tertullianus (c) ita scribit: *Quonam illæ leges abierunt, sumptum & ambitionem comprimentes, quæ centum æra non amplius in cœnam subscribi jubebant, nec amplius quam unam inferri gallinam, & eam non saginatam? Video enim centenarias cœnas a centenis jam sestertiis dicendas*. Sed & Gellius Lucilii carmen refert, quo legis Fanniæ mentio fieret, & harum cœnatum: *Fannii centussisque misellos*. Post hanc legem Cornelia & Julia sumptuariæ latæ sunt, ut antea vidimus.

(a) *Cap*. 24. (b) *Epist*. 26. *lib*. 7. (c) *In Apologetico*. *c*. 6.

LIVIA.

M. LIVIUS Drusus, ut Florus scribit lib. LXX. & LXXI. optimatum partes tuebatur, qui, cum Senatus moleste ferret judicia equitibus lege Sempronia data, ea ad Senatores transferre conabatur, plebem spe largitionis corrumpens: socios quoque & Italicos populos spe civitatis Romanæ concitavit: leges per vim Agrarias & Frumentarias tulit, item Judicialem, ut æquarentur Senatores equitibus, in judiciis. Sed cum promissa civitas sociis non præstaretur, atque bellum sociale pararetur, Livius Drusus etiam Senatui invisus factus fuit, quasi illius belli auctor: qua de causa domi suæ interfectus (incertum a quo) inventus est. Hæc Florus. Plutarchus tamen scribit Drusum a Senatu quæsitum esse, ut per eum C. Gracchus, qui gratus suis legibus plebi habebatur, negligeretur. Itaque Graccho duas colonias deducere cupienti Senatus resistebat. Druso XII. colonias decernenti consentiebat, ternaque civium millia in eas deduci sinebat. Gracchus pauperibus agrum dividi jubens soluta pensione offendebat, Senatum, Drusus sine pensione id facere permittebatur. Ille Latinis paria suffragia concedens non audiebatur, huic auxilio erant, qui Latinum virgis cædi in exercitu prohibuit. Idem Appianus lib. I. bellorum civilium scribit; nisi quod decem Livii colonias fuisse scribit, easque in Italia & Sicilia fuisse deductas: promisisseque civitatem Latinis, cum Floro consentit. Item Senatum & equestrem ordinem conjunxisse, ut judicarent. Utrumque tamen ordinem ea in re offendisse. Nam cum trecenti Senatores essent, totidem equites Romanos elegit, qui omnes judiciis præessent. Quod uterque ordo moleste tulit. alteri enim judicia perdebant, alteri pari munere fungi alteros noluissent. Hæc sunt quæ Livium invisum ordinibus & Italicis populis fecerunt: qua de causa mortuus domi suæ inventus est. Item ejus leges sublatæ sunt, quasi contra auspicia & legem Cæciliam & Didiam latæ, quæ trinundinum observari jubebant. M. Cicero hac de re pro domo: *Decrevit Senatus*, inquit, *M. Drusi legibus, quæ contra legem Cæciliam & Didiam latæ essent, populum non teneri*. Hæc leges mendose Juniæ apud Asconium in Corneliana appellantur. Latasque esse scribit L. Marcio Philippo, Sex. Julio Cæsare Coss. qui fuit anno urbis DCLXII. Sed Philippum Coss. qui ei inimicus erat, obtinuisse, ut omnes uno S. C. tollerentur. Decretumque est contra auspicia latas, eisque populum non teneri. Item apud Ciceronem lib. II. de legibus non Liviæ, nec Juniæ, sed Leniæ, vel ut in veteri libro vidi, Leviæ, E pro I. ut in plerisque aliis scripto, appellantur. Cum enim definisset legem esse justorum & injustorum distinctionem ad naturam expressam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos adficiunt, & defendunt ac tuentur bonos: Sejas vero, vel ut nos emendavimus, Titias & Appulejas leges non esse putandas, ne Lenias vel Levias quidem, quæ præsertim uno versiculo Senatu puncto temporis sublatæ sint. Et postea cum Augurum potestatem laudat. *Quid*, inquit, *religiosius, quam cum populo, cum plebe agendi jus aut dare, aut non dare? Quid, legem, si non jure rogata est, tollere? at* (a) *etiam decreto collegii, ut Lenias, vel Levias, consilio Philippi Consulis & Auguris?* Quæ verba multis modis mendosa sunt. Sed agnoscimus de Livii Drusi legibus sensisse videri. De cujus Tribunatu initio libri I. de Oratore ita scribit: *Cum igitur vehementius inveheretur in causam principum Consul Philippus, Drusique Tribunatus pro Senatus auctoritate susceptus. infringi jam ac debilitari videretur; dici memini L. Crassum se in Tusculanum contulisse*. Et lib. III. de Philippi adversus Senatum concione, & Drusi in Senatu querelis, & postrema L. Crassi oratione initium facit. Non igitur F dubito & in libris de legibus & apud Asconium Livias leges has esse appellatas. De quibus Lucanus lib. VI.

Vidi ego lætantes, popularia nomina Drusos
Legibus immodicos, ausosque ingentia Gracchos.

MAJESTATIS leges in Appuleja, Cœlia, Cornelia, Varia, & Julia persecuti sumus. Libet tamen hoc loco incertæ legis sententiam adscribere, cujus apud Tacitum lib. IV. mentio fit. Nam cum esset Cornelio Cosso, Asinio Agrippa Coss. Cremutius Cordus accusatus, quod Brutum & Cassium laudasset editis

(a) *al*. Titiam.

annalibus : id crimen Cordus ita diluit , ut diceret nihil se adversus principem civitatis, nihil adversus principis parentem quos Majestatis lex amplecteretur, scripsisse.

MAMILIA, SIVE MANILIA ROSCIA PEDUCÆA ALLIENA FABIA DE COLONIIS.

IN libro variorum scriptorum de limitibus aliquot capita invenimus hujus legis, quam plebiscitum esse suspicamur, eique Tribunos v. nomen dedisse. Legis verba hæc sunt.

K. LIII. Quæ Colonia hac lege deducta, quodve municipium, præfectura, forum, conciliabulum constitutum erit, qui ager intra fines eorum erit, qui termini in eo agro statuti erunt, quo in loco terminus non exstabit, in eo loco is cujus, (a) is ager erit, terminum restituendum curato: utque recte factum esse velit, idque magistratus, qui in ea colonia, municipio, præfectura, foro, conciliabulo jure dicundo præerit, facito, ut fiat.

K. LIV. Qui limites decumani, qui hac lege deducti erunt, quæcunque fossæ limites in eo agro erunt, qui ager hac lege datus adsignatus erit, ne quis eos limites decumanos, ne obseptos, neve quid in eis immolitum, neve quid ibi positum habeto, neve eos arato, neve eas fossas obturato, neve quis sæpito, quo minus suo itinere aqua ire fluere possit. si quis adversus ea quid fecerit, in res singulas quotiescunque fecerit H-S. IV. Colonis, municipibusve ejus, in quorum agro id factum erit, dare damnas esto: pecuniæque qui volet petitio hac lege esto.

K. LV. Qui hac lege Coloniam deduxerit, municipium, præfecturam, forum, conciliabulum constituerit, in eo agro, qui ager intra fines ejus coloniæ, municipii, fori, conciliabuli, præfecturæ erit, limites decumanique ut fiant, (b) terminique statuantur, curato: quique fines ita statuerit, si fines eorum sunt, dum ne extra agrum Colonicum, territorium, ut fines ducat: quique termini hac lege statuti erunt, ne quis quem eorum eicito, neve (c), loco moveto, sciens dolo malo: si quis adversus ea fecerit, is in terminos singulos, quos ejecerit, locove moverit, sciens dolo malo H-S. XXV. in publicum eorum, quorum intra fines is ager erit, dare damnas esto, deque ea re curatoris, qui hac lege erit, jurisdictio, reciperatorumque datio addictio esto. cum curator hac lege non erit, tunc quicunque magistratus in ea colonia, municipio, præfectura, foro, conciliabulo jure dicundo præerit, ejus magistratus de ea re jurisdictio, jurisdicisque datio addictio esto: inque eam rem is, qui hac lege judicium dederit, testibus publice dumtaxat in res singulas x. denuntiandi potestatem facito, ita ut e re publica, fideque sua videbitur. & si is, unde ea pecunia petita erit, condemnatus erit, eam pecuniam ab eo, deve bonis ejus, primo quoque (d) tempore exigito, ejusque pecuniæ, quod receptum erit, partem dimidiam ei, cujus unius opera maxime is condemnatus erit, partem dimidiam in publicum redigito. Quo ex loco terminus aberit, si quis in eum locum terminum restituere volet, sine sua fraude liceto facere: neve quid, cui is ob eam rem hac lege damnas esto.

(a) *al.* s.s. (b) *al.* terminatiq. (c) *al.* commoveto.

(d) *al.* die.

MANILIA, SIVE MANLIA.

SCRIBIT Livius lib. VII. Cn. Manlium Cos. legem novo exemplo ad Sutrium in castris tributim tulisse de vicesima eorum qui manumitterentur. Patres, quia ea lege haud parvum vectigal inopi ærario additum esset, auctores fuerunt. Tribuni tamen plebis, ne quis postea populum sevocaret, capite sanxerunt. Cum enim milites in Consulis verba jurarent, eos ad quascunque leges cogere potuissent. Sed hæc lex Manlia fortasse dicenda est, in quo libri variare solent; de ea tamen nihil amplius accepi. De vicesima vero aliarum rerum in Vicesima lege dicemus.

II. Altera Manilia lex fuit, de qua in XII. Tabulis videbimus, cum de præscriptione quinque pedum tractabimus. Et ex Cicerone lib. I. de legibus, & Frontino, & Urbico apparet, hac lege finibus regundis arbitrum dari, modo ne ea contentio quinque pedes, qui usucapi vetantur, excedet.

III. Aliam idem Cicero in Bruto refert: *Invidiosa*, inquit, *legis Maniliæ quæstione C. Galbam sacerdotem, & quatuor Consulares L. Bestiam, C. Catonem, Sp. Albinum, L. Opimium Gracchani judices sustulerunt*. De eadem fortasse pro Muræna Sulpitium confusionem suffragiorum flagitasse, & prorogationem legis Maniliæ, atque æquationem gratiæ, dignitatis, & suffragiorum scribit.

Sed hæc melius ad aliam legem referri possunt, quæ de libertinorum suffragiis lata est, ut Asconius in Corneliana scribit: quæ prius a P. Sulpicio Trib. pleb. & a L. Sulla lata esse dicitur.

V. Tulit autem eam C. Manilius Trib. pleb. qui de Pompejo Magno adversus Mithridatem mittendo legem tulit, quam Cicero Prætor in oratione, quæ de lege Manilia inscribitur, suasit. De qua lege, vel potius privilegio, Florus centesimo libro scribit.

VI. Addunt quidam eundem Tribunum tulisse, ut novis hominibus magistratus decernerentur. quod a veteribus nescio, an memoriæ traditum sit.

VII. Quod vero lib. I. de Oratore scriptum est: *Nec quisquam est eorum, qui si jam sit edificendum sibi aliquid, non Teucrum Pacuvii malit, quam Manilianas venalium vendendorum leges ediscere*. De illis emptionum & venditionum legibus atque conditionibus intelligendum est, quas apud Varronem libr. II. de re rustica reperies. Sunt tamen qui malint utroque loco Mamilianas scribere, & earum auctorem M. Mamilium, non Manilium. Sed tamen in Etrusco libro Manilius est apud Pomponium (a): *Post hos*, inquit, *fuerunt P. Mucius, & Brutus, & Manilius, qui fundaverunt jus civile. Ex his P. Mucius e-*

(a) *l.* 2. *p.* post hos fuerunt. *de orig. jur.*

tiam

tiam decem libellos reliquit, Brutus septem, Manilius tres. & exstant volumina scripta Manilii monumenta. De eodem apud Ciceronem lib. I. de finibus: *An partus*, inquit, *ancillæ sit ne in fructu habendus, disseretur inter principes civitatis P. Scævolam, Manilium, ab hisque M. Brutus dissentiet?* De qua quæstione Ulpianus (b) lib. XVII. ad Sabinam: *Vetus*, inquit, *fuit quæstio, an partus ad fructuarium pertineret. Sed Bruti sententia obtinuit fructuarium in eo locum non habere: neque enim in fructu hominis homo esse potest.*

(b) *l.* vetus. *de usufr.*

MARIA.

C. Marius, qui postea septies Consul fuit, cum Tribunus pleb. esset, legem tulit de suffragiis, ut Plutarchus scribit, qua optimatum vires in reddendis suffragiis, ac in magistratibus mandandis minui videbantur. Itaque & Consul Cotta, & Metellus valde restiterunt; lex tamen lata est. De ea Cicero lib. III. de legibus: *Pontes etiam lex Maria fecit angustos; quæ si opposita sunt ambitiosis, ut sunt fere, non reprehendo.* Pontes autem appellabant, qua cives ad suffragium ferendum ibant; de quibus libr. I. ad Herennium scriptum est: *Cœpio impetum facit, pontes disturbat, cistas dejicit.* De eisdem sunt qui intelligant, quod vulgo dicebatur sexagenarios de ponte dejici oportere. Itaque eos senes depontanos appellabant, ut Sex. Pompejus scribit. Alii ad scirpeas quasdam effigies, quas argeos vocant, referunt. Eas enim, ut idem Pompejus scribit, virgines Vestales in Tiberim singulis annis jacere solebant. Ad hoc in Rosciana priore Cicero allusisse visus est: *Habeo etiam dicere*, inquit, *quem contra morem majorum minorem annis sexaginta de ponte in Tiberim dejecerit.* Angustos autem pontes Marius fecit, ut libere cives suffragium ferrent, neque candidati mitterent, qui tabellam inspicerent, & eodem ponte consistentes aliquid per vim aut fraudem conarentur.

II. De jure vero triunphandi tulere L. Marius & M. Cato Tribuni plebis, ut ex Valerio Maximo lib. II. in Triumphali dicemus.

MEMMIA.

In oratione pro Sex. Roscio Remmia, non Memmia dicenda est, quæ adversus accusatores scripta est, ut suo loco scribam.

MÆNIA.

De hac lege apud Ciceronem in Bruto scriptum est: *Manium Curium suspicari disertum possumus, quod is Tribunus pleb. Interrege Appio Cæco diserto homine comitia contra leges habente, cum de plebe Consulem non accipiebat, patres ante auctores fieri coegerit, quod fuerit permagnum nondum lege Mænia lata.* Refertur etiam apud Nonium Marcellum Varro in lege Mænia ita scribens: *Si quis patriam majorem parentem extinguit, in eo est culpa, quod facit pro sua parte is qui se eunuchat, aut alicui liberos producit.* Et alio loco: *Nemo est tam negligens, quin summa diligentia eligat asinum, qui suam saliat equulam.* Quæ verba ex Satyra ita inscripta sumpta esse videntur. Quamquam Nonius ita mendosus circumfertur, ut non facile audeam ejus libri testimonio uti.

MENSIA, VEL MESSIA.

Apud Ulpianum ita scriptum invenio: *Connubio interveniente, liberi semper, patrem sequuntur: non interveniente connubio, matris conditioni accedunt, excepto eo, qui ex peregrino & cive Romana peregrinus nascitur: quoniam lex Mensia ex alterutro peregrino natum deterioris parentis conditionem sequi jubet.* Alibi idem Ulpianus ait: *Lex naturæ hæc est, ut qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur: nisi lex specialis aliud inducit.* De hac lege nihil amplius accepi.

METELLA.

Plinius lib. XXXV. scribit hanc legem fullonibus dictam fuisse, quam C. Flaminius & L. Æmilius Censores dederant ad populum ferendam, Adeo omnia, inquit, majoribus curæ fuere. Hæc si a Metello aliquo lata est, Cæcilia quoque dicetur. Sunt qui hanc Metiliam appellent.

MÆVIA.

Apud Nonium Marcellum Varronis verba referuntur ex Geminis: *Contra*, inquit, *lex Mævia est in pietate, ne filii patribus luci claro suggillent oculos.* Hoc est, ne oculos clauderent, quod per translationem fortasse dictum est, videlicet ne mortem eorum maturarent. Neque enim vetus mos ignoratur, quo parentibus liberi, cum morerentur, oculos claudebant, item liberis parentes.

Hic certe manibus fugientes pressit ocellos
Mater, & in cineres ultima dona tulit.

In manuscripto tamen libro legitur, Lex Mænia, de qua supra.

Miscella. De lege Julia Miscella antea dictum est.

OGULNIA.

Livius lib. X. scribit M. Valerio & Q. Appulejo Coss. Tribuni pleb. Q. & Cn. Ogulnii rogationem promulgarunt, ut cum quattuor augures, quattuor pontifices ea tempestate essent, placeretque augeri sacerdotum numerum, quattuor pontifices, quinque augures de plebe omnes adlegerentur. Miratur tamen Livius, quo pacto ad parem numerum augures redacti sint, cum initio (a) tres Tribus, in quas Romulus populum divisit, Ramnenses, Titienses, & Luceres, tribus auguribus indiguerint: quibus novem numero constitutis terni in illis Tribubus ministrabant. Suasit hanc legem P. Decius Mus, qui ex eadem Pontifex creatus est. Legis tamen nomen obscurum est.

(a) *l. 2. p.* iisdem temporibus. *de orig. jur.*

OPPIA.

Idem Livius initio lib. XXXIV. scribit M. Fundanium & L. Valerium Tribunos plebis ad plebem tulisse de Oppia lege abroganda. Tulerat eam C. Oppius Trib. pleb. Q. Fabio Maximo, T. Sempronio Graccho Coss. anno urbis DXL. ante annos viginti in medio ardore Punici belli secundi: *Ne qua mulier plus semuncia auri haberet; neu vestimento versicolori uteretur; neu juncto vehiculo in urbe, oppidove, aut propius inde mille passus nisi sacrorum publicorum causa veheretur.* M. & P. Junii Bruti Tribuni plebis legem Oppiam tuebantur. Erat tum Consul M. Porcius Cato, qui pro lege acriter habuit concionem, quæ apud Livium refertur, gravissimam atque ornatissimam. Sed Tribuno contra suadente abrogata est, L. Valerio Flacco, M. Catone Majore Coss. Hujus legis apud Tacitum quoque mentio fit lib. III. historiarum.

ORCHIA.

Prima omnium lex, quæ de cœnis latæ sunt, Orchia fuit, ut Macrobius scribit libro III. Saturnaliorum, quam tulit C. Orchius Trib. pleb.

de Senatus ſententia tertio anno poſt quam M. Cato Cenſor creatus fuerat. Ea numerus convivarum præſcribebatur; de qua ipſe Cato poſtea querebatur, quod plures, quam præſcripto ejus cavebatur, tunc ad cœnam vocarentur. Poſt annos XXII. Fannia lata eſt, ut idem Macrobius ſcribit, de qua ſuo loco.

OVINIA.

INVENIO apud Sex. Pompejum Feſtum (a) Oviniæ Tribunitiæ fieri mentionem: qua ſanctum eſſe dicit, ut Cenſores ex omni ordine optimum quemque curiatim in Senatum legerent.

(a) *Feſt. verbo*: Præteriti Senatores.

PEDIA.

VELLEJUS Paterculus lib. II. hiſtoriarum ſcribit lege Pedia, quam Conſul Q. Pedius Cæſaris Octaviani collega tulerat, omnibus qui Cæſarem patrem interfecerant, aqua, ignique interdictum. Appianus vero libro tertio eiſdem Conſulibus ait lege Curiata a populo in adoptione confirmatum Octavium, ut jura adgnatorum & patronatus aſſequeretur. alia vero lege Dolabellam ex hoſtium numero exſolutum. & ut judicia in percuſſores Cæſaris haberi poſſent, juſſum eſſe. idem Dion ſcribit lib. XLVI. & Octaviano II. Conſule hæc facta eſſe refert. nam licet tum primum Conſul creatus fuiſſet, tamen quod antea conſularia ornamenta habuiſſet, maluit hunc ſecundum Conſulatum appellare. Legis Pediæ mentionem facit Suetonius in Nerone, & in Galba.

PAPIA POPPÆA.

DION lib. LVI. Papiam Popliam, Iſidorus lib. V. & Suetonius Pompejam appellant, ſed manuſcripti libri Poppæam, ut apud Tacitum legitur aliquot locis, & apud Ulpianum in fragmentis. Dederunt enim huic legi nomen ſuffecti Coſſ. M. Papius Mutilus, Q. Poppæus Secundus, qui Conſulatum geſſerunt anno Urbis DCCLXI. ut in Capitolinis tabulis notatur. Dion, *Lata*, inquit, *hæc lex fuit eo anno, quo Q. Sulpicio & C. Sabino Coſſ. ſuffecti ſunt Conſules P. Mapius Mutilus & Q.* (†) *Poplius Secundus*. Suffectos veteres appellabant, qui in magiſtratu ſuſtituebantur his qui aut mortui eſſent, aut alia de cauſa magiſtratu abiſſent. Pomponius lib. ſinngul. enchiridii (a) *Atejus*, inquit, *Conſul fuit, Labeo noluit, cum offerretur ei ab Auguſto Conſulatus, quo ſuffectus fieret, & honorem ſuſciperet*. Et alio loco (b): *Cum Decemviri magiſtratum prorogarent ſibi, neque vellent deinceps ſufficere magiſtratibus*. Non male igitur Iſidorus, quem Gratianus refert (c), ſcribit: *Sub Octaviano Cæſare ſuffecti Conſules Papius & Poppæus legem tulerunt, quæ a nominibus eorum appellatur Papia & Poppæa, continens patrum præmia pro ſuſcipiendis liberis*. Dion vero protuliſſe quidem eos hanc legem ſcribit, ea tamen de cauſa, quod D. Auguſtus præmia auxiſſet parentum, & eos qui uxores haberent, a reliquis ſeparaſſet, annumque adhuc ceteris indulſiſſet: legem quoque Voconiam eundem aliqua in parte derogaſſe, ut amplius XXV. millibus mulieres hereditatem conſequi poſſent: & Veſtalibus eadem, quæ matribus jura conceſſiſſe. Hoc autem Conſules non ſua ſponte, ſed de Auguſti ſententia feciſſe, tum ſupra ſcriptis argumentis, tum etiam Taciti, atque aliorum verbis conſtat. Sed & quod Dion ait, prætereundum non eſt, hujus rei non leve ſignum, quod cum lex ferretur, obſervatum eſt, neutrum Conſulem liberos, neutrum uxorem habere. De hac lege Tacitus lib. III. ita ſcribit: Tiberii temporibus

(†) Poppæus. (a) *l. 2. ſ.* poſt hunc. *de orig. jur.* (b) *p.* & cum placuiſſet. *eod. l.* (c) *c.* quædam *diſt. 2.*

relatum eſt de moderanda Papia Poppæa, quam ſenior Auguſtus poſt Julias rogationes incitandis cœlibum pœnis, & augendo ærario ſanxerat. Nec ideo, inquit, *conjugia & educationes liberum frequentabantur prævalida orbitate. Ceterum multitudo periclitantium gliſcebat, cum omnis domus delatorum interpretationibus ſubverteretur; utque antehac flagitiis, ita nunc legibus laborabatur*. Quod poſtremum in hæc quoque tempora juſta querela eſt. Poſt pauca vero addit: *Sexto demum Conſulatu Cæſar Auguſtus potentiæ ſecurus, quæ Triumviratu geſſerat, abolevit: deditque jura, queis pace & principe uteremur. Acriora ex eo vincla, inditi cuſtodes, & lege Papia Poppæa præmiis inducti, viſi a privilegiis parentum ceſſaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret*. Quæ verba mendoſa circumferuntur. Verum ſi hæc ita, ut ſcripta apud Tacitum ſunt, intelligantur, nimis dura fuiſſet Papia lex, ſi caduca eorum bona fierent, qui liberos non haberent. Quod autem de eadem extat, minus acerbum eſt.

Et principio cum Alciato noſtro ſentio in Honorii & Theodoſii conſtitutionis interpretatione. Qua jubetur inter viros & uxores rationem ceſſare ex lege Papia decimarum: & quamvis non interveniant liberi, ex ſuis quoque eos teſtamentis ſolidum capere. Hæc conſtitutio ab Juſtiniano (d) conſcripta eſt lib. VIII. conſtitutionum ſub titulo, De infirmandis pœnis cœlibatus, & orbitatis, & de decimariis ſublatis. Sub quo titulo altera conſtitutio ſcripta eſt Conſtantini, quæ cœlibum pœnas tollit, eoſque æquat maritis, orbos quoque omnibus pœnis liberat, tam mares, quam fœminas, Quæ omnia, niſi conſtituta fuiſſent, minime abrogarentur. Fuerunt autem ea & Juliis legibus, illa præſertim de maritandis ordinibus, & hac Papia, introducta ab Auguſto. De his rebus latius ſcripſit Ulpianus in fragmentis libri ſingularis Regularum. Recte etiam Juvenalis verſus a præceptore in hanc rationem interpretantur:

Jura parentis habes, propter me ſcriberis heres,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum,
Commoda præterea junguntur multa caducis.
Si numerum, ſi tres implevero, juſta doloris,
Nevole cauſa tui.

Addo ego Honoriana illa conſtitutione (e) jus quoque liberorum omnibus eſſe datum. Ex die enim & Coſſ. eiſdem animadverti ab Juſtiniano eandem conſtitutionem in duas eſſe diviſam, & ſub duobus titulis conſcriptam. Quod etiam Juſtinianus Novella LXXVIII. (f) refert. Jus autem liberorum impetrare ſolebant hi qui licet uxores haberent, cum tamen liberos non haberent, conjugibus ſuccedere non poterant, niſi decima deducta ex lege Papia. Quamobrem exſtat poſt Theodoſianas conſtitutiones Novella Valentiniani de teſtamentis, in qua relatum eſt Leonium & Jucundam uxorem tanta viciſſim caritate certaſſe, ut fuſis ſimul precibus jus liberorum poſcerent: & propter incertum ſortis humanæ ſuperſtitem conjugem precarentur heredem. Cujus legis interpres illud ita accepit, ut in conjugio poſiti ſi filios non habeant, ſeu maritus uxorem, ſeu uxor maritum voluerit, relinquat heredem; *quod jus*, inquit, *liberorum dicitur*. Quod etiam Iſidorus lib. V. etymologiarum ſignificat. Ad hanc legem pertinere arbitror quod Cajus lib. VIII. (g) ad legem Juliam & Papiam ſcribit: *Non eſt ſine liberis, cui vel unus filius, unave filia eſt. Hæc enim enuntiatio, Habet liberos, Non habet liberos, ſemper plurativo numero profertur, ſicut & pugillares, & codicilli. Nam*, ut idem (h) lib. X. ſcribit, *quem ſine liberis eſſe dicere non poſſumus, hunc neceſſe eſt dicamus liberos habere*. Jus etiam liberorum ad S. C.

(d) *l. ult. C. de infirm. pœn.* (e) *l. 1. de jure liber.* (f) *Auth.* ut lib. de cæter. *in fine.* (g) *l.* non eſt. *de ver. ſigni.* (h) *l.* nam quem. *eod.*

Tertullianum (i) valde utile fuit. Nam, ut Juſtinianus ſcribit libro tertio inſtitutionum, ex illo S. C. quod D. Hadriani temporibus factum eſt, mater ingenua trium liberorum jus habens, libertina quattuor, ad bona filiorum inteſtato mortuorum admittitur. Quod tamen Juſtinianus ſub titulo de jure liberorum lib. VIII. conſtitutionum (k) abrogat, & omnibus matribus jura legitima ex illo S. C. concedit. In eodem libro inſtitutionum veteres conſtitutiones referuntur, quæ partim matrem adjuvabant, partim gravabant, tertiam ei partem nonnunquam auferentes, quas ipſe alia conſtitutione abrogat. Eas autem leges nos libro v. Theodoſiani Codicis reperimus, in quibus illa eſt Conſtantini ad Baſſum, quam Theophilus referre videtur. Jubet enim ea lex (l) ut mater, quæ jus liberorum non habeat, tertia portione hereditatis contenta ſit, extantibus patruis filii, aut patrui filiis, vel nepotibus. Quod ſi jus liberorum habeat, patruus, aut patrui liberi tertiam portionem tantum habeant, reliquas mater. Jus vero liberorum habere tum dicitur, ut Theodoſianus interpres ſcribit, cum ingenua tres partus vivos, & libertina quattuor ediderit. Idem Paulus ſcribit lib. quarto ſententiarum titulo de inteſtatorum ſucceſſione, & ad S. C. Tertullianum. qui illud etiam addit, opus eſſe, ut utraque civis Romana ſit. Sed & Latinam ingenuam, quæ jus Quiritium conſecuta eſſet, ſi ter peperiſſet, ad legitimam filii hereditatem admitti oportere ſcribit, quia hæc manumiſſa non eſt. Loquitur autem non de liberta Latina, de qua in Junia Norbana diximus, ſed de ea quæ ex Latio eſſet, ingenua tamen, cuique jus Quiritium, hoc eſt Romanorum civium, datum eſſet. Sic etiam Suetonius ſcribit, D. Claudium conſtituiſſe pro conditione cujuſque civis vocationem legis Papiæ Poppææ, Latinis jus Quiritium, feminis jus quattuor liberorum; *quæ conſtituta*, inquit, *hodie ſervantur*. Quod mihi mirum videtur; cum & Plinius, ut Alciatus noſter refert, lib. I. παρέργων, & Paulus, juris Quiritium mentionem fecerint, & juris liberorum plerique alii, ut antea ſcripſimus. Quamobrem exiſtimaverim aliqua ex parte hæc omnia eſſe temperata. Nam caput quoque, quod huic legi Tiberius adjecerat, de ſexagenariis, ut in lege Julia de maritandis ordinibus ſcripſimus, Claudius abrogavit. Addit Tertullianus in Apologetico (m): *Nonne vaniſſimas Papias leges, quæ ante liberos ſuſcipi cogunt, quam Juliæ matrimonium contrahi, poſt tantæ auctoritatis ſenectutem heri Severus conſtantiſſimus principum excluſit?* Quod mihi incognitum eſt. Seneca vero apud Lactantium lib. I. (n) ſcribit facetiſſime: *Cur Jupiter deſiit liberos tollere? utrum ſexagenarius factus eſt, & illi lex Papia fibulam impoſuit? an impetravit jus trium liberorum? an tandem illi venit in mentem, Ab alio expectes, alteri quod feceris: & timet, ne quis ſibi faciat, quod ipſe Saturno?* Sed de jure trium liberorum apud Dionem lib. LV. reperio aliquot annis ante Papiam legem Liviæ Auguſtæ id jus fuiſſe delatum, ut eam hoc munere atque aliis Senatus de Druſi morte conſolaretur. Dabatur autem tum a Senatu, poſtea a principe, inquit, impetratur ab his, quibus tres liberos habere natura non dederat, ut pœnis ſoluti eſſent, quæ adverſus orbos fuerant latæ, & præmia conſequerentur (etſi non omnia) parentum, in quibus erant etiam hereditates. Hoc tamen poſtremum non ſatis apud Dionis interpretem cohærere videtur. Ad hunc locum pertinere arbitror, quod Paulus ait lib. II. ad legem Juliam, & Papiam (o) *Ter enixa videtur, etiam quæ trigeminos peperit*. Sed & cetera, quæ ſub titulo de verborum ſignificatione ex libris Ulpiani, Pauli & aliorum ad legem Juliam & Papiam referuntur, item aliis Dige-

(i) *Inſtit. de S. C. Tertul. in princ.* (k) *l. ult. C. de jure liberor.* (l) *l. ult. C. ad S. C. Tertul.* (m) *Cap.* 4. (n) *Cap.* 16. *de fal. relig.* (o) *l.* ter *de ver ſign.*

A ſtorum locis ad hanc legem, & ad Juliam de maritandis ordinibus pertinent. Quas jureconſulti ſimul interpretati ſunt, ut alio loco diximus. Eas autem diverſas eſſe, tum multis aliis argumentis illic oſtendimus, tum hoc mihi fit veriſimile: quoniam nuſquam Papiam de maritandis ordinibus, ſed ſemper Juliam appellatam eſſe viderim. Ordinibus autem maritandis illa lata eſt, propterea quod Senatorum ordinem, item equeſtrem ad matrimonia incitaverit. Papia vero augendo quoque ærario proviſum eſt. Sed ut ad cetera capita hujus legis veniamus, Celtiberi poetæ verſus de jure liberorum adſcribam, quibus formula libelli conſcribitur hujus juris petendi:

B

Quod fortuna vetat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar ut eſſe trium.

Et alio loco non infacete:

Natorum mihi jus trium roganti
Muſarum pretium dedit mearum
Solus qui poterat, valebis uxor:
Non debet domini perire munus.

Sed & ſi quis tres liberos ſuperſtites Romæ, aut in Italia quattuor habeat, aut in provinciis quinque, a tutela vel cura poteſt excuſari exemplo ceteror. munerum, in quibus qui in acie adverſus hoſtes pro C Rep. ceciderunt, numerantur, ut Juſtinianus lib. I. inſtitutionum (p) ſcribit. Item in albo Decurionum pater non habenti filios antefertur ex conſtitutione Impp. Diocletiani & Maximiani. Jus autem liberorum ex Lacedæmonior. Repub. ductum eſſe videtur, apud quos, ut Ariſtoteles lib. II. de Repub. ſcribit, qui tres filios habebat, præſidii & ſtationis; qui plures, omnium munerum vacationem habebat. Sed cetera capita videamus.

Et præter ea quæ in Juliis legibus dicta ſunt, lege Papia de caducis etiam cavebatur. Quæ cum Juſtinianus tolleret, in hunc modum ad Senatum ſcribit (q): *Et nomen & materiam caducorum ex bellis* D *ortam & auctam civilibus, quæ inter ſe Pop. Rom. movebat, neceſſarium duximus P. C. in pacificis noſtri imperii temporibus ab orbe Romano recludere; ut quod belli calamitas introduxit, hoc pacis lenitas ſopiret. Et quemadmodum in multis capitulis lex Papia ab anterioribus Principibus emendata fuit, vel per deſuetudinem abolita, ita & a nobis circa caducorum obſervationem invidioſum ſuum amittat vigorem.* In altera vero conſtitutione, quæ & Græce & Latine ante Digeſta ſcripta (r) eſt, item libr. I. conſtitutionum, dicitur de caducis nihil in quinta parte Digeſtorum ſcriptum eſſe; ne cauſa, quæ in rebus non proſpere geſtis, & triſtibus temporibus Romanis ca- E lamitatibus increbuit, bello civili coaleſcens, ſuis temporibus remaneret; *neve luctuoſum monumentum læta*, inquit, *ſæcula inumbrare concedatur*. Ex quibus omnibus apparet aut eiſdem temporibus, quibus bella civilia, aut non multo poſt, hanc legem latam fuiſſe. Itaque recte a præceptore noſtro dictum eſt, hanc Papiam fuiſſe, de qua Tacitus & Honorius ſcripſerunt. Quamvis quod de Viceſima ſcribit, ex Dionis verbis, quem ipſe refert, mihi non probatur. Fuit enim lex Viceſima hereditatum ante triennium lata, quam Papia, M. Æmilio Lepido & L. Arruntio Coſſ. ut lib. LV. Dion ſcribit. Cauſam autem utrique legi iidem publici ſumptus dederunt, & quod F ob exhauſtum bellis civilibus ærarium, ad militares exercitus nova vectigalia deſiderabantur. Caducorum autem mentio in Digeſtis fit apud Ulpianum lib. XV. ad edictum (s) in eo S. C. quod de hereditatis petitione refertur: *Ait Senatus, Cum ante quam partes caducæ fiſco peterentur; Hoc evenerat*, inquit Ulpianus, *ut partes caducæ fiſco peterentur, ſed & ſi*

(p) *Inſt. de exc. tut. in princ. l.* in albo. *C. de decu. lib.* 10. (q) *l. un. C. de cad. tol.* (r) *l.* 2. *p.* quintus. *in fine. C. de vet. jure enu.* (s) *l.* item veniunt. *p.* præter hæc. *& p.* ait Senatus. *de here. pet. l.* cum fiſco. *de S. C. Sila.*

ex asse fiebat, S. C. locum habebit. Et apud Cajum lib. XVII. ad edictum provinciale; *Cum fisco*, inquit, *caduca bona defuncti addicantur propter inultam mortem; in eum legatorum actio datur, & libertates ratæ sunt.* Appellantur autem caducæ res, quæ facile cadunt, uti arborum frondes aut matura poma (t):

Sæpe levem paleam, & frondes volitare caducas;
Aut summa nantes in aqua colludere plumas.

Apud Cajum vero lib. VII. ad edictum provinciale (u), glans caduca appellatur, quæ ex arbore cecidit. Quamobrem Cicero Philippica V. eleganti translatione usus est: *Ne illa quidem Antonii celeritas contemnenda est, quem nisi in via caducæ hereditates retardassent, volasse eum, non iter fecisse diceres.* Caducas hereditates in via appellat, quæ ei in via cecidissent, ut antea sæpe. Nam secunda quoque Philippica in multas pecunias alienissimorum hominum invasisse eum ejectis veris heredibus scribit. Sed a nostris caduca bona dicuntur, quæ post mortem testatoris eo, cui relinquenda erant, e medio sublato, aut conditione deficiente, ante apertas tabulas ad fiscum ex Papia lege deferebantur, solis parentibus & liberis testatoris usque ad tertium gradum, si scripti fuerant heredes, lege exceptis, ut Justinianus (w) scribit. Qua de causa inter parentis jura ab illo poeta refertur (x):

Legatum omne capis, necnon & dulce caducum.

Lege autem hac aditionum hereditatum mentio facta est, sed tamen Senatusconsulta, quæ lege Papia * lata sunt, ab apertis tabulis dies legatorum cedere, non a morte testatoris voluerunt; ut medio illo tempore caduca fierent. *Cedere diem*, ut Ulpianus lib. I. regularum (y) scribit, *significat incipere deberi pecuniam; venire diem significat eum diem venisse, quo pecunia peti possit. Ubi pure quis stipulatus fuerit, & cessit, & venit dies: ubi in diem, cessit dies, sed nondum venit: ubi sub conditione, neque cessit, neque venit dies pendente adhuc conditione.* Itaque si legatarius, antequam dies cederet, mortuus esset, caducum legatum fiebat: neque enim ad heredes suos id transmittebat, nisi post eum diem mortuus esset, ut ex Imper. Alexandri rescripto (z) constat. Usque eo autem verum est diem legatorum non cessisse ante apertas tabulas, ut quamvis vindicationis legatum esset, quo genere legandi legatarius vindicare legatum poterat non expectato herede, ut Cajus scribit lib. II. institutionum; tamen apud Paulum libr. III. sententiarum ita scriptum est: *Per vindicationem legatum, etsi nondum constituerit legatariu. ad se pertinere, atque ita post apertas tabulas ante aditam hereditatem decesserit, ad heredem suum legatum transmittit.* Neque verum esse arbitror, quod vulgo dicitur, apud Neratium libr. I. membranarum scriptum esse, dominium ad legatarios post mortem testatoris statim transferri. *A Titio*, inquit (a) *herede homo Sejo legatus ante aditam hereditatem Titio furtum fecit. Si adita hereditate Sejus legatum ad se pertinere voluerit, furti ejus servi nomine aget cum eo Titius, quia neque tunc, cum faceret furtum, ejus fuit.* Negat quidem Neratius ante aditam hereditatem heredis fuisse, quippe cum hereditate adita omnia jura ad nos transeunt, ut Javolenus scripsit lib. I. epistolarum (b), præter possessionem. Post aditam quoque hereditatem heredis servum non fuisse scribit, quia ea quæ legantur, recta via ab eo qui legavit, ad eum cui legata sunt, transeunt. Quibus verbis mortis nulla mentio fit, ut post mortem dominium transferatur; sed ex aliis libris juris id investigandum est. Ex his autem quæ antea diximus, A illo quoque casu dicendum est non a morte testatoris, sed a tabulis apertis diem cessisse. Quanquam Justinianus (c) caduca tollens, a morte testatoris diem legator. cedere jubeat: item heredibus permittit, ut adire hereditatem statim possint: nam id quoque intervallum caduca efficiebat. Idem refert triplici modo res testamento relictas deficere. Aut enim his relinquebatur, qui, cum testamentum fiebat, in rerum natura non erant, quæ pro non scripto dicebantur: aut tunc quidem fuerunt, sed vel vivo testatore decesserunt, vel res ipsæ sub conditione relictæ, ea conditione vivo testatore deficiente in causam caduci venisse dicebantur: aut B quod relictum erat mortuo testatore deficiebat, quod proprio nomine caducum ducebatur. Et primo casu, si res pro non scripto habebantur, apud eos relinquebantur, a quibus relictæ fuerunt, nisi ei, qui ante decesserat, substitutus, aut conjunctus adscriptus esset, raro hoc casu gravamine veniente. Quod hodieque obtinere Justinianus voluit. Ceteris casibus opinor ad fiscum fuisse res delatas ex lege Papia, quod idem Imper. abrogat, qui pluribus verbis totum hunc tractatum conscribit. Quod vero de his quæ pro non scripto sunt, diximus; extat libr. XXXIV. Digestorum titulus, De his quæ pro non C scriptis habentur, sub quo permulti alii casus enumerantur quibus pro non scriptis res habentur (d) In quibus ut onus ad alios quoque deferatur, ille tantum est, si quis sibi adscripserit in testamento, & ab eodem fideicommissum sit, ut Paulus scribit lib. XII. quæstionum. Addit Accursius alterum casum ex Ulpiano lib. V. fideicommissorum (e) si pro non scripto habitus sit servus alicui legatus, cui servo per fideicommissum libertas adscripta est. Et hoc est quod ex Justiniano retulimus, raro gravamen in hujusmodi relictis accedere. Cetera in eadem constitutione tractantur.

Aliud caput legis Papiæ ab Justiniano refertur lib. D III. institutionum: *Lege*, inquit (f), *Papia adaucta sunt jura patronum, qui locupletiores libertos habebant. Cautum est enim, ut ex bonis ejus qui sestertium centum millium patrimonium reliquerat, & pauciores quam tres liberos habebat, sive is testamento facto, sive intestatus mortuus erat, virilis pars patrono deberetur.* Nihil opus est, ut hoc loco repetam, quæ lib. II. Emendationum de sestertiis nummis diximus: tantum scribam hosce libertos centenarios appellari apud Ulpianum lib. X. ad legem Juliam & Papiam: *Si libertus*, inquit (g), *minorem se centenario in fraudem legis fecerit, ipso jure non valebit, id quod factum est: & ideo quasi in cente-* E *narii liberti bonis locum habebit patronus.* Sed & alia eo loco dicuntur, quæ ad hanc legem, quam Ulpianus, ut opinor, interpretabatur, maxime pertinent. Paulus quoque in eo indice librorum, ex quibus Pandectæ Justiniani constant, librum singularem scripsisse dicitur de jure patronatus, quod ex lege Julia & Papia venit. Sed Justiniani constitutio, quam pro omni natione, Græca lingua compendioso tractatu habito scripsisse se dicit, libertos minores centenariis, hoc est, qui aureis minus centum, ut ipse definit, censerentur, ex testamento jure patronatus liberat; ab intestato si sine liberis F decesserint, eorum legitimam hereditatem patrono defert. Sed si majores sint, liberis hereditatem defert; si sine liberis decesserint, ab intestato eos vocat; ex testamento vero ad tertiam partem bonorum. Est autem ea constitutio plerisque locis ab Justiniano (h) relata, sed eam nos in libris constitutionum, ut pleraque alias non habemus. Sed libr. VI. constitutionum sub titulo De bonis liberto-

(t) *Virg. Georg.* I. (u) *l* silva. *p.* glans *de verb sign.* (w) *d. l. unic. p* & cum triplici. *& p.* & cum lex. (x) *Juven. Sat.* 9. * *p.* cum igitur. *e. l.* (y) *l.* cedere diem. *de ver sign.* (z) *l.* ex his verbis. C. *quando diem legati.* (a) *l.* a Titio. *de furtis.* (b) *l.* cum heredes. *de adq. apos.*

(c) *d. l. unic. p.* cum igitur. *& p.* in novissimo. *de cad. tol.* (d) *l. ulti. de his, quæ pro non script.* (e) *l.* cum vero. *p.* si pro non scripto. *de fideicom. libert.* (f) *Inst. de succe. lib. p.* postea vero. (g) *l.* si libertus. *de jure patr.* (h) *Instit. de leg. agn. suc. p.* placebat *& de serv. ag. in pri. & de bon. pos. p.* cum quæ antea.

rum & jure patronatus, quarta desideratur, ut ex A Græcis interpretibus animadverti, ex quibus multarum constitutionum verba atque sententias nuper collegimus. De quibus alias.

Ad Papiam legem revertamur. Et lib. II. Theodosiani Codicis constitutionum (i) extat Constantii & Juliani rescriptum, quo inofficiosa dos esse dicitur, cum in fraudem legis Papiæ amplius dodrante marito secundo datur, exstantibus liberis ex priore matrimonio. Qua de re nihil amplius accepi.

Aliud caput est apud Gellium lib. I. Noctium (K): *Papiam*, inquit, *legem invenimus, qua cavetur, ut Pontificis Maximi arbitratu virgines e populo viginti legantur, sortitioque in concione ex eo numero fiat*. B Agit autem de Vestalibus virginibus, quarum uno tantum loco mentionem fieri in jure civili existimo Novella VI. (l). Capitalem enim pœnam diaconissis Justinianus indicit, si stuprum passæ fuerint, ad exemplum earum virginum, quas olim Vestæ consecratas vivas defodiebant, si in corpus peccassent. Referuntur a Gellio Vestalium conditiones satis diligenter ex Antistii Labeonis, & Atei Capitonis, atque aliorum libris, quas referre nimis longum esset. De hac tamen lege intelligendum est quod Suetonius scribit; Sacerdotum & numerum, & dignitatem, & commoda Augustum auxisse, præcipue Vestalium virginum. C Cumque in demortuæ locum aliam capi oporteret, ambirentque multi, ne filias in sortem darent, adjuravit, si cujusquam neptium suarum competeret ætas, oblaturum se eam fuisse. De præmiis quoque antea dictum est ex Dione lib. LVI. præmiis earum quæ peperissent, honestatas esse. Plutarchus tamen in Numa scribit, eum Regem magnos honores Vestalibus tribuisse: in quibus erat, ut testamentum facere etiam vivo patre, & cetera gerere sine tutoris auctoritate possent, quemadmodum trium liberorum matres. *Cum fascibus quoque*, inquit, *cum prodeunt, deducuntur*; D quod tamen Augusti temporibus cœptum Dion scribit lib. XLVII. Sed sortitio, ut Gellius scribit, non necessaria postea visa est, sed si quis honesto loco natus adiret Pont. Max. atque offerret ad sacerdotium filiam, cujus salvis religionum observationibus ratio haberi posset, Popiliæ legi satisfactum erat. Popiliam autem, sive Pompiliam, fuisse arbitror Numæ Pompilii legem, qua Vestales consecrabantur, ut infra scribemus. Hæc sunt quæ de Papia lege reperimus, quæ Tiberii temporibus, ut Tacitus scribit, item Claudii, ut Suetonius, moderata est. Apud Ciceronem vero Papia lex pro Papiria scribitur, ni fallor, in oratione pro Archia poeta, qua de re mox videbimus.

E Alia lex est, cujus Cicero mentionem facit libr. III. de Officiis, his verbis: *Male etiam, qui peregrinos urbibus prohibent, eosque exterminant, ut Petronius apud patres nostros, Papius nuper. nam esse pro cive qui civis non sit, rectum est non licere. quam tulerunt legem sapientissimi Consules Crassus & Scævola: usu vero urbis prohibere peregrinos sane inhumanum est.*

(i) *l. 2. de inoffi. dotib. in C.Theod.* (k) *cap. 12.* (l) *Auth.* quomodo op. ep. *p.* oportet.

PAPIRIA.

F LIVIUS lib. IV. scribit L. Papirium Crassum, L. Junium Coss. cum legem de multarum æstimatione pergratam populo a Tribunis parari, unius ex eorum collegio proditione sensissent, ipsos præoccupasse, eamque magno populi favore tulisse. Eam nos Tarpejam Æterniam fuisse suspicamur, de qua alio loco plura.

II. Ad eandem autem referendum non est quod Plinius libr. XXXIII. (a) scribit Papiriana lege semunciales asses factos esse. Etenim ante primum bellum Punicum asses libram pendebant, ex quo asse pro libra in plerisque rebus utimur, ut alio loco scripsimus. Tum primum sextantarii asses facti, ut cum impensis Resp. non sufficeret, æs alienum in hunc modum dissolveretur, quinque partibus in lucrum ærarii cedentibus. Sextantem enim, hoc est, uncias duas, asses singuli pendebant; quod ad usum Reip. non magnum detrimentum privatorum fuit, ut Pompejus scribit, si modo cum exteris nationibus commercium nummorum non esset. Post septem autem annos Annibale urgente, Q. Fabio Maximo Dictatore unciales asses facti sunt, & Respub. dimidium lucrata est. Quo tempore denarius quoque, qui argenteus nummus fuit, quinque annis ante primum bellum Punicum signatus decem assium æstimatione, tum primum ad XVI. asses auctus est, quinarius, qui etiam Victoriatus dicebatur, de quo in Clodiis legibus scripsimus, non quinque ut olim sed octo assibus æstimatus est: eadem quoque ratione sestertius nummus quatuor assibus mutabatur, non vero assibus duobus & semisse, ut olim. Quæ æstimatio ad Volusii Mæciani tempora pervenit, qui de asse lib. singul. scripsit, ex quo verba donationum ab Justiniano (b) explosa lib. II. Emendationum interpretabamur. Post illam igitur æstimationis mutationem *mox lege Papiriana*, inquit Plinius, *semunciales asses facti sunt, atque iterum dimidiam partem Resp. lucrata est*. Ita paulatim evenit, ut pro libra æris semuncia assis loco daretur. Eutropius lib. II. rerum Romanarum argenteum nummum primum signatum fuisse scribit undecimo anno primi belli Punici: qua in re a Plinio XVI. annis dissentit.

III. C. Carbonis quoque leges Papirias esse non dubito ex epistola quadam Ciceronis ad Papirium Pætum (c), qua Papirii omnes enumerantur: in qua extrema ita scriptum est: *Tres fratres fuere, Publius, Cajus, Marcus Carbones. Publius Flacco accusante condemnatus, fugit Marcus ex Sicilia, Cajus accusante L. Crasso cantharidas sumpsisse dicitur. Is Tribunus plebis seditiosus, & P. Africano vim attulisse existimatus est*. Hujus est Tabellaria lex de jubendis legibus, ac vetandis, ut idem Cicero scribit lib. III. de legibus, quem seditiosum civem atque improbum appellat, *cui ne reditus quidem ad bonos*, inquit, *salutem a bonis potuit auferre*. (d)

IV. Florus quoque lib. LIX. scribit Carbonem tulisse, ut eundem Tri. pl. quoties populus vellet, creari liceret: quam rogationem Afrianus minor dissuasit, in qua oratione dixit Tiberium Gracchum jure cæsum videri, tenuitque ejus dissuasio, ut Florus scribit. Appianus tamen, cum de secundo Tribunatu C. Gracchi agit, legem fuisse scribit, qua id permittebatur. Cicero vero lib. II. de Oratore de illa Carbonis & Africani contentione ita scribit: *Cum L. Opimii caussam defendebat apud populum audiente me*, (M. Antonius loquitur) *C. Carbo Consul nihil de C. Gracchi cæde negabat, sed id jure pro salute patriæ factum esse dicebat; ut eidem Carboni Tribuno plebis alia tum mente Remp. capessenti P. Africanus de T. Graccho interroganti responderat, jure cæsum videri*. Ex quo loco illa quoque varietas Carbonis cognoscitur, de qua ex lib. III. de legibus antea scripsimus. Sed & in Miloniana Ciceronis idem illud Africani responsum refertur.

V. Idem Cicero in oratione pro Archia poeta scribit: *Data est civitas Sillani lege & Carbonis, si qui fœderatis civitatibus adscripti fuissent; si tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent; & si* LX. *diebus apud Prætorem essent professi*. Eam legem, ut opinor, postea Papiam, vel, ut arbitror, Papiriam appellat.

VI. Aliam legem Q. Papirius Tr. Pl. tulisse di-

(a) *cap. 3.*

(b) *l. ultim. C. de dona.* (c) *epist. 21. li. 9.* (d) *al.* adferre.

citur apud Ciceronem in oratione pro domo, quæ vetabat injussu plebis ædes, terram, aram consecrare. Quam Cicero ita interpretatur, ut de ædibus sacris, de agris ab hostibus captis, non de privatis ædibus atque agris intelligatur. *Neque enim*, inquit, *id fieri fas erat, neque quisquam fecerat, neque erat causa, cur prohibendo non tam deterrere videretur, quam admonere*. Et postea: *Lex Papiria vetat ædes injussu plebis consecrari: sit sane hoc de nostris ædibus, ac non de publicis templis*. Quo autem tempore hæc lex lata sit, ignoro; eam tamen veterem M. Cicero appellat. Alia lex est, quam L. Papirius tulit de sacramentis, sive is Tribunus plebis fuerit, ut in Festi veteri libro est, sive Tribunus militum, ut quidam suspicantur. Festi verba hæc sunt: *Sacramentum æs significat, quod pœnæ nomine penditur, sive eo quis interrogatur, sive contenditur: id in aliis rebus quinquaginta assium est, in aliis rebus quingentorum inter eos, qui judicio inter se contenderent qua de re lege L. Papirii Tribuni pl. sanctum est his verbis*: QUICUNQUE PRÆTOR POSTHAC FACTUS ERIT QUI INTER CIVES JUS DICET TRES VIROS (CAPITALES) POPULUM ROGATO: IIQUE TRESVIRI. ···· QUICUNQ. ··· FACTI ERUNT SACRAMENTA EX ···· JUDICANTOQUE, EODEMQUE JURE SUNTO UTI EX LEGIBUS PLEBEIQUE SCITIS EXIGERE JUDICARE ESSEQUE OPORTET. *Sacramenti autem nomine id æs dici cœptum est, quod & propter ærarii inopiam, & sacrorum publicorum multitudinem consumebatur id in rebus divinis*. Hæc Festus. Videndus etiam Varro lib. v. de lingua Latina.

PESOLONIA.

APUD Paulum lib. I. sententiar. scriptum est: *Si quadrupes pauperiem fecerit, damnumve dederit, quidve depasta sit, in dominum actio datur, ut aut damni æstimationem subeat, aut* (a) *quadrupedem dedat; quod etiam lege Pesolonia de cane cavetur*. Diximus in XII. Tabulis Solonis legem fuisse, quæ de canis noxa scripta est apud Plutarchum, unde Decemviri hanc ipsam de pauperie sumpserunt. Itaque non Pesoloniam, sed Soloniam, aut Solonis, scribendum esse arbitramur.

(a) *al.* quadrupede cedat.

PETILLIA.

IN legibus Ambitus scriptum est C. Petillium Tr Pl. primum de ambitu tulisse, C. Fabio, C. Plautio Coss. ex Livio lib. VII. *Ambitus autem*, ut Sex. Pompejus scribit, *proprie dicitur locus inter duorum vicinorum ædificia duorum pedum & semipedis*, ex lege XII. Tab. ad circumeundi facultatem relictus. AM, enim pro circum veteres usurpant; *ex quo*, inquit, *honoris ambitus dici cœptus est a circumeundo & supplicando*.

II. Idem Livius lib. VIII. scribit, C. Petillio, L. Papirio Mugilano Coss. plebi Romanæ velut aliud initium libertatis factum esse, quod necti desierunt. Cum enim L. Papirius fœnerator C. Publilium ob æs alienum patris in nexum accepisset, in eum libidinem suam exercere cupiens, quod is flagitium aspernabatur, verberibus probum adolescentem adfecit. Qui cum se in publicum proripuisset, causam dedit, ut Consules jussu Senatus ad populum ferrent, ne quis nisi qui noxam meruisset, donec pœnam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur: pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium esset. Veteribus autem legib. Romuli & XII. Tabular. patria potestas late patebat, ut vincere filium, verberare, necare, vendere, pignori dare liceret, ut in Duodecim scribemus.

PETRONIA. De hac in Junia Petronia vidimus.

PLAUTIA vel PLOTIA.

ITA veteres in Claudio, & Clodio; aurata, & orata; aulla, & olla; plaustro, plostro variabant. Celebris autem Plautia lex est de vi. De qua Julianus lib. XLIV. Digestorum (a): *Si dominus*, inquit, *fundi homines armatos venientes existimaverit, atque ita profugerit, quamvis nemo eorum fundum ingressus fuerit, vi dejectus videtur. Sed nihilominus id prædium etiam antequam in potestatem domini redeat, a bonæ fidei possessore usucapitur. Quia lex Plautia, & Julia ea demum vetuit longa possessione capi, quæ vi possessa fuissent; non etiam ex quibus vi quis dejectus fuisset*. Idem Justinianus scribit lib. II. Institutionum (b), legem Juliam, & Plautiam vi possessar. rerum prohibere usucapionem. Quod vero Julianus scribit, vi dejectum videri, qui armatos venire ad se existimasset, Ciceronis verba confirmant in oratione pro A. Cæcinna: *At vero hoc quidem jam vetus est*, inquit, *& majorum exemplo multis reb. usitatum: cum vim ad faciundam veniretur, si quos armatos quamvis procul conspexissent, ut statim testificati discederent, optime sponsionem facere possent, ni adversus edictum Prætoris vis facta esset*. De hac lege existimo intelligi oportere, quod Cicero in Miloniana scribit, Milonem Clodio fuisse odio, vexatorem furoris, domitorem armorum suorum, postremo etiam accusatorem suum. *Reus enim*, inquit, *Milonis lege Plotia fuit Clodius, quoad vixit*. Asconius vero in eadem scribit M. Saufejum, qui dux fuerat in expugnanda taberna, in qua Clodius occisus est, primum lege Pompeja, deinde lege Plautia de vi fuisse postulatum, quod loca occupasset, & cum telo fuisset. Utraque autem lege absolutus est odio magis Clodii, quam causa. Jam vero M. Cœlius in epistola quadam (c) ad Ciceronem scribit C. Sempronium Rufum calumniam tulisse, quod M. Tucium accusatorem suum reum lege Plotia de vi fecisset, eo consilio, ne sibi eo anno causa esset dicenda.

II. Altera lex Plotia fuit de judiciis, de qua Cicero in Corneliana apud Asconium: *Memoria*, inquit, *teneo, cum primum Senatores cum equitibus Romanis lege Plotia judicarent, hominem diis ac nobilitati perinvisum Cn. Pompejum causam lege Varia de majestate dixisse*. Cum enim Sempronia lege equester ordo in judiciis dominaretur, M. Plautius (d) Silanus Tribunus Plebis Cn. Pompejo Strabone, L. Porcio Catone Coss. anno secundo belli Italici, ut Asconius scribit, legem tulit adjuvantibus nobilibus, ut Tribus singulæ quinos denos suffragio crearent, qui eo anno judicarent; ex eo factum esse, ut Senatores quoque in eo numero essent, & quidam etiam ex plebe. Tribus autem XXXV. fuerunt, unde judicum numerus DXXV. fuit. Idem Cicero lib. IV. ad Atticum: *Non enim te puto de lustro, quod jam desperatum est, aut de judiciis, quæ lege Plotia fiant, quærere*. Quæ verba fortasse ad legem Plotiam de vi pertinent: jam enim tum lege Aurelia judicia fuerant Senatoribus, Equitibus, & Tribunis ærariis communicata. Quod vero apud Suetonium scriptum est, rogatione Plotia C. Cæsarem in Tribunatu militum reditum in civitate confecisse L. Cinnæ uxoris fratri, & his qui cum eo civili discordia Lepidum secuti fuerant, & ad Sertorium confugerant: ad neutram legem referendum est, sed id privilegium potius fuit.

(a) *l.* non solum. *p.* si dominus. *de usucap.* (b) *Inst. de usuc. p.* furtivæ. (c) *lib.* 8 (d) al. Silvanus.

POMPEJA.

DE parricidiis lex hæc pervulgata est, qua cavetur, ut, si quis parentis, aut filii, aut omnino affinitatis ejus, quæ nuncupatione pa-

rentum continetur, fata præparaverit, sive clam, sive palam id ausus fuerit, nec non is, cujus dolo malo id factum est, vel conscius criminis exstitit, licet extraneus sit, pœna parricidii puniatur, & neque gladio, neque ignibus, neque ulli alii solenni pœnæ subjiciatur, sed insutus culeo cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera, & simia, & inter eas ferales angustias comprehensus, secundum quod regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur: ut omnium elementorum usu vivus carere incipiat, & ei cœlum superstiti, terra mortuo auferatur. Si quis autem alias cognatione vel adfinitate personas conjunctas necaverit, pœnam legis Corneliæ de sicariis sustinebit. Hæc Justinianus scribit libro quarto institutionum (a): item Marcianus libro decimo quinto institutionum, & Modestinus libro duodecimo Pandectarum. Plutarchus ait Romulum Regem nullam parricidio pœnam indixisse, sed qualemcunque cædem parricidium appellasse. Illud enim fieri non posse, hoc impie fieri judicavit. Itaque primus L. Hostius traditur post annos DC. & post Punica bella patrem suum occidisse. Florus tamen libro LXVIII. scribit, Malleolum matre interempta omnium primum insutum culeo in mare præcipatum fuisse. Ad Herennium quoque lib. I. scriptum est: *Qui parentem necasse judicatus erit, is obvolutus & obligatus corio dejiciatur in profluentem. Malleolus judicatus est matrem necasse: ei damnato statim folliculo lupino os obvolutum est, & soleæ ligneæ pedibus inductæ sunt, & in carcerem ductus est. Qui defendebant eum, tabulas in carcerem adferunt, testamentum ipso præsente conscribunt testes rite adfuerunt: de illo supplicium paulo post sumitur.* Idem exemplum lib. II. de inventione totidem propemodum verbis refertur; & utroque loco de testamento dubitatur; quod Ulpianus lib. x. ad Sabinum (b) irritum fieri cum sententiam passus est, scribit. Quod vero ex Plutarcho retulimus, Romulum nullum supplicium constituisse his qui parentem necassent, idem Solonem fecisse in Rosciana priore Cicero scripsit: Qui cum interrogaretur, cur tantum scelus sine pœna reliquisset, respondisse fertur; sed id neminem facturum putasse. *Quanto melius atque sapientius*, inquit Cicero, *majores nostri, qui tantum facinus singulari quodam supplicii genere vindicaverunt?* De quo illa laudantur ab eodem in Oratore, quæ in eadem causa adulescens dixerat: *Etenim quid tam est commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de cœlo non queant; ita moriuntur, ut eorum ossa terram non tangant: ita jactantur fluctibus, ut numquam alluantur: ita postremo ejiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant.* Ex his omnibus locis colligo legem hanc non esse a Cn. Pompejo Magno latam, cum ea Malleolus multis annis ante Pompejum damnatus sit, & Cicero a majoribus fuisse hanc pœnam impositam scribat. Quamquam fieri potuit, ut alia lege hæc eadem pœna imposita sit.

II. Illæ autem Pompeii sunt, quas in tertio Consulatu tulisse eum Asconius in Miloniana scribit. Duas enim ait ex S. C. promulgasse. Alteram de vi, qua nominatim cædem in Appia via factam, & incendium curiæ, & domum M. Lepidi Interregis oppugnatam comprehendit. Fuerant autem hæc illis diebus patrata, Clodio in Appia occiso, cujus corpus in curia combustum fuit, quo incendio & ipsa curia flagravit. Alteram tulit de ambitu pœna graviore, & forma judiciorum breviore. *Utraque enim lex*, inquit, *prius testes dare, deinde uno die atque eodem ab accusatore & ab reo perorari jubebat, ita ut duæ horæ accusatori, tres reo darentur.* De hac judiciorum forma & lege Cicero in Bruto scribit.

(a) *Insti. de pub. jud. p.* alia. *l.* 1. *& pen. de lege Pomp. de parri.* (b) *l.* si quis filio. *p.* irritum *de injus. rupto.*

Cum enim de sua & Hortensii exercitatione in caussis diceret: *Lege*, inquit, *Pompeja ternis horis ad dicendum datis, ad causas simillimas inter se, vel potius easdem, novi veniebamus cottidie.* Et initio libri quarti de finibus ita Catonem loquentem inducit: *An tandem*, inquit, *cum ego te hac nova lege videam eodem die accusatori respondere, & tribus horis perorare, in hac me causa tempus dilaturum putas? quæ tamen a te agetur non melior, quam illæ sunt, quas interdum obtines.* Novam legem hanc ipsam Pompejam appellat, quæ eam judiciorum formam constituerat. De eadem libro XIII. ad Atticum (c): *Is*, inquit, *ad me venit*, (de Trigellio autem, sive de Phamea nescio quo loquitur) *dixitque judicem operam dare sibi constituisse eo die ipso, quo de Sestio nostro lege Pompeja in consilium iri necesse erat: scis enim dies illorum judiciorum præstitutos fuisse*; & quæ sequuntur. Quæ verba in epistola quoque ad Fabium Gallum (d) referuntur. Eodem pertinet quod Philippica I. dicitur Centurionibus judicatus lege Julia, etiam ante Pompeja, & Aurelia patuisse.

Suetonius in Cæsare Dictatore aliam Pompeii legem refert de jure magistratuum; in qua eo capite quo a petitione honorum absentes submovebat, ne Cæsarem quidem excepit per oblivionem. Lege tamen in æs incisa, & in ærarium condita correxit errorem suum. Apud Plutarchum quoque laudari reos a Pompejo lege prohibitum fuisse scriptum est, quam tamen is in Planco reo neglexit. Plinius etiam Secundus legem Pompejam in Bithynia servari, in epistolis ad Trajanum (e) scribit, quæ tota provincialis fuit. Idem Tribuniciam potestatem a Sulla deminutam restituit, ut ex Cicerone lib. III. de legibus constat. De his legib. Tacitus lib. III. ita scribit: *Neque multo post Tribunis reddita licentia, quoquo vellent, populum agitandi: jamque non modo in commune, sed in singulos homines latæ quæstiones, & corruptissima Rep. plurimæ leges. tum Cn. Pompejus tertium Consul corrigendis moribus delectus, & gravior remediis, quam delicta erant, suarumque legum auctor idem ac subversor; quæ armis tuebatur, armis amisit: exin continua per* XX. *annos discordia, non mos, non jus.*

(c) *epist.* 49. (d) *Lib.* 7. *epist.* 24. (e) *Lib.* x. *epist.* 83.

POPILIA vel POMPILIA.

In Papia lege dictum est, illius legis caput, quo virgines Vestales sortito eligebantur, non diu observatum, ut Gellius lib. I. scribit (a): *Nam si quis*, inquit, *honesto loco natus adeat Pont. Max. atque offerat ad sacerdotium filiam suam, cujus dumtaxat salvis religionum observationibus ratio haberi possit, gratia Popiliæ legis per se ratum fit.* His verbis incertum est, Popilia lex Papiam ne abroget, an vero eadem ipsa Papia Poppæa sit: an quod magis arbitror, Numæ Pompilii Regis, qui ut Livius scribit (b), virgines Vestæ legit, Alba oriundum sacerdotium, & genti conditoris haud alienum. His, ut assidue templi antistites essent, stipendium de publico statuit; virginitate, aliisque cæremoniis venerabiles ac sanctas fecit. Dionysius quoque lib. II. & Plutarchus in Numa scribunt, Pompilium Regem quattuor virgines, Servium alias duas constituisse, sex deinde fuisse perpetuo. Triginta eas annos virginitatem servare oportebat, denis annis accipiendis, colendis, atque tradendis cæremoniis exactis. Cetera apud Gellium perscripta sunt.

(a) *cap.* 12. (b) *lib.* 1.

PORCIA.

Livius lib. x. cum de Valeria lege, quæ de provocatione lata est, scriberet: *Porcia*, inquit, *lex sola pro tergo civium lata videtur: quod gravi pœna si quis verberasset, necassetve civem Romanum sanxit.* Valeria enim nihil ultra quam improbe factum esse adjecerat. De hac in Rabiriana perduellio-

nis Cicero: *An de civibus*, inquit, *Romanis contra legem Porcia verberatis, aut necatis plura dicenda sunt?* & postea: *Porcia lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit, hic misericors flagella retulit: Porcia lex libertatem civium lictori eripuit, Labienus homo popularis carnifici tradidit*. In Verrem quoque de suppliciis cum civem Romanum virgis cæsum fuisse scripsisset, eique crucem paratam: *O nomen*, inquit, *dulce libertis! o jus eximium nostræ civitatis! o lex Porcia, legesque Semproniæ! o graviter desiderata, & aliquando reddita plebis Romanæ Tribunicia potestas! huccine tandem omnia reciderunt?* Meminit hujus Sallustius in Catilin. Hujus legis nomen non a M. Porcio Catone, sed ab aliquo Porcio Læca acceptum esse denarius nummus indicat: in quo P. LÆCA & PROVOCO legitur ea specie cælata, ut civis Romanus a magistratu, cui lictor præsto est, provocare videatur. Læcam vero cognomen esse Porciæ gentis, Livius lib. XXXIII. ostendit, & alius denarius, in quo est M. PORC. LÆCA. Unde cognovimus LÆCAM, non LECCAM scribendum esse apud Ciceronem (a), & Sallustium, cum in sociis conjurationis M. Læcam numerant.

(a) *Cic. in Catil. 1. & 2. & pro Sulla.*

POSTUMIA.

POSTUMIA lex apud Plinium lib. XIV. (a) refertur: Romulum enim diis lacte libasse, non vino, Numæ regis Postumiam legem fuisse, VINO ROGUM NE RESPERGITO. Quod sanxisse illum propter inopiam vini scribit. Eadem lege ex imputata vite libari vina diis nefas statuisse, ut putare cogerentur. Huc fortasse Catulli carmen pertinet:

Inger mi calices amariores,
Ut lex Postumiæ jubet magistræ,
Ebriosa acina ebriosiores.

De quo Gellius lib. VII. cap. XX. videndus.

(a) *cap. 12.*

PUBLICIA.

MARCIANUS ait lib. V. regularum (a) sponsionem facere licere ex lege Titia, & Publicia, & Cornelia in his ludis, qui virtutis gratia fieri in pecuniam liceat. De qua nihil amplius accepi.

(a) *l.* in quibus. *de aleato.*

PUBLILIA.

ANNO post Romam conditam quadringentesimo decimo quarto Q. Publilius Philo Dictator ab collega T. Æmilio Mamercino Cos. dictus tres secundissimas plebi, adversas nobilitati leges tulit, ut Livius lib. VIII. scribit. Unam, ut plebiscita omnes Quirites tenerent, de qua re in Hortensia lege vidimus. Alteram, ut legum, quæ comitiis Centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent. Qua lege arbitror abstulisse patribus, ne quod populo placuisset, id, si ipsi auctores post suffragia non fierent, abrogarent. Tertia lex fuit, ut alter ex plebe Censor fieret, etsi utrumque jam tunc fieri licebat.

PUPIA.

HAC lege comitialibus diebus Senatum haberi prohibebatur. De ea Cicero ad Lentulum (a) *Senatus haberi ante Kalendas Februarias per legem Pupiam, id quod scis, non potest*. Et lib. II. ad Qu. fratrem: *Comitialibus diebus, qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur non impediri se lege Pupia, quo minus habeat Senatum, & quod Gabinia sanctum sit, etiam cogi ex Kalend. Febr. usque ad Kalendas Martias legatis Senatum cottidie dari*. Et epistola secunda ejusdem libri: *Consecuti sunt*, inquit, *dies comitiales, per quos Senatus haberi non poterat*.

(a) *Lib. 1. epist. 4.*

A

QUINCTIA.

HUJUS legis nomen nusquam relatum inveni. Lex tamen ipsa apud Frontinum lib. II. de aquæductibus reperitur in hæc verba: T. Quinctius Crispinus cos. populum jure rogavit, populusque jure scivit, in foro, pro rostris ædis divi Julii, prei. K. Julias, tribus Sergia principium fuit, pro tribu Sex. L. F. Varro. sive, ut potius legendum puto, Sex. Terentius, L. F. Varro primus scivit. significat enim Sergiam Tribum initium suffragandi fecisse: ex ea autem Sex. Terentium Varronem L. F. primum suffragium tulisse: sequitur deinde: Quicumque post hanc legem rogatam rivos, specus, fornices, fistulas, castella, tubulos, lacus aquarum publicarum quæ ad urbem dicuntur, earumve quam sciens dolo malo foraverit, ruperit, forare, rumpereve curaverit, pejoremve fecerit, quominus ea aqua, earumve qua, in urbem Romam ire, cadere, flui, pervenire, duci possint, quove minus in urbe Roma, & in his ædificiis, quæ urbi continentia sunt, erunt, in hisque hortis, prædiis, locis, quorum hortorum, prædiorum, locorum dominis, possessoribusve aqua data, vel adtributa est, vel erit, ut saliat, distribuatur, dividatur, in castella, lacus immittatur, is P. R. C. millia dare damnas esto: & qui clam quid eorum ita fecerit, id omne sarcire, reficere, restituere, ædificare, ponere, cælare, & demoliri damnas esto, sine dolo malo: atque ita omnino ut quicunque curator aquarum est, erit, aut si curator aquarum non est, vel erit, tum is Prætor, qui inter cives & peregrinos jus dicit, multam pignoribus cogito, coerceto, eique curatori, aut si curator non erit, tum ei prætori, eo nomine cogere, & coercere, multæ dicendæ sive pignoris capiendi jus potestasque esto. si quid eorum servus fecerit, dominus ejus centum millia populo det. si quis circa rivos, specus, fornices, fistulas, tubulos, castella, lacus aquarum publicarum, qua ad urbem Romam ducuntur, vel ducentur, terminatus steterit, ne quis eo loco post hanc legem rogatam quid opponit, molit, obsepit, figit, statuit, ponit, collocat, arat, serit: neve in eum locum quid immittit, præterquam eorum faciendorum, reponendorum causa, præterquam quod hac lege licebit. oportebit. qui adversus ea quid fecerit & adversus ea repserit, ex jussu, causaque omnium rerum omnibus esto damnas. uti esset esseque oporteret, si is adversus hanc legem rivum, specum rupisset, forasset ve* quique specum forasset, rupisset-

ve,

ve, quominus in eo loco pascere herbam, fœnum secare, sentes, vepres, caprificos, curatores aquarum, qui nunc sunt, quique erunt, circa fontes, & fontium, & murorum curam, rivos, & specus, terminatus, arbores, vites, vepres, sentes, (a) ripæ, maceriæ, salicta, harundineta excidantur, tollantur, effodiantur, (b) excodicentur, uti quod recte factum esset volet, eoque nomine iis pignoris captio, multæ dictio coercitioque esto, idque iis sine fraude sua facere jus potestasque esto * quominus vites, arbores quæ villis, ædificiis, maceriisve inclusæ sint. maceriæ, quas curatores aquarum causa cognita ne demolirentur, dominis permiserunt, quibus inscripta, insculptaque essent ipsorum qui permisissent curatorum nomina, hac lege nihil (c) abrogatur, quominus ex his fontibus, rivis, specubus, fornicibus aquam haurire, sumere iis quibuscumque curatores aquarum permiserunt, præterquam rota, calice, machina, liceat, dum neque puteus, neque foramen novum fiat, ejus hac lege nihilum rogatio. * Valerius Probus tradit solere has notas in legibus scribi, E. H. L. N. R. quibus significaretur, Ejus hac lege nihilum rogatur. Item has, S. Q. S. S. E. Q. I. N. S. R. E. H. L. N. R. Si quid sacri sancti est quod jure non sit rogatum, ejus hac lege nihil rogatur. Ex quib. verbis in calce hujus legis NIHILUM ROGATUR scribendum esse crediderim. Antiquior vero lex ab eodem Frontino refertur in hæc verba: NE QUIS PRIVATUS ALIAM DUCAT QUAM QUÆ EX LACU HUMUM ACCEDIT. Item hæc: NE QUIS AQUAM OLETATO DOLO MALO, UBI PUBLICE SALIT. SI QUIS OLETARIT, SESTERTIORUM X. MILLIUM MULTA ESTO. Oletare autem interpretatur olidam facere. In eisdem legibus scriptum esse ait, ut agri, qui aqua publica contra legem essent irrigati, publicarentur. Hæc Frontinus.

(a) *al.* Pilæ. (b) *al.* Extirpentur. (c) *al.* Rogato. *In vet. m. s.* Alii nihilum rogatur.

REGIA.

ULPIANUS & Justinianus lib. I. institutionum (a) scripserunt: *Quod principi placuit, legis habet vigorem; utpote cum lege Regia, quæ de imperio ejus lata est, populus ei, & in eum omne suum imperium & potestatem conferat.* Pomponius quoque lib. sing. enchiridii (b) eleganter potestatem principis a C. Cæsare, & Octavio Augusto usurpatam fuisse tacuit, & paulatim devenisse Rempub. ad pauciores scribit. Et cum Senatus non probe regere omnes provincias posset, necesse fuisse, ut per unum Reip. consuleretur. Itaque constituto principe datum ei jus esse, ut quod constituisset, ratum esset. Dion vero multo verius utrique Cæsari post bellorum civilium victoriam a Senatu populoque Rom. omnem potestatem atque imperium concessum per vim ac metum scribit. Id quoque ceteris, qui legitimam potestatem deinceps ceperunt, tributum est, quamobrem legibus soluti dicuntur ab Ulpiano lib. XIII. ad legem Juliam & Papiam (c): Augusta vero legibus soluta non erat, quia de ea re nulla lex fuerat rogata. Jure vero Severi & Antonini vox digna principe lau-

(a) *l. 1. de const. princ. Instit. de jure natu. p.* sed & quod principi *l. 1. p.* cum enim *C. de vet. jur. enuc.* (b) *l. 2. p.* novissime *de orig. jur.* (c) *l.* princeps. *de legib.*

A datur (d), qui licet legibus solutos se esse animadverterent, legibus vivere se velle prædicabant. Exstat hodie ejus legis, qua Vespasiano imperium delatum est, pars quædam Romæ in Joannis Lateranensis æde (e), cujus verba sunt hæc:

(d) *Instit. quib. mod. test. inf. in fine l.* digna. *C. de legib. l.* ex imperfecto. *C. de testament.* (e) Nunc est in Capitolio.

Fœdusve cum quibus volet facere liceat ita uti licuit divo Aug. Ti. Julio Cæsari Aug. Tiberioque Claudio Cæsari Aug. Germanico.

Utique ei Senatum habere relationem facere B remittere Senatus Consulta per relationem discessionemque facere liceat ita uti licuit divo Aug. Ti. Julio Cæsari Aug. Ti. Claudio Cæsari Aug. Germanico.

Utique cum ex voluntate auctoritateve jussu mandatuve ejus præsenteve eo Senatus habebitur omnium rerum jus perinde habeatur servetur ac si e lege Senatus edictus esset habereturque.

C Utique quos magistratum potestatem imperium curationemve cujus rei petentes Senatui populoque Romano commendaverit quibusve suffragationem suam dederit promiserit eorum comitiis quibusque extra ordinem ratio habeatur.

Utique ei fines pomerii proferre promovere cum ex Republica censebit esse liceat ita uti licuit Ti. Claudio Cæsari Aug. Germanico.

D Utique quæcumque ex usu Reipublicæ majestate divinarum humanarum publicarum privatarumque rerum esse censebit ei agere facere jus potestasque sit ita uti divo Aug. Tiberioque Julio Cæsari Aug. Tiberioque Claudio Cæsari Aug. Germanico fuit.

Utique quibus legibus plebeive scitis scriptum fuit ne divus Aug. Tiberiusve Julius Cæsar Aug. Tiberiusque Claudius Cæsar Aug. E Germanicus tenerentur iis legibus plebisque scitis Imp. Cæsar Vespasianus solutus sit quæque ex quaque lege rogatione divum Aug. Tiberiumve Julium Cæsarem Aug. Tiberiumve Claudium Cæsarem Aug. Germanicum facere oportuit ea omnia Imp. Cæsari Vespasiano Aug. facere liceat.

Utique quæ ante hanc legem rogatam acta gesta decreta imperata ab Imperatore Cæsa- F re Vespasiano Aug. jussu mandatuve ejus a quoque sunt ea perinde justa rataque sint ac si populi plebisve jussu acta essent.

Sanctio.

SI QUIS HUJUSCE LEGIS ERGO ADVERSUS LEGES ROGATIONES PLEBISVE SCITA SENATUSVE CONSULTA FECIT FECERIT SIVE QUOD EUM EX LEGE ROGATIONE PLEBISVE SCITO: S. VE. C. FACERE OPORTEBIT NON FECERIT HUJUS LEGIS ERGO ID EI NE

FRAUDI ESTO NEVE QUID OB EAM REM POPULO DARE DEBETO NEVE CUI DE EA RE ACTIO NEVE JUDICATIO ESTO NEVE QUIS DE EA RE APUD.
* I. SINITO. * SE AGI *nos*.

In his verbis illud neminem fallat, quod capite quarto ſcriptum eſt, EORUM COMITIS QUIBUSQUE EXTRA ORDINEM RATIO HABEATUR. Eſt enim COMITIS pro comitiis ſcriptum, ex veteri librariorum more, qui una littera pro duabus ejuſdem generis utebantur, quod poetæ quoque crebro uſurpant. Id genus ſcribendi in Florentinis Pandectis animadvertimus, ut in Emendationibus dictum eſt. Quod vero extrema legis pars ſanctio appellatur, veterem quoque legum morem interpretabitur; de quo Papinianus libro ſecundo definitionum (a) ſcribit: *Sanctio legum, quæ noviſſime certam pœnam irrogat his qui præceptis legis non obtemperaverint, ad eas ſpecies pertinere non videtur, quibus ipſa lege pœna ſpecialiter addita eſt*. Hac enim poſtrema legis parte de lege ipſa ſanciebatur, quam pœnis, atque aliis conditionibus ſanctam atque inviolatam efficiebant. Juſtinianus lib. II. inſtitutionum (b): *Ideo autem muros*, inquit, *ſanctos dicimus, quia pœna capitis conſtituta eſt in eos, qui aliquid in muros deliquerint. Ideo & legum eas partes, quibus pœnas conſtituimus adverſus eos qui contra leges fecerint, ſanctiones vocamus*. Ulpianus libr. LXVIII. ad edictum: (c) *Proprie*, inquit, *dicimus ſancta, quæ neque ſacra, neque profana ſunt, ſed ſanctione quadam confirmata, ut leges ſanctæ ſunt; ſanctione enim quadam ſunt ſubnixæ. & interdum*, inquit, *in ſanctionibus adjicitur, ut qui ibi aliquid commiſit, capite puniatur*. Itaque hæ ſanctionum pœnæ ad ea capita non pertinent, quæ aliis pœnis vindicata ſunt: tum quod in toto jure civili generi per ſpeciem derogatur; tum etiam quod verſimile non eſt, delictum unum eadem lege variis æſtimationibus coerceri, ut Papinianus ſcribit. Quam interpretationem ab aliis didicimus Accurſiana longe præſtare. M. Cicero libro tertio ad Atticum (d) de ſanctione Clodianæ legis, qua ipſe in exilium fuerat miſſus, vel potius ei aqua & igni interdictum ita ſcribit: *Scis Clodium ſanxiſſe, ut vix, aut omnino non poſſet, nec per Senatum, nec per populum infirmari ſua lex. Sed vides*, inquit, *numquam eſſe obſervatas ſanctiones earum legum, quæ abrogarentur. nam ſi id eſſet, nulla fere abrogari poſſet. Neque enim ulla eſt, quæ non ipſa ſe ſepiat difficultate abrogationis. Sed cum lex abrogatur, illud ipſum rogatur, quomodo eam abrogari oporteat*. Nihil eſt his verbis apertius; ſed addam tamen aliud ejuſdem Ciceronis teſtimonium in calce Verrinæ orationis de ſignis: *Quid multa?* inquit, *niſi vehementius homini minatus eſſem, niſi legum ſanctionem pœnamque recitaſſem, tabularum mihi poteſtas facta non eſſet*. Item in oratione pro Cornelio Balbo: *Sacroſanctum*, inquit, *eſſe nihil poteſt, niſi quod populus, plebſve ſanxiſſet: deinde ſanctiones ſacrandæ ſunt aut genere ipſo aut obteſtatione & conſecratione legis, aut pœna, cum caput ejus, qui contra facit, conſecratur*. Non ignoro aliam eſſe hujus nominis interpretationem; item in his ipſis ſanctionibus non de pœna ſolum, ſed de impunitate, de abrogatione, atque aliis de rebus quæ ad legem ipſam pertinerent, perſcribi ſolere: his tamen contentus ſum, ut ad legem Regiam revertamur. Atque eam antiquam fuiſſe Juſtinianus in quadam conſtitutione ſcribit: *Cum enim*, inquit (e), *lege antiqua, quæ Regia nuncupabatur, omne jus, omniſque poteſtas populi Rom. in imperatoriam translata ſunt poteſtatem*.

II. Apud Marcellinum lib. XXVIII. Digeſt. (f) ſcribitur: *Negat lex Regia mulierem, quæ prægnans mortua ſit, humari antequam partus ei excidatur. Qui contra fecerit, ſpem animantis cum gravida peremiſſe videtur*. Hanc legem Numæ Regis fuiſſe arbitror, ut Pompiliam, & Poſthumiam; aut alicujus ex ceteris Regibus. Numam vero religiones, & ſepulchrorum jura conſtituiſſe certum eſt. Ejuſdem lex apud Gellium libro IV. (g) & apud Sext. Pompejum refertur hæc: PELLEX † ARAM JUNONIS NE TANGITO: SI † TANGIT JUNONI CRINIBUS DEMISSIS AGNUM FEMINAM CÆDITO. Pellicem autem appellatam eſſe ajunt in hac lege, quæ uxorem habenti nupſit. Itaque apud Paulum lib. X. ad legem Juliam & Papiam (h) refertur Granius Flaccus in libro de jure Papiriano, qui ſcripſerit pellicem vulgo vocari, quæ cum eo, cui uxor ſit, corpus miſceat. Jus autem Papirianum erat, Regiarum legum collectio, quam Sex. Papirius fecerat, ut Pomponius (i) ſcribit. Granius igitur hanc legem, ut arbitror, interpretabatur: Maſſurius vero dicebat pellicem apud antiquos habitam, quæ cum uxor non eſſet, cum aliquo tamen vivebat, quam poſtea amicam, aut honeſtiore nomine concubinam appellarunt. Alii eam, quæ uxoris loco ſine nuptiis in domo eſſet, quam παλλακὴν Græci vocant. Numæ quoque legem alio loco retulimus, quæ ab eodem Pompejo refertur: SI QUIS HOMINEM LIBERUM DOLO SIENS MORTI DUIT, PARRICIDA ESTO. Plutarchus tamen ad Romulum hanc legem referre videtur, ut in Pompeja diximus. Refertur ab eodem Pompejo Numæ lex, aut legis fortaſſe ſanctio: SI QUIS ALIUTA FAXIT, IPSOS JOVI SACER ESTO. Aliuta autem pro aliter, & ipſos pro ipſe accipitur. Ceteras aliorum Regum leges apud Dionyſium & Plutarchum invenire quis poterit. Sed & Tacitus lib. III. auctor eſt Servilium Tullium Regem præcipuum legum latorem fuiſſe, quibus etiam Reges obtemperarent:

(a) *l.* ſanctio. *de pœn.* (b) *Inſt. de rer. divin. p.* ſanctæ. (c) l. ſacra. *p.* proprie. *eod.* (d) *Epiſt.* 23. (e) *l.* I. cum enim. C. *de vet. jur. enu.* (f) *l. de mort. inf.*

(g) *Gell. lib. 4. cap. 3.* (†) *al.* ÆDEM (†) *al.* Tagit. *vid Feſt. verb.* Pellices *& verb.* Tagit. (h) Maſſurius. *de verb. ſign.* (i) *l. 2. in princ. de orig. jur.*

REMMIA.

MARCIANUS lib. ſingul. ad S. C. Turpilianum (a) ſcribit: *Calumniari, eſt falſa crimina intendere; prævaricari, vera crimina abſcondere; tergiverſari, in univerſum ab accuſatione deſiſtere. calumniatoribus pœna lege Remmia irrogatur*. Papinianus quoque lib. I. de adulteriis: *Quæſitum*, inquit (b), *ſcio, an in publicis judiciis calumniæ damnati teſtimonium judicio publico perhibere poſſunt? Sed neque lege Remmia prohibentur, & Julia lex de vi, & repetundarum, & peculatus eos homines teſtimonium dicere non vetuerunt*. Ex his duobus locis non male facturum arbitror, qui apud Ciceronem in oratione pro Sex. Roſcio legem Remmiam, non Memmiam ſcripſerit. Quod etiam in veteri libro ſcriptum inveni. Verba ejus ſunt hæc: *Ita tamen quæſtus te cupidum eſſe oportebat, ut horum exiſtimationem, & legem Remmiam putares aliquid valere oportere. Accuſatores multos eſſe in civitate utile eſt, ut metu contineatur audacia: verumtamen hoc ita eſt utile, ut ne plane illudamur ab accuſatoribus*. Cetera quæ ad hoc crimen pertinent, ſub titulo de calumniatoribus, & ad S. C. Turpillianum lib. III. & XLVIII. Digeſtor. reperientur.

(a) *l. 1. ad S. C. Turp.* (b) *l.* quæſitum. *de teſtib.*

RHODIA.

APUD Voluſium Mæcianum (a) ex lege Rhodia refertur reſcriptum Imp. Antonini, quo legem Rhodiam mari præeſſe jubebat, modo ne ceteris legibus contra cautum eſſet, idemque Auguſtum judicaſſe ſcribit. Paulus vero lib. II. ſententiarum: *Lege*, inquit, (b) *Rhodia cavetur, ut, ſi levandæ navis gratia jactus mercium factus eſt; omnium contributione ſar-*

(a) *l.* deprecatio. *de lege Rhodia.* (b) *l.* I. *eo.*

ciatur, quod pro omnibus datum est. Qua de re plene lib. XIV. Digestor. titulo de lege Rhodia de jactu tractatur: & in illo Pauli libro, qui hodie exstat, titulo ad legem Rhodiam. Isidorus vero lib. I. etymologiar. scribit (c), Rhodias leges navalium commerciorum esse ab insula Rhodo dictas, in qua olim mercatorum usus fuerat. Exstat etiam Venetiis in Bessarionis Marciana bibliotheca Impp. Leonis & Constantini epitome juris, in cujus initio de hac lege aliquot capitibus agitur, quorum partem in calce lib. II. τοῦ προχείρου Harmenopuli habemus. Sed, ut diligentius Romæ in alio libro animadverti, essictum argumentum esse a Græcis cognovi.

(c) *Dist. 2. c. ulti.*

ROSCIA.

L. Roscius Otho Tribunus plebis, ut Florus lib. XCIX. scribit, non vero Consul, ut apud Asconium in Corneliana scribitur, legem tulit, ut equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi darentur, quos ordines alii appellant. M. Cicero in oratione pro L. Muræna (a): L. inquit, *Otho vir fortis, meus necessarius equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam voluptatem. Itaque lex hæc, quæ ad ludos pertinet, est omnium gravissima, quod honestissimo ordini cum splendore fructus quoque jucunditatis est restitutus*. De eadem lege Philippica II. *Tenes ne memoria prætextatum te decoxisse? sedisti in quattuordecim ordinibus, cum esset lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus, quamvis quis fortunæ vitio, non suo, decoxisset*. Equites autem dicebantur, qui quadringentis millibus censerentur, ut in Julia Theatrali dictum est. Flaccus in epistolis (b):

Si quadringentis sex septem millia desunt,
Est animus tibi, sunt mores, & lingua, fidesque,
Plebs eris: at pueri ludentes, Rex eris, ajunt,
Si recte facies.

Et postea de eadem re:

Roscia dic sodes, melior lex, an puerorum
Nænia, quæ recte regnum facientibus offert?

Ad eandem fortasse pertinet, quod Quinctilianus ex Theatrali lege refert, QUI ARTEM LUDICRAM EXERCUERIT, XIV. ORDINIBUS PRIMIS NE SEDEAT.

(a) *Vidend. Corn. Tacit. lib. 15.* (b) *Lib. 1. epist. 1.*

RUPILIA.

Hæc ita a Siculis dicebatur, quam P. Rupilius Prætor in Sicilia de decem legatorum sententia tulerat, qua lege inter Siculos, qui non essent ejusdem civitatis, Prætor judices sortito dabat; ut Cicero in Verrem de jurisdictione scribit.

SACRATÆ LEGES.

Sacratæ leges, ut Sex. Pompejus scribit, illæ dicebantur, quibus sancitum erat, ut, si quis adversus eas fecisset, sacer alicui deorum esset. In illa igitur seditione, quæ XVII. fere anno post Reges exactos facta est, ut Pomponius (a) scribit; cum plebs a patribus secessisset, & sibi Tribunos in monte Sacro creasset, vel, ut Livius lib. II. ait, sedata ea seditione, legem Sacratam constituerunt, ut plebeii magistratus sacrosancti essent: quibus auxilii latio adversus Coss. esset, neve cui patrum capere eum magistratum liceret. De hac lege Ciceronis oratio de provinciis consularibus intelligenda est, in qua extrema: *Si Patricius*, inquit, *Tribunus plebis fuerit, contra leges Sacratas; si plebejus, contra auspicia fuisse*. De Clodio autem verba facit, qui se adoptari a plebejo homine passus est, ut Tribunus plebis fieret. In adoptione autem, ut in oratione pro domo scribit, contra auspicia lex lata fuerat. Apud Dionysium libro VI. tota hæc Sacrata lex refertur in hanc sententiam: *Tribunum invitum nemo compellat quidquam agere; neve verberet, verberarive jubeat; neve occidat, occidive jubeat. Si quis contra fecerit, impius execrabilisque sit; bona ejus ad sacra Cereris publicentur; qui eum occiderit, impune fecisse dicatur. Et ne populo Romano liceat hanc legem abrogare, jurare omnes cives Romanos oportet, se suosque liberos perpetuo hac lege usuros. Addant etiam imprecationem, ut si secundum sacramenta fecerint, propitios habeant cælestes deos: sin autem fefellerint, adversos*. Hoc itaque sacramento præstito, sacrosancti Tribuni, Sacer ille mons, ut Appianus scribit, & Sacratæ leges dictæ sunt. Sed & Horatia & Valeriis legibus eadem hæc Tribunor. auxilia sancita sunt. Hac eadem de re Asconius in Corneliana diligenter tractat. Apud Livium quoque lib. III. scriptum est; Decemviris legum ferendarum potestatem datam esse, modo ne lex Icilia de Aventino, aliæque Sacratæ leges abrogarentur. Ad easdem leges referendum est, quod Cicero in Sextiana, & pro domo sua scribit: *Vetant leges Sacratæ, vetant XII. Tabulæ leges privatis hominibus irrogari; id est enim privilegium*, De quo in XII. videbimus. Idem lib. II. de legibus: *Sunt certa*, inquit, *legum verba, neque ita prisca, ut in veteribus his, Sacratisque legibus, &c.* Militaris quoque sacrata lex lata est, M. Valerio Corvino Dictatore; C. Marcio Rutilo, Q. Servilio Coss. ut Livius in calce libr. VII. scribit: Ne cujus militis scripti nomen, nisi ipso volente, deleretur; additumque legi, Ne quis, ubi Tribunus militum fuisset, postea ordinum ductor esset. Quod propter P. Salonium latum esse dicitur. Qui alternis annis Tribunus militum & primus Centurio erat, quem primi pili postea appellarunt.

(a) *l. 2. p.* iisdem temporib. *de orig. jur.*

SATYRA.

Sex. Pompejus scribit, Satyram & genus cibi dici ex variis rebus conditum, & legem multis aliis confertam legibus, & genus carminis, ubi de multis rebus disputatur. Isidorus quoque lib. V. etymologiar. scribit: *Satyra (a) lex est, quæ de pluribus simul rebus loquitur, dicta quidem a copia rerum, & quasi a saturitate: unde & Satyram*, inquit, *scribere, est poemata varia condere*, ut Horatii, Juvenalis, & Persii. Ego vero magis arbitror Satyram a Satyris ac Faunis, quos imitantur, cum illa verborum licentia, tum etiam dicacitate quadam, & varietate; quod in arte poetica Flaccus Horatius significare videtur. Qua de causa Justinianus (b) scribit de veteri more docendi: *Et primi anni hoc opus legentibus tradebatur, non secundum edicti perpetui ordinationem, sed passim & quasi per Saturam* (ita enim scriptum est) *collectum, & utile cum inutilibus mixtum, maxima parte inutilib. deputata*. Et in alia constitutione (c): *Imperfecta Latinorum libertas incertis vestigiis titubat, & quasi per Satyram inducta adhuc remanet*. Sallustius quoque in Jugurthino: *Postero*, inquit, *die quasi per Satyram sententiis exquisitis, in deditionem accipitur*. Ita enim magis placet ut scribatur, quod Alciatus noster probat libr. IV. de verbor. significatione, quam quod alii scribunt per Satyram legem. Omnibus itaque his locis significat ordinem rerum nullum servari, saltantesque Satyros, ut ab illo Alphesibœo Vergiliano (d) fiebat, hos esse imitatos.

(a) Satyra *distin. 2.* (b) *In proœ. Digest. p.* & primi. (c) *l. un. C. de Lat. lib. tol.* (d) *Eclog. 5.*

SCANTINIA, vel SCATINIA.

Turpissimum crimen hæc lex vindicabat, in quod insurgere leges, armari jura gladio ultore Constantius & Constans (a) jubebant. Apud Juvenalem Satyra secunda, cum dormire Juliam legem adulteræ quidam dixisset, facete illa respondet:

(a) *l. cum vir. C. de adult.*

Tertius e cælo cecidit Cato, sed tamen unde
Hæc emis, hirsuto spirant opobalsama collo
Quæ tibi? ne pudeat dominum monstrare tabernæ.
Quod si vexantur leges ac jura, citari
Ante omnes debet Scantinia.

Exstat etiam epistola M. Cæcilii ad Ciceronem (b), qua ait cum se lege Scantinia ab inimicis postulari sensisset, ipse Appium Censorem eadem lege postulavit. Alia quoque epistola (c); *Curre*, inquit, *per deos atque homines, & quam primum hæc risum veni, legis Scantiniæ judicium apud Drusum fieri. Appium de tabulis & signis agere.* Suetonius etiam scribit Domitianum lege Scatinia quosdam ex Senatoribus atque ex equitibus damnasse. Hanc legem, & Voconiam ex Aricino muncipio venisse Cicero Philippica tertia scribit. Sunt qui arbitrentur ob C. Scantinium Capitolinum Tribunum plebis, de quo Valerius lib. VI. (d) scribit, Scantiniam esse appellatam hanc legem. M. enim Claudius Marcellus Ædilis curulis diem Scantinio dixit ad populum, quod filium suum de stupro appellasset, qui cum se sua potestate excusare vellet, ceteri Tribuni noluerunt ei auxilio esse. Itaque solo teste pudentissimo adulescente producto, eo qui attentatus fuerat, damnatus est. *Pudicitiam quoque cum - peret militi* (inquit Cicero in Miloniana) *Tribunus militaris in exercitu C. Marii propinquus ejus Imperatoris, interfectus ab eo est, cui vim adferebat. Facere enim probus adulescens periculose, quam perpeti turpiter maluit.* Hujus autem legis apud Ausonium Gallum mentio quoque fit, ut in Titia lege scribemus.

(b) *Lib. 8. episto. 12.* (c) *eod. lib. epist. 14.* (d) *cap. 1*

SCRIBONIA.

APUD Florum lib. XLIX. scriptum est: *Cum L. Scribonius Tr. Pl. rogationem promulgasset, ut Lusitani, qui ex fœdere populo Ro. dediti a Servio Galba in Galliam venissent, in libertatem restituerentur: M. Cato eam legem acerrime suasit. quæ cum præjudicium in Galbam esset, Q. Fulvius nobilior in Senatu pro eo respondit; & ipse Galba se filiorum pietate & misericordia defendit.* Rogatio itaque antiquata est. Eundem Tribunum Libonem postea Florus appellat; item Cicero in Bruto: *Cum Lusitanis*, inquit, *a Servio Galba Prætore contra interpositam, ut existimabatur, fidem interfectis, L. Libone Tr. Pl. populum incitante, & rogationem in Galbam privilegii similem ferente, summa senectute M. Cato legem suadens in Galbam multa dixit.* Libro tamen primo de Oratore L. Scribonium appellat, & utroque loco Galbam misericordia filiorum liberatum esse scribit. Eutropius lib. IV. rer. Rom. *Ser. Galba Prætor Lusitanos citra Tagum flumen habitantes, cum voluntarios in deditionem recepisset, per scelus interfecit.* Servium autem Galbam, non Sergium scribendum semper esse, ex Suetonio in Galba didici. Sulpitii etenim Galbæ, Sergii Catilinæ, & alii fuerunt. Servios autem Sulpicios plerosque appellatos constat. Item Servius prænomen est, Sergius familiæ nomen. Legis tamen Scriboniæ mentio fit apud Paulum lib. LIV. ad edictum (a): *Libertatem*, inquit, *servitutium usucapi posse verius est: quia eam usucapionem sustulit lex Scribonia quæ servitutem constituebat, non etiam eam quæ libertatem præstat sublata servitute.* Quo loco Haloander non recte Voconiam scribere tentavit. Servitutium autem scripsimus, ut in Florentino libro semper est, ut civitatium, prudentium, parentium, & cetera id genus, quæ Diomedes, & Priscianus lib. VII. probant. Horatius quoque lib. III. carminum scribit:

Dos est magna parentium
Virtus; & metuens alterius viri
Certo fœdere castitas:

(a) *l.* sequitur. *p. ultim. de usucap.*

Ciceronem quoque in Verrinis hoc casu non abstinuisse Priscianus testis est.

SEJA.

APUD Ciceronem lib. II. de legibus vulgo scribunt: *Igitur tu Sejas, & Appulejas leges nullas putas?* Sed ex veteri quodam libro, in quo, *Igitur Tutias*, scriptum est, malo, *Igitur Tuitias* scribere. Nam cum de Seja lege nihil, de Titia quædam acceperim, ita emendandum eum locum esse suspicor: quod aliis quoque probatur.

SEMPRONIA.

TIBERIUS & Cajus Sempronii Gracchi fratres Tribuni plebis plerasque leges per vim tulerunt adversus nobilitatem: quamobrem uterque a suis civibus occ sus est; Tiberius a P. Scipione Nasica, quem Serapionem quidam appellant: Cajus a L. Opimio Cos. Tiberii lex Agraria fuit, ut lex Licinia de quingentis jugeribus servaretur. Qui eum modum excederet, initio scripsit, ut pretium e publico acciperet: postea Octavii intercessione motus, agros ejus publicavit; quibus dividendis Tresviros creari jussit, se, & fratrem, & Appium Claudium socerum, ut Plutarchus, & Appianus, & Florus lib. LVIII. scr pserunt, quamvis apud Florum mendose, X. *jugera* pro D. scribatur. De hac lege Cicero in Sextiana: *Agrariam Ti. Gracchus legem ferebat: grata erat populo; fortunæ constitui tenuiorum videbantur. Nitebantur contra optimates, quod ea discordiam excitari videbant; & cum locupletes possessionibus diuturnis moverentur, spoliari Remp. propugnatoribus arbitrabantur.* Item in Rullum de lege Agraria: *Jubet auspicii coloniarum deducendarum causa Decemviros habere pullarios*, *eodem jure*, inquit, *quo habuerunt Tresviri lege Sempronia. Audes etiam Rulle*, inquit Cicero, *mentionem facere legis Semproniæ? nec te ea lex ipsa commonet, Tresviros illos XXXV. tribuum suffragio esse creatos? & cum tu a Ti. Gracchi æquitate ac pudore longissime remotus sis; id quod dissimillima ratione factum sit, eodem jure putas esse oportere?* Addit Appianus lib. I. bellorum civilium, Tresviros singulis annis fuisse renovandos, ut agros publicos dividerent, nemini autem supra D. jugera habere licuisse, filiis autem ex veteri lege ejus dimidium permittebatur. Florus pecuniam quoque ex Attali regis hereditate dividere jussisse Tiberium scribit. Motus autem fuisse dicitur, propterea quod, cum Quæstor C. Hostilii Mancini Cos. fuisset in fœdere Numantino, Senatus decrevisset, ut ipse cum Cos. & Tribunis Numantinis dederetur. Quamvis postea Mancinus solus deditus est, quem Numantini non receperunt, ut Pomponius lib. XXXVII. ad Q. Mucium scribit (a): de quo legem latam esse scribit, ut esset civis Romanus, ac postea Præturam gessisse prodit; quod in eo, qui Consul fuerat, mirandum est. Hanc autem fuisse Ti. Graccho causam nobilitatis persequendæ, præter Plutarchum M. Cicero in Bruto, & de Aruspicum responsis scribit. De Mancino vero & lib. III. Officior, & lib. I. de Oratore, & aliis plerisque locis. Quo autem pacto in Agraria ferenda M. Octavio collegæ intercedenti imperium Tiberius abrogaverit, & quo pacto fuerit occisus, satis notum esse ex his libris quos retuli, & aliis permultis, scio.

II. Ad Cajum fratrem venio, de cujus morte Javolenus (b) mentionem fecit lib. VI. ex posterioribus Labeonis. *In his rebus*, inquit, *quas præter numeratam pecuniam doti vir habet; dolum malum & culpam eum præstare oportere Servius ait. Ea sententia P. Mucii est. Nam is in Licinnia Gracchi uxore statuit, quod res dotales in ea seditione qua Gracchus occisus erat, perissent, ait, quia Gracchi culpa ea seditio*

(a) *l. ult. de legatio.* (b) *l.* in his. *in pr. sol. mat.*

facta esset, Licinniæ præstari oportere. Fuit autem Licinnia P. Licinnii Crassi filia, C. Gracchi uxor, cui tamen dotem ademptam fuisse ex S.C. Plutarchus scribit. Hic Tribunus plerasque leges tulit: & de Frumentaria lege alio loco scripsimus.

III. Idem tulit ipsam legem Agrariam Tiberii fratris: qua lege atque etiam aliis, complures colonias in Italia deduxit, ut Florus lib. LX. scribit. In Africa quoque, ubi Carthago fuerat, ab eodem colonia deducta est. Quo tempore Livius Drusus perniciosas quoque leges tulit, ut C. Graccho resisteret, ut in Liviis legibus scripsimus. Ad has leges refertur, quod in Tiberii Cæs. constitutione apud Frontinum scribitur, monumentum ex lege Sempronia & Julia fieri juxta ædes aut iter publicum certis limitibus divisum, ut in Juliis dictum est.

IV. Tertia lex, ut Florus scribit, fuit, qua equestrem ordinem cum Senatu consentientem corruperat. Trecenti enim Senatores erant, sexcenti equites, ipse equites Senatoribus admiscuit, ut duplicatas vires equites in Senatu haberent. Appianus autem scribit, equitibus judicia, quæ apud Senatores erant, commisisse: Plutarchus vero trecentos equites pari numero cum Senatoribus adjecisse ad judicandum tradit. Illud constat ex lege Sempronia equites Romanos quinquaginta annos judicasse, quoad L. Sulla Dictator Senatoribus judicia restituit, qui X. annos judicia ex lege Cornelia tenuerunt. Aurelia autem lege equites & Tribuni ærarii cum Senatoribus judicarunt, Julia vero Tribuni judicandi jure privati sunt. Quod ex Cicerone & Asconio in Verrinis, item ex his quæ in illis legibus diximus, cognosci potest.

V. Alia lex a Plutarcho refertur, ut vestes e publico militibus sine stipendiorum deminutione darentur, & ut minores XVII. annis ad militiam non cogerentur. Exstant lib. XII. constitutionum aliquot Impp. rescripta, quæ de militari veste, aut pro ea pecunia præstanda tractant. In quibus Honoriana constitutio (c), qua sextam vestium partem milites a Gynæciariis (erant hi vestibus præpositi, earumque faciendarum artifices) quinque partium æstimationem in pecunia numerata ab ærario accipiebant. De ætate militari lib. singulari ad Modestinum scripsimus. Tantum addo lib. XII. Theodosiani Codicis exstare sub titulo de Decurionibus, Constantini constitutionem, qua XVIII. annis minores Curiales fieri prohibentur. *Cum enim*, inquit, *XVIII. ætatis annum intraverint, si militiæ nomen inserere juxta legem datam non potuerint, vel supersederint, municipali poterunt dari obsequio*. Sed & Tuberonem lib. I. historiarum scripsisse, ut A. Gellius refert in decimo libro Noctium, cum Ser. Tullius Rex illas quinque classes censui faciendi gratia instituisset, de quibus superius scripsimus, pueros esse existimasse minores annis XVII. sed ea ætate majores idoneos Reipub. esse arbitratum, eosque milites scripsisse, & ad annum XLVII. juniores, supra eam ætatem seniores appellasse. Dionysius tamen lib. IV. unum annum huic numero detrahit: quinque enim & quadraginta annis majores seniores appellat, ut illic retulimus.

VI. De suffragiis quoque, ut idem Plutarchus scribit, legem tulit Cajus, qua pares Italos omnes civibus Rom. in suffragiis fecit. Quod ita Appianus refert, ut Gracchus civium Romanorum colonias in Italia fecerit; ceteris, quibus suffragia in comitiis ferre non licebat, ita ferre concessit, si tributa persolvissent. Quod Senatus per Consules, & per Drusum Tribunum impedire tentavit. Sed cum sociale bellum postea insecutum sit propter ejusdem Drusi promissa, ut in Liviis legibus diximus, hæc lex ignobilis fuit.

VII. De provinciis apud Ciceronem in oratione pro domo ita scribitur adversus Clodii Tribunatum: *Ita ne vero? Tu provincias Consulares, quas C. Gracchus, qui unus maxime popularis fuit, non modo non abstulit ab Senatu, sed etiam, ut necesse esset quotannis constitui per Senatum decretas, lege sanxit: eas lege Sempronia per Senatum decretas rescidisti? extra ordinem, sine sorte, nominatim dedisti, non Consulibus, sed Reipub. pestibus?* Quibus verbis apparet successionem provinciarum quotannis ex hac lege fuisse: quod in Corneliana quoque pro Balbo significat, cum C. Cæsari decem fuisse legatos decretos, item lege Sempronia non successum scribit. Ad eandem fortasse pertinet, quod idem scribit in Frumentaria, inter Siciliam, & ceteras provincias in agrorum vectigalium rationibus id interesse, quod ceteris aut impositum vectigal esset certum, quod stipendium diceretur, ut Hispanis & plerisque Pœnorum; *aut censoria*, inquit, *locatio constituta est*, ut in Asia lege Sempronia: Siciliæ civitates sic in amicitiam fidemque receptæ sunt, paucis exceptis, ut eodem jure essent, quo fuissent. Censoriam locationem interpretor eam, quam Censores in lustro faciebant. De qua paulo post scribit: *Perpaucæ Siciliæ civitates sunt bello a majoribus nostris subactæ, quarum ager cum esset publicus Pop. Rom. factus; tamen illis est redditus, & is ager a Censoribus locari solet*. Qua de causa lustrum locationis tempus significat apud Ulpianum lib. XXXIV. ad Sabinum (d): *Nam etsi colonus post lustrum completum fructus perceperit, condici eos constat, ita demum si non ex voluntate domini percepti sunt*. Novella vero CXI. quinque annorum spatium, quod Græco verbo apertius exprimitur. πενταετηρίδας enim octo, XL. annorum tempus appellat. Sunt autem illius constitutionis verba edicto Justiniani V. conscripta. Namque Justinianus præter Græcas Novellas CLXVIII. edicta quoque conscripsit XIII. quæ nos aliquando proferemus. Sed & de lustri & Olympiadis spatio magna controversia est. Censorum autem officio hac in re censitores & magistros census successisse alio loco scripsimus.

VIII. Idem C. Gracchus aliam legem tulit, ne de capite civium Rom. injussu populi judicaretur, ut Cicero scribit in Rabiriana perduellionis. Plutarchus in vita Gracchorum, *Duas*, inquit, *tulit leges; alteram, ut qui magistratu per populum amotus esset, facultatem alterius magistratus ineundi non haberet: alteram, ut si quis in magistratu civem Romanum sine judicio necasset, in eum populi judicio animadverteretur. Sed a priore destitit precibus matris pro M. Octavio intercedentis, banc posteriorem Popillii causa tulit*. De eadem lege cum de conjuratorum nece ageretur in Senatu, ita scribit IV. in Catillinam oratione: *At vero C. Cæsar intelligit, legem Semproniam esse de civibus Romanis constitutam: qui autem Reipub. sit hostis, eum civem esse nullo modo posse: denique ipsum latorem legis Semproniæ jussu populi pœnas Reip. dependisse*. Sed & in Verem de suppliciis leges Sempronias cum Porcia hac de causa conjunxit. Etenim Porcia quoque, ne quis civem Rom. verberare, aut necare auderet, cautum erat.

IX. Idem tulit, ne quis judicio circumveniretur, quod postea a L. Sulla in Corneliam de veneficis est translatum, ut Cicero in Cluentiana scribit. Verba autem hujus legis referuntur hæc: DEQUE EJUS CAPITE QUÆRITO QUI TRIBUNUS MILITUM LEGIONIBUS QUATTUOR PRIMIS, QUIVE QUÆSTOR, TRIBUNUS PLEBIS, (deinceps omnes magistratus nominavit) QUIVE IN SENATU SENTENTIAM DIXIT, DIXERIT: QUI EORUM COIT, COIERIT, CONVENIT, CONVENERIT, QUO QUIS JUDICIO PUBLICO CONDEMNETUR. Sed hac de re in Corneliis plenius scripsimus. Has omnes C. Gracchi rogationes Paterculus lib. II. paucis verbis significat. *Dabat*, inquit, *civitatem omnibus Italicis, Italiam ad Alpes fere porrigens; agros dividebat, vetabatque quemquam ci-*

(c) *l. ultim. C. de mil. vest. lib.* 12.

(d) *l.* si quis nec causam. *in fine de reb. cred.*

vem plus D. jugeribus habere, quod lege Licinia cautum erat; portoria nova constituebat: novis coloniis implebat provincias; judicia a Senatoribus ad equites transferebantur; frumentum plebi dabatur; nihil denique immotum relinquebatur. Hæc sunt quæ de Gracchorum legibus reperimus, de quorum morte lamentari videtur Crispus Sallustius in libro de bello Jugurthino. Nam & majores eorum laudat, qui Punico atque aliis bellis multum Reipub. addiderant: hi autem erant Africanus Scipio major avus, & Tiberius Gracchus pater, qui Tr. Pl. etiam fuit, & eos vindicare plebem in libertatem, & optimatum scelera patefacere cœpisse: occisos autem esse a noxia nobilitate, cum Tribunus Pl. alter, Triumvir coloniis deducendis alter esset.

At vero Cornelius Tacitus lib. III. multo prudentius: *Compositæ*, inquit, *duodecim Tabulæ sunt finis æqui juris. Nam secutæ leges etsi aliquando in maleficos ex delicto, sæpius tamen dissensione ordinum, & apiscendi inlicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava per vim latæ sunt. Hinc Gracchi, & Saturnini turbatores plebis, nec minor largitor nomine Senatus Drusus; corrupti spe, aut inclusi per intercessionem socii.* & quæ sequuntur longe verissima de Sullæ, & Pompeii, & ceterorum legibus per vim latis, quæ nos variis locis retulimus.

SENIA, VEL SENTIA.

HUJUS legis apud Tacitum lib. XI. mentio solum fit, A. Vitellio, L. Vipsanio Coss. cum Claudius Imp. in numerum patriciorum adscivit vetustissimum quemque e Senatu, aut quibus clari parentes fuerant; cum paucæ essent reliquæ familiæ, quas Romulus majorum gentium, L. Brutus minorum constituerant: *exhaustis*, inquit, *quas Dictator Cæsar lege Cassia, & princeps Augustus lege Senia sublegere.* Sed neque hujus legis, neque hujus rei mentionem fieri vidi apud Suetonium aut Dionem. Tantum scripserunt, Augustum bis Senatum legisse. Et fortasse Sentia dicta est a C. Sentio Cos. de quo Dion. lib. LIV. scribit, & Paterculus lib. II. historiarum. Fuit autem C. Sentius Saturninus collega Augusti, pro quo gessit consulatum Q. Lucretius P. R. C. anno DCCXXVI. Alia autem est Ælia Sentia, de qua suo loco scripsimus.

SERVILIA.

CICERO in oratione pro M. Scauro apud Asconium scribit, Scaurum reum factum fuisse antea a Q. Servilio Cæpione lege Servilia, cum judicia penes equestrem ordinem essent. Id factum esse Pedianus interpretatur ob legationis Asiaticæ invidiam, & adversus leges pecunias captas, reumque fuisse repetundarum, lege quam tulit Servilius Claudia Glaucia. Claudia autem est ex tribu Claudia. Pedianus actione I. in Verrem exponens illud Ciceronis, C. VERREM ROMILIA, *Romilia*, inquit, *nomen est Tribus, ablativi casus, ut sit, ex Romilia. Cum Servius Sulpicius Quincti filius Lemonia Rufus difficillimo Reipub. tempore, gravi periculosoque morbo affectus, auctoritatem Senatus, salutemque populi Romani vitæ suæ præposuerit: Senatui placere Ser. Sulpicio statuam pedestrem æneam in Rostris ex hujus ordinis sententia statui.* Verba sunt Ciceronis Philippica IX. quibus censuit S. C. statuam fieri mortuo Sulpicio: cujus rei Pomponius quoque noster (a) mentionem facit. Lemonia autem, ut Claudia, Tribus nomen est. Sed hæc plenius ab aliis prodita sunt. Hic autem C. Servilius Glaucia longe post homines natos improbissimus fuit, sed peracutus & callidus, in primisque ridiculus, ut idem Cicero scribit in Bruto. Qui ex summis & fortunæ, & vitæ sordibus in Prætura Consul factus esset, si rationem ejus haberi licere judicatum esset. *Nam & plebem*, inquit, *tenebat, & equestrem ordinem beneficio legis devinxerat. Is Prætor eadem die, qua Saturninus Tribunus plebis, Mario & Flacco Coss. publice est interfectus.* Ejus cædem & ceterorum jure factam fuisse Cicero Consul defendit: exstatque ejus oratio pro C. Rabirio perduellionis reo, qua de re in Appuleja scripsimus. Lex itaque qua sibi equestrem ordinem Glaucia devinxerat, hæc de repetundis fuit, cui postea Cornelia, & Julia successere, ut idem Cicero scribit in oratione pro Postumo: *Jubet*, inquit, *lex Julia persequi ab his, ad quos ea pecunia quam is ceperit, qui damnatus sit, pervenerit. Hoc totidem verbis translatum caput est, quod fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Servilia.* Ante hanc legem Acilia fuit, quæ idem crimen persequebatur. Sed hac lege Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus: antea enim vel judicari primo poterat, vel *Amplius* pronuntiari. Ea vero differentia est inter comperendinationem & ampliationem, quod cum amplius pronuntiatur, judicesque non liquere dicunt, is solus causam iterum perorat, in cujus oratione obscuritas est: in comperendinatione uterque iterum causam dicit; prius tamen reus, quam actor auditur, ut idem Cicero, & Asconius scribunt in Prætura Urbana. Itaque Cicero cum Verrem brevi quadam accusatione, ut solum verteret coegisset: ut suam in accusando vim explicare posset, comperendinatum esse reum finxit, quo causa iterum acta putaretur. Quod Asconius, & Plinius in epistolis animadvertunt.

II. Alia lex judiciaria fuit Q. Servilii Cæpionis Consulis, qua equitibus auferre videbatur judicia, & ea Senatoribus concedere, aut utrumque ordinem conjungere. Qua de re Cicero plerisque locis facit mentionem; etsi legis sententia minime explicata sit. Exstabat autem tum L. Crassi summi oratoris oratio, qua hanc Cæpionis legem suaserat: & cum in ea suadenda multa adversus equites Romanos pro Senatu dicta essent, recitata ejus oratio est apud ipsos equites judices a M. Bruto Crassi inimico in judicio Planciano: recitata item alia de colonia Narbonensi, qua Senatum lædere videbatur. Quod præclare ultus est Crassus tribus lectoribus excitatis, qui tres M. Bruti patris de jure civili libros legerent; neque enim plures is fecerat, ut lib. II. de Oratore Cicero scribit; & in his tres fundos Bruti, quos ille vendiderat, nominatos esse ostendit. Notus est totus hic locus ex eodem secundo libro, atque ex Cluentiana oratione, relatus a Quinctiliano lib. VI. institutionum. Legis autem Serviliæ in Bruto mentio fit. Namque eam legem suasisse Crassum refert cum quattuor & triginta annos haberet, eodem ipso anno quo Cicero natus est; hoc est, Q. Servilio Cæpione hoc, & C. Serrano Coss. ut Gellius notat lib. XV. (b). Eam vero Crassi orationem sibi quasi magistram a pueritia fuisse Cicero scribit, in qua & auctoritas ornaretur Senatus, pro quo ordine illa dicerentur, & invidia concitaretur in judicum & accusatorum factionem, contra quorum potentiam populariter tum dicendum fuit. Multa in illa oratione graviter, multa leniter, multa aspere, multa facete dicta esse Cicero scribit; plura tamen dicta, quam scripta. Et Prisciani tempore eadem exstabat, ut ex libro VIII. cognovimus. Ad eandem legem pertinet, quod lib. I. de inventione scribit, offensum argumentationis genus esse, si eorum qui audiunt voluntas lædatur, ut si quis apud equites Romanos cupidos judicandi Cæpionis legem judiciariam laudet. Sed de legibus judiciariis in Aurelia, Cornelia, Julia, & Sempronia diximus.

(a) *l. 2. p.* Servius. *de orig. jur.*

(b) *cap.* 18.

SILIA.

APUD Festum in fragmentis, quorum initium est, *Publica pondera*; verba plebiscíti, quod duo Silii Publius & Marcus Tribuni plebis rogarunt, ex Junio referuntur hæc: EX PONDERIBUS PUBLICIS, QUIBUS HAC TEMPESTATE POPULUS OETIER, QUI SOLET UTI COÆQUATUR (a) SEDULUM. UTEI QUADRANTAL VINI OCTOGINTA PONDO SIET. CONGIUS VINI DECEM P. SIET. SEX SEXTARII CONGIUS SIET VINI. DUODEQUINQUAGINTA SEXTARII QUADRANTAL SIET VINI SEXTARIUS ÆQUUS ÆQUO CUM LIBRARIO SIET. SEXDEQUINQUE LIBRÆ IN MODIO SIENT. SI QUIS MAGISTRATUS ADVERSUS HÆC D. M. PONDERA, MODIOSQUE VASAQUE PUBLICA MODICA MINORA MAJORAVE FAXIT, JUSSITVE RE FIERI, DOLUMVE ADUIT QUOD EA FIANT: EUM QUIS VOLET MAGISTRATUS MULTARETUR DUM MINORE PATRIS FAMILIAS TAXAT, LICETO: SIVE QUIS IN SACRUM JUDICARE VOLUERIT, LICETO. De his verbis in notis ad Festum scripsimus:

(a) *al.* SE DOLO M.

SICINIA.

DIONYSIUS Halicarnasseus lib. VII. originum scribit T. Geganio P. Minucio Coss. Sp. Sicinium Tribunum plebis legem in hanc sententiam tulisse, ut nemo concionanti ad populum Tribuno quidquam in contrarium diceret, neque dicentem interpellaret. Quod si fecerit, det, si id petatur, vades Tribunis multam solvendi, quæ ei irrogabitur. Qui vades non dederit, caput ejus ac bona sacra sint: multæ autem certatio apud populum fiat. Hujus legis Livius mentionem minime facit, tantum lib. II. scribit, illos Coss. post Tribunos creatos fuisse anno secundo; Sicinium vero illi seditioni, quæ causam Tribunorum creandorum dedit, præfuisse, eamque ob rem Tribunum esse factum. De his autem rebus in Valeriis, Horatiis, & Sacratis legibus scriptum est.

SULPICIA.

CUM *P. Sulpicius Tr. Pl.* (inquit Florus lib. LXXVII.) *auctore C. Mario perniciosas leges promulgasset, ut exules revocarentur; & novi cives, libertinique distribuerentur in Tribus; & ut Marius adversus Mithridatem Ponti Regem dux crearetur, & adversantibus Coss. Q. Pompejo & L. Sullæ vim intulisset; occisoque Pompeii Consulis filio, genero Sullæ; L. Sulla Consul cum exercitu in Urbem venit, & adversus factionem Sulpicii & Marii in ipsa Urbe pugnavit, eamque expulit. P. Sulpicius, cum in quadam villa lateret, indicio servi sui retractus, & occisus est. servus ut præmium promissi judicii haberet, manumissus est, & ob scelus domini proditi de saxo dejectus est.* Hæc Florus. A M. vero Cicerone laudatur P. Sulpicii eloquentia tum in libris de Oratore, tum etiam in Bruto; legum nulla mentio, quod meminerim, illic est. Sed Appianus lib. I. & Plutarchus in Sulla eam legem referunt, quæ de Mithridatico bello fuit. Illam de libertinorum suffragiis Asconius in Corneliana refert. Quod ipsum a Ser. Tullio Rege manasse Dionys. lib. IV. scribit. Sed & idem Florus lib. XX. ait libertinos prope initia secundi belli Punici in quatuor Tribus fuisse redactos, Esquilinam, Palatinam, Suburanam, & Collinam. Has Urbanas Plinius lib. XVIII. (a) appellat, in quas transferri a rusticis ignominiæ loco habebatur. Itaque existimandum est, ter hoc ipsum esse constitutum, propter neglectam hac in re aliquando juris sanctionem.

(a) *cap.* 3.

A II. Addit Plutarchus eundem tulisse, ne quis senatorii ordinis supra duo drachmarum, vel, ut arbitror, denariorum millia æs alienum conflare posset. Sed cum ipse Sulpicius occisus est, drachmarum tricies debitor inventus est.

SUMPTUARIÆ.

HAS in Orchia, Fannia, Didia, Licinia, Cornelia, Æmilia, Antia, & Julia ex Gellio lib. II. & Macrobio lib. III. persecuti sumus.

TABELLARIÆ.

B APUD Ciceronem lib. III. de legibus referuntur Gabinia, Cassia, Papiria Carbonis, & Cælia Tabellariæ, de quibus alias.

TARPEJA ÆTERNIA
DE MULTIS.

SCRIBIT Gellius lib. XI. cap. I. multam supremam, hoc est, maximam, olim apud Romanos institutam fuisse in singulos dies ovium duarum, boum triginta: pro copia scilicet boum, & ovium penuria. Sed cum ad solvendam multam, quæ C a magistratibus dicta erat, adigerentur boves ovesque alias pretii majoris, alias parvi, ideoque multæ punitio inæqualis esset, lege Aterina constitutos esse in oves singulas æris denos, in boves æris centenos: hinc Sex. Pompejus (a) ait æstimatam pœnam ab antiquis dici solitam, quæ ita esset æstimata: ovis decussi, bos centussi, hoc est, decem & centum assibus: id quod idem (b) alio loco Tarpeja lege introductum scribit. Minima multa erat ovis (c) unius: ea in hæc verba indicebatur: M. TERENTIO, QUANDO CITATUS NEQUE RESPONDIT, NEQUE EXCUSATUS EST, EGO EI UNUM OVEM MULTAM DICO. Oves autem antiqui pro arietibus dicebant, atque ideo D eas masculino genere pronuntiabant. Namque, ut ex columna Trajani, aliisque veteribus monumentis constat; quæ sacrificia sue, ove, tauro fiebant, unde & Suovetaurilia dicebantur, non ove femina, sed ariete fiebant. Cautum vero erat, ne bovem prius quam ovem nominaret, qui indiceret multam, ut Plinius scribit XVIII. cap. III. Ceterum Plutarchus Valerii Publicolæ legem fuisse ait, ut qui Consulibus non paruisset, quinque boum, ac duarum ovium multam solveret, ovemque decem obolis, bovem centum fuisse æstimatum. Dionysius vero lib. X. antiquitatum scribit Sp. Tarpejum, A. Termenium Coss. E legem tulisse, ut liceret omnibus magistratibus eos qui immodeste aut præter leges agerent adversus potestatem suam, multa punire; neque enim aliis olim multam dicere quam Consulibus licuisse. Multam autem supremam ac maximam fuisse ab eis constitutam boum duorum, ovium triginta Plin. lib. VII. cap. XXVIII. & Livius lib. III. non Termenium, sed Æternium hunc Consulem vocant, qui tamen hujus legis nullam mentionem faciunt. Diodorus lib. XII. Bibliothecæ eum Asterium, alii Aterium appellant. Ex quo fit ut neque verum legis nomen neque ejus sententia satis certo constitui possit. Sex. quidem Pompejus (d) scribit ante æs signatum ob delicta pœnam F gravissimam fuisse duarum ovium & triginta boum, atque id lege sanxisse T. Menenium Lanatum, P. Sextium Capitolinum Coss. postea vero lege Tarpeja multam ita æstimatam fuisse, ut antea dictum est. Sed eo loco Pompejus sibi non constat. Livius lib. IV. tradit L. Papirium Crassum, L. Julium Coss. legem de multarum æstimatione pergratam populo, cum ab Tribunis parari unius ex eis proditione accepissent, ipsos ferre præoccupavisse. Quo fit, ut in tanta varietate non displiceat ita constituere: Lege

(a) *Sex. Pomp. verb.* æstimata. (b) *Idem verb.* peculatus. (c) *Gellius ibid. Nonius ver. oves.* (d) *Sex. Pomp. verb.* peculatus.

Tarpeja & Æternia gravem multam triginta ovium, boum duorum, triennio ante Decemviros legum ferendarum causa: post viginti quatuor annos oves, bovesque æstimatos L. Papirio, L. Julio Coss. decussi, & centussi. Menenium autem & Sextium constat biennio post Tarpejum & Æternium Coss. fuisse post R. C. ann. CCCI. Gravem multam Theodosianus interpres (e) quinquaginta librarum argenti esse interpretatur; quæ nostris quoque legibus ab exsecutione appellanti indicitur. Ceterarum multarum modus ab Arcadio & Honorio constitutus est, pro judicum dignitate varius: qua de re exstat eorum constitutio, titulo De modo multarum (f), quæ a judicibus infliguntur.

(e) *l. 3. quor. app. non reci. lib. 11. C. Theod. l.* ab exsecutione. *C. eod.* (f) *l. ult. C. de modo mult.*

THEATRALIS. Hoc cognomine Julia, & Roscia intelligenda est, de quibus satis superque antea diximus.

THORIA.

THORIA sive Toria, a Sp. Torio sive Thorio dicta est, de quo Cicero in Bruto satis valuisse in populari genere dicendi scribit, sed agrum publicum vitiosa & inutili lege vectigali levasse. Idem lib. II. de Orat. *Nihil magis*, inquit, *videtur, quam quod est præter expectationem, ut Appii majoris illius, qui cum ageretur in Senatu de agris publicis, & de lege Thoria, & premeretur Lucilius ab his, qui a pecore ejus depasci agros publicos dicerent: non est, inquit, Lucilii pecus illud; erratis: defendere Lucilium videbatur: ego liberum puto esse, qua lubet, pascitur*. Hujus legis fragmenta quædam invenies in fine hujus voluminis.

TERENTIA & CASSIA.
FRUMENTARIA.

HÆC lex lata est a M. Terentio Lucullo, & C. Cassio Varo Coss. anno Urbis DCLXXX. quam, quia ad frumentum ex Sicilia exportandum solum pertinebat, ut ex Cicerone in Verrinis constat, privilegium, non legem appellare possumus. Verba Ciceronis in Frumentaria sunt hæc: *Frumentum emere in Sicilia debuit Verres ex S. C. & ex lege Terentia & Cassia frumentaria: emundi duo genera fuerunt, &c.* & in oratione de suppliciis: *Denique cum ex S. C. itemque ex lege Terentia & Cassia frumentum æqualiter emi ab omnibus Siciliæ civitatibus oporteret; id quoque munus Mamertinis remisisti*.

TITIA.

OLIM tutores intra Urbem quidem a Prætore urbano, & majore parte Tribunorum ex lege Atilia, in provinciis a Præsidibus ex lege Julia, & Titia dabantur; ut Justinianus libro I. Institutionum (a) scribit.

Altera lex est: cujus Ausonius (b) mentionem facit, ludens his versibus:

Jurisconsulto, cui vivit adultera conjunx,
Papia lex placuit, Julia displicuit.
Quæritis, unde hæc sit distantia? semivir ipse
Scantiniam metuens, non metuit Titiam.

Quorum carminum interpretatio ex Titiæ legis ignoratione difficilis quibusdam visa est. Mihi vero ex Cornelio Tacito lib. XI. historiarum hæc esse videbitur: Ut cum Papia lex præmia maritis concedat, Julia de adulteriis adulteram dimitti jubeat, Scantinia molles coerceat, Titia vero munera patrocinii causa accipi vetet: hic qui adulteram mollis detinet, metu Scantiniæ, ut Papia utatur, adversus Juliam facit, neque metuit Titiam, cum munera a mœchis accipit non patrocinii causa. Sed ceteras quidem leges aliis locis persecuti sumus: de Titia Tacitus scribit: *Cuncta*, inquit, *legum & magistratuum munia in se trahens princeps* (Claudium autem significat) *materiam prædandi patefecerat, nec quidquam publicæ mercis tam venale fuit, quam advocatorum perfidia, adeo ut Samius insignis eques Rom. quadringentis nummorum millibus Suillio datis, & cognita prævaricatione, ferro in domo ejus incubuerit. Igitur incipiente C. Silio Cos. Des. consurgunt patres, legemque Titiam flagitant, qua cavetur antiquitus, ne quis ob causam orandam pecuniam, donumve accipiat. Et post ingentem altercationem, tandem*, inquit, *princeps capiendis pecuniis posuit modum usque ad dena sestertia, quæ egressi repetundarum tenerentur*. Dona sestertia sive decem sestertium nummorum millia, Budæus & ceteri interpretati sunt centum aureorum quantitatem, quam pro singulis causis licitum esse advocatis capere Ulpianus lib. VIII. (c) de omnibus tribunalibus scribit. Neque ad hanc rem pertinent, quæ propter suffragia dantur, ut recte Alciatus notat, & exstat lib. II. Theodosiani Codicis, titulo, Si certum petatur, de suffragiis (d), Juliani constitutio, quam ipse refert ex Marcellino lib. XXII. Ex eadem atque aliis non paucis quæ in nostris libris reperiuntur (e), constat Titiam legem & advocatorum patrocinia ad lites, suffragia vero ad honores, militias, & magistratus pertinere. Sed ut ad Ausonium revertamur, ita mihi interpretanda esse videbantur, quæ de illis legibus dicta sunt: quamquam ab aliis aliter & Ausonii & Taciti locus accipiatur. Sunt enim qui Cinciam apud Tacitum scribant, quæ lex de donis & muneribus lata est: quod ejusdem Taciti verbis lib. XV. confirmari videtur. *Usu enim*, inquit, *probatum est leges egregias, exempla honesta apud bonos ex delictis aliorum gigni. Sic oratorum licentia Cinciam rogationem, candidatorum ambitu Julias leges, magistratuum avaritia, Calpurnia scita pepererunt*. Libro vero XIII. apertius Suilii causa Cinciam restitutam scribit adversus eos, qui pretio causas oravissent. Quamobrem quoniam non temere adfirmare velimus res nobis non satis cognitas, veterem opinionem nostram retulisse satis sit.

III. Apud Ciceronem quoque Titia lex in libris de legibus non male, ut opinor, scribitur, a Sex. Titio seditioso Tribuno plebis lata. De quo lib. II. de Oratore ita M. Antonium loquentem inducit: *Testimonium sæpe dicendum est accuratius, ut mihi necesse fuit in Sex. Titium seditiosum civem & turbulentum. Explicavi in eo testimonio dicendo omnia consilia Consulatus mei, quibus illi Tribuno Pleb. pro Repub. restitissem: quæque ab eo contra Remp. facta arbitrarer, exposui*. De eodem in Bruto: *Appulejum & Glauciam consecutus*, inquit, *est Sex. Titius homo loquax sane & satis acutus, sed tam solutus & mollis in gestu, ut saltatio quædam nasceretur, cui saltationi Titius nomen esset*. Itaque non male quidam scribunt apud Ciceronem lib. II. de legibus. *Igitur tu Titias & Appulejas leges nullas putas?* non Sejas: quod proxime accedebat ad veteris cujusdam libri mendum, cui ego multum defero. Neque illud displicet, quod eodem libro cum de jure augurum agitur, scribunt: *Quid, legem, si non jure rogata est, tollere? ut Titiam decreto collegii, ut Livias consilio Philippi Consulis & auguris?* Quamvis in omnibus libris sit, Ut etiam. Quod mendum ex librariorum antiquorum errore manat, ut arbitror, quo solebant repetitas literas, syllabas, atque etiam verba omittere, TIAM igitur pro Titiam scripserunt, opinor, ut in Seja lege diximus, inde factum est, ut Etiam scriberetur. aut si E. pro I. ut sæpe, accipiatur, TETIAM fortasse veteres librarii scripserunt. Hæ nostræ con-

(a) *Inst. de Atili. de tut. in pri.* (b) *Epigr.* 88.

(c) *l. 1. p.* si cui. *de extraor. cogni.* (d) *l.* uni. *C. de suffrag.* (e) *l.* universi. *C. de legat. lib.* 10. *l. 2. de murileg. lib.* 11. *ult. de silentia. lib.* 12. *atque aliis. item Novel.* 7.

jecturæ

jecturæ sunt, quibus minime veriora sentientibus impedimento esse volumus.

Refertur apud Marcianum lib. v. regularum (f) ex lege Titia, & Publicia, & Cornelia sponsionem facere licere in his ludis, qui virtutis causa fierent: eos autem S. C. enumerat hos: *Si quis certet hasta vel pilo jaciendo, currendo, saliendo, luctando, pugnando*, quibus in pecuniam ludere licebat, ut Paulus scribit libro decimo nono ad edictum (g). Hi ludi, ut ex Græcis interpretibus accipimus, constitutione Græca Justiniani permittuntur, lib. III. Constitutionum (h). Sunt autem eorum barbara nomina, sed illis temporibus usurpata, *μονόβολον*, *κοντομονόβολον*, quæ cursum ac saltum interpretantur, *κυντανὸς κόνταξ χωρὶς τῆς πόρπης*, hoc est, jaculatio sine ferro, *περιχυτὴ*, id est, palæstra, item equorum cursus, quem *ἱππικὴν* appellant. Qua de re alio loco scribemus.

(f) *l.* in quibus. *de alea.* (g) *l.* solent. *eo.* (h) *C. de alea.*

TREBONIA.

L. TREBONIUS Tr. pl. cui cognomen Aspero fuit quod asper insectandis patribus esset, Sp. Herminio, T. Verginio Cælimontano Coss. cum vetus lex esset in hæc verba concepta: *Si Tribunos pleb. x. rogabo; si qui vos minus * hodie x. Tribuno Pl. fecerint; hi tum utique quos sibi collegas cooptassint, ita ut illi legitimi eadem lege Tribuni plebei sint, ut illi quos hodie Tribunos plebei feceritis.* PLEBEI autem hoc loco pro plebis, ut in lege Regia, atque aliis locis accipiendum est. Itaque cum ex ea lege M. Duilius, qui comitiis præerat, quinque solum Tribunos suffragiis populi creari permisisset, ut hi sibi collegas cooptarent: Trebonius rogationem tulit, ut qui plebem Romanam Tribunos Pl. rogaret, is usque eo rogaret, dum decem Tribunos Pl. faceret, quod Livius lib. III. scribit. Idem lib. v. C. Trebonium Tr. Pl. refert vindictam Treboniæ legis (fuerat enim eo anno neglecta) suscepisse.

II. Florus vero lib. CV. alterius C. Trebonii Tr. Pleb. legem refert, qua in quinquennium provinciæ Consulares dabantur, Pompejo Hispaniæ, Crasso Syria & Parthicum bellum, Cæsari Gallia atque Germania. Cui legi cum M. Cato obsisteret, a Tribuno in vincula ductus est.

TRIBUNICIÆ LEGES.

TRIBUNICIAS leges appellat Cicero, quæ a Tr. Pl. latæ sunt, ut in Hortensia scripsimus. Livius vero lib. v. eas, quibus Tribunorum plebis potestas constituta & confirmata est, ut Sacratæ, ut Valeriæ, ut Horatia. At Pomponius (a) Bruti Tribuni Celerum legem, qua Reges exacti sunt.

(a) *l. 2. p.* exactis. *de orig. jur.*

TRIUMPHALES.

ITA quidem appellant eas leges, quæ de jure triumphandi apud Valerium lib. II. factorum (a) referuntur. *Ob levia*, inquit, *prælia quidam Imperatores triumphos sibi decerni desiderabant; quibus ut occurreretur, lege cautum est, ne quis triumpharet, nisi quinque millia hostium una acie cecidisset.* Hujus legis apud Eutropium lib. IV. rer. Roman. mentio fit.

II. Hæc lex alterius legis auxilio fulta est, quam L. Marius & M. Cato Tribuni plebis tulerunt. Ea pœnam Imperatoribus minatur, qui aut hostium occisorum in prælio, aut amissorum civium falsum numerum, litteris Senatui ausi essent referre. Jubet etiam eos, cum primum Urbem intrassent, apud Quæstores urbanos jurare, de utroque numero vere ab his Senatui esse scriptum. Cetera, quæ non ex legibus, sed ex more, aut ex S. C. ducta sunt, apud eundem Valerium reperientur.

(a) *cap. 3.*

Tom. II.

TULLIA.

HOC nomine M. Ciceronis lex appellanda est, quam de ambitu, ut arbitror, tulit in Consulatu. Etenim in Sextiana, *Acta mea*, inquit, *Sex. Clodio displicere quis nescit? qui legem eam contemnat, quæ dilucide vetat gladiatores biennio quo quis petierit, aut petiturus sit, dare.* & postea: *Quem non tam admiror, quod meam legem contemnat hominis inimici, quam quod se statuit omnino Consularem legem nullam putare.* In Vatinium quoque, *Cum ego*, inquit, *legem de ambitu ex S. C. tulerim, quæ dilucide vetat biennio quo quis petat, petiturusve sit, gladiatores dare, nisi ex testamento præstituta die.* De eadem, ut existimo, lege idem in oratione pro L. Muræna: *Dixisti*, inquit, *Senatusconsultum me referente esse factum, si mercede conducti obviam candidatis issent, si conducti sectarentur, si gladiatoribus vulgo locus tributus, & item prandia si vulgo essent data, contra legem Calpurniam factum videri.* Quamvis hæc ex S. C. ut ait, coercebantur, quo nomine legem appellari non facile crediderim, sed hoc S. C. legem esse subsecutam. Quod vero de gladiatorum loco scribit, minime est de ipsis hominibus, sed de ludis intelligendum, in quibus locus spectatoribus daretur; quod alii animadverterunt. *Itaque cum crimina explicantur, Præfectum fabrum*, inquit, *semel locum tribulibus suis dedisse: quid statuent in viros primarios, qui in Circo totas tabernas tribulium causa compararunt?* Sic lib. II. ad Atticum (a): *Quærit ex me, num consuevissem Siculis locum gladiatoribus dare.*

(a) *Epist.* I.

VALERIA.

EXACTIS Regibus L. Junius Brutus, L. Tarquinius Collatinus Lucretiæ vir Consules constituti sunt. Hic tamen propter invidiam regii nominis Tarquiniorum abdicavit se Consulatu, & civitate cessit; Brutus P. Valerium Volesi filium, quo adjutore Reges ejecerat, comitiis centuriatis Cos. creavit. Sed cum in acie Brutus occidisset. Valerius regnum appetere credebatur, tum quod collegam non sufficeret, tum etiam quod in summa Velia ædificaret. Qua re cognita, vocato populo, submissis fascibus in concionem ascendit, in qua populi animos placavit, tum verbis, tum diruta Veliana domo, tum etiam legibus, quæ ita populares fuerunt, ut cognomen ei Poplicolæ dederint. Illæ in primis gratæ de provocatione adversus magistratum ad populum: item ut caput cum bonis ejus sacrum fieret, qui regni occupandi consilia iniisset: quas solas Livius lib. II. refert. Addit Dionysius lib. v. Valerium primum a fascibus secures detraxisse, & ejus consuetudinis auctorem fuisse, quæ ad ipsius Dionysii tempora mansit, ut extra Urbem Consules fasces cum securibus haberent, intra Urbem secures non haberent. Scripsit autem eam historiam Dionysius Augusti Octaviani temporibus, Claudio Nerone iterum, Calpurnio Pisone Coss. ut initio libri primi idem scripsit. Sed de fascibus hoc idem Livius lib. III. significat, cum Decemviros scribit cum duodenis fascibus prodiisse: *Centumque & viginti lictores forum*, inquit, *impleverant, cum fascibus secures illigatas præferebant. nec attinuisse demi securim, cum sine provocatione creati essent, interpretabantur.* Idem lib. XXIV. cum de his comitiis, quibus Q. Fabius Max. IV. M. Marcellus III. Coss. creati sunt, verba facit: *Lictores*, inquit, *ad eum accedere Consul jussit, & quia in Urbem non inierat, protinus in campum ex itinere profectus, admonuit cum securibus sibi fasces præferri.* Hac tamen de re in Julia de maritandis ordinibus scripsimus. Ad Valerium redeo. E idem Dionysius ait eundem Consulem tulisse, ut ne

R

quis magistratum Romæ gereret, quem non a populo suscepisset: quod si fieret, capitali pœna vindicaretur: & qui illum occidisset, ei impune esset. Altera lex fuit, ut si quis magistratus civem Romanum interficere, verberibus cædere, aut multam ei indicere vellet; liceret civi ad populum provocare, neque posse eum magistratum antequam suffragia lata essent, provocantem malo quoquam adficere. Hæ leges a Plutarcho quoque referuntur, qui eadem illa de securibus, obscurius tamen, tradit. Pomponius autem noster lib. sing. enchiridii (a) ita scribit: *Exactis deinde regibus Consules constituti sunt duo; qui tamen ne per omnia regiam potestatem sibi vindicarent, lege lata factum est, ut ab eis provocatio esset: neve possent in caput civis Romani animadvertere injussu populi. solum relictum est illis, ut coercere possent, & in vincula publica duci juberent.* Sed & idem Livius lib. x. ait M. Valerium, qui cum Q. Appulejo Consul fuit, hanc eandem legem jam tertio ab eadem familiam latam post Reges exactos, tulisse diligentius sanctam. Caussam renovandæ fuisse Livius suspicatur, quod plus paucorum opes, quam libertas plebis poterant. Tres autem Valerii fuerunt, ni fallor; P. Valerius Poplicola, de quo agebamus; L. Valerius Potitus, qui Consul cum M. Horatio fuit, cum Decemviris sublatis Horatia lex accepta est; & hic M. Valerius. Addit Livius, Porcia lege, quæ sola pro tergo civium lata esse videretur, gravi pœna si quis verberasset, necassetve civem Romanum sanciri: hæc Valeria, cum eum qui provocasset, virgis cædi, securique necari vetuisset; si quis adversus ea fecisset, nihil ultra, quam improbe factum adjecit: *Id*, inquit, *qui tunc pudor hominum erat, visum vinculum satis validum legis, nunc vix servo ita minetur quisquam*. Ex his omnibus apparet lege hac, quæ de provocatione lata est, consultum populo; ut ne quis a magistratu necari aut verberibus adfici posset, cui provocatio negaretur. Sed & Ulpianus lib. VIII. de officio Proconsulis (b) scribit lege Julia de vi publica teneri eos qui cum imperium potestatemve haberent, civem Rom. adversus provocationem necaverint, aut quo alio malo coercuerint. Clodius quoque in eo privilegio, quo Ciceronem Urbe expulit, ita scripsit, ut qui civem Rom. indemnatum interemisset, ei aqua & igni interdiceretur, quod Paterculus scribit. Relictum tamen Consulibus est, ut multam indicere possent, quinque boum, ovium duarum, ut Plutarchus (c) refert. Cujus multæ æstimatio fuit ovis decussi, ut in Tarpeja Æternia dictum est. sic enim placet asses pro obolis ex Gellio & Pompejo accipere. Illam vero de tyranno legem, quam ex Livio lib. II. retulimus (d) ita conscriptam esse Plutarchus ait, ut fas esset tyrannidem appetentem indemnatum occidere; occisorem crimine liberandum, si illius conatus probavisset. Hac lege Sp. Cassius, Sp. Mælius, Manlius, & fortasse C. Cæsar pœnas dederunt. Quamquam Sp. Mælius a Magistro equitum C. Servilio Ahala, quod venire ad Dictatorem recusasset, interfectus est indemnatus, Cassius & Manlius ante damnati. Idem Plutarchus alias Poplicolæ leges enumerat. Nam & civium vectigalia sustulisse, & pecuniam publicam commissam Quæstoribus in æde Saturni collocasse lege perlata scribit.

II. Valeria quoque lex appellatur, quam L. Valerius Flaccus Interrex tulit, ut quidquid L. Cornelius Sulla fecisset, id ratum esset, ut Cicero in Agraria III. & Appianus lib. I. bellor. civilium scribunt. De hac lib. I. de legibus Cicero ait: *Si XXX. illi Athenis tyranni leges imponere voluissent, aut si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco eæ justæ haberentur? nihilo credo magis illa, quam Interrex noster tulit: ut Dictator quem vellet civium indicta causa* (vel ut in veteri libro est, *vindictæ causa*) *impune posset occidere*. Dictator autem Sulla intelligitur, quod victis Marianis partibus se Dictatorem dici curaverit perpetuum. Idem Cicero pro Sex. Roscio, & in eadem illa Agraria lege, Valeriam cum Corneliis conjungit, ut in Cornelia diximus; propterea quod hac lege acta Sullæ confirmarentur. Vellejus Paterculus lib. II. histor. scribit Valerium Flaccum, qui in Consulatu Mario VII. Consuli suffectus est, tulisse, ut creditoribus quadrans solveretur, quam is turpissimam legem appellat.

(a) *l. 2. p.* exactis. *l. 1. de orig. iur.* (b) *l.* lege Julia *ad l. Jul. de vi pub.* (c) *Plutarch. in Poblic.* (d) *l. p.* exactis *l. de orig. jur.*

VARIA.

HÆC lex de majestate ab Asconio in Corneliana dicitur, &, ut idem in oratione pro Scauro scribit, lata est a Qu. Vario Tr. pl. cum Italico bello exorto propter negatam sociis civitatem nobilitas in invidia esset. Qua lege quærebatur de his, quorum ope consiliove socii contra Populum Rom. arma sumpsissent. De hac Cicero lib. II. Tusculanarum quæstionum: *Genu mehercule*, inquit, *M. Antonium vidi, cum contente ipse pro se lege Varia diceret, terram tangere*. Hunc Asconius Hispanum, Valerius lib. VIII. Hybridam, propter obscurum jus civitatis, esse appellatum scribit. Hybridas autem Plinius lib. VIII. sues esse dictos ait ex domesticis & feris natos, quod C. Antonio Ciceronis collegæ cognomen fuisse scribit. Notum quoque est Horatii carmen (a):

Proscripti regis Rupili pus atque venenum
Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor
Omnibus & lippis notum & tonsoribus esse.

Quo loco Acron aquilas quoque ex vulture & aquila ita appellari scribit, item canes ex venaticis & gregariis natos. Omne itaque mixtum & semiferum, ut poetæ loquuntur, genus hoc nomine appellabant παρὰ τ̀ ὕβριος, ut arbitror. Illud Vario huic accidit percommode, ut qui tam multos sua lege vexarit, in quibus M. Scaurum principem civitatis, eadem ipse lege fuerit damnatus. Quod præter Valerium Cicero in Bruto scribit: *Nam cum ipse in forum venit, exercebatur*, inquit, *una lege judicium Varia, ceteris propter bellum intermissis*: & postea: *Jam consequente anno Q. Varius sua lege damnatus excesserat: ego autem juris civilis studio multum operæ dabam Q. Scævolæ P. F.*

(a) *Lib. 1. Serm. Satyr. 7.*

VATINIA.

P. VATINIUS Trib. pleb. fuit C. Cæsare, M. Bibulo Coss. per quem Cæsar multa, quæ concupiverat, effecit. Exstat Ciceronis oratio in Vatinium, qui testis adversus P. Sextium fuit, in qua totus Cæsaris Consulatus exagitatur. Ejus lex fuit de alternis consiliis rejiciendis, cujus legis beneficio C. Antonius Ciceronis collega exclusus esse dicitur. Quæ autem appellentur alterna consilia, non facile dixerim. Sed arbitror ad consilia judicum referri, ut alternos consiliarios actori & reo rejicere liceret. Namque Asconius in Verrinis scribit, cum de crimine aliquo quæreretur, cui prætor aliquis præpositus erat; veluti repetundarum, ambitus, majestatis; sortito ex his ordinibus, quibus judicia erant commissa, judices educebantur: e quibus accusatori ac reo rejicere licebat, si quos iniquos putarent; rejectis judicibus alios in eorum locum Prætor subsortiebatur. Hujus vero alternæ rejectionis mentio fieri videtur in Planciana.

II. Vatiniæ alterius legis apud Suetonium fit mentio, qua Cæsar Galliam Cisalpinam & Illyricum accepit, deinde a Senatu Galliam Togatam.

III. Sed & rogationis Vatiniæ, qua coloniam Novocomum deduxit. Scribit Paterculus in hoc Vati-

nio deformitatem corporis cum ingenii turpitudine decertasse, adeo ut animus ejus dignissimo domicilio inclusus videretur. qua de re alii scripserunt.

VECTIBULICIA.

Refertur hæc lex in constitutione quadam Diocletiani sub titulo de servis Reipublicæ manumittendis (a), ejus tamen legis sententia ignoratur. Tantum enim dicitur servum quendam secundum hanc Vectibulici legem, cujus potestas Senatusconsulto, Juventio Celso iterum & Neratio Marcello Coss. facto, ad provincias porrecta est, civitatem Romanam consequutum esse. Consules autem hi sub Hadriano fuerunt. Itaque ea lex antiquior fuit, qua fortasse municipiis quæ in Italia erant, concessum fuit, ut servos publicos manumittere possent. Postea id jus ad provincias porrectum est, item ad collegia ex constitutione Divi Marci (b) Sed & ut hereditates libertorum & extraneorum capere ex testamento, atque ab intestato, recta via ac per fideicommissum, municipes possent, Senatusconsulto Aproniano atque aliis opus fuit, ut Ulpianus lib. XLIX. ad edictum (c), Paulus lib. singulari de Senatusconsultis (d) scribunt. Dubitationem autem faciebat, quod municipia ipsa consentire non posse dicerentur, ut idem Ulpianus (e) scribit.

VELLEA, sive VELLEJA. Quærenda in Juniis legibus est.

(a) *l. ult. C. de serv Reip. man.* (b) *l. 1. D. de man. qua serv.* (c) *l. un. de liber. univ.* (d) *l.* omnibus. *ad S. C. Treb.* (e) *l.* hereditatis C. *de her. instit.*

VICESIMA.

In Manilia lege dictum est ex Livio lib. VII. Cn. Manlium Consulem in castris legem tulisse de Vicesima eorum qui manumitterentur, cujus legis patres auctores fuerunt, quia ea lege haud parvum vectigal inopi ærario additum esset. modus tamen legis ferendæ a Tribuno natus est. Hanc Vicesimam fortasse Cicero lib. II. ad Atticum (a) indicat: *Portoriis*, inquit, *Italiæ sublatis, agro Campano diviso, quod vectigal superest domesticum, præter vicesimam? quæ mihi videtur una conciuncula, clamore pedissequorum nostrorum esse peritura*. Tacitus tamen libro XIII. scribit Nerone iterum & L. Pisone Coss. vectigal. quintæ & vicesimæ venalium mancipiorum remissum specie magis, quam vi. Quia cum venditor pendere juberetur, in partem pretii emptoribus accrescebat.

II. Lex autem Vicesima hereditatum, vel, ut in Tuscis libris est, hereditatium, Augusti Imp. fuit, qua vicesima pars hereditatum & donationum causa mortis, in ærarium deferri jubebatur, exceptis proximis cognatis, & pauperibus personis. Hæc lex lata est Æmilio Lepido, L. Arruntio Coss. ut Dion. lib. LV. scribit cum ærarium ob sumptus militares esset exhaustum, neque aliud vectigalis genus melius esset excogitatum. Sed & id aliquando in usu fuisse Augustus dicebat in Cæsaris libris reperiri. Plinius vero in Panegyrico Trajano dicto vicesimam tolerabile quidem tributum, & facile heredibus dumtaxat extraneis, sed domesticis grave fuisse dicit. Itaque veteribus civibus Romanis, qui sanguine, gentilitate, & sacrorum societate conjuncti essent, remissa vicesima est. At hi qui ex Latio, hoc est, ex Latinis erant, aut Latini juris, ut arbitror, aut alias beneficio principis civitatem Rom. essent consecuti, nisi cognationis jura impetrassent, vicesimam solvebant. Nerva tamen sanxit, ut quod ex matris ad liberos, ex liberorum bonis ad matrem pervenisset, etiamsi cognationum jura non impetrasset cum civitate, ejus vicesimam ne darent. In paternis quoque bonis filio, si in ejus potestatem fuisset, eadem

(a) *Epist. 16.*

A immunitas fuit. Addidit Trajanus, idem in patre servandum, ut ex filii bonis vicesimam non solveret. Sed & ut filii, qui in potestate non essent, immunes essent, quod Nerva exceperat. In sororis etiam bonis fratrem, in fratris sororem, avum & aviam in nepotis ac neptis, & contra, immunes esse voluit. His quoque, quibus per Latium civitas Rom. patuisset, idem indulsit, omnibusque inter se cognationum jura commisit; quod a principibus impetrari solebat. Jam vero summa addita est, intra quam vicesima non solveretur: & ut qui ex his causis vicesimam deberet, nondum tamen intulisset, eam minime solveret. Ex his omnibus apparet, vicesimam
B magnarum hereditatum ab extraneis heredibus quibuscumque solvi; item a novis civibus, qui non patris, matris, avi, aviæ, fratris, sororis, filii, filiæ, nepotis, neptis hereditatem consecuti essent. Hæ sunt decem personæ, quibus quinto loco bonorum possessio dabatur, ut extraneo manumissori præferrentur: ut Justinianus libro tertio Institutionum (b) scribit. Apparet etiam, ut supra dictum est, ex Augusti lege & Trajani edicto minores hereditates vicesimam non solvisse: sed & ut vicesima recte deduceretur, æstimatio fiebat hereditatis, ut Æmilius Macer scribit lib. II. ad legem Vicesimam
C hereditatium (c): quod non male Tribonianus ad Falcidiam retulit. Verba autem Macri, ut lib. I. Emendationum diximus, ita scribenda sunt: *Computationi in alimentis faciendæ hanc formam esse Ulpianus scribit, ut a prima ætate usque ad annum vicesimum quantitas alimentorum triginta annorum computetur*, &c. Deducebantur tamen prius, ut arbitror, funeris sumptus, de quibus idem Macer (d) scribit libro I. & Plinius (e) id significare videtur his verbis: *Carebit*, inquit, *onere vicesimæ parva, & exilis hereditas; &, si ita gratus heres volet, tota sepulchro, tota funeri serviet; nemo observator, nemo castigator adsistet*. Quamvis ea illo quoque refer-
D ri possint, ut ad pauperis funus pertineant. Addit Paulus lib. IV. sententiarum titulo de Vicesima, testamentum legem statim post mortem testatoris aperiri voluisse: ideoque a præsentibus intra triduum, aut quinque dies, ab absentibus cum supervenerint, intra totidem dies, licet sit rescriptis variatum, esse aperiendas tabulas. *Neque enim*, inquit, *oportet testamentum heredibus & legatariis aut libertatibus ultra quam necessarium vectigali est, moram fieri*. Ea vero de causa D. Hadrianus, qui Trajano successit, edicto hanc totam tabularum inspectionem & in rem missionem constituit: quod edictum occasione
E vicesimæ introductum, quia ipsa quoque vicesima sublata esset, Justinianus abrogavit. De eadem lege M. Antoninus philosophus (f) rescripsit; item Offilius jurisconsultus de legibus vicesimæ primus conscripsisse dicitur, qui edictum quoque primus diligenter composuit, ut Pomponius (g) scribit, & Alciatus noster notat libro III. Dispunctionum. Æmilius vero Macer εἰκοστῶν libros duos conscripsit, quos ad legem Vicesimam hereditatium appellari in Digestis reperimus. Etenim præter ea quæ antea retulimus, ex libro I. illa verba referuntur (h): *Nulli procuratorum principis inconsulto principe transigere licet*. Quod ad vicesimam, quam procurato-
F res exigebant, arbitror pertinere. Item alio loco: *Si mutus, aut surdus, ut liceret sibi testamentum facere, a principe impetraverit, valet testamentum*. Et quod libro IV. Emendationum interpretati sumus (i): *Mille passus non a milliario urbis, sed a continentibus ædificiis numerandi sunt*. Ejus autem miliarii aurei mentionem fieri, præterea quæ tum dixi-

(b) *Inst. de bon. pos. p.* sunt autem. *& p.* quæ autem. (c) *l.* hereditatum, *al.* computationi. *ad l. Falc.* (d) *l.* funeris. *de religio.* (e) *In Panegyr.* (f) *l. ul. C. de ed.* D. *Had. tol.* (g) *l. 2. p.* ex his. *de orig. jur.* (h) *l.* nulli. *de transa. l.* si mutui. *de testa.* (i) *l.* mille passus. *de ver. signi.*

mus, reperimus apud Dionem libro LIV. Namque ait Augustum M. Appulejo, P. Silio Coss. cum viarum publicarum curam sumpsisset, quæ Romam ducunt, miliarium constituisse. In Zenonis quoque Græca constitutione, quæ sub titulo de ædificiis privatis (K) desideratur, & miliarii, & Capitolii in nova Roma (ita enim Bizantium est appellatum) mentio fit. Vetat enim inter columnas, quæ in publicis porticibus a miliario ad Capitolium sunt, ædificari latius pedibus sex, altius autem septem. Sed hæc aliquando plenius.

(k) *l. 12. C. de ædif. priv.*

*VISCELLIA.

EXSTAT lib. IX. Constitutionum (a) Diocletiani constitutio in hæc verba: *Impp. Diocletianus & Maximianus AA. Baccho. Lex Viscellia libertinæ conditionis homines persequitur, si ea quæ ingenuorum sunt, circa honores & dignitates ausi fuerint attentare, vel Decurionatum arripere: nisi jure aureorum anulorum impetrato a principe sustineantur. Tunc enim quoad vivunt, imaginem, non statum ingenuitatis obtinent: & sine periculo ingenuorum etiam officia peragunt publica.* Additur illud quod alio quoque loco scriptum est (b): *Qui autem libertinus se dicit ingenuum, tam de operis civiliter, quam etiam ex lege Viscellia criminaliter poterit perurgeri. In curiam autem se immiscens, damno quidem cum infamia afficitur; muneribus vero personalibus in patria patroni, quæ congruunt hujusmodi hominibus, singulos pro viribus attributos esse non dubium est.* Meminit hujus legis Ulpianus in fragmentis tit. III. Quo vero tempore lata sit, plane ignoro: sed cum omnibus libertis jus anulorum ex Novella septuagesima quarta (c) ab Justiniano datum sit, non magnam habet utilitatem.

(*) *al.* VISELLIA. (a) *l. un. C. ad l. Visce.* (b) *l. uni. C. quando civ. actio. l. un.* victum civi. *in C. Th.* (c) *Auth.* ut lib. de cete. *in fi.*

VILLIA ANNALIS.

SEX. Pompejus ait, Annariam legem dici ab antiquis eam, qua finiuntur anni Magistratus capiendi: quo nomine Lampridius utitur in Commodo, & Arnobius lib. II. adversus gentes. Livius lib. XL. ait, A. Postumio Albino, C. Calpurnio Pisone Coss. latum esse primum ab L. Villio Tr. Pl. quem Julium quidam vocant, quot annos nati quemque magistratum peterent, ac caperent. Unde cognomen familiæ inditum, ut Annales appellarentur. Hinc ille Ciceronis jocus de Sexto Annali apud Quinctilianum. Cum enim is testis reum læsisset, quem Cicero defendebat, & accusator instaret, ut aliquid de Sexto Annali diceret, si posset: tum Cicero versum Ennii de Sexto Annali dicere cœpit:

Qui potis ingentis causas evolvere belli?

Sed ad Annales leges revertamur. Et Cicero de his legib. Philippica V. ita scribit. Nam cum decrevisset, ut C. Cæsari Octaviano adulescenti, Pontificem, Pro prætore, Senatorem esse liceret, ejusque rationem perinde habendam esse, ac si Quæstor proximo anno fuisset, *Quid est enim*, inquit, *Patres conscripti, cur eum non quamprimum amplissimos honores capere cupiamus? Legibus enim Annalibus cum grandiorem ætatem ad Consulatum constituebant, adulescentiæ temeritatem verebantur.* Et postea: *Itaque majores nostri veteres illi admodum antiqui leges Annales non habebant, quas multis post annis attulit ambitio, ut gradus essent petitionis inter æquales.* Et paulo post: *Quid Macedo Alexander? cum ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, nonne tertio & trigesimo anno mortem obiit; quæ est ætas nostris legibus decem annis minor, quam Consularis?* Hæc Cicero: ex quibus intelligimus tribus & quadraginta annis minores Consules ex his legibus fieri non potuisse. Solvebantur tamen legibus multi propter eas causas, quas Cicero refert. At postea sub Imperatoribus XX. annis minores invenimus Consules factos. Hæc enim sunt Ulpiani verba libro secundo de officio Consulis (a): *Sed si evenerit, ut minor viginti annis Consul sit, apud se manumittere non poterit; cum ipse sit, qui ex S. C. consilii causam examinat. Apud collegam vero causa probata potest.* Sed & pueros Consules appellatos esse videmus Gratianum, Valentinianum minorem, & Honorium, ut in Consulibus multarum constitutionum animadvertere possumus, quæ datæ sunt, Gratiano nobili puero, & Gadalaipho Coss. aut Valentiniano Nob. P. & Victore, aut Honorio, & Evodio. M. Cicero lib. II. de Oratore scribit, M. Pinarium Ruscam legem Annalem tulisse, *cujus dissuasor M. Servilius: Dic mihi, inquit, Pinari, num si contra te dixero, mihi male dicturus es, ut ceteris fecisti? cui Rusca, ut sementem feceris, ita, inquit, metes.* Huc etiam pertinet quod ait lib. III. de Legib. EUNDEM MAGISTRATUM, NI INTERFUERINT DECEM ANNI, NE QUIS CAPITO. ÆVITATEM ANNALI LEGE SERVANTO. Ævitatem pro ætatem scripsit, ut in eisdem legibus: CENSORES POPULI ÆVITATES, SOBOLES, FAMILIAS, PECUNIASQUE CENSENTO: POPULI PARTES IN TRIBUS DESCRIBUNTO: EXIN PECUNIA, ÆVITATES, ORDINES PARTIUNTO. Veteres enim ab ævo ævitatem, & æviternum, ut Varro ait, pro ætate, & æterno dixerunt. De annis decem Livius libro extremo VII. sic ait: *Præter hæc invenio apud quosdam L. Genucium Tr. Pl. tulisse ad populum; ne fœnerare liceret. item aliis plebiscitis cautum, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet; ne duos magistratus uno anno gereret; utique liceret, Consules ambos plebejos creari.* Appianus lib. I. bellorum civilium id a Sulla Dictatore latum esse ait. Florus vero lib. LVI. scribit, P. Scipionem Æmilianum hac lege solutum fuisse. Fuit autem L. Villius Annalis Tr. Pl. qui primus hanc legem tulit P. R. C. Ann. DLXXIII.

(a) *l. un. de offic. Cons.*

VOCONIA.

VOLUMNIAM quidam appellant, decepti mendoso Flori libro epitome XLI. *Quinctus*, inquit, *Volumnius Saxa Tr. Pl. legem tulit, ne quis heredem mulierem institueret. Suasit legem M. Cato, exstatque ejus oratio.* Idem tamen Cato apud Ciceronem Cæpione & Philippo iterum Coss. se annos quinque & sexaginta natum Voconiam legem magna voce, bonisque lateribus suasisse refert. Apud Gellium quoque lib. decimoseptimo (a) Marci Catonis verba referuntur hæc, quibus, cum legem Voconiam suaderet, usus est. *Principio*, inquit, *nobis mulier magnam dotem attulit: tum magnam pecuniam recipit, quam in viri potestate non committit; eam pecuniam viro dat mutuam: postea ubi irata facta est, servum recepticium sectari atque flagitare virum jubet.* Recepticium servum recte Gellius interpretatur, qui receptus esset cum dotem dabat; ut apud Plautum in Trinummo:

Posticulum hoc recepit, cum ædes vendidit.

Et apud Ciceronem lib. II. de Oratore: *Dicet te cum ædes venderes, ne in rutis quidem & cæsis solium tibi paternum recepisse.* Et in Topicis: *Liberales venditores solent cum ædes fundumve vendiderint, rutis cæsis receptis, concedere tamen aliquid emptori, quod ornandi causa apte & loco positum esse videatur.* Recipere autem his locis pro excipere usurpatur. Nam eadem de re Ulpianus lib. XXXII. ad edictum (b) ita scribit: *Si ruta & cæsa excipiantur*

(a) *cap. 6.* (b) *l.* fundi. *p.* si ruta. *de acti. emp.*

in venditione; ea placuit esse ruta, quæ eruta sunt, ut harena; cæsa, ut arbores cæsas. Sic Paulus lib. IV. epitomarum Alfeni (c): *Qui fundum*, inquit, *vendidit, pomum recepit, nuces, & ficos, & uvas dumtaxat duracinas recepta videri*. Et Cajus lib. VIII. ad edictum provinciale (d): *Sed & dos*, inquit, *quam quis in mortem mulieris a marito stipulatur, capitur sane mortis causa: cujus generis dotes recepticiæ vocantur*. Quæ verba non sine mendo circumferuntur. Receptitia autem dos hoc loco dicitur, quæ data quidem est; tamen receptum fuit, ut post mortem redderetur. Recepticia quoque actio appellabatur, quæ nunc constitutæ pecuniæ dicitur, quod ab alia hujus verbi significatione descendit. Sed ut ad Voconiam revertamur, eam ex Gellio & Cicerone cognoscimus a M. Catone majore fuisse defensam contra mulierum impotentiam; quem Oppiæ quoque legis acrem defensorem fuisse adversus earundem sumptus, alio loco retulimus. Et Q. Voconii nomen in Corneliana pro Balbo reperitur. *Tulit*, inquit Cicero, *apud majores nostros legem C. Furius de testamentis: tulit Q. Voconius de mulierum hereditatibus, quas Latini voluerunt, asciverunt*. Idem tamen in Prætura urbana eundem C. Voconium appellat, nisi sit mendum. *Voconia*, inquit, *lex te videlicet delectabat; imitatus esses ipsum illum C. Voconium, qui lege sua hereditatem ademit nulli neque virgini, neque mulieri: sanxit in posterum, qui post eos Censores census esset* (A. Postumium, & Q. Fulvium Censores intelligit) *ne quis heredem, neve mulierem faceret*. Queritur autem Cicero Verrem in Prætura urbana edixisse, ut qui heredem fecisset mulierem post legem Voconiam secundum ejus testamenti tabulas bonorum possessio non daretur. Qua in re duo sunt quæ reprehendit, quod census tantum lege comprehenderetur, & quod testamenta ante edictum facta edicto continerentur. Censum autem eum esse oportebat, quem pecuniosum Asconius interpretatur, & qui centum millia professione detulisset. Erat enim prima eorum classis, qui centum millibus æris censerentur; ut ex Livio & Dionysio in Duodecim scribemus. Quamobrem quod Dion ait lib. LVI. Augustum quibusdam mulieribus concessisse, ut supra XXV. millia hereditatis nomine contra legem Voconiam capere possent: id ita interpretor ut XXV. millia sestertiorum nummorum intellexerit. Quod nostram opinionem de sestertio quattuor assibus æstimando, ut libro secundo Emendationum scripsimus (e), confirmare videtur. Namque primæ classis census eam summam sestertiorum efficit, quam Dion perscribit. Sed & ex eodem Dionis & Ciceronis loco elicere possumus ad mulieres fortasse referri, quæ de his qui partem capere possunt, in Digestis inveniuntur. Terentius Clemens libro quarto ad legem Juliam & Papiam: (f) *Si quis solidum a lege capere non possit, & ex asse sit institutus ab eo qui solvendo non est. Julianus ex asse eum heredem esse respondit. Legi enim locum non esse in ea hereditate, quæ solvendo non est*. Idem eodem libro (g): *Si is, qui ex bonis testatoris solidum capere non possit, substitutus sit ab eo impuberi filio ejus: solidum ex ea causa capiet, quasi a pupillo capiat. Sed hoc ita interpretari Julianus noster videtur, ut ex bonis, quæ testatoris fuerant, amplius capere non possit*. Idem lib. XVI. (h) *Si servus ejus, qui capere non potest, heres instituatur; & ante, quam jussu domini adeat hereditatem, manumissus, alienatusve sit, & nihil in fraudem legis factum esset; ipse admittitur ad hereditatem. Sed & si partem capere possit dominus ejus, eadem dicenda sunt de parte, quam ille capere non potest. Nihil enim interest, de universo quæratur quod capere non possit, an de portione*. Ulpianus lib. IV. fideicommissorum (i) *Hi, qui solidum capere non possunt, ex asse heredes instituti, & rogati restituere solidum; adire hereditatem, & restituere cogentur: cum nihil oneris apud eos remansurum sit*. Omnibus his locis atque aliis, quæ in Pandectis reperiuntur, solent Accursiani existimare, jurisconsultos sensisse de naturalibus filiis, aut de secundis uxoribus, aut de aliis personis, quæ ex recentibus constitutionibus solidum non capiunt. Mihi magis placet, ut ea ad legem Voconiam referantur, quæ mulieres ex asse heredes institui a locupletibus vetabat. Idem fortasse dicendum esset de his qui cives Romani non erant, quos heredes instituere, ut in Junia Norbana diximus, non licebat; quod fideicommissis introducendis, ut Theophilum dixisse retulimus, occasionem dedit. Fieri etiam potest, ut ad decumam, quæ ex hereditate orbi conjugis deducebatur, pertinerent ex lege Papia, aut etiam ad vicesimam ex lege Vicesima hereditatum. Quanquam magis crediderim ad Voconiam pertinere, aut ad aliam legem, quæ fortasse Julia de maritandis ordinibus, aut Papia fuit, ut ex illorum capitum inscriptione, quæ antea retulimus, suspicamur: si modo aliquo earum legum capite prohiberetur aliquibus ex asse hereditatem consequi, aut certæ quantitatis summam ex testamento accipere. Hæc tamen, ut cetera omnia, doctorum virorum ingeniis subjicimus. Illud certum est M. Tullii tempore, quasi tacita quædam fideicommissa in fraudem hujus legis in usu fuisse: & quod maxime ad hunc locum pertinet, libro secundo de Finib. lege Voconia certam partem filiæ relinqui posse significat. P. enim Sextilius Rufus ad amicos referebat se esse heredem Q. Fadio Gallo, cujus in testamento scriptum esset; se ab eo rogatum, ut omnis hereditas ad filiam perveniret. Id Sextilius factum negabat; addebat etiam se in legem Voconiam juratum contra eam facere non audere, nisi aliter amicis videretur: eorum nemo censuit plus Fadiæ dandum, quam posset ad eam lege Voconia pervenire. Tenuitque permagnam Sextilius hereditatem. hæc Cicero. & paulo post: *Si te*, inquit, *amicus tuus moriens rogaverit, ut hereditatem reddas suæ filiæ, nec usquam id scripserit, ut scripsit Fadius, nec cuiquam dixerit: quid facies? tu quidem reddes: ut Sex. Peducæus, qui, cum sciret nemo, eum rogatum a C. Plotio equite Rom. splendido Nursino, ultro ad mulierem venit, eique nihil opinanti viri mandatum exposuit, hereditatemque reddidit*. In his autem duobus exemplis Ciceronis animadvertendum est, altero de filia, de uxore altero actum esse. Lex enim virginem, vel mulierem ab eo qui census esset, institui heredem vetabat, ut ex Cicerone in Prætura urbana retulimus. Quamobrem huc quoque pertinet, quod Quinctilianus lib. IX. institutionum scribit accidisse sibi, ut ream tueretur, quæ subjecisse dicebatur marito testamentum, & dicebatur chirographum marito expirante heredibus dedisse; *quod verum*, inquit, *erat*. Nam quia per leges institui uxor non poterat heres; id fuerat actum, ut ad eam bona per hoc tacitum fideicommissum pervenirent. Addit illud, quod in nostram quoque sententiam facere videtur, caput quidem quæri facile erat, si hoc diceremus palam, sed per se deperibat hereditas. *Ita ergo*, inquit, *fuit nobis agendum, ut judices illud intelligerent factum, delatores non possent apprehendere, ut dictum*. Quod ea de causa dictum est, quoniam delatores deferre solebant, quæ ad fiscum Principis pertinerent; in quibus erant, quæ tacito fideicommisso his qui capere non poterant, relinquebantur. Callistratus lib. I. de jure fisci (k): *Variæ causæ sunt*, inquit, *ex quibus nuntiatio ad fiscum fieri solet. Aut enim se quis quod tacite relictum est profitetur capere non pos-*

(c) *l.* qui fundum. *de ver. sign.* (d) *l.* mortis causa capitur. *p.* sine donatione. *de mor. cau. do. Ulpia. in fragmentis ti. 6.* (e) *l. ult. C. de donat.* (f) *l.* si quis solidum *de her. inst.* (g) *l.* si is qui. *de vulg.* (h) *l.* si servus ejus. *de adq. her.*

(i) *l.* cogi. *p.* hi qui. *ad S. C. Tr.bell.* (k) *l. 1. de jure. fisci.*

ſe , vel ab alio præventus defertur , vel quod mors ab heredibus non vindicatur , vel quod indignus quis heres nuntiatur . Paulus lib. VII. ad legem Juliam & Papiam (l) : *Divi fratres reſcripſerunt heredes eorum, quibus tacitum fideicommiſſum relictum eſt , ita demum ex beneficio Trajani deferre ſe poſſe , ſi is, cui datum fuerat, morte præventus eſſet.* & alii aliis locis.

II. Huc accedit, quod Paulus ait lib. IV. ſententiarum (m) : *Feminæ ad hereditates legitimas ultra conſanguineas* (n) *ſorores non admittuntur , idque jure civili, id eſt, Voconia rogatione videtur effectum*. Ceterum lex XII. Tab. nulla diſcretione ſexus cognatos admittit . Ex quibus verbis cognoſcimus ex hac lege manaſſe , quod Juſtinianus (o) non uno in loco queritur, poſt XII. Tabulas feminas exceptis filiabus & ſororibus conſanguineis eſſe novis legibus , quam mediam juris prudentiam appellat , legitima ſucceſſione excluſas . Quamvis hac quoque in parte Voconiæ legi derogatum eſt Juſtiniani conſtitutione, ante quem Prætores eis ſubvenerant data bonorum poſſeſſione , quæ *unde proximi cognati* appellatur. Quamobrem quod Gellius lib. XX. (p) ſcribit nihil utilius fuiſſe plebiſcito Voconio de coercendis mulierum hereditatibus , obliteratum tamen eſſe , opertumque civitatis opulentia : exiſtimo eum ad Prætorum edicta reſpexiſſe . Fieri tamen poteſt , ut jam tum tota lex in uſu eſſe deſierit . De qua Aurelius Auguſtinus lib. III. de civitate Dei (q) inter ſecundum & tertium Punicum bellum ſcribit Voconiam eſſe latam , ne quis heredem feminam faceret , ne unicam quidem filiam . *Qua lege quid* , inquit, *iniquius dici aut cogitari poſſit , ignoro* . Hæc itaque iniquitas effecit , ut lex abrogaretur vel moribus, vel ſcriptis legibus.

III. Aliud caput eſt , cujus ab Juſtiniano mentio fit lib. II. Inſtitutionum (r) . Nam cum lege XII. Tab. latiſſima poteſtas data eſſet vel totum patrimonium legatis erogare; & recuſarent heredes pro nullo aut minimo lucro hereditatem adire: lex Furia, & lex Voconia latæ ſunt , quarum altera , ut Theophilus ſcribit , certam quantitatem ſingula legata excedere prohibebatur ; altera plus uni legatario relinquere, quam quantum apud heredes maneret , non licebat . De Furia alio loco ſcripſimus ; Voconiæ eam fuiſſe ſanctionem Cicero locuples eſſe teſtis poteſt in eadem illa Prætura urbana . Nam cum reprehenderet, quod Verres ad antea facta teſtamenta edictum porrexiſſet his verbis , *Si quis feminam heredem ab A. Poſthumio Q. Fulvio Cenſoribus poſtve ea ferit , fecerit : nec petitionem , nec poſſeſſionem dabo . Quæ verba ad priorem partem Voconiæ legis pertinebant. Quod ſi plus*, inquit: *legarit, quam ad heredem , heredeſve perveniat ; quod per legem Voconiam ei qui cenſus non ſit, licet : cur hoc cum in eodem genere ſit , non caves* ? Ex quo apparet recte Theophilum Voconiam interpretatum fuiſſe , niſi quod de cenſo additur a Cicerone . Sed cum Falcidia lege plenius conſultum ſit heredibus ſcriptis; hac quoque in parte Voconia ceſſat .

(l) *l.* edicto. *p.* item divi. *eo.* (m) *Tit.* 3. (n) *al. ſucceſſiones.* (o) *l.* lege 12. Tab. *C. de leg. her. Inſtit. de leg. adgn. ſuc. p.* ceterum. (p) *cap.* 1. (q) *cap.* 21. (r) *Inſt. de lege Falc. in princ.*

LEGES XII. TABULARUM.

SEQUITUR ut de duodecim Tabulis videamus. Et quoniam hæc res nuper a doctis aliquot viris ſatis diligenter tractata eſt ; niſi ab eis multis de cauſis , neque , ut arbitror , contemnendis , longe diſſentirem ; ad eorum libros lectores allegarem . Sed quoniam ſimplicis veritatis ſtudioſus amatorque

A ſum ; verba legum noſtris temporibus afficta , aut ex Ciceronis legibus ſumpta repudiavi . Et duodecim Tabularum leges, quas nobis temporum injuria abſtulerat, quantum ex veterum monumentis colligere potuimus , qua in re horum quoque doctorum virorum libris adjuti ſumus ; eas , inquam , leges , aut earum ſententiam magna ex parte in hunc locum contulimus . Ciceronis vero leges XII. Tabularum non eſſe, minime dubitandum foret, niſi animadvertiſſem doctiſſimos viros id ſcriptis mandaſſe. Adverſus quos Ciceronem ipſum conſtituam . Cujus illud inſtitutum fuit, ut cum ſex libros de optiB mo genere Reip. ſcripſiſſet; & animadvertiſſet Platonem de Rep. & de legibus ſcripſiſſe, ad ejus imitationem eas leges conſcriberet , quibus optimus ille Reip. ſtatus uteretur. Leges autem veteribus verbis finxit , ut haberent ex ipſa verborum vetuſtate nonnihil majoris auctoritatis. Ita enim is libro II. ſcribit: *Et quoniam & locus & ſermo familiaris eſt, legum vocem proponam. Sunt enim certa legum verba, neque ita priſca , ut in veteribus his, Sacratiſque legibus, & tamen quo plus auctoritatis habeant, paulo antiquiora , quam hic ſermo eſt . eum morem igitur cum brevitate , ſi potero , conſequar*. Hoc eſt quod optimos illos viros decepit : item illud quod C poſt legem de religione latam ſcribit . Nam cum Atticus diceret non multum eam religionum conſtitutionem diſcrepare a legibus Numæ , & a Romanorum moribus ; tum Cicero , *An cenſes* , inquit, *cum in illis de Rep. libris perſuadere videatur Africanus omnium rerum publicarum noſtram illam veterem fuiſſe optimam ; non neceſſe eſſe optimæ Reip. leges dare conſentaneas ? Quæ cum ille probaſſet, Ergo ad ea, inquit, expectate leges, quæ genus illud optimum Reip. contineant. Et ſi quæ forte a me hodie rogabuntur , quæ non ſint in noſtra Rep. nec fuerint; tamen erant fere in more majorum, qui tum ut lex valebat*. Quibus verbis oſtendit Cicero ſe in D legibus ferendis ſecutum eſſe veteres leges omnes , quæ ab initio Urbis ad eam diem optimis Reip. temporibus eſſent conſtitutæ , item majorum morem , neque de Duodecim ſolis ſenſiſſe . Quod vel ex eo apparet, quod de funeribus & ſepulchris ipſe refert ſe ex illis legibus ſumpſiſſe, atque etiam de privilegiis libro tertio . Quid enim opus erat , unum atque alterum caput referre, ſi omnia eſſent ex illis legibus accepta ? Jam vero quæ de Prætore , Ædilibus curulibus, de auro atque argento ſignando , de annalibus legibus , & de pleriſque aliis rebus quæ poſt Duodecim fuerunt , addita ea a Cicerone fuiſſe nemo negaverit. Quamobrem non magis ea XII. E Tabularum eſſe credendum eſt, quam quæ Rivallius ingenii oſtentatione uſus effinxit. Cujus audaciæ Crinitus, ut opinor, occaſio fuit, quem ſecuti aliquando fuerunt Budæus & Alciatus noſter , atque alii non pauci, quorum omnium æmulari negligentiam mallem , quam aliorum obſcuram diligentiam , ut Terentius ait: niſi apertiſſimis, ut mihi videtur, teſtimoniis veritatem occultari deprehendiſſem. Quod ſi quis altera , aut utraque in re me falli cognoverit, aut etiam multo plura ex aliis libris addi poſſe animadverterit ; ea aut nobiſcum , aut cum omnibus qui his ſtudiis tenentur, communicet. Tantum F enim abeſt ut ſcripta noſtra , jure præſertim , reprehendi moleſte feramus, ut maximam a nobis gratiam inierit , qui nos aliqua in re doctiores effecerit. Sed ad XII. Tabulas veniamus, in quibus referendis Inſtitutionum Juſtiniani ordinem ſequar: vetereſque ſcriptores nominatim proferam , ut in ceteris ſoleo, qui earum faciant mentionem. Et quoniam de his legibus dicere aggredior , prætereundum non eſt præclarum M. Ciceronis teſtimonium, qui lib. I. de Oratore ita ſcribit : *Fremant omnes licet , dicam quod ſentio : bibliothecas mehercule omnium philoſophorum unus mihi videtur* XII. *Tab. li-*

bellus, si quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare. A Idem lib. II. de legibus pueros Romanos discere solitos ait Duodecim, ut carmen necessarium. Quæ verba ita quidam interpretantur, ut existiment Ciceronem significasse versibus duodecim Tabulas esse scriptas. quod ipse non probo. neque enim arbitror tantum otii Decemviris fuisse neque ita excoluisse veteres poesim, ut legum verbis numeros adderent. Namque ut idem Cicero in Bruto, & lib. I. Tusculanarum quæstionum scribit, CCCCX. anno post Romam conditam C. Claudio Cæci F. & M. Tuditano Coss. Livius Andronicus primus fabulam docuit. Gellius tamen, quem alii sequuntur, lib. XVII. (a) B centum annos illi numero addit: ex quo tempore constat versus in pretio fuisse; cum tamen has leges trecentesimo tertio anno scriptas esse tradatur. Huc accedit, quod Cicero lib. IV. Tusculanarum quæstionum ait. Nam cum cuperet demonstrare veteres vocum sonis & carminibus delectatos, legem fuisse in Duodecim refert, quia prohibebatur carmen fieri in alterius injuriam. Etenim si ipsa legum verba ita composita fuissent; satis erat legum carmen referre. Sed & ipsum carminis verbum non semper poetarum versus significat, ut apud Livium lib. I. *horrendis carminis lex*, & *Tarquinii cruciatus carmina* apud Ciceronem in Rabiriana, item formulæ jurisconsultorum, pro L. Muræna, atque alia id genus C apud Livium, & ceteros qui quæ conceptis verbis atque compositis dicuntur, ita appellasse videntur. De Decemviris vero qui fuerint, & quo pacto ceteris magistratibus se abdicantibus constituti sint, de legatis quoque in Græciam missis, de decem tabulis, quas illinc ex Solonis & Lycurgi legibus attulerunt, de duabus tabulis adjectis ab iisdem Decemviris, altero anno atque etiam tertio potestatem sibi ex Appii Claudii fraude usurpantibus, de ejusdem Appii libidine, quæ seditioni causam dedit, Verginia a patre cæsa, & de Decemviris sublatis, Pomponius lib. sing. enchiridii (b), Livius lib. III. & D Dionysius lib. X. & XI. pluribus verbis nota omnibus fecerunt. Nos itaque ipsarum legum sententiam referamus.

I. Et initio de legibus ita constitutum esse animadvertimus, ut quodcunque postremum Populus Rom. jussisset, id jus ratumque esset; ut Livius lib. VII. & IX. scribit: qua lege omnium legum jubendarum auctoritas populo data est. Hinc illa Justiniani (c) definitio manat, ut lex sit, quod populus Rom. constituebat, sive Senatorio magistratu, veluti Coss. interrogante, ut ille ait, sive etiam Tribuno plebis E post legem Hortensiam. Rogabatur autem plebs ac populus in eum modum, quem Cicero in oratione pro domo expressit: VELITIS JUBEATIS, UT M. TULLIO AQUA ET IGNIS INTERDICATUR. Ex quo rogatio dicebatur, cum ferretur; lata lex, jussio. Sed postea lege Regia potestate in Principem translata, is solus legislator justus habetur.

II Illud etiam in his legibus fuit, ut privilegia de capite civis Romani ne irrogarentur, nisi per maximum comitiatum. Nam cum Cicero lib. III. de legibus hanc legem protulisset, PRIVILEGIA NE INROGANTO. DE CAPITE CIVIS, NISI PER MAXIMUM COMITIATUM OLLOSQUE QUOS CENSORES IN PARTIBUS POPULI LOCASSINT, NE FERUNTO: *leges*, in- F quit, *præclarissimæ de XII. Tabulis translatæ duæ, quarum altera privilegia tollit, altera de capite civis rogari, nisi maximo comitiatu, vetat. Et nondum initis seditiosis Tribunis Pl. admirandum tantum majores in posterum providisse*. Quid autem privilegium sit, ita interpretatur: *In privatos homines leges ferri noluerunt. id est enim privilegium. quo quid est injustius? cum legis hæc vis sit, scitum esse & jussum in omnes*. De altera lege ita scribit: *Ferri de singulis nisi Centuriatis comitiis noluerunt. Descriptus etenim populus censu, ordinibus, ætatibus plus adhibet ad suffragium auxilii, quam fuse in tribus convocatus*. Hæc ille, ut ex mendoso libro elicere potuimus. Sed de privilegiis Atejus Capito apud Gellium lib. X. (d) scribit: Legem esse generale jussum populi, aut plebis, rogante magistratu; quamobrem privilegia appellanda sunt, quæ de singulis civibus ferebantur, ut de Cn. Pompeii imperio, quæ lex Manilia dicitur; item de Ciceronis exilio, ac reditu. Priva autem veteres singula dicebant. Quo pacto Isidori definitio (e) lib. V. etymologiarum accipienda est. De comitiis vero idem Gellius lib. XV. (f) ex lib. I. Lælii Felicis ad Q. Mucium ait, eum qui universum populum congregat, comitium habere; qui vero partem populi, consilium edicere. Calata comitia pro collegio Pontificum habebantur, aut Regis sacrorum, aut Flaminum inaugurandorum causa, item sacrorun detestandorum gratia, aut testamentorum faciendorum: quod Justinianus lib. II. Institut. (g) probat. Hæc comitia aut Curiata aut Centuriata erant. Curiata per lictorem curiatim calabantur, hoc est, vocabantur, ex omnium generibus latis suffragiis; quod Cicero fuse in Tribus populo convocato appellat. Centuriata per cornicinem convocabantur, atque tunc ex censu & ætate suffragium ferebant; quod ex Cicerone retulimus. Erant etiam Tributa comitia cum ex regionibus & locis ferebatur suffragium. Centuriata autem, quæ maxima a Cicerone appellantur, intra pomeria Urbis non habebantur, sed in Campo Martio. Illud quoque ad hujus loci interpretationem pertinet, ut de Tribuum, Curiarum, Centuriarum, & Census significatione dicamus. Et Dionysius lib. II. antiquitatum scribit Romulum in tres partes populum divisisse, quas ea de causa Tribus appellavit, & eis præfectos Tribunos, quod Pomponius (h) quoque significat, licet postea Tribus XXXV. fuerint, Tribni X. Harum trium partium partes denas Curias appellavit, eisque præfectos Curiones. Hoc est quod idem Pomponius (i) scribit Romulum in triginta partes populum divisisse, quas Curias appellavit, propterea quod tunc Reip. curam per sententias partium earum expediebat: & ita leges quasdam Curiatas ad populum tulisse. Has Curias nominibus raptarum Sabinarum appellasse Livius ait. Addit Dionysius Curias in Decurias esse divisas, quibus præfecti Decuriones dicebantur: quod nomen ad Senatores coloniarum & municipiorum manasse animadverti (k). Livius vero lib. I. tantum scribit Centurias tres equitum a Romulo esse conscriptas, Ramnensium, Tatiensium, & Lucerum: quas Priscus Tarquinius numero equitum auxit, ut mille & trecenti equites essent: eas sex centurias, quia geminatæ erant, appellarunt. Servius vero Tullius ex primoribus civitatis XII. equitum Centurias fecit, quas ad sex illas priores adjecisse existimo. Pedites vero in quinque classes militiæ & comitiorum causa divisit ex censu cujusque. Is enim primus censum in hunc modum instituit. ut qui centum millibus æris, aut eo amplius censerentur, primæ classis essent, quæ LXXX. Centuriis constabat, quarum XL. seniorum, totidem juniorum fuerunt. Secunda classis LXXV. millibus censorum erat, in qua seniorum atque juniorum conscriptæ Centuriæ XX. Tertia quinquaginta millium æris, totidem Centuriarum, quot classis secunda. Quarta XXV. millium, XX. quoque Centuriarum. Quinta classis Centuriarum triginta, quæ XI. millibus censebatur. Una quoque Centuria adjecta est eorum qui immunes militia essent, quos Gellius libro XVI.

(a) *cap. ult.* (b) *l. 2 p.* exactis 1. & *p.* & cum placuisset. (c) *Inst. de jur. nat. p.* lex.

(d) *Cap.* XX. (e) *c.* privilegia. *dist.* 3. (f) *Cap.* 27. (g) *Inst. de testam. in princ.* (h) *l. 2. p.* iisdem temporibus. *de orig. jur.* (i) *d. l. 2. in princ.* (k) *l.* pupillus *p.* decuriones. *de verb. sign.*

(l) ait proletarios & capite censos appellatos. Proletarii mille & D. assibus censebantur, capite censi CCCLXXV. Idem pæne quod Livius, Dionysius lib. IV. scribit, nisi quod æstimationem pecuniarum ad Græcorum consuetudinem convertit. Addit illud, quod prætereundum non est, seniores appellari qui supra XLV. annum essent, reliquos juniores: item his Centuriis præfectos Centuriones appellatos, quorum usus in militia erat. Gellius tamen lib. X. (m) refert Tuberonem scripsisse in hoc censu juniores appellari annis XVII. majores, sed minores XLVI. Equitum census quadringentorum sestertiorum fuit: quod nescio a Servio ne Tullio initium ceperit, an a Tiberio Cæsare, ut Plinius lib. XXXIII. significare videtur. Senatorum censum Suetonius ait DCCC. millium fuisse, sed ab Augusto ad duodecies sestertium auctum: qua de re docte, ut semper, Budæus in libris de asse, & in annotationibus scribit. Ex cujus libris, & ex his quæ antea retulimus, ita interpretabimur Ciceronis verba: ut in Duodecim cautum fuisse dicamus, non licere de capite civis, nisi centuriatis comitiis rogari: hoc est, totius populi Romani conventu, singulis in suis Centuriis, quæ censu, ætate, atque ordine separatæ erant, suffragium ferentibus, non vero Curiatis comitiis, in quibus non ita separati cives censu atque ætate erant; sed ut ex Dionysio retulimus, omnibus in Curiis, quæ Tribuum portio erant, confuse suffragium ferentibus. Illud negligendum non est, quod apud Sex. Pompejum exstat, Centuriam esse a Ser. Tullio Rege constitutam, in qua liceret ei suffragium ferre, qui non tulisset in sua. eaque NIQUI SCIVIT (n) appellabatur, quam nisi quis scivit. Scisco enim significat sententiam dicito, ac suffragium ferro, unde plebiscita. In ea tamen neque censebatur quisquam, neque Centuriæ præficiebatur: De hac eadem XII. Tabul. lege idem Cicero scribit pro domo sua: *Vetant*, inquit, *leges Sacratæ*, *vetant XII. Tab. leges privatis hominibus irrogari. id est enim privilegium*. & in Sextiana: *Cur, cum de capite civis (non disputo cujusmodi civis) & de bonis proscriptio ferretur, cum & Sacratis legibus & XII. Tab. sancitum esset, ut neque privilegium irrogari liceret, neque de capite, nisi Comitiis Centuriatis rogari, nulla vox est audita Consulum*. Ad hanc legem Porcia quoque pertinere videtur, de qua alio loco scripsimus.

III. De vindiciis nunc agendum est, quas secundum libertatem dari, cum controversia esset, in XII. Tabulis scriptum erat. De quibus Pomponius (o) ita scribit: *Initium fuisse secessionis dicitur Verginius quidam, qui cum animadvertisset Appium Claudium contra jus, quod ipse ex vetere jure in XII. Tabulas transtulerat, vindicias filiæ suæ a se abdixisse, & secundum eum, qui in servitutem ab eo suppositus petierat, dixisse: indignatus quod vetustissima juris observantia in persona filiæ suæ defecisset, utpote cum Brutus, qui primus Romæ Consul fuit, vindicias secundum libertatem dixisset in persona Vindicis, Vitelliorum servi, qui proditionis conjurationem indicio suo detexerat, castitatem filiæ vitæ quoque ejus præferendam putavit*. Quæ verba ex Livio lib. III. & Dionysio lib. XI. eam interpretationem recipiunt, ut Appius noluerit vindicias secundum libertatem dare; ut in Duodecim pollicitus fuerat se daturum, dum lis esset: quin potius eas secundum servitutem dedit, & a patre vindicias abdixit, & secundum eum qui ab ipso Decemviro fuerat suppositus, ut virgine potiretur, jus dixit. legemque ajebat ita accipiendam esse, ut in his personis locum haberet, quæ in alterius manu non essent. Vindiciæ autem a Vindice illo, vel ut Livius libro II. ait, a Vindicio Vitelliorum servo dictæ, ut opinor, sunt. Is a Livio primus vindicta liberatus esse dicitur, fuisseque ait qui dicerent vindictæ nomen ab illo tractum: post illum observatum esse, ut qui ita liberarentur, in civitatem accepti esse viderentur. Hinc etiam vindicandi quoque nomen tractum reor, sive quis aliquam rem asserat suam esse, sive injurias suas persequatur, atque ulciscatur. Vindiciæ autem dari dicebantur, cum fas esse rem vindicare dicebatur; etsi id ad præjudicium, & quasi momentum quoddam pertineret.

IV. His consequens est, quod de assiduo vindice, & proletario Cicero in Topicis, & Gellius lib. XVI. (p) scribunt. Duodecim Tabularum verba sunt: ASSIDUO VINDEX ASSIDUUS ESTO. PROLETARIO CIVI QUIVIS VOLET VINDEX ESTO. Quæ nos ita interpretamur, ut is qui in servitutem peteretur, si assiduus, hoc est, locuples esset, locupletem adsertorem daret: pauper vero, quem proletarium lex appellavit, vel pauperem dare posset. *Cum lex assiduo*, inquit Cicero, *vindicem assiduum esse jubeat, locupletem jubet locupleti. Locuples enim assiduus, ut ait Ælius, appellatus est ab ære dando*. Sex. Pompejus assiduum eum esse appellatum ait, qui suis sumptibus militaret, ab asse dando. Proletarii cum tenuissimi census essent, qua de causa militia vacabant, si quando difficillimis Reip. temporibus armabantur, ut bello Tarentino apud Eutropium lib. II. rerum Romanarum; arma his sumptu publico præbebantur. Initio autem Urbis constat milites suis sumptibus militasse. namque CCCL. fere post R. C. anno stipendium milites de publico acceperunt, ut Livius lib. IV. scribit: id autem erat in singulos dies asses deni, quæ veteris denarii æstimatio erat, ut Cornelius Tacitus lib. I. auctor est. Itaque assidui dicebantur illi omnes, qui in quinque classibus censebantur; proletarii, qui prolis gignendæ causa, ut Eutropius ait, domi manebant; item capite censi proletariis pauperiores. Verba autem hujus legis illam etiam interpretationem recipiunt, ut locuples locupletem cognitorem vel procuratorem faciat, pauper civis quemcunque. quod Boethius existimat. *Locuples autem est*, ut Cajus lib. II. ad legem XII. Tabularum (q) scribit, *qui satis idonee habet pro magnitudine rei, quam actor restituendam esse petit*.

V. Ad servos quoque pertinet aliud caput XII. Tabularum, de quo Modestinus lib. IX. differentiarum (r) ita scribit: *Statu liberos venundari posse leges XII. Tabularum putaverunt. Duris autem conditionibus in venditione minime onerandi sunt. Statuliber* autem *est*, ut Paulus lib. V. ad Sabinum (s) definit, *qui statutam & destinatam in tempus vel conditionem libertatem habet*. Lex autem XII. Tabularum emptionis verbo omnem alienationem complexa videtur, neque interest quo genere quisque dominus ejus fiat, ut Aristo apud Pomponium lib. XVIII. (t) scripsit. Quæ verba ita mihi interpretanda esse videntur, ut credendum sit in XII. esse adjectum, ut qui statu liberum emerit, conditione impleta, aut tempore, servo libertatem præstet. Quamobrem recte Mucius respondit, posse heredi solvi, secundum quem sententia dicta esset, etsi contraria sententia teneretur. Hic enim licet servum non emisset, tamen erat ex sententia dominus judicatus. Quæ res non est sine difficultate.

VI. Nunc ad patriam potestatem veniamus, ut de his qui alieno juri subjecti sunt, tractatum perfecte sit. Et Dionysius lib. II. originum scribit, Decemviros in quarta tabula hanc legem scripsisse, ut parentibus in filios plena potestas vendendi. vinciendi, verberandi, occidendi esset. Eamque legem a Romulo latam esse censet, propterea quod in Numæ Pompilii legibus scriptum sit, ut si pater filio uxorem ducere permiserit, quæ ei sacrorum, & pe-

(l) *cap.* 10. (m) *cap.* 28. (n) *Ver.* Ni qui scivit. (o) *l.* 2. *p.* initium. *de orig. jur.*

(p) *Cap.* X. (q) *l* quos nos *de verb. sign.* (r) *l.* statu liberos. *de statu lib.* (s) *l.* 1. *eod.* (t) *L.* statu lib. *eod.*

cunia

cuniarum ſocia ex legibus fieret, non amplius filium vendendi jus haberet. Quamobrem exiſtimat Dionyſius ante Numam latam eſſe legem de patria poteſtate, quippe quæ ea lege coerceatur. De venditione autem ita latum eſſe ſcribit, ut patri liceret iterum ac tertio filii venditione pecuniam quærere. Namque ſi is ſemel aut iterum venditus eſſet, & emptor eum manumiſiſſet, in patris poteſtatem revertebatur. Poſt tertiam patris venditionem, & manumiſſionem emptoris, ſui juris efficiebatur. Hæc eſt illa antiqua legis obſervatio, quæ, ut Juſtinianus ait (v), per imaginarias venditiones, & intercedentes manumiſſiones celebrabatur. Nam, ut Cajus & Theophilus ſcribunt, ſi quis filium emancipare vellet, eum coram quinque civibus Romanis, vel potius ſeptem (namque duo pro libripende & anteſtato, de quibus poſtea dicemus, adhibebantur) per æs & libram fiduciario patri ter vendebat, emptor vero eum bis manumittebat: nam poſt tertiam venditionem, iterum fiduciarius patri naturali mancipabat, iſque vindicta apud Prætorem manumittebat, ut legitimam ſucceſſionem retineret. Id autem eſt, quod contracta fiducia manumitti dicitur apud Juſtinianum lib. III. Inſtitutionum (x). Nam ſi id non obſervaſſet pater, extraneus ille manumiſſor ut patronus ab inteſtato ſuccedebat: adverſus quem Prætores decem perſonis bonorum poſſeſſionem dabant, patri, matri, avo, aviæ tam paternis, quam maternis, filio, filiæ, nepoti, nepti tam ex filio, quam ex filia, fratri & ſorori conſanguineis & uterinis. Sed ex Juſtiniani conſtitutione (y) neque venditionibus neque manumiſſionibus opus eſt, neque contumeliis atque alapis, quæ poſtea venditionibus ſucceſſerant, & rhapiſmata a Juſtiniano (z) appellantur: ſed aut ex Principis reſcripto liberos emancipare licet, aut adito judice apud eum de manu ſua liberos dimittere. Quo pacto ſucceſſionem quoque retinebant, nullius fiduciæ mentione facta. Sed hæc poſterius inventa ſunt. Apud veteres quod Dionyſius ait ex lege XII. Tab. obtinebat, præter id quod de tribus emancipationibus dicitur. Non enim in feminis, neque in nepotibus tribus venditionibus opus erat, ſed, ut Theophilus & Cajus ſcribunt, unica venditione ac manumiſſione de patris vel avi poteſtate exibant. Singulæ autem filiorum emancipationes, vel iiſdem vel aliis teſtibus præſentibus fieri poſſunt, vel eodem die, vel intermiſſo tempore; item feriato die emancipatio hæc fieri poteſt, ut Paulus lib. II. ſententiarum ſcribit. In adoptionibus quoque eorum qui in parentum poteſtate eſſent, eadem obſervabantur. Ita enim Juſtinianus lib. VIII. Conſtitutionum (a) ſcripſit: *Veteres circuitus in adoptionibus quæ per tres emancipationes & duas manumiſſiones in filiis, aut per unam emancipationem in ceteris liberis fieri ſolebant, tollentes, cenſemus licere parenti ſine veteri obſervatione actis intervenientibus id facere.* Ea vero adoptio, quæ eorum qui ſui juris erant, olim lege lata apud populum, poſtea apud Principem fiebat, adrogatio dicebatur, propterea quod & is qui adoptabat, rogabatur, an vellet eum, quem adoptaturus eſſet, juſtum ſibi filium eſſe; & is qui adoptabatur, rogabatur, an id fieri pateretur: ut Cajus lib. I. Inſtit. (b) ſcribit. Exſtat rogationis formula, quæ ad hanc legem, qua de agimus, pertinet, apud Ciceronem pro domo ſua: *Credo enim*, inquit, *quamquam in illa adoptione legitime factum eſt nihil, tamen te eſſe interrogatum, auctor ne eſſes, ut in te P. Fontejus vitæ neciſque poteſtatem haberet, ut in filio.* Populi autem rogationem Gellius lib. V. (c) refert. Ex quibus omnibus, & ex his quæ antea ex Dionyſio retulimus, Pauli verba intelligantur, qui lib. II. ad Sabinum (d) ait, liberos, licet non ſint heredes inſtituti, dominos tamen eſſe; nec obeſſe, quod liceret eos exheredare. nam occidere etiam eos licebat. Sed cum domini quoque in ſervos vitæ neciſque poteſtatem habuerint; ex conſtitutione tamen D. Antonini (e) qui ſine cauſa ſervum occiderit ſuum, non minus puniri jubetur, quam ſi alienum occiderit, ut Cajus & Juſtinianus ſcripſerunt: in filios ſævire multo minus licet. Imp. tamen Conſtantini lege permiſſum eſt, ut propter nimiam paupertatem & egeſtatem filium filiamve victus cauſa parens vendere poſſit. Licet autem ei qui vendidit, aut ei qui venditus eſt, aut alii cuilibet ad ingenuitatem eum revocare, pretio ſervi reddito emptori, aut alio mancipio ejuſdem æſtimationis. Quamobrem mirandum eſt eundem Imp. ſcripſiſſe, patribus, quibus jus vitæ in liberos, neciſque poteſtas permiſſa eſt, eripere libertatem non licere, ut in Theodoſii & Juſtiniani conſtitutionibus (f) reperitur: niſi velimus conjunctis hiſce capitibus reſpondere nihil horum eſſe ſine maxima cauſa permiſſum. Hoc autem jus poteſtatis paternæ, ut Juſtinianus (g) exiſtimat, proprium eſt civium Romanorum. *Neque enim*, inquit, *alii ſunt homines, qui talem in liberos poteſtatem habeant, qualem nos habemus. In poteſtate autem noſtra ſunt liberi, quos ex juſtis nuptiis procreavimus, item quos filii noſtri, qui ſub noſtra poteſtate ſunt, procreaverint, non etiam filiæ. Nepotes enim ex filia in generi noſtri poteſtate ſunt, ſi is ſui juris ſit.* Patria autem poteſtas utilis eſt ad bonorum adquiſitionem: qua de re noſtri (h) pluribus verbis ſcripſerunt.

VII. De nuptiis vero tantum reperio, quod in Canuleja lege dixi, in duabus illis tabulis, quas Decemviri adjecerunt, legem poſuiſſe eos Dionyſ. lib. X. ſcripſit; ut matrimonia inter patricios & plebejos non eſſent: quæ lex intra decennium abrogata eſt C. Canulejo Trib. Pleb. auctore, ut Livius lib. IV. ſcribit. qui ea de cauſa ait connubia fuiſſe prohibita; item majores magiſtratus, quoniam nemo plebejus auſpicia habebat. Ad hunc locum pertinere arbitror, quod Cajus lib. VI. ad legem XII. Tab. (i) ſcribit, *Plebs eſt ceteri cives ſine Senatoribus.*

VIII. Divortia in eiſdem tabulis permiſſa fuiſſe crediderim aliqua de cauſa. Ita enim Cicero Philipp. II. ſcribit: *Nolite credere, frugi factus eſt Antonius: mimam illam ſuam ſuas res ſibi habere juſſit ex XII. Tab. claves ademit, exegit.* Et ut Cajus lib. XI. ad edictum provinciale (k) ait: *In repudiis & renuntiatione comprobata ſunt hæc verba:* TUAS RES TIBI HABETO. *item hæc*: TUAS RES TIBI AGITO. In ſponſaliorum renuntiatione, CONDITIONE TUA NON UTOR. Idem Cajus lib. III. ad L. XII. Tab. (l) ſcripſit: *Si ex lege repudium miſſum non ſit, & idcirco mulier adhuc nupta eſſe videatur, tamen ſi quis eam uxorem duxerit, adulter non erit.* Quod tamen ad legem Juliam de adulteriis referri poteſt. Sed etſi divortia eſſent in XII. permiſſa, intra DXX. annos nullum Romæ divortium factum eſſe Dionyſius lib. II. Gellius lib. XVII. (m) ſcripſerunt. Primuſque omnium Sp. Servilius, vel, ut aliis placet, Carvilius Ruga, M. Pomponio & C. Papirio, vel, ut Gellius lib. IV. (n) ait, M. Atilio & P. Valerio Coſſ. divortium feciſſe dicitur ob uxoris ſterilitatem, quod juraſſet apud Cenſores liberorum gratia ſe uxorem ducturum. Quæ etſi honeſta cauſa eſt, tamen ob exemplum invidia apud P. R. non caruit. De trinoctio vero uſurpandi cauſa in uſucapionibus dicetur.

(v) *Inſtit. quibus mo. jus. p. p. ſol. p.* præterea. (x) *Inſtit. de leg. adgn. ſucc. p. ult. & de bo. poſ. p.* quæ autem. (y) *l. ult. C. de emanc. liber.* (z) *d. l. ult. & Nov. 81.* (a) *l. ult. C. de adopt.* (b) *l. 2. de adopt.* (c) *cap. 19.*

(d) *l.* in ſuis. *de lib. & poſtu.* (e) *l.* ſi filius. *C. de patr. pot. l. 1. de his qui ſui. & Inſt. e. p.* ſed hoc tempore. *l. ul. C. de pat. qui liberos diſtr.* (f) *l. ultim C. de pat. pot. l. 2. de lib. cav. in C. Th.* (g) *Inſt. de patr pot.* (h) *l. ul. C. de bo. quæ lib. Inſt. per qu. per. p. 1.* (i) *l.* plebs. *de ver. ſig.* (k) *l. 2. de divor.* (l) *l.* ſi ex lege. *ad l. Jul. de adult.* (m) *c. ult.* (n) *c. 3.*

IX. De tutelis multa exſtant earum legum teſtimonia. Et initio Cajus lib.xii. ad edictum provinciale (o) ſcribit; *Lege* xii. *Tab. permiſſum eſt parentibus liberis ſuis ſive maſculini, ſive feminini ſexus, ſi modo in poteſtate ſint, tutores teſtamento dare.* Id autem aperte exiſtimo conſtitutum, quamvis Pomponius lib.v. ad Q. Mucium (p) ſcribat: *Verbis legis* xii. *Tab. his*, UTI LEGASSET SUÆ REI, ITA JUS ESTO, *latiſſima poteſtas tributa videtur & heredis inſtituendi, & legata & libertates dandi, tutelas quoque conſtituendi.* Tutela igitur teſtamentaria ex hoc jure deſcendit.

X. De legitima vero Ulpianus lib.xiv. ad Sabinum (q) ita ſcribit: *Legitimæ tutelæ lege* xii. *Tab adgnatis delatæ ſunt, & conſanguineis, item patronis, id eſt his, qui ad legitimam hæreditatem admitti poſſint.* De hac tamen quæ patronis defertur, lib.xxxviii. ſcribit (r) eam nominatim delatam non fuiſſe, ſed per conſequentias hereditatium, quæ ex ipſa lege patronis datæ ſunt. Idem Juſtinianus ſcribit lib.i. Inſtitutionum (s). Ad hanc legem pertinere arbitror quod Paulus lib. LIX. ad edictum * ſcribit: *Cum dicitur apud veteres* ADGNATORUM GENTILIUMQ. *pro ſeparatione accipitur: at cum dicitur*, SUPER PECUNIÆ TUTELÆVE SUÆ, *tutor ſeparatim ſine pecunia dari non poteſt.* Illud ſine dubio hujus legis eſt, quod Juſtinianus refert, ab inteſtato vocatos eſſe ad tutelam adgnatos. Quod ita interpretatur, non ut omnino is teſtamentum non fecerit, ſed ſi quantum ad tutelas pertinet, inteſtatus deceſſerit. Sunt autem adgnati, qui per virilis ſexus perſonas cognatione juncti ſunt, veluti frater ex eodem patre natus, fratris filius, nepoſve ex eo, item patruus, & patrui filius, qui frater patruelis dicitur, & nepos ex eo; ut Cajus lib.i. Inſtitut. (t) ſcripſit. Quamobrem recte Diocletianus & Maximianus reſcripſerunt ad avunculos tutelas ex lege xii. Tab. non deferri, ſed ad patruos, niſi ſe excuſaverint.

XI. De curatoribus vero ita Juſtinianus (u) ſcribit: *Furioſi quoque & prodigi licet majores* xxv. *annis ſint, tamen in curatione ſunt adgnatorum ex lege* xii. *Tab.* Ulpianus quoque lib. i. ad Sabinum (v) ſcribit lege xii. Tab. prodigo interdici bonorum ſuorum adminiſtrationem. Et Cajus lib.iii. ad edictum provinciale (x) ait: *Sæpe ad alium e lege* xii. *Tab. curatio furioſi, aut prodigi pertinet, alii Prætor adminiſtrationem dat:* ſcilicet cum ille legitimus inhabilis ad eam rem videatur. Hujus autem legis illa fortaſſe verba ſunt, quæ Cicero lib. ii. de Inventione refert: SI FURIOSUS EST, ADGNATORUM GENTILIUMQ. IN EO PECUNIAQUE EJUS POTESTAS ESTO. Quæ etiam verba lib. i. ad Herennium reperiuntur, niſi quod illic, SI FURIOSUS EXISTET, ſcriptum eſt. Supra quoque Pauli (y) verba retulimus, quæ adgnatorum gentiliumque mentionem facerent. Addit Juſtinianus (z) poſtea Prætores, vel Præfectum urbi Romæ, Præſides in provinciis ſolitos eſſe ex inquiſitione curatores illis perſonis dare.

XII. Sciendum etiam eſt, quod (a) Ulpianus lib.xxxv. ad edictum, & Juſtinianus lib.i. Inſtitut. ſcribunt, ſuſpecti tutoris crimen e lege xii. Tabularum deſcendere. Suſpecti autem tutores removebantur, ut opinor, ex hac lege. Dolus vero malus eorum hac lege plectebatur: namque, ut Juſtinianus ſcribit, ſuſpectus remotus, ſi quidem ob dolum, famoſus eſt; ſi ob culpam, non æque. Hoc eſt quod

A Cicero lib. iii. Officiorum ait, de doli mali Aquiliana definitione ſcribens: *Iſte dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela* xii. *Tabulis, & circumſcriptio adoleſcentium lege Lætoria.* Hæc ad librum i. Inſtitutionum Juſtiniani pertinere animadvertimus.

XIII. Initio autem ſecundi libri Juſtinianus (b) refert lege xii. Tabularum cautum eſſe, ne quis tignum alienum ædibus ſuis junctum eximere cogatur, ſed duplum pro eo præſtet per actionem, quæ vocatur de tigno juncto, ne ædificia reſcindi neceſſe ſit. Qui locus, ut pleraque alia, ſumptus eſt ex B lib.ii. Caii rerum cottidianarum, ſive aureorum (c). Ulpianus quoque lib.xxxvii. ad edictum * ſcribit: *Lex* xii. *Tabul. neque ſolvere permittit tignum furtivum ædibus vel vineis junctum, neque vindicare: ne vel ædificia ſub hoc prætextu diruantur, vel vinearum cultura turbetur. Sed in eum qui convictus eſt junxiſſe, in duplum dat actionem:* quod Paulus quoque lib.xiv. ad Sabinum † ait. Quod quidem verum eſt, niſi voluntate domini res ejus in alienum ædificium conjuncta ſit: neque enim in duplum actio datur, ſed diſſoluto ædificio rei illius vindicatio. *Non enim credendum eſt* (inquit Neratius *) *de his Decemviros ſenſiſſe.* Tigni autem appellatio- C ne contineri Ulpianus (d) ait omnem materiam, ex qua ædificium conſtet, vineæque neceſſaria. *Unde quidam*, inquit, *ajunt, tegulam quoque & lapidem & teſtam, ceteraque ſi qua ædificiis ſunt utilia (tigna enim a tegendo dicta ſunt) hoc amplius & calcem & harenam tignorum appellatione contineri. Sed & in vincis omnia vineis neceſſaria, ut puta perticæ, & pedamenta.* Et Cajus libro xxvi. ad edictum provinciale (e) ſcribit, tigni appellatione in Duodecim omne genus materiæ ſignificari. Hanc legem, ut opinor, Cajus interpretabatur, cum libro iii. ad legem xii. Tabul. (f) ſcripſit: *Fabros tignarios dicimus non eos dumtaxat qui tigna dolarent,* D *ſed omnes qui ædificarent.* Ita enim arbitror Cajum ſcripſiſſe, non *ligna*. Nam video in Etruſco libro *digna* ſcriptum fuiſſe facili librarii errore. Sex. quoque Pompejus ſcribit hæc in xii. verba fuiſſe: TIGNUM JUNCTUM ÆDIBUS, VINEAVE ET CONCAPU * NE SOLVITO.

XIV. De ſervitutibus illud tantum reperio, quod Cajus ſcribit lib. vii. ad edictum provinciale (g): *Viæ latitudo ex lege* xii. *Tabularum in porrectum octo pedes habet; in amfractum, id eſt, ubi flexum eſt, ſedecim.* Cujus legis a Varrone (h) quoque mentio fit. Iter eſt, ut Ulpianus & Juſtinianus libro ſecundo Inſtitutionum (i) ſcribunt, jus eundi E ambulandi hominis, non etiam jumentum agendi. unde etiam nomen eſt; illac enim itur. Actus eſt jus agendi vel jumentum vel vehiculum, unde etiam nomen habet. Via eſt jus eundi, agendi, & ambulandi, a vehendo, ut Varro (k) ait; qui iter a terendo deducit, quod ſyllabarum quantitate propius accedit. Itaque qui viam habet; & iter, & actum habere dicitur: quod is quoque qui actum habet, habere videtur: niſi quod is qui viam habet, lapides trahere, & tigna poteſt, & quod Paulus libro xxi. ad edictum (l) notat, haſtam rectam ferre poteſt, modo ne fructus lædat. At qui actum habet, F nihil horum facere poteſt, quia neque eundi, neque agendi gratia fiant. Ad hæc omnia lex xii. Tabularum octo pedes latitudinis viæ dedit, quæ in porrectum duceretur, in nullam partem flectens. Quod ſi ita flecteretur, ut vehicula circumflecti oportet, quod amfractum appellat, latitudinem duplicavit.

(o) *l.* 1. *in de teſt.* (p) *l.* verbis legis *de verb. ſign.* (q) *l.* 1. *de legi. tu.* (r) *l.* 3. *eo.* (s) *Inſt. de legi. adgn tute. in pri. & de legit. patro.* * *tut l.* ſæpe *in pr. de verb. ſign. Inſt. de leg. adgn. tut. p.* quod autem. (t) *l.* ſunt autem. *de legi. tuto. l.* 1. *C. eo* (u) *Inſt. de cura. p.* furioſi. (v) *l.* 1. *de cura. fur.* (x) *l.* ſæpe. *eo.* (y) *d. l.* ſæpe. *de verb. ſigni.* (z) *Inſtit. de cura. p.* furioſi. (a) *l.* 1. *de ſuſp tu Inſt. eo. in p & p.* ſuſpectus autem. *eo*

(b) *Inſt. de rer. divi p.* cum in ſuo. (c) *l.* adeo. *p.* cum in ſuo. *de adquir. rer. do.* * *l.* 1. *de tigno jun.* † *l.* gemma. *ad exhib.* * *l.* de eo. *de donat. int. vir. & uxor.* (d) *d. l.* 1. (e) *l.* tigni. *de verbor. ſigni.* (f) *l.* ferri. *de verbor. ſig.* (g) *l.* viæ. *de ſerv. præd. ruſt.* (h) *lib.* 6. *de ling. Lat.* (i) *l.* 1. *de ſer. ruſtic. præd. Inſtit. de ſerv. in prin.* (k) *lib.* 4. *de ling. Lat.* (l) *l.* qui ſella *eo.*

Paulus tamen lib.XV. ad Sabinum (m) ſcribit poſſe viam conſtitui octo pedibus latiorem, item anguſtiorem, ſi tamen eam latitudinem habeat, qua vehiculum ire poſſit. Ad eandem legem fortaſſe pertinet, quod Cicero pro A. Cecinna ait: *Si via ſit immunita, jubet lex, qua velit, agere jumentum*. Viarum autem, ut Ulpianus libro LXVIII. ad edictum (n) ſcribit, quædam publicæ ſunt, quædam privatæ, quædam vicinales. Publicas vias dicimus, quas Græci βασιλικὰς, noſtri Prætorias, alii Conſulares appellant. Privatæ ſunt, quas agrarias quidam dicunt. Vicinales ſunt viæ, quæ in vicis ſunt, vel in vicos ducunt: quæ publicæ, ſi non ex collatione privatorum conſtitutæ ſint. Privatæ viæ dupliciter accipi poſſunt; vel hæ quæ ſunt in agris, quibus impoſita eſt ſervitus, ut ad agrum alterius ducant; vel hæ quæ ad agros ducunt, per quas omnibus commeare licet, in quas exitur de via Conſulari: quas publicas eſſe Ulpianus exiſtimat. Idem ſcribit lib.XXXIII. ad Sabinum (o), inter vicinales vias, quæ ex agris privatorum collatis factæ ſunt, quarum memoria non exſtat, & ceteras vias militares (ita enim Conſulares appellat) hoc intereſſe, quod viæ militares exitum ad mare, aut in urbem, aut in flumina publica, aut ad aliam viam militarem habent; vicinales aut in militares vias exitum habent, aut ſine ullo exitu intermoriuntur. Militaris via & regia Theophilo appellatur, quæ publica ab Juſtiniano (p) dicitur lib.IV. Inſtitut. de lege Aquilia; Vicinalis autem, quæ in vicos ducit, quas κώμας Græce appellat. Juſtiniani verba ſunt hæc, quæ ex ſuprascriptis optime intelligentur: *Item ſi putator ex arbore dejecto ramo ſervum tuum tranſeuntem occiderit: ſi prope viam publicam aut vicinalem id factum eſt, neque proclamavit, ut caſus evitari poſſet, culpæ reus eſt*. Viæ regiæ mentio fit apud Innocentium Pontificem Maximum (q). Sed de his ſatis ſuperque dictum eſt.

XV. Ad uſucapionem veniamus. Et Juſtinianus ſcribit (r): *Furtivæ quoque res, & quæ vi poſſeſſæ ſunt, nec ſi longo tempore bona fide poſſeſſæ fuerint, uſucapi poſſunt. Nam furtivarum rerum lex* XII. *Tab. & lex Atinia* (ita enim ſcribendum eſt, non *Atilia*) *inhibent uſucapionem, vi poſſeſſarum lex Julia & Plautia*. Idem Julianus ſcribit lib.XLIV. Digeſtorum (s). Diximus in Atinia lege ejus legis verba a Gellio (t) relata eſſe: QUOD SUBREPTUM ERIT, EJUS REI ÆTERNA AUCTORITAS ESTO. Quæ verba arbitramur ex hac lege ſumpta eſſe. Nam ut Macrobius lib.III. Saturnaliorum ſcribit, accidit nonnunquam, ut exoleſcente metu legis antiquioris, authoritas novæ legis quæratur, *ut in ipſis*, inquit, XII. *Tab. factum eſt, quarum ubi contemni antiquitas cœpit, eadem illa quæ illis legibus cavebantur, in alia latorum nomina tranſierunt*. Quamobrem Livius de eiſdem lib.III. ita ſcribit: *Centuriatis comitiis* X. *Tabularum leges perlatæ ſunt: qui nunc quoque in hoc immenſo aliarum ſuper alias acervatarum legum cumulo, fons omnis publici privatique eſt juris*.

XVI. Huc accedit, quod Cicero lib.I. Officiorum ſcribit in duodecim Tab. ſcriptum eſſe, ADVERSUS HOSTEM ÆTERNA AUCTORITAS. Quibus verbis ſignificabatur, rem ejus qui peregrinus eſſet, hoc eſt, hoſpes & alienæ civitatis, uſucapi non poſſe; aut, ut quibuſdam placet, adverſus peregrinum ſemper vindicationi locum eſſe. Sed mihi illud magis probatur ex ſuperiori interpretatione legis Atiniæ. Verba autem Ciceronis ſunt hæc: *Equidem illud etiam animadverto, quod qui proprio nomine perduellis eſſet, is hoſtis vocaretur, lenitate verbi triſtitiam rei mitigante. Hoſtis enim apud majores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant* XII. *Tabulæ*, AUT STATUS DIES CUM HOSTE. *Itemque*, ADVERSUS HOSTEM ÆTERNA AUCTORITAS. *Quid ad hanc manſuetudinem addi poteſt, eum qui cum bella geras, tam molli nomine appellare? Quamquam id nomen durius jam effecit vetuſtas: a peregrino enim receſſit, & proprie in eo, qui contra ferret arma, remanſit*. Sed & Varro (u) multa verba eſſe ait, quæ aliud nunc oſtendant, aliud ante ſignificarent: ut hoſtis. Nam eo verbo dicebant peregrinum, qui ſuis legibus uteretur: poſtea eum, quem tum dicebant perduellem. In Cælia lege diximus duellum veteres bellum, & perduelles hoſtes appellaſſe. Nam præter hæc teſtimonia poetæ nobis & comici & epici exemplo eſſe poſſunt. Et Cicero in legibus (W) quas veteri ſermone effinxit: QUIQUE AGENT, inquit, REM DUELLI, QUIQ. REM POPULAREM, AUSPICIUM PRÆMONENTO. Et alio loco (x): AST QUANDO DUELLUM GRAVIUS, DISCORDIÆVE CIVIUM ESCUNT, POPULI MAGISTER ESTO. Et lib.II. ex Platone: ÆS atque FERRUM, inquit, DUELLI INSTRUMENTA, NON FANI. Hanc legem fortaſſe, aut aliquid hujuſmodi Cajus interpretabatur, cum lib.II. ad Leg. XII. Tabul. (y) ita ſcribit: *Quos nos hoſtes appellamus, eos veteres perduelles appellabant, per eam adjectionem indicantes, cum quibus bellum eſſet*. Hinc perduellionis crimen, de quo in Cælia egimus: Hoſtes autem ſunt, ut Ulpianus lib.I. Inſtitutionum & Pomponius lib. II. ad Qu. Mucium (z) ſcripſerunt, quibus bellum publice populus Romanus decrevit, vel ipſi populo Romano; ceteri latrones vel prædones appellantur.

XVII. Ad XII. quoque Tabulas Cicero reſpexit, cum in Topicis ita ſcripſit: *Quoniam uſus auctoritas fundi biennium eſt, ſit etiam ædium. At in lege ædes non appellantur, & ſunt ceterarum omnium, quarum annuus eſt uſus: valeat æquitas, quæ paribus in cauſis paria jura deſiderat*. Quod Boethius ita interpretatur, ut plurimarum rerum uſucapio annua ſit, ut ſi quis eis anno fuerit uſus, eas firma juris auctoritate poſſideat, veluti res mobiles. Fundi vero uſucapio biennii temporis ſpatio continetur, de ædib. in lege nihil adſcriptum eſt: quamobrem videntur taciturnitate legis XII. Tabularum (id enim expreſſit) inter eas eſſe relictas, quarum eſt uſus annuus. Idem Cicero pro A. Cæcinna: *Lex uſum & auctoritatem fundi jubet eſſe biennium. at utimur eodem jure in ædibus, quæ in lege non appellantur*. Ex quibus verbis apparet Juſtinianum (a) quoque ad hanc legem tum reſpexiſſe libro II. Inſtitutionum, cum ita ſcripſit, quod Theophilus ſignificat: *Jure civili conſtitutum fuerat, ut qui bona fide ab eo qui dominus non erat, cum crederet eum dominum eſſe, rem emerit, vel ex donatione aliave juſta cauſa acceperit, is eam rem, ſi mobilis erat, anno ubique uno; ſi immobilis, biennio in Italico ſolo uſucaperet, ne rerum dominia in incerto eſſent*. Quæ tempora Juſtinianus (b) auxit, ut res mobiles triennio, immobiles longi temporis poſſeſſione, id eſt, inter præſentes decennio, inter abſentes viginti annis uſucapiantur. Quod vero Cicero ait fundi ſolum mentionem eſſe factam, nihil mirum eſt; cum Javolenus libro IV. epiſtolarum (c) fundum eſſe definiat omne, quicquid ſolo continetur: & Florentinus lib. VIII. Inſtitutionum (d) eleganter ſcribit: *Fundi appellatione omne ædificium & omnis ager continetur: ſed in uſu urbana ædificia, ædes; ruſtica, villæ dicuntur. Locus vero ſine ædificio in urbe area, rure autem ager appellatur, idemque ager cum ædificio fundus dicitur*. Ad auctoritatem vero, cujus in his legibus mentio fit, præter ea quæ in Atinia diximus, ille

(m) *l.* via. *eo.* (n) *l.2.p.* viarum. *nequid in loco pub.* (o) *l.ult. de locis & itin. pub.* (p) *Inſti. de lege Aqui. p.* item ſi putator. (q) *c. qualiter & quando.1.d. accuſa.* (r) *Inſt. de uſuc. p.* furtivæ. (s) *l.* non ſolum. *in princ. de uſucap.* (t) *Gell. li.17. cap.7.*

(u) *lib.4. de ling. Lat.* (W) *lib.2.* (x) *lib.3.* (y) *l.* quos nos. *de verb. ſign.* (z) *l.* hoſtes *de captiv. & de verb. ſig.* (a) *Inſt. de uſuc. in prin.* (b) *l. un C. de uſuc. transf.* (c) *l.* quæſtio. *de verb. ſig.* (d) *l.* fundi. *eod.*

Ciceronis locus pertinet, in oratione de Aruspicum responsis: *Multæ sunt domus in hac urbe P. C. atque haud scio an pæne cunctæ, jure optimo, sed tamen jure privato, jure hereditario, jure auctoritatis, jure mancipii, jure nexi: nego esse ullam domum aliam æque privato jure, atque optima lege, publico vero omni præcipuo, & humano, & divino jure munitam.* Quo loco possidendi causæ enumeratæ sunt, quibus quis dominus efficitur. Sic Horatius lib. secundo epistolarum: (e)

Si proprium est, quod quis libra mercatur & ære,
Quædam, si credis consultis, mancipat usus;
Qui te pascit ager, tuus est.

Nam quod Cicero mancipium & nexum, id Flaccus libra & ære mercari appellat, qua de re Boethius in Topicis eleganter tractat, & nos paulo post in Venditionibus scribemus. Usus autem capionem, & pignoris capionem veteres dicebant, quasi pignoris, atque usus captionem, ut Gellius lib. VII. (f) scribit: deinde usucapi dictum est.

XVIII. Ad hoc autem jus pertinet, quod idem Boethius ait tribus modis uxorem haberi, coemptione, usu, & confarreatione. Coemptione uxor materfam. fiebat, & in manum viri conveniebat, quibusdam mutuis venditionibus. Namque ut Nonius ait, nubentes tres asses ad maritum adferebant, unum marito emendi causa dabant, alterum in foco, tertium in compito vicinali mittebant. Confarreatio vetus quædam erat matrimonii contrahendi observatio, de qua Dionysius libro II. antiquitatum, & Tacitus lib. IV. historiar. scripserunt. Usu uxor fiebat, cum ceteris omissis uxoris loco ea vir utebatur anno. Quod si trinoctio a viro eo anno abfuisset, ex lege XII. Tabular. usurpata fuisse dicebatur: hoc est, interrupta præscriptio erat. Nam ut Paulus lib. LIV. ad edictum (g) scribit: *Usurpatio est usucapionis interruptio. Oratores autem usurpationem frequentem usum vocant.* Quamobrem ita interpretanda sunt quæ Gellius lib. III. (h) Noctium, Macrobius lib. I. Saturnaliorum (i) scribunt. Quorum verba sunt hæc: *Quinctum quoque Mucium jurisconsultum dicere solitum legi, non esse usurpatam mulierem quæ cum kalendis Januariis apud virum matrimonii causa esse cœpisset, ante diem IV. kalendas Januarias sequentes usurpatum isset. Non enim posse impleri trinoctium, quod abesse a viro usurpandi causa ex Duodecim Tabulis deberet: quoniam tertiæ noctis posteriores sex horæ alterius anni essent, qui inciperet ex kalendis.* Nam dies more Romano a media nocte incipit, & sequentis noctis media parte finitur, & duabus dimidiatis noctibus & luce media constat, ut Paulus libro decimo tertio ad Sabinum (k) notat, quod Gellius multis argumentis probat; qua de re a nobis quoque lib. IV. Emendationum & opinionum scriptum est. Qua de causa quæ uxor quarto Kalendas Januarias discessit, non dicetur interrupisse præscriptionem, ad quam tres noctes eam abesse oportebat: quippe quæ ejus diei non totam noctem abfuisset, sed dimidiatam, nisi pridie ejus diei ante sextam horam noctis discessisset. Sex autem noctis horæ, quæ ante Kalendas Januarias consequebantur, ad alterum annum pertinebant: nam Ulpianus quoque lib. XI. ad edictum (l) scribit: In usucapionibus non a momento ad momentum, sed totum postremum diem computamus. Ideoque ait (m) lib. XXVII. *Qui hora sexta diei kalendarum Januariarum possidere cœperit, hora sexta noctis pridie kalendas implet usucapionem.* Quæ etiam ratio est, ut eam uxorem usu captam esse dicamus, etsi vere tres noctes absuerit. Quæ res non est sine difficultate. Excipere tamen videtur Cicero in oratione pro L. Flacco, ut uxor quæ usu in mariti manum convenisset, tutorum auctoritate id faceret. Verba ejus, quoniam ad hanc rem attinent, infra scribam. Nam cum quereretur Sextilius Flaccum uxoris Valeriæ, quæ intestata mortua erat, hereditatem consecutum; propterea quod ei in manum convenerat: *Nunc audio*, inquit Cicero, *sed quæro, utrum usu, an coemptione? Usu non potuit; nihil enim potest de tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate deminui. Coemptione? omnibus ergo tutoribus auctoribus, in quibus certe Flaccum fuisse non dices.* Apud Arnobium lib. IV. adversus gentes ita scribendum est: *Uxores enim dii habent, atque in conjugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæsitis? Usu, farre, coemptione genialis lectuli sacramenta conducunt? Habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas?* De hac in manum conventione existimant quidam Papinianum locutum lib. XI. responsorum (n). Sed tamen in Florentino libro ita scribitur: *Mulier ab eo, in cujus matrimonium conveniebat, stipulata fuerat ducenta, si concubinæ tempore matrimonii consuetudinem repetisset.* Cicero tamen in Topicis non uno in loco ea de re agit: *Si ita Fabiæ*, inquit, *pecunia legata est a viro*, *(o) *si ei materfamilias esset, si ea in manum viri non convenerat, nihil debetur. Genus enim est uxor: ejus duæ formæ, una matrumfamilias; hæ sunt, quæ in manum convenerunt; altera earum, quæ tantummodo uxores habentur.* Alter locus est, qui ad orationem pro Flacco pertinet, ita enim scribit: *Cum mulier viro in manum convenit, omnia quæ mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine.* Manum autem non dubito hoc loco potestatem significare: nam ut Gellius lib. IV. (p) & XVIII. ait, uxores in manu mancipioque viri erant: atque ea de causa suspicor auctoritate tutorum opus esse, quoniam, ut Cicero pro L. Muræna scribit, mulieres omnes propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt: & quod addit, invenisse jurisconsultos genera tutorum, quæ potestate mulierum continerentur, nescio an ad eosdem ipsos maritos pertineat; qui, ut antea dictum est, ab uxoribus emebantur: quod Vergilius illo versu (q) significare voluit:

Teque sibi generum Thetis emat omnibus undis.

quod Nonius (r) notat. Sed magis placet, ut eos tutores significet, qui arbitratu mulierum negotia gererent. In eadem oratione scriptum est, veteres, omnes mulieres quæ coemptionem facerent, Cajas appellasse, quod ad Cajam Cæciliam recte quidam referunt. Illud etiam notandum est, uxores quæ in manum convenirent, capite deminui; quod Boethius tradit, cum Tulliana verba hæc interpretaretur: *Si ea mulier testamentum fecit, quæ se capite numquam deminuit, non videtur ex edicto Præt. secundum eas tabulas possessio dari*: quod propter perpetuam tutelam evenire idem Severinus scribit. Neque mirum est coemptione uxores capite minui, cum idem contingat emancipatis liberis, & adoptatis, qui eodem pacto per æs & libram venduntur. Ad has uxorum differentias Ulpianus lib. II. de adulteriis (s) respexisse visus est: *Plane*, inquit, *sive justa uxor fuit, sive injusta, accusationem instituere vir poterit. Nam & Sex. Cæcilius ait, Hæc lex ad omnia matrimonia pertinet, & illud Homericum adfert: Nec enim soli*, inquit, *Atridæ uxores suas amant.* Et quoniam dictum est matresfam. esse, quæ in manum viri coemptione convenerint; ceteras uxores tantum esse: Gellius lib. XVIII. scribit inter matronam & matremfamilias id interesse, quod matrona ea proprie est quæ in matrimonium convenit, etiamsi liberos non habeat, dicta a matris nomine non adepto; materfam. ea solum est, quæ in mariti manu mancipioque est, aut in ejus, in

(e) *Epist. ult.* (f) *cap.* 10. (g) *l.* 2. *de usuca.* (h) *cap.* 2. (i) *cap.* 3. (k) *l.* more Roma. *de feriis.* (l) *l.* in usucapionibus. (m) *l.* ideoque. e.

(n) *l.* ex ea parte *p.* 1. *de ver. obl.* (o) *al.* ea. si uxor materfam (p) *cap* 6. (q) *Georg. lib.* 1. (r) *Nonius ubi supra.* (s) *l.* si uxor. *de adult.*

cujus manu mancipioque vir esset: quoniam non in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti, & in sui heredis locum venisset. Sex. Pompejus (t) ait non ante uxores matresfam. dici, quam viri earum patresfamil. dicantur: neque viduas, neque eas, quæ sine filiis essent, eo nomine appellari. Matronas (u) eas esse quibus stolas habendi jus erat. Hic fortasse matronalis habitus appellatur ab Ulpiano lib.LXVII. ad edictum (w). In nostro autem jure matresfamil. appellantur, quæ sui juris sunt, item honestæ vitæ mulieres. Ulpianus lib.I. Institutionum *: *Patresfamiliar. appellantur, qui sunt suæ potestatis, sive puberes, sive impuberes: simili modo matresfamiliarum.* Idem lib. XLVI. ad edictum (x): *Patrefam. mortuo singuli singulas familias incipiunt habere.* Idem lib.LIX. † *Neque nuptiæ, neque natales faciunt matremfamilias, sed boni mores.* Et lib.LXXI. (y) *Donec res judicetur, feminam, prætextatum, eumque qui proxime prætextati ætatem accedet, interim apud matremfamilias, deponi Prætor jubet. Cum audis*, inquit, *matremfamilias, accipe notæ auctoritatis feminam.* Sic etiam intelligendum est quod Justinianus (z) scribit, injuriam committi, si quis matremfam. aut prætextatum, prætextatamve adsectatus fuerit. Sed ut ad usucapionem revertamur, ita existimamus legem XII. Tab. apud Gellium esse intelligendam, ut interrupta dicatur usucapio, qua uxor in mariti manum conveniebat, si trinoctium intra eum annum uxor abfuerit.

XIX. Alia lex vestibulum sepulchri, bustumve usucapi vetat; ut Cicero lib. II. de legibus refert: quod nos postea, cum de sepulchris agemus, tractabimus.

XX. Nunc de quinque pedibus videamus, de quibus magna controversia est juris interpretibus recentioribus. Et mihi Alciati præceptoris opinio placet, ut lege XII. Tabular. usucapio inter quinque pedes non fuerit, sed quæstio de finib. in qua ex lege Manilia singuli arbitri regundis finibus darentur; ut Cicero lib. I. de legibus (a) scribit, etsi vulgares libri mendosi circumferantur; quod etiam Isidori lib. V. accidisse arbitror, in quo, ut existimo, ita scribendum est: *Finium regundor. actio dicta eo quod per eam regantur fines utrique ne dissipentur, dummodo angustiore quinque pedum loco ea controversia sit.* Extat hodie Constantini Imp. constitutio post Theodosianum Codicem collocata, cujus verba sunt hæc: *Si finalis controversia fuerit, tunc demum arbiter non negetur, cum intra quinque pedes locum, de quo agitur, apud Præsidem esse constiterit: cum de majore spatio causa quædam non finalis, sed proprietatis est, apud ipsum Præsidem debeat terminari.* Item Theodosii, Arcadii & Honorii ad Rufum P. P. cujus portio ab Justiniano lib.III. Constitutionum (b) refertur. Tota autem lex ita scripta fuit: *Cunctis motionib. & machinis amputatis finalibus jurgiis omnem modum, quem præscribimus, ac de eo tantum spatio, hoc est, pedum quinque qui veteri jure præscripti sunt, sine observatione temporis arbitros jussimus judicare. Quod si loca in controversiam veniant, solemniter judicare cognoscas.* Et Julius Frontinus, quem alii Nypsum appellant, ita scribit: *Secundum legem Maniliam de finibus controversia est, cum de ea latitudine agitur; de loco autem, cum excedit quinque pedes.* Aggenus Urbicus id ita interpretatur, ut de fine controversiam quinque aut sex pedum latitudine præscribat. Quoniam hanc latitudinem vel iter ad culturas accedens occupat, vel circumactus aratri: idque usucapi non posse ait. Iter autem, quod usu biennii capitur, non

(t) *Verb.* Materfamiliæ. (u) *Verb.* Matronæ. (W) *l.* item apud Labeonem. *p.* si quis virgines. *de injur.* (*) *l* nam civium. *de his qui sui.* (x) *l.* pronuntiatio. *p.* familiæ. *de verb. signif.* † *l.* pronuntiatum. *p.* I. *eo.* (y) *l.* 3. *in fine de liberis exhi.* (z) *Instit. de injur. p.* I. (a) *cap.* 25. (b) *l. ult. C. fin. reg.*

id est, quo quis ad culturas pervenit. Hæc sunt quæ de his rebus a veteribus scripta reperiuntur, quæ recte ad interpretationem constitutionis Valentiniani, Theodosii & Arcadii (c) referuntur, cujus verba sunt hæc: *Quinque pedum præscriptione submota, finalis jurgii vel locorum libera peragatur intentio. ut si de finibus controversia sit, nemo possit de eo solo, quod intra quinque pedes sit, præscriptionem opponere; quippe cum id usucapi nequeat.* Verba autem Ciceronis (d) sunt hæc: *Ex hac autem non rerum, sed verborum discordia, controversia est nata de finibus; in qua quoniam usucapionem XII. Tabulæ inter quinque pedes esse noluerunt, depasci veterem possessionem Academiæ ab hoc acuto homine non sinemus: nec Manilia lege singuli, sed ex his tres arbitri fines regemus.* Quibus verbis illud significare voluit, Stoicos a veteribus Academicis verbis, non rebus distare. quod idem pluribus verbis lib.IV. de finibus disputat. Itaque inter eos contentio parva de re esse videtur, quasi de finibus quos ex lege Manilia & illa veteri XII. Tab. intra quinque pedes, quod usucapi nequit, constitutos animadvertimus. *Hanc igitur controversiam nos tres*, inquit, *arbitri finium regundorum acutum illum hominem* (Zenonem autem significat) *depascere Academiæ possessionem non sinemus.* Tres autem, quos arbitros esse vult, se, & Quinctum fratrem, & Pomponium Atticum, quos colloquentes inducit, significavit. Similis locus est, etsi sententia contrarius, in Lucullo, qui Academicus inscribitur: *Nam aut Stoicus constituatur*, inquit, *sapiens, aut veteris Academiæ. utrumque non potest. Est enim inter eos non de terminis, sed de tota possessione contentio.* Hanc legem fortasse Cajus interpretabatur, cum lib.IV. ad legem XII. Tabular. (e) ita scribit: *Sciendum est in actione finium regundorum illud observandum esse, quod ad exemplum quodammodo ejus legis scriptum est, quam Athenis Solonem dicitur tulisse.* Tota deinde lex Græce conscripta est, quæ a Plutarcho etiam in Solonis vita refertur: *Ut, si quis sepem suo prædio addiderit, fines non excedat; si maceriam aut parietem ædificaverit, pedem relinquat vicino; si domum, pedes duos; qui sepulchrum aut fossam foderit, quantum ea alta erit, tantum spatii liberum relinquat: putei causa pedes sex, oleæ aut ficus gratia novem pedes, ob ceteras arbores quinque.* Ita enim in Tusco libro est, non duos. in quo Crinitus deceptus non est. Sed tamen quod idem ait, ad hosce quinque pedes Valentiniani constitutionem pertinere, merito a præceptore nostro reprehenditur. Longe enim separatum est, quinque pedes radicibus arborum relinquere, & ut sive arbor, sive lapis, in confinio sit, jubere, ut quod ex alieno intra quinque pedes sit, numquam usucapi possit, sed de his controversia de finib. quocumque tempore moveri possit. Illud non negaverim fieri potuisse, ut aliqua de causa cum de altera ageretur, hanc alteram Cajus illi adfinem retulerit. Sed de his hactenus. Adfine est huic loco, quod Volusius Mæcianus lib. singulari de asse scribit, sestertium dictum esse quasi semissem tertium, quia duobus assibus olim & semisse æstimabatur, ut apud Græcos *ἕβδομον ἡμιτάλαντον* sex talenta & semitalentum dicitur. *Lex etiam* XII. *Tabular. argumento*, inquit, *est, in qua duo pedes & semis, sestertius pes vocatur.* Ita enim hæc scribenda esse lib.II. Emendationum scripsimus. Hæc autem verba XII. Tab. ex Sex. Pompejo (f) ita interpretor, ut de ambitu ædium accipiantur, qui duorum pedum & semipedis latitudine erat inter ædificia vicinorum ad circumeundum relictus, unde ambitus appellatur. Varro (g) quoque scribit XII. Tab. interpretes ambitum parietis, circuitum esse dixisse. Eisdem legibus fortasse prohibebatur parietes in communi loco crassiores sesquipede fieri, ut Vitruvius

(c) *l.* quinque pedum. *C. e.* (d) *lib.* I. *de legib.* (e) *l. ult. D. fin. reg.* (f) *Ver.* Ambitus. (g) *lib.* 4. *de ling. Lat.*

libro secundo (h) & Plinius libro XXXV. (i) scribunt.

XXI. Ad testamentor. jura veniendum est, qui locus est in nostris libris non levi manu tractatus. Et principio Plutarchus in Solonis vita scribit: cum Athenis olim non liceret hereditates extra familiam testamento relinquere, atque adeo nulla jura testandi essent: is tulit, ut ei qui liberos non haberet, liceret heredem extraneum facere, modo id nullo coactus malo, nullisque blandiciis, sed sanus atque valens sponte sua ita disponeret. Eum secuti, ut opinor, Decemviri sunt, qui ita in Duodecim scripserunt: UTI LEGASSIT SUÆ REI ITA JUS ESTO. Quibus verbis, ut Pomponius scribit lib.v. ad Q. Mucium (K), latissima potestas tributa videtur & heredis instituendi, & legata & libertates dandi, tutelas quoque constituendi. Sed id interpretatione coangustatum est, vel legum, vel auctoritate jura constituentium. Justinianus quoque lib.II. Institutionum (l), lege XII. Tabular. liberam fuisse legandi potestatem ait, ut liceret vel totum patrimonium legatis erogare. ita enim in ea cautum erat: UTI QUISQUE LEGASSIT SUÆ REI ITA JUS ESTO. Quod deinde lege Furia, & Voconia, & Falcidia coangustatum est. Sed & in Novella XXII. (m) eadem verba paululum immutata refert in hunc modum: UTI LEGASSIT QUISQUE DE SUA RE, ITA JUS ESTO. Quæ ita interpretari videtur Græce: Νομοθετείτω μὲν γὰρ ἕκαστος ἐπὶ τοῖς ἑαυτοῦ τὰ εἰκότα, ἢ ἔστω νόμος ἡ τούτου βουλή. Quæ ita vulgo usurpari solent, Disponat testator de rebus suis, & erit lex: pro quibus melius legis vetustissimæ verba usurparent. Theophilus tamen ita eandem legem interpretatur: Ὥς ἂν ληγατεύσῃ καὶ διατυπώσῃ τις ἐπὶ τῇ οἰκείᾳ περιουσίᾳ, τοῦτο νόμος ἔστω. In utriusque interpretatione illud animadvertendum puto, νόμον pro jure scriptum esse, quod aliis quoque locis usurpatum scio. Ad hanc legem Ulpianus respexit, opinor, lib.II. ad Leg. Juliam & Papiam (n): *Lege*, inquit, *obvenire hereditatem non improprie quis dixerit & eam, quæ ex testamento defertur; quia lege* XII. *Tab. testamentariæ hereditates confirmantur*: Et Cicero lib.II. de Inventione: Lex est: PATERFAMILIAS UTI SUPER FAMILIA PECUNIAQUE SUA LEGAVERIT, ITA JUS ESTO. Quæ etiam verba lib.I. ad Herennium referuntur. Eodem fortasse pertinet quod lib.I. de Oratore idem Cicero ait de eo milite qui testamento præteritus erat: *Tu si causam ageres militis, patrem ejus, ut soles, dicendo a mortuis excitasses, flensque filium Centumviris commendasses, ut totum illud,* UTI LINGUA NUNCUPASSIT, *non in* XII. *Tabulis, quas tu omnibus bibliothecis anteponis, sed in magistri carmine scriptum videretur.*

XXII. Addit Cajus lib.VII. ad edictum provinciale (o), familiæ erciscundæ actionem ex lege XII. Tabul. proficisci: ut coheredibus volentibus a communione discedere, ea actione res hereditariæ distribuerentur. Gordianus tamen Pomponio rescripsit (p), quæ in nominibus sunt, non recipere divisionem, cum ipso jure in portiones ex lege XII. Tabul. divisa sint. Diocletianus quoque & Maximianus (q) rescripserunt evidentissime duodecim Tabulas facere heredes obnoxios hereditariis creditoribus. Iidem rescripserunt (r) non posse pacto successorum debitoris unum eorum in solidum obligari: quoniam lege XII. Tab. æs alienum hereditarium pro portionibus singulos heredes creditoribus obliget, ipsoque jure inter eos divisum sit. Paulus vero lib.XXIII. ad edictum (s) scribit, eam stipulationem, qua singuli heredes in solidum habent actionem, veluti si is, qui viam, iter, actum stipulatus erat, decesserit, per hanc legem non dividi. Sed si pecunia promissa sit a testatore (t), adjecta pœna, si non solverit; hæc obligatio per legem XII. Tabularum dividitur. Hæc ad extraneos heredes solent pertinere.

XXIII. De suis & necessariis Justinianus (u) scribit: *Sui autem & necessarii heredes sunt veluti filius, filia, nepos, neptis ex filio, & deinceps ceteri, qui in potestate morientis fuerint, modo non nepotis pater in potestate sit*. Sui autem heredes ideo appellantur, quia domestici heredes sunt, & vivo quoque patre quodammodo domini existimantur. Necessarii, quia omnino sive velint, sive nolint, tam ab intestato, quam ex testamento ex lege XII. Tab. heredes fiunt. Prætores tamen eis hereditate abstinere permiserunt. Ex his apparet Solonis legem Decemviros esse secutos, ut liberis deberetur hereditas, ceteris lucro esset. Quamobrem Paulus lib.II. ad Sabinum (x) scribit: *In suis heredibus evidentius apparet continuationem eo rem perducere, ut nulla videatur hereditas fuisse; quasi olim hi domini essent, qui etiam vivo patre quodammodo domini existimantur. Itaque post mortem patris non hereditatem*, inquit, *percipere videntur, sed magis liberam bonor. administrationem consequuntur. Hac ex causa licet non sint heredes instituti, domini sunt*. Hæc ille: quibus consentanea sunt quæ libro singulari de portionibus quæ liberis damnator. conceduntur, scribit (y). Ad hanc vero legem fortasse pertinet, quod Cajus lib.VI. ad edictum provinciale, & Ulpianus lib.XV. ad edictum (z) scripserunt, licet ea Justinianus lib.V. Digestor. non satis apte conjunxerit. Hæc enim sunt Caii verba in Florentino libro: *Hereditas ad nos pertinet aut vetere jure, aut novo. Vetere e lege* XII. *Tabularum vel ex testamento, quod jure factum est*. Ulpiani hæc: *Sive suo nomine, sive per se, sive per alios effecti sumus*. Deinde Caii verba adscribuntur, quibus exempla duo addit, quibus per alios heredes efficiamur; ceteraque verba, quæ principio referebantur, sequuntur: *Vel ab intestato forte quod sui heredes*, &c. Ego vero existimo Ulpianum tres casus testamentariæ successionis ex lege duodecim Tabularum conscripsisse, sive quis suo nomine, (hoc autem ad sui heredis jus pertinere arbitror) sive per se, cum extraneus institutus est; sive per alios, servos puta aut filios, heres effectus esset. Mendum tamen in illis verbis inesse non dubitaverim. Suorum mentionem fieri in Duodecim ex Callistrati verbis constat libro II. quæstionum (a): *Liberorum*, inquit, *appellatione nepotes, & pronepotes, ceterique qui ex his descendunt, continentur. Hos enim omnes suorum appellatione lex.* XII. *Tab. comprehendit*.

XXIV. Suos autem ab intestato primos ex eadem lege vocari Justinianus scribit lib.III. Institut. (b). & Cajus lib.VI. ad edictum provinciale (c) ait ex lege XII. Tabul. ab intestato ad nos hereditatem pertinere, forte quod sui heredes defuncto sumus vel adgnati, vel ex aliis causis, quæ illic referuntur. Suos autem Justinianus appellat, ut supra dictum est, eos qui in potestate defuncti erant, nunc vero sui juris sunt, in quibus adoptivi numerantur. Emancipati (d) sui heredes non sunt, quoniam in potestate parentis esse desierunt, qua de causa nullo jure ex Duodecim vocantur; Prætor tamen eis bonorum possessionem *unde liberi* præstitit, ut Justinianus (e) scribit. Nepotes vero tum lex duodecim Tabularum vocat, cum filio mortuo, aut alio pacto e medio sublato, is in potestate reperitur. Succedit autem cum filiis nepos hujusmodi, quod evidenter in Duodecim caveri Diocletianus Frontoni rescripsit (f). Idem Marcellæ rescripsit (g) po-

(h) *c.8.* (i) *c.14.* (k) *l.*verb. legis. *de verb. sign.* (l) *Instit. de lege Flaci. in pri.* (m) *Auth. de nupt. p.* disponat. (n) *l.* lege obvenire. *de ver. sign.* (o) *l. 1. famil. ercisc.* (p) *l.* ea quæ. *C. eo.* (q) *l. ult. C. de actio. here.* (r) *l.* pacto successor. *C. de pact.* (s) *l.* heredes. *p.* an ea. *fami. ercisc.*

(t) *c.l.p.* idem juris. (u) *Instit. de here. qua. p.1.* (x) *l.* in suis. *de libe. & postu.* (y) *l. ult. de bon. dam.* (z) *l.1. & 2. de hered. petitio.* (a) *l.* liberorum. *de verb. sign.* (b) *Inst. de her. quæ ab intesta. p.1.* (c) *l.1. & 3. de here. peti.* (d) *p.* emancipati. *de her. quæ ab int.* (e) *p. ult. eo.* (f) *l.3. de suis & legiti.* (g) *l.4. eo.*

stumum suum potiorem sorore consanguinea esse ex A ordine legis XII. Tab. Qua de causa Justinianus (h) scribit: *Postumi quoque qui si vivo parente nati essent, in potestate ejus futuri forent, sui heredes sunt.* & Ulpian. lib. XIV. ad Sabinum (i): *Utique & ex lege* XII. *Tab. ad legitimam hereditatem is qui in utero fuit, admittitur, si fuerit editus. Inde solet remorari insequentes sibi adgnatos, quibus præfertur, si fuerit editus.* Addit Ulpianus (K), quod propter eandem legem addi existimo: *Post decem menses mortis natus non admittitur ad legitimam hereditatem.* Namque Gellius lib. III. (l) scribit Decemviros in X. mense gigni hominem, non in XI. scripsisse, etsi is exempla tradat mensis undecimi partus, quem Justinia- B nus Novella XXXIX. (m) detestatur. Decimus mensis a veteribus frequentior esse ad partum credebatur. inde illud ortum est:

Matri longa decem tulerunt fastidia menses. (n)

Sed & Ovidius (o) de anno Romuli mensium X.

Quod satis est, utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.

Hinc in Aquiliana formula apud Scævolam lib. VI quæstionum (p): *Si filius meus vivo me morietur, tunc si quis mihi ex eo nepos, sive quæ neptis post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus nata erit; heredes sunto.* Et C in Justiniani constitutione l. VI. Constitutionum (q): *Si filius vel filia intra decem mensium spatium post mortem meam editi fuerint, heredes sunto.* Paulus autem lib. IV. sententiarum scribit: *Septimo mense natus matri prodest, ad jus liberorum. Ratio enim Pythagorei numeri hoc videtur admittere, ut aut septimo pleno, aut decimo mense partus maturior videatur.* Quod etiam Alexander Aphrodisiensis, sive quis alius, in problematibus scribit. De eisdem numeris mentio fit a Cicerone lib. III. de natura deorum, & a Macrobio in somnio Scipionis, & ab Aurelio Augustino apud Gratianum (r). De septimo autem mense Hippocrates in libro de septimestri partu scribit CLXXXII. D die partum legitimum nasci posse, quod Ulpianus (s) refert. Et Paulus lib. XIX. responsorum (t) scribit, VII. mense nasci perfectum partum receptum esse propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis. Scribit Herodotus lib. VI. Aristonem Lacedæmonior. Regem, cum ei nuntiatum esset ante X. menses exactos, quam uxorem duxerat, eam filium peperisse, jurasse apud Ephoros non esse suum. Id cum filio Demarato Regi postea nocuisset; matrem dixisse ait Aristonem stulte fecisse. Neque enim semper mulieres decimo mense partum edere, sed & septimo, quod tum ei evenerat, & nono. Sed nos E ad legitimam hereditatem revertamur.

XXV. Si nemo suus heres, vel eorum, quos inter suos heredes Prætores vel constitutiones vocant, existat, qui successionem quoquomodo amplectatur; Justinianus ait ex lege XII. Tab. (u) ad agnatum proximum pertinere hereditatem. Quis autem adgnatus sit, in tutelis diximus. M. Cicero lib. II. de inventione: *Lex est*, inquit, *Si paterfamilias intestato moritur, familia pecuniaque ejus adgnator. gentiliumque esto.* Hæc autem verba in Duodecim non fuisse arbitror, sed illa quæ Ulpian. refert lib. XLVI. ad edictum (x): *Familiæ*, inquit, *appellatio in res & in personas diducitur. In res, ut puta in lege* XII. F *Tab. his verbis*: ADGNATUS PROXIMUS FAMILIAM HABETO. Vocantur (y) autem omnes ex hac lege, & si X. gradu proximus ille adgnatus sit, admittitur; quod non ita est in cognatis, quos Prætores vocant, qui VII. gradu circumscribuntur, vel potius sexto: namque ex septimo solus sobrino sobrinave natus admittitur. Proximus autem in Duodecim habetur ille etiam qui solus est, ut Pomponius lib. II. ad Sabinum (z) scribit. Masculor. vero & feminar. nulla erat ex hoc jure differentia; quod Justinianus (a) permultis locis testatur; quod postea immutatum esse moleste fert. Item capitis deminutione adgnationis jus tollitur, quod ex Duodecim descendit: illæ autem hereditates, quæ novo jure competunt, ut ex S.C. Tertylliano & Orphitiano (b), capitis deminutione non pereunt, Justinianus scribit; Prætor tamen tanquam cognatos eos vocat. Inter adgnatos enim & cognatos hoc interest, ut Modestinus libro III. Pandectarum scribit, *quod in adgnatis & cognati continentur, in cognatis non utique & agnati: verbi gr. patris frater, id est, patruus, & adgnatus est & cognatus: matris autem frater, id est, avunculus, cognatus est, adgnatus non est. Qua de causa Justinianus lib. I. Instit. † adgnatos esse definit cognatos per virilis sexus cognationem conjunctos: quamvis in Caii definitione cognati non appellentur. Hæc tamen omnia Justiniani (c) legibus abrogata sunt, & ex Novella CXXVIII. nulla est adgnatorum & cognatorum differentia, nulla quoque emancipationis & patriæ potestatis, sed ab intestato illis personis defertur hereditas, quæ ea constitutione enumeratæ sunt.

XXVI. De patronorum successione Justinianus (d) scribit, ita demum legem XII. Tab. ad hereditatem liberti vocasse patronum, si intestatus mortuus esset libertus herede suo nullo relicto. & Cajus lib. VI. ad edictum provinciale scripsit hereditatem ad nos pertinere ex lege XII. Tab. ab intestato forte quod sui heredes defuncto sumus, vel adgnati, vel quod manumisimus defunctum, quodve parens noster manumiserit. Nam hi quoque quos parentes manumiserint, nostros libertos esse dicimus, ut idem Cajus lib. XXIV. (e) scribit. Quamobrem in hanc rationem Ulpiani verba accipiemus lib. XLVI. ad edictum (f): *Ad personas* inquit, *refertur familiæ significatio: ita cum de patrono & liberto loquitur lex* (de XII. autem Tabulis loquebatur) EX EA FAMILIA, inquit, IN EAM FAMILIAM, *& hic*, inquit, *de singularibus personis legem loqui constat.* Quæ verba existimo de libertorum successione intelligenda, ut bona ex liberto in dominum veniant; vel ut ex parente in filium jus patronatus perducatur. Cetera quæ ad libertorum successionem pertinent ex Prætorum edicto, ex lege Papia, & ex Justiniani Græca constitutione quæ non exstat, sub titulo de successione libertorum lib. III. Institutionum cognoscentur. Nos reliqua persequamur.

XXVII. Et quoniam veteres nullam obligationem firmiorem emptione & venditione existimabant, de ea quid in XII. scriptum esset, videamus. Et Justinianus scribit lib. II. Instit. (g): *Venditæ res & traditæ non aliter emptori adquiruntur, quam si is venditori pretium solverit, vel alio modo ei satisfecerit, veluti expromissore aut pignore dato. Quod quamquam cavetur*, inquit, *ex lege* XII. *Tab. tamen recte dicitur & jure gentium, id est, jure naturali, id effici.* Idem lib. III. (h) scribit emptionem & venditionem contrahi simul atque de pretio convenerit. Pretium autem in numerata pecunia consistere oportere. Pecunia initio Urbis rudi ære constabat. Quam-

(h) *p.* postumi *de here. quæ ab int.* (i) *l.* intestato. *p. ult de suis & legi.* (k) *p.ult. e.l.* (l) *cap.* 16. (m) *Aut. de restitu. & ea quæ parit.* (n) *Virg. Eclog.* 4. (o) *lib.* 1. *Fast.* (p) *l.* Gallus *in princ. de lib. & post.* (q) *l. ul. C. de postu. here. Tit.* 8. (r) *c.* non observetis. 26. *q.* 7. (s) *l.* intestato. *in fine. de suis & legi.* (t) *l.* septimo. *de sta. hom.* (u) *Insti. de legi. adgn. succ. in prin.* (x) pronuntiatio. *in pri. de verb. signif.* (y) *Inst. de succ. cogn. in fine.*

(z) *l.* in vulgari. *in princ. de verb. signi.* (a) *l.* lege 12. Tab. *l. ul. C. de leg. her. instit de exh. lib. p.* sed hæc quidem. *& de leg. adgn. suc. p.* & hæc quidem. *atque alib* (b *Instit. de S. C. Orphit. p.* sciendum. *& de succ. cog. in pri. & leg. adg. tut. in fi. l.* capitis. *de suis & legit.* * *l.* inter adgnatos. *unde leg.* † *Inst. de leg. adgn. tut. p.* 1. *l.* sunt autem. *de legit. tut.* (c) *Auth. de her. ab intest. ven. p.* nullam. (d) *Inst. de succ. libert. in pri. l.* 1. *&* 3. *de here. petitio.* (e) *l.* licet inter gesta. *in fine. de verb. sign.* (f) *l.* pronuntiatio. *p.* 1. *eo.* (g) *Instit. de rer. divin. p.* venditæ. (h) *Inst. de emp. & vend. in prin. & p.* item pretium.

mobrem libra opus erat, ut pretium solveretur: neque enim signatis nummis utebantur. Primus Servius Rex signavit æs; argentum quinque annis ante primum bellum Punicum signatum est, post LXII. annos aurum, ut Plinius lib. XXXIII. (i) scribit. Æs autem illud, quo XII. Tab. tempore utebantur, æs grave appellabatur, propterea quod asses tum libram penderent qui ad semuncias Papiria lege venerunt. Quamobrem Ulpian. lib. I. ad Sabinum (k) scribit: *Etiam aureos nummos æs dicimus*. Ab eo nummorum pondere, ut Plinius (l) ait, expensa in rationibus dicuntur, item impendia, & dependere, & militum stipendia, ejusque stipis ponderandæ pensatores libripendes. & ob eam consuetudinem ponderandæ pecuniæ in earum rer. emptionib. quæ mancipi sunt, libra interponitur. Mancipi res, ut Severinus Boethius ait, sunt quæ ita abalienantur, ut abalienatio per nexus fiat solemnitatem, neque aliter per leges XII. Tab. alienari possunt. Nexus autem solemnitatem ex Cajo lib. I. Institut. ostendit, cujus verba sunt hæc: *Est autem mancipatio, ut supra quoque indicavimus, imaginaria quædam venditio, quod ipsum jus proprium Romanor. est civium, eaque res ita agitur. Adhibitis non minus quam quinque testibus Rom. civibus puberibus, & præterea alio ejusdem conditionis qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens: is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit; Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo, isque mihi emptus est hoc ære; æneaque libra. Deinde ære percutit libram, idque æs dat ei, a quo mancipium accipit, quasi pretii loco*. Ceteræ autem res, quæ sui juris sunt, nec mancipi dicebantur. In jure quoque res mancipi cedebantur in hunc modum, ut Cajus scribit. Apud magistratum populi Romani, vel Prætorem vel provinciæ Præsidem, is cui res in jure cedebatur, rem tenens ita vindicabat: *Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo*. Prætor tunc interrogat eum qui cedit, an contra vindicet; eoque negante aut tacente, ei qui vindicaverit, eam rem addicit; idque legis actio vocabatur. Ita pleno jure duobus his modis res in alterum transferebatur. Quamobrem Cicero in Topicis abalienationem esse definit ejus rei, quæ mancipi est, aut traditionem alteri nexu, aut in jure cessionem, inter quos ea jure civili fieri possunt. Quod si res quæ mancipi est, sine his solemnitatibus tradatur, abalienari non poterat, nisi ab eo, cui tradebatur, usucaperetur. Imaginariam autem venditionem Cajus appellat illam mancipationem, ut Justinianus quoque lib. II. Institutionum (m) appellat. Namque cum duo olim testamentorum genera fuisse retulisset, quorum altero in pace atque otio utebantur, quod calatis comitiis appellabant, altero cum in prælium exituri essent, quod procinctum dicebatur: *Accessit*, inquit, *tertium genus testamentorum, quod fiebat per æs & libram, scilicet quod per emancipationem, id est, imaginariam quandam venditionem agebatur, quinque testibus & libripende civibus Romanis puberibus præsentibus, & eo qui familiæ emptor dicebatur*. Is autem emptor hereditatem emebat, & eam consequebatur testatore mortuo. Quod ne ita exploratum esset ac certum quis heres futurus esset, familiæ quidem emptor adhibebatur dicis causa, sed alter heres scribebatur, ut Theophilus (n) ait. Cujus opinio Justiniani auctoritate fulciri potest, qui solitos veteres scribit familiæ emptorem, & eos qui per potestatem ei conjuncti essent, a testamentariis testimoniis repellere, non etiam heredem, & eos qui in heredis potestate essent. Idem Justinianus (o) scribit emancipationem olim fieri solitam per imaginarias venditiones, & intercedentes manumissiones: quod alio loco retulimus. Qua de causa Alciatus noster & Vigilius, quod Ulpian. lib. XI. ad Sabinum (p) scribit imaginariam venditionem non esse pretio accedente, in eandem rationem interpretantur: uno enim nummo addicebantur, quæ ita venderentur. Pomponius lib. VIII. ad Q. Mucium (q): *Si usufructus fundi, cujus proprietatem mulier non habebat, dotis nomine mihi a domino proprietatis detur; difficultas erit post divortium circa reddendum jus mulieri. Quidam ergo remedii loco recte putaverunt introducendum, ut vel locet hunc usumfructum mulieri maritus, vel vendat nummo uno; ut ipsum quidem jus remaneat penes maritum, perceptio vero fructuum ad mulierem pertineat*. Et licet hujusmodi locatio ceteris casibus improbata sit, (namque Ulpian. ait lib. LXIX. ad edictum (r): *Si quis conduxerit nummo uno, conductio nulla est; quia & hoc donationis instar inducit*.) venditio tamen, ut antea dixi, in multis aliis rebus frequentabatur, ut in fideicommissariis quoque hereditatibus. Nam quod Justinianus lib. II. Instit. (s) ait, si quis totam hereditatem restitueret, emptæ & venditæ hereditatis stipulationes interponi solitas: id ex Theophili Græcis institut. (t) ita accipiendum est. Apud veteres ante S. C. Trebellianum, posteaquam jussit Augustus Consulibus ut in fideicommissis auctoritatem suam interponerent, qua de causa Prætor proprius creatus est, quem fideicommissarium appellabant (quanquam duos Prætores Claudius instituit, sed alterum D. Titus detraxit) in hunc modum is qui de tota hereditate restituenda rogabatur, sibi consulebat. Namque per imaginariam venditionem uno nummo, ut Theophilus ait, hereditatem fideicommissario vendebat: atque ita stipulationes emptæ & venditæ hereditatis jure interponebantur, post Trebellianum quoque & Pegasianum S. C. si nollet quartam retinere. Apud Paulum etiam reperio lib. II. sententiarum (u) scriptum esse, inter virum & uxorem contemplatione donationis imaginariam venditionem contrahi non posse: quod minime mirum est, cum Ulpian. lib. VII. disputationum scribat, inter virum & uxorem donationis causa pretio viliore venditionem nullius momenti esse, quamvis inter ceteros valeat, nisi universa venditio donationis causa facta sit. Quibus verbis hæc quoque imaginaria venditio labefactari videtur. Multo etiam magis Modestini verbis lib. V. regular. (x) *Contractus*, inquit, *imaginarii etiam in emptionibus juris vinculum non obtinent, cum fides facti simulatur, non intercedente veritate*. Item Pauli lib. II. ad edictum Ædilium Curulium (y): *Nuda & imaginaria venditio pro non facta est: & ideo nec alienatio ejus rei intelligitur*. Denique Justiniani constitutiones exstant duæ lib. VII. Constitutionum (z), quibus inter dominium, quod pleno jure ex jure Quiritium veniebat, & id quod in bonis dicitur; item inter res dividi, mancipi, & nec mancipi, stipendiarias & tributarias, Italici soli, aut provinciarum nulla differentia est (a). De pleno jure in lege Junia Norbana diximus. De rebus autem dividi fortasse Constantini constitutio mentionem fecit lib. Theodosianar. constitutionum (b), quas existimo dividi esse appellatas, quod dividi possint, ut res mancipi quæ mancipatione abalienari, res nec mancipi, quæ alienari non possent. Quod vero Budæus doctissimus vir & antiquitatis peritissimus, a quo permulta in hunc libellum transtulimus, ait, nexum in Justiniani constitutione (c), ad vetera nexa esse referendum, neque id alio loco in nostris libris reperiri; non facile adsentior. Verba

(i) *c.* 3. (k) *l.* etiam. *de verbor. signi.* (l) *d. lib.* 33. (m) *Inst. de testa. in princ.* (n) *Instit. cod. p.* sed neque. (o) *Insti. qui.* u*mo jus. p. p. sol. p.* præter ea.

(p) *l.* imaginaria. *de diver. reg. jur.* (q) *l.* si usufructus. *de jur. dot.* (r) *l.* si quis conduxerit. *loc. l.* si quis ante. *in fin. de adquir. poss.* (s) *Inst de fideico. her. p.* ergo. (t) *Inst. eod. in pri. & de cod. in princ. l.* 2. *p.* capta. *de orig. jur.* (u) *l.* si quis donationis. *de contrab. emp.* (x) *l.* contractus. *de oblig. & actio.* (y) *l.* nuda *de contrab. emp.* (z) *l. un. C. de nudo jure Quirit. tol. l. un. Co de usuc. transf.* (a) *Inst. de re divi. p.* per traditionem. (b) *l.* de maternis. *in Cod. Theod.* (c) *d. l. un. de usuca. transfer. p* cum autem.

enim

enim ejus legis sunt hæc: *Usucapionem extendebant non tantum in Italico solo nexu, sed in omnem terrar. orbem*. Sed arbitror nexum pro diœcesi, aut pecunia, aut ut idem dicere solet, tractu esse usurpatum; quod nescio, an alio loco reperiatur: aut si obligationem & vinculum significat, quod alios usurpasse ostendam, non illam veterem mancipationem respexit. Quæ si facta esset, ut Severinus ait, usucapione opus non erat: nisi forte Justinianus ea solum usucapi posse credidit, quæ nexu tradita essent: translatione tamen usum non negaverim, ut Alexander Imp. (d): *Errat qui tibi persuasit, quod nexu paternæ potestatis jure sacramenti solutus es*: & Antoninus (e): *Ipse securitatem debitam commissi nexu liberatus cum emolumentis accipiat*. & Justinianus (f): *Nexu paterno per emancipationem liberentur*. Quodque durius est in Theodosii constitutione (g): *Per vicarios officior. ligatus ferreis nexib. cura provincialis officii ad debitum mittatur examen*. Quod tamen defendi potest ex his quæ in Petillia lege diximus. Sic Ulp. lib. VI. opinionum (h): Petenti mutuam pecuniam creditori, cum ad manum debitor non haberet, species auri dedisse scribit, ut pignori apud alium creditorem poneret: easque voluntates domini nexas esse ait. Aliorum libror. exemplis abstinemus, ne longiores simus. Illud in summa tenendum est, ex duodecim Tabulis venditionem mancipationemque manasse, qui modus legitimus alienationis habebatur, qua de causa eo utebantur in emancipationibus & adoptionibus & matrimoniis, quæ per coemptionem fiebant, & testamentis, quæ per æs & libram dicuntur; in ceteris denique alienationibus atque contractibus, quæ firmissima esse voluerunt. Cujus locum postea stipulationes occuparunt, de quibus alius erit scribendi locus. Quod vero docti aliquot viri scripserunt, quod Aristo ait legem XII. Tab. (i) emptionis verbo omnem alienationem fuisse complexam, ad hanc emptionem imaginariam pertinere, non facile mihi persuaserint. Qua de re quid ipse sentiam, capite quinto dictum est.

XXVIII. M. Cicero lib. III. Officiorum scribit, sancitum esse jure civili, ut in prædiis vendendis vitia etiam dicerentur, quæ nota essent venditori. *Nam cum ex XII. Tabulis*, inquit, *satis esset cautum ea præstari, quæ essent lingua nuncupata, quæ qui inficiatus esset, dupli pœnam subiret; a jureconsultis etiam reticentiæ pœna est constituta*. Prædium autem jurisconsultorum more Cicero appellat tam urbanum, ut ædes, quam rusticum, ut ager, sive fundus. Ob hanc legem idem in oratione pro L. Muræna Cos. designato ait: *Quod si in his rebus repetendis quæ mancipi sunt, is periculum judicii præstare debet, qui se nexu obligavit; profecto etiam rectius in judicio Consulis designati is potissimum Consul, qui Consulem declaravit, auctor beneficii Pop. Rom. defensorque periculi esse debebit*. Qua de causa, ut Budæus notat, non facile solebant mancipio dare, nisi qui præstare possent, quod lingua nuncupassent. M. Varro lib. II. de re rustica (k) ita scribit: *Dominum legitimum sex fere res perficiunt; si hereditatem justam adit; si, ut debuit, mancipio ab eo accepit, a quo jure civili potuit: aut si in jure cessit, qui potuit cedere, & id ubi oportuit; aut si usucepit, aut si e preda sub corona emit, tumve cum in bonis sectioneve cujus publice venit*. Addit id, quod non facile nostri concedant: *In servor. emptione solet accedere peculium, aut si excipiet, stipulatio intercedere, Sanum eum esse, furtis noxisque solutum: aut si mancipio*, inquit, *non datur, dupla promitti, aut si ita pacti, simpla*. At in nostris libris apud Ulpianum lib. I. ad edictum Ædilium Curulium (l): *Ædiles ajunt, Qui mancipia vendunt, certiores faciant emptores, quid morbi vitiive cuique sit, quis fugitivus, errove sit, noxave solutus non sit, eademque omnia cum ea mancipia venibunt, palam recte pronuntianto*. De peculio servor. contra Paulus lib. X ad Sabinum scribit (m): *In venditione servi peculium semper exceptum esse intelligitur*. De dupla idem ait lib. V. (n): *Si dupla non promitteretur, & eo nomine agetur, dupli condemnatus est reus*. Quibus verbis Varronis verba confirmantur, duplam ipso jure præstare debere venditorem, nisi de simpla actum sit. De ædibus vero Ulp. lib. XXVIII. ad Sabinum (o) scribit: *Venditor si cum sciret deberi servitutem, celavit, non evadet ex empto actionem, si modo eam rem emptor ignoravit. Omnia enim quæ contra bonam fidem fiunt, veniunt in empti actionem*. Id est quod Cic. ait reticentiæ pœnam esse constitutam, & quod antea ex edicto Ædilium retulimus. Eisdem Ulp. verbis ea controversia tollitur, quam idem Cic. lib. de Oratore, & lib. III. de Officiis refert. M. Marius Gratidianus C. Sergio Oratæ, quem etiam Auratam appellat, ædes vendiderat, quas ab eodem paucis ante annis emerat; in mancipii lege Marius ædes servire non dixerat, quas servire constabat. L. Crassus Sergii nomine egit, ut quod vitium venditor sciens non dixisset, præstaret. M. Antonius Marium defendebat, cum id vitium ignotum Sergio non fuisset, non esse deceptum. Cujus defensio Ulpiano æquior visa est. tum enim teneri venditorem ait, cum emptor ignoravit, *Non enim*, inquit (p), *videtur esse celatus, qui scit: neque certiorari debuit, qui non ignoravit*.

XXIX. De furtis apud Macrobium lib. I. Saturnalior. (q) lex XII. Tabular. refertur in hæc verba: SI NOX FURTUM FACTUM SIT, SI IM ALIQUIS OCCISIT, JURE CÆSUS ESTO. In qua lege animadvertit NOX pro noctu dictum esse, & IM pro eum. Quod totum ex Gellii lib. VIII. qui hodie non exstat, sumptum esse videtur, ut ex ejus libri epitome animadverti. Sextus quoque Pompejus scribit, CALIM antiquos dixisse pro clam, NIS pro nobis, SAM pro suam, IM pro eum. Ipsius legis sententia apud Cajum lib. VII. ad edictum provinciale (r) refertur. *Lex*, inquit, XII. *Tab. furem noctu deprehensum occidere permittit, ut tamen id ipsum cum clamore testificetur*. Addit, quod eadem lege dicebatur: *Interdiu autem deprehensum ita permittit occidere, si is se telo defendat; ut tamen æque cum clamore testificetur*. Idem Cajus lib. XIII. (s): *Furem interdiu deprehensum non aliter occidere lex XII. Tabul. permisit, quam si telo se defendat. Teli autem appellatione & ferrum, & fustis, & lapis, & denique omne quod nocendi causa habetur significatur*. Hoc autem postremum idem Cajus lib. I. ad Leg. XII. Tabularum, hac eadem de re fortasse agens, pluribus verbis scribit (t): *Telum*, inquit, *vulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur: sed nunc omne significatur, quod mittitur manu*. Addit appellationis causam fuisse ἀπὸ τοῦ τηλοῦ, quod procul significat; βέλος quoque apud Græcos ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι dicitur, pro quocumque telo usurpari: in quam rem testimonio utitur Xenophontis lib. V. expeditionis Cyri minoris, quod ab Justiniano quoque refertur lib. IV. Institutionum (u), ut a nobis est lib. IV. Emendationum scriptum. Hanc autem legem Cicero significavit in Miloniana oratione: *Quod si XII. Tabulæ nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem si se telo defenderit, interfici impune voluerunt: quis est, qui quoquomodo quis interfectus sit, puniendum putet, cum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus*? Ciceronis verba Aurelius Augustinus (x) referre videtur apud Gregorium lib. V. Decretalium epistolarum: *In antiquis*, inquit, *legibus, quibus ista est antiquior*, (de sacris autem Judæorum legibus augebat) *invenitur impune occidi noctur-*

(d) *l. 3. Co. de castren. pecu. lib. 12.* (e) *l. 2. C. de suscepto. præp. & arca lib. 10.* (f) *l.* cum oportet. *p.* cum autem. *de bon. quæ lib.* (g) *l 3. C. de executo. lib. 12.* (h) *l.* petenti. *de pigno. actio.* (i) *l.* statu lib. *1. de statu lib.* (k) *cap. 10.* (l) *l. 1. in princ. de Æd. ed.*

(m) *l. 3. de evict.* (n) *l. 2. eo* (o) *l. 1. de actio. empt.* (p) *e. l. 1. in fine.* (q) *cap. 4.* (r) *l.* itaque si servum. *ad Leg. Aquil.* (s) *l.* si pignore. *p.* furem. *de furt.* (t) *l.* si calvitur. p. telum. *de ver. sign.* (u) *Insti. de pub. jud. p.* item lex Corneliæ de sicariis. (x) *c. 3. de homi. Augu. quæst. 74. in Exod.*

num furem quoquo modo, diuturnum autem si se telo defenderit; jam enim plus est, quam fur. Mosen vero multo antiquiorem XII. Tabulis fuisse, Eusebius diligentissimus vir in hujusmodi rebus pervestigandis locuples esse testis potest, qui initio ejus libri quem de temporibus inscribit, testatur Mosen, qui leges Judæis dedit, Inachi temporibus fuisse, ut multi scripserunt. Inachum autem quinquentis annis bellum Trojanum antecessisse. Hic ille Inachus est, de quo Naso ait (y):

Inachus unus abest, imoque reconditus antro
Fletibus auget aquas; natamque miserrimus Io
Luget, ut amissam.

Quam fabulam in eadem tempora Eusebius retulit. Sed ut ad furta revertamur, A. Gellius lib. XI. (z) scribit Draconem Athenis legem tulisse, ut qui furtum qualecumque fecisset, capite puniretur. Ea autem lex cum acerba nimis esse videretur, Solon dupli tantum pœnam statuit. Decemviri ab utroque mutuati, manifestum furem occidi permiserunt, si cum furtum faceret, nox esset; aut interdiu se telo defenderet: ceteros manifestos fures verberari liberos, addicique jusserunt (quod lib. XX. appellat in servitutem tradi) ei, cui factum furtum sit. Servos vero verberib. adfici, & saxo præcipitari. Pueros impuberes Prætoris arbitratu verberari, noxamque ab his factam sarciri. Prætorem autem Consulem lex appellat, ni fallor, ut apud Livium lib. III. Neque enim sine causa Cicero lib. III. de legibus ita de Coss. legem tulit: REGIO IMPERIO DUO SUNTO: IIQUE PRÆEUNDO, JUDICANDO, CONSULENDO, PRÆTORES, JUDICES, CONSULES APPELLANTOR. Nam Pomponius lib. sing. enchiridii (a) post leges has latas, & post Tribunos militares creatos, & plebejos Consules, ait: *Cumque Consules avocarentur bellis finitimis, neque esset qui in civitate jus reddere posset; factum est ut Prætor quoque crearetur, qui Urbanus appellatus est, quod in Urbe jus redderet.* Livius quoque in calce libri sexti concessum fuisse ait ab nobilitate plebi de Consule plebejo, a plebe nobilitati de Prætore uno, qui jus in Urbe diceret, ex patribus creando, L. Æmilio Mamercino, L. Sextio Coss. designatis. Asconius autem Pædianus in Prætura urbana Ciceronis scribit, veteres omnem magistratum, cui pareret exercitus, Prætorem appellasse; unde Prætorium tabernaculum ejus ducis appellatur: quod Justinianus etiam scripsit Novella XXIV. & in castris, porta Prætoria; cohorsque Prætoria comites ejus ducis dicebantur. Inde etiam Præfectus Prætorio dictus est, quod imperatoris Prætorio præfectus esset. Cum Asconio facit Justiniani Novella vigesima quinta, quæ de Prætore Lycaoniæ inscribitur: *Prætoris*, inquit, *nomen Romani magistratus est, atque ante ipsos quidem Consules in veteri atque præclara constitutione Reip. usurpatum. Etenim olim Romani imperatores suos Prætores appellabant, qui & militaribus copiis præessent, & jura scriberent, quibus omnes obedirent.* Quod ita distinguendum est, ut ante Prætorem urbanum ejusmodi duces atque imperatores id nomen significaret; postea & judiciis & provinciis præfuerunt, aliis Prætoribus creatis, qui in provincias irent; item aliis, qui de quibusdam criminibus atque de fideicommissis cognoscerent, ut idem Pomponius & Justinianus (b) scripserunt. Qui in provincias venerant, jurisdictionis & rei militaris, ut Justinianus scribit, curam gerebant, edictis provincialibus propositis ad exemplum Urbani edicti, quod postea perpetuum appellatum est, ut in Cornelia lege diximus, & lib. I. Emendationum nostrarum. Sex. Pompejus Prætoriam portam in castris appellatam esse ait, qua exercitus in prælium educeretur, quia initio Prætores erant, qui postea Consules, & bella administrabant, quorum tabernaculum Prætorium dicebatur. Prætoriam cohortem dictam esse, quæ a Prætore non discederet. Nam Scipio, inquit, Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello non discederent, & cetero militiæ munere vacarent, & sesquiplex stipendium acciperent. Cornelius Tacitus lib. I. denariis duobus, hoc est, assibus duob. & triginta eos qui ex Prætoria cohorte essent, ceteros milites assibus decem singulis diebus meruisse scribit. De hac cohorte Ulpianum (c) sensisse arbitror lib. sing. de officio Prætoris Tutelaris, ut alio loco dictum est. Varro quoque lib. II. de vita Pop. Rom. apud Nonium Marcellum (d) scribit: *Idem dicebantur Consules & Prætores; quod præirent populo, Prætores; quod consulerent Senatui, Consules.* Sequitur apud Gellium (e) obscurus locus, de quo nos lib. IV. Emendationum imperfecte egimus. *Ea quoque*, inquit, *furta, quæ per lanceam liciumque concepta essent, perinde ac si manifesta forent, vindicaverunt.* Nam licet quid conceptum furtum esset ex Justiniani libro quarto *, & Pauli secundo sententiarum declaraverimus, lancem tamen ad mancipationem, & licium ad inliciendum, hoc est, vocandum, ut Varro † scripsit, referebamus. Postea vero reperimus apud Sex. Pompejum * lance & licio dici, quia qui furtum in aliena domo quæsitum ibat, licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat propter matrumfam. aut virginum præsentiam. Sed & idem Gellius lib. XII. (f) scribit Tyronem M. Tullii libertum scripsisse lictorem a licio appellatum, quo is qui magistratibus ministrabat, præcingebatur: quamquam Gellius Valgium Rufum sequi mavult, ut lictores a ligando dicerentur, sicut lectores a legendo, victores a vincendo. Licia autem ea fila sunt, quæ staminibus implicantur in tela, de quibus Virgilius (g):

Septima post decimam felix & ponere vites,
Et pensos domitare boves, & licia telæ
Addere. Et alio loco. (h)
Torna tibi hæc primum triplici diversa colore
Licia circumdo.

Itaque arbitror, ut appareret eum magistratus jussu in domum alienam ingredi ad furtum concipiendum, licio præcinctum fuisse. Idem Gellius lib. XVI. ait, (i) furtorum quæstiones cum lance & licio evanuerunt. Conceptum furtum dicitur, cum apud aliquem testibus præsentibus furtiva res quæsita & inventa est, ut Justinianus (k) scribit. A capiendo autem id dicebatur, opinor, quod furtum ceptum illic esset. Quæ omnia obsoluerunt; nam Prætores manifesto furto actionem in quadruplum dederunt, concepto & oblato tripli. Justinianus (l) hanc quoque tripli actionem omisit, & manifesto furto quadrupli reliquit, nec manifesto dupli. Nec manifestum autem arbitror in XII. eadem dupli pœna, quam Solon sanxit, fuisse punitum: quod Cato initio libri de re rustica significare videtur. Cetera, quæ ad hunc locum pertinerent, quarto libro Emendationum & opinionum scripsimus.

XXX. *Si furtim arbores cæsæ sint*, & ex lege Aquilia, & ex XII. Tabular. dandam actionem Labeo ait apud Paulum lib. IX. ad Sabinum (m). Ea autem lex erat, ut qui injuria cecidisset alienas arbores, lueret in singulas asses XXV. quod Plinius secundus initio lib. XVII. naturalis historiæ scripsit. Asses autem tum librales erant, hoc est, libram æris pendebant, ut sæpe dictum est. Ad eam legem Cajus, ut opinor, scripsit, cum lib. I. ad legem XII. Tab. ait: *Sciendum est autem eos qui arbores, & maxime vites ceciderint, etiam tanquam latrones puniri.* Item illud (n): *Certo non dubitatur si adhuc adeo*

(y) *libr.* I. *Metamorph.* (z) *cap.* 18. (a) *l.* 2. *p.* deinde cum post. & *seq. de orig. jur.* (b) *d. l.* 2. *p.* capta. & *Nov.* 24.

(c) *l.* si Tribunus. *de excusa.* (d) *verb.* Consulem. (e) *d. lib.* 8. * *Inst. de obli. quæ ex del. na. p.* conceptum. † *lib.* 5. *de ling. Lat.* * *verb. Lance.* (f) *cap.* 3. (g) *Georgic.* I. (h) *Eclog.* (i) *cap.* 10. (k) *Inst. de perp. & tem. actio.* (l) *Instit. de obl. quæ ex del. na. p.* pœna. (m) *l.* 1. *arbor. fur. cæs.* (n) *l.* 2. *l.* certe. eo.

tenerum ſit, ut herbæ loco ſit, non debere arboris numero haberi. Ejuſdem legis eſſe arbitror ea verba, CÆDERE, CINGERE, ET SUBSECARE: quæ Paulus lib. IX. ad Sabinum ita interpretatur (o) *Cædere eſt non ſolum ſuccidere, ſed etiam ferire cædendi cauſa, cingere eſt deglabrare, ſubſecare eſt ſubſecuiſſe.* Ideoque Ulpianus ait lib. XXXVIII. ad edictum (p): *Si quis radicitus arborem evellerit, vel exſtirpaverit; hac actione non tenetur: neque enim vel cædit, vel ſuccidit, vel ſubſecuit: Aquilia tamen tenetur, quaſi ruperit.* Sed fortaſſe hæc ad edicti verba pertinent: illa ad XII. quæ ſequuntur: *Sive autem quis ſuis manibus, ſive dum imperat ſervo arbores cingi, ſubſecari, cædi; hac actione tenetur. Idem & ſi libero imperet.* Aut etiam utroque loco ad edicti verba reſpexit. Apud Alfenum lib. VII. Digeſt. in lege locationis ſcriptum fuiſſe dicitur (q): REDEMPTOR SILVAM NE CÆDITO, NEVE CINGITO. quæ verba ex ſupra ſcriptis intelligentur.

XXXI. Idem Plinius lib. XVIII. (q) ſcribit: *Frugem aratro quæſitam furtim nocte paviſſe, ac ſecuiſſe, puberi XII. Tabulis capitale erat, ſuſpenſumque Cereri necari jubebant, gravius quam in homicidio convictum. Impubem Prætoris arbitratu verberari, noxamve duplionemve decerni.* Hujus legis mentio fit, ut arbitror, ab Ulpiano lib. XLI. ad Sabinum (r): *Si glans,* inquit, *ex arbore tua in meum fundum cadat, eamque ego immiſſo pecore depaſcam; Ariſto ſcribit non ſibi occurrere legitimam actionem, qua experiri poſſim. Nam neque ex lege XII. Tab. de paſtu pecoris, quia non in tuo paſcitur: neque de pauperie neque de damni injuria agi poſſe. In factum itaque erit agendum.* Hæc igitur fortaſſe Pliniana eſt, quæ ab Ulpiano de paſtu pecoris dicitur: quamvis hic glandis, ille frugis mentionem fecerit. Addit Cajus lib. IV. ad legem XII. Tabular. (s) *Qui ædes, acervumve frumenti juxta domum poſitum combuſſerit; vinctus verberatus igni necari jubetur; ſi modo ſciens prudenſque id commiſerit, Si vero caſu, id eſt, negligentia, aut noxiam ſarcire jubetur, aut ſi minus idoneus ſit, levius caſtigatur; Appellatione autem ædium omnes ſpecies ædificii continentur.*

XXXII. Huic legi adfinis illa eſt, cujus verba Servius Grammaticus refert: NEVE ALIENAM SEGETEM PELLEXERIS. cum illud Virgilianum carmen interpretaretur (t):

Atque ſatas alio vidi traducere meſſes.

Erant enim ex lege XII. Tabular. omnia hæc cantationum genera punita. Nam Plinius lib. XXVIII. (u) ſcribit legum ipſarum verba fuiſſe: QUI FRUGES EXCANTASSET. & alibi: QUI MALUM CARMEN INCANTASSET. Quibus verbis Crinitus abuſus eſt, item ſuperiorum aliquot legum, lib. v. de honeſta diſciplina.

XXXIII. De injuriis apud Gellium lib. XX. (x) hæc verba referuntur XII. Tabularum: SI INJURIA ALTERI FAXIT, XXV. ÆRIS POENÆ SUNTO. Quam legem cum Q. Labeo interpretaretur, ita ſcribit: L. Neratium improbum hominem atque immani vecordia, pro delectamento habuiſſe os liberi hominis manu ſua verberare, ſervoque quem cum crumena aſſium plena ducebat, jubere ſolitum, ut injuriam paſſo XXV. aſſes ex lege XII. Tab. numeraret. Quamobrem Prætores edixerunt, Recuperatores ſe injuriis æſtimandis daturos. In eadem lege ſcriptum erat: SI MEMBRUM * RUPIT, NI CUM EO PACIT, TALIO ESTO. Qua de re Juſtinianus ſcribit lib. IV. Inſtitutionum (y). *Pœna,* inquit, *injuriarum ex lege XII. Tabular. propter membrum quidem ruptum talio erat, propter os vero fractum nummariæ pœnæ erant conſtitutæ quaſi in magna veterum pauper-*

(o) *l.* cædere. *eo.* (p) *l.* furtim *eod* (q) *l.* in lege. D. *locati.* (q) *cap.* 3. (r) *l.* qui ſervandarum. *in fine. de præſcr. ver.* (s) *l.* qui ædes *de incendii & ruina.* (t) *Eclog.* 8. (u) *cap* 2. (x) *cap.* I. * *al.* RAPSIT. (y) *Inſtit. de injur. p.* pœna.

tate. Sed poſtea Prætores permittebant ipſis qui injuriam paſſi ſunt, eam æſtimare. Sed apud Gellium (z) Sex. Cæcilius dicebat non omnes injurias XXV. libris æris æſtimatas, etſi ea pecunia magna illis temporibus eſſet; ſed atrociores injuriis, ut de oſſe fracto, liberis vel ſervis factas, impenſiore damno vindicatas, item alias talione. Ad quam talionem non ante veniebatur, quam is qui injuriam fecerit, paciſci nollet. Verum & id ad æſtimationem judicis redigi ſolitum ait. *Nam ſi reus,* inquit, *qui depaciſci noluerat, judicii talionem imperanti non parebat, æſtimata lite judex hominem pecuniæ damnabat.* Ejuſdem legis mentio fit ab eodem Gellio lib. XVI. (a) & a Sex. Pompejo (b), ex quo Gellius corrigendus eſt. Ad hanc legem fortaſſe pertinet quod Quinctianos lib. I. (c) ſcribit, in Duodecim reperiri, NI ITA PAGUNT. *cui ſimile eſt,* inquit, *cadunt. inde prima poſitio, etiamſi vetuſtate exolverat, pago, ut cado: unde non erat dubium ſic pepigi nos dicere, ut cecidi.* Uritur eo verbo is qui ad Herennium rhetorica ſcripſit libro ſecundo in lege an effitta, an vera? REM UBI PAGUNT, ORATIONE PAGUNT. Et Cicero lib. I. de legibus ludens in ea ſententia, quam inter Stoicos & Academicos tulit. Nam cum Quinctius frater interrogaſſet, quamnam ſententiam dicerent? *Requiri,* inquit, *placere terminos, quos Socrates pegerit, iiſque parere.* Ad eandem etiam illa quoque forſitan referenda ſunt, quæ Ulpianus ait lib. XVIII. ad edictum (d): *Lex Aquilia omnibus legibus quæ ante ſe de damno injuria locutæ ſunt, derogavit; ſive XII. Tab. ſive alia quæ fuit.* Et quod paulo ante retuli ex eodem Ulpiano libro XLI. ad Sabinum (e).

XXXIV. Huc accedit, quod Cicero lib. IV. de Repub. ſcripſit, ut D. Auguſtinus refert lib. II. de civitate Dei (f): *Apud Græcos fuit etiam lege conceſſum, ut quod vellet comœdia nominatim, de quo vellet, diceret. Itaque quem illa non attigit? vel potius quem non vexavit? cui pepercit? Noſtræ contra XII. Tabulæ cum perpaucas res capite ſanxiſſent, in his hanc quoque ſanciendam putaverunt:* SI QUIS OCCENTAVISSET, SIVE CARMEN CONDIDISSET, QUOD INFAMIAM FACERET FLAGITIUMVE ALTERI. *Præclare: judiciis enim ac magiſtratuum diſceptationibus legitimis propoſitam vitam, non poetarum ingeniis habere debemus; nec probrum audire, niſi ea lege, ut reſpondere liceat, & judicio defendere.* Occentaviſſet: non actitaviſſet ſcripſiſſe Ciceronem arbitror, ut eruditiſſ. vir Lud. Vives probat, Sex. Pompejum ſecutus, qui ita ſcribit: *Occentaſſint antiqui dicebant, quod nunc, convicium fecerint, dicimus; quod id clare, & cum quodam clamore fit, ut procul exaudiri poſſit.* Paulus lib. V. ſententiarum, *Injuriarum,* inquit, *actio lege XII. Tab. introducta eſt, de famoſis carminibus, membris ruptis, & oſſibus fractis.* Arnobius lib. IV. *Carmen malum conſcribere, quo fama alterius coinquinetur, & vita, Decemviralibus ſcitis evadere noluiſtis impune. Ac ne veſtras aures convicio aliquis petulantiore pulſaret, de atrocibus formulas conſtituiſtis injuriis.* De eadem hac lege idem Cicero initio libri quarti Tuſculanar. quæſtionum ita ſcribit: *Id etiam XII. Tabulæ declarant condi jam tum ſolitum eſſe carmen: quod ne liceret fieri ad alterius injuriam leges ſanxerunt.* De hac Flaccus in arte:

Succeſſit vetus his comœdia, non ſine multa
Laude: ſed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi. lex eſt accepta, choruſque
Turpiter obticuit, ſublato jure nocendi.

Et in epiſtola ad Auguſtum (g).

Quin etiam lex
Pœnaque lata, malo quæ nolet carmine quemquam

(z) *d. lib.* 20. (a) *cap.* 10. (b) *verb.* Talio. (c) *cap.* 6. (d) *l.* I. *ad l. Aqu.* (e) *d. l.* qui ſervandar. *p.* ul. *de præſ. ver.* (f) *cap.* 9. (g) *lib.* 2. *epiſt.* I.

Describi. vertere modum formidine fustis
Ad bene dicendum, delectandumque redacti.

Sed lege Cornelia de injuriis (h), & quodam S. C. capitalis pœna in eam conversa est, ut is intestabilis sit, ut alio loco dictum est.

XXXV. Nunc ad actiones veniamus. Et Pomponius lib. sing. enchiridii (i) scribit ex XII. Tabulis actiones compositas fuisse, quibus inter se homines disceptarent, quas ne populus prout vellet institueret, certas sollemnesque esse voluerunt. Hæque legis actiones, id est, legitimæ propter XII. Tabulas appellatæ sunt. Sed & legum interpretandarum scientiam & actiones apud collegium Pontificum fuisse scribit, qui constituebant inter se quis eorum præesset singulis annis: *eaque consuetudine*, inquit, *populus annis prope centum usus est*. Postea cum Appius Claudius proposuisset, & ad formam redegisset has actiones, Cn. Flavius scriba ejus libertini filius subreptum librum populo tradidit: & adeo gratum fuit id munus populo, ut Tribunus Pl. fieret, & Senator, & Ædilis Curulis. Liber autem qui eas actiones continet, appellatur jus civile Flavianum. Sed quia augescente civitate deerant quædam genera agendi, non post multum temporis spatium Sex. Ælius alias actiones composuit, & librum populo dedit, qui appellatur jus Ælianum. Hæc Pomponius de actionibus ait. Livius vero de Flavio lib. IX. ita scribit: P. Sulpicio Averrione, P. Sempronio Sopho Coss. Cn. Flavius Cn. F. scriba patre libertino Ædilis Curulis fuit, antea Tribunus fuerat, & Triumvir nocturnus, item coloniæ deducendæ. Civile jus repositum in penetralibus Pontificum evulgavit, Fastosque circa forum in albo proposuit, ut quando lege agi posset, sciretur. De fastis & nefastis diebus nota sunt Nasonis carmina (K):

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur;
Fastus erit, per quem lege licebit agi.

Macrobius quoque lib. I. Saturnalior. (l) scribit dies aut festos esse, aut profestos, aut intercisos. Festos diis dedicatos, profestos hominibus ob administrandam remp. atque privatam, intercisos diis hominibusque esse communes: qui ita appellati sunt, quod inter cæsa & porrecta fari Prætori, jusque dicere licebat; cum vero hostia cædebatur, aut cum porriciebatur in ignem fari non licebat. Quod Varro (m) ita accipit, ut mane & vesperi nefas sit. Idem refert Q. Mucii sententiam fuisse, ut expiari vix posset qui prudens id verbum emisisset: manumissum vitio liberum esse dicebat. (n) Profestos dies in fastos, comitiales, comperendinos, statos, & præliares. dividit item alia divisione in fastos atque nefastos. *Fasti sunt*, inquit, *quibus licet fari Prætori tria verba sollemnia*, DO, DICO, ADDICO, *Comitiales, quibus cum populo agi licet, hoc est, comitia haberi*. Sed fastis lege agi poterat, cum populo non poterat; comitialibus utrumque fieri poterat. Comperendini dicebantur, quibus vadimonium liceret dicere, & reum comperendinari, vadibus, ut arbitror, datis. Stati dies, qui judicii causa cum peregrinis interponebantur, ut in XII. Tabulis apud Ciceronem lib. I. de officiis, AUT STATUS DIES CUM HOSTE. & Plautum in Curgulione, *Si status condictus cum hoste intercedit dies*. Hostes autem peregrinos olim appellatos antea scripsimus. Stati appellabantur, ut opinor, quod sisteret se quis in judicio. nam Sex Pompejus ait: *Status dies vocatur judicii causa constitutus*. Præliares & justos dies Macrobius ita distinguit, ut justi sint continui triginta dies, quibus exercitu imperato vexillum rufi coloris in arce positum esset: quod apud Dionem quoque legisse me arbitror; præliares omnes, quibus fas esset res repetere, vel hostem lacessere. Itaque Flavius fastos proposuisse dicitur, ut dies fasti, quibus lege a-

(h) *l.* lex Cornelia. *p.* si quis. *de injur.* (i) *l.* 2. *p.* deinde *ex his legib. de orig. jur.* (k) *lib.* I. *Fast.* (l) *cap.* 16. (m) *lib.* 5. *de ling. Lat.* (n) *Macrob. ibid.*

A gi liceret, cogniti essent. Sed ea tabula, qua fasti continebantur, occultata fuisse dicitur quoad Flavius eam protulit. quod Pomponium non scripsisse mirandum esset, nisi animadvertissem Ciceronis tempore non satis hæc inter antiquitatis peritissimos constare. Ita enim M. Cicero lib. VI. ad Atticum (o) scribit: *In libris de Repub. unum* ἱϛορικὸν *requiris de Cn. Flavio Annii F.* (ita enim scriptum in aliquibus libris reperi hoc loco, & apud Gellium lib. VI. (p) licet sint qui *Cn. F.* scribant, ut apud Livium.) *Ille vero ante Decemviros*, inquit, *non fuit; quippe qui Ædilis Curulis fuerit: qui magistratus multis annis post Decemviros institutus est. Quid ergo profecit,* B *quod protulit fastos? Occultatam putant quodam tempore istam tabulam, ut dies agendi peterentur a paucis. Nec vero pauci sunt auctores Cn. Flavium scribam fastos protulisse, actionesque composuisse; ne me hoc, vel potius Africanum* (is enim loquitur) *commentum putes*. Et in eodem libro (q): *Illud de Flavio & fastis, si secus est, commune erratum est, & tu belle* ἠπόρησας, *& nos publicam prope opinionem secuti sumus, ut multa apud Græcos*. Ex hac fastorum tabula illud fortasse sumptum est, quod Macrobius lib. I. Saturnaliorum (r) refert in Duodecim fuisse, SOLIS OCCASUS SUPREMA TEMPESTAS ESTO. quod C A. Gellius lib. XVII. (s) plenius refert. *In* XII. inquit, *Tabulis ita scriptum est*: ANTE MERIDIEM CAUSAM CONICITO, CUM PERORANT AMBO PRÆSENTES; POST MERIDIEM PRÆSENTI LITEM ADDICITO, SI AMBO PRÆSENTES. SOL OCCASUS SUPREMA TEMPESTAS ESTO. Varro tamen scribit (t) post XII. Tab. legem Plætoriam id quoque tempus jubere esse supremum, quo Prætor supremam populo in comitio pronuntiasset. Legis verba refert Censorinus de die natali. Idem Cicero in oratione pro L. Muræna, quam dixit adversus Ser. Sulpicium, has ipsas actionum formulas irridens, & jurisconsultorum auctoritatem minuens, ita scribit: *Posset agi rege* D *necne, pauci quondam sciebant: fastos enim vulgo non habebant. Erant in magna potentia qui consulebantur, a quibus etiam dies tanquam a Chaldæis petebantur*. Chaldæi, ut ex libris de divinatione constat, divinationem ex astris & ex natali die ducebant, iidem dies salutares atque atros cuicumque rei agendæ prædicabant: ad eorum similitudinem Cicero ait dies a consultis peti solere, quibus agi liceret. *Sed postea inventus est*, inquit, *scriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit, & singulis diebus edicendos fastos populo proposuerit, & ab ipsis cautis jurisconsultis eorum sapientiam compilarit*. Idem lib. I. de Oratore: *Veteres illi*, inquit, *qui huic scien*-E*tiæ præfuerunt, obtinendæ atque augendæ potentiæ suæ causa pervulgari artem suam noluerunt: deinde posteaquam est editum, expositis a Cn. Flavio primum actionibus, nulli fuerunt qui illa artificiose digesta generatim componerent*. Actio autem, ut Justinianus definit (u), nihil aliud est, quam jus persequendi in judicio, quod sibi debetur. Hæ in formulas quasdam fuerant redactæ a Claudio & Ælio, ut antea dictum est, de quibus veteres scriptores multa retulerunt. Sed eas formulas Imp. Constantinus sustulit, item Theodosius non impetratæ actionis exceptionem, ut ex lib. II. Constitutionum Justiniani F & Theodosii (x) constat.

XXXVI. Ad actionum materiam pertinere arbitror, quæ in eisdem legibus de in jus vocando dicebantur. Itaque apud Gellium lib. XX. (y) referuntur hæc ejus legis verba: SI IN JUS VOCAT, SI MORBUS, ÆVITASVE VITIUM EXTITIT, QUI IN JUS VOCABIT, JUMENTUM DATO. SI NOLET, ARCERAM NE STERNITO. Quæ verba ita Sex. Cæcilius in-

(o) *epist.* I. (p) *cap.* 9. (q) *ead. epist.* (r) *cap.* 4. (s) *cap.* 2. (t) *lib.* 5. *de ling. Lat.* (u) *Instit. de act. in prin.* (x) *l.* 1. *&* 2. *C. de jur's formulis, & imp. act. subla. & l uni. de omissa actio. impet. in C. Theod.* (y) *cap.* I.

terpretabatur, ut morbus non gravem ægrotationem cum febre significaret, sed valitudinis atque imbecillitatis vitium aliquod. ille enim alter morbus sonticus a Decemviris appellatur, ut proximo capite dicetur. Jumentum vero non unicum pecus tergo vehens, sed ut ipse appellabat, vectabulum aliquod, quod junctis pecoribus trahebatur, unde nomen accepit. Arcera plostrum erat undique tectum atque munitum, quasi arca quædam magna vestimentis instrata, qua nimis ægri aut senes portari cubantes solebant. quod Nonius quoque Marcellus multis exemplis confirmat, in quibus XII. Tab. verba refert. item Varro in libris de lingua Latina (z). De ævitate in Annali lege diximus pro ætate id nomen accipi solere. Itaque si quis in jus vocatus sit, & levi morbo aut ætatis imbecillitate impediatur, quo minus sistere se possit, vehiculum illi, qui vocat, dabit; lecticam sternere non cogetur. Hujus legis initium a Cicerone refertur lib. II. de legib. *A parvis, Quincte*, inquit, *didicimus*: SI IN JUS VOCAT, *atque ejusmodi alias leges nominare*. Ex quo loco illud quoque apparet, initiis legum nonnunquam relatis totas leges referri videri, quod hodie nostri usurpant. Cajus vero lib. I. ad legem II. Tabular. de in jus vocando ita scripsit (a): *Plerique putaverunt nullum de domo sua in jus vocari licere: quia domus tutissimum cuique refugium atque receptaculum sit. eumque qui inde in jus vocaret, vim inferre videri.* Sic Cicero pro domo: *Quid est sanctius*, inquit, *quid omni religione munitius, quam domus uniuscujusque civium? Hic aræ sunt, hic foci, hic dii penates, hic sacræ religionis cæremoniæ continentur, hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit.* Idem Cajus ait (b): *Sed etiam a vinea, & balineo, & theatro nemo dubitat in jus vocari licere.* Item (c): *Neque impuberes puellas, quæ alieno juri subjectæ essent, in jus vocare permissum est.* Hæc ad XII. Tabul. pertinuisse arbitramur, quando in Caii libris reperiuntur, etsi de legum sententia nobis non constet.

XXXVII. Ulpianus tamen lib. LXXIV. ad edictum scribit (d): *Lex XII. Tab. si judex vel alteruter ex litigatoribus morbo sontico impediatur, jubet diem judicii esse diffisum.* Ad hanc legem Juliani verba referuntur lib. V. Digestor. (e): *Quæsitum*, inquit, *est cum alter ex litigatoribus febricitans discessisset, & judex absente eo pronuntiasset, an jure videretur pronuntiasse, respondit: Morbus sonticus etiam invitis litigatoribus ac judice diem differt. Sonticus autem existimandus est, qui cujusque rei agendæ impedimento est. Litiganti porro quid magis impedimento est, quam motus corporis contra naturam, quam febrem appellant?* Ex quibus verbis apparet diem esse diffisum significare differri oportere judicium: quo pacto Gellium lib. XIV. (f) usum esse alii animadverterunt. De sontico morbo Javolenus lib. XIV. ex Cassio (g) scribit: *Morbus sonticus est, qui cuique rei nocet.* Sex. Cæcilius (h), ut paulo ante dicebam, morbum vehementiorem vim graviter nocendi habentem Decemviros quodam loco appellasse ait. Hujus nominis origo explicatur a Venulejo lib. V. actionum (i): *Quotiens morbus*, inquit, *sonticus nominatur, eum significari Cassius ait, qui noceat. Nocere autem intelligi, qui perpetuus est: non qui tempore finiatur. Sed morbum sonticum eum videri, qui inciderit in hominem postquam is natus sit. Sontes enim nocentes dicuntur.* Sex. quoque Pompejus Ælium refert ita sonticum in XII. interpretantem, hoc est, cum justa causa, aut qui noceat, quod sontes significat nocentes. Addamus hoc loco, quod Cajus ait lib. I. ad legem XII. Tab. (k): *Si is qui fidejus-*

(z) *lib.* 4. (a) *l.* plerique. *de in jus voca.* (b) *l.* sed etiam. *eo.* (c) *l.* neque impuberes. *eo.* (d) *l.* 2. *p.* si quis judicio. *si quis cautio.* (e) *l.* quæsitum. *de re jud.* (f) *cap.* 2. (g) *l.* morbus. *de verb. signi.* (h) *apud Gellium lib.* 20. (i) *l. ult. de ædil. edi.* (k) *l.* si is qui. *si quis cautio.*

A *sorem dedit, ideo non steterit, quod Reipub. causa abfuerit; iniquum est fidejussorem ob alium necessitate sistendi obligatum esse, cum ipsi liberum esset non sistere.* Idem ait (l): *Qui in jus vocatus est, duobus casibus dimittendus est, si quis ejus personam defendet, & si dum in jus venitur, de re transactum fuerit.* Ad hunc etiam locum conveniret, quod de stato die cum hoste capite XXXV. dictum est.

XXXVIII. Acerbissimæ autem legis, quæ ad eos, qui judicata non faciunt, pertinet, verba apud Gellium lib. XX. sunt hæc: ÆRIS CONFESSI, REBUSQUE JURE JUDICATIS TRIGINTA DIES JUSTI SUNTO. POST DEINDE MANUS INJECTIO ESTO, IN JUS B DUCITO, NI JUDICATUM FACIT: AUT QUI PSEUDO EO IN JURE VIM DICIT, SECUM DUCITO, VINCITO AUT NERVO, AUT COMPEDIB. XV. PONDO, NE MINORE: AUT SI VOLET MAJORE VINCITO. SI VOLET, SUO VIVITO. NI SUO VIVIT, QUI EUM VINCTUM HABEBIT, LIBRAS (*) FARRIS IN DIES DATO: SI VOLET PLUS DATO. & postea: TERTIIS NUNDINIS PARTIS SECANTO: SI PLUS MINUSVE SECUERUNT, SINE (*) FRAUDE ESTO. Hac lege, Sex. Cæcilius dicebat, admonebantur cives Romani fidem servare, quam omnium maxime majores coluerant. Confessi igitur æris alieni judicatis justi dies C XXX. dati sunt conquirendæ pecuniæ causa. Justos autem appellabant, quasi justitium quoddam, jurisque inter eos interstitionem & cessationem, quibus diebus nihil cum his agi jure posset. In maximo tumultu ac perturbatione Reipub. tumultum decerni, justitium indici, saga sumi, tabernæ claudi solebant, ut ex Philippica V. atque aliis apparet. Nam cum nemo jus diceret, & omnes militaribus vestibus induti Reipub. conservandæ operam darent, facillime opem Reipub. ferebant. Addit Cæcilius, nisi æs alienum illis diebus dissolvissent, ad Prætorem vocari solitos, qui creditoribus eos addicebat. tum nervo atque compedibus vinciebantur. deinde D eos pacisci fas erat; nisi pacti forent, in vinculis sexaginta dies habebantur. in quibus diebus trinis nundinis continuis (quid nundinæ essent, in Cæcilia & Didia lege scriptum est) ad Prætorem in comitium producebantur, quantæque pecuniæ judicati essent, prædicabatur, ut si quis eos eximere vellet, quod nobilissimi quique facere solebant, tantam pecuniam solveret. Hinc ille jocus apud Nævium, ut Cicero lib. II. de Oratore refert: *Videtur*, inquit, *esse misericors ille, qui judicatum duci videt, percunctaturque ita, Quanti addictus? Cumque illi responsum esset, M. lle nummum: Si addidisset*, inquit, *tantummodo, Ducas licet, esset illud genus ri-* E *diculi præter expectationem; sed quia addidit, Nihil addo, ducas licet, addito ambiguo altero genere ridiculi, fuit, ut mihi quidem videtur, salsissimus.* Ambiguum autem erat, nihil addo, quoniam ad adjectionem referri poterat, qua quis in licitatione utitur; & ad ea quæ agebat, hoc est, nihil verborum addo, nihilque amplius a me expectes, eum libere ducito. Tertiis nundinis, ut Gellius scribit, capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant. Capitalis pœna acerbissima fuit, ut si plures creditores essent, addicti corpus inter se secarent. Qua pœnæ immanitate effectum est, ut Cæcilius F dicebat, ne umquam aliquis eam subiret. *Namque addici & vinciri multos*, inquit, *vidimus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. Dissectum esse antiquitus neminem equidem neque legi, neque audivi.* De hac eadem Quinctilianus lib. III. ita scribit: *Sunt quædam non laudabilia natura, sed jure concessa, ut in XII. Tabulis debitoris corpus inter creditores dividi licuit, quam legem mos publicus repudiavit.* Tertullianus quoque, *judicatos*, inquit (o),

(l) *d. l.* neque impuberes. *de in jus. voc.* (m) *cap.* I. * *vel* lib. feriendo dies. *Ursin. leg.* farris endo dies * SE (o) *Tertullianum in apologet.*

in partes secari a creditoribus leges erant, consensu tamen publico crudelitas postea erasa est, & in pudoris notam capitis pœna conversa est, bonorum adhibita pooscriptione. Quod vero in hac lege dicitur: SI VOLET, SUO VIVITO: NI SUO VIVIT, QUI EUM VINCTUM HABEBIT, LIBRAS FARRIS IN DIES DATO, Cajus lib. II. ad legem XII. Tabular. (p) scribit, verbum VIVERE putare quosdam ad cibum pertinere; sed Ofilium ad Atticum scripsisse his verbis & vestimenta & stramenta contineri; sine his enim vivere neminem posse. Ulpianus quoque lib. LVIII. ad edictum scribit (q): *Verbo* VICTUS *continentur, quæ esui, potuique, cultuique corporis, quæque ad vivendum homini necessaria sunt. vestem quoque victus habere vicem Labeo ait.* Addit Cajus lib. XXII. ad edictum provinciale (r): *Et cetera, quibus tuendi curandive corporis nostri gratia utimur, ea appellatione significantur.* Hæc tamen omnia vera sunt, cum victus solius mentio fit: nam si de victu & stratu, aut de victu & vestitu dictum sit, tum quod adjectum est, priori nomine non continebitur. *Si victum vel stratum* (inquit Licinnius Rufinus libro tertio decimo Regular. (s) *inferri quis judicato non patiatur, utilis in eum pœnalis actio danda est. vel ut quidam putant, injuriarum cum eo agi poterit.* Hoc pacto intelligendum est quod Ulpianus lib. LVIII. ad edictum (t) scribit; cujus verba mendosa circumferuntur. Sunt autem in Florentino libro hæc: *In stratu omne vestimentum contineri, quod injiciatur, Labeo ait; neque enim dubium est, quin stragula vestis sit omne pallium περίστρωμα.* In victu ergo vestem accipemus, non stragulam; in stratu omnem stragulam vestem. Pallium autem non solum Græcorum vestem significat, sed & stragulam, & peristromata. Ovidius lib. I. amorum:

Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur
Strata, neque in lecto pallia nostra sedent?

Item Juvenalis Satyra VI.

Tunc corpore sano
Advocat Archigenem, onerosaque pallia jactat;
Abditus interea latet & securus adulter.

Quod Baifius animadvertit. Itaque quod Cajus ait vestimenta & stramenta verbo victus contineri, ad XII. Tabulas pertinet, in quibus stratus nulla mentio est: Ulpianus vero est ad Rufini verba, aut illis similia referendus. Farre autem, ut ex hac lege apparet, pro frumento veteres utebantur. unde matrimonii genus, quod farre adhibito contrahebatur. & ut Sex. Pompejus ait, ador farris genus appellabant, quasi edor ab edendo, vel quod aduratur & torreatur. Adoream quoque laudem sive gloriam dicebant, quia gloriosum eum putabant, qui farris copia abundaret. Virgilius (u) hac de causa ait:

Instituuntque dapes, & adorea liba per herbas
Subjiciunt epulis.

XXXIX. Noxales actiones, ut Justinianus scribit, constitutæ sunt aut legibus aut edicto Prætoris. Legibus, veluti furti ex lege XII. Tabularum: damni injuriæ ex lege Aquilia (x): Edicto Prætoris, veluti injuriarum & vi bonorum raptorum. Celsus tamen differentiam facit inter legem Aquiliam, & XII. Tab. apud Ulpianum lib. XVIII. ad edictum (y). Nam in lege antiqua si servus sciente domino furtum fecit, vel aliam noxam commisit, servi nomine actio est noxalis, nec dominus suo nomine tenetur: *At in lege Aquilia, inquit, dominus suo nomine tenetur, non servi.* Legis XII. Tabul. ea ratio est, quasi voluerit servos dominis in hac re non obtemperare: Aquiliæ, quasi ignoverit servo, qui domino paruit. Sed tamen Julianus lib. LXXXVI. scribit: SI FURTUM FAXIT, NOXIAMQUE NOCUIT, (verba autem hæc alicujus legis initium, ni fallor, in XII. sunt) etiam ad posteriores leges, ut etiam servi nomine cum domino agi possit noxali judicio, neque Aquilia servum excuset, sed dominum oneret. Hanc legem fortasse Cajus interpretabatur lib. VI. ad legem XII. Tabular. (z) cum illud scripsit: *Noxiæ appellatione omne delictum continetur.* Ita enim in Tusco libro est, non *noxæ*. Justinianus quoque (a) in eandem rationem definit: *Noxa est ipsum corpus, quod nocuit, id est, servus; noxia ipsum maleficium. Quod ita accipiendum est, ut numquam noxiam pro servo accipiamus; nam noxa pro delicto & damno nonnumquam accipitur.* Julianus lib. II. Digest. (b) *Hæc stipulatio Noxis solutum præstari, non existimatur ad eas noxas pertinere, quæ publicam exercitionem, & coercitionem capitalem habent.* Ulpianus lib. XVIII. ad edictum (c): *Eum sibi*, inquit, *aut noxam sarcire aut in noxam dedere oportere.* Sarcire noxam, damnum sarcire significat; in noxam dedere, in ultionem atque vindictam dare pro damno dato. Sic Justinianus (d): *Quis enim*, inquit, *patiatur, filium suum, & maxime filiam in noxam alii dare?* Et Paulus lib. XXII. ad edictum (e): *Ut de peculio servi tui ad noxam dedere vicarium damneris.* Sic etiam noxæ dedere dicitur, hoc est, ultioni præbere, vel noxæ, id est, damni causa, Græcorum imitatione. Pro servo noxa accipitur in edicto apud Ulpianum lib. XXIII. ad edictum (f): *Si servus insciente domino fecisse dicetur, in judicio adjiciam, aut noxam dedere.* Judicii autem formula ab Justiniano refertur lib. IV. Institutio. *P. Mævium L. Titio in decem aureos condemno, aut noxam dedere.* Idem servus, noxius appellari solet. Ulpianus lib. XXIV. ad edictum (g): *Nonne æquum est ei familiam exhiberi, ut noxium servum adgnoscat?* Idem lib. III. (h) *Et heres*, inquit, *meus tenetur, si noxius vivat.* Idem libro quinquagesimo (i): *Si quis quem eorum servum, servamve ex ea familia, qui ejus facinoris noxius erit, receperit, vel celaverit, sciens dolo malo, in ea causa est, ac si lege, quæ de sicariis lata est, facinoris noxius fuerit.* Et alio loco (K): *Priusquam de ea familia quæstio ex S. C. habita, suppliciumque de noxiis sumptum fuerit.* Sic etiam lusus noxius in culpa esse dicitur a Paulo libro XXII. ad edictum (l). Sed tamen hæc hactenus, quæ colligere operæ pretium fuit propter doctorum virorum altercationem. Illud in hunc locum reservavimus, quod Sex. Pompejus scribit, RUPITIAS in XII. significare damnum dederis. Quod verbum nusquam reperi. Alio loco scribit, SARCITO in XII. Ser. Sulpicius ait significare damnum solvito, præstato.

XL. Si quadrupes pauperiem fecisse dicetur, actio ex lege XII. Tabular. descendit; ut Ulpianus ait lib. XVIII. ad edictum (m). Quæ lex voluit aut dari id quod nocuit, id est, id animal quod noxiam commisit, aut æstimationem noxiæ offerre. Noxia autem est ipsum delictum, pauperies damnum sine injuria facientis datum. Justinianus quoque lib. IV. Institutionum (n) ita scribit: *Animalium nomine, quæ ratione carent, si qua lascivia, fervore, aut feritate pauperiem fecerint; noxalis actio lege XII. Tab. prodita est. Quæ animalia si noxæ dedantur, proficiunt reo ad liberationem, quia ita lex XII. Tabular. scripta est.* Sequuntur exempla quædam, quæ sunt qui arbitrentur ex lege XII. Tabular. sumpta esse, illis verbis decepti, *Quia ita lex scripta est*. Sed nos ea ad priora esse referenda existima-

(p) *l.* quos nos. *in fine. de verb. signif.* (q) verbo victus. *eo.* (r) *l.* & cetera. *eo.* (s) *l.* si victum. *de re judi.* (t) *l.* in stratu. *de verb. signi.* (u) *Æn.* 7. (x) *Inst. de noxa. actio. p.* sunt autem. (y) *l. 2. p. 1. eo. tit.*

(z) *l.* pleb. *in fi. de verb. sign.* (a) *Inst. de noxa. actio. in pri.* (b) *l.* hæc stipulatio. *de verb. sign.* (c) *l. 1. p.* cum arietes. *si quad. pau.* (d) *Insti. de noxa. p. ult.* (e) *l.* si in re. *in fine eod.* (f) *l. 1. in prin. de his qui effud. Insti. de offi. jud. in prin.* (g) *l.* in hac. *p.* si quis noxali *ad exhib.* (h) *l.* noxalis autem. *de nox. actio.* (i) *l. 3. p.* si quis quem. *de S. C. Silani.* (k) *p.* quod ad causam. *e. l.* (l) *l.* nam lusus. *ad l. Aqui.* (m) *l. 1. in prin. si quad. pau.* (n) *Inst. eo. in prin.*

mus. Exempla autem ſunt hæc : *ut puta ſi equus calcitroſus calce percuſſerit, aut bos cornu petere ſolitus cornu petierit*. quæ verba ex eodem Ulpiano (o) ſumpta ſunt in edicti interpretatione. Ejuſdem legis mentio fit apud Ulpianum lib. XLI. ad Sabinum (p). Hanc legem Decemviri ex Solonis legibus ſumpſerunt, qui legem Athenis tulit, ut Plutarchus ſcribit, ut canis, qui quidquam nocuiſſet, trunco quatuor pedum longitudine alligato dederetur. & apud Paulum lib. I. ſenten. Peſolonia lex de cane, pro Solonia, ut arbitror, ſcripta eſt, aut Solonis.

XLI. Ad interdictorum atque edictorum materiam aliquot leges pertinent, quas poſtea Prætores in edicta tranſtulerunt. Eas in hunc locum reſervavimus. Et principio de aquæ pluviæ arcendæ actione, quæ tamen ordinaria eſt, videamus. Pomponius lib. VII. ex Plautio (q), Labeonem ſcripſiſſe refert, quod ita ſcriptum eſſet: *Calenus diſpenſator meus, ſi rationes diligenter tractaſſe videbitur, liber eſto: verbum videbitur pro hoc accipi debere, videri poterit. Sic & verba*, inquit, *legis* XII. *Tabularum veteres interpretati ſunt*, SI AQUA PLUVIA NOCET, *id eſt, ſi nocere poterit*. Quod miror Juſtinianum libro XXXIX. Digeſtorum præteriſſe. Quo loco Ulpianus ait libro quinquageſimo tertio ad edictum (r): *Si cui aqua pluvia damnum dabit, actione aquæ pluviæ arcendæ avertetur aqua. Aquam pluviam dicimus, quæ de cælo cadit, atque imbre excreſcit, ſive per ſe hæc aqua cæleſtis noceat, ut Tubero ait, ſive cum alia mixta ſit*. Qua de re Cicero in Topicis ita ſcribit: *Si aquam pluviam eam modo intelligeremus, quam imbri collectam videremus, veniret Mucius, qui, quia conjugata verba eſſent pluvia, & pluendo, diceret, omnem aquam oportere arceri, quæ pluendo creviſſet*. Non tamen omnis aqua pluvia arcebatur, ſed quæ nocebat; neque omnis aqua nocens, ſed quæ manu nocens eſſet, hoc eſt, opere manu facto, ut Ulpianus ait, aqua nocitura eſſet. Quamobrem Cicero addit: *Aqua pluvia ultimo genere ea eſt, quæ de cælo veniens creſcit imbri: ſed propiore loco, in quo quaſi jus arcendi continetur, genus eſt aqua pluvia nocens, ejus generis formæ, loci vitio, & manu nocens: quarum altera jubetur ab arbitro coerceri, altera non jubetur*.

XLII. De arborib. cædendis apud Ulpianum lib. LXXI. ad edictum (s) Prætor ait: *Quæ arbor ex agro tuo in agrum illius impendet, ſi per te ſtat quo minus pedes* XV. *a terra eam altius coerceas; tunc quo minus illi ita coercere, lignaque ſibi habere liceat, vim fieri veto. Quod ait Prætor*, inquit Ulpianus, *& lex duodecim Tabularum efficere voluit, ut quindecim pedes altius rami arboris circumcidantur. & hoc idcirco effectum eſt, ne umbra arboris vicino prædio noceret*. Pomponius quoque libro XXXIV. ad Sabinum ſcribit: *Si arbor ex vicini fundo vento inclinata in tuum fundum ſit, ex lege* XII. *Tabular. de adimenda ea recte agere potes, jus ei non eſſe, ita arborem habere*. Et Paulus lib. XVIII. ad edictum (t) ſcribit, colonum, cum quo propter ſuccifas arbores agebatur ex locato, ſi juraverit ſe non ſuccidiſſe, ſi e lege XII. Tab. de arboribus ſuccifis poſtea convenietur, per exceptionem jurisjurandi defendi poterit. Hac etiam de re ita ſcribit Paulus lib. V. ſententiarum titulo de interdicto *utrubi* vel *unde vi* (eſt enim liber mendoſus): *Arbor, quæ in alienas ædes, vel in vicini agrum imminet, niſi a domino ſublucari poteſt, iſque conveniendus eſt, ut eam ſublucet. Quod ſi conventus dominus id facere noluerit, a vicino luxuries ramorum compeſcatur. Idque qualiſcunque dominus facere non prohibetur*. Sublucare arbores, ut Sext. Pompejus ait, eſt ramos ſupputare, & veluti lucem ſubtus mittere. Conlucare autem eſt ſuccifis arboribus locum luce implere: vel, ut alio loco ait, conlucare dicebant, cum profanæ ſilvæ rami deciderentur officientes lumini. Ad hunc locum illa quoque pertinere poterant, quæ ex lege Solonis Cajus lib. XII. Tabularum (u) ſcripſit, de quibus viceſimo capite ſcriptum eſt. Sed & quod Sex. Pompejus ſcribit: *Sarpuntur vineæ, id eſt putantur, ut in* XII. *Quandoque ſarpta donec dempta erunt*.

XLIII. De glande vero legenda, etſi Ulpianus lib. LXX. ad edictum (x) tantum ſcripſerit: *Ait Prætor glandem, quæ ex illius agro in tuum cadat, quo minus illi tertio quoque die legere, auferre liceat, vim fieri veto. Glandis nomine omnes fructus continentur*; tamen Plinius Secundus lib. XVI. (y) *Cautum eſt*, inquit, *lege* XII. *Tab. ut glandem in alienum fundum procidentem liceret colligere*. Et Cajus lib. IV. ad legem duodecim Tabularum (z) hujus legis, ut opinor, interpres ita ſcribit: *Glandis appellatione omnis fructus continetur, ut Javolenus ait, exemplo Græci ſermonis, apud quos omnes arborum ſpecies ἀκρόδρυα appellantur*. Ex hac glandis ſignificatione glandiferæ arationes fructuoſæ a Cicerone appellantur Philippica ſecunda. *Quid jam querar*, inquit, *de agro Leontino; quandoquidem hæ quondam arationes Campani & Leontini in populi Romani patrimonio glandiferæ & fructuoſæ ferebantur*. Erat autem veteribus perſuaſum primos homines glandibus paſci ſolere (a):

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Inſtituit; cum jam glandes atque arbuta ſacræ
Deficerent ſilvæ, & victum Dodona negaret.

XLIV. De mortuis, & ſepulchris multa in Duodecim ſcripta fuerunt, quæ Cicero lib. II. de legib. hoc ordine refert: HOMINEM MORTUUM, inquit, lex in XII. Tabulis, IN URBE NE SEPELITO, NEVE URITO. *Credo*, inquit Cicero, *vel propter ignis periculum*. Hac de cauſa Paulus lib. I. Sententiarum ſcribit: *Corpus in civitatem inferri non licet, ne funeſtentur ſacra civitatis, & qui contra ea fecerit, extra ordinem punitur*. Ulpianus tamen lib. XXV. ad edictum (b) ſcribit Divum Hadrianum reſcripto pœnam ſtatuiſſe XL. aureorum in eos, qui in civitate ſepeliunt eamque pecuniam fiſco inferri juſſiſſe; eandemque in magiſtratus, qui id paſſi eſſent; locumque publicari, & corpus transferri. Quod reſcriptum in his quoque civitatib. obtinere Ulpianus ait, in quib. lex municipalis permittit in civitate ſepeliri. Exſtat etiam Diocletiani reſcriptum ad Victorinum (c) in hæc verba: *Mortuorum relliquias, ne ſanctum municipiorum jus polluatur, intra civitatem condi jam pridem vetitum eſt*. Hodie vero non intra urbem ſolum, ſed in ipſa quoque Martyrum & Apoſtolorum ſede paſſim homines adverſus Gratiani conſtitutionem (d) ſepeliuntur; quod ab illorum temporum Pontificibus Cicero quoque ait contra decretum fuiſſe: Non eſſe ſcilicet jus in loco publico fieri ſepulchrum. Idem ait (e): *Jam cetera in Duodecim, Minuendi ſunt ſumptus, lamentationeſque funeris, translata de Solonis fere legibus*: HOC PLUS, inquit, NE FACITO, ROGUM ASCIA NE POLITO. Deinde ait: *Extenuato igitur ſumptu tribus reciniis, & vinculis purpuræ, & decem tibicinibus, tollit etiam lamentationem*. MULIERES GENAS NE RADUNTO, NEVE LESSUM FUNERIS ERGO HABENTO. *Hoc veteres*, inquit, *interpretes Sex. Ælius, L. Acilius non ſatis ſe intelligere dixerunt, ſed ſuſpicari veſtimenti aliquod genus funebris. L. Ælius leſſum quaſi lugubrem ejulationem, ut vox ipſa ſignificat. quod eo magis judico verum eſſe, quia lex*

(o) *d. l.* I. *p.* ait prætor. (p) *l.* qui ſervandarum. *p. ult. de præſc. ver.* (q) *l.* Labeo. *de ſtatu liberis*. (r) *l.* I. *in prin. de aqua, & aquæ pl. arc.* (s) *l.* I. *in fine. de arbor. cæd.* (t) *l.* in duobus. *p.* colonus. *de jure jur.*

(u) *l. ulti. fin. reg.* (x) *l. un. de gland. legend.* (y) *cap.* 5. (z) *l.* qui venenum. *in fine. de verb. ſign.* (a) *Virg. Georg.* I. (b) *l.* Prætor ait. *p.* D. Hadrianus. *de ſepul. viol.* (c) *l.* mortuor. *C. de religio. & ſump. fun.* (d) *l.* 2. *C. de ſacroſan. eccle.* (e) *d. li.* 2. *de legi.*

Solonis id ipsum vetat. Et alio loco de hac eadem re ita scribit (f): *Postea quam, ut scribit Phalereus, sumptuosa fieri funera & lamentabilia cœpissent, Solonis lege sublata sunt. Quam legem eisdem prope verbis nostri Decemviri in decimam tabulam conjecerunt. Nam de tribus reciniis, & pleraque illa Solonis sunt; de lamentis vero expressa verba sunt:* MULIERES GENAS NE RADUNTO, NEVE LESSUM FUNERIS ERGO HABENTO. C. Plinius lib. XI. (g) ait: *Infra oculos malæ sunt homini tantum, quas prisci genas vocabant. XII. Tab. interdicto radi a feminis eas vetante. pudoris hæc sedes. Recinium* (inquit Sex. Pompejus) *omne vestimentum quadratum hi qui XII. interpretati sunt, esse dixerunt. unde reciniati mimi. Rica & riculæ vocantur parva recinia, ut palliola ad usum capitis facta.* & alio loco: *Rica est vestimentum quadratum fimbriatum purpureum, quo Flaminicæ pro palliolo utebantur.* Hoc videtur Vergilius significasse his verbis lib. XI. Æneidos:

Purpureasque super vestes velamina nota
Conjiciunt.

Nonius vero Marcellus ricam esse ait, quod nos sudarium dicimus. Turpilii quoque verba refert hæc: *Postquam ad ædem venimus, veneratur Deos; interea aspexit virginem gestantem in capite riculam indutam.* M. Varro de lingua Latina (h) recinium esse dictum ait, quod eo uterentur duplici, & eo quod dimidiam partem retrorsum jaciebant, a rejiciendo recinium dictum. Itaque cum lege XII. Tabul. sumptus minueretur, tria tantum recinia deferri permissa sunt, quæ in Solonis legibus apud Plutarchum tres vestes appellantur. De lamentationibus hoc ipsum refertur apud eundem Ciceronem lib. II. Tusculan. quæstionum: *Ingemiscere*, inquit, *nonnunquam viro concessum est, idque raro; ejulari ne mulieri quidem: & hic nimirum est fletus, quem XII. Tabulæ in funeribus adhiberi vetuerunt.* Hoc etiam Cicero (i) solum in suis legibus retulit: HOS LETO DATOS DIVOS HABENTO: SUMPTUM IN OLLOS LUCTUMQUE MINUUNTO. De funerum solemnitate & sumptibus exstant Justiniani Novellæ duæ XLIII. & LIX. (K) quibus de decanis, hoc est, lecticariis, & eorum officinis, quæ ergasteria appellantur, quod ab Holoandro primo cognitum, deinde ab Alciato lib. I. παρέργων conscriptum est. Addit Cicero: *Cetera item funebria, quibus luctus augetur, Duodecim sustulerunt.* HOMINI, inquit, MORTUO NE OSSA LEGITO, QUO POST FUNUS FACIAT. *Excipit bellicam, peregrinamque mortem. Hæc præterea sunt in legibus de unctura: quæ servilis unctura tollitur, omnisque circumpotatio; quæ & recte tolluntur, neque tollerentur, nisi fuissent.* Sex. Pompejus (l) refert in XII. caveri, ne mortuo murrata potio indatur. Murratam potionem, & murrinam, & murriolam appellatam fuisse ait a murra sive myrrha, ni fallor. Sic Pomponius in unguentis, rosam, murram, colum, nardum enumerat, capite XXI. de auro & argento. Sane circumpotationib. nostris, & conviviis quæ in ædibus sacris mortuorum causa fiunt, atque etiam ob divorum, ut ipsi existimant, cultum opus esset nunc aut hanc legem restituere, aut sacra Pontificum decreta Laodicensis, & Carthaginiensis concilii, quæ a Gratiano (m) referuntur, item aliud Arelatensis, quod in Conciliorum libris reperitur. Sequitur apud Ciceronem: *Ne sumptuosa respersio, nec longæ coronæ, nec acerræ prætereantur.* Describitur a Vergilio (n) eleganter Miseni funus, in quo neque unctio prætérita est, neque vestium crematio, respersionis quoque mentio fieri videtur:

(f) *ibid. paulo post.* (g) *cap.* 37. (h) *lib.* 4. (i) *lib.* 2 *de legi.* (k) *Vide l.* non plures. & *l* qui sub prætextu. *C. de sacr. ecc. l. un. C. de collegia. lib.* 11. (l) *Ver.* Murrata. (m) *c.* non oportet. 2. *c.* nulli. *dist.* 42. *in conci. Laod. c.* 28. *in Carthag. Græco. c.* 42. *in Lati.* 30. & *in conc. Arelaten.* 3. *in fi.* (n) *Æn.* 6

Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ;
Lustravitque viros, dixitque novissima verba.

Nisi forte ad florum & coronarum & vini atque lactis respersionem Tullii verba pertineant, quæ sumptus majoris sunt (o):

Manibus date lilia plenis
Purpureos spargam flores, animamque nepotis
His saltem accumulem donis. Et alio loco (p):
Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi: duo lacte novo, duo sanguine sacro:
Purpureosque jacit flores

Fieri etiam potest, ut longæ coronæ ad magnum comitatum pertineant. Acerra autem, ut Sex. Pompejus ait, vel ara erat, quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur: vel arcula turaria, ubi tus reponebatur. Hoc autem significasse idem poeta videtur lib. V.

Et plena supplex veneratur acerra.

Illa jam significatio est laudis ornamenta ad mortuos pertinere, quod coronam virtute partam, & ei qui peperisset, & ejus parenti sine fraude esse lex impositam jubet. Credoque quod erat factitatum, ut uni plura fierent, lectique plures sternerentur, id quoque ne fieret lege sancitum est. Non satis existimo hæc integra esse, ut pleraque alia in his de legib. Tullianis libris. Neque enim lecti plures ad coronas pertinere videntur. Plinius tamen lib. XXI. (q) de coronis ita scribit: *Semper auctoritas vel ludicro quæsitarum fuit. Namque ad certamina in circum per ludos & ipsi descendebant, & servos suos * quoque mittebant. Inde illa XII. Tabul. lex:* QUI CORONAM PARIT IPSE PECUNIAVE EJUS VIRTUTIS ERGO ARGUITUR. *Quam servi equive meruissent, pecunia partam lege dici nemo dubitavit. Quis ergo honos? ut ipsi mortuo, parentibusque ejus, dum intus positus esset, forisve ferretur, sine fraude esset imposita.* Hæc Plinius. in cujus verbis nos quædam nostro jure immutavimus. Extat hodie Alexandri Imperatoris constitutio (r), qua athletis, si per omnem ætatem certassent & coronis tribus, certaminis sacri, in quibus una saltem Romæ vel in Græcia merito coronati essent, non æmulis corruptis, probarentur, civilium munerum tribui solere vacationem dicitur. Ulpianus quoque apud Modestinum (s) scribit: *Athletæ habent a tutela excusationem, sed qui sacris certaminibus coronati sunt.* Commoda autem quædam præmiorum consequebantur, propter sacras coronas, quibus condemnatum interdici Papinianus ait lib. X. responsor. (t) Ea enim pecunia in re pignoris in causam judicati capitur. Pignerari quoque præmiorum spem athletæ prohibentur Alexandri constitut. ad Septimium (u). Addam his corollarii loco, quando de hujusmodi coronis agitur quod Plinius de civica corona scribit lib. XVI. (W) *Civica iligna primo fuit, postea magis placuit ex esculo Jovi sacra. Variatumque & cum quercu est, ac data ubique * quæ fuerat, custodito tamen honore glandis. Additæ leges arctæ, & ideo superbæ, quasque conferre libeat cum illa Græcorum summa, quæ sub ipso Jove datur,* (Olympiam autem significat) *cuique muros patria gaudens rumpit. Civem servare, hostem occidere. Utque eum locum, in quo sit actum, hostis obtineat eo die. Utque servatus fateatur, alias testes nil prosunt. Ut civis fuerit, auxilia quamvis Rege servato decus id non dant. Nec crescit honos idem imperatore conservato. quoniam conditores in quocumque cive summum esse voluerunt. Accepta licet uti perpetuo. Ludos ineunti semper assurgi, etiam ab Senatu, in more est. Sedendi jus in proximo Senatui. Vacatio munerum omnium ipsi, patrique & avo paterno.* Hæc de civica Plinius, cui muralem, vallarem, atque rostra-

(o) *Ibid.* (p) *Æn.* 5. (q) *cap.* 3. * *al.* equosque. (r) *l. uni. C. de athlet. lib* 10. (s) *l.* si duas. *p.* athletæ. *de excusa* (t) *l.* commodis. *de re judi.* (u) *l.* spem. *C. quæ res pignor.* (W) *cap.* 4.

tam

tam cedere ait. de quibus atque aliis præclare apud Gellium lib. v. Noctium (x) ſcriptum eſt. Nos Ciceronis verba perſequamur, qui cum de lege XII. Tabul. ſcriberet: *Qua in lege*, inquit, *cum eſſet*, NEVE AURUM ADDITO, *quam humane excipit altera lex, ut cui auro dentes vincti eſſent † aſtim*, * CUM ILLO SEPELIRE, URERÉVE, SE FRAUDE ESTO. *& ſimul illud videtote aliud habitum eſſe ſepelire, aliud urere*. Hæc mendoſa, ut opinor, ſunt. ſed tamen ſuperſtitio illa tollitur condendi auri. Solebant enim veteres & in rogum pleraque injicere, & cum oſſibus ac cineribus pretioſas aliquot res ſervare (y).

Hinc alii ſpolia occiſis direpta Latinis
Conjiciunt igni, galeas, enſeſque decoros,
Frænaque ferventeſque rotas; pars munera nota
Ipſorum clypeos, & non felicia tela.

Aſtim autem quid ſit plane ignoro, ſed ſuſpicor, niſi mendoſus liber ſit, intra urbem ſignificare. ἄςυ enim & Græcis & Latinis urbem ſignificat. ſed Athenas, propter excellentiam, ut apud Latinos urbs Romana appellatur. Idem Cicero in ejuſdem libri initio: *Ut veſtri Attici prius quam Theſeus eos demigrare ex agris, & in aſtu, quod appellatur, omnes ſe conferre juſſit, & * ſymphratidas ex Atticis: ſic nos & eam patriam ducimus ubi nati, & illam qua excepti ſumus.* Apud Terentium quoque in Eunucho, cum Laches Chæream filium in Piræo haberet extra urbem cuſtodem publicum, eique ſervus dixiſſet Chæream amare fidicinam, *Quid*, inquit, *amat? an ſcit jam ille, quid meretrix ſiet? an in aſtu venit? aliud ex alio malum*. Hinc natum eſt, ut propter urbanorum civium dolos, aſtu dolum ſignificaret, unde aſtutus, & aſtutia. Idem Terentius in Andria & in Phormione:

Quæ ſi non aſtu providentur, me aut herum peſſundabunt.

Et in Eunuch. *Quæ ſi non aſtu rem tractavit.* & aliis locis. Itaque arbitror Decemviros ſignificaſſe, licere autem inferri, ſi intra urbem dentes auro juncti eſſent, ne quiſquam putaret ſatis eſſe, ſi ſepeliendo jungeret extra urbem, ubi ſepulchra eſſe jubebantur. Aut potius diviſim legendum: AST IM. ſic enim dicebant pro *eum*. Addit Cicero: *Duæ ſunt præterea leges de ſepulchris. quar. altera privator. ædificiis, altera ipſis ſepulchris cavet. Nam quod rogum buſtumve novum vetat propius* LX. *pedes adjici ædes alienas invito domino incendium † veretur acerbum. Quod autem forum, id eſt, veſtibulum ſepulchri, * buſtumve uſucapi vetat: tuetur jus ſepulchrorum. Hæc habemus in Duodecim ſane ſecundum naturam, quæ norma legis eſt.* Ad priorem legem pertinet, quod Pomponius ait lib. IX. ad Sabinum (z): *Si propius ædificium alienum intra legitimum modum mortuus illatus ſit; poſtea eum prohibere non poterit ædificii dominus, quo minus alium mortuum eo inferat, vel monumentum ædificet, ſi ab initio domino ſciente hoc fecerit*. Legitimus enim modus LX. pedes, qui in XII. præſcribuntur, in quo Accurſius torquetur. Ad poſteriorem, quod Ulpianus lib. II. reſponſorum (a) ſcribit: *Longa poſſeſſio jus ſepulchri non tribuit ei, cui jure non competit. Reliqua ſunt*, inquit Cicero, *in more, (hoc eſt, in Duodecim quidem, ſed tamen illuc non ex natura, ſed ex more ducta) funus ut indicatur. Si quid ludorum: dominusque funeris utatur accenſo, atque lictoribus*. HONORATORUM VIRORUM LAUDES IN CONCIONE MEMORANTOR; EASQUE ETIAM CANTUS AD TIBICINEM PROSEQUANTOR. *Cui nomen næniæ, quo vocabulo etiam Græci cantus lugubres nominant*. Hæc Cicero de ſepulchris & funeribus ex Duodecim retulit. In quibus quod de accenſo & lictoribus retuli, mendoſum, ut opinor, eſt. Et exiſtimo ſignificaſſe, ut qui ludos funeris ergo faceret, accenſo atque lictoribus uteretur. Erat accenſus Coſſ. miniſter, qui ab accienda plebe, ut Varro (b) ait, appellabatur. Idem viator fortaſſe dicebatur, quod e villis in Senatum arceſſeret, ut Cicero in Catone ſcribit. Lictores faſces præferebant virgarum atque ſecurium extra Urbem, qui XII. numero Regibus & Conſulibus, XXIV. Dictatori fuerunt, ut Budæus ex Livio notat, & nos in Julia de maritandis ordinibus diximus. Proconſules, ut Ulpianus ſcribit (c) lib. XX. ad legem Juliam & Papiam, non amplius quam ſex faſcibus utebantur. Conſularium faſcium mentio fit in Valentiniani conſtitutione de Conſulibus (d): *Repetiti*, inquit, *faſces virtutes ſæpe meriti comprobant, non augent*. Alia conſtitutione (e) dicitur Duumviro impune non licere extollere poteſtatem faſcium extra metas territorii propriæ civitatis. Quibus verbis ſignificari videtur, faſcibus Duumviros municipales uti ſolitos inſtar Conſulum, niſi forte translatione aliqua id dictum eſt. Juſtinianus vero Novella XXIV. XXV. & XXX. Prætoribus Piſidiæ & Lycaoniæ, & Proconſuli Cappadociæ inſignia Conſularis magiſtratus, & ſpectabilis (ut appellant) dignitatis tribuit hæc; ſellam curulem argenteam, ſecurim, & virgas. Sellam autem tum δίφρον, tum ἀπήνην, tum ὄχημα appellat; ut rem Græcis ignotam exprimeret, quæ tum argentea, olim eburnea fuit: faſces πέλεκυν (quod verbum in XXIV. Novella Norici libri deeſt) & ῥάβδους ſemper appellavit. Additur Novella CIII. ut Proconſul Palæſtinæ τηβέννῳ veteri illa atque nobilis purpuræ ſtola utatur. De prætexta autem magiſtratuum toga intellexit, etſi Haloander mendoſo libro uſus Venetam ſtolam ſcripſerit. Tebenum Dionyſius lib. III. antiquitatum togam appellat, quamcumque alii regiam veſtem eſſe dicunt, a Thebeno Arcade, vel Timeno, qui primus eam veſtem inveniſſe dicitur. De eadem intelligenda Novella XXXI. Sed hæc in illarum legum editione, quam paro, dicentur. Additur a Cicerone, laudationes mortuorum fuiſſe in Duodecim permiſſas. De quibus Cicero in Bruto: *Exſtant*, inquit, *mortuorum laudationes. ipſæ enim familiæ ſua quaſi ornamenta ac monimenta ſervabant, & ad uſum, ſi quis ejuſdem generis occidiſſet, & ad memoriam laudum domeſticarum, & ad illuſtrandam nobilitatem ſuam. Quamquam his laudationibus hiſtoria rerum noſtrarum eſt facta mendoſior: multa enim ſcripta ſunt in eis, quæ facta non ſunt, falſi triumphi, plures Conſulatus, genera etiam falſa, † & ad plebem tranſitiones, cum homines humiliores in alienum ejuſdem nominis infunderentur genus*. Hoc idem Livius ait in calce libri octavi funebrib. laudibus vitiatam eſſe tempor. memoriam falſiſque imaginum titulis, dum familiæ ad ſe quæque famam rerum geſtar. honorumque trahunt. Idem Cicero lib. II. de oratore auctor eſt, Popiliam primam mulierem publice fuiſſe laudatam a Q. Catulo ejus filio. Imagines tamen majorum in funerib. quoque mulierum præferebantur, ut ex eodem libro Ciceronis conſtat, cum Craſſi verba refert adverſus Brutum, dum Junia anus funere efferretur: *Brute quid ſedes? quid illam anum patri nuntiare vis tuo? quid illis omnibus quorum imagines duci vides? quid majoribus tuis?* Erat autem ex eadem Junia familia Brutus, qua de cauſa illa optime ac venuſtiſſime in eum dicta ſunt. Apud Polybium quoque libr. VI. hiſtoriar. quo pacto imagines ducerentur, præſcribitur.

XLV. Ex lib. III. de legibus monſtroſi partus in Duodecim relegari jubebantur. hæc enim ſunt Quincti verba de Tribunicia poteſtate: *Cujus primum or-*

(x) *cap.* 6. * *l.* ASTIM. (y) *Virg. Æne.* II. † *al.* videtur arcere. * *al.* buſtive. (z) *l.* ſi propius. *de mor. inf.* (a) *l.* longa. *eo.*

(b) *lib.* 5. *de ling. Lat.* (c) *l.* Proconſules. *de offic. Proconſ.* (d) *l.* 1. *C. de Conſſ. lib.* 12. (e) *l.* duumvirum. *C. de decur.* l. 10. † *al.* a plebe.

tum, ſi recordari volumus, inter arma civium, & occupatis & obſeſſis Urbis locis procreatum videmus. Deinde cum eſſet cito legatus tanquam duodecim Tabulis inſignis ad deformitatem puer, brevi tempore neſcio quo pacto creatus, multoque tetrior & fœdior natus eſt. Quibus verbis duas Romanæ plebis ſeditiones ſignificare videtur: alteram cum Tribunicia poteſtas nata eſt anno fere ſeptimodecimo poſt Reges exactos, cum Tribunos ſibi in monte Sacro creavit, ut Pomponius lib. ſingul. enchiridii (f), & Livius lib. II. ſcripſerunt. Altera fortaſſe eſt, qua iterum creatos eſſe Tribunos ait, cum longe poſt Decemviros ſublatos plebs a patribus ſeceſſit, & ſibi jura conſtituit, quæ plebiſcita appellantur, legeque Hortenſia a Dictatore lata pro legib. placuit ea obſervari, ut idem Pomponius (g), & Gellius ſcribunt. qua de re Livius lib. XI. ſcripſerat, ut ex Flori epitome apparet. Vel quia in eo intervallo pleræque contentiones inter Tribunos & Senatores fuerunt, magis placet, ut de ſeditione, quæ lege Horatia ſublata eſt apud Livium lib. III. cum Decemviri ſublati ſunt, Ciceronis verba intelligamus, ut quod Cicero ait quaſi deformem puerum fuiſſe legatum, illud Decemvirorum tempus ſignificetur. Sed ad ipſam legem veniamus. Nonius Marcellus ſcribit prodigia dicta eſſe quaſi porro adigenda: Cicero a prædicendo deduxiſſe videtur lib. I. de divinatione. Ita enim ſcribit: *Portentorum vim verba ipſa prudenter a majoribus poſita declarant. Quia enim oſtendunt, portendunt, monſtrant, prædicunt; oſtenta, portenta, monſtra, prodigia dicuntur.* Id vero ita fieri, ut initio dicebamus, non uno in loco T. Livius, & Corn. Tacitus ſcribunt. Hinc elegans illa eſt Cicer. exclamatio in Prætura Urbana: *O ſcelus, o portentum in ultimas terras exportandum. Non enim poteſt ea natura, quæ tantum facinus commiſerit, hoc uno ſcelere eſſe contenta.* De hujuſmodi autem partu ita Paulus lib. IV. ſententiar. (h) ſcribit: *Non ſunt liberi qui contra formam humani generis converſo more procreantur, velut ſi mulier monſtroſum aliquid, aut prodigioſum enixa ſit.* Quæ verba ad jus liberorum referenda eſſe alio loco ſcripſimus. Enixæ autem honores habet quæ portentoſum vel monſtroſum partum ediderit, ut Ulpianus lib. IV. ad legem Juliam & Papiam (i) ſcribit. Apud eundem Ulpianum libr. XXV. ad edictum (k) ita ſcriptum eſt: *Oſtentum Labeo definit, omne contra naturam cujuſque rei genitum, factumque. Duo autem genera ſunt oſtentorum: unum quotiens quid contra naturam naſcitur, tribus manibus forte, aut pedibus, aut qua alia parte corporis, quæ naturæ contraria eſt: alterum cum quid prodigioſum videtur, quæ Græci φαντάσματα vocant.*

XLVI. Ad extremum titulum Inſtitutionum, qui de publicis judiciis inſcribitur, hæ quoque leges pertinent, quas hoc loco referam. Pomponius lib. ſingulari enchiridii (l) ſcribit, Conſulibus creatis ne per omnia regiam poteſtatem ſibi vindicarent, lege lata factum eſſe, ut ab eis provocatio eſſet, neve poſſent in caput civis Romani animadvertere injuſſu populi; relictumque eſſe eis, ut coercere ſolum poſſent, & in vincula publica duci juberent. Ea de cauſa ait poſtea Quæſtores a populo conſtitutos eſſe qui capitalibus rebus præeſſent, & quæſtores parricidii dicebantur, quorum etiam meminit lex XII. Tabul. Quæſtores veteres ab inquirendo dixerunt, quaſi quæſitores, neque ſolum qui inquirendæ pecuniæ & conſervandæ cauſa creati erant, & ut ærario præeſſent, ita appellabantur, ut Pomponius (m) ſcripſit; ſed etiam qui in provincias ſortito mittebantur, ut Ulpianus ait lib. ſing. de officio Quæſtoris; (n) & inquirendis criminibus præfecti Quæſtores & Quæſitores dicebantur (o).

Nec vero hæ ſine ſorte datæ, ſine judice ſedes;
Quæſitor Minos urnam movet, ille ſilentum
Conciliumque vocat, vitaſque & crimina diſcit.

Hinc etiam quæſtiones publicæ, judicia publica appellantur, & ſervorum tormenta idem nomen obtinent. Juſtinianus quoque Novel. LXXX. (p) ſcribit renovare ſe veterem magiſtratum, qui inquirendis criminib. præerat, & Quæſtorem conſtituere, qui Byzantii de colonis vagis, & mendicantibus validis, & de levioribus criminibus judicet. Sex. vero Pompejus ita ſcribit: *Parricidii Quæſtores appellabantur, qui ſolebant creari cauſa rer. capitalium quærendarum. Nam parricida non utique is qui parentem occidiſſet dicebatur, ſed qualemcumque hominem. Indicat lex Numæ Pompilii Regis his compoſita verbis:* SI QUIS HOMINEM LIBERUM MORTI SCIENS DUIT, PARRICIDA ESTO. Hoc autem poſtremum quod Sextus ait, multis aliis exemplis verum oſtendetur, quibus parricida non patris interfector, ſed & cujuſcunque civis appellatur. Unum pro multis referam ex Ciceronis oratione prima in Catilinam. *Certe verendum mihi non erit*, inquit, *ne quid, hoc parricida civium interfecto, invidiæ mihi in poſteritatem redundaret.* Lege quoque Pompeja de parricidiis non ſolum tenetur qui aliquem e parentibus ſuis occidiſſet, ſed etiam ſi fratres tam germanos, quam patrueles, item patruum, uxorem, generum, vitricum, & patronum; ut Marcianus ſcribit lib. XIV. Inſtitutionum (q).

XLVII. Idem (r) ſcribit: *Lex XII. Tabul. jubet eum qui hoſtem concitaverit, quive civem hoſti tradiderit, capite puniri. Lex autem Julia majeſtatis præcipit eum qui majeſtatem publicam læſerit, teneri. qualis eſt ille qui in bellis ceſſerit, aut arcem tenuerit, aut caſtra conceſſerit.* Qua de re in Juliis legibus vidimus.

XLVIII. Ad Corneliam autem de ſicariis pertinet, quod lib. XX. Gellius ſcribit ex XII. Tab. qui falſum teſtimonium dixiſſe convictus eſſet, e ſaxo Tarpejo dejiciebatur. Sed poſtea non ſolum falſis teſtibus minor pœna indicta eſt, ſed genus quoque pœnæ ſublatum eſt. Modeſtinus enim ſcribit libro XII. Pandect. (s) non poſſe quemquam ſic damnari, ut de ſaxo præcipitetur. Illud etiam in XII. fuit, CUI TESTIMONIUM DEFUERIT, IS TERTIIS DIEBUS OB PORTUM OBVAGULATUM ITO. Portum vero illic domum ſignificare Sextus Pompejus ſcribit. Quamobrem non male Ulpianus (t) ſcribit: *Portus appellatus eſt concluſus locus, quo importantur merces, & inde exportantur. inde angiportum dictum eſt.*

XLIX. Idem Gellius ſcribit in eiſdem legibus cautum, ut judicem arbitrumve jure datum, qui ob rem dicendam pecuniam accepiſſe convictus eſt, capite puniant. quæ ad Juliam repetundar. pertinet.

Illud ad hunc locum neſcio quomodo reſervavi, ut de uſuris ſcriberem, de quibus in Duilia lege retulimus Cornel. Tacitum lib. V. ſcripſiſſe, in Duodecim ſanctum eſſe ne quis unciario fenore amplius exerceret. quod Duilia quoque ex Livio lib. VII. dicebatur, propterea quod duodecima pars ſolvebatur ejus uſuræ, quæ ſi centeſima promiſſa eſſet, ſolveretur. Cetera in Duilia referuntur. Addam tamen id quod Juſtinianus retulit lib. XXII. Digeſtor. ſub titulo de uſuris, ex lib. VI. Caii ad legem XII. Tab. (u) *Videamus*, inquit, *an in omnibus rebus petitis, in fructus quoque condemnatur petitor.* Quæ quæſtio ſubtiliter ab eo tractatur: motamque eſſe arbitror, propterea quod fortaſſe in Duodecim cautum

(f) *l.* 2. *p.* iiſdem temporibus. *de orig. jur.* (g) *p.* deinde cum eſſet. *e. l.* (h) *l.* non ſunt. *de ſtat. hom.*
(i) *l.* quæret aliquis. *de verb. ſign.* (k) *l.* oſtentum. *eo. l.*
(l) *l.* 2. *p.* exactis. 2. & *p.* & quia. *de orig. jur.* (m) *d. l.* 2. *p.* deinde.

(n) *l. uni. de offic. Quæſt.* (o) *Virgil. Æn* 6. (p) *Auth. de Quæſtor. in princ.* (q) *l.* 1. *ad leg. Pom. de parri.*
(r) *l.* 3. *ad legem Jul. maje.* (s) *l.* ſi diutino. *de pœnis.*
(t) *l.* portus. *de verb ſign.* (u) *l.* videamus. *de uſuris.*

erat, ut cum fructibus reſtituerentur. Moveor autem tum ejus libri inſcriptione, tum etiam Ælii Galli nomine ab eodem laudato, quem puto Duodecim interpretatum fuiſſe.

L. Hæc quoque verba in XII. fuiſſe referuntur apud Gellium lib. VI. IMPROBUS INTESTABILISQUE ESTO. Quibus verbis ait ſignificari mulieribus teſtimonii dicendi jus non fuiſſe. Cum enim ſcripſiſſet Accæ Larentiæ, & Cajæ Tarratiæ, ſive Suffetiæ nomina in antiquis annalibus celebria fuiſſe; Accæ autem poſt mortem, Tarratiæ vivæ ampliſſimos honores a pop. Rom. habitos: *Tarratiam Veſtalem virginem fuiſſe lex Horatia teſtis*, inquit, *eſt*, *quæ ſuper ea ad populum lata eſt*, *qua plurimi ei honores fiunt. inter quos jus quoque teſtimonii dicendi tribuitur*, *teſtabiliſque una omnium feminar. ut ſit*, *datur. id verbum eſt ipſius legis Horatiæ. Contrarium eſt in* XII. *Tabulis ſcriptum*: IMPROBUS INTESTABILISQUE ESTO. *Præterea ſi* LX. * *annos nata ſacerdotio abire ac nubere voluiſſet*, *jus ei poteſtaſque exaugurandi*, *atque nubendi facta eſt*, *munificentiæ & beneficii gratia*, *quod campum Tiberinum ſive Martium populo Romano condonaſſet*. De Acca vero Larentia ait, corpus vulgare ſolitam, cumque pecuniam grandem confeciſſet, morientem Romulum regem, ſive populum Rom. heredem feciſſe. *Ob id*, inquit, *meritum a Flamine Quirinali ſacrificium ei publice fit*, *& dies e nomine ejus in faſtos additus*. Sed Maſurius Sabinus libr. memorialium alios hiſtoricos ſecutus Accam Larentiam Romuli nutricem fuiſſe dicit, quæ cum XII. filios haberet, uno eorum mortuo Romulum in ejus locum adoptavit, & duodecim fratres Arvales dicti ſunt, eaque religio in poſteros manavit. totidem enim ſacerdotes Arvales ſpiceas coronas, albaſque infulas ferre ſolent. Hæc Gellius. de Tarratia Plinius lib. XXXIV. *Decretum*, ait, *ut ei ſtatua poneretur ubi vellet*, *quod Campum Tiberinum gratificata eſſet populo*. hæc enim erant Annalium verba. Lib. XVIII. de Acca Laurentia (ita enim appellat) idem dicit quod Maſurius. Livius vero lib. II. & Dionyſius lib. V. campum Martium agrum Tarquiniorum fuiſſe ſcribunt farre ſatum. & cum Regibus exactis eorum bona diriperentur, eam ſegetem in Tiberim projecerunt, ex qua inſulam confectam eſſe crediderunt. Cetera non memini me apud eos legiſſe. Sed quod ad verba legis attinet, Juſtinianus ſcribit lib. II. Inſtitutio (x): *Teſtes autem adhiberi poſſunt*, *hi cum quib. teſtam. factio eſt. Sed neque mulier*, *neque impubes*, *neque ſervus*, *neque furioſus*, *neque mutus*, *neque ſurdus*, *neque is*, *cui bonis interdictum eſt*, *neque hi*, *quos leges jubent improbos inteſtabileſque eſſe*, *poſſunt in numerum teſtium adhiberi*. Theophilus Græcus inſtitutionum interpres improbos & inteſtabiles appellat non mulieres, ut Gellius; ſed eos, qui cum teſtes in aliquo teſtamento fuiſſent, atque id ſubſignaſſent, noluerunt tamen ſigna ſua agnoſcere. quod non alibi ſcriptum vidi. Ulpianus autem lib. LXVIII. ad edictum (y) tantum ſcribit: *Exhibere autem tabulas apud Prætorem oportet*, *ut ex auctoritate ejus ſignatores admoniti venirent ad recognoſcenda ſigna. & ſi forte non obtemperent teſtes*, *Labeo ſcribit coerceri eos a Prætore debere*. Magis autem probarem, ut inteſtabiles eſſe intelligamus, lege Corn. de injuriis damnatos, qui neque teſtimonium dicere poſſunt, neque eis teſtimonium dicitur, ut Cajus ait lib. XXII. ad edictum (z) provinciale, & in Cornelia de injuriis dictum eſt. Qui autem in XII. fuerint, non facile dixerim. Sed de mulierum teſtimoniis Paulus lib. II. de adulteriis (a) ſcribit: *Ex eo quod prohibet lex Julia de adulteriis teſtimonium dicere condemnatam mulierem*, *colligitur etiam mulieres teſtimonii in judicio dicendi jus habere*. Quod olim ex XII. Tabulis contra erat, ut Gellius ſcribit. His ſcriptis incidi in verba duodecim Tabularum apud Gellium libr. XV. cap. III. quæ licet mendoſa ſint, ad hunc locum maxime pertinere videntur. Sunt autem hæc: *Quæ ſi erit teſtator*, *libripenſve fuerit*, *in teſtimonium feriatur*, *improbus*, *inteſtabiliſque eſto*. Hæc in veteribus libris ita ſunt: *Qui ſi erit teſtarier*, &c. *fariatur*, *improbus*, *quibus inteſtabiliſque eſto*. Ego ſcribo: QUI SE SIERIT ANTESTARIER, LIBRIPENSVE FUERIT, NI TESTIMONIUM FATEATUR, IMPROBUS CIVIS, INTESTABILISQ. ESTO. Confirmatur hæc ſcriptura verbis Theophili, de quibus ſupra ſcripſi.

LII. De anteſtatis quoque in Duodecim dicebatur, ut Porphyrio Horatianus interpres ſcribit. Is autem hæc verba ejus legis refert, mendoſa tamen; SI VIS VOCATIONI, † TESTAMINI IGITUR, ENCAPITO * ANTESTARI. Quæ verba quid ſibi velint, ignoro. Acron tamen, & Porphyrio ſcribunt, ſi quis vades dedit ſe in judicio futurum, neque veniſſet, adverſarius eum teſtibus preſentib. in jus ducebat. Manum tamen non ante injiciebat, quam teſtem rogaret, liceretne anteſtari: qui ſi licere reſpondiſſet, infimam teſtis aurem tangebat, ut meminiſſet. Namque infimam auriculam memoriæ ſacram eſſe, Servius, & Plin. lib. XI. ſcripſerunt. Quæ omnia venuſte Flaccus expreſſit lib. I. Sermonum. Cum enim diceret ſe in garrulum quendam, moleſtumque hominem incidiſſe, qui cum vadato reſpondere deberet, maluiſſet litem perdere, quam Horatium (b) relinquere: ſed tamen caſu obvius illi, inquit, fit

Adverſarius: *&*, *Quo tu turpiſſime? magna*
Exclamat voce: *&*, *Licet anteſtari? ego vero*
Oppono auriculam. rapit in jus. clamor utrinque,
Undique concurſus: *ſic me ſervavit Apollo*.

Id ipſum autem eſt, quod Plinius ait, eſſe in aure ima memoriæ locum, quem tangentes anteſtamur. etſi hoc verbum ignorantes, atteſtari pro anteſtari permultis locis ſcripſerint. Apud Plautum in Pœnulo & in Perſa fit hujus rei mentio. In Perſa quidem multo apertius. Nam cum vendita eſſet paraſiti filia lenoni pro ſerva, in jus eum vocabat: cumque ille diceret, cur non anteſtaretur; facete paraſitus, *Tuan*, *ego cauſa*, inquit, *carnufex*, *cuiquam mortali libero aures atteram?* Et in Pœnulo adoleſcens patruo ſuo recte reſpondit: *Ego te anteſtabor*, *poſtea hanc amabo atque amplexabor*. Virgilius (c) non male id etiam ſignificat:

Cum canerem Reges & prælia, *Cinthius aurem*
Vellit, *& admonuit*: *Paſtorem*, *Tityre*, *pingues*
Paſcere oportet oves. Et in Copa:
Pone merum & talos, *pereat qui craſtina curat*;
Mors aurem vellens, *Vivite*, *ait*, *venio*.

Ex his omnibus illud intelligetur, quod Cajus ait lib. I. Inſtitutionum, in emancipationibus ſolere quinque teſtes cives Romanos adhiberi, duoſque alios pro eo qui libripens dicitur, & pro eo qui anteſtatus appellatur, hoc eſt, ut ego interpretor, is cujus aurem vellebant. (d) Hinc illud manavit, ut teſtes rogarentur, etſi aurium illa vellicatio omiſſa ſit.

LIII. Vadum mentio efficit, ut illud quoque Gellianum addamus. Scribit lib. XVI. Noctium Atticarum Gellius, juris peritum fuiſſe de cujuſdam legis XII. Tab. interpretatione interrogatum: eumque reſpondiſſe ſe jus Faunorum atque Aboriginum non didiciſſe. Sed enim cum proletarii, & aſſidui, & ſanates, & vades, & ſubvades, & XXV. aſſes, & taliones, furtorumque quæſtiones cum lance & licio evanuerint, omniſque illa XII. Tab. antiquitas, ſtudium ajebat ſe præſtare debere juris, & legum, vocumque ear. quib. utimur. Et quoniam cetera ſuperioribus capitib. explicata ſunt, de ſanatibus & vadibus & ſubvadibus videamus. Sanates ut Sex.

* *al* XL. (x) *Inſtit. de teſta. p.* teſtes. (y) *l.* locum. *p.* hoc interdictum. *de tab. exh.* (z) *l.* cum lege. *l.* is cui lege. *qui teſta fa. poſ.* (a) *l.* ex eo. *de teſtib.*

(b) *Sat.* 9. (c) *Eclog.* 6. (d) *Auth* rogati. *C. de teſtib.*

Pompejus ait, dicti sunt qui supra infraque Romam habitaverunt. Quod nomen ideo est inditum, quia cum defecissent a Romanis, brevi in amicitiam quasi sanati redierunt. Itaque in XII. cautum fuisse, ut idem juris esset sanatibus, quod fortibus, id est, bonis, & qui nunquam defecerant a populo Ro. Idem ait vadem sponsorem significare datum in re capitali. Ausonius Gallus in monosyllabis inter vades & prædes eam differentiam esse ait, quod alteri in capitali judicio, alteri in re famil. adhibentur:

Quis subit in pœnam capitali judicio? vas.
Quis cum lis fuerit nummaria? quis dabitur? præs.

Hoc Cicero recte servat, cum lib. III. de Officiis, & II. de Finib. item V. Tusculanar. quæstionum, magnum illud duorum Pythagoreor. Damonis & Pythiæ amicitiæ testimonium scribit. Nam cum eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinavisset, & is qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandor. suor. causa postulavisset: *Vas factus*, inquit, *alter est ejus sistendi, ut si ille non revertisset ad diem, moriendum esset sibi ipsi. Qui cum ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus petivit, ut se in amicitiam tertium adscriberent*. Vadimonium tamen, ut ex Quinctiana Ciceronis oratione constat, sponsio est sistendi se in judicium in pecuniaria quoque causa. Quamobrem lib. XII. constitutionum (e) vades pro prædib. usurpantur a Zenone Imp. De prædib. permulta exempla sunt, quæ ad rem familiarem pertinent, quæ colligere non est necesse. Præs autem dictus est, quod a magistratu interrogari soleat, an præstet illud fieri, ut Varro scribit: vel ut apud Sex. Pompejum reperitur, Præs est, qui populo se obligat, interrogatusque a magistratu, Si præs sit ille, respondet, Præs. sed utriusque libri scriptura mihi suspecta est. De subvadibus nihil scriptum reperi, sed suspicor sponsores esse eorum, qui vades dati sunt. Quid autem de his omnibus personis in Duodecim scriptum esset, ignoro. Sed & hæc omnia nomina a nostris minime usurpantur, cum fidejussoris nomen in eorum locum successerit.

LIV. Illa etiam verba in XII. fuerunt, quæ Justinianus sub titulo de verborum significatione ex libris Sex. Caii ad legem XII. Tabu. scripsit. Et principio ex lib. I. (f) illud scribitur: SI CALVITUR, ET MORETUR, ET FRUSTRETUR. *Inde & calumniatores appellati sunt, quia per fraudem & frustrationem alios vexarent litibus. inde & cavillatio dicta est*. Nonius Marcellus quasi hæc verba interpretaretur, *Calvitur*, inquit, *dictum est frustratur, tractum a calvis inimicis, quod sint omnibus frustratui*. exemplaque adfert Plauti, Pacuvii, atque Attii, & quod magis mirandum est Sallustii lib. III. historiarum. De calumniatoribus recte Marcianus lib. sing. ad S. C. Turpillianum (g) scribit: *Accusatorum temeritas tribus modis detegitur, & tribus pœnis subjicitur. aut enim calumniantur, aut prævaricantur, aut tergiversantur. Calumniari est falsa crimina intendere; prævaricari, vera crimina abscondere; tergiversari, in universum ab accusatione desistere*. Cavillationem autem Ulpianus lib. XLVII. ad Sabinum, & Julianus lib. LIV. Digestor. (h) vulgare illud sophistarum argumentum, quod acervale Cicero appellat, dixerunt. *Natura*, inquiunt, *cavillationis, quam Græci σωρίτην appellaverunt, hæc est, ut ab evidenter veris per brevissimas mutationes disputatio ad ea quæ evidenter falsa sunt, perducatur*. Hujusmodi est quod Horatius lib. II. epistolarum (i) tractat:

Est vetus atque probus, centum qui perficit annos.
Quid? qui deperiit minor uno mense, vel anno?
Utor permisso, caudæque pilos ut equinæ
Paulatim vello, & demo unum, demo etiam unum;
Dum cadat elusus ratione ruentis acervi.

Latius autem cavillatio patet, ut quicquid jocose contorqueatur, eo nomine significetur. Addit Cajus (k): *Post Kalendas Januarias die tertio pro salute principis vota suscipiuntur*. Quod quo pacto ad XII. Tab. pertineat aut etiam ad verborum significationem, qua de agitur, non video. Significatur autem his verbis tertio Nonas vota suscipi, ut lib. IV. Emendationum diximus. Etenim Plutarchus scribit M. Ciceronem natum esse tertio die novarum Kalendarum (si ita loqui liceret) qua die magistratus vota concipiunt, atque sacrificant pro salute principis. Cicero tamen lib. VII. ad Atticum (l) scribit: *Sed de Formiano Tarracinam pridie Kalendas Januarias, inde Pontinum, inde Albanum Pompeii, ita ad Urbem tertio Nonas natali meo*. A. Gellius lib. XV. (m): *Dinumeratis annis a Q. Cæpione & a Q. Serrano, quibus Coss. ante diem tertium Nonas Januarias M. Cicero natus est, ad M. Tullium & Cn. Dolabellam, quibus Coss. causam privatam pro Quinctio apud Aquilium Gallum judicem dixit, sex & viginti anni reperiuntur*. Ex his verbis apparet, cum dicimus post Kalendas Januarias die tertio, significare nos tertium ejus mensis diem, non quartum. Ex quo Pauli verba interpretabamur libro tertio ad legem Juliam & Papiam (n) *Anniculus*, inquit, *amittitur, qui extremo anni die moritur; & consuetudo loquendi id ita esse declarat, ante diem X. kalendarum, post diem X. kalendar. neutro enim sermone undecim dies significantur*. Etenim si ante X. Kal. Januarias dicamus nos aliquid fecisse, aut esse facturos; diem ipsum decimum Kalendar. significamus, hoc est, Decembris mensis diem tertium & vicesimum: si vero post decimum, decimus ipse dies significatur Januarii mensis, hoc est, quarto Idus Januarias; ut ex supra scriptis verbis Caii constat. Idem Cajus libro III. ad legem XII. Tabular. (o) scribit: *Ferri proprie dicimus, quæ quis suo corpore bajulat: portari ea, quæ quis jumento secum ducit: agi ea, quæ animalia sunt*. Contemnunt permulti hanc Caii differentiam, quam ego ita tueri posse crediderim, ut jurisconsultum existimem legi XII. Tabular. optimam interpretationem dedisse, in qua tria fortasse hæc verba κατὰ τοῦ αὐτοῦ, ut Ulpianus ait (p), tollendæ dubitationis gratia conscripta fuerant. Quamquam ne illud quidem pertinaciter defenderim, ut nostri plerique omnes solent, nulla in re veteres jureconsultos, quorum scripta Justinianus (q) recepit, minus vidisse, nihil Tribonianum in Digestis, aut contrarium aut abundans, aut imperfectum, aut obscurum reliquisse. Esset enim veluti gigantum more pugnare cum diis, si nobis divinam illam naturam vindicemus. Jure enim illud Terentianum laudatur, ut homines cum simus, nihil humanum a nobis alienum esse putemus. Sed ut ad Caii differentiam revertamur (r), & licet eam aliquando veteres neglexerint, ea tamen plerique usi sunt. M. Cicero lib. II ad Q. fratrem: *Memini enim, cum hominem portarem ad Bajas Neapoli octophoro Anitiano machærophoris centum sequentibus, miros risus nos edere, cum ille ignarus sui comitatus repente operuit lecticam, & pæne ille timore, ego risu corrui*. Ceterorum verborum exemplis abstineo, quæ tertio quoque verbo fere occurrent. Idem Cajus ait lib. IV. (s) *Qui venenum dicit, adjicere debet, utrum malum an bonum. Nam & medicamenta venena sunt: quia eo nomine omne continetur, quod adhibitum naturam ejus, cui adhibitum esset, mutat*. Id a Græcis

(e) *l. ult. p.* hæc autem C. *de castren & minis. lib.* 12.
(f) *l.* si calvitur. *de verb. sign. al.* si calumnietur. (g) *l.* 1. *ad S. C. Turp l.* (h) *l.* natura. *de verb. signif. l.* ea est. *de div. reg. jur. Cicero lib. 2. de divin.* (i) *Epist.* 1.

(k) *d. l.* si calvitur. (l) *Epist.* 5. (m) *cap.* 28. (n) *l.* anniculus. 1. *de verb. signif.* (o) *l.* ferri. *de verb. sign.* (p) *l.* 1. *p.* sed sciendum. *de ædi.* (q) *p.* quibus. *C. de novo C. facien. l.* 1. *p* nulla. *de vet. jure Enuc.* (r) *l.* 2. *p.* si quid. *eod.* (s) *l.* qui venenum. *de ver. sign.*

φάρμακον appellari ait, & eodem pacto noxia & juvantia medicamenta eo nomine ſignificari. Hoc quoque initio ita ſervabatur, quod poſtea in legibus tantum eſt, ut in Cornelia de ſicariis vidimus. Sed & poetæ veterum verborum vim retinere ſolent (t):

Has herbas, atque hæc ponto mihi lecta venena ipſe dedit Mœris.

& alio loco (v):

Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno.

Sed poſtea factum eſt, ut in pejorem ſignificationem, etſi nihil adjectum ſit, hoc verbum accipiatur. Idem in dolo malo evenit. hæc enim ſunt Ulpiani verba lib. XI. ad edictum (x): *Non fuit autem contentus Prætor dolum dicere, ſed adjecit, malum: quoniam veteres dolum etiam bonum dicebant, & pro ſollertia hoc nomen accipiebant, maxime ſi adverſus hoſtem latronemve quis machinetur. Dolus an virtus*, inquit ille (y), *quis in hoſte requiret?* Idem Cajus lib. V. ad legem XII. Tabularum (z) ait. *Duobus negativis verbis quaſi permittit lex magis, quam prohibuit*; idque etiam Servius animadvertit. Cujuſmodi eſſent in Duodecim verba, neſcio; ſed tamen his ſimilia fuerunt: Non improbamus, non negamus; non nolumus, non ignoramus, non prohibemus, atque alia id genus. Sic Ulpianus lib. XII. ad Sabinum (a) inter proprie, non improprie, & proprie non eſt, differentiam conſtituiſſe videtur. Verba enim ejus ſunt hæc: *Inteſtati proprie appellantur, qui cum poſſent teſtamentum facere, teſtati non ſunt. Sed & is qui teſtamentum fecit, ſi ejus hereditas adita non eſt, vel ruptum, vel irritum eſt teſtamentum; inteſtatus non improprie dicetur deceſſiſſe. Plane qui teſtari non potuit, proprie non eſt inteſtatus, puta impubes, furioſus, vel cui bonis interdictum eſt. ſed hos quoque pro inteſtatis accipere debemus.* In quam rationem ſunt qui interpretentur quod Ulpianus ait lib. II. ad legem Juliam & Papiam (b): *Lege obvenire hereditatem non improprie quis dixerit & eam quæ ex teſtamento defertur.* Quamvis Paulus ſcribat (c), ſi coita ſit ſocietas, ut juſta hereditas communis ſit; non ea quæ ex teſtamento, ſed quæ jure legitimo obvenit, communis erit. Huc accedit, quod lib. I. Emendationum diximus in Florentino libro Ulpiani verba lib. III. ad Sabinum eſſe hæc (d): *Ejus eſt non nolle, qui poteſt velle.* quæ ejuſdem Ulpiani verbis interpretabamur lib. XXIX. ad edictum (e), qui ſcientiam domini, ut tributoria actione conveniri poſſit (opus enim eſt, ut negotiari ſervum ſciat) non voluntatem, ſed patientiam interpretatur. *Non enim velle*, inquit, *debet, ſed non nolle.* Sic Cicero lib. II. de Oratore rogatum eſſe Annibalem ait, cum Epheſum veniſſet, an vellet Phormionem audire; eumque ſe non nolle dixiſſe. & aliis locis elegantur hoc verbo utitur. Varro quoque de analogia tres eſſe rerum naturas ſcribit, ſimile, diſſimile, & non diſſimile. Idem Cajus lib. VI. ſcribit (f): *Deteſtatum eſt teſtatione denuntiatum.* Sic Ulpianus lib. LVI. ad edictum (g) *Deteſtatio eſt denuntiatio facta cum teſtatione.* Paulus tamen addit lib. LIII. (h): *Deteſtari eſſe abſenti denuntiare.* Mirari tamen nequeo, cur hoc ipſum aliquot exemplis confirmare nequeamus. Neque enim facile invenies deteſtandi aut deteſtationis verbum aliud ſignificare, quam execrari atque deprecari. Sed arbitror veteres pro teſtatione uſos. præpoſitio enim de augere ſolet, ut in depoſito Ulpianus notat lib. XXX. ad edictum (i). Sic apud Plautum in Menechmis: *Summum Jovem, deoſque deteſtor, nunquam me iſti male feciſſe mulieri.* Pro quo Virgilius teſtandi verbo uſus eſt (k):

Teſtor, cara, deos & te, germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier artes.

Teſtari autem deos ſignificat, teſtes deos citare noſtri ſermonis. *Sic conteſtari litem dicimus*, inquit Sex. Pompejus, *cum uterque reus dicit, Teſtes eſtote.* Reum autem appellavit, ut Cicero lib. II. de Oratore, non eum tantum qui convenitur, ſed & actorem, propterea quod utriuſque res agatur. Sed hæc alterius loci & temporis ſunt. nos cetera perſequamur. *Pignus*, inquit Cajus (l) *appellatur a pugno, quia res quæ pignori dantur, manu traduntur. Unde etiam videri poteſt verum eſſe, quod quidam putant, pignus proprie rei mobilis conſtitui.* Juſtinianus lib. IV. Inſtitutionum (m): *Pignoris appellatione eam proprie rem contineri dicimus, quæ ſimul etiam traditur creditori, maxime ſi mobilis ſit. eam quæ ſine traditione nuda conventione tenetur, proprie hypothecæ appellatione contineri dicimus.* Hoc idem Ulpianus lib. XXVIII. ad edictum (n) probare videtur: *Proprie*, inquit, *pignus dicimus, quod ad creditorem tranſit: hypothecam, cum non tranſit nec poſſeſſio ad creditorem.* Quod vero Marcianus ait lib. ſing. ad formulam hypothecariam (o), inter pignus & hypothecam tantum nominis ſonum differre: id ex Juſtiniani ſententia ita intelligendum eſt, ut quantum ad actionem hypothecariam attinet, nihil interſit. Nam de qua re inter creditorem & debitorem convenerit, ut ſit pro debito obligata, utraque hac appellatione continetur. Sed tamen crebro his duobus nominibus noſtri abutuntur, item eorum conjugatis pignerandi & ὑποτίθεσθαι, pro quo aut in hypothecam dare, aut, quod propius ad Græcam linguam accedit, ſupponere appellant. Namque & libro XXVII. Digeſtorum titulus eſt de rebus eorum qui ſub tutela vel cura ſunt, ſine decreto non alienandis vel ſupponendis; & Juſtinianus in Conſtitutione quadam ad Archelaum P. P. ita ſcribit (p): *Cum notiſſimi juris ſit, actionem hypothecariam in extraneos quidem ſuppoſitæ rei detentatores annorum triginta finiri ſpatiis.* Quamobrem non male in veteri quodam libro pars quædam alterius conſtitutionis Juſtiniani, quæ lib. VI. conſtitutionum (q) refertur, ita ſcripta eſt: *Sed pater quidem in prædictis tantummodo cauſis habeat licentiam rite res, filii nomine vendere; vel ſi emptorem non invenerit, ſupponere.* Sed ut ad Cajum revertamur, quid in XII. cautum eſſet de pignoribus, ignoramus: aliquid tamen ſcriptum fuiſſe ex Caii capite ſuſpicamur.

LV. Ex eodem Cajo lib. IV. ad legem XII. Tabularum cujus verba referuntur lib. XLVII. Digeſt. legem in XII. fuiſſe cognoſcimus, quæ de collegiis ſcripta eſt ad exemplum Græcæ Solonis legis. Verba Caii ſunt hæc (r): *Sodales ſunt, qui ejuſdem collegii ſunt, quam Græci ἑταιρίαν vocant. His autem poteſtatem facit lex pactionem quam velint, ſibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant.* Sed hæc lex videtur ex lege Solonis tranſlata eſſe. nam in illa ita eſt: Ἐὰν δὲ δῆμος, ἢ φράτορες ἢ ἱερῶν ὀργίων, ἢ ναῦται, ἢ σύσσιτοι, ἢ ὁμόταφοι, ἢ θιασῶται ἢ ἐπὶ λεῖαν οἰχόμενοι, ἢ εἰς ἐμπορίαν, ὅ, τι ἂν τούτων διαθῶνται, πρὸς ἀλλήλους κύριον εἶναι. ἐὰν μὴ ἀπαγορεύσῃ δημόσια γράμματα. Quam legem ita interpretari viſum eſt: *Si qui e plebe, aut tribu, aut ſacrorum myſteriorum miniſtri, aut nautæ, aut communi cibo, vel ſepulchro utentes, aut publicani, aut qui prædatum eunt, aut ad mercatum, quidquam inter ſe propter eas cauſas conſtituerint, ratum ſit; dum ne id publicis ſanctionibus prohibeatur.* De ejuſmodi collegiis atque corporibus varie in Urbe actum eſt. Nam ut Cicero ſcribit in libro de ſenectute, ſodalitates

(t) *Virgil. Eccl.* 8. (v) *Idem lib.* 2. *Georg.* (x) *l.* 1. *p.* non fuit. *de dolo malo.* (y) *Virgil. Æn.* 2. (z) *l.* duob. *de verb. ſign.* (a) *l.* 1. *in princ. de ſui. & legit.* (b) *l.* lege. *de verb. ſign.* (c) *l.* 3. *p.* de illo. *de verb. ſign.* (d) *l.* 2. *de diver. reg. jur.* (e) *l.* 1. *p.* ſcientiam. *de trib. actio.* (f) *l.* plebs. *de rer. ſign.* (g) *l.* ſubſignatum. (h) *l.* deteſtatio. *eod.* (i) *l.* 1. *depo.* (k) *Æn. lib.* 4.

(l) *d. l.* plebs. (m) *Inſt. de actio. p.* Item Serviana. (n) *l.* ſi rem alienam. *p.* proprie. *de pign. actio.* (o) *l.* res. *in fine. de pigno. d. p.* item Serviana. (p) *l.* cum notiſſimi. *C. de præſ.* 30. *vel* 40. *annor.* (q) *l. ult. p.* ipſum. *C. de bon. quæ lib.* (r) *l. ult. de collegiis.*

Quæstore M. Catone majore constitutæ sunt sacris Idæis magnæ matris receptis. Veteres autem XII. Tabularum fortasse fuerant dissolutæ. Sed & P. Clodius, ut alio loco scripsit, collegia pleraque instituit. At lib. II. ad Q. fratrem Cicero ait factum esse S. C. ut sodalitates, decuriatique discederent; lexque de his ferretur, ut qui non discessissent, ea pœna, quæ est de vi, tenerentur. Nostri quoque jureconsulti & Senatusconsulta, & mandata, rescriptaque principum referunt, quibus collegia sine Principis aut Senatus voluntate coire nequeunt.

LVI. Ex eodem Cajo lib. VI. illud etiam est, quod sub titulo de litigiosis lib. XLIV. Digestorum (s) refertur: *Rem, de qua controversia est, prohibemur in sacrum dedicare. alioquin dupli pœnam patimur. nec immerito, ne liceat eo modo duriorem adversarii conditionem facere. Sed duplum utrum fisco, an adversario præstandum sit, nihil exprimitur. Fortassis autem magis adversario, ut id veluti solatium habeat pro eo quod potentiori adversario traditus est.* Extant lib. II. Constit. pleræque leges, quibus non licet potentioribus patrocinium litigantibus præstare, neque in se actiones transferre; item litigatores nequeunt eorum nomine titulos adfigere prædiis, neque in litem eorum nominibus uti, & cetera, quæ a Principibus constituta sunt. Hæc habui quæ de XII. Tabulis ex variis libris collecta scriberem, quibus aut nos, aut alii aliquando plura addent. Scripsit ad eas leges Cajus libros sex, quorum initium illud, ut arbitror, fuit, quod Justinianus lib. I. Digestor. (t) retulit: *Facturus legum vetustarum interpretationem, necessario prius ab Urbis initiis repetendum existimavi.* Cetera, quæ variis Digestor. locis scripta sunt, omnia (ni fallor) antea retulimus. Eorum librorum ordinem secuti fuissemus, utpote qui ipsarum legium fuisset; nisi perpauca ex eisdem libris, ex aliis autem tam multa cepissemus. Quod si cuiquam is ordo magis probetur, superiores omnes locos perlegere poterit, & ex eis Caii ordinem ediscere. Quæ vero alii ex Ciceronis & Solonis legibus ad has leges retulerunt, item alia quæ eis colligere visum est: nos cum ea in veterum libris XII. Tabularum esse non reperiamus, tantisper manus ab eis abstinuimus, dum in illos libros incidamus. Extarent utinam ipsa legum verba, ut Diodorus lib. XII. in ære incisa suo tempore conservari testatur; aut saltem aliquo ex veterum interpretum libello comprehensa essent: magnam enim lucem juris antiquitati præstarent.

(s) *l. ult. de litigi.*

(t) *l. 1. de or. jur.*

ANTONII AUGUSTINI
DE
SENATUSCONSULTIS LIBER.



COLLECTÆ sunt a nobis, omnes (ut opinor) veterum leges, quarum nomina in nostris libris, aut in variis variarum rerum scriptoribus reperire potuimus. Nunc de Senatusconsultis scribendum est, in quibus minori negotio hac provincia fungemur. Cum enim ea nos tantum persequamur, quæ nominibus suis nota sunt; quod recens inventum est, & Imperatorum temporibus ut arbitror, usurpatum: Placentini docti viri, & ut illis temporibus non inelegantis, collectione contenti, pauca admodum addemus. Esset enim infinitum, si veteres omnes leges, Senatusqueconsulta velimus referre: quem laborem si non inutilem non nemo putaverit, suscipiat, velim. Interea hæc, quæ veluti astra quædam illustriora inter cetera sidera notavimus, digna esse putamus, quæ litteris mandentur. Sed antequam de his rebus dicere incipio, admonere lectores Placentini librorum, qui nuper editi sunt, velim; non satis certum esse ab eo viro illos libros esse conscriptos. Exstat enim apud me altera Institutionum & Constitutionum Placentini epitome, quæ multo & brevior & elegantior est. cui additum est de Longobardorum origine & legibus, de variis actionibus & de Martini, & Bulgari, atque aliorum disputationibus, quæ nos aliquando edenda curabimus. Sed interea tamen ad ipsa Senatusconsulta veniamus. sive enim Placentinus est, sive alius eo nomine dignus, hac quidem in parte adjuvit nostram disciplinam.

ÆMILIANUM.

ITA a Placentino appellatur S. C. quod ab Ulpiano refertur lib. V. Fideicommissor. (a) Æmilio Junco & Julio Severo Coss. conscriptum. Sed mihi videtur id a Marciano lib. IX. institutionum (b) Juncianum esse appellatum, cujus verba posterius referemus. neque recte a Placentino & separatum ab hoc est, & Vintianum dicitur.

(a) *l.* si cum servum. *p.* si quis servum. *de fideicom. lib.*

(b) *l.* non tantum. *p.* sed si nondum. *eod.*

APRONIANUM.

HUJUS Senatusconsulti in Vectibulicia lege mentionem fecimus. De quo Paulus libro singulari de Senatusconsultis (a) *Omnibus*, inquit, *civitatibus, quæ sub imperio populi Romani sunt, restitui debere & posse hereditatem fideicommissam Apronianum Senatusconsultum jubet. Sed & actiones in eas placuit ex Trebelliano transferri. sed & municipes ad eas admittuntur.* Addit Julianus lib. XL. Digestor. (b): *Ita tamen ut hi quibus restituetur hereditas, actorem eligant, & ad agendum, & ad excipiendas actiones.* De eodem Senatusconsulto Ulpianus lib. XLIX. ad edictum (c) scribit: *Qua ratione Senatus censuit, ut restitui municipibus ex Trebelliano hereditas possit; qua ratione alio S. C. heredibus eis institutis a liberto, adquirere hereditatem permissum est; ita bonorum quoque possessionem petere dicendum est.* Hoc S. C. cum post Trebellianum, & non post Salvii Juliani ætatem scriptum sit; crediderim Pætino & Cassio Aproniano Coss. Hadriani tempore factum fuisse: aut Quinctio Nigro & T. Aproniano.

(a) *l.* omnib. *ad S. C. Treb.* (b) *l.* ita tamen. *in princ. eo.* (c) *l. un. de libe. univ.*

ARTICULEJANUM.

MARCIANUS lib. IX. institutionum (a) scribit, hoc S. C. caveri, ut in provinciis Præsides cognoscant de libertatibus quæ ex fideicommisso debentur, licet heres non sit ejus provinciæ. Existimo autem ab Articulejo Pæto, qui Trojano in quarto Consulatu collega fuit, appellatum, Quamobrem non recte Artificulianum ab aliis appellatur.

(a) *l.* non tantum. *p.* sed Articulejano. *de fid. lib.*

CALVISIANUM, sive CALVITIANUM.

ULPIANUS in Fragment. titulo de solidi capacitate inter virum & uxorem, hujus S.C. mentionem facit his verbis: *Quod si major quinquagenaria minori sexagenario nupserit; impar matrimonium appellatur, & S.C. Calvitiano jubetur non proficere ad capiendas hereditates, & legatas dotes*. Itaque mortua muliere, dos caduca erit. Hac de re in lege Papia dictum est. Calvisianum autem hoc S.C. malo scribere, ut Calvisiana actio, & Calvisianum judicium dicitur in Pandectis (a)

(a) *Inst. de succ. subl. in fine. & C. de S.C. Clau. tol.*

CLAUDIANUM.

PLACENTINUS Senatusconsultum refert Silanianum & Claudianum, de quo lib. XXIX. Digestor. scribitur, ut de eo suo loco dicetur. Omittit autem Claudianum S.C. quo libera mulier addici jubebatur domino ejus servi, cujus concubitus nullis denuntiationibus petere desinebat. Est autem id S.C. ab Justiniano abrogatum, ut lib. III. Institutionum, & VII. Constitutionum scribit. Quod Vespasiani tempore factum esse, ex Suetonio apparet. *Auctor*, inquit, *Senatui fuit decernendi, ut quæ se alieno servo junxisset, ancilla haberetur*. Item Claudiano S.C. major sexagenario si minorem quinquagenaria duxerit, perinde habebitur, ac si minor sexaginta annorum duxisset uxorem, ut Ulpianus ait in Fragmentis, titulo de solidi capacitate. Vide legem Papiam, & S.C. Calvisianum, & S.C. Pernicianum.

DASUMIANUM.

DASUMIANUM, non Damasianum, nec Dasumajanum. Hoc cautum est, ut (a) Marcianus lib. IX. institutionum, & Mæcianus lib. XVI. fideicommissorum scribunt, ut si ex justa causa absit qui fideicommissam libertatem debet, & hoc pronuntiatum fuerit, perinde libertas competat, atque si ut oportet, ex causa fideicommissi manumissus esset. *Abesse autem* (inquit Marcianus) *is intelligitur, qui a Tribunali abest. Et quia heredibus tantum cautum erat; adjectum est eodem S.C. ut quicunque fideicommissam libertatem, ex quacumque causa pronuntiatum fuerit eum eosve abesse, perinde habeatur, atque si ut oportet, ex causa fideicommissi manumissus esset*. Quo loco arbitror QUICUNQUE pro CUICUMQUE scriptum esse in Tusco libro, aut mendum esse, quod magis crediderim. Neque enim placet, quod alii scripserunt, *ut quicumque fideicom. libertatem * debet*. Quod si *cuicunque fideicommissa libertate* scriptum esset, minus fortasse laboraremus. Nunc plane quid dicatur, ignoro. Sed ex Mæciani capite (b) cognoscimus, ut cum Rubriano S.C. Prætor pronuntiare possit absente eo qui libertatem debebat, si is justa ex causa absit, libertum non amittit. Hi enim qui ex justa causa aberant, eo S.C. non comprehendebantur. Sed cum initio heredi soli cautum esset; adjectum est, ut cuicumque debenti libertatem consultum sit.

(a) *l.* non tantum. *p.* S.C. *l.* neque infantes. *de fideicom. lib.*
* debeat, *forsitan melius*. (b) *d. l.* neque infantes.

JUNCIANUM.

DE hoc aperte Ulpianus lib. V. Fideicommissorum (a) scribit his verbis: *Si quis servum non hereditarium rogatus manumittere latitet: factum est, S.C. Æmilio Junco & Julio Severo Coss. in hæc verba*: PLACERE, SI EX HIS QUI FIDEICOMMISSAM LIBERTATEM EX QUACUNQUE CAUSA DEBERENT SERVO, QUI MORTIS TEMPORE EJUS QUI ROGAVIT, NON FUERIT, ISQUE ADESSE NEGABITUR, PRÆTOR COGNOSCAT: ET SI IN EA CAUSA ESSE VIDEBITUR, UT SI PRÆSENS ESSET, MANUMITTERE COGI DEBERET: ID ITA ESSE PRONUNTIET. CUMQ. ITA PRONUNTIASSET, IDEM JURIS ERIT. QUOD ESSET, SI ITA UT EX FIDEICOMMISSO MANUMITTI DEBUISSET, MANUMISSUS ESSET. Addit Marcian. lib. IX. institutionum (b) *Sed si non hereditarium servum quis rogatus fuerit manumittere, sed proprium: ex S.C. Junciano post pronuntiationem pervenit ad libertatem. Emptor quoque ut manumittat eodem S.C. expressum est, & præsens coheres perinde manumittat atque si traditum a coherede accepisset*. Hoc S.C. a Placentino, tum Æmilianum, tum Vincianum appellatur. Sed & horum Consulum nomina in Consulum catalogo non legi, cujus rei rationem infra scribam.

(a) *l.* si eum servum. *p.* si quis. *de fideic. lib.*

(b) *l.* non tantum. *p.* sed si non. *eo.*

LARGIANUM.

JUSTINIANUS lib. III. Institutionum (a) scribit, ex lege Junia Norbana Latini liberti hereditatem, tanquam peculium patronum retinuisse. Latini enim ut liberi vitam peragebant: moriebantur ut servi, omnia apud patronum relinquentes. Postea S.C. Largiano liberi manumissoris non nominatim exheredati extraneis heredibus in bonis hujusmodi liberti præferebantur. Secutum est Hadriani edictum, quod Latinis libertis, qui sine voluntate patronorum civitatem Rom. ex Principis beneficio consecuti fuissent, eam vivos quidem tenere permisit; sed decedentes Latinos existimandos. Hæc autem omnia ex Justiniani constitutione (b) sublata Latinitate abolita sunt; ut in Janua lege diximus. Placentinus vero hæc non recte distinxit.

(a) *Inst. de succe. lib. in fine.* (b) *l. un. C. de Lati. lib. tol.*

LIBONIANUM.

HOC S.C. cum lege Cornelia de falsis conjunctum est. Itaque quodcunque ex S.C. ab jureconsultis in eo tractatu dicitur, ad hoc esse referendum credendum est. Et Marcianus libro XIV. institutionum (a) scribit: *Pœna legis Corneliæ irrogatur ei, qui falsas testationes faciendas, testimoniave falsa inspicienda dolo malo coierit. item ob instruendam advocationem, testimoniave pecuniam acceperit, pactusve fuerit, societatem coierit ad obligationem innocentium, ex S.C. coercetur*, Et postea: *Ad testamenta militum S.C. pertinet, quo lege Cornelia tenentur, qui sibi legatum fideicommissumve adscripserint*. Addit Julianus libro LXXXVI. Digestor. (b): *Senatus pœnam remisit ei, qui legata a se testamento data, codicillis sua manu scriptis ademerat; sed & quia jussu patris id fecerat, & annor. XXV. erat, hereditatem quoque ei capere permissum est*. Quæ verba fortasse non ad hoc S.C. pertinent, sed ad eam speciem, quæ in Senatum introducta est. QUA autem, non QUIA scripsimus, veterem Pandectar. Tuscar. scripturam secuti, ut aliis permultis locis, quos in Emendationibus persecuti sumus. Quod vero dictum est hoc S.C. teneri, qui legatum sibi in testamento adscripserit; id Africanus libro III. quæstionum (c) tum esse verum existimat, cum perfectum testamentum non est. *Prius enim*, inquit, *oportet esse aliquod testamentum, vel non jure factum, ut S.C. locus sit*. Idem ait: *Si institutus heres exheredationem nominatim filii vel aliar. personar. adscribit, S.C. tenetur. Similiter & is qui libertatem sua manu ademit servi testatoris, & maxime cui a se legata vel fideicommissa data erant, S.C. tenetur*. Apud Macrum vero lib. I. publicor. judicior. (d) Senatusconsultis nihil caveri scribitur, de eo, qui ei, in cujus potestate est, eique qui in eadem potestate est, adscripserit. neque eis locum esse, si extraneo

(a) *l.* 1. *de l. Cor. de fal. & de S.C. Libo.* (b) *l.* Senatus. *e.*
(c) *l.* si quis legatum. *eod.* (d) *l* de eo. *eod.*

adscriptum legatum sit ab eo qui vivo testatore in potestate eum habere cœperit. Quæ autem sint cetera Senatusconsulta ignoramus. Sed ad Julianum pertinet, quod Paulus ait lib. XXII. Quæstionum (e): *Quantum ad S. C. quo prohibemur nobis vel his, quos in potestate habemus, adscribere legatum; emancipatus quoque filius eadem pœna tenebitur, licet jussu patris scripserit.* Excusatus enim, inquit, *is videtur, qui in potestate est, sicut servus, si tamen jussum ex subscriptione testatoris appareat. sic enim inveni Senatum censuisse.* Hoc S. C. cum edicto D. Claudii eodem fere tempore factum crediderim, ut ex Alexandri constitutione, & Paulo eodem illo libro, & Callistrato lib. I. Quæstionum (f) significari videtur. Sed & idem Paulus libro singulari ad S. C. Libonianum scribit: *Impuberem in hoc edictum incidere dicendum non est.* Postea tamen de S. C. plurib. verb. agitur. Callistratus autem ait (g) *Senatum quoque censuisse, ut si servus domini sui jussu testamento, codicillisve libertatem sibi adscripserit: ob eam rem, quod ipsius manu adscriptum est, minus liber sit; sed libertas ei ex fideicommissi causa præstatur, si modo post eam scripturam manu sua testator testamento codicillisve subscripserit.* Quæ verba mendosa habentur. Cetera latius libro XLVIII. Digestorum & IX. Constitutionum referuntur.

(e) *l.* filius emancipatus. *eo.* (f) *l.* senatusconsulto. *C. de his qui sibi adscr. d. l.* filius *& l.* Divus. *de l. Cor. de fals. l.* impuberem. *eo.* (g) *d. l.* Divus. *p.* item senatus.

MACEDONIANUM.

ULPIANUS lib. XXIX. ad edictum (a) scribit: Verba S. C. Macedoniani hæc sunt: CUM INTER CETERAS SCELERIS CAUSAS MACEDO, QUAS ILLI NATURA ADMINISTRABAT, ETIAM AES ALIENUM ADHIBUISSET, ET SÆPE MATERIAM PECCANDI MALIS MORIBUS PRÆSTARET, QUI PECUNIAM, NE QUID AMPLIUS DICERETUR, INCERTIS NOMINIB. CREDERET: PLACERE, NE CUI, QUI FILIOFAMILIAS MUTUAM PECUNIAM DEDISSET, ETIAM POST MORTEM PARENTIS EJUS, CUJUS IN POTESTATE FUISSET, ACTIO, PETITIOQ. DARETUR. UT SCIRENT QUI PESSIMO EXEMPLO FOENERARENT, NULLIUS POSSE FILII FAMILIAS BONUM NOMEN EXPECTATA PATRIS MORTE FIERI. Suetonius vero scribit Vespasianum auctorem Senatui fuisse decernendi, ne filiorumfam. feneratorib. exigendi crediti jus umquam esset, ne post patrum quidem mortem. Vespasiani itaque tempore Macedo fenerator, non filiusfam. ut Theophilus putat lib. IV. institutionum titulo *quod cum eo*, juventutem Romanam mutuis pecuniis, aliisque nefandis ministeriis corrumpebat; quæ omnia ipse in libris rationum incertis nominib. adscribebat, tum quod minime essent dilucida atque aperta, quæ quibusque causis data essent; tum quod dies solutionis incertus erat, in mortem scilicet, quæ expectabatur, patrum. Hæc ne umquam bona nomina fierent, hoc est, ut ne jure exigi credita possent, censuit Senatus, ut si quis mutuam pecuniam filiisfam. dedisset, nulla actio ei, nulla petitio daretur, ne post mortem quidem parentum. Addit Justinianus lib. IV. Institutionum (b), hæc ideo Senatum censuisse, quoniam sæpe filiifam. onerati ære alieno creditar. pecuniar. quas in luxuriam consumebant, vitæ parentum insidiabantur. Filios autem familias intelligendum est, tam masculos, quam feminas, item nepotes, neptesque. Pecunia vero numerata intelligitur, nisi si fraus fieret, frumento, vino, aut oleo mutuo dato, ut pecunia inde efficeretur. Patre autem invito hæc locum habent, nisi in rem patris versa pecunia sit. Sed & usque ad quantitatem castrensis peculii cum ipsis filiisfam. actio est. Quæ omnia, atque alia multa plenius lib. XIV. Digest. & Constitut. IV. referuntur.

(a) *l.* 1. *de S. C. Maced.* (b) *Inst. quod cum eo. p.* illud.

NERONIANUM.

APUD Paulum lib. III. sententiar. hoc S. C. caveri dicitur, ut occisa uxore etiam de familia viri quæstio habeatur. Quod ad Silanianum & Claudianum pertinere alio loco scripsimus.

NUMIANUM.

NUMIANUM, vel Nonianum, vel ut Placentino placet, Vivianum, Rofredo Junianum, aut Domitianum, Domitiani quidem certe temporibus factum est, ut Cajus libro II. ad edictum (a) Prætoris urbani, titulo de liberali causa scribit, (Nonio fortasse & Laterano Coss.) *Ne quorundam dominor. erga servos nimia indulgentia inquinaret amplissimum ordinem* (Senatum autem significat) *eo quod paterentur servos suos in ingenuitatem proclamare, liberosque judicari. Itaque cautum est, ut si quis probasset per collusionem quidquam factum, si iste homo servus sit, fieret ejus servus qui detexisset collusionem.* Idem in libertinis statutum esse ex eodem S. C. Diocletianus & Maximianus rescripserunt. (b)

(a) *l.* 1. *de collu. det.* (b) *l. ult. C. eo.*

ORPHITIANUM.

JUSTINIANUS lib. III. Institutionum (a) scribit liberos ad bona matrum intestatarum admitti ex S. C. Orphitiano, quod Orphitio & Rufo Coss. factum est D. Marci temporibus. Liberos vero appellat filios & filias tantum: nepotes vero & neptes ex constitutionibus idem jus habent. Vulgo autem quæsiti filii ex S. C. admittuntur. præferunturque tum omnibus adgnatis atque cognatis matris, sive ingenua sive libertina mater sit. Verba autem S. C. quædam ab Ulpiano referuntur lib. XII. ad Sabinum (b): SI NEMO FILIORUM EORUMVE, QUIBUS SIMUL LEGITIMA HEREDITAS DEFERTUR, VOLET AD SE EAM HEREDITATEM PERTINERE, JUS ANTIQUUM ESTO. EORUMVE in optimis libris scriptum est, patronique, ni fallor, intelliguntur, qui ex lege Papia in centenariorum libertor. hereditate virilem cum liberis portionem habebant, si modo pauciores tribus essent. Idque significare Ulpianus videtur, cum postea scribat: *Si forte sit filius & patronus. repudiante filio patrono defertur.* Addit alia ejusdem S. C. verba, quæ eleganter interpretatur (c): *Quod ait Senatus:* QUÆ JUDICATA, TRANSACTA, FINITAVE SUNT, RATA MANEANT: *ita intelligendum est, ut judicata accipere debeamus ab eo, cui judicandi jus fuit; transacta scilicet bona fide, ut valeat transactio; finita vel consensu, vel longo silentio sopita.* Et hoc est quod Paulus ait lib. sing. ad S. C. Orphit. (d) Judicio terminata, transactione composita, longioris temporis silentio finita. Illud etiam notandum est, quod idem Ulpianus scribit (e) *Qui operas suas ut cum bestiis pugnaret locavit; quive rei capitalis damnatus, neque restitutus est; ex S. C. Orphitiano ad matris hereditatem non admittebatur: Sed humana interpretatione placuit eum admitti.* Cetera in Digestis & Constitutionibus reperientur. Tantum addam, quod Paulus libro quarto sententiarum scribit. Nominatim servos manumittendos esse propter legem Fusiam Caniniam. Sed si quis obsonatorem, vel qui ex ancilla nascetur, liberum esse voluerit, ex Orphitiano S. C. perinde, inquit, libertas competit, ac si nominatim data sit; nisi forte plures sint, qui

(a) *Inst. de S. C. Orph. in pri.* (b) *l.* 1. *p.* si nemo. *ad S. C. Tertu. & Orph. Inst. de succe. li. p.* postea. (c) *d. l.* 1. *p. ultim.* (d) *l.* ut sunt. *de verb. sign.* (e) *d. l.* 1. *p.* qui operas.

eo

eo officio deſignentur. Qua de re in Caninia ſatis dictum eſt.

PEGASIANUM.

JUSTINIANUS lib. II. Inſtitutionum (a) ſcribit Neronis temporibus Trebellianum S. C. factum eſſe, quo omnes actiones, quæ jure civili heredi & in heredem competunt, juſſum eſt ut darentur ei & in eum, cui ex fideicommiſſo reſtituta eſſet hereditas. Poſtea vero Veſpaſiani Auguſti temporibus Pegaſo & Puſione Coſſ. Senatus cenſuit, ut ei qui rogatus eſſet hereditatem reſtituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex lege Falcidia ex legatis retinere conceditur. Sed & ſi non hereditas, ſed res aliquæ reſtituendæ eſſent, ex ſingulis rebus retineri quartam conceſſum eſt. Quod ſi ſcriptus heres recuſaret aditionem hereditatis, hoc ipſo S. C. cavebatur (b), ut adito Prætore ab eo, cui reſtituenda eſſet, adire, & reſtituere heres juberetur. perindeque ei & in eum qui recepit hereditatem, actiones darentur, atque ex Trebelliano dabantur. Itaque ex Trebelliano actiones transferebantur, ſi modo intra dodrantem reſtitutio coacta eſſet: ex Pegaſiano retentio quartæ venit, & ut cogeretur heres adire ſuſpectam hereditatem, & ut tunc actiones tranſirent. Sed cum quarta ex Pegaſiano retinebatur, nihil de actionibus dictum erat. Et in uſu erat, ut ſtipulationes interponerentur, quæ ſolebant inter legatarios & heredes interponi, cum bonorum pars eſſet legata. Quod præter Juſtinianum & Theophilum, qui dilucide hæc omnia perſecuti ſunt, Paulus libro quarto ſententiar. ſcribit. Juſtinianus tamen hoc S. C. abrogavit Græca, ut arbitror, conſtitutione, quæ ſub titulo de S. C. Trebelliano lib. VII. Conſtitutionum deſideratur: ſub quo titulo altera Græca conſtitutio deeſt de incertis perſonis, de qua Juſtinianus in Inſtitutionibus titulo de legatis. & utraque ab Haloandro prætermiſſa eſt. Hæc igitur cauſa fuit cur libro XXXVI. Digeſtorum nulla mentio Pegaſiani S. C. fiat. quod ne fieret, & Græca & Latina conſtitutione nominatim juſſum eſt (c). Novella quoque prima in Trebellianum eſſe omnia, quæ hoc S. C. continerentur, transfuſa, Juſtinianus ſcribit.

(a) *Inſt. de fidei. her. p.* reſtituta. *& p.* ſed quia. (b) *p.* ergo *eo.* (c) *l. 2. p.* quintus. *C. de vet. jure en.*

PERNICIANUM.

ULPIANUS in Fragmen. titulo de ſolidi capacitate ita ſcribit (a): *Quia intra ſexageſimum, vel quæ intra quinquageſimum annum neutri legi paruerit* (loquitur autem de legibus Julia & Papia) *licet ipſis legibus poſt hanc ætatem liberatus eſſet, perpetuis tamen pœnis tenebitur ex S. C. Perniciano.* Vide S. C. Calviſianum, & S. C. Claudianum.

(a) *l.* Senatuſconſulto. *de S. C. Silan.*

PISONIANUM.

PAULUS lib. XLVI. ad edictum ſcribit: *S. C. Piſoniano cavetur, ut ſi pœnæ obnoxius ſervus veniſſet, quandoque animadverſum in eum eſſet, ut venditor pretium præſtaret, ne emptori injuriam feciſſe videatur Senatus.* Hæc ita ſcribenda ſunt in quib. verbis QUANDOQ. pro quandocunque accipitur, ut aliis quoque locis, quos in Emendationibus enumeravimus.

PLANCIANUM.

PLANCIANUM, non Plautianum, ut Ulpianus lib. XXXIV. ad edictum ſcribit (a). *Hoc S. C. de liberis agnoſcendis*, ut idem Ulpianus ait (b), *duas ſpecies complectitur: unam eorum qui agnoſcunt, aliam eorum qui falſum partum ſubjiciunt.* Sed de agnoſcendis multa referuntur, de partu in lege Cornelia (c) tractatur. *Permittit igitur mulieri parentive, in cujus poteſtate eſt, vel ei, cui mandatum ab eis eſt, ſi putet prægnantem, denuntiare intra dies* XXX. *poſt divortium connumerandos, ipſi marito, vel parenti in cujus poteſtate eſt; aut domum denuntiare, ſi nullius eorum copiam habeat. Pœna autem mariti ea eſt, ut niſi aut cuſtodes præmiſerit, aut contra denuntiaverit, non eſſe ex ſe prægnantem: cogatur maritus partum agnoſcere: & ſi non agnoverit, extra ordinem coercetur.* Sed cum hoc S. C. ad eos tantum partus pertineret, qui poſt divortium eduntur; *aliud S. C. temporib. D. Hadriani factum eſt, ut etiam ſi conſtante matrimonio partus ſit editus, de agnoſcendo eo agatur. Hæc autem Senatuſconſulta poſt mortem parentis ceſſant, ſi is ſuperſit, in cujus poteſtate recaſuri non ſunt. Etenim pertinent ad eos qui ſui heredes adgnaſcuntur. Ceterum ſi forte non ſint in poteſtate recaſuri, verius eſt Senatuſconſulta ceſſare.* Hæc Ulpianus (d).

(a) *l. 1. p.* eleganter. (b) *l. 3. in pri. de agn. & ale. li.* (c) *d. l. 1. in pri.* (d) *d. l. 1. d. l. 3.*

RUBRIANUM.

IDEM Ulpianus lib. V. fideicommiſſor. ſcribit (a): *Subventum libertatib. eſt S. C. quod factum eſt temporib. D. Trajani, Rubrio Gallo & Cælio Hiſpone Coſſ. in hæc verba:* SI HI, A QUIBUS LIBERTATEM PRÆSTARI OPORTET, EVOCATI A PRÆTORE ADESSE NOLUISSENT; SI CAUSA COGNITA PRÆTOR PRONUNTIASSET LIBERTATEM HIS DEBERI; EODEM JURE STATUM SERVARI AC SI DIRECTO MANUMISSI ESSENT. *Hoc S. C.* (inquit Ulpianus) *ad eos pertinet, quib. ex cauſa fideicommiſſi libertas debeatur.* Hoc eſt Rubrianum S. C. cujus lib. XI. Digeſtor. multa mentio fit (b). quod Juncianum, Vitraſianum, Daſumianum, & Articulejanum conſecuta ſunt. Apud Ulpianum vero lib. XXXVIII. ad Sabinum ſcriptum eſt (c): *Si forte ex Rubriano S. C. pervenerit ad libertatem ſervus, non habebit tutorem eum, qui rogatus eſt; ſed orcinus libertus effectus ad familiam teſtatoris pertinebit. In qua ſpecie incipit tutela ad liberos patroni primos pertinere, quæ ad patronos non pertinuit.* Illorum autem Coſſ. nomina in indice vulgari Coſſ. ut alia non pauca, minime reperiuntur. In cauſa eſt, quod Dion lib. XLIII. & XLVIII. ſcribit, annos Conſulum ab his qui primis duobus menſibus creati eſſent, nomen accepiſſe; quod ſecuti Caſſiodorus & Haloander ſunt. At qui reliquis menſibus creabantur, quod a C. Cæſare Dictatore introductum eſt, & minores Conſules dicebantur; in Senatuſconſultis & auctoritatibus ſcriptos fuiſſe animadvertimus. De quib. illud non male diceretur, quod Ciceronem de Caninii Conſulatu unius diei dixiſſe ferunt, quærendum eſſe quibus Conſulibus Conſules fuerint.

(a) *l.* cum vero *p.* ſubventum. *de fideic. lib.* (b) *p.* evocari. *e. l. & l.* ſi eum. *in prin. l.* ſi filius. *p.* erit. *l.* neque infantes. *in pri. eo. tit.* (c) *l. 3. de legi. tuto.*

SABINIANUM.

HOC S. C. melius Theophilus libro III. Inſtitutionum, quam Placentinus, & ceteri, interpretatur. quo cautum eſſe ſcribit, ut ſi quis adoptet unum e tribus fratribus, quartam bonorum partem ei relinquere debeat. Juſtinianus vero id ipſum ſignificat eodem libro (a): *Neque ſi ex Sabiniano*, inquit, S. C. *ex tribus maribus fuerit adoptatus. Nam & in hujuſmodi caſu neque quarta ei ſervatur, nec ulla actio ad ejus perſecutionem competit.* Et in quadam conſtitutione, quæ eodem loco refertur (b): *Quæ autem*, inquit, *de aliis adoptivis*

(a) *Inſt. de her. quæ ab int. de. p.* ſed ea. (b) *l.* cum in adoptivis. *p.* quæ autem. *C. de adopt.*

diximus; hæc ſancimus etiam de his qui ex Sabiniano S. C. ex tribus maribus fuerant abextraneo adoptati. Non idem eſt, quod alia conſtitutione dicitur, ſi ex tribus maribus a patre in Senatum oblatus aliquis eſſet, liberari olim a curiali fortuna. quod legibus antiquis comprehenſum eſſe ſcribitur. Sed utrumque ab Juſtiniano (c) ſublatum eſt. & ſi extraneus eſt qui adoptat, nihil eſt quod teſtamento relinquere adoptato debeat: ab inteſtato tamen is legitimam hereditatem conſequitur.

(c) *l. ulti. in fine C. de decuri. lib.* 10.

SILANIANUM.

De Silaniano & Claudiano Senatuſconſultis Ulpianus libro quinquageſimo ad edictum ita ſcribit (a): *Cum aliter nulla domus tuta eſſe poſſit, niſi periculo capitis ſui cuſtodiam dominis tam ab domeſticis, quam ab extraneis præſtare ſervi cogantur: ideo Senatuſconſulta introducta ſunt de publica quæſtione a familia necator. babenda.* Domini appellatione in hoc S. C. filium quoque familias contineri Ulpianus ait: ut tam patre occiſo ſervi filiorum torqueantur, quam occiſo filio ſervi patris. De matris ſervis filio occiſo quæſtio non habebitur. Sed ſi vir aut uxor occiſi eſſe proponantur, Senatus cenſuit, ut de ſervis eorum quæſtio habeatur, quia commixta familia eſt, & una domus; & ita vindicandum atque in propriis ſervis. Quod caput Paulus lib. III. ſententiarum ad Neronianum S. C. refert, quod neſcio an idem ſit cum Claudiano. De ſoceri ſervis uxore aut marito occiſis quæſtionem habendam non cenſuit Senatus, ſed Marcellus habendam exiſtimavit. Eos autem ſervos, qui ſub eodem tecto fuerunt, S. C. omnimodo punit. qui vero non ſub eodem tecto fuerunt, ſed in eadem regione; non aliter, niſi conſcii fuiſſent. Excipiuntur hoc S. C. impuberes ſervi, ut Mæcianus lib. XI. de publicis judiciis ſcribit; item qui auxilium tulerunt ſine dolo malo, ut Ulpianus ait (b). Eis quoque ſubvenitur, qui eo tempore clauſi fuerunt, aut vincti: item his, qui ætate defecti ſunt; & ſurdis, mutis atque furioſis (c). Illa etiam hujus Senatuſconſulti ſunt, quæ Ulpianus refert (d): *Si quis quem eorum ſervum ſervamve ex ea familia, qui ejus facinoris noxius erit, receperit, vel celaverit ſciens dolo malo: in ea cauſa eſt, ac ſi lege, quæ de ſicariis lata eſt, facinoris noxius fuerit.* Item illa quæ ſequuntur, ut qui cædem domini vindicaſſet, aut arguiſſet, libertatem pro præmio acciperet: ſi modo ultro ad accuſationem proſilit. Qua in re mendum eſſe ſuſpicabamur in Florentino libro, unde ceteri id conſervarunt. Nam VINDICASSE in omnibus libris eſt, & INDICASSE ſcribendum eſſe credebamus ex his verbis, quæ ſub titulo de verbor. ſignificatione reperiuntur ſumpta ex eodem hoc libro I. ad edictum (e). Indicaſſe eſt detuliſſe: arguiſſe, accuſaſſe, & conviciſſe. Qua de re lib. I. Emendationum ſcripſimus. Edictum vero, quod Ulpianus interpretabatur, * illud, opinor, erat: ut quod ad cauſam teſtamenti pertinens relictum erit ab eo qui occiſus eſſe dicetur, id ne quis ſciens dolo malo aperiendum, recitandum, deſcribendumque curet prius quam de ea familia quæſtio ex S. C. habita, ſuppliciumque de noxiis ſumptum fuerit. Quamquam Venulejus Saturninus lib. II. de publicis judiciis, & Paulus lib. III. ſent. titulo ad S. C. Silanian. ſignificare videantur ex hoc S. C. tabulas occiſorum ante hanc quæſtionem aperiri non poſſe. Addit idem Saturninus (f) Tauro & Lepido Coſſ. aliud S. C. factum eſſe, ut intra quinquennium cognoſcatur de tabulis apertis ejus qui a familia ſua occiſus eſſe dicatur. quod ad extraneos pertinet. namque eos qui parricidii pœna teneri poſſunt, ſemper accuſare permittitur eodem S. C. Quod vero antea ex Ulpiano retulimus eos S. C. punire, qui ſub eodem tecto fuerunt; (g) Ulpianus & Juſtinianus hæc verba SUB EODEM TECTO, ita interpretantur, ut quicunque eo loci fuerunt, unde vocem exaudire potuerunt, puniantur, quaſi ſub eodem tecto fuerint. Sed hæc, atque alia late in Digeſtor. & Conſtitutionum libris reperiuntur.

(a) *l.* 1. *in pri. de S. C. Silani.* (b) *l.* excipiuntur. *eo. & d. l.* 1. *p.* impuberi. *& ſeq.* (c) *l.* ſi quis in gravi. *p.* ſubvenitur. (d) *e. p.* ſi quis quem *eod. l.* (e) *l.* indicaſſe. *de verb. ſign.* * *d. l.* ſi quis *p.* quod ad cauſam. (f) *l.* in cognitione. *eo.*

(g) *d. l.* 1. *p.* hoc autem. *l. ult. C. de his quib. ut ind.*

TERTULLIANUM.

Lex XII. Tabular. (ut Juſtinianus lib. III. Inſtitutionum (a) ſcribit) inter matrem & filium ultro citroque nullum jus ad legitimam hereditatem dabat, Prætores bonorum poſſeſſionem *unde cognati* dederunt. Primus D. Claudius matri ad ſolatium liberorum amiſſorum legitimam eorum hereditatem detulit. Divi autem Hadriani temporibus Tertullianum S. C. factum eſt, quo pleniſſime de ſucceſſione matri, non etiam aviæ, deferenda, cautum eſt, ut mater ingenua trium liberorum jus habens, libertina quattuor, ad bona filiorum filiarumve admittantur inteſtato mortuorum, licet in poteſtate parentis ſit, cujus juſſus tum deſideratur. Jus autem liberorum mater habet, ut Paulus libro quarto ſententiarum ſcribit, ſi tres filios aut habet, aut habuit; aut neque habet, neque habuit. *Habet*, inquit, *cui ſuperſunt*; *habuit*, *quæ amiſit*; *neque habet*, *neque habuit*, *quæ beneficio Principis jus liberorum conſecuta eſt*. Sed de jure liberorum ſatis ſupe. que in Papia lege dictum eſt. quo loco non pauca de hoc S. C. ſcripſimus. Eſt autem Juſtiniani conſtitutionibus omnibus matribus commodum hujus S. C. conceſſum. (b). Ex quo Ulp. verba lib. XIII. ad Sabinum ab Juſtiniani miniſtris deminuta referuntur lib. XXXVIII. Digeſt. *Sive ingenua ſit mater, ſive libertina, habebit Tertullianum commodum.* Eſt autem jus liberorum omnibus hominibus ab Honorio & Theodoſio conceſſum (c), ſed matri largius ab Juſtiniano conſultum.

(a) *Inſt. de S. C. Tert. in prin.* (b) *l. ult. C. de jure libe. & l. ult. C. ad S. C. Tertu. l.* 2. *Dig. ad S. C. Tert.* (c) *l. C. de jure lib. dd. ll. ultimis.*

TRASIANUM. Quærendum eſt in Vitraſiano.

TREBELLIANUM.

Ulpianus lib. III. Fideicommiſſorum (a) ſcribit hoc S. C. factum eſſe Neronis temporibus VIII. Kalendas Septembres Annæo Seneca & Trebellio Maximo Coſſ. in hæc verba: CUM ESSET ÆQUISSIMUM IN OMNIBUS FIDEICOMMISSARIIS HEREDITATIBUS SI QUA DE HIS BONIS JUDICIA PENDERENT EX HIS EOS SUBIRE IN QUOS JUS FRUCTUSQ. TRANSFERETUR, POTIUS QUAM CUIQUE PERICULOSAM ESSE FIDEM SUAM: PLACET, UT ACTIONES QUÆ IN HEREDEM, HEREDIBUSQUE DARI SOLENT, EAS NEQUE IN EOS, NEQUE HIS DARI, QUI FIDEI SUÆ COMMISSUM, SICUTI ROGATI ESSENT, RESTITUISSENT: SED HIS, ET IN EOS, QUIBUS EX TESTAMENTO FIDEICOMMISSUM RESTITUTUM FUISSET: QUO MAGIS IN RELIQUUM CONFIRMENTUR SUPREMÆ DEFUNCTORUM VOLUNTATES. Addit his verbis Haloander ſolemne illud Senatuſconſultorum verbum CENSUERUNT, quod Florentiæ in Ulpiani verbis reperitur: *Sublata*, inquit, *eſt hoc S. C. dubitatio eorum qui adire hereditatem recuſare, ſeu metu litium, ſeu prætextu metus cenſuerunt*. Mendum autem hoc manavit ex illis libris, in quibus

(a) *l.* 1. *ad S. C. Treb.*

RECUSARENT scribebant, non intelligentes quid esset, *adire recusare censuerunt*. Significat enim eos censuisse, hoc est, existimasse recusari oportere aditionem. Sic apud Ulpianum & Justinianum lib. I. Institutionum (b): *Videmus etenim cetera quoque animalia, feras etiam istius juris peritia censeri*. Quamquam eo loco sunt qui malint in pretio esse interpretari, ut apud eundem Ulpianum lib. II. ad edictum (c): *Nisi forte privilegio aliquo materna origo censeatur*. & Papinianum lib. XII. Responsorum (d), qui locus in Noricis libris mendosus circumfertur. est enim scribendum: *Privatorum enim cautiones legum auctoritate non censeri*. & aliis locis. Sed de hoc verbo Javolenus lib. VI. ex Cassio ita scribit (e) *Censere est constituere & praecipere. Unde etiam dicere solemus, Censeo hoc facias, & semet aliquid censuisse. inde Censoris nomen videtur esse tractum*. SEMET autem, non Senatum, scriptum est, ut NOSMET apud Paulum lib. secundo ad Plautium (f): *Quae cum alio actio esset, si dominus esset: in nosmet confessione nostra conferemus*. Non tamen negaverim in Senatusconsultis scribi solere, quod lib. v. Digestor. (g) reperitur, QUID FIERI PLACEAT DE QUA RE ITA CENSUERUNT. & apud Frontinum lib. II. de aquaeductibus, & Probum de notis. Sed neque hoc loco, neque in eo S. C. quod sub titulo de hereditatis petitione reperitur, illud verbum per se in calce S. C. scriptum est, ut Haloander existimavit. Qua etiam de re & in Vellejano S. C. & post Volusianum scribemus. In aliis libris adventitia quaedam verba reperiuntur in hoc S. C. quae Accursius & ceteri habuisse videntur. Etenim cum dictum esset, ut neque heredi neque in heredem actiones darentur, qui hereditatem restituisset; addunt quidam haec verba (h): *Sed idem est etsi ipsi filio pater rogatus sit restituere*. Sumpta autem sunt ex alia parte ejusdem libri; & ut arbitror, errori librarior. causam dedit, quod in ipsis illis Tuscis libris omissa illic initio ea verba fuerant, atque ita scriptum: *Quod est etiam, si suo nomine rogati sunt restituere hereditatem*. Sed emendatum est recte: *Si suo nomine rogati sunt restituere. idem est, & si ipsi filio pater rogatus sit restituere hereditatem*. Itaque crediderim (quae illorum temporum ignoratio fuit) in avorum nostrorum libris non recte obelum emendatoris notasse librarios. Sed licet haec non ita certa sint, nemo doctus (opinor) haec verba hujus Senatusconsulti fuisse existimaverit; quae jure ab Haloandro quoque omissa sunt. Sed ut ad ipsius S. C. sententiam redeamus, in Pegasiano scripsimus hoc S. C. de actionibus transferendis actum esse, illo vero de quarta, & ut cogi posset heres. Justinianum vero omnia in hoc S. C. transtulisse ea constitutione, quae minime exstat. Quamobrem cetera, quae ad hunc locum pertinerent, lib. XXXVI. Digestor. & aliis locis scripta inter manus omnium versantur. Senecae vero & Trebellii Consulatus in indice vulgari Consulum minime refertur. Credendum est initio anni eos non fuisse in magistratu, sed aliis fuisse suffectos, ut in Rubriano scripsimus, & Haloander animadvertit.

(b) *l.* I. *p.* jus naturale. *de jus. & jure. Insti. de jur. nat. in prin.* (c) *l.* I. *in princ. ad muni.* (d) *l. ult. de suis & leg.* (e) *l.* censere. *de verb. signi.* (f) *l.* confessionib. *de interrogationib.* (g) *l.* item veniunt. *p.* praeter haec. *de here. pet.* (h) *l.* I. *p.* si filio. *ad S. C. Treb.*

TURPILLIANUM.

IMP. Antoninus Amato rescripsit (a), eum demum in hoc S. C. incidisse videri, qui crimen publici judicii detulit, & causa criminis ordinata, id est, inscriptionibus depositis, & fidejussore de exercenda lite praestito, eoque qui accusatur, sub custodia officii facto, non impetrata abolitione, ab executione criminis destitit. Macer vero lib. II. publicorum judiciorum (b) scribit: *In S. C. Turpillianum incidunt, qui subjecissent accusatores, aut subjecti postulassent, nec peregissent reos, aut aliter quam abolitione facta destitissent. quique chirographum ob accusandum dedissent, pactionemve aliquam interposuissent*. Scripsit Marcianus (c) ad hoc S. C. librum singularem. ex quo multa lib. XLVIII. Digest. referuntur.

(a) *l.* I. *C. ad S. C. Turp.*

(b) *l.* in S. C. Turp. *eo.* (c) *l.* I. *eo.*

VELLEJANUM.

SCRIBIT Ulpianus lib. XXIX. ad edictum (a), edictis D. Augusti, & D. Claudii fuisse interdictum, ne feminae pro viris suis intercederent; postea plenissime feminis omnibus S. C. subventum, cujus verba sunt haec: QUOD M. SILANUS ET VELLEUS TUTOR COSS. VERBA FECERUNT DE OBLIGATIONIBUS FEMINARUM, QUAE PRO ALIIS REAE FIERENT, QUID DE EA RE FIERI OPORTET, DE EA RE ITA CONSULERENT. QUOD AD FIDEJUSSIONES, ET MUTUI DATIONES PRO ALIIS, QUIBUS INTERCESSERINT FEMINAE, PERTINET: TAMETSI ANTE VIDETUR ITA JUS DICTUM ESSE, NE EO NOMINE AB HIS PETITIO, NEVE IN EAS ACTIO DETUR, CUM EAS VIRILIBUS OFFICIIS FUNGI, ET EJUS GENERIS OBLIGATIONIBUS OBSTRINGI NON SIT AEQUUM: ARBITRARI SENATUM RECTE ATQUE ORDINE FACTUROS, AD QUOS DE EA RE IN JURE ADITUM ERIT, SI DEDERINT OPERAM, UT IN EA RE SENATUS VOLUNTAS SERVETUR. In his verbis Senatus, QUID DE EA RE FIERI OPORTET; DE EA RE ITA CONSULERENT: existimabam aliquando & OPORTERET, & CENSUERUNT esse scribendum; ad similitudinem eorum Senatusconsultorum, quae apud Frontinum, & in epistolis M. Caelii ad Ciceronem referuntur, in quibus sunt haec, aut his similia verba: QUID DE EA RE FIERI PLACERET, DE EA RE ITA CENSUERUNT. Quae ita notis scribi solent. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. ut Valerius Probus scribit. Itaque existimabam his notis aliquando hoc S. C. scriptum, sed imperitos liberarios ITA CONSULERENT fuisse interpretatos. Referenda autem sunt haec verba ad universos Senatores, qui cum Consules verba fecissent, ita statuerunt. De quo censendi verbo in Trebelliano scripsimus. Sed cum in Florentino libro nihil fere notis scriptum sit, quas etiam Justinianus in suis libris scribi vetuit: aut credendum est Justiniani tempore, aut illorum librariorum erratum, aut non male CONSULERENT scriptum. Cujus verbi interpretatio non ita certa est. Sed ad S. C. sententiam veniamus. Probare videtur Senatus, quod antea fiebat, ut neque a feminis petitio, neque in eas actio esset; si fidejussiones, aut mutui dationes pro aliis intercedendo feminae contraxissent. In Duodecim autem scripsimus, mulieres sub perpetua cognatorum tutela fuisse, quod postea sublatum est. Sed & ipsius S. C. auctoritas permultis casibus ex posterioribus constitutionibus (b) cessat.

VINTIANUM. In Junciano quaerendum est.

(a) *l.* 2. *ad S. C. Vell.* (b) *l.* antiquae. *& seqq. C. eo.*

VITRASIANUM.

VITRASIANUM, non Trasianum, apud Ulpianum lib. v. Fideicommissorum (a): *Si plures, inquit, heredes sunt instituti, & inter eos is qui fari non potest, sed non ipse rogatus sit servum manumittere; non oportere intercidere libertatem ob hoc, quod coheredibus suis vendere eum infans non possit. Et exstat quidem S. C. Vitrasianum. Sed & D. Pius Cassio Dextro rescripsit, ita rem explicari, ut partes servorum, quibus per fideicommissum libertas data est, justo pretio aestimentur; atque ita servi ab his*

(a) *l.* cum quasi. *p.* si plures. *de fideic. lib.*

qui rogati sunt, manumittantur. Hi autem qui eos manumiserunt, pretii nomine perinde fratribus & coheredibus suis obligati erunt, atque si ab eam rem ex judicati causa cum his agi possit. Hæc Ulpianus. quibus verbis arbitror D. Pii rescriptum plene relatum, Vitrasianum non item. in quo a Placentino & Accursio dissentio. Illud crediderim hujus S. C. esse, quod paulo ante scriptum erat ab eodem Ulpiano (b): *Si infans sit inter eos qui manumittere debent; Senatus censuit, cum unius ætas impedierit, ut liberi, liberæque sint hi, quibus libertates ex causa fideicommissi præstari oportet*. Quamquam fieri potest ut ad Juncianum pertineant, de quo antea scripserat. Item quod postea dicitur (c): *Sed & si quis sine herede vel alio successore decesserit, qui fideicommissam libertatem præstare debebat, adito Prætore libertatem præstandam esse censuit Senatus. Sed & si suus heres se abstinuerit, libertati fideicommissæ per S. C. subventum est* (d).

(b) *d. l.* cum quasi. *in prin.* (c) *l.* si eum. *p.* si quis. *eo.* (d) *d. l.* cum quasi. *p.* sed & si quis.

VIVIANUM. De hoc in Numiano dictum est.

VOLUSIANUM.

MODESTINUS lib. VIII. Regular. (a) scribit ex S. C. Volusiano, qui improbe coeunt in alienam litem, ut quicquid ex condemnatione in rem ipsius redactum fuerit, inter eos communicaretur, lege Julia de vi privata tenentur. Hoc S. C. prætermissum a Placentino est.

(a) *l.* ex S. C. *ad L. Jul. de vi. priv.*

SINE NOMINE.

HIS Senatusconsultis, quorum nomina apud Jureconsultos reperimus, quæ omnia pæne diligenter Placentinus collegerat, addenda esse existimamus pauca quædam, quorum verba atque sententiam non negligenda esse oportere arbitrati sumus. Et initio refertur ab Ulpiano lib. v. ad edictum (a) Senatusconsultum, quod Hadriani temporibus factum est, cujus verba sunt hæc: Pridie idus Martias Q. Julius Balbus, & P. Juventius Celsus, Titus Aufidius Oenus Severianus Consules verba fecerunt de his quæ Imp. Cæsar Trajani Parthici filius, D. Nervæ nepos, Hadrianus Aug. Imp. maximusque princeps proposuit quincto Nonas Martias. quæ proximæ fuerunt, libello complexus esset, quid fieri placeat: de qua re ita censuerunt. cum ante quam partes caducæ ex bonis rustici fisco peterentur, hi qui se heredes esse existimant, hereditatem distraxerint: placere redactæ ex pretio rerum venditarum pecuniæ usuras non esse exigendas. Idemque in similibus causis servandum. Item placere, a quibus hereditas petita fuisset, si adversus eos judicatum esset, pretia quæ ad eos rerum ex hereditate venditarum pervenissent, etsi eæ ante petitam hereditatem deperissent, deminutæve fuissent, restituere debere. Item eos qui bona invasissent, cum scirent ad se non pertinere, etiamsi ante litem contestatam fecerint quo minus possiderent, perinde condemnandos, quasi possiderent: eos autem qui justas causas habuissent, quare bona ad se pertinere existimassent, usque eo duntaxat, quo locupletiores ex ea re facti essent. petitam autem fisco hereditatem ex eo tempore existimandam esse, quo primum quisque scierit eam a se peti: id est, cum primum aut denuntiatum esset ei, aut litteris vel edicto evocatus esset, censuerunt. Sunt qui mirentur, tres quatuorve Consules (neque enim de numero constat) hoc S. C. relatos. Sed & nullam eorum mentionem fieri in Consulum indice. Dion tamen lib. XLIII. scribit C. Cæsarem Dictatorem Q. Fabio & C. Trebonio Consulatum dedisse: cum ipse se eo magistratu abdicasset. & cum Fabius extremo anni die mortuus esset, Caninium reliquum diei tempus Consulem esse voluisse. In quo duo tum primum nova acciderunt, ut aliquis sine causa magistratu se abdicaret: item ut quis eodem die & Cos. designatus fuerit, & Consularis. *Post hoc*, inquit, *tempus pauci in Consulatu totum annum peregerunt; sed pluribus quidam aut mensibus aut diebus variis ex causis Coss. fuerunt. Sed & hoc tempore*, inquit, *nemo integrum annum neque ultra duos menses cum collega consul est. Et in ceteris rebus ab antiquo nihil discrepamus: annorum vero tempora a primis Consulibus numerantur*. Idem lib. XLVIII. scribit, L. Martio, C. Sabino Coss. a Triumviris Octaviano, Antonio, & Lepido constitutos esse octo annorum Consules. *neque eos binos*, inquit, *per singulos annos, ut antea, designarunt; sed tum primum plures creati sunt*. Namque antea, si qui suffecti sunt his qui magistratu se abdicabant, ex eorum voluntate Consules fiebant: tunc vero nemo in integrum annum designatus est, sed plures in diversa tempora. Primi tamen retinebant nomina Consularia, *quod bodieque*, inquit, *fit. Ceteri licet Consules intra Urbem, & in Italia baberentur, a provincialibus tamen raro cognoscebantur. Qua de causa minores Consules dicti sunt*. Fuit Dion Severi Augusti temporib. ut idem lib. XLVI. & LV. scripsit. Itaque ut in Rubriano S. C. dictum est, in illo indice Consulum, quod Haloander quoque notat, eorum nomina reperiuntur, qui initio anni eum magistratum obibant. Cetera, quæ ad hoc S. C. pertinent, apud eundem Ulpianum videnda sunt. Idem Ulpianus lib. XXI. ad Sabinum (b) scribit Senatum censuisse Aviola & Pansa Coss. ea quæ ædibus juncta essent, legari non posse. Fuerunt autem Acilius Aviola, & Corellius Pansa Coss. Hadriani temporibus. Hoc vero S. C. non tantum ad Urbem, sed ad alias civitates pertinere Ulpianus (c) scribit; neque ad ædes tantum, sed ad balinea (ita enim scriptum est) vel aliud quod ædificium, vel porticus sine ædibus, vel tabernas, vel popinas extenditur. SINE ÆDIBUS autem hic scribendum est, non IN ÆDIBUS, ut vulgo scribitur. De his enim quæ intra ædes sunt, dilucide dictum erat. Ea autem legari prohibentur, quæ non alias præstari possunt, quam ut ædibus detrahantur, vel subducantur, ut marmora, & columnæ. idem & in tegulis, & in tignis, & ostiis Senatus censuit, sed & in bibliothecis parietibus inherentibus, ea denique omnia quæ ibi fuerint perpetua, quasi portio ædium, distrahi non possunt. Hac de re multæ constitutiones ab Ulpiano referuntur, quæ non exstant. Alexandri tamen rescriptum (d) exstat in hæc verba: *Negotiandi causa ædificia demoliri, & marmora detrahere edicto D. Vespasiani & S. C. vetitum est. Ceterum de alia domo in aliam transferre quædam licere exceptum est. Sed nec dominis ita transferre licet, ut integris ædificiis depositis publicus deformetur aspectus*. Paulus quoque lib. LIV. ad edictum (e) hujus S. C. sententiam plenius explicat: *Senatus*, inquit, *censuit, ne quis domum, villamve dirue-*

(a) *l.* litem venlunt. *p.* præter hæc. *de her. pet.*

(b) *l.* cetera. *in princ. de leg.* I. (c) *p.* hoc S. C. *e. l.* (d) *l.* 2. *C. de ædi. priv.* (e) *l.* Senatus. *de cont. emp.*

ret, quo plus sibi adquireretur; neve quis negotiandi causa eorum quid emeret, venderetve. pœna in eum qui adversus S. C. fecisset, constituta est, ut duplum ejus quanti emisset, in ærarium inferre cogeretur; in eum vero qui vendidisset, ut irrita fieret venditio. Hæc exempli causa Senatusconsulta retulimus. sunt enim alia permulta in nostris Digestorum & Constitutionum voluminibus relata (f). De aquæductibus vero referuntur apud Frontinum lib. II. Senatusconsulta sex, quæ infra scripta sunt: Quod Q. Ælius Tubero, P. Fabius Maximus Coss. verba fecerunt de iis qui curatores aquarum publicarum ex S. C. a Cæsare Aug. nominati essent, ordinandis: D. E. R. Q. F. P. D. E. R. I. C. Placere huic ordini, eos qui aquis publicis præessent, cum ejus rei causa extra urbem essent, lictores binos, & servos publicos ternos, architectos singulos, & scribas, & librarios, accensos præconesque totidem habere, quod habent ii, per quos frumentum plebei datur. Cum autem in urbe ejus rei * causa aliquid agerent, ceteris apparitoribus iisdem, præterquam lictoribus. Utique quibus apparitoribus ex hoc S. C. curatoribus aquarum uti liceret eos, diebus x. proximis quibus S. C. factum esset, ad ærarium deferrentur: quique ita delati essent, iis prætores ærarii mercedem cibaria quanta præfecti frumento danda, dare, deferreque solent, annua darent & attribuerent, iisque eas pecunias sine fraude suas facere liceret. Utique tabulas, chartas, ceteraque quæ ejus curationis causa opus esset, iis curatoribus præbenda Q. Ælius, P. Fabius Coss. ambo, alterve, si eis videbitur, adhibitis prætoribus qui ærario præsint & præbenda locent. Hoc S. C. factum est Augusti temporibus, cum M. Agrippa, qui curam aquarum gesserat, defunctus esset, & Augustus Messalam Corvinum curatorem ex S. C. constituisset, Q. Tuberone & P. Fabio iterum Coss. Sed quod de lictoribus & ceteris apparitoribus dictum est, id negligentia curatorum omissum esse Frontinus scribit. Eisdem Coss. hoc quoque S. C. factum est: Quod V. F. Consules de numero publicorum salientium qui in urbe essent, intraque ædificia urbi conjuncta, quos M. Agrippa fecisset: Q. F. P. D. E. R. I. C. Neque augeri placere nec minui numerum publicorum salientium, quos nunc esse retulerunt ii, quibus negotium a Senatu est imperatum, ut inspicerent aquas publicas, inirentque numerum salientium publicorum. itemque placere curatores aquarum, quos S. C. Cæsar Aug. ex Senatus auctoritate nominavit, dare operam, ut salientes publici quam assiduissime interdiu & noctu aquam in usum populi funderent. Eorumdem Consulum est tertium Senatusconsultum, cujus verba infra scripsimus: Quod Q. Ælius Tubero, Q. Fabius Max. Coss. V. F. quosdam privatos ex rivis publicis aquam ducere: Q. D. E. R. F. P. D. E. R. V. I. C. (his autem notis significatur, Quid de ea re fieri placeret, de ea re universi ita censuerunt.) Ne cui privato aquam ducere ex rivis publicis liceret: utique omnes ii quibus aquæ ducendæ jus esset datum, ex castellis ducerent: animadverterentque curatores aquarum, quibus locis intra extraque urbem apte castella privati facere possent, ex quibus aquam ducerent quam ex castello communem accepissent a curatoribus aquarum, ne cui eorum, quibus aqua daretur publica, jus esset intra quinquaginta pedes ejus castelli, ex quo aquam ducerent, laxiorem fistulam subjicere quam quinariam. Quæ quinaria fistula sit, idem Frontinus lib. I. scribit. Namque ait aquarum modulos aut ad unciarum, aut ad digitorum mensuram esse institutos. Digitus XVI. pars pedis, uncia XII. Digitus alius quadratus est, alius rotundus. Inventus postea alius modulus est, quam quinariam fistulam appellant, propterea quod ejus diameter quinque quadrantum sit. Aliud S. C. eodem tempore scriptum est in hæc verba: Quod Q. Ælius Tubero, P. Fabius Max. Coss. V. F. constitui oportere. Quo jure extra intraque urbem ducerent aquas ii quibus attributæ essent: Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. Uti iis quoque maneret attributio aquarum, exceptis quæ in usum balneorum essent datæ, aut Augusti nomine, quoad iidem domini possiderent id solum in quo accepissent aquam. Quintum S. C. his verbis factum est: Quod Q. Ælius Tubero, P. Fabius Max. Coss. V. F. de rivis specubus fornicibusque Juliæ Martiæ, Appiæ, Tepulæ, Anionis reficiendis. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. Ut cum ii rivi, fornices, quos Augustus Cæsar se refecturum impensa sua pollicitus senatui est, reficerentur. Ex agris privatorum terram, limum, lapidem, testam, harenam, ligna, ceteraque quibus ad eam rem opus esset, unde quæque earum proxime sine injuria privatorum tolli, sumi, portari possint, viri boni arbitratu æstimata darentur, tollerentur, sumerentur, exportarentur, & eas res omnes exportandas, earumque rerum reficiendarum causa, quotiens opus esset, per agros privatorum sine injuria eorum itinera, actus paterent, darentur. Denique eodem tempore Senatus censuit: Quod Q. Ælius Tubero, P. Fabius Max. V. F. aquarum quæ in urbem venirent, itinera occupari monumentis, & ædificiis, & arboribus conseri. Q. F. P. D. E. R. I. C. cum ad reficiendos rivos, specusque per quæ & opera publica corrumpuntur, placere circa fontes, & fornices, & muros utraque ex parte vacuos centenos quinosdenos pedes patere, & circa rivos, qui sub terra essent, &

(f) *l. 1. D. de fugi. l. 2. de alea. l.* palam. *p.* Senatus. *de ritu nupt. l. 1. C. de int. mat. l.* Divo. *qui man. non possunt.* * *al.* Ejusdem.

specus intra urbem & extra urbem continentia ædificia, utraque ex parte quinos pedes vacuos relinqui, ita ut neque monumentum iis locis, neque ædificium post hoc tempus ponere, neque conserere arbores liceret. siquæ nunc essent arbores intra id spatium, extirparentur, præterquam si quæ villæ continentes, & inclusæ ædificiis essent. si quis adversus ea commiserit, in singulas res in dena milia damnas esset, ex quibus pars dimidia præmium accusatori daretur, cujus opera maxime convictus esset, qui adversus hoc S. C. commisisset, pars altera dimidia in ærarium redigeretur, deque ea re judicarent, cognoscerentque curatores aquarum. Exstant hodie lib. IX. Constitut. Justiniani, & XV. Theodosii pleræque constitutiones, quib. de aquæ ductib. satis superque sancitur. In quib. duæ sunt Constantini & Theodosii (a), quar. altera dicitur, ut hi, per quorum prædia aquæductus commeat, dextra levaque formarum XV. pedibus intermissis arbores habeant: altera, ut sulci publicarum aquarum nullis intra decem pedes arboribus coartentur. sed ex utroque latere decempedale spacium integrum servetur. Alias leges quæ de eadem re latæ sunt, in Quinctia retulimus. Addam ad extremum Senatus auctoritates, quæ in epistolis Cælii ad Ciceronem reperiuntur. Nam licet permulta Senatusconsultor. verba retulerimus, tamen aliquid amplius in eis addi solere ex his auctoritatibus cognoscimus. Auctoritates autem Senatus appellabantur, ut Dion. lib. LV. scribit, quæ Senatus decreverat minus frequens, quam ut legitimus Senator. numerus adfuisse diceretur; item si non loco, aut die legitimo Senatus haberetur; sed & si intercessum esset, aut si quid aliud accidisset, quo minus justum S. C. fieret; & qualecumque esset quod decerneretur, si id literis mandari placeret, Senatus auctoritas dicebatur. Quod si postea id ipsum Senatus sine ullo impedimento censuisset, S. C. dicebatur. Senatus vero haberi poterat per Dictatorem, Consules, Prætores, Tribunos pleb. Interregem, Præfectum Urbi, ut Varro apud Gellium lib. XIV. (b) scribit. Sed & extraordinario jure per Militares Tribunos, qui pro Consulibus aliquando fuerunt, item Decemviros, qui legum constituendarum causa creati sunt, & Triumviros Reip. constituendæ. Intercedendi jus eisdem fuisse. Loca vero per Augures constitui oportuisse, quæ templa appellarentur. Templa autem non omnes ædes sacras fuisse, sed inaugurato consecratas. Eaque de causa curiam Hostiliam, Pompejam, & Juliam templa facta esse. Ædem vero Vestæ templum non fuisse. Ante exortum aut post occasum solem non justum S. C. fieri. Varronem quoque scripsisse Gellius refert, quibus diebus haberi Senatum jus non esset; immolareque hostiam prius, auspicarique debere qui senatum habiturus esset. De reb. divinis prius quam de humanis esse referendum. Addit quædam alia de rogandis sententiis, & S. C. per discessionem faciendo. De legitimis S. C. faciendi diebus Suetonius scribit ita Augustum constituisse, ut ne plus quam bis in mense legitimus Senatus ageretur Kalendis & Idibus; neve Septembri, Octobrique mense ullos adesse alios necesse esset, quam sorte ductos. Hac de causa lege Regia Imperatori concedebatur, ut ei Senatum habere, relationem facere, remittere, Senatusconsulta per relationem discessionemque facere liceret. utque cum ex voluntate, auctoritateve, jussu mandatuve ejus, præsenteve eo Senatus haberetur, omnium rerum jus perinde haberetur, servaretur, ac si e lege

(a) *l. 1. l.* omnis. *C. de aquæduct. lib. 11.* (b) *cap. 7.*

A Senatus edictus esset habereturque. Ex quo fortasse emanavit, ut auctoritas Principis decretum appellaretur, de quo alias. Sed ad Cælianas auctoritates veniamus, quas de provinciis Consularibus factas esse ante initia bellorum civilium constat. *Sæpe*, inquit Cælius (c), *re relata, & graviter acta, & plane perspecta Cn. Pompeii voluntate, in eam partem, ut eum decedere* (Cæsarem autem significat) *post Kalendas Martias placeret, S. C. quod tibi misi, factum est, auctoritatesque perscriptæ:* S. C. auctoritas L. V. (hoc est, ni fallor, Senatusconsulti auctoritas lecta universis) pridie Kal. Octobres in æde Appol-
B linis scribendo adfuerunt L. Domitius Cn. F. Ahenobardus, Q. Metellus Q. F. Pius Scipio, L. Villius L. F. Pontina Annalis, C. Septimius T. F. Quirina, C. Lucejus C. F. Pupinia Hirrus, C. Scribonius C. F. Pup. Curio, L. Atejus L. F. Aniensi Capito, M Oppius M F. Terentina. Hæc ita scribenda esse Tribuum nominibus cognominum loco additis, doctis quibusdam viris placuit. Etenim Pontina, Quirina, Pupinia, Aniensis, & Terentina Tribus fuerunt. Quod
C M. Marcellus Coss. V. F. de provinciis consularib. D. E. R. I. C. uti L. Paulus, C. Marcellus Coss. cum magistratum inissent ad Kal. Martias, quæ in suo magistratu futuræ essent, de consularibus provinciis ad senatum referrent, neve quid prius ex ante diem Kal. Martii ad Senatum referrent, neve quid conjunctim de ea re referretur a Coss. utique ejus rei causa per dies comitiales senatum
D haberent, S. Q C. facerent: & cum de ea re ad senatum referretur a Coss. eorum qui in CCC. judicibus essent, sex adducere liceret. si quid de ea re ad populum plebemve referri opus esset, uti Serv. Sulpicius, M. Marcellus Coss. Prætores, Tribuni Q. Pl. quibus eorum videretur, ad populum plebemve referrent. Huic auctoritati neminem intercessisse scriptum est, ceteris quæ sequuntur, intercessio adscripta fuit: in quibus nominatim cautum est, ut si intercessum a
E quoquam esset, auctoritas perscriberetur. S. C. A. Pr. Kal. Octob. in æde Apollinis scribendo adfuerunt, L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus, Q. Metellus Q. F. Pius Scipio, L. Villius L. F. Pon Annalis, C. Septimius T. F. Quirina, C. Scribonius C. F. P. Curio, L. Atejus L. F. An. Capito, M. Oppius M. F. Terentina. Quod M. Marcellus Consul V. F. de provinciis: D. E. R. I. C. Senatum existimare neminem eorum qui potestatem habent
F intercedendi, impediendi, moram adferre oportere, quominus de R. P. quamprimum ad Senatum referri, S. Q. C. fieri possit. qui impedierit, eum Senatum existimare contra R. P. fecisse si quis huic S. C. intercesserit, Senatui placere auctoritatem perscribi, & de ea re ad Senatum, Populumque referri. *Huic S. C. intercessit C. Cælius, * L. Vicinius,*

(c) *lib. 8. epist. 7.* * *al. Licianus.*

vel Asinius, *P. Cornelius*, *C. Vibius Pansa*. Item Senatui placere auctoritatem perscribi de militibus, qui in exercitu C. Cæsaris sunt, qui eorum stipendia emerita, causas, quibus de causis missi fieri debeant, habeant, ad hunc ordinem referri, ut eorum ratio habeatur, causæque cognoscantur. si quis huic S.C. intercesserit, Senatui placere auctoritatem perscribi; & de ea re ad S.P.Q. referri. *Huic S.C. intercessit C. Cælius. C. Pansa Tribuni plebis*. Itemque Senatui placere, in Ciliciam provinciam, & in octo reliquas provincias, quas Prætorii pro Prætore obtinerent, eos qui Prætores fuerunt, neque in provincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex S. C. cum imperio in provincias pro Prætore mitti oporteret, eos sortito in provincias mitti placere. si ex eo numero, quos S.C. in provincias ire oporteret, ad numerum non essent, qui in eas provincias proficiscerentur. tum uti quodque conlegium primum prætorum fuisset, neque in provincias profecti essent, ita sorte in provincias proficiscerentur. si ad numerum ii non essent, tum deinceps proximi cujusque conlegii, qui prætores fuissent, neque in provincias profecti essent, in sortem conjicerentur, quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in provincias mitti oporteret. si quis huic S. C. intercessisset, auctoritas perscriberetur *Huic S.C. intercessit C. Celius*, *C. Pansa Tribuni Plebis*. Jam igitur his exemplis constat, quo pacto auctoritas a S. C. differret. Sed & illud animadverti potest, in utroque Senatusconsultorum genere Senatorum nomina adscribi. Ex quibus omnibus illud intelligetur, quod initio libri III. de Oratore M. Cicero scribit, sententiam L. Crassi, quam adversus Philippum Cos. dixerat, quamque Senatus frequens fuerat secutus, ab eo ornatissimis & gravissimis verbis fuisse dictam, & eundem, id quod in auctoritatibus perscriptis exstat, scribendo adfuisse. Et lib. I. epistolarum ad Lentulum: (a) *De his*, inquit, *rebus pridie quam hæc scripsi, Senatus auctoritas gravissima intercesserat. cui cum Cato & Caninius intercessissent, tamen est præscripta. eam ad te missam esse arbitror*. Et alio loco (b): *Quoniam S.C. nullum exstat quo reductio Regis Alexandrini tibi adempta sit, eaque quæ de ea scripta est auctoritas, cui scis intercessum esse, ut nequis omnino Regem reduceret, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum studium, quam constantis Senatus consilium esse videatur*. Quod si quis testimonia requirat Senatusconsultorum in quibus scribendis interfuisse Senatores dicantur, vel unum ejusdem Ciceronis satis erit cognoscere ex epistola quadam ad M. Catonem. Ea enim epistola Catoni gratias agit, quod scribendo S.C. de ejus supplicatione adfuisset. De sententia vero in Senatu dicenda quæ S. C. verbis conciperetur, Philippicarum libri multa nobis exempla demonstrant.

(a) *Epist.* 2. (b) *Epist.* 7.

FULVII URSINI NOTÆ AD LEGES ET SENATUSCONSULTA,
Quæ in veterib. cum lapidum ærisq. tum scriptorum monumentis reperiuntur.

AD. LEGES. ROMULI. ET. TATII.



Antequam his legum fragmentis ea quæ vel temporis injuria, vel hominum inscitia detraxit ornamenta restituere aggrediamur, erunt a nobis omnes antiquitatis studiosi admonendi, nos in his perpoliendis relliquiis nihil prorsus immutasse, quod non auctoribus antiquis scriptoribus, veteribusque inscriptionum monumentis plane licuerit. Antiquæ porro inscriptiones, quas in æneis incisas tabellis vel lapideis ipsa nobis vetustas de multis reliquas fecit, qua potuimus diligentia, in hoc libello repræsentandas curavimus: e quibus, qui volet, illorum temporum archaismum petere nullo negotio poterit. Scriptorum autem nomina, quibus usi sumus, ne singulis locis singula testimonia sæpius repetita fastidium legentibus afferant, hic prænotavimus, ibi tantum illa rursus prolaturi, ubi locus necessario postulabit. Sunt autem hi, M. Cicero in libris de Oratore, M. Varro in libris de Lingua Latina, Quinctilianus lib. I. cap. XI. Sex. Pompejus, Agellius, Macrobius, Terentius Scaurus, Marius Victorinus, & Velius Longus de orthographia, Priscianus lib. I. cap. X. & XIII. Placidus in Glossis. Ab his enim didicimus antiquissimam illam scribendi consuetudinem, quæ in his legum, Senatusconsultorumque fragmentis passim nobis obvia erit.

SEI. NURUS.... PLORASIT. SACRA. DEIVEIS. PARENTOM. ESTOD. Ex legibus Romuli regis, & Tatii hoc tantum reperitur fragmentum, quod exstat apud Festum in verbo *Plorare*, sed mancum luxatumque. Verbum PLORASIT, quod in mutilato exemplari deest, quia necessario requiritur, de nostro adjecimus. adducit enim Festus hanc legem, ut eo exemplo confirmet antiquissimos Romanos verbo plorare nulla adjecta præpositione pro IMPLORARE usos fuisse.

AD. LEGES. NUMÆ. POMPILI.

SEI. QUID. HORUM. FUIT. UNUM. JOUDICEI. ARBITROVE. REOVE. DIES. DIFFENSOS. ESTOD. Numæ Pompilii regis legum hoc fragmentum adducit Festus in verbo *Reus*. quo nomine cum ex auctoritate

Ælii Galli docet & actorem significari, & eum, cum quo agitur, citat hanc legem, quæ secunda erat in secunda tabula incisa. *At*, inquit, *Atejus Capito in eadem quidem opinione est; sed exemplo adjuvat opinionem*. Numa in secunda tabula secunda lege, in qua scriptum est: SI. QUID. HORUM. FUIT, &c. Cum autem in veteri exemplari ita plane uti edidimus, scriptum reperiatur; nos quo modo scribi debere conjiciamus, subjungemus. Vocem enim UNUM, in VITIUM existimamus mutandam; quod verbum videtur hic pro morbo sontico positum esse; & pro QUID, scribimus, QUOI: ut totus locus ita legatur: SEI. QUOI. HORUM. FUAT. VITIOM. JOUDICEI. ARBITROVE. REOVE. DIES. DIFFENSOS. ESTOD. Ita plane habetur in XII. Tab. SEI. IN. JOUS. VOCATO. MORBOS. ÆVITASVE. VITIOM. ESCIT. Arbitramur autem hanc Numæ legem a Decemviris, ut multas alias, in XII. postea translatam esse, ut vel ex hoc Ulpiani loco, qui est in libro LXXIV. ad Edictum, intelligi maxime potest. *Lex*, inquit, XII. *Tabularum, si judex vel alteruter ex litigatoribus morbo sontico impediatur, jubet diem judicii esse diffisum*, &c. quæ verba satis aperte indicant Decemviros hanc legem pæne ad verbum in XII. retulisse, & vocem VITIUM, morbum sonticum interpretatos esse. Scio alios apud Festum pro NUMA emendare NAM; & hanc legem ex ipsis XII. Tabulis descriptam existimare. sed cum in archetypo exemplari, NUMA, diserte scriptum sit, nos nihil mutamus. DIFFENSUS, scriptura est veteris exemplaris: notum autem quid sit DIFFINDERE DIEM. pro HORUM, scripsimus HOROM. ut in columna Duilii OLOROM, pro ILLORUM, ex antiqua consuetudine mutandi U in O.

Quojus. auspicio. clase. procincta. opeima. spolia.
Capiuntor. Jovei. fedetrio. bovem. cædito.
Quei. cepet. æris. ccc. darier. oporteto.
Secunda. spolia. in. du. matris. asam. en. do. campo.
Suovetaurilia. utra. volet. cædito.
Quei. cepet. æris. cc. darier. oporteto.
Tertia. spolia. Jano. Quirino. acnom. marem. cædito.
Quei. cepet. æris. c. darier. oporteto.
Quojus. auspicio. capta. dis. piacolom. dato.

Festus in *Opima*, *Ad ædem*, inquit, *Jovis Feretrii poni, testimonio esse libros Pontificum, in quib. sit: Pro primis spoliis bove; pro secundis, solitaurilib. pro tertiis, agno publice fieri debere. esse etiam Pompelii regis legem opimorum spoliorum talem*: Cujus. auspicio. classe. procincta. opima. spolia. capiuntur. Jovi. Feretrio. darier. oporteat. & bovem. cædito. qui. cepit. æris. cc. secunda. spolia. in. campo. solitaurilia. utra. volet. cædito. tertia. spolia. Jano. Quirino. agnum. marem. cædito. c. qui. cepit. ex. ære. dato. Sed cum legis hujus verba corrupta nimis mutilataque in eis schedis habeantur, quæ ex archetypo exemplari, quod hodie non exstat, a viro antiquitatis, ut videtur, studioso, centum ab hinc annis vidimus descripta; nos Plutarchi in Marcello auctoritatem sequuti, CC. in CCC. in primo legis membro mutavimus; quod is in commentariis, ut puto, Pontificum, dicat se scriptum invenisse, fieri a Numa Pompilio mentionem primorum spoliorum, secundorum, & tertiorum, ac præscribere, prima capta ut Jovi Feretrio consecrentur, Marti altera, tertia Quirino; præmiumque sit primis asses trecenti, secundis ducenti, tertiis centum. Plutarchi Græca verba sunt hæc: Τὰ δὲ σκῦλα, σπόλια μὲν κοινῶς, ἰδίως δὲ ὀπίμια ταῦτα καλοῦσι. Καίτοι φασὶν ἐν τοῖς ὑπομνήμασι Νουμᾶν Πομπίλιον καὶ πρώτων ὀπιμίων, καὶ δευτέρων, καὶ τρίτων μνημονεύειν· τὰ μὲν πρῶτα ληφθέντα τῷ Φερετρίῳ Διῒ κελεύοντα καθιεροῦν. τὰ δεύτερα δὲ τῷ Ἄρει. τὰ δὲ τρίτα τῷ Κυρίνῳ. καὶ λαμβάνειν γέρας ἀσσάρια τ. τὸν πρῶτον. τὸν δὲ δεύτερον σ. τὸν δὲ τρίτον ρ. Itaque hujus loci auctoritate in secundo membro addidimus, QUEI. CEPET. ÆRIS. CC. DARIER. OPORTETO. Postrema verba, QUOJUS. AUSPICIO CAPTA. &c. restituimus ex iis schedis, quas supra nominavimus, cum in editionibus vulgatis desint: & PIACOLOM scripsimus ex Mario Victorino: CEPET autem ex columna Duilii, pro CEPERIT, ut VOLET pro VOLUERIT. item FEDETRIO, ut MEDIDIEM in XII. Tabulis pro MERIDIEM, ex antiqua illorum temporum consuetudine scribendi.

Sei. quis. hominem. leberom. sciens. dolo. m. mortei. dueit. paricida. estod. sei. im. inprudens. se. dolo. malo. occisit. pro. kapite. occeisei. &. nateis. ejus. en. do. contione. arietem. sobicito. Hujus legis primum membrum adducit Festus in verbo *Parici*: *Nam paricida*, inquit, *non utique is qui parentem occidisset, dicebatur, sed qualemcumque hominem. id autem fuisse indicat lex Numæ Pompilii regis his composita verbis*, SEI. QUIS, &c. Sed hæc habentur in legib. Ant. Aug. Ultimum membrum addidimus ex fragmento Serviano, quod citant docti viri. nec dubium est, quin ad eandem legem respexerit Servius in illo versu Georg. *Aries sit candidus ipse*. *Bene enim* (inquit) *addidit* IPSE, *quasi qui ut dominus gregis est: aut qui ante pro domino capital dari consueverat. nam apud majores homicidii pœnam noxius arietis damno luebat: quod in Regum legibus legitur*. &c. In vulgatis editionibus monstra quædam verborum sunt, DAMNO CAPITALI, pro eo quod est in vetustissimis, DOMINO KAPITAL. Subjicere arietem quid sit, docet Festus cum inquit: *Subicere in libro* XV. *juris Pontificii Antistius esse ait dare arietem, qui pro se agatur, cædatur*, &c. & alibi: *Subici aries dicitur, qui agitur ut cædatur: quod fit, ut ait Cincius in libro de officio jurisconsulti, exemplo Athieniensium, apud quos expiandi gratia aries inigitur ab eo, qui scelus commisit, pœnæ pendendæ loco*. HOMINEM scripsimus, cum tamen HEMONEM dixisse antiquissimos Romanos dicat Festus in *Hemona*, & Ennius confirmet illo versu: *Vulturis in silvis miserum mandebat hemonem*. Priscianus lib. I. cap. XIII. HUMINEM veteres protulisse scribit.

Sei. hominem. folminis. occisit. im. sopera. genua. nei. tolito. sei. folmine. occeisos. escit. ei. jousta. nulla. fieri. oporteto. Festus, *Occisum*, inquit, *a necato distingui quidam putant, quod alterum a cædendo, atque ictu fieri dicant; alterum sine ictu. Itaque in Numæ Pompili regis legibus scriptum esse*, SEI HOMINEM. &c. FOLMINIS nominandi casus est.

Pelex. asam. Junonis. nei. tagito. sei. tagit. Junoni. crinebos. demiseis. acnom. feminam. cædito. Adducit hanc legem Festus in *Pellices*, & Agellius lib. IV. cap. III. NOS ASAM pro ARAM ex antiqua consuetudine scripsimus. qua TAGIT etiam pro TANGIT Pacuvium dixisse idem Festus docet, cum inquit: TAGIT. *Pacuvius in Teucro: Ut ego si quidquam me tagit*. & TAGAM *Idem in Hermiona*: *Aut non cernam, nisi tagam. hinc in æneis legum tabulis*, ATTIGAT & ATTIGERET. *Placidus in Glossis: Hasenam dicebant antiqui pro harenam, ut* ASAS *quas nos* ARAS, & LASES *quos nos* LARES *dicimus*.

Sei. quis. terminom. exarasit. ipsos. boveisque. sacrei. sunto. Festus adducit hanc legem, quam

quam nos existimamus in hæc verba, aut non multum ab his dissimilia conceptam fuisse. *Termino*, inquit, *sacrificabant, quod in ejus tutela fines agrorum esse putabant. Denique Numa Pompilius statuit eum, qui Terminum exarasset, & ipsum & boves sacros esse*.

Sei. quis. aliuta. faxit. ipsius. Jovei. sacer. estod. Habetur hoc sanctionis fragmentum in legibus Antonii Augustini, descriptum ex epitoma Festi, in qua IPSUS pro IPSOS in antiquioribus libris scriptum, est, quo modo nos edidimus.

Pisceis. quei. squamosei. non. sient. nei. poluceto.

Squamosos. omneis. præter. scarom. poluceto.

Plinius lib. XXXII. cap. II. *Pisces marinos in usu fuisse protinus condita Roma, auctor est Cassius Hemina, cujus verba de ea re hic subjiciam. Numa constituit, ut pisces, qui squamosi non essent, ni pollucerent patrimonia, commentus ut convivia publica & privata, cenæque ad pulvinaria facilius compararentur, ni qui ad polluctum emerent, pretio minus parcerent, eaque præmercarentur*.

Sarpta. vinia. nei. siet. ex. ead. vinom. dis. leibarier. nefas. estod. Exstat hæc lex apud Plinium lib. XIV. cap. XII. sed pro SARPTA, scriptum est PUTATA. quod puto glossema esse verbi SARPTA. Festus autem hanc legem fortasse intellexit, cum scribit: *Sparta vinea, putata, id est pura facta. Sarpere enim antiqui pro purgare ponebant*. Eodem verbo usi sunt Decemviri in XII. Tab. QUANDOQUE SARPTA. &c. Plinii verba sunt hæc: *Eadem lege lex imputata vite libari vina diis nefas statuit, ratione cogitata, ut putare cogerentur aratores & pigri circa pericula arbusti*.

Vino. rocon. nei. respercito. Plinius lib. XIV. cap. XII. citat hoc legis fragmentum, & Festus item, cum scribit: *Respersum vinum significat apud antiquos, quia sacris Novendialibus vino mortui sepulcrum spargebatur*. Sed in epitoma manuscripta RESPARSUM habetur, pro RESPERSUM, ut fortasse hic RESPARCITO scribendum sit. Sed obstat Cicero in lib. II. de Legibus, qui ad hanc legem respiciens ita scribit: NE. SUMPTUOSA. RESPERSIO. FIERET. Plinii verba sunt hæc: *Numæ regis Postumia lex est*, VINO. ROGUM. NE. SPARGITO. *quod subjunxisse illum propter inopiam rei nemo dubitat*.

AD. LEGES. SERVI. TULLI.

SEi. puer. parentem. verberit. ast. ole. plorasit. puer. deiveis. parentom. sacer. estod. Ser. Tulli regis legum hoc fragmentum adducit Festus in verbo plorare. VERBERIT autem eadem forma dictum est, qua VINDICIT in XII. Tab. & LAVIT apud Nonium. OLE pro OLLE, & PLORASIT pro PLORASSIT antiquiores dicebant ex consuetudine non geminandi mutas, semivocales & consonantes, ut ait idem Festus in *Solitaurilia*. Positum est autem PLORASIT pro CLAMARIT, sive pro IMPLORARIT, ut in XII. Tab. ENDOQUE. PLORATO. Verbum ESTOD scriptura est archetypi exemplaris, cui similis illa columnæ Duilii, ALTOD. MARID. de qua ita Quinctilianus lib. I. cap. XIII. *Latinis veteribus D. plurimis in verbis in ultima adjecta est, quod manifestum est etiam ex columna rostrata, quæ est Duilio in Foro posita*.

AD. LEGEM. TRIBUNICIAM. PRIMAM.

SEi. quis. aliuta. faxsit. cum. pequnia. familiaq. sacer. estod. sei. quis. im. occisit. paricida. nec. estod. Festus in verbo *Sacer*, adducit hanc legis Tribuniciæ primæ sanctionem, cum inquit: *At homo sacer is est, quem populus judicavit ob maleficium, neque fas est eum immolari, sed qui occidit, parricidii non damnatur; nam lege Tribunicia prima cavetur, si quis eum, qui eo plebiscito sacer est, occiderit, parricida ne sit*. Primum membrum hujus sanctionis habetur apud Dionysium, cujus verba sunt hæc: Ἐὰν δὲ τὶς τῶν ἀπηγορευμένων τι ποιήσῃ, ἐξάγιστος ἔστω, καὶ τὰ χρήματα αὐτοῦ Δήμητρος ἱερά, καὶ ὁ κτείνας τινὰ τῶν ταῦτα εἰργασμένων, φόνου καθαρὸς ἔστω.

AD. LEGES. XII. TABULARUM. DE. JURE. PRIVATO.

SEi. in. jous. vocar. nei. ear. statim. encapito. antestarier.

Sei. calvitor. pedemve. struit. manom. endo. jacito. sei. in. jous. vocato. morbos. ævitasve. vitiom. escit. quei. in. jous. vocasit. jumentom. dato. sei. noler. arceram. nei. sternito.

Hujus fragmenti primum membrum adducit Porphyrio Horatii interpres: secundum Sex. Pompejus in verbo *Struere*: tertium Agellius lib. XX. cap. I. Nos diversis locis distracta in unum conjunximus, & ut legi debere existimamus, protulimus. Nam Porphyrionis vulgatæ editiones adeo corruptæ sunt, ut quid sibi velint, docti viri fateantur se nescire. Quidam libris emendatioribus usi, ad veram XII. Tabularum lectionem propius quidem accesserunt, sed non plane sunt assequuti. Nam alii ex antiqua codicum scriptura, quæ est: SI. IN. JUS. VOCATIONI. TESTAMINI. IGITUR. sic emendare conati sunt: SI. IN. JUS. VOCAT. NI. EAT. MANUM. INICITO. Sed hæc emendatio aliqua ex parte vera non est: nam injectio manus, nisi post antestationem a lege non dabatur: & qui petebat, priusquam manus ei, unde petebatur, injiceret, antestari jubebatur, ne videretur injuriam facere. præterea ANDO. JACITO, ut tunc loquebantur, Decemviri scripsissent, non INICITO. neque vocis MANUM, apparent in nostris exemplaribus aliqua vestigia; ut credendum facile sit, luxata esse hæc verba, & quæ sequentis membri sint, in primum irrepsisse. Alii locum Ciceronis ex lib. II. de legib. sequuti, post verba, SI. IN. JUS. VOCET. addunt: ATQ. EAT. & ita interpretantur, ut ATQ. pro STATIM. positum esse dicant. in quo certe non falluntur; habent enim auctorem Agellium, qui lib. X. cap. ult. docet, ATQ. particulam pro STATIM usurpari solitam: sed falsi sunt in eo, quo Ciceroniani exemplaris corruptam scripturam sequuti, existimarunt ATQ. EAT, verba esse XII. Tab. cum ipsius Ciceronis sint, apud quem in emendatioribus libris ita legitur hic locus, & ita postulat sensus, ut legatur: *A parvis enim, Quincte, dicimus*, SI. IN. JUS. VOCAT, *atque ejusmodi alias, leges nominare*: &c. Discebant enim pueri leges XII. Tabularum tamquam carmen necessarium, & ut etiam nunc, veteres jureconsulti ex primis verbis leges notabant sic: L. SI. IN. JUS. VOCAT. Adverbium STATIM, necessario requiritur: nam Agellius ait, jubere legem, eum qui in jus vocatus esset, nulla interposita mora vocantem sequi. & in Rhetoricis ad Herennium habemus: *Lege jus est id quod populi jussu sancitum est: quod genus, ut in jus eas, cum voceris*. Præterea in Porhyrionis exemplari omnium vetustissimo ejus vocis vestigium perspicue apparet, cum ita plane habeat: SI. IN. JUS. VOCATIONI. ANTESTAMINI. ut videatur scriptum fuisse: SEI. IN. JOUS. VOCAT. NEI. EAT. STATIM. Cum autem ENCAPITO. ANTESTARIER. sit INCIPITO. TESTEM. FACERE. libet huic loco Plautinos versus ex Persa subjungere, in quibus antestatio hujusmodi descripta est: *Age ambula in jus leno. D. Quid*

me in jus vocas? S. Illic dicam apud Prætorem. Sed ego in jus voco. D. Nonne anteſtaris? S. Tua ne ego cauſa carnifex cuiquam mortali libero aures atteram? Ad hanc autem legem alluſiſſe videtur Lucillius in illo verſu libri XVII. Satyrarum, quam adducit Nonius in *Calvitur*. *Si non it, capito*, inquit, *en.* & : *Si calvitur ergo, endo manum.* Sic enim puto legi debere, cum poſtrema verba in vulgatis libris ſint mendoſa. Secundum membrum hujus legis protulimus iiſdem verbis, quibus a Sex. Pompejo refertur in verbo *Struere*. *At* inquit, *in* XII. *quod eſt*, SI. CALVITUR. PEDEMVE. STRUIT. MANUM. ENDO. JACITO, *alii putant ſignificare retrorſus ire, alii in aliam partem, alii fugere, alii gradum augere, alii minuere, ac vix pedem pedi præfert, otioſe it, remoratur.* & alibi: PEDEM, inquit, STRUIT *in* XII. *ſignificat fugit, ut ait Ser. Sulpicius.* Huc pertinent verba illa, quæ ſcribit Cajus ad legem XII. Tabularum, SI. CALVITUR. ET. MORETUR. ET. FRUSTRETUR. ſed verba, ET. MORETUR. ET. FRUSTRETUR, gloſſemata ſunt verbi CALVITUR; legendumque SI. CALVITUR. ID. EST. MORETUR. ET. FRUSTRETUR. &c. CALVITOR. autem archaiſmus eſt, ut NANCITOR. In tertio legis membro verbum ESCIT repoſuimus ex vetuſtiſſimo exemplari. nam pro eo alii habent EXTITIT. alii ESSET. Sed ESCIT vera lectio eſt; eaque uſi ſunt cum ſæpius Decemviri apud Feſtum: AST. EI. CUSTOS. NEC. ESCIT: tum Ennius illo verſu: *Dum quidem unus homo Romæ ſupereſcit.* & Lucretius: *Ergo inter rerum ſummam, minimamque quid eſcit?* Vide Feſtum in Eſcit, Obeſcit, Supereſcit, quæ docet poſita eſſe pro erit, oberit, ſupererit. VOCATO, & VOCASIT, ſive VOCAVIT, lectio eſt veterum librorum. Reliqua quæ ad hujus legis intelligentiam pertinent, ita diligenter collegit Ant. Auguſtinus, ut ſuperſedendum ſit aliorum ſcriptorum recitandis teſtimoniis, hoc uno excepto, quod citat Nonius, ſed male, ſub nomine Varronis, cum XII. Tabularum ſit, & hujus legis, quam in manibus habemus. Varro γεροντοδιδασκάλῳ: *Vehebatur cum uxore arcera ſemel aut bis in anno.* In XII. SEI. NOLET. ARCERAM. NEI. STERNITO. ibi corrupte eſt, arceram, ſi non vellet, non ſterneret. Varro libro IV. de lingua Latina: *Ab aliis etiam dictum arcera, quæ etiam in* XII. *Tabulis appellatur, quod ex tabuleis vehiculum erat factum ut arca, arcera dictum.*

Æris. confeſei. reboſque. joure. joudicateis. XXX. dies. jouſtei. ſunto. poſtidea. endo. manos. jactio. eſtod. indu. jous. edoucito. nei. joudicatom facit. aut. quips. an. doco. im. joure. vindicit, ſecom. doucito. vincito. aut. neſvo. aut. compedebos. XV. pondo. nei. majoſe. aut. ſei. volet. minoſe vincito. ſei. volet. ſouo. vivito. nei. ſouo. viveit. quei. im. vinctom. habebit. libras. faris. endo. dies. dato. ſei. volet. pluus. dato. endoderatim. pacio. eſtod. nei. cum. eo. pacit. LX. dies. vinctom. habetod. en. ieis. diebos. tertieis. nondineis. continoeis. indu. comitiom. en. do. joure. im. procitato. quanteique. ſtlis. æſtumata. ſiet. prædicato. poſtidea. de. kapite. addictei. pœnas. ſumitod. aut. ſei. volet. trans. Tiberim. peregre. venom. datod. aſt. ſei. pluſebos. addeictos. ſiet. tertieis. nondineis. parteis. ſecanto. ſei. pluus. minuſve. ſecueſint. ſe. fraude. eſtod. Verba legis hujus non uno eodemque modo in Agellii libris, qui extant, ſcripta reperiuntur. nam pro eo quod in vulgatis eſt, POST DEINDE, manuſcripti habent, PEDE INDE. Alii legunt POSTIDEA, quod antiqui dicebant pro POST, ut ANTIDEA pro ANTE. Hac lectionem ſequuti ſcripſimus POSTIDEA. ENDO. MANOS. JACTIO, quia ENDOJACITO ſupra eſt. item pro eo quod in vetuſtiſſimo libro exaratum eſt, AUT. QUIPS. ENDO. EO. IN. JOURE VINDICIT. nos fecimus, AUT. QUIPS. ENDO. EO. IM. JOURE. VINDICIT, voce IM mutata, qua pro EUM antiqui utebantur, ut Feſtus notat & Macrobius, legumque fragmenta teſtantur, in quibus eſt IM. OCCISIT, pro EUM, a nominandi caſu IS. jubet enim lex eum unde petitur, ni judicatum faciat, aut aliquis pro eo in jure, hoc eſt, apud Prætorem vindex exiſtat, abduci ab eo qui petit, & vinciri. Verbum VINDICIT, ea forma prolatum eſt, qua VERBERIT in lege Ser. Tulli regis. Voces MAJOSE & MINOSE in vulgatis libris luxatas, ſuo loco repoſuimus auctore libro vetuſtiſſimo, in quo SE FRAUDE eſt, pro SED FRAUDE, ut in antiquis legum tabulis reperitur, SED. PRAUDE. SUA. FACERE. LICETO. Hujus autem legis alibi etiam Agellius meminit: nam in libro XV. cap. XIV. ita ſcribit: *Confeſſi autem æris, de quo facta confeſſio eſt, in* XII. *Tabulis ſcriptum eſt his verbis:* ÆRIS. CONFESEI. REBOSQ. &c. ENDOTERATIM, & quæ ſequuntur uſque ad verbum TERTIEIS, ſuppleta ſunt a nobis iſdem prope verbis, quæ ab Agellio ex XII. Tab. referuntur. *Erat autem*, inquit, *jus interea paciſcendi: ac niſi pacti forent, habebantur in vinculis dies* LX. *inter eos dies tribus nundinis continuis ad Prætorem in Comitium producebantur; quantæque pecuniæ judicati eſſent, prædicabatur. tertiis autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant. Sed eam capitis pœnam ſanciendæ, ſicuti dixi, fidei gratia horrificam atrocitatis oſtentu, noviſque terroribus metuendam reddiderunt. nam ſi plures forent, quibus reus eſſet judicatus, ſecare ſi vellent atque partiri corpus addicti ſibi hominis permiſerunt. Et quidem verba ipſa legis dicam ne exiſtimes invidiam me iſtam forte formidare:* TERTIEIS. NUNDINEIS, &c. ENDOTERATIM ſcripſimus, ex eo quod dicit Feſtus, INTERATIM, pro INTERIM antiquos dixiſſe, unde factum eſt ENDOTERATIM, ut ex INITIUM, & INTERCISI, factum eſt, ENDOITIUM, & ENDOTERCISI. Idem Feſtus ait: PACIONEM *antiqui dicebant, quam nos* PACTIONEM *dicimus.* NEI. CUM. EO. PACIT, Decemvirorum verba ſunt in alia lege. INDU. COMITIUM. ſcripſimus, imitati Lucretianum illud, INDU. CÆLUM. & ENDO. JOURE, ſequuti locum ſimilem in XII. Tabulis apud Agellium. PROCITATO autem pro PRODUCITO veteres dixiſſe docet Feſtus in *Procitare*. QUANTIQ. STLIS. ÆSTUMATA. FUERIT. verba ſunt Serviliæ legis in ænea tabella, quæ nos poſuimus pro Agellianis illis, QUANTÆQ. PEQUNIÆ. JUDICATI. ESSENT. &c. NESVO. MAJOSE. MINOSE, archaiſmus eſt, ut FUSIUS pro FURIUS, & alia ſimilia. Quinctilianus lib. III. cap. VIII. meminit hujus legis, cum ſcribit: *Sunt enim quædam non laudabilia natura, ſed jure conceſſa, ut in* XII. *Tab. debitoris corpus inter creditores dividi licuit: quam legem mos publicus repudiavit.*

Sei. quei. en. do. joure. manom. conſeront. utreiq. ſoperſtitebos. præſetebos. vindicias. ſumunto. Hoc fragmentum concinnavimus ex Agellio & Feſto. Agellius lib. XX. cap. I. ſic habet: *Manum conſerere, eſt, de qua re diſceptabatur in præſenti, ſive ager ſive quid aliud eſt, cum adverſarium ſimul manu prehenderet, in ea re omnibus verbis vindicare: id eſt, vindicia correpta manu in re atque loco præſenti apud Prætorem ex* XII. *Tab. fiebat, in quib. ita ſcriptum eſt:* SEI. QUEI. &c. Feſtus in verbo *Superſtites* ita: *Superſtites præſentes, teſtes præſentes ſignificat, cujus*

rei testimonium est, quod superstitib. præsentib. ii inter quos controversia est, vindicias sumere jubentur. In hac autem lege, quantum potuimus, antiquitatem illorum temporum repræsentavimus: nam ENDO JOURE scriptura est veterum librorum, significatque apud Prætorem. CONSERONT, SOPERSTITEBOS, PRÆSETEBOS, columnæ rostratæ Duilii in qua est, EXFOCIONT, PRÆSETED, NAVEBOS, aliaque similia.

Sei. vindiciam. falsam. tolit. sei. volet. is..... tor. arbitros. treis. dato. eorom. arbitrio. joudicioq. fructuus. duplione. damnom. deceidito. Festus: *Vindiciæ olim dicebantur illæ, quæ ex fundo sumptæ in jus allatæ erant. at Ser. Sulpicius vocabulo singulariter formato vindiciam esse ait, qua de re controversia est, ab eo quod vindicatur res ex controversia, & in* XII. SI VINDICIAM. FALSAM. TULIT. SEI. VELIT. IS..... TOR. ARBITROS. TRES. DATO, &c. Post verbum TULIT, nullum est spatium in exemplari, in quo VOX REI, quam docti viri interposuerunt, reponi possit, ut fortasse ita supplendum sit: SEI. VOLET. IS. QUEI. POSESIONE. DEJECTUS. EST. ut legis sensus sit: Si vindiciam aliquis tulerat, qui non debuerat, & falso sibi rem alienam vindicaverat, si volebat is, qui possessione dejectus fuerat, Prætor tribus arbitris datis, ad duplos fructus restituendos cogebat eum, secundum quem vindiciæ latæ erant. VOX, JUDICIOQ. de nostro addita est, ut spatium id suppleretur, quod in exemplari relictum est secundo loco. De tribus arbitris exstat Ciceronis testimonium in lib. I. de Legibus.

Sei. vecinei. enter. se. jorgasint. entera. quinque. pedeis. œsocapio. nei. esto. prætor. arbitros. treis. dato. eorom. arbitrio. finiom controversias. componito. Cicero lib. V. de Rep. apud Nonium refert hujus legis membrum, quod nos conjunximus cum aliis duobus, quæ ad eandem legem pertinere suspicati sumus, & ab eod. Cicer. in lib. I. de Leg. referuntur. *Jurgare igitur*, inquit Cic. apud Nonium in *Jurgium*, *lex putat inter se vicinos, non litigare*. In I. de legib. *Ex hac autem non rerum, sed verborum discordia, controversia nata est de finibus: in qua, quoniam usucapionem* XII. *Tab. intra quinq. pedes esse noluerunt*, &c. & in eodem libro: *Nec Mamilia lege singuli, sed nos tres arbitri fines regemus*. VEA dicebant antiqui pro VIA, unde VECINEI scripsimus. & ENTERA, ut ENFERA, pro INTRA, & INFRA. item OESOCAPIO, ut OESUS, & MOERUS, pro USUS, & MURUS, aliaque hujusmodi.

Quoi. testimonium. defuerit. is. tertieis. diebos. ob. portam. ofvagolatom. eito. Adducit hoc fragmentum Festus in *Portus*, & in *Vagulatio*. *Portum*, inquit, *in* XII. *pro domo positum omnes fere consentiunt*: CUI. TESTIMONIUM. DEFUERIT, &c. item: *Vagulatio in lege* XII. *Tab. significat quæstio cum convicio*: CUI. TESTIMONIUM. DEFUGERIT, &c. Festi interpretationem adjuvat Plauti versus in Aulularia: *Ita me bene amet Laverna, tu jam nisi reddi mihi vasa jubes, pipulo te hic differam ante ædes*. Quod Decemviri OB PORTUM, id Plautus dixit ANTE ÆDES. quodque Plautus PIPULO DIFFERAM, id Decemviri OBVAGULATUM dixerunt. Pipulum Festus ploratum exponit. Hæc autem evocandi reos consuetudo, qua etiam absentes rei e domo buccina evocabantur, colligi potest ex Varronis loco, qui est in libro V. de lingua Latina: *Cornicinem*, inquit, *ad privati januam, & in arcem mittas*. & paulo post: *Qui de Censoribus classicum ad comitia centuriata redemptum habent, uti curent eo die, quo die comitia erunt, in arce classicus canat, tum circumque mœros, & ante privati hujusce T. Quinctii Trogi sceleросi hominis ostium canat, & ut in campo cum prima luci adsit* &c. Locum Varronis adjuvant Plutarchi verba in Gracchis: Καίτοι πάτριόν ἐστιν ἡμῖν, εἴτις ἔχων δίκην θανατικὴν μὴ ὑπακούει, τούτου πρὸς τὰς θύρας ἕωθεν ἐλθόντα σαλπιγκτὴν ἀνακαλεῖσθαι τῇ σάλπιγγι, καὶ μὴ πρότερον ἐπιφέρειν ψῆφον αὐτοῦ τοὺς δικαστάς. OFVAGULATOM archaismus est, de quo Priscianus lib. I. cap. XIII. *Af pro ab*, inquit, *scribere antiqui solebant*. Inde in ænea tabella AF. VOBEIS incisum est, Æolico digamma F pro B litera posito. DEFUERIT & DEFUGERIT scriptum est in archetypo exemplari: & utro modo retineas, nihil refert.

Tignom. junctom. ædebos. viniæque. &. concapet. nei. solvito. quei. olud. junxsit. duplione. luito. Festus: *Tignum non solum in ædificiis, quo utuntur, appellatur, sed etiam in vineis, ut est in* XII. TIGNUM, &c. Ulpianus lib. XXVII. ad edictum, *Lex*, inquit, XII. *Tab. neque solvere permittit tignum furtivum ædibus, vel vineis junctum, neque vindicare; ne vel ædificia sub hoc prætextu diruantur, vel vinearum cultura turbetur: sed in eum qui convictus est junxisse, in duplum dat actionem*. CONCAPET docti viri in CONCAPES rectum mutant, idque de vinea tantum dici affirmant, quia habeat caput suum cum capite vineæ commissum, ut significet depactum ac defixum terræ ad vineam sustinendam. De tigno videndus Ulpianus in eodem loco. *Tigni*, inquit, *appellatione continetur omnis materia, ex qua ædificium constet, vineæque necessaria. unde quidam ajunt tegulam quoque & lapidem & cæmenta*, &c. *tigna enim a tegendo dicta sunt: hoc amplius & calcem & arenam appellatione tignorum contineri. sed & in vineis tigni appellatione omnia vineis necessaria continentur, ut puta perticæ, pedamenta*, &c.

Quom. nexom. faciet. mancipiomq. utei. lingua. nuncupasit. ita. jous. estod. Festus: *Nuncupata pecunia est, ut ait Cincius lib.* II. *de officio jureconsulti, nominata, certa, nominibus propriis pronuntiata*. CUM. NEXUM, &c. id est, uti nominarit, locutusve erit, ita jus esto; qui autem infitiatus esset, quæ LINGUA NUNCUPASSET, dupli pœnam subibat. Cic. lib. III. de Offic. *Ac de jure quidem prædiorum sancitum est apud nos jure civili, ut in his vendendis vitia etiam dicerentur, quæ nota essent venditori. nam cum e* XII. *Ta. satis esset ea præstare quæ essent* LINGUA. NUNCUPATA, *quæ qui infitiatus esset, dupli pœnam subiret, a jureconsultis etiam reticentiæ pœna est constituta*. & in lib. I. de Oratore adducit hujus fragmenti alterum membrum, cum inquit: *Totum illud*, UTEI. LINGUA. NUNCUPASIT, *non in* XII. *Tab. sed in magistri carmine scriptum videtur*. NEXOM. MANCIPIOMQ. intelligit per æs & libram, adhibito libripense & quinque testibus, de quo infra. DINGUA, pro LINGUA, ex antiqua consuetudine scripsimus, cujus meminit Festus, ut DACRYMÆ, & NOVENSIDES, & alia his similia.

Paterfamilias. utei. soper. familia. pequniaque. soua. legasit. ita. jous. estod. Adducit hanc legem scriptor Rhetoricorum ad Herennium lib. I. & Cicero lib. II. de Inventione, eo quo nos protulimus, verborum ordine: eodemque paulum immutato Pomponius in l. verbis. Digest. de verb. sig. Sic enim habet: UTI. QUISQUE. LEGASIT. SUÆ. REI. ITA. JUS. ESTO. Ulpianus tit. II. Inst. *Testamento quoque nominatim tutores dati confirmantur eadem lege* XII. *Tab. his verbis*: UTI. LEGASIT. SOPER. PEQUNIA. TOTELAVE. SOUÆ. REI. ITA. JOUS ESTO. Justinianus lib. II. Inst. de leg. Falcidia tit. XXII. *Cum enim olim lege* XII. *Tab. libera erat legandi*

poteſtas, ut liceret vel totum patrimonium legatis erogare, quippe cum ea lege ita cautum eſſet, UTI. QUISQ. LEGASIT. SOUÆ. REI. ITA. JOUS. ESTOD. Ita plane Pomponius ſupra.

Patrei. endo. fidio. vitæ. neciſque. poteſtas. eſtod. terque. im. venom. datier. jous. eſtod. ſei. pater. fidiom. ter. venom. duit. fidios. a. patre. leber. eſtod. Exſtat hæc lex apud Ulpianum cap. Inſt. x. quam Dionyſius lib. II. ſcribit Decemviros in quartam tabulam conjeciſſe. nos autem ita concinnavimus, ſequuti formulam rogationis, quæ reperitur apud Agellium lib. v. cap. XIX. his compoſita verbis: Velitis. jubeatis. Quirites. utei. L. Valerius. L. Titio. tam. joure. legeq. filius. ſiet quam. ſei. ex. eo. patre. matreq. familias. natus. eſſet utei q. ei. vitæ. neciſq. in du. eum. poteſtas. ſiet. utei. patrei. en. do. filio. hæc. ita. utei. deixi. ita. vos. Quirites. rogo. Anttiqui dicebant FIDIUS pro FILIUS, ut DAUTIA pro LAUTIA, & DACRYMAS pro LACRYMAS. quam ſcripturam ſequuti ſumus. Vide Feſtum in *Dacrymas*.

Aut. ſtatos. dies. cum. hoſted. Cicero lib. I. de Offic. adducit hoc fragmentum, cum inquit: *Equidem illud etiam animadverto, quod qui proprio nomine perduellis eſſet, is hoſtis vocaretur, lenitate verbi triſtitiam rei mitigante. hoſtis enim apud majores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant* XII. *Tabulæ*, AUT. STATUS. DIES. &c. itemque ADVERSUM. HOSTEM. ÆTERNA. AUCTORITAS. ESTO. *Quid ad hanc manſuetudinem addi poteſt, eum qui cum bella geras, tam molli nomine appellare; quamquam id nomen durius jam effecit vetuſtas. a peregrino enim receſſit, & proprie in eo, qui ferret arma contra, remanſit*. Plautus in Curculione: *Si ſtatus condictus cum hoſte intercedit dies*. In formula jurisjurandi apud Agellium lib. XVI. capit. IV. ſic eſt: *Funus familiæ, feriæ denicales, quæ non ejus rei cauſa in eundem diem collatæ ſint, quo is eo die minus ibi eſſet. morbus ſonticus, auſpiciumve, quod ſine piaculo præterire non liceat. ſacrificium anniverſarium, quod recte fieri non poſſet, niſi ipſus eo die ibi ſit. ſtatus, condictuſve dies cum hoſte*.

Arvorſom. hoſtem. æterna. auctoritas eſtod. Cicero lib. I. Offic. citat hanc legem, qua civi tantum Romano dabatur, ut uſus jus auctoritatis acquireret, cum peregrinus, quem Decemviri hoſtem appellant, rem alienam poſſidendo uſucapere non poſſet. Eandem legem ſignificavit pro Cæcina, cum inquit: *Lex uſum auctoritatem fundi jubet eſſe biennium, & utimur eodem jure in ædibus, quæ in lege non appellantur*. & pro domo: *Multæ*, inquit, *ſunt domus in hac urbe, atque haud ſcio an pæne cunctæ jure optimo, ſed jure privato, jure hereditario, jure auctoritatis, jure mancipii, jure nexi*. Lex etiam Atinia, qua cautum, ne res furtiva uſucapiatur, niſi in poteſtatem ejus, cui ſubrepta ſit, revertatur, iiſdem verbis concepta fuit: QUOD. SUBRUPIUM. ERIT. EJUS. REI. ÆTERNA. AUCTORITAS. ESTO. Ita enim legitur in vetuſtiſſimo Agellii lib. XVII. cap. VI. pro SUBREPTUM, quod eſt in vulgatis. ARVORSUM ſcripſimus, quia ita dicit Velius Longus antiquos dixiſſe, & ASVORSARIUS, ut contra AUDICULAS pro auriculas, & MEDIDIEM pro meridiem.

Sei. quis. fouſioſos. ſiet. acnatorum. centileumque. endo. eo. pequniaque. ejus. poteſtas. eſtod Refertur hæc lex a ſcriptore Rhetoricorum ad Herennium lib. I. & a Cicerone lib. II. de Inventione, & lib. III. Tuſcul. Cum autem SEI. FURIOSUS. EXISTAT. ſcriptum ſit in libro ad Herennium, apud Ciceronem vero priore quidem loco, SEI. FURIOSUS EST: in poſteriore autem SEI. FURIOSUS. ESSE. INCEPIT; nos jure noſtro mutavimus, & verbum SIET, in æneis tabulis frequens repoſuimus. FUSIOSOS autem ſcripſimus, quia FOUSIUS pro FURIUS, VALESIUS pro VALERIUS, FESIAS, pro FERIAS, & HASENAM pro HARENAM antiquiores dixerunt.

Sei. quis. alienas. arboſes. injouria. ſecueſit. XXV. æris. in. du. ſincolas. pœnæ. ſunto. Plinius lib. XVII. cap. I. adducit hanc legem, cum inquit: *Fuit arborum cura legibus priſcis, cautumque* XII. *Tabulis, ut qui injuria cecidiſſet alienas, lueret in ſingulas æris* XXV. Decemviros CÆDERE. CINGERE. SUBSECARE de arboribus dixiſſe conſtat ex veteribus ſcriptoribus. Paulus l. I. D. arb. furtive cæſarum tit. VII. meminit hujus legis. *Si furtim*, inquit, *arbores cæſæ ſint, ex lege Aquilia, & ex* XII. *Tabulis dandam actionem Labeo ait*. ARBOSES pro ARBORES antiqui dixerunt, ut docet Feſtus in *Arboſes*.

Quei. alienas. ædes. frumenteive, acervom. juxſta. ædeis. poſitom. ſciens. D. M. uſit. uſeritve. prætoris arbitratuu. vinctos. verberatoſque. icne. necator. aſt. ſei. imprudens. ſe. D. M. damnom. duit. noxiam. ſarcito. aut. prætoris. arbitratuu. virgeis. cæſos. poenam. luito. Hæc lex exſtat apud Cajum in l. qui ædes. Dig. de incend. *Qui ædes*, inquit, *acervumve frumenti juxta ædes poſitum combuſſerit, vinctus verberatusque igni necari jubetur, ſi modo ſciens prudenſve id commiſerit. ſi vero caſu, id eſt, negligentia; aut noxiam ſarcire jubetur, aut ſi minus idoneus ſit, levius caſtigatur. Appellatione autem ædium omnes ſpecies ædificii continentur*. Scripſimus ARBITRATUU, ſequuti ſcripturam veterum legum.

Glandem. quæ. de. tuod. in. du. alienom. acrom. cadit. ſe. fraude. lecere. liceto. Plin. lib. XVI. cap. V. *Cautum eſt præterea lege* XII. *Tabul. ut glandem in alienum fundum procidentem liceret colligere*. Digeſt. lib. XLIII. de glande legenda, tit. XXVII. Ulpianus: *Ait Prætor*: Glandem. quæ. ex. illius. agro. in. tuum. cadit. quominus. illi. tertio. quoque. die. legere. auferre. liceat. vim. fieri. veto. Ex hoc Prætorio edicto legem XII. Tabul. concinavimus.

Quei. nox. frucem. aratro. quæſitam. fortim. paveſit. ſecueſitve. ſei. pobes. ſiet. Cereri. ſacer. eſtod. im pobes. prætoris. arbitratuu. verberatos. noxiam. duplione. ſarcito. Plin. lib. XVIII. cap. III. adducit hanc legem, cum inquit: *Frugem quidem aratro quæſitam furtim nocte paviſſe, puberi* XII. *Tabulis capitale erat, ſuſpenſumque Cereri necari jubebant, gravius quam in homicidio convictum: impubem Prætoris arbitratu verberari, noxamve, duplionemve decerni*. In libris manuſcriptis eſt, *noxiam*: ſed rectius eſt *noxæve*. Nos Agellium ſequuti ſcripſimus NOXIAM. DUPLIONE. SARCITO. nam ita eſt in lib. XI. cap. XVIII. *Sed pueros impuberes Prætoris arbitratu verberari voluerunt, noxamve ab his factam ſarciri*.

Sei rupitias. ſarcito. Hæc duo hujus legis fragmenta diverſis locis divulſa leguntur apud Feſtum, qui in verbo RUPITIAS, ait in XII. ſignificare damnum dederis: in SARCITO, *In* XII. inquit, *Ser. Sulpicius ait ſignificare damnum ſolvito*. & alibi: SARTE, inquit, *ponebant pro* INTEGRE. *ob quam cauſam opera publica, quæ locantur*, SARTA. TECTA. *vocantur. etenim ſarcire eſt integrum facere. unde in lege Cenſoria habetur:*

NEI. PORTICOM. SARTAM. TECTAM. PRODUIT. Vide in *Produit*.

Sei. aqua. plovia. nocet. Digeſt. lib. XL. l. Labeo. de ſtatu liberis: *Sic & verba legis* XII. *Tabul. veteres interpretati ſunt*, SI. AQUA. PLUVIA. NOCET. *id eſt, ſi nocere poterit*.

Sei. quadropes. paupeſiem. faxſit. quadropedis. dominos. noxſiam. ſarcitod. aut. quod noxſiam. nocuit. dare. damnas. eſtod. Ulpian. lib. XVIII. ad edict. *Si pauperiem feciſſe dicatur, actio ex* XII. *Tabulis deſcendit: quæ lex voluit aut dari quod nocuit, id eſt, id animal, quod noxiam commiſit: aut æſtimationem noxiæ offerre. Noxia autem eſt ipſum delictum; pauperies damnum ſine injuria facientis datum. nec enim poteſt dici animal injuriam feciſſe, quod ſenſu caret*. Juſtin. lib. IV. tit. IX. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur: *Animalium quæ ratione carent, ſi qua laſcivia, aut pavore, aut feritate pauperiem fecerint, noxalis actio lege* XII. *Tab. prodita eſt. Quæ animalia ſi noxæ dedantur, proficiunt reo ad liberationem: quia ita lex* XII. *Tabul. ſcripta eſt*. ut puta: Si. equus. calcitroſus. calce percuſſerit. aut. bos. cornu. petere. ſolitus cornu. petierit. PRO PAUPERIEM, ſcripſimus PAUPESIEM, ut ſupra diximus FESIAS pro FERIAS antiquos dixiſſe.

Sei. vir. aut. molier. alterei. nontiom. miſeit. devortiom. eſtod. molier. res. ſouas. ſibei. habeto. vir. molierei. claveis. adimitod. exicitoque. Cicero. lib. II. Philippic. *Nolite credere: frugi factus eſt Antonius: mimam illam ſuam ſuas res ſibi habere juſſit, ex* XII. *Tabulis claves ademit, exegit*. Cajus lib. XII. ad edictum provinciale: *Divortium vel a diverſitate mentium dictum eſt, vel quia in diverſas partes eunt qui diſtrahunt matrimonium*. In repudiis, & renuntiationibus probata ſunt hæc verba: TUAS. RES. TIBI. HABETO. item hæc: TUAS. RES. TIBI. AGITO. In ſponſalibus quoque diſcutiendis placuit renuntiationem intervenire oportere. in qua re hæc verba probata ſunt: CONDICIONE. TUA. NON. UTOR. Cicero in Topicis: *Si viri culpa factum eſt divortium, & ſi mulier nuntium remiſit, tamen pro liberis manere nihil oportet*.

Molier. tertieis. noctebos. œſopartom. eito. neci. ita. œſorpaſit. af. virod. oſocapitor. Agellius lib. III. cap. II. *Q. Mucium jureconſultum dicere ſolitum legi, non eſſe uſurpatam mulierem, quæ cum Kal. Jan. apud virum cauſa matrimonii eſſe cœpiſſet, ante diem quartam Kal. Jan. ſequentes uſurpatum iſſet. non enim poſſe impleri trinoctium, quod abeſſe a viro uſurpandi cauſa e* XII. *Tabulis debet; quoniam tertiæ noctis poſteriores ſex horæ alterius anni eſſent, qui inciperet ex Kalendis*. Priſcianus lib. I. cap. XIII. docet antiquos AF. pro AB. * dixiſſe, & ita eſt in ænea tabula, ut alibi admonuimus.

Quei. rem. de. qua. controverſia. ſiet. in. du ſacrom. dedicaſit. duplione. pœnam. luito. Paul. l. ult. de litig. *Rem, de qua controverſia eſt, prohibemur in ſacrum dedicare: alioqui dupli pœnam patimur*.

Patris. familias. quei. en. do. teſtato. moritor. quoique. ſouos. heres. nec. eſcit. agnatos. proxſumos. familiam. pequniamque. habeto. Ulpianus Inſt. cap. XXVI. hanc legem refert, cum inquit: *Inteſtatorum ingenuorum hereditates pertinent primum ad ſuos heredes, id eſt, liberos, qui in poteſtate ſunt, ceteroſque qui in liberorum loco ſunt. Si ſui heredes non ſunt, ad conſanguineos, id eſt, fratres & ſorores ex eodem patre. Si nec hi ſunt, ad reliquos agnatos proximos, id eſt, cognatos virilis ſexus per mares deſcendentes ejuſdem familiæ. id enim cautum eſt lege* XII. *Tabul. ac ſi inteſtatus moritur, cui ſuus heres nec exſtabit, agnatus proximus familiam habeto*. Auctor ad Herennium lib. I. & Cicero lib. I. de Inventione his verbis hanc legem conceptam fuiſſe dicunt: Sei. pater. familias. inteſtato. moritur. familia. pequniaque. ejus. agnatorum. gentiliumque. eſto. Juſtinian. lib. III. tit. II. de legitima agnatorum ſucceſſione: *Si nemo ſuus heres, vel eorum quos inter ſuos heredes Prætor vel conſtitutiones vocant, exiſtat, qui ſucceſſionem quoquo modo amplectatur, tunc ex lege* XII. *Tab. ad agnatum proximum pertinet hereditas*. & tit. V. *Nam agnati capite diminuti, quique ex his progeniti ſunt, ex lege* XII. *Tabul. inter legitimos non habentur*. ENDOTESTATO, ut ENDOTERCISI, & ENDOITIOM ſcripſimus. Noſtra lectio confirmatur alio loco Ulpiani; qui eſt in lib. XLVI. ad edictum. l. CXCV. de verb. ſign. *Familiæ appellatio qualiter accipiatur, videamus. & quidem varie accepta eſt: nam & in res & in perſonas dividitur. in res, ut puta in lege* XII. *Tab.* Agnatus. proximus. familiam. habeto.

Leberto. quei. endoteſtato. moritor. quoique. ſuos. heres. nec. eſcit. patronos. heres. eſtod. Ulpianus in epit. cap. XXIX. *Civis Romani liberti hereditatem lex* XII. *Tab. patrono defert, ſi inteſtato ſine ſuo herede libertus deceſſerit*. & Inſtitut. de ſucceſſ. libert. tit. VIII. *Nam ita demum lex* XII. *Tab. ad hereditatem liberti vocabat patronum, ſi inteſtatus mortuus eſſet libertus, herede ſuo nullo relicto*.

Sei. coheredes. partem. rerom. ſingolei. ſouam. habere. malont. familiæ. erciſcundæ. arbitrom. ſumunto. eique. jous. arbitriomque. rerum. permittunto. Cajus lib. I. Dig. famil. erciſc. *Hæc actio proficiſcitur ex lege* XII. *Tab. namque coheredibus volentibus a communione diſcedere, neceſſarium videbatur aliquam actionem conſtitui, qua inter eos res hereditariæ diſtribuerentur*. Ulpianus lib. XIX. ad edictum: *Per familiæ erciſcundæ actionem dividitur hereditas, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, ſive ex lege* XII. *Tab. ſive ex aliqua lege deferatur hereditas, vel ex S.C. vel etiam conſtitutione*. Vide Ciceronem lib. I. de Orato. & Feſtum in verbo, *Erctum*.

Sei. quis. prodicos. ſiet. prætor. ei. boneis. ſoueis. endoterdeicito. endoque. eo. pequniaq. ejus. acnatorom. centileomq. poteſtas. eſtod. Ulpianus lib. XXVIII. Dig. de cur. fur. *Lege* XII. *Tab. prodigo interdicitur bonorum ſuorum adminiſtratione*. & Inſtit. tit. XII. *Lex* XII. *Tab. furioſum, itemque prodigum, cui bonis interdictum eſt, in curatione jubet eſſe agnatorum*. Hinc apud Paulum lib. V. ſenten. formula illa, qua Prætores utebantur: Quando. tu. bona. patria. avitaq. nequitia. tua. diſperdis. liberoſq. tuos. ad. egeſtatem. perducis. ob. eam. rem. tibi. ea. re. commercioq. interdico. &c.

Sei. quis. dolei. malei. colpæve. ſuſpectos. endo. totela. ſiet. ejus. quei. volet. nomen. deferto. ubei. detolerit. ſei. dolei. malei. arcueſit. prætor. im. cum. flacitio. removetod. aſt. ſei. toutor. rem. popilei. foratos. ſiet. duplione. pœnam. luito. Cicero lib. III. de Offic. *Atque iſte dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela* XII. *Tab.* Et lib. I. de Oratore, tutelæ judicium turpe appellat, quod hoc judicio damnatus, infamis eſſet. Ulpianus in l. I. Dig. de ſuſpectis tutoribus:

Sciendum eſt ſuſpecti crimen ex lege XII. *Tabul. deſcendere. Damus autem jus removendi ſuſpectos tutores Romæ Prætoribus, in Provinciis præſidibus earum. an autem apud legatum Procos. ſuſpectus poſtulari poſſit, dubium eſt*. Tryphon. in l. *tres tutores*. Dig. de admini. tut. tit. LIV. *Sed ſi ipſi tutores rem pupilli furati ſunt, videamus an ea actione, quæ proponitur ex lege* XII. *Tab. adverſus tutorem in duplum*, &c. Ex his locis hoc fragmentum concinnavimus. & COLPÆVA auctore Mario Victorino ſcripſimus; qui hoc ipſum verbum adducit.

Sei. quis. injuria. alterei. faxſit. XXV. æris pœnæ. ſunto. Adducit hoc fragmentum Agellius lib. XX. cap. I. in quo ita eſt: *Quod vero dixi videri quædam eſſe impendio molliora, nonne tibi quoque videtur nimis eſſe dilutum, quod ita de injuria puniendа ſcriptum eſt*, SI INJURIA &c. Vocem ÆRIS, adjectam eſſe exiſtimamus: nam Feſtus eam non agnoſcit, cum inquit: *Viginti quinque pœnæ ſignificat viginti quinque aſſes*. Plinius tamen lib. XVII. cap. I. eam retinet in alio capite legis. *Fuit*, inquit, *& arborum cura legib. priſcis cautumque eſt* XII. *Tabulis, ut qui injuria cecidiſſet alienas, lueret in ſingulas æris* XXV. INJOURIA ſcripſimus, non INJURIAM, ut quidam emendarunt, quia ita eſt in manuſcriptis libris, & ita legendum eſſe confirmat Plinii locus, quem modo adduximus.

Sei. membrom. rupſit. nei. cum. eo pacit. talio. eſtod. Agellius lib. XX. cap. I. profert hanc legem his verbis: *Velut illa lex talionis, cujus verba, niſi memoria me fallit, hæc ſunt:* SI. MEMBRUM RUPIT. NEI. CUM. EO. PACIT. TALIO. ESTOD. Feſtus: *Talionis*, inquit, *mentionem fieri in* XII. *ait Verrius, hoc modo:* SI. MEMBRUM. RAPIT. &c. *neq. id quid ſignificet, indicat: puto quia notum. permittit enim lex parem vindictam*. Juſti. lib. IV. Inſtit. tit. VI. *Pœna autem injuriar. ex lege* XII. *Tab. propter membrum quidem ruptum talio erat; propter os vero fractum nummariæ pœnæ erant conſtitutæ, quaſi in magna veterum paupertate*. Cato lib. V. Originum apud Priſcianum libro VI. videtur ad hanc legem reſpexiſſe, cum inquit: *Si quis membrum rupit, aut os fregit talione vindicta proximus cognatus ulciſcitur*. Cum autem RAPIT ſit in archetypo exemplari, nos conjectura ducti ſcripſimus RUPSIT, pro RAPUERIT. Vide Feſtum in *Pacionem*. nam PACIT hic pro PAXIT poſitum eſt.

Quei. nox. fortom. faxſit. ſei. im. aliquips occiſit. joure. cæſos eſtod. ſei. louci. fortom. faxit. teloq. ſe. præhendier. prohibeſit. ſei. im. aliquips occiſit. joure. cæſos. eſtod. aſt ſei. louci. fortom. faxſit. neque. telo. ſe. præhendier. prohibeſit. ſei. leber. ſiet. prætor. im. verberarier. joubetod. eique. quoi. fortom. faxſit. addecito. ſei. ſervos. ſiet. virgeis cæſos. ex. ſaxo. deicitor. ſei. impobes. ſiet. Prætoris. arbitratuu. verberatos. noxſiam. ſarcito. forta. per. lancem. liciomque. concepta. utei. manifeſta. vindicato. His aut ſimilibus verbis putamus hanc legem conceptam fuiſſe. Primum membrum refert Macrobius verbis ipſis Decemviralibus. Sic enim habet lib. I. cap. IIII. *Decemviri inuſitatiſſime in* XII. *Tabulis* NOX *pro* NOCTU *dixerunt*: SI. NOX. FURTUM. FAXSIT. SI. IM. ALIQUIPS. OCCISIT. JURE. CÆSUS. ESTO. *In quibus verbis id etiam notandum eſt, quod ab eo quod eſt* IS, *non* EUM *caſu accuſativo, ſed* IM *dixerunt*. hæc Macrobius ad verbum ex Agellii lib. XI. cap. XVIII. in quo ita eſt: *Decemviri noſtri, qui poſt Reges exactos, leges, quibus populus Romanus uteretur, in* XII. *Tabulis ſcripſerunt, neque pari ſeveritate in puniendis omnium generum furibus, neque remiſſa nimis lenitate uſi ſunt. Nam furem, qui manifeſto furto prehenſus eſſet, tum demum occidi permiſerunt, ſi aut cum faceret furtum, nox eſſet, aut interdiu ſe telo cum prehenderetur, defenderet. Ex ceteris autem manifeſtis furibus liberos verberari, addicique juſſerunt ei, cui factum furtum eſſet. ſi modo id luci feciſſent, neque telo ſe defendiſſent. Servos item furti manifeſti deprehenſos verberibus affici, & e ſaxo præcipitari. Sed pueros impuberes Prætoris arbitratu verberari voluerunt, noxamque ab his factam ſarciri. Ea quoque furta, quæ per lancem liciumque concepta eſſent, perinde ac ſi manifeſta forent, vindicaverunt*. Cajus lib. VII. ad edictum provinciale: *Lex* XII. *Tab. furem noctu deprehenſum occidere permittit, ut tamen id ipſum cum clamore teſtificetur. interdiu autem deprehenſum ita permittit occidere, ſi is ſe telo defendat, ut tamen æque cum clamore teſtificetur*. MANIFESTUM FURTUM dici Maſſurius docet, quod deprehenditur dum fit. LOUCI ſcripſimus auctore Mario Victorino.

Sei. adorat. forto. quod. nec. manifeſtom. eſcit. Feſtus in *Nec*, adducit hoc fragmentum, in quo ADORAT poſitum eſſe ait pro AGIT. vide eundem Feſtum in *Adorare*. ESCIT pro ERIT poſitum eſt.

Aſt. ei. cuſtos. nec. eſcit. Feſtus citat hoc fragmentum in *Nec*. ſed quo pertineat, plane ignoro. niſi forte lex de addicto loquitur, quem jubet vinciri nervo, aut compedibus XV. pondo.

Quandoque. ſarpta. donec. dempta. eront. Feſtus: *Sarpiuntur*, inquit, *vineæ, id eſt, putantur, ut in* XII. QUANDOQUE SARPIA, &c.

Statolebetom. venom. darier. liceto. dum. nei. quid. aſvorſom. ejus. ſtatom. fuat. Modeſtinus Digeſt. lib. XL. tit. VIII. cap. XXV. *Statuliberos venundari poſſe leges* XII. *Tabul. putaverunt. duris autem conditionibus in venditione minime onerandi ſunt: veluti ne intra certa loca ſerviant, neve unquam manumittantur*. Ulpianus in epitoma cap. II. *Qui ſub conditione teſtamento liber eſſe juſſus eſt, ſtatuliber appellatur*, &c. *Sub hac conditione liber eſſe juſſus, ſi decem millia heredi dederit, etſi ab herede abalienatus ſit, emptori dando pecuniam ad libertatem perveniet. idque lex* XII. *Tab. jubet*. Vide Feſtum.

Nuncupata pequnia. Verba ſunt XII. Tab. ut apparet ex Varrone in lib. V. de ling. Lat. *Nuncupare, nominare valere, apparet, in legib. ubi* NUNCUPATÆ. PEQUNIÆ. *ſunt ſcriptæ*. Adjuvat hunc locum Feſtus explicatione, cum ſcribit: *Nuncupata pecunia eſt, ut ait Cincius in li.* II. *de officio jureconſulti, nominata, certa, nominibus propriis pronuntiata*.

DE JURE. PUBLICO.

Rem. ubei. pacont. oranto. nei. pacont. ante. medidiem. en. do. comitio. aut. en. do. foro. cauſam. coniciunto poſt. medidiem. præſeted. ambobos. leitem. adecito. ſol. occalos. ſoprema. tempeſtas. eſtod. Primum membrum hujus fragmenti exſtat apud ſcriptorem Rhetoricorum ad Herennium lib. II. in quo corrupte ORATIONI PAGUNT ſcriptum eſt, pro eo quod in manuſcriptis habetur, ORANTO. NI PAGUNT. Error unde fluxerit, apparet. Quinctilianus lib. I. cap. X. poſt particulam NEI, addit III. quod putamus adjectum: nam NI PAGUNT, diſerte legit Terentius Scaurus in libro de Orthographia, in quo profert hoc legis fragmentum. ORARE & ADORARE, pro

AGERE antiquos dixisse docet Festus in verbo *Orare*, adducto Ennii versu: *Tu face vero quod tecum precibus pater orat*. & XII. Tabularum: SEI. ADORAT. FURTO. id est, si agit furti. CONICIUNTO autem vera lectio est, sive ut est in vetustissimo libro, CONICIUNTOR. nam CONICERE CAUSAM pro agere positum ab antiquis docet Nonius in verbo *Conjicere*. Afranius: *Causam conjicere hodie hic apud te volo. ambon' adestis, profuturos arbitror*. MEDIDIEM quasi medium diem veteres dixisse pro MERIDIEM, tradit Velius Longus de Orthographia. PRÆSENTE autem pro PRÆSENTIBUS in usu antiquioribus fuisse ostendit Nonius, adducto testimonio Plauti ex Syris: *Quidam apud Forum præsente testibus mihi vendidit*. Accii ex Menalippo: *Est res aliqua, quæ præsente his prius mature institit*. Fenestellæ ex lib. II. Annalium: *Et quædam extra præsente suis, quædam absente projecissent*. PRÆSETED scriptura est columnæ Duilianæ. Secundum membrum, quod ab Agellio refertur, ita protulimus, ut a doctis viris legi animadvertimus. postremos tamen versus non eodem modo proferunt alii, quo habet Varro lib. V. & VI. de ling. Lati. nam SOLIS OCCASUS pro SOL. OCCASUS, in utroque loco retinet; eamque scripturam agnoscit Festus in *Supremum*, & Macrobius lib. I. cap. III. si modo verba non sunt mendosa. Varronis autem locus, ut vulgo legitur, mendosissimus est. *Suprema*, inquit, *summum diei. id a supremo, hoc tempus XII. Tabulæ dicunt occasum esse solis. sed postea lex Plætoria id quoque tempus jubet esse supremum, quo Prætor in Comitio supremam pronuntiavit populo*, &c. VOX PRÆTOR, mendum est nullo modo ferendum: non enim PRÆTOR, sed PRÆCO supremam populo pronuntiabat, ut docet Donatus interpres Terentianus cum inquit: *Sic judices de consilio dimittebant suprema dicta, cum præco pronuntiabat populo,* ILICET, *quod significat* IRE LICET. Quia vero Plætoriæ legis a Varrone facta est mentio, quam ego malo PRÆTORIAM, quia de jure Prætorum lata est, & PRÆTORIA est in veteribus libris, libet ejus verba subjicere, quæ a Censorino referuntur, quod ea SOL OCCASUS scripturam confirment, & hujus legis sententiam illustrent: Pr. urb. qui nunc. eit. queique. posthac. fuerit. duos. lictores. apud. se. habeto. usque. ad. supremam. ad. solem. occasum. jous. inter. ceiveis. deicito &c.

Asiduo. vindex. asiduos. esto. proletario. quoi. queivis. volet. vindex. estod. Ita in vetustissimo Agellii libro legitur hæc lex, cum in aliis sit PROLETARIO. CIVI. Manuscriptam autem lectionem confirmat constans librarii scriptura, qui paulo infra ita plane habet: *Petimus igitur, ne annalem nunc Q. Ennii, sed Duodecim Tabulas legi arbitrere, & quid sit in ea lege* PROLETARIUS, *si vis interpretere*. nam alii legunt CIVIS, pro SIVIS. Ad ea vero quæ de assiduo, & proletario ex Agellii lib. XVI. cap. X. collecta sunt a doctis viris, addendus est Varronis locus ex libro de vita pop. Romani: *Quibus erat pecuniæ satis, assiduos: contrarios proletarios. assiduo nemine vindicem nisi assiduum esse voluerunt*. sed locus apud Nonium, ut vulgo legitur, est mendosus.

Quei. se. sejerit. testarier. libripensve. fuerit. nei. testimoniom. fariator. improbos. intestabelisq. estod. Adducit hanc legem Agellius lib. XV. cap. XIII. sed ita in vulgatis editionibus depravatam, ut Decemviralis sententia vix in ea appareat. Liber vetustissimus ita plane habet, ut nos edidimus. De verbo autem TESTARI, quod commune esset, & utroque versum diceretur, docet Agellius in eo loco. Putamus autem hanc legem pertinere ad testes & libripendem, qui adhibebantur in

A mancipatione, sive imaginaria venditione, de qua infra habetur in alia lege. ut hujus fragmenti sententia sit: Qui se in testem vocari siverit, vel libripens tunc fuerit, cum mancipatio fiebat, nisi testimonium fari velit, hoc est, rogatus de testimonio, ejus fidem approbare, improbus, &c. INTESTABILIS eodem significatu dixit Plautus in Milite glorioso: *Quid si id non faxit? P. Ut vivam semper intestabilis*. Huic verbo opponitur TESTABILIS. quod est in Horatia lege, de qua infra. Justin. lib. II. Institutionum, tit. X. *Testes autem adhiberi possunt ii, cum quibus testamenti factio est. sed neque mulier, neque impubes, neque servus, neque furiosus, neque mutus,*
B *neque surdus neque is, cui bonis interdictum est neque ii, quos leges jubent improbos, intestabilesque esse, possunt in numerum testium adhiberi*.

Sei. patronos. clientei. fraudem. faxsit. patronos. clientis. deiveis. sacer. estod. Servius in Virgiliani versus explicatione, qui est in lib. VI. Æneid. *Aut fraus innexa clienti. Ex lege*, inquit, XII. *Tabular. venit, in quibus scriptum est*: SI. PATRONUS. CLIENTI. FRAUDEM. FECERIT, &c. Legem in hæc verba, aut his similia conceptam fuisse putamus.

C Nexso. solutoque. forctei. sanateique. eilem. jous. estod. Lex Duodecim Tabular. de Forctibus & Sanatib. ex Festi reliquiis in hæc verba concepta fuisse apparet. alibi tamen idem Festus dicit in XII. cautum, ut idem jus esset Forctibus, quod & Sanatib. id est, bonis, & qui nunquam a populo Romano defecissent. sed cum varias ibi refert de hac lege Scriptor. opiniones, videtur Valerii Messalæ potius, quam aliorum sententiam probare, qui in eo libro, quem de involute dictis inscripsit, Forctis & Sanatis duas gentes finitimas esse ait, de quibus hanc legem scriptam esse, ut idem jus haberent,
D quod populus Rom. Forctis autem Sanatis significare, Sanatos insanos. hæc in illius fragmenti reliquiis videre, vel potius divinare potuimus.

Pequniam. quei. nancitor. habeto. seiquid. pigneris. nancitor. sibei. habeto. Festus in *Nancitor* docet Decemviros ea voce usos esse: significare autem *nactus erit*. item in fœdere Latino exstare ejus verbi exemplum, ut fortasse alterum membrum e fœdere Latino, alterum e XII. Tabulis depromptum sit. Alii putant totum hoc fragmentum esse e XII. Tabu. sumptum, ut verba etiam illa
E apud Festum IN. FOEDERE. LATINO, Decemvirorum esse affirment. quod mihi non probant.

Sei. quis. occentasit. casmenve. conduit. quod. alterei. flacitiom. faxsit. kapital. estod. Exstat hoc fragmentum apud Ciceronem in lib. IV. de Repub. *Nostræ*, inquit, *contra* XII. *Tabulæ cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt: Si quis occentavisset, sive carmen condidisset, quod infamiam faceret, flagitiumve alteri*, &c. Nos hanc legem his prope verbis, quibus protulimus, conceptam fuisse existimamus. nam vox INFAMIAM, glossema est verbi FLACI-
F TIOM. Verbum autem CONDUIT, quo veteres utebantur pro CONDIDERIT, retinuimus, quia illud Cicero lib. IV. Tuscul. in hac eadem lege recitanda iterum agnoscit, cum inquit: *Id etiam* XII. *Tabulæ declarant condi jam tum solitum esse carmen, quod ne liceret fieri ad alterius injuriam, lege sanxerunt*. Hujus autem legis meminit Arnobius lib. IV. OCCENTASIT quid sit explicat Festus, qui nostram scripturam plane confirmat. CASMEN autem scripsimus, quod CASMENAS pro CAMENAS antiqui dicebant ex CARMENAS, unde CARMEN dictum ait Varro lib. VI. de ling. Lat.

Quei. malom. casmen. excantasit. Plinius lib. XXVIII. cap. II. adducit hoc fragmentum, in quo CASMEN item pro CARMEN scripsimus ex antiquo consuetudine.

Quei. alienas. fruces. excantasit. Hoc quoque a Plinio refertur fragmentum in eodem libro, eodemque capite. Seneca lib. IV. Nat. quæst. *Apud nos*, inquit, *in* XII. *Tabulis cavetur, ne quis alienos fructus excantassit. Rudis antiquitas credebat & attrahi imbres cantibus & repelli.* Sed germana XII. Tabul. verba sunt ea, quæ a Plinio referuntur. nam FRUCTUS glossema est verbi FRUCES. Verbum ALIENAS, Plinius non habet, quod nos ex Seneca supplevimus & ex sequenti fragmento.

Nei. ve. alienam. segetem. pelexeris. Servius in expositione versus, qui est in Ecloga VIII. *Atque satas alio vidi traducere messes*, adducit hanc legem. de verbo autem PELLICERE, videndus Velius Longus de orthographia. Apulejus in apolog. I. *Magia ista, quantum ego audio, res est legibus delegata: jam inde antiquitus* XII. *Tabulis propter incredundas frugum illecebras interdicta*. Augusti. lib. VIII. de Civit. Dei: *Eo quod hac pestifera scelerataque doctrina fructus alieni in alias terras transferri perhibentur, non ne in* XII. *Tab. id est, Romanor. antiquissimis legibus Cicero commemorat esse conscriptum, & ei qui hoc fecisset supplicium constitutum?*

Quei. perduelem. concitasit. queive. ceivem. perduelei. transduit. kapital. estod. Marcianus ad legem Juliam Majestatis citat hoc fragmentum. TRANSDUIT scripsimus pro TRADUIT, quod est TRADIDERIT, quia ita docet Velius Longus antiquos usos esse præpositione TRANS: unde TRANSQUE DATO est in XII. apud Festum.

Preivilegia. nei. irroganto. nei. ve. de. kapite ceivis. nisei. maxsumo. comitiatuu. ferunto. Cicero lib. III. de legib. *Jam leges præclarissimæ de* XII. *Tab. translatæ duæ, quarum altera privilegia tollit; altera de capite civis rogari nisi maximo comitiatu vetat*, &c. *in privatos homines leges ferri noluerunt: id est enim privilegium*. & in oratione pro domo: *Vetant leges Sacratæ, vetant* XII. *Tabulæ leges privatis hominibus irrogari: id est enim privilegium*: & pro Sextio: *Cur cum de capite civis, non disputo cujusmodi civis, & bonis proscripti ferretur? cum & Sacratis legibus &* XII. *Tabulis sancitum esset, ut neque privilegium irrogari liceret, neque de capite civis nisi comitiis centuriatis rogari*, &c. Agellius lib. X. cap. XX. *Non sunt enim generalia jussa, neque de universis civibus, sed de singulis concepta: quocirca privilegia potius vocari debent; quia veteres priva dixerunt, quæ nos singula diximus*.

Patrebos. cum. plebed conubia. nei. sunto. Livius libro IV. *Hoc ipsum ne connubium patribus cum plebe esset, non Decemviri tulerunt paucis bis annis pessimo exemplo publico, cum summa injuria plebis?* Dionysius lib. X. scribit hanc legem in duas postremas tabulas a Decemviris conjectas fuisse.

Jousus. poplei. sofraciaq. sunto. quodcuomque. postremom. poplos. jousit. id. jous. ratomque. estod. Livius lib. VII. *In secundo interregno orta contentio est, quod duo patricii Consules creabantur; intercedentibusque Tribunis plebis interrex Fabius ajebat, in* XII. *Tabulis legem esse, ut quodcumque postremum populus jussisset, id jus, ratumque esset: jussum populi, & suffragia esse*. Similis formula reperitur in epistola Cælii ad Ciceronem lib. VIII. Quod. eorum. judicum. major. pars. judicarit. id. jus. ratumque. esto. Erat id ejus legis unum & centesimum caput.

Quei. joudex. queive. arbiter. joure. datos. ob. rem. joudicandam. pequniam. ceper. kapital. estod. Agellius lib. XX. cap. I. *Dure autem scriptum esse in istis legibus quid existimari potest? nisi duram esse legem putas, quæ judicem, arbitrumve jure datum, qui ob rem judicandam pecuniam accepisse convictus est, capite punit*.

Quei. falsom. testumoniom. dixserit. ex. saxo. deicitor. Agellius lib. XX. cap. I. *An putas, Phavorine, si non illa etiam e* XII. *Tabulis de testimoniis falsis pœna abolevisset, etsi nunc quoque ut antea, qui falsum testimonium dixisse convictus esset, e saxo Tarpejo dejiceretur, mentituros fuisse pro testimonio tam multos*, &c.

Quei. adorat. lece. sei. pluus. petet. quam. jous. siet. causa. cadito. Cicero lib. I. de Oratore: *Atqui non defuit illis patronis, inquit Crassus, eloquentia, neque dicendi ratio, aut copia, sed juris civilis prudentia; quod alter plus, lege agendo, petebat, quam quantum lex duodecim Tabularum permiserat; quod cum impetravisset, causa caderet: alter iniquum putabat, plus secum agi quam quod esset in actione, neque intelligebat, si ita esset actum, litem adversarium perditurum*.

Jouris. jourandi. ad. strincendam. fidem. maxsuma. vis. estod. Cicero lib. III. Offic. *Nullum enim vinculum ad stringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt. id indicant leges* XII. *Tabular.* Vide Agellium lib. VII. cap. XVIII.

Quei. calim. en. do. urbe. nox. coit. coiverit. kapital. estod. Porcius Latro in Catilinam: *Primum*, inquit, XII. *Tabulis cautum esse cognoscimus, ne quis in urbe cœtus nocturnos agitaret: deinde lege Gabinia promulgatum, qui coitiones ullas clandestinas in Urbe conflavisset, more majorum capitali supplicio multaretur. De te itaque, Catilina, sciscitor, tu ne cœtus istos commilitonum tuorum contra præcepta* XII. *Tab. contra leges nostras, contra vero Senatus, ac plebis auctoritatem, nocte cogendos esse putavisti?* CALIM pro CLAM.

Unciasio. fœnose. neiquis. pluus. exsercetod. seiquis. aliuta. faxsit. quadruplione. pœnam. luitod. Tacitus lib. IV. *Sane vetus*, &c. *nam primo* XII. *Tabulis sanctum, ne quis unciario fœnore amplius exerceret*, &c. Cato de re rustica: *Majores nostri sic habuerunt, & ita in legibus posiverunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli*. Vide Livium lib. VIII. Ex his locis hanc legem concinnavimus.

Sei. quis. ex. leibertared. in. du. servitutem. aseritor. Prætor. secundum. leibertatem. vindicias. datod. quei vindicias. tollit. sponsores. joudicio. sistier. datod. Dionysius & Livius hujus legis meminerunt. Terentius: *Hunc hominem ego liberum esse assero: postulo ut mihi des vindicias secundum libertatem*. Livius lib. III. *Appius Marco clienti negotium dedit, ut virginem in servitutem assereret, neque cederet secundum libertatem postulantibus vindicias*. & paulo post: *Postulat a Decemviro, ut lege ab ipso lata vindicias det secundum libertatem*. & post: *Cum instaret assertor puellæ, ut vindicaret, sponsoresque daret, manus tollere multitudo, & se quisque paratum ad spondendum illico ostendere*.

Ambitos. parietis. sestertios. pes. estod. Varro libro IV. de ling. Lat. *Nam ambitus circumitus, ab eoque* XII. *Tabularum interpretes, ambitum parietis circumitum esse describunt*. Volusius Metianus: *Lex.* XII. *Tab. argumento est, in qua duo pedes & semis, sestertius pes vocatur*. Festus in *Ambitus*.

DE

DE JURE SACRORUM.

Præco. fonus. endeicito. dominos. foneris. en. ludeis. accenso. lictorebosque. œtitor. en. do. ponere. tribos. reciniei̇s. rica porporea. decem. que. tibicinebos. œtier. liceto. hoc. pluus. nei. facito. Primum membrum hujus legis, & quæ sequuntur, ex Cicerone concinnavimus, qui in libro secundo de legib. ita scribit: *Hæc habemus in Duodecim. Sane secundum naturam, quæ norma legis est; reliqua sunt in more, funus ut indicatur. Si quid ludorum, dominus funeris utator accenso, atque lictorib.* Ita enim interpungimus, ut intelligamus hæc quidem ex more esse in XII. relata. Formula indicendi funeris, quæ ex hac lege ducta est, habetur apud Festum & Varronem. Festi verba sunt hæc: *Nunc & Sabini & Romani populi singulare usurpatur nomen, ut indicio est præco, qui in funeribus indictivis ita pronuntiare solet*: OLLUS. QUIRIS. LETO. DATUS. EST. Varronis hæc ex lib.VI. de ling. Lat. *in funeribus indictivis quando dicitur* OLLUS. LETO. DATUS, EST. In quibus verbis deest VOX QUIRIS, ut apparet ex Festo, legendumque OLLUS. QUIRIS. LETO. DATUS. EST. De ludis Funebrib. Livius lib.XXIII. *M. Æmilio Lepido filii ludos funebres per triduum, & gladiatorum paria duo & viginti in Foro dedere.* Libro XXXI. *Ludi funebres eo anno per quatriduum in Foro, mortis M. Valerii Lævini causa a filiis facti, & munus gladiatorium datum.* Donatus in Adelph. *Designatores dicti, qui ludis funebrib. præsunt.* Quod autem lex permittit, si quid ludorum funeris dominos lictoribus uti, non est cur docti viri de mendo suspicentur. nam Horatii versus in epistola VIII. lib.I. satis aperte ostendit Designatores in funebribus ludis usos fuisse lictoribus:

Quam mihi das ægro, dabis ægrotare timenti,
Mæcenas, veniam, dum ficus prima, calorque
Designatorem decorat lictoribus atris.

Cicero ibidem: *Extenuato igitur sumptu tribus riciniis, vinculis purpuræ & decem tibicinibus*, &c. De RICINIIS ita Festus: *Ricinium omne vestimentum quadratum. ii, qui XII. interpretati sunt, esse dixerunt virilem togam, qua mulieres utebantur, prætextam clavo purpureo*, &c. Varro lib.I. de vita populi Romani apud Nonium: *Mulieres in adversis rebus ac luctibus cum omnem vestitum delicatiorem ac luxuriosum postea institutum ponunt, ricinia sumunt.* Videndus de RICINIIS Isidorus lib.XIX. cap.XXV. Cicero paulo post: *Nunc de tribus riciniis, & pleraque illa Solonis sunt.* Plutarchus in Solone: Οὐ δὲ συντιθέναι πλέον ἱματίων τριῶν. RICA. PORPOREA scripsimus ex corrupto verbo antiquæ lectionis. sic enim plane habet manuscriptus liber VINCLA PURPUREA. De Rica videndus Festus: *Rica, inquit, est vestimentum quadratum, fimbriatum, purpureum*, &c. Florus lib.XLVIII. *M. Æmilius Lepidus antequam expiraret præcepit filiis lecto se strato sine linteis, sine purpura efferrent.* Livius libro XXXIV. *Prætextis*, &c. *nec id vivi solum habeant factum insigne, sed etiam ut cum ea crementur mortui* &c. Virgilius lib.VI.

Purpureasque super vestes velamina nota
Conjiciunt.

Cum autem rica, sive prætexta purpurea mortuus efferri solitus esset, pulla nulli alii licebat uti, quam ei, qui funus faciebat, ut ait Festus. DE DECEM TIBICINIBUS, sive ut nos putamus scribendum SITICINIBUS, ita Ovidius lib.VI. Fastor.

Adde quod Ædilis pompa qui funeris irent,
Artifices solos jusserat esse decem.

A Siticines, ut docet Nonius, dicebantur, quod apud sitos canere soliti essent, hoc est, vita functos. A. gellius confirmat eam lectionem lib. II. cap. II. in quo dicit SITICINES proprium genus tubæ, qua canerent habuisse, a ceterorum tubicinum proprietate differentes. Persius Satyra III.

Hinc tuba, candelæ, tandemque beatulus alto
Compositus lecto.

Servius in lib.V. Æneidos: *Sciendum majoris ætatis funera ad tubam solere proferri, minoris vero ad tibias.* Vide Festum in *Funebres tibiæ*. Cicero ibidem: B *Jam cetera in XII. minuendi sumptus lamentationesque funeris, translata de Solonis fere legibus: hoc plus ne facito.*

Servilis.unctura.circompotatioque.quom. fonus. exsequiantor. vinei. ve. resperfio. nei. fuat. aceras. sepolcreis. aut. longas. koronas. nei. en. do. ponito. Cicero in II. de legib. *Uti servilis unctura tollatur, omnisque circumpotatio: quæ & recte tolluntur, neque tollerentur, nisi fuissent. Ne sumptuosa respersio, ne longæ coronæ, nec acerræ*, &c. SERVILIS UNCTURA quæ dicatur a Decemviris, notum, ut opinor, nempe pollinctorum fa- C milia. Plautus in prologo Penuli: *Quia pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.* Digest. lib. XIV. tit. III. *Si Libitinarius servum pollinctorem habuerit, isque mortuum spoliaverit.* Statius lib.V. Sil.I.

—— sed nec servilis adempto
Ignis odoriferos exhausit flamma Sabæos.

Tibullus lib.I. eleg.III.

Non soror Assyrios cineri quæ dedat odores.

Martialis lib.X. epig.XCVII.

Dum levis arsura struitur Libitina papyro,
D *Dum myrrham & casiam flebilis uxor emit,*
Jam scrobe, jam lectos, jam pollinctore parato.

Juvenalis Satyr.IV.

Et matutino sudans Crispinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera.

Plinius epist.V. Marcellino. *Quod in vestes, margaritas, gemmas fuerat erogaturus, hoc in thura & unguenta & odores impenderetur.* Apulejus apol. I. *Si thus, casiam, & myrrham, ceterosque idgenus odores funeri tantum emptos.* CIRCOMPOTATIOQUE. Nonius: *Silicernium est proprie convivium funebre*, &c. *Varro Meleagris: Funus exsequiati laute adse-* E *pulchrum antiquo more silicernium confecimus.* Virg. lib.III.

Sollemnes tum forte dapes, & tristia dona. & lib.VI.
Jamque dies epulata novem, &c. Servius: *Epulæ in parentalib. superpositæ silicernium dicuntur, quasi silicenium super silicem positum.* Porphyrio Horatii interpres in Epod.XVII. ode: *Novendiale dicitur sacrificium, quod mortuo fit nona die, quam sepultus est.* Liv. lib.XXXIX. cap.I. *Servilis funeris causa, visceratione data, & ludi funebres per triduum facti, post ludos epulum, in quo cum toto Foro strata tri-* F *clinia essent.* RESPERSIO ad Numæ legem refertur, quæ vetabat vino rogum spargi. unde hoc ipsum vinum RESPERSUM dicebatur, ut docet Festus, cum inquit: *Respersum vinum significat apud antiquos, quia in sacris Novendialibus vino mortui sepulchrum spargebatur.* LONGÆ. KORONÆ. propter eas fortasse coronas, quibus sepulchra coronabantur. Plutarchus in Timoleonte scribit apii coronas sepulchris imponi solitas. Plin. lib.XXI. cap.III. *Etiam tunc coronæ deorum honos erant, & Larium publicorum, privatorumque, ac sepulchrorum, & Manium.* Minucius Felix in Octavio: *Reservatis unguenta funeribus: co-*

ronas etiam ſepulcris denegatis. DE ACERRA Feſtus ita: *Acerra, ara quæ ante mortuum poni ſolebat, in qua odores incendebantur*.

Murinam. mortuo. nei. endito. Feſtus: *Murrata potione uſos antiquos indicio eſt, quod etiam nunc Ædiles per ſupplicationes diis addunt ad pulvinaria, & quod* XII. *Tabul. cavetur, ne mortuo indatur, ut ait Varro in antiquitatum libro primo*. Cicero lib. II. de Leg. *Uti ne reſperſio fieret, neve murrata potio mortuo inderetur, neve longæ coronæ, neve acerræ adhiberentur*.

Pluti.foneia.unei.nei.facito.nei.ve.pluſeis lectos.en.do ferto. Cicero lib. II. de Legib. *Credo, quod erat factitatum, ut uni plura fierent, lectique plures inferrentur*. Servius in lib. VI. Æn. *Ad funeris Marcelli honorem Auguſtus ſexcentos lectos intrare civitatem juſſit: hoc enim apud majores glorioſum fuerat. etiam dabatur pro qualitate fortinæ: nam Sulla ſex millia habuit*.

Neive. auſom. adduito. aſt. quoi. auſo. denteis. vinctei. ſient. im. cum. olo. ſepelire. urereve. ſe. fraude. licero. Cic. lib. II. de Legib. *Qua in lege cum eſſet*, NEIVE. AURUM. ADDITO. &c. *quam humane excipit altera lex*: AST. QUOI, &c. VOX AST, in vulgatis editionibus luxata eſt, & ſuo loco mota. AUSUM autem pro AURUM dicebant antiqui.

Homini. mortuo. oſa. nei. lecito. quo. poſt. fonus. faciat. exſtra. quam. ſeiquis. foris. meilitiæq. mortuos. ſiet Exſtat hæc lex apud Ciceron. in eod. lib. *Homini*, inquit, *mortuo ne oſſa legito, quo poſt funus faciat: excipit bellicam peregrinamque mortem*, &c. Feſtus: *Membrum abſcindi mortuo dicebatur, cum digitus ejus decidebatur, ad quod ſervatum juſta fierent, reliquo corpore combuſto*.

Hominem. mortuom. en. do. urbe. nei. ſepelito. nei. ve. urito Cicero ibid. *Hominem*, inquit, *mortuum lex in* XII. *in urbe*, &c. *credo vel propter ignis periculum*. quod autem addit, NEIVE. URITO. indicat non qui uratur ſepeliri, ſed qui humetur.

Rocom. aſcia. nei. polito. Cicero ibidem refert e XII. Tabulis hanc legem, quæ vetabat e politis aſcia lignis pyram confici, ne ſumptus ſupervacui fierent. hinc illa in veteribus monumentis inſcriptio: SUB. ASCIA. DEDICAVIT.

Rocom. buſtomve. novom. propius. ædeis. alienas. LX. pedeis. inveito. domino. nei. adicito. nei. ve. forom. ſepulcrei. buſtomve. œſocapito Cicero ibidem: *Duæ*, inquit, *ſunt præterea leges de ſepulcris, quarum altera privatorum ædificiis, altera ipſis ſepulcris cavet. nam quod rogum, buſtumve novum vetat propius ſexaginta pedes adjici ædes alienas invito domino, incendium veretur acerbum: quod autem forum, id eſt, veſtibulum ſepulcri, buſtumve uſucapi vetat, tuetur jus ſepulcrorum* &c. *Forum*, inquit Feſtus in epitoma, *antiqui appellabant, quod nunc veſtibulum ſepulcri dici ſolet*.

Quom. fonus. exfertor. nei. encomitiato. Marius Victorinus de Orthographia: FONUS, inquit, *pro* FUNUS *dicebant*, &c. ENCOMITIATO, ut opinor, eſt in COMITIUM ITO. Vide Varronem lib. V. de lingua Latina.

Molieres. faciem. nei. carpunto. neive. cenas. radunto. leſom. foneris. nec. habento. Hujus legis tria membra variis locis diſtracta ita fortaſſe conjungenda ſunt, ut nos concinnavimus. Primum membrum adducit Servius in explicatione verſus lib. XII. Æn. *Roſeas laniata genas. Tamen*, inquit, *ſciendum, cautum lege* XII. *Tabularum, ne mulieres carperent faciem, his verbis*: MULIER. FACIEM. NE. CARPITO. Secundum membrum refertur a Feſto, apud quem ita plane eſt in fragmentis: *Radere genas vetitum eſt in lege* XII. *Tabul. id eſt, unguibus ſcindere*. Plinius lib. XI. cap. XXXVII. *Infra oculos malæ homini tantum, quas priſci genas vocabant*, XII. *Tabularum interdicto radi a feminis eas vetantes*. Tertium membrum exſtat apud Ciceronem in lib. II. de Legibus: *Veteres*, inquit, *Duodecim Tabularum interpretes Sex. Ælius, L. Acilius non ſatis ſe intelligere dixerunt. Sed Acilius ſuſpicari veſtimenti aliquod genus funebris: Ælius leſſum quaſi lugubrem ejulationem, ut vox ipſa ſignificat. quod eo magis judico verum eſſe, quia lex Solonis id ipſum vetat*. Et lib. 2. Tuſcul. *Ejulatus in funere prohibitus per leges* XII. *Tabularum*. & paulo poſt: *Poſteaquam, ut ſcribit Phalereus, ſumptuoſa fieri funera & lamentabilia cœpiſſent, Solonis lege ſublata ſunt. quam legem eiſdem prope verbis noſtri Decemviri in decimam tabulam conjecerunt: nam de trib. riciniis, & pleraque illa, Solonis ſunt; de lamentis vero expreſſa verbis ſunt*: Mulieres. genas. ne. radunto. neve. leſſum. funeris. ergo. habento. De hac Solonis lege ita Plutarchus in ejus vita: Ἀμυχὰς δὲ κοπτομένων, καὶ τὸ θρηνεῖν πεποιημένα, καὶ τὸ κωκύειν ἄλλων ἐν ταφαῖς ἑτέρων ἀφεῖλεν, ἐναγίζειν δὲ βοῦν οὐκ εἴασεν, οὐδὲ συντιθέναι πλέον ἱματίων τριῶν. Sunt qui LESSUM mutandum putent in LAUSUM, quod apud Plautum ita eſſe in ſcriptis libris notarint: *Thetis quoque etiam lamentando lauſum fecit filio*. nos nihil mutamus, niſi quod vocem ERGO, inducendam cenſemus, quam adjectam eſſe apparet cum ex aliis locis, tum ex hoc in eodem libro: *Jam cetera in Duodecim minuendi ſumptus, lamentationeſque funeris, tranſlata de Solonis fere legibus ſunt*.

Honoratorum. virorum. laudes. en. do. contione. memorantor. eaſque. næniæ. ad. tibicinem. proſequantor. Cicero lib. III. de Legib. *Hæc habemus in* XII. *ſane ſecundum naturam, quæ norma legis eſt. Reliqua ſunt in more, funus ut indicatur*, &c. *honoratorum virorum laudes in contione memorantor, eaſque etiam cantus ad tibicinem proſequantor, cui nomen næniæ. quo vocabulo etiam a Graccho cantus lugubres nominantur*. Pro voce CANTUS, repoſuimus NÆNIÆ. nam ita Decemviros ſcripſiſſe apparet ex verbis quæ ſequuntur. De Nænia ita Feſtus: *Nænia eſt carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam. quod vocabulum Afranius in Materteris poſuit: Næniam autem inter exſequias cantitabant*. Cicero pro Milone: *Ut ſine imaginibus, ſine cantu, ſine ludis, ſine exequiis, ſine lamentis, ſine laudationibus, ſine funere*. &c. SITICINEM pro TIBICINEM hic quoque fortaſſe ſcribendum eſt.

Quei. coronam. paret. ipſus? pecuniæve. ejus. virtutiſve. diditor. ipſeique. mortuo. parentalebos. ejus. quom. entus. poſitos. eſt. quomque. foris. exfertor. impoſita. ſe. fraude. eſtod. Exſtant hujus legis reliquiæ apud Plinium lib. XXI. cap. III. & Ciceronem lib. II. de Legibus, ſed luxatæ nimis, & mendis fœdiſſimis depravatæ: quæ dum tollere conantur docti viri, neſcio an magis verba legis corruperunt. Nos omiſſis conjecturis, quomodo in veteribus libris invenimus, ita plane proferemus. Plinius in vulgatis editionibus ſic habet: *Semper auctoritas* (loquitur de coronis) *vel ludicro quæſitarum fuit. namque ad certamina in Circum per ludos & ipſi deſcendebant, & ſervos ſuos, equoſque mittebant. Inde illa* XII. *Tab. lex*: qui. coronam. parit. ipſe. pequniæve. ejus. virtutis. ergo. arguitur. *quam ſervi equique meruiſſent, pecunia partam lege dici nemo dubitavit*.

Quis ergo honos? ut. ipsi. mortuo. parentibusque. ejus. dum. intus. positus. esset. forisve ferretur. sine. fraude. esset. imposita. In his verbis, non unum, aut alterum, sed plura insunt menda. nam pro verbo ARGUITUR, quod alii in ARDUITOR mutarunt, liber manuscriptus habet DIDITUR, licet in alio sit DIVIDITUR, quod ab imperito aliquo suppositum est, cui esset ignota significatio verbi DIDITUR. Vocis item ERGO, nulla in eodem libro exstant vestigia, ut eam Decemviralem non esse plane credendum sit. PRO PARENTIBUS autem PARENTALIBUS scripsimus, ducti conjectura, quam veram existimamus. Quid enim magis absurdum, si receptam lectionem retineamus, vel magis quod sit contra jus naturæ, potuit a Decemviris excogitari, quam parentes liberis suis superstites ominari? deinde PARENTIBUS numero multitudinis quid magis ineptum? ut fortasse minus turpiter erratum sit ab iis, qui apud Ciceronem PARENTI reposuerunt. Parentalia apud antiquos quæ fuerint notum est. Donatus in Terent. *In nuptiis*, inquit, *septimus dies instaurationem voti habet, ut in funere nonus dies, quo Parentalia concluduntur*. Servius in lib. V. Æn. *Sane sciendum, quod apud majores, ubi quis fuisset extinctus, ad domum suam referebatur. Unde est: Sedibus hunc refer ante suis. & illic septem erat diebus, octavo incendebatur, nono sepeliebatur. Unde Horat. Novendiales dissipare pulveres. Jure etiam ludi, qui in honorem mortuorum celebrantur, Novendiales dicuntur*, &c. in lib. VI. *Unde servabantur cadavera octo diebus, & calida abluebantur, & post ultimam conclamationem comburebantur*. Terent. in Eunuc. *Desine: jam conclamatum est*, &c. Lex igitur XII. Tabularum ei qui coronam ludis adeptus esset, prætor eos honores, qui tribuuntur viventi, cum ejus nomen publice peractis ludis a præcone omnibus audientibus pronuntiatur, sive is equo sive quadrigis victoriam adeptus esset (id enim est IPSUS. PEQUNIÆVE. EJUS. VIRTUTISVE. DIDITOR, ut apud Græcos ἵππῳ τεθρίππῳve addebatur) hoc etiam tribuit, ut eidem mortuo virtute parta corona sine fraude imponatur non illis septem tantum diebus, quibus intus, id est, domi, positus esset, sed eo etiam die, quo foris efferretur cum pompa & ornatu in Forum ad Rostra, ut testatur Polybius lib. VI. & Apulejus de Asino, cum ait: *Processerat mortuus, rituq. patrio*, &c. *pompa funeris publici ductabatur per forum*, &c. Morem autem mortuos coronandi indicat Tertullianus in Apologetico cap. XLII. & Minucius Felix in Octavio, cujus verba sunt hæc: *Nec mortuos coronamus. ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi, aut sentienti facem, aut non sentienti coronam, cum & beatus non egeat, & miser non gaudeat floribus*, &c. Sed jam Ciceronis verba, quæ supra indicavimus, referamus. sunt autem hæc: *Illa jam significatio est, laudis ornamenta ad mortuos pertinere, quod coronam virtute partam, & ei qui peperisset, & ejus parenti sine fraude esse lex impositam jubet*. Nemo non videt hujus sententiæ absurditatem, si ita legatur. sed legendum: *Quod coronam virtute partam ei qui peperisset, ejus parentalibus sine fraude*. &c. Error fluxit ex voce PARENTALIBUS, quam faciliore lapsu primum in PARENTIBUS librarius mutavit; deinde alius, cui inepta prorsus illa vox videretur, in PARENTI rursus mutandam existimavit.

Transque. dato. endoque. plorato. Festus: Subvos. placo. *in precibus fere cum dicitur, significat id quod supplico, ut in legibus*: TRANSQUEDATO. &c. ENDOPLORATO igitur est IMPLORATO. at TRANSQUEDATO significat TRADITO, quo modo Accius loquutus est apud Nonium: *Remisque nixi propter navem in fugam transdunt*. Videndus Ve-

A lius Longus de Orthographia in præpositione TRANS, qua ita usos fuisse docet antiquos; unde TRANSDITO est in lege Judiciaria. Verba autem hæc XII. Tab. separatim sunt legenda, ut apparet ex Festo.

Hæc ad leges XII. Tabul. quarum vel integra verba referuntur a scriptoribus, vel ita leviter immutata, ut qualia fuerint intelligi potuerit. alias leges, quarum sententia tantum adducitur, verborum, quibus concepta fuit, nullum remansit vestigium, omisimus: cujusmodi sunt hæc, quæ exempli gratia protulimus, in quibus ipsa Decemvirorum verba pæne obliterata sunt. Cicero lib. III. de legib. *Nam mihi quidem* (loquitur de Tribunicia potestate) B *pestifera videtur, quippe quæ in seditione, & ad seditionem nata sit. cujus quidem ortum si recordari volumus, inter arma civium, & occupatis & obsessis Urbis locis, procreatam videmus. deinde cum esset cito legatus tanquam ex* XII. *Tabulis insignis ad deformitatem puer, brevi tempore creatus, multo quoque tetrior & fœdior natus est*.

M. Varro lib. VI. de ling. Lat. *Amfractum est ab origine duplici, dictum ab ambitu, & frangendo. ab eo leges jubent viam in directo pedum octo esse; in amfractu sexdecim, id est, in flexu*. & Cajus in leg. VIII. de servitut. rustic. præd. *Viæ*, inquit, *lati-* C *tudo ex lege* XII. *Tabularum, in porrectum octo pedes habet; in amfractum, id est, ubi flexum est, sexdecim*.

Agellius lib. III. cap. XVI. *Præterea ego de partu humano, præterquam quæ scripta in libris legi, hoc quoque venisse usu Romæ comperi: feminam bonis atque honestis moribus, non ambigua pudicitia in* XI. *mense post mariti mortem peperisse: factumque esse negotium propter rationem temporis, quasi marito mortuo, postea concepisset: quoniam Decemviri in decem mensibus gigni hominem, non in undecimo scripsissent*.

Digest. lib. XLIII. de arboribus cædendis. tit. XXVI. l. I. Ulp. *Ait Prætor: Quæ arbor ex agro tuo* D *in agrum illius impendet, si per te stat, quominus pedes* XII. *a terra eam altius coerceas; tunc quominus illi ita coercere, lignaque sibi habere liceat, vim fieri veto. Quod ait Prætor, & lex* XII. *Tabularum efficere voluit, ut* XV. *pedes altius rami arboris circumcædantur. & hoc idcirco effectum est, ne umbra arboris vicino prædio noceret*. Pomponius ibidem: *Si arbor ex vicini fundo vento inclinata in tuum fundum sit, ex lege* XII. *Tabul. de adimenda ea recte agere potes, jus ei non esse ita arborem habere*, &c.

Macrobius lib. I. cap. XIII. *Tuditanus refert lib.* E III. *magistratuum, Decemviros qui decem tabulis duas addiderunt, de intercalando populum rogasse*, &c.

AD. LEGEM. SIVE. PLEBISCITUM.

SILIANUM.

Quod. P. &. M. Sili. tribb. pl. dess. Plebem. joure. rogaront. plebesque. joure. scivit. .....ex ponderibos. popliceis. quibos. hac. tempestate. popolos. œtier. solet. utei. coæquetor. se. dolo. m. utei. quadrantal. F vinei. octoginta. pondo. siet. concios. vinei. decem. p. siet. sex. sextari. concios. siet. vinei. duodequinquaginta. sextari. quadrantal. siet. vinei. sextarios. æquos. æquo. cum. vinario. siet. sexdecimq. libræ. in. modio. sient. sei. quis. macestratos. asvorsom. hæc. d. m. pondera. modiosq. vasaq. poplica. modica. minosa. majosave. faxsit. jousitve. fieri. dolomve. adduit. quo. ea. fuant. im. quis. volet. macestratos. multare. utei. dum.

minose. parte. familias. taxat. liceto. seive. quis. im. sacrom. joudicare. volet. liceto. Festus : *Publica pondera , quibus pop. Rom. uti solet , ex ea causa Junius in . . . dicta sic ait , quod duo Silii P. & M. plebem rogarint his verbis* : EX. PONDERIBUS , &c. In hac lege , sive plebiscito cum archetypum Festi exemplar habeat SEXTARIUS. ÆQUOS. ATQ. CUM. LIBRARIO. SIET. nos fecimus SEXTARIOS. ÆQUOS. ÆQUO. CUM. VINARIO. SIET. nec putamus ejus lectionis , quæ se ipsam satis probat , a nobis rationem reddendam esse . Præterea cum in eodem exemplari scriptum sit : MINORE. PATRI. FAMILIAS , correximus MINOSE. PARTI. FAMILIAS. cujus correctionis auctorem habemus M. Catonem in oratione pro Rhodiensib. apud Agellium lib. VIII. cap. II. in qua est : *Si quis illud facere voluerit , dimidium familiæ multa esto* . & Festum in *Sacratæ leges* , cum inquit : *Sacer alicui deorum sit cum familia* . Error inde fluxit , quod antiqui PARTI dicebant pro PARTE , ut est in ænea tabella , DE. MAJORE. PARTI. CONSILI. unde facta litterarum transpositio , & PATRI , pro PARTI scriptum fuit . VOLET secundo loco , pro eo quod est in exemplari VOLUERIT , scripsimus ex auctoritate legum in tabellis.

AD LEGEM PAPIRIAM.

QUEI. quomque. Prætor. posthac. factus. erit. quei. inter. civeis. jous. dicet. tresviro . capitaleis. popolom. rogato. ieique. trevirei. capitales. queicomque. ex. hace. lege. facti. erunt. sacramenta. exsigunto. joudicantoque. eodemque. joure. sunto. utei. ex. legibus. plebeive. sciteis. exsigere. joudicareq. esseq. oportet. Festus : *Sacramentum* , inquit , *æs significat , quod pœnæ nomine penditur , sive eo quis interrogatur , sive contenditur . id in aliis rebus quinquaginta assium est : & in aliis rebus quingentorum inter eos , qui judicio inter se contenderent . qua de re lege L. Papirii Trib. plebis sanctum est his verbis* : QUICUMQUE. PRÆTOR. POST. HOC. FACTUS. ERIT. &c. In hac lege POSTHOC. mutavimus in POSTHAC. & verba quæ deerant , HIQUE. TRESVIRI .... QUICUMQUE .... CTI. ERUNT. SACRAMENTA. EX .... JOUDICANTOQ. supplevimus ex antiquis formulis , quæ habentur in æneis legum tabellis.

AD. LEGEM. PLÆTORIAM.

PRÆTOR. urb. nunc. est. queique. posthac. fuerit. duos. lictoreis. apud. se. habeto. usque. ad. supremam. ad. solem. occasum. jous. inter. ceiueis. deicito. Exstat hoc Plætoriæ legis fragmentum apud Censorinum in libro de die natali : Vide quæ notavimus ad legem XII. Tabular. Sol. occasos. suprema. tempestas. estod.

AD. LEGEM. MAMILIAM.

K. L. III. quæ colonia. hac. deducta. quodve. moinicipium. præfectura. forum. conciliabolum. constitutum. erit. quei. ager. intra. fineis. eorum. erit. quei. terminei. in eo. agro. statutei. erunt. quo. in. loco. terminus. non. extabit. in. eo. loco. is. quojus. is ager. erit. terminum. restituendum. coerato. utei. quod. recte. factum. esse. volet. idque. magistratus. quei. in. ea. colonia. moinicipio. præfectura. foro. conciliabolo. joure. deicundo. præerit. facito. utei. fiat

K. L. IV. quei. leimites. decumanei. hac. lege. deductei. erunt. quæ. fossæ. in. eo. agro. erunt. quei ager. hac. lege. datus. adsignatus. erit. nei. quis. eos. leimites. decumanos. nei. opsepito. neive. quid. in. ieis. immolitum. neive. quid. ibei. positum. habeto. neive. eos. arato. neive. eas. fossas. opturato. neive. quis. sepito. quo. minus. suo. itinere. aqua. ire. fluere. possit. seiquis. adversus. ea. quid. fecerit. in. res. singolas. quotiensquomque. fecerit. H. S. IIII. coloneis. moinicipibusque. ejus. in. quorum agro. id. factum. erit. dare. damnas. esto. pecuniæque. quei. volet. hac. lege. petitio. esto.

K. L. V. quei. hac. lege. coloniam. deduxserit. moinicipium. præfecturam. forom. conciliabolum. constituerit. in. eo. agro. quei. ager. intra. fineis. ejus. coloniæ. moinicipi. fori. conciliaboli. præfecturæ. erit. leimites. decumanei. utei. fiant. terminateiq statuantur. coerato. queiq. fineis. ita. statuerit. sei. fineis. eorum. sunt dum. nei. extra. agrum. colonicum. territoriumve. fineis. ducat. quei. que. terminei. hac. lege. statutei. neiquis. quem. eorum. eicito. neive. commoveto. sciens. D. M. sei. quis. adversus. ea. fecerit. is. in. terminos. singolos. quos. ejecerit. locove. moverit. sciens. D. M. H. S. XXV. in. poplicum. eorum. quorum. intra. fineis. is. ager. erit. dare. damnas. esto. deque. ea. re. coeratoris. quei. hac. lege. erit. jourisdictio. reciperatoromque. datio. addictio. esto quom. coerator. hac. lege. non. erit. tunc. queicomque. magistratus. in. ea. colonia. moinicipio. præfectura. foro. conciliabolo. joure. deicundo. præerit. ejus. magistratus. de. ea. re. jourisdictio. joudicisque. datio addictio. esto. inque. eam. rem. is. quei. hac. lege. joudicium. dederit. testibus. poplice. duntaxat. in. res. singolas. X. denontiandi. potestatem. facito. ita. utei. E. R. P. F. S. V. &c. sei. is. unde. ea. pequnia. petita. erit. condemnatus. erit. eam. pequniam. ab. eo. deve. boneis. ejus. primo. quoque. die. exsigito. ejusque. pequniæ. quod. receptum. erit. partem. dimidiam. ei. quojus. unius. opera. maxsume. is. condemnatus. erit. partem. dimidiam. in. poplicum. redigito. quo. ex loco. terminus. aberit. seiquis. in. eum. locum. terminum. restituere. volet. sine. fraude. sua. facere. liceto. neive. quid. quoi. is. ob. eam. rem. hac. lege. dare. damnas. esto. Hujus legis , quam nos putamus Mamiliam esse , tertium , quartum , & quintum caput (ita enim interpretamur notas illas K. L. III. K. L. IV. K. L. V. id est , Kaput legis tertium , &c.) descripsimus ex auctore libelli de limitib. agrorum. atque in tertio quidem capite

verba illa, quæ in vulgata editione sic habentur, UTQUE. RECTE. FACTUM. ESSE. VELIT. mutavimus in UTEI. QUOD. RECTE. FACTUM. ESSE. VOLET. ita enim est in tabula ænea legis Judiciariæ: IS. UTI. QUOD. RECTE. FACTUM. ESSE. VOLET. FACITO. In eodem capite STABIT., pro EXTABIT: & SS. AGER, id est, SUPRASCRIPTUS. AGER. pro IS. AGER, ut docti viri emendant, si legas, parum refert. In quarto capite cum scriptum esset: quei. leimites. decumanei. quei. hac. lege. deductei. erunt. quæcunque. fossæ. leimites. in. eo. agro. nos emendavimus, quei. leimites. decumanei. hac. lege. deductei. erunt. quæ. fossæ. in. eo. agro. deletis iis, quæ adjecta videbantur: nec dubium est quin ea emendatio vera sit. Verbum IMMOLITUM, quod docti viri mutarunt in INOLITUM, retinuimus: nec enim videmus cur mutandum sit, nisi forte quod sincerum est damus operam ut corrumpamus. Adjuvat antiquam lectionem Livius lib. XXXV. cujus verba sunt hæc: *Aquam publicam omnem, in privatum ædificium fluentem aut agrum, ademerunt: & quæ in loca publica inædificata immolitaque privati habebant, intra dies* XXX. *demoliti sunt*, &c. In his verbis nemo non videt verbum DEMOLITI oppositum esse verbo IMMOLITA: utrumque autem a molibus deductum esse docet Nonius in *Demoliri*. Pro POSITUM, ut habet recepta lectio, si OPSITUM ut docti viri emendant, legere mavis, nihil moramur. vide tamen nequid temere mutes. In quinto cap. existimavimus aliquando pro verbo TERMINATIQUE, legi debere TERMINEIQUE: sed incidimus postea in verbum simile in lege Quinctia apud Frontinum in lib. II. de aquæductibus; qui locus nos ab ea voce mutanda prorsus deterruit. Verba ejus legis sunt hæc: Seiquis. circa. rivos. specus. fornices. fistulas. tubulos. castella. aquarum. publicarum. quæ. ad. urbem. ducuntur. &. ducentur. terminatus. steterit. neque. quis. eo. loco. post. H. L. R. opponit. molit. opsepit. In fine hujus capitis pro eo quod erat in vulgatis editionibus, SINE. SUA. FRAUDE. LICET. FACERE, scripsimus sequuti formulam antiquarum legum, SE. FRAUDE. SUA. FACERE. LICETO, vel SINE. FRAUDE. SUA. &c. utroque enim modo in legum tabulis reperitur. Verbum DARE, quod deerat, ante vocem DAMNAS addidimus.

AD. LEGEM. AGRARIAM.

QUOS. agros. quæ. loca. quæve. ædificia. intra. fineis. .... dedero. adsignavero. in. ieis. agreis. jourisdictio. coercitioque. esto. coloniæ. illius. quojus. civibus. agrei. adsignabuntur. Exstat hoc Agrariæ legis fragmentum, sive formula quædam Agrariæ legis apud Hygenum in libro de limitibus constituendis.

AD. LEGEM. HORATIAM.

DE. TARRATIA. VIRGINE. VESTALI.

HUJUS antiquissimæ legis unicum tantum superest verbum, TESTABILIS, quod refert Agellius lib. VI. cap. VIII. in quo ita scriptum est: *Et Tarratiam quidem virginem Vestæ fuisse, lex Horatia testis est, quæ super ea ad populum lata: qua lege ei plurimi honores fiunt, inter quos jus quoque testimonii dicendi tribuitur*: TESTABILISQUE *una omnium feminarum ut sit, datur*. Id verbum est ipsius legis Horatiæ. Contrarium est in XII. Tabulis scriptum: IMPROBUS. INTESTABILISQUE. ESTO.

AD. LEGEM. QUINCTIAM.

A QUINCTIAM legem, cum sit inter leges Augustinianas multo emendatior relata, quam in aliis editionibus habeatur; non est cur eam de verbo ad verbum recitemus. quare pauca quædam notabimus, quæ aliter in ea apud nos leguntur. Ac primum omnium emendationem verborum, quæ sunt in principio hujus legis, TRIBUS. SERGIÆ. PRINCIPIUM. FUIT, quæ erant in aliis exemplaribus depravata, confirmabimus loco Livii quem ex lib. IX. descripsimus: *Papirius C. Junium Bubulcum Mag.* E. Q. *dixit: atque ei legem Curiatam de imperio ferenti*
B *triste omen diem diffidit, quo Sauciæ curiæ fuit principium, duabus insignis cladibus, captæ Urbis, & Caudinæ pacis, quod utroque anno ejusdem curiæ fuerat principium*, &c. Quemadmodum in centuriatis comitiis, centuria sorte ducebatur, & quæ prima exierat, prærogativa dicebatur; ita curiatis & tributis comitiis, tribus aut curia quæ prima sorte erat, principium esse dicebatur, ut apparet ex Livii loco. Verba PR. K. JULIAS, quæ pro vulgatis illis corruptissimis PO. RO. ET. JULIAS. reposita sunt, propius ad antiquam scripturam, & fortasse rectius mutarentur in PR. EID. JULIAS. Vocem ROMAM tribus
C locis, quod adjectam ad vocem URBEM amicus meus suspicabatur, delendam putabat, & verbum item CÆLARE: in lege tamen Agraria habetur: QUOD. EJUS. EXTRA. URBEM. ROMAM. EST. & in Judiciaria: QUEI. VE. IN. URBE. ROMA. PROPIUSVE. URBEM. ROMAM. Vidimus qui pro EXCORTICENTUR, scribendum putarent EXCODICENTUR, & pro POPULO DET legendum, POPULO. D. E. id est, DAMNAS. ESTO. nos nihil mutamus. Verbum tantum FLUI, mutandum putamus in FLUERE, & V. F. interpretamur UTENDA. FRUENDA, sive USUFRUCTUARIIS.

AD. LEGEM. LÆTORIAM.

D SUETONIUS in IV. Prætorem apud Priscianum. lib. VIII. hujus legis facit mentionem, cum scribit: *Lætoria, quæ vetat minorem an.* XXV. *stipulari*. Quod verbum Priscianus exponit ἐπερωτᾶσθαι. Eandem intellexit Cicero lib. III. Offic. cum inquit: *Et circumscriptio adolescentium lege Lætoria*. Opinor autem verba legis fuisse, MINOREM. ANNIS. XXV. STIPULARI. NE. LICETO. Alibi etiam Cicero hujus legis facit mentionem, & Lætoriam eam nominat.

AD. LEGEM. AGRARIAM.

E IN. ÆNEIS. FRAGMENTIS.

QUEI. ager. poplicus. populei. Romanei. in. terram. Italiam. P. Mucio. L. Calpurnio. coss. Hujus agri mentio est apud Cicer. libro I. Ad Attic. epist. XVIII. in qua ita scriptum est. *Liberabam agrum eum, qui P. Mucio, L. Calpurnio Coss. publicus fuisset*. TERRAM. ITALIAM, pro TERRA ITALIA, antiqua scribendi ratio in his legum tabulis frequens, cui similis illa, IN. AMICITIAM. PERMANSERUNT. item ious pro jus; ARBITRATUU, pro ARBITRATU, & similia. COMPASCUOS AGER qui dica-
F tur, docet scriptor de limitibus agrorum, cum inquit: *Ager compascuus dictus, qui a divisoribus agrorum relictus est ad pascendum communiter vicinis*, &c. & in tabella de controversiis inter Viturios & Genuates sic habetur: Quei. ager. compascuos. erit. in. eo. agro. quo. minus. pecuaascere. Genuates. Veituriosque. liceat. ita. utei. in. cetero. agro. Genuati. compascuo. neiquis. prohibeto. Cicero in Topicis: *Si compascuus ager est, jus est compascere*. Ex his locis satis patet, qui dicatur

ager compaſcuus. Pequniam. populo. ex. eid. marr. quæ. poſteaquam. vectigalia. conſiſtent. quæ. poſt. hanc. L. R. primum. conſtiterint. primæ. erunt. Vectigalia quando dicantur conſiſtere, ex loco quodam Varronis intelligitur in lib. I. de ling. Lat. qui cum in vulgatis editionibus non ſatis emendatus ſit, a nobis ita proferetur, ut legi debet: *Ab eo præco dicitur locare, quoadusque quod emitur, in aliquo conſiſtat*, &c. VOX PRETIUM, puto gloſſema eſſe, quod irrepſit in ſeriem in editis libris in quibus ſic eſt: *Ab eo præco dicitur locare, quoadusque id emitur, quoad in aliquo conſiſtit pretium*, &c. AGRUM. OCCUPATUM. HABETO. Opinor intelligi de agro, qui occupaticius dicitur a ſcriptoribus de limitibus agrorum, & Feſto in verbo *Occupatitius ager*, UTEI. QUEI. OPTUMA. LEGE. PRIVATUS. EST. In formula capiendæ Virginis Veſtalis apud Agellium ſic eſt: UTEI. QUOD. OPTUMA. LEGE. FUAT. Vide Feſtum in *Optuma lex*. SUPSICIVON. De ſubciſivis videndus ſcriptor de limitibus agrorum. PRÆDIA. SUSPIGNENT. Subſignabantur prædia arbitratu Præt. Urbani, ut in hac ipſa lege paulo poſt: Arb. Præt. quei. inter. ceives. tum. Rom. jous. dicer. ſatis. ſupſignata. Item apud Quæſtores, & Cenſores, ut docet Cicero pro Flacco: *Illud quæro, ſint ne iſta prædia cenſui cenſendo? habeant jus civile: ſint nec ne? ſint mancipi? ſubſignari apud ærarium, apud Cenſorem poſſint?* In lege parieti faciendo ſic eſt: Pequn. pars. dimidia. dabitur. ubei. prædia ſatis. ſupſignata. erunt. In Coloniis arbitratu Duumvirum, ut in eadem lege: qui. redemerit. prædes. dato. prædiaque. ſubſignato. duumvirum. arbitratu.

AD. LEGEM. JUDICIARIAM.

IN. ÆNEIS. FRAGMENTIS.

VERBA quæ in hujus legis principio manca ſunt. L. L. IV. PRIMIS, ex loco inferiori ita ſupplentur, ut integra lectio ſit: QUEI. TRIB. MIL. L. IV. PRIMIS. Sunt autem tranſlata ex lege Sempronia, quæ eſt apud Ciceronem in Cluentiana: Deque. ejus. capite. quærito quei. tribunus. militum. legionibus. quattuor. primis. quei ve. quæſtor. tribunus. plebis. &c. Quod autem paulo poſt inciſum eſt, TRIUMVIR. A. D. R. puto erratum eſſe fabrile, legendumque ut infra. III. VIR. A. D. A. id eſt, AGRIS. DANDIS. ADTRIBUENDIS. Verba quæ ſequuntur, TRIBUS. INTRO. VOCABUNTUR. disjunctim legenda eſſe docet interpunctionis nota, quæ in fragmento appoſita eſt. itaque apud Livium ſcribendum erit in lib. x. *Fabius nihil aliud precatus populum, quam ut priusquam intro vocarentur ad ſuffragium tribus*. &c. ut quæque intro vocata erat centuria. & ita apud ceteros ſcriptores. Apud. forum. palam. ubei. de. plano. recte legi. poſſitur. Hæc præponendarum legum conditio habetur apud Joſephum lib. XIX. Antiqu. ex ipſa Romana formula tranſlatis in Græcum verbis: ὅθεν ἐξ ἐπιπέδȣ καλῶς γνωσθῆναι δύναται. Eandem agnoſcit Auſonius. POSSITUR antique, ut POSSETUR. Quadrigarius Annal. libro I. *Cum non poſſetur decerni, utrius putaretur victoria eſſe*. Verba illa mutila ... NTIA. ITA. PRONONTIATO. FEC. ita ſuppleri poſſe arbitror, PR. DE. CONSILI. SENTENTIA. ITA. PRONONTIATO. FECISSE. VIDERI. Auctor ſupplementi Cicero pro Cæcina, & in Verrina III. & lib. II. de Finib. Idem Cicero in Bruto confirmat priorum verborum reſtitutionem, cum inquit: *Cum Conſules re audita amplius de conſilii ſententia pronuntiaviſſent*, &c. Quod autem in eodem hoc fragmento paulo poſt inciſum eſt, C. IN. MANU. PALAMDATO. A. puto ſignificari notam condemnandi, quæ erat C. littera, & abſolvendi, quæ A littera indicabatur. Aſconius in Divinatione: *In divinatione*, inquit, *& in aliis cauſis majoribus univerſi judices in ciſtam tabulas ſimul conjiciebant ſuas, easque inſculptas litteras habentes A. abſolutionis, C. condemnationis: cum de alicujus capite agebatur*, NL. *ampliationis: his enim literis ſignificabatur non liquere*. & in III. Ver. *Nam cum condemnandi nota eſſet C. littera, abſolvendi A. ampliandi ſignum* NL. *dabant, quo ſignificabatur non liquere*, &c. Quod ſequitur, QUO. SORTICULAS. CONIECIANT. declaratur loco inferiore, qui eſt in alio hujus legis fragmento: Prætor. ſorticolam. unam. buxeam. longam. digitos. IV. latam. &c. eamque. ſortem. ex. hace. lege. apertam. bracioque. aperto. literam. digiteis. opertam. palam &c. ad. ſitellam. ſorti. veniet. is. in. eam. ſitellam. manum. demittito. tam. devexam. populo. &c. Ex quibus verbis qualis fuerit ſorticula intelligi poteſt, & eadem item quomodo in ſitellam conjiceretur. Suetonius in Nerone, cap. XI. *At ſine mora nomen ſuum in albo profitentium citharœdorum juſſit adſcribi, ſorticulaque in urnam cum ceteris demiſſa, intravit ordine ſuo*. Cicero in oratione pro Cornelio apud Aſconium: *Dum ſitella defertur*. Plautus in Caſina: *Conjiciam ſortes in ſitellam, & ſortiar tibi & Chalino*. Livius lib. XXV. *Sitellaque allata eſt, ut ſortirentur ubi Latini ſuffragium ferrent*.

AD. LEGEM. DE. THERMENSIBUS.

MAJORIBUS. PISIDIS.

QUEI. publica. populi. Romani. vectigalia. redempta. habebunt. Vectigalia quinto quoque anno per Cenſores perſolvebantur. Varro lib. V. de ling. Lat. *Luſtrum nominatum tempus quinquennale a luendo, hoc eſt, ſolvendo, quod quinto quoque anno vectigalia, & ultro tributa, per Cenſores perſolvebantur*, &c. Ultro tributa quæ dicantur, libet hoc loco ex veterum ſcriptorum auctoritate declarare. Livius lib. XXIX. & XLIII. *Quæ publica vectigalia ultro tributa Cenſores locaſſent, ea locatio rata ne eſſet*. Seneca lib. IV. de beneficiis, c. I. *Adeoque neminem, aut ſpe, aut pollicitatione corrumpat, ut contra in ſe impendere jubeat, & in ultrotributis ſit*. Sunt igitur ultrotributa ſarta tecta, atque opera, quæ Cenſores locant facienda, dicta fortaſſe quod Cenſores pecunias redemptoribus operum tribuerent vice verſa, cum ipſis tributa ab omnibus perſolverentur. Ad locum Livii de Catone, quem adduximus ex lib. XXXIX. facit Plutarchus in Catone, cum inquit: Συστέλλων δὲ τοῖς μισθοῖς τὰς ἐργολαβείας, τὰ δὲ τέλη ταῖς πράσεσιν ἐπὶ τὰς ἐσχάτας ἐλαύνων τιμάς.

AD. LEGEM. SIVE. PLEBISCITUM.

DE. SCRIBIS. VIATORIB. ET. QUÆSTORIB.

QUEI. in. ea. decuria. viator. appareat. Notum omnibus, quid ſit hoc loco APPARERE. Ab eo verbo dicti APPARITORES. In inſcriptione Capitolina ſic eſt: .. Sutorius. M. L. Pamphilus. lictor. curia ... ſacris. publicis P. R. Quiritium. viator. qui. Coſſ. &. Pr. apparet, &c. item in alia inſcriptione: Q. Lucretio. Q. L. Ge-

mello. Viatori. Quæstor. ærar. Q. Lucretius. A
Q. L. Chrestus. Viator. Quæstori. ad. ærar patrono. fecit. Varr. lib. III. de re rust. c. 2. *Libertus ejus qui apparuit Varroni*. Liv. lib. II. *Quattuor & viginti lictores apparere Consulibus*, &c.

AD. LEGEM. SIVE. DECRETUM.

DE. FINIBUS. INTER. GENUATES. ET. VITURIOS.

VOX FÆNISICIUM in fine legis, ubi est, PRATA. QUÆ. FUERUNT. PROXUMA. FÆNISICI, reperitur in duobus Kalendariis rusticis Romæ, in quibus est FÆNISICIUM, a verbo, ut vide- B
tur, SECARE, quod tunc SICARE dicebant, antiqua scribendi consuetudine, qua VINIAS dicebant pro VINEAS: cui contraria VEAS pro VIAS. Decemviri de arboribus SUBSICARE dixerunt. Verbum in fine LEIBERIQ. sine dubio erratum est fabrile, & LEIBERARIQ. scribendum.

AD. LEGEM. REGIAM.

FOEDUSVE, &c. Hanc legem de imperio Vespasiani ad populum latam indicat fortasse Cornelius Tacitus lib. XX. cum inquit: *Tum Senatus omnia Principibus solita Vespasiano decrevit*, &c. Ea C
vero cum in plures tabulas divisa esset, hoc tantum reliquum est fragmentum, idque ut videtur, postremæ tabulæ, in qua legis ipsius sanctio habetur.

AD. LEGEM. PARIETI. FACIUNDO.

LEX. PARIETI. FACIUNDO. dicitur eo modo, quo in lege Thermensium majorum Pisidarum dictum est, Quam. legem. portorieis. terrestribus. maritimeisque. Thermenses. majores. Pisidæ. capiundeis. intra. suos. fineis. deixserint. ea. lex. ieis. portorieis. capiundeis. esto, &c. Item lex Mancupiorum apud Varronem D
libro V. de ling. Lat. cujus legis illa exstat formula, Vadem. nec. poicet. nec. dabit. Sic enim legendum pro POSCERET. Apud Cic. lib. I. in Verr. habetur lex item PARIETI. FACIUNDO, cujus legis formulæ quædam ibi referuntur.

AD. LEGEM. LAURENTUM.

POMUM. ex. alieno. in. armum. nei. legito. Id est, quod humeris onus fit. sic enim interpretatur Festus, apud quem hujus legis, quam inter Romanas, quod ea Latina sit, numerandam du- E
ximus, exstat fragmentum in verbo *Armata*, sive *Armita*.

AD. SENATUSCONSULTUM

DE. PHILOSOPHIS. ET. RHETORIB.

C. Fannio. Strabone. M. Valerio. Messala. Cos ... M. Pomponius. Pr. Sen. consuluit. scribundo. adfuerunt... quod. V. F. de. philosophis. &. rhetorib. D. E. R. I. C. utei. M. Pomponius. Pr. animadverteret. coeraret- F
que. utei. E. E. R. P. F. S. V. utei. Romæ. nei. essent. Ita plane habet Agellius lib. XV. cap. XI. cujus scripturam, quod veterum monumentorum testimonio confirmetur, libentius secuti sumus, quam eam quæ habetur apud Suetonium in libro de claris Rhetoribus, in quo sic est: utei. M. Pomponius. Pr. animadverteret. curaretque. utei. sei. E. E. R. P. F. S. V. utei. Romæ. nei. essent. Hæc autem formula frequens est in antiquis tum legum tabulis, tum Senatusconsultorum. In Agraria lege sic est, I. V. E. E. R. P. F. S. V. ita plane in eo Senatusconsulto, quod Græce etiam habetur in æneo fragmento, ΩC. AN. AYTOIC EK. TΩN ΔHMOCIΩN. ΠPAΓMATΩN. ΠICTEΩC. TE. THC. CΦETEPAC. ΦAINHTAI. Polybius in fragmentis ad eandem formulam videtur respexisse, cum inquit, Ως αὐτῷ δοκεῖ συμφέρειν ἐκ τῆς ἰδίας πίστεως. Livius lib. XXXIII. *De his tribus urbibus legati, quod tempora Reipublicæ postulassent, id e rep. fideque sua facere, statuere jussi sunt*. Ennius in Annalibus, cujus versus ita legendi sunt apud Nonium:

Ea mi reique fidei, regno, vobisque Quirites
Res fortunatim, feliciter, ac bene vortat.

Varro lib. V. de ling. Lat. *Quod bonum, fortunatumque felix salutareque sit* P. R. *Quiritium reique publicæ* P. R. *Quiritium, mihique collegæque meo, fidei, magistratuique nostro*, &c. In formula devotionis apud Macrobium lib. III. cap. IX. sic est: *Eosque ego vicarios pro me, fide, magistratuque meo, &* P. R. *exercitibus*.

AD. SENATUSCONSULTUM.

DE. HASTEIS. MARCIEIS.

M. ANTONIO. C. F. A. Postumio. A. F. Albino. Cos.... Senatum. consuluit. scribundo. adfuerunt.. quod. C. Julius. L. F. Pontifex. nontiavit in. sacrario. in. regia. hastas. marcias. movisse. D. E. R. I. C. utei. M. Antonius. Cos. hostieis. majoribus. Jovei. &. Martei. procuraret. &. ceteris. diis quibus. videretur. placandeis. utei. procoerafet. satis. habendum. censuerunt. sei. quid. succidaneis. opus. esset. robiis. succederet. Agellius lib. IV. cap. VI. refert hoc S. C. & hostiæ succidaneæ quid sint, docet testimonio Plauti, qui dixit in Epidico:

Men' piacularem oportet fieri ob stultitiam tuam,
Ut meum tergum stultitiæ tuæ subdas succidaneum?

Si primis hostiis, inquit, *litatum non erat, aliæ post easdem ductæ hostiæ cædebantur*. &c. In fine Senatusconsulti scripsimus ROBIIS SUCCEDERET, quod ita sit in vetustissimo libro, pro eo quod in vulgatis est, ROBIGUS. ACCEDERET. quod quid sit, fatemur nescire.

AD. SENATUSCONSULTUM.

DE. MENSE. AUGUSTO.

QUOM. Imp. Cæs. Augustus. mense. Sextili. &. primum. Consulatum. inierit. &. triumphos. treis. in. urbem. intulerit. &. ex. Janiculo. legiones. deductæ. sequutæq. sint. ejus auspicia. ac. fidem. &. Ægyptus. hoc. mense in. potestatem. P. R. redacta. sit. finisque. hoc. mense. belleis. civilibus. impositus. sit. atque. ob. eas. causas. hic. mensis. huic. imperio. felicissimus. sit. ac. fuerit. placere. Senatui. ut. mensis. Augustus. appelletur. Exstat hoc Senatusconsultum apud Macrobium lib. I. cap. XIII. in quo sic scriptum est: *Augustus deinde est, qui Sextilis antea vocabatur, donec honori Augusti daretur ex S. C. cujus verba subjeci*, &c.

AD. SENATUSCONSULTA.

DE. AQUÆDUCTIBUS.

SEX. Julius Frontinus lib. II. de Aquæductib. refert Senatusconsulta sex: quæ cum habeantur satis quidem emendate scripta in libello Anto.

Augustini de Senatusconsultis, sunt nobis necessario prætermittenda, ne rem actam agere videamur. itaque attingemus ea tantum, quæ aliter apud nos leguntur. Atque in primo quidem Senatusconsulto, ubi scriptum est, SCRIBAS. ET. LIBRARIOS, delemus notam conjunctionis, & SCRIBAS LIBRARIOS legimus. cujus quidem lectionis confirmatio petenda est e veteribus monumentis, in quibus frequens est SCRIBA LIBRARIUS. Paulo post pro UTIQUE, sensus postulat, ut particula UTIQUE in UTI verbum mutetur. Quæ autem sequuntur, ita legenda putamus: cos. diebus. x. proxsumeis. quibus S. C. factum. esset. ad. ærarium deferrent. quique. ita. delati. essent. ieis. Praetores. ærarii. mercedem cibaria. quanta. præfectis. frumento. dare deferreque. solent. annua. darent. &. adtribuerent. vel si PRÆFECTI magis placet, retinenda erit vox DANDA, & in DANDO mutanda. nam Præfectus. frumento. dando. adtribuendo, reperitur in veteribus, si recte memini, inscriptionibus. In fine Senatusconsulti scribendum videtur, quei. ærario. præsunt. præbenda. locent. Verba quæ in principio secundi S. C. habentur, ita ordinanda existimamus: quod. Q. Ælius. Tubero. P. Fabius. Maximus. Cos. V. F. de. numero. &c. In tertio S. C. ubi legitur, ne. qui. eorum. quibus. aqua. daretur. publica. jus. esset. putamus legendum: NEI. QUOI. EORUM. &c. In tertio S. C. hæc verba sic legimus: Q. F. P. D. E. R. I. C. ad. reficiendos. rivos. specusq. per. quæ. &. opera. publica. corrumpuntur. placere. circa. fontes. &. fornices. &. muros. utraque. ex. parte. vacuos. quinos. denos. pedes. patere. &c. deletis CUM, & CENTENOS verbis.

AD. SENATUSCONSULTUM.

AMEICITIÆ.

COS. A. A. S. E. V. Donatus in Adelph. Terent. ad illud: *Fac sis Sostrata. Deductum est*, inquit, *a Senatusconsulti formula: ubi enim aliquid Senatus Consulibus injungit, addit: Si eis videatur*, &c. Hujus autem formulæ ignoratio, Ciceronem in libris Philippicarum duobus locis maculavit. quas quidem maculas nos sustulimus auxilio vetustissimi libris, & hujus æneæ tabellæ: munusq. eis. ex. formula. locum. lautiaque. Q. Urb. eis. locare. mittereque. Festus in Dacrymæ: *Dautia*, inquit, *quæ lautia dicimus, & dantur legatis hospitii gratia*. Polybius in fragmentis: *Ετι δὲ μεγαλομερέστερον ἡ σύγκλητος ἀπεδέξατο τὴν παρουσίαν αὐτῶν, καὶ τὰ ξένια καὶ παροχὰς τὰς μεγίστας ἐξέθηκεν αὐτοῖς*. Livius lib. XXVIII. *Locus inde Lautiaque præberi jussa*, &c. L. CORNELIUS. SISENNA, qui Prætor inter cives & peregrinos in hoc S. C. descriptus est, designatur, ut opinor, is qui libros historiar. XXII. & hoc ipsum Italicum bellum conscripsit. de quo fit mentio in hoc S. C.

AD. SENATUSCONSULTUM.

DE. TEIBURTIBUS.

CUM in hoc Senatusconsulto usitatæ formulæ expressæ non sint, existimamus responsum esse potius ex S. C. a Prætore redditum Tiburtibus, quam S. C. appellandum. Simile responsum exstat apud Livium lib. VIII. in quo sic scriptum est: *Cum de postulatis Samnitium T. Æmilius Prætor Senatum consuluisset, reddendumque his fœdus patres censuissent, Prætor Samnitibus respondit: Nec quominus perpetua amicitia esset, per populum Romanum stetisse: nec contradici, quin, quoniam ipsos belli culpa sua contracti tædium ceperit, amicitia de integro concilietur. Quod ad Sidicinos attinet, nihil intercedi, quominus Samniti populo pacis bellique liberum arbitrium sit*. &c. Placet autem hoc loco subjungere vetus simile S. C. quod Græce scriptum sine die, & sine Consulum nominibus refertur a Josepho lib. XIV. Antiq. cap. XVI. est autem hoc: *Λούκιος Οὐαλέριος Λουκίου υἱὸς στρατηγὸς συνεβουλεύσατο τῇ συγκλήτῳ εἰδοῖς δεκεμβρίαις ἐν τῷ τῆς ὁμονοίας ναῷ. Γραφομένῳ παρῆσαν Λούκιος Κωπώνιος Λουκίου υἱος, καὶ Παπίριος Κυρίνα. Περὶ ὧν Ἀλέξανδρος Ἰάσονος, καὶ Νουμήνιος Ἀντιόχου, καὶ Ἀλέξανδρος Δωροθέου Ἰουδαίων πρεσβευταὶ, ἄνδρες ἀγαθοὶ καὶ σύμμαχοι, διελέχθησαν, ἀνανεούμενοι τὰς προϋπηργμένας πρὸς Ῥωμαίους χάριτας, καὶ τὴν φιλίαν, καὶ ἀσπίδα χρυσῆν σύμβολον τῆς συμμαχίας γενομένην ἀνήνεγκαν ἀπὸ χρυσῶν μυριάδων πέντε, καὶ γράμματ' αὐτοῖς ἠξίωσαν δοθῆναι πρός τε τὰς αὐτονομουμένας πόλεις καὶ πρὸς βασιλεῖς, ὑπὲρ τοῦ τήν τε χώραν αὐτῶν, καὶ τοὺς λιμένας, ἀδείας τυγχάνειν, καὶ μηδένα ἀδικεῖσθαι. ἔδοξε δὲ συνθέσθαι φιλίαν καὶ χάριτας πρὸς αὐτοὺς, καὶ ὅσων ἐδεήθησαν τυχεῖν τοῦτ' αὐτοῖς παρασχεῖν, καὶ τὴν κομισθεῖσαν ἀσπίδα προσδέξασθαι*, &c. Κυρίνα nomen tribus esse existimamus: & cum hoc, tum alia ita protulimus, ut legi debere putavimus.

AD. SENATUSCONSULTUM.

DE. LUDEIS. SÆCULARIBUS.

L. Cestius, &c. In principio hujus Senatusconsulti erant, ut opinor, descripta nomina Quindecim virorum, qui in Senatu de ludis Sæcularibus verba fecerunt, NEQUE. ULTRA. QUAM. SEMEL. ULLI. MO... putamus integrum esse MORTALIUM. Ovidius lib. II. de Tristibus:

Jusserat & Phœbo dici: quo tempore ludos
Fecit, quos ætas aspicit una semel.

QUI. LEGE. DE. MARITA... existimamus significari legem DE. MARITANDIS. ORDINIBUS. reliqua plana sunt. DE. LUCARI. LUDOR. SÆCULARIUM. meminit Festus, cum inquit. *Lucar appellatur æs, quod ex lucis captatur*. Plutarchus in Ploblematibus: *Διὰ τί τὸ τελούμενον εἰς θέας, λούκαρ καλοῦσιν. ἢ ὅτι πολλά ἐστιν ἄλσα περὶ τὴν πόλιν ἀνειμένα θεοῖς ἃ καλοῦσι λούκους καὶ τὴν ἀπὸ τούτων πρόσοδον εἰς τὰς θέας ἀνήλισκον*. Hæc raptim scripsimus ad Leges & Senatusconsulta, quæ cum in antiquis lapidum ærisque, tum Scriptorum monumentis reperiuntur, selecta potissimum ex iis quæ erant a nobis in id genus antiquitatis uberius notata.

ITALIA ANTIQUA

Cum Insulis
SICILIA SARDINIA
& CORSICA
Auctore N Sanson Abbavillæo
Christianiss.mi Galliarum Regis
Geographo



MARE LIGUSTICUM

MARE MEDI: TERRANEUM

TUSCUM QUOD ET HETRUSCUM ET TYRRHENUM ET INFERUM

MARE SAR: DOUM

ADRIATICUS ALIAS SINUS

ADRIATICUM

MARE QUOD ET SU: PERUM

IONIUM

MARE SICULUM

GALLIA

ILLIRICUM

PANNONIA

INSULÆ GRÆCIS HEPHÆSTIADES

Milliaria

Stadia

CAROLUS SIGONIUS
DE
ANTIQUO JURE ITALIÆ.

CAROLUS SIGONIUS MUTINENSIS
SENATUI, POPULO Q. ROMANO S. D.



UID *caussæ sit, quamobrem, cum innumerabiles prope ab hominibus artes ad hominum usum inventæ, ac posteris proditæ sint, nulla tamen vel præstantior unquam, vel nobilior habita sit, quam quæ militaribus instructa præceptis varie se bellicis in studiis apud homines commendavit, merito maximam semper habuit dubitationem. cujus qui acutius exitum expedire doctissimi ac prudentissimi viri voluerunt, eam potissimum afferre caussam soliti sunt, quod ab hac una uberiores perpetuo, atque illustriores, quam ab omnibus aliis commodorum, & gloriæ fructus ad vitam hominum promanarint. Quod quidem vere traditum esse, nobis quoque cum rerum præsentium statum, ac quotidianam vitæ consuetudinem intuentibus, tum vero præteritorum temporum memoriam, atque antiquissimorum populorum praclara facta animo repetentibus plane videtur. neque enim ullam aliam vim, ac facultatem aut furentes finitimorum populorum impetus aliquando retardasse, aut sanctum libertatis patrimonium adversus nefarios hostium conatus defendisse, aut denique pacis omnium virtutum, unde nostra est perfecta beatitudo, alumnæ graviorem vindicem ac custodem fuisse invenimus, quam ipsam armorum tractationem, omnemque rei militaris, ac bellicæ disciplinam. ex quibus tum diuturna incolumitas, tum sempiterna prope ad nominis commendationem fama hujus laudis studiosis civitatibus comparata est. Quamquam autem ea fere conditio, ac natura hominum est, ut his duabus quasi facibus animi, mentesque eorum ad res omnes aggrediendas facile accendantur, & in id se alacrius intendant, unde utilitatis, aut dignitatis spem uberiorem ostendi sentiant, non æque tamen omnes homines hujus utriusque studii cupiditate afficiuntur, ac flagrant. alios enim animadvertere licet, totos in parandis opibus, & quovis modo congerendis divitiis occupatos, alios nihil aliud, quam de decore & honestate cogitantes, atque hoc toto de genere ita sentientes, ut nihil esse in vita utile, quod a dignitate sejunctum sit, arbitrentur. cujus prope heroicæ virtutis magnitudine qui priscis temporibus excelluerint, haud sane multos numerare ex omni memoria possumus, ætate vero nostra, multo etiam pauciores. fit enim nescio quo modo, id quod gravius videtur esse dolendum, ut paullatim cum hominum ætate mirifica illa priscæ virtutis indoles consenescat, atque omnino antiqua laus illa sensim deficiens prope in dies vehementius contabescat. Ac mihi quidem hac de re sæpius cogitanti cum vestri majores Romani multis in rebus magni, atque admirabiles fuisse, tum vero in hoc studio omnem superasse hominum naturam & conditionem videntur, quod ita bellicam disciplinam, & militaria studia tenuerunt, ac pertractarunt, ut qui gentes pæne ac nationes omnes singulari quadam consilii, atque animi præstantia ad suum imperium adjunxerint, iidem ne in ipsa quidem victoria, qua nihil insolentius esse, atque superbius solet, aliud quidquam, nisi laudem, dignitatem, & gloriam spectaverint unquam, atque secuti sint. Neque vero quæ quoque tempore ab iis vel for-*

titudinis , vel prudentiæ , vel moderationis , vel justitiæ exempla edita sint , commemorare hoc loco necesse est . nota hæc omnium jam historiis , testata vocibus adeo sunt omnia , ut facilius humani generis interitus universus , ipsarumque terrarum exustio consequi , quam Romanæ virtutis oblivio , atque silentium possit . illud autem illustre in primis , & ad perpetuam hominum memoriam insigne non prætermittam eam fuisse quondam populi Romani magnitudinem , ac domi forisque disciplinam , ut in hodiernum usque diem non modo Italia , sed , quod mirabile videatur , extrema fere terrarum sola , & nationes ultimæ stent præclaris ejus institutis , ac legibus observandis . Quibus de rebus cum sæpe alias accidit , ut ipse mecum accuratius quærerem , tum proxime , cum de antiquo jure Italiæ scriberem . sensi enim tum aperte , id , quod multo etiam ante facile animadverteram , nullam unquam gentem , nullam nationem fuisse , quæ vel belli , vel pacis studia , quam populus Romanus , coluerit diligentius , vel utrumque artis genus tractaverit excellentius . cujus ille rei documentum dedit certissimum , primum , cum rebellantis , atque imperium recusantis Italiæ audaciam constantissime profligavit ; deinde , cum eandem in fidem redeuntem , & ad auctoritatem suam se adjungentem humanissime in eadem civitatis , & rei publicæ jura ascivit . Quamobrem incredibilem profecto cepi laboris mei , ac diligentiæ fructum , cum eodem tempore populi omnium , qui fuerunt , futurique sunt , præstantissimi virtutem veterem , & antiqua Italiæ , quibus in societatem Romani pervenit imperii , ornamenta renovavi . quin etiam valuit multum ad voluptatem animi mei augendam , quod intellexi , futurum , ut ego hoc studio non tam præsentem Latinarum laudem litterarum , quibus non nihil opis , ac luminis mea allatum industria exoptabam , quam veterem ejus soli memoriam , in quo ego natus , & educatus essem , (quanquam non obscura fidelissimæ senatui Romano coloniæ Mutinæ fama est) tuerer , ac custodirem . Nec vero dissimulandum , aut obscure ferendum est , omnem me ab ineunte ætate eo curam , atque operam contulisse , ut populi Romani res gestas , leges , & instituta , non a silentio hominum , a quo quidem ipse sua se virtute , rerumque magnitudine vindicavit , sed ab obscuritate fortasse , quæ plerisque veteribus monumentis amissis , mirabiliter jam mentes nostrum involverat omnium , educerem , quoad studio meo consequi , ac diligentia possem . ut si mihi laus esset aliqua ingenii requirenda , eam ex historiæ omnium nobilissimæ pertractatione colligerem : si pietatis , conditori , parenti , ac tutori prope nostro legitimo debitam officii gratiam , quoquo modo possem , referrem . Itaque vix dici , aut omnino cogitari satis potest , quantum lætitiæ , quantum voluptatis animo aliquando capiam meo , cum veteris populi Romani nomen , sic imaginem in vobis adhuc , & in vestris magistratibus residere animadverto , & in summo dolore , quem ex Romani eversione imperii haurire soleo , quo sæpe solatio fruar , cum vetera aliquot Romanæ insignia reipublicæ adhuc Romæ , & in Capitolio apparere intelligo . quid enim aliud , quæso , conservatores vestri , quam augustam illam veteris consulatus speciem , quid aliud , qui capita regionum dicuntur , quam sacrosanctum illum plebis referunt tribunatum ? præterea consilia publica , oppida , & castella etiamnum in vestra , id est , in senatus , populique Romani fide , & potestate posita non ne antiquam etiam nescio quam Romanæ repræsentant faciem reipublicæ ? Quamobrem feci equidem libentissime , ut cum jura vetera civium Romanorum eruta ex obscurissimis tenebris vetustatis , pontifici maximo , atque optimo , PIO IV. cujus nunc nutum Romana civitas gravissimum intuetur , dedicassem : deinceps Italiæ jura , quod consequi videbatur , populo Romano potissimum , a quo uno quondam accepta essent , consecrarem . Cujus populi quando vos ut hereditatem virtutis amplissimam , ac splendidissi-

mam crevistis, sic personam honestissimam geritis; date mihi hanc, obsecro, veniam, ut vos hoc studii, atque officii novo fortasse, sed, ut puto, a vestra dignitate non alieno munere prosequar. quo quidem eo nunc fungor alacrius, quod intelligo, eos in magistratu homines esse, ac publicæ gubernacula rei tractare, quos cum hæc studia mirifice delectant, quæ omnium pulcherrima, & nobilissima perpetuo ut haberentur, & essent, admirabili veterum vestrorum virtute patrum, effectum est, tum imitatio inprimis antiquæ virtutis, & disciplinæ, quam in suo munere obeundo summa eos audio diligentia curaque retinere. Quam ad laudem cumulandam ne hos quidem de vetere Italia commentarios, qui mirum in modum populi Romani nomen, cujus opera Italia est hunc honorem consecuta, illustrant, parum arbitror allaturos, si ad ea, quæ majores sui pro dignitate, & salute Italiæ gesserint, contemplanda, cogitationes suas aliquando excitarint. Mihi vero ad lætitiam animi mei sat erit, si antiqua Italiæ jura, mea diligentia restituta, veterem senatus populique Romani, cujus nomini sint inscripta, longe, lateque patentem potestatem ostendant. Valete. Venetiis, XII. Kal. Octobris, MDLX.

CAROLUS SIGONIUS

DE

ANTIQUO JURE ITALIÆ.

Libri primi capita XXVI.

Ejusdem libri argumentum.

Postea quam duobus libris jura vetera civium Romanorum aperuit, nihil antiquius habuit, quam ut deinceps de antiquo jure Italiæ disputaret. quam doctrinam ita his tribus libris est complexus, ut cum in primo populorum, in secundo civitatum jura tradiderit, in tertio demum, quemadmodum toti Italiæ Romana sit civitas impertita, docuerit. Ad hunc autem finem ab his fere principiis pervenit. Primum Italiam ab antiquis duobus modis ostendit esse acceptam, uno, ut naturæ finibus terminaretur; altero, ut juris. natura, Alpibus & mari contineri ait: Rubicone, Arno, & mari. Jus autem a populo Romano victore esse præscriptum. a quo item tria jura Italiæ esse deducta, unum Latinorum, alterum Italicorum, tertium provinciæ Galliæ. gradus enim hos fuisse præmiorum, quæ optime de republica Romana meritis data sint, civitatem Romanam, jus Italicum, & jus provinciæ. ex quibus ut jure Latii civitas Romana sic Italico Latinitas, & Italicum provinciali commodius fuerit. Quemadmodum autem jus civium Romanum ex legibus, & senatusconsultis, & edictis proficisci alio libro ostendit, sic in hoc hæc jura ex iis legibus quæ in societate jungenda conscriptæ sint, manare demonstrat. Itaque quoniam societatis, qua se populus Romanus cum aliis populis obstrinxit, jura tria fuisse reperit, sponsionem, pactionem, & fœdus, propterea quid sponsio esset, ac quomodo fieret; quid pactionis vocabulo præcipue intelligeretur, ac qua ratione celebraretur; quid fœdus esset, & quomodo feriretur; & tria demum fuisse fœderum genera, iniquum, æquum, & æquissimum, planum facit. ex quo concludit, cum jus omne a fœderis & societatis legibus effluat, leges autem aliæ aliis datæ sint meliores, fieri, ut alii aliis commodiore conditione utantur; optimam autem esse civium R. aliquanto deteriorem Latinorum, infra Latinos Italicorum, durissimam vero provinciarum. quo jure donatam esse Italiæ partem illam, quæ ultra Umbriam, & Etruriam usque ad Alpium crepidinem est porre-

cta. His ergo fundamentis jactis, cum primo libro populorum jura sibi tradenda esse proposuerit, Latinorum, Italicorum, & Galliæ, ob eam rem statim Latinos aggreditur, atque ab eorum definitione reliquam omnem de iis disputationem deducit. Itaque cum eos Latii incolas, populi R. fœderatos, jure Latii donatos, definiat, singularum hujus definitionis partium deinceps rationem reddit. Quoniam autem jus omne e fœdere proficiscitur, fœdus autem ex victoria parta, & pace concessa indagatur, propterea, ut commodius fœdera Latinorum inveniat, bella quoque eorum cum Romanis gesta, & clades ultro citroque illatas exponit. quod quia sine agri descriptione præclare consequi non potest, ob eam rem ab agro exorsus ad bella, a bellis ad fœdera, a fœderibus ad jura Latinorum patefacienda delabitur. Latium autem duplex, vetus & novum, ex veterum sententia circumscribit. populos utriusque enumerat. qui proprie Latini dicti sint, aperit, & de eorum consilio ad lucum Ferentinæ, & feriis Latinis in monte Albano disputat. Volscos & Æquos, quamquam intra Latii fines inclusos, Latinos tamen tum non habitos docet. Inde fœderibus Latinorum expositis, quod tandem jus Latii, vel Latinitas fuerit, prodit. nempe, ut Latini juris Quiritium essent expertes, quod quale fuerit, ex libro de jure civium Romanorum repetit. id est, ut neque libertatis, neque gentilitatis, neque sacrorum, neque connubiorum, neque patriæ potestatis, neque legitimi dominii, nec testamentorum, nec tutelarum jura eadem usurparent, quæ cives Romani nisi fundi facti essent, id est, jura aliquot privata populi R. asciviſſent. tales enim fundos populos fuisse ostendit. in ceteris autem rebus propius ad civium R. jura accederent, ut in censu, & tributis: militarent tamen in auxiliis, non in legione; nec suffragium, nisi legum jubendarum caussa, si inter magistratus convenisset, Romæ ferrent; & quod caput est, qui domi ædilitatem, & quæsturam gessissent, ii Romæ se pro cive Romano gerere possent. Æquorum inde, Volscorumque bella persequitur, atque ut ad internecionem deleti, & in eorum agrum immissi Latini sint, docet. Deinde Hernicorum, Oscorum, Ausonumque agrum describit, iisdemque victis jus, & nomen Latii novi concessum esse demonstrat. atque ita primo Italorum jure enucleato ad alterum eorum, qui Italici dicti sunt, explanandum confert orationem. Italicos autem definit reliquæ ad Rubiconem & Arnum Italiæ habitatores, populi R. fœderatos, jure Italico præditos. inter Italicos autem refert Etruscos, Campanos, Lucanos, Buttios, Messapios, Sallentinos, Apulos, Fretanos, Picentes, Senones, Umbros, Sabinos, Marsos, Vestinos, Marrucinos, Pelignos, & Samnites. atque eorum sigillatim agros, bella, & fœdera paucis indicat. ex quibus fœderibus jus illud haustum esse concludit, quod est Italicum appellatum. quod in ceteris rebus cum Latinitate fere par esse invenit, præterquam in suffragio, cujus nullam Italici partem adepti sunt, & civitate, ad quam nullum iidem aditum habuerunt. non tamen prætori R. eos obtemperasse, ut provincia Gallia, docet, in quo longe ab Appiani auctoritate discedit. ex his tamen alios aliis afflictiore conditione esse potuisse, non negat. Postremo Galliam citeriorem aggressus populos profitetur Ligures, Gallos cispadanos, ut Bojos, transpadanos, ut Insubres, & Cænomanos, &, præter Gallos, Venetos etiam, & Carnos. eademque qua in aliis ratione, agrum eorum, & oppida prodit. quibus bellis singuli victi, atque in provinciæ formulam redacti sint, ac, quod jus provinciæ Galliæ datum, cur Togatæ nomen impositum sit, & in quo reliquis ipsa provinciis excelluerit, declarare contendit.

Secundi libri capita XV.

Ejusdem libri argumentum.

Explicato universo populorum Italiæ jure in primo libro, civitatum jura aggreditur in secundo. civitates autem duobus modis considerari ait posse, ex arte, & ex jure: ex arte, alia oppida, alia castella, alia vicos dici: ex jure, alias colonias, alias municipia, alias præfecturas, alias fœderatas civitates, alias fora, alias conciliabula nuncupari. Itaque priore divisione, quæ non sit hujus temporis, prætermissa, in secunda ita versatur, ut primum de coloniis, deinde de aliis disputet. Colonias autem tractat hoc ordine. primum, quid coloniæ sint, & a quo institutæ, & quibus, & quot de caussis deductæ, ostendit. quoniam autem deductas eas aut senatusconsulto, aut rogatione populari invenit, quæ rogatio lex agraria dicta est, de lege agraria pluribus agit, & ejus capita persequitur omnia, de agro, qui dividendus esset, quibus, & quam multis hominibus, per quos, & quo modo, & quibus limitibus dividi oporteret. qua de caussa leges etiam agrarias omnes, quæ aut latæ, aut tantum promulgatæ sint, a primordio urbis enumerat, ac quem quisque agrum diviserit, & cui generi hominum, aperit. Deinde vero colonos in agrum deductos per curatores agrarios, docet, qui modo triumviri, modo quinqueviri, modo septemviri, modo decemviri, modo XX. viri crearentur, & quidem tributis comitiis per prætorem aut consulem, curiatis autem imperio ornarentur. Jam vero jugerum singulis assignandorum, & limitum quoque rationem in lege præfinitam docet, ac leges omnes de limitibus latas exponit, ac varia limitum nomina interpretatur. Legis agrariæ capitibus enodatis, quemadmodum coloni a curatoribus agrariis sub vexillo in coloniam deducerentur, ut ab iisdem urbs, & ager aratro circumscriberetur, ut omnia hæc denique auspicato fierent, docet. Deinde ad jura coloniarum explananda descendit, quo loco colonias tradit alias civium R. dictas, alias Latinas. civium R. fuisse, quibus jus Quiritium esset concessum; Latinas, quæ jure Latii essent ornatæ. Inde vero de censu, tributis, militia, & vacationibus utriusque generis differit. Qua disputatione confecta, remp. earum aggreditur, id est, de senatu, populo, magistratibus, sacerdotibus, & legibus agit: ac, qualia hæc omnia in colonia fuerint, aperit. Tum demum nomina singularum, quæ ordine temporum custodito ab urbe condita usque ad bellum Ita-

licum sint deductæ, persequitur. Quam eandem disputationis rationem deinceps in municipiis servat. nam & quid municipia fuerint, & a quo constituta, & quo modo, ostendit. quin etiam duo eorum genera affert, unum sine suffragio, alterum cum suffragio, ac quo utrumque fuerit jure, declarat. Remp. autem tractans municipiorum, pariter consilia, magistratus, sacerdotes, ac jus legum in iis ferendarum exquirit, & quæ ante bellum Italicum constituta municipia sint, prodit. atque hoc idem quæstionum genus deinceps in præfecturis quoque, & civitatibus fœderatis tractandis exercet. Fora autem ostendit fuisse loca, in quibus non solum nundinæ haberentur, sed etiam jus diceretur. conciliabula enim jus tantum habuisse nundinarum. Qua quæstione liberatus, propter nominis similitudinem, de foris etiam aliis disputat, ut foro Appii, Cassii, Cornelii, ut unde dicta, a quibus, & quare constituta sint, quid ipse sentiat, testatum apud omnes relinquat.

Tertii libri capita VI.

1 De civitate sociis atque Italicis data.
2 De civitate Galliæ provinciæ data.
3 De civitate, coloniis, præfecturis, civitatibus fœderatis, foris, & conciliabulis data.
4 De coloniis militaribus.
5 De Istria ad Italiam adjuncta.
6 De Alpibus, & fœdere, jureque gentium Alpinarum.

Ejusdem libri argumentum.

Omni jure, quo ante bellum Italicum usa Italia est, duobus libris breviter explicato, hoc libro reliqua post bellum Italicum tempora usque ad Augustum imperatorem expendit. primum autem quantopere Italici ad civitatis R. cupiditatem exarserint, & quam crebro jus ejus tentarint, & quibus senatusconsultis ac legibus eorum libidini, qui clam per migrationem & censum in eam irreperent, obviam itum sit, tradit. quo loco leges Claudiam, Papiam, Serviliam, Muciam, Liciniam adversus Italicos latas, itemque Semproniam, Fulviam, Liviam pro Italicis promulgatas interpretatur. Deinde ut, M. Livio Druso, cujus se ope Italici civitatem adepturos esse in spem erecti erant, occiso, de interficiendis in monte Albano consulibus conspiraverint, eaque re patefacta, Q. Servilio proconsuli ad motus suos comprimendos accurrenti Asculi manus intulerint, ac bellum, quod Italicum, & Marsicum, & sociale est dictum, concitaverint, prodit. Cujus belli eum fuisse exitum tradit, ut post varia utrinque prœlia facta, cum Etrusci, Umbrique, qui nihil dum moverant, defectionem & arma spectarent, lex a L. Julio Cæsare consule lata sit, ut, qui nondum a populi R. auctoritate desciviſſent, aut post defectionem in fidem ejus rediissent, ita in civitatem R. acciperentur, ut in tribus octo novas conjicerentur. qua lege civitatem sociis, & Latinis communicatam tantum esse demonstrat. Quare postero anno Gallis cispadanis, Liguribus, & Venetis civitatem, transpadanis Latinitatem Cn. Pompeii Strabonis lege impertitam docet. cumque transpadani post sæpe civitatem a senatu flagitassent, nunquam tamen, nisi dictatore Cæsare, cui carissimi fuerunt, ab iis impetratam esse ita ostendit, ut interea quemadmodum multi Sullana victoria civitatem amiserint, eamque post mortem ejus recuperarint, & quos in urbe Sulpicius motus conciverit, quos Cinna, quos alii, ut Italos in XXXV. tribus, id quod illi magnopere expetebant, redigerent, tacitus non prætereat. Neque vero populis singulis civitatem datam demonstrasse contentus, idem quoque jus coloniis, præfecturis, fœderatis oppidis, foris, & conciliabulis concessum, ac, in quam ea collata tribum sint, qui est totius hujus disputationis & doctrinæ finis, ostendit. Et quoniam hactenus de Italia, quæ Formione terminabatur amne, locutus erat, inde ut usque ad Arsiam, Istria provincia comprehensa, ab Augusto sit propagata, cum universa ante Gallia a triumviris reip. esset liberata, demonstrat. Ultimo autem loco eximio quodam vetustatis aperiendæ studio adductus, Alpes quoque Italiam intuentes attingit, ac bella in iis gesta, & fœdera, juraque Alpinis populis tradita narrat. usque adeo ut nullum veteris Italiæ jus, nullam rem illustrem, nullam memoratu dignam actionem, quæ quidem erui ex antiquorum monumentorum memoria possit, silentio prætermittat, sed conservatis notatisque temporibus uno in conspectu omnia ponat.



CAROLUS SIGONIUS
DE
ANTIQUO JURE ITALIÆ.

LIBER PRIMUS.



Cum multis locis eximiam Italiæ virtutem, & excellentem in omni genere præstantiam licet admirari, tum vero in eo maxime, quod olim cunctis & belli & pacis artibus una inter omnes omnium terrarum gentes excelluit. etenim, si vetera tempora recordari, atque ex priscis litterarum repetere monumentis velimus, facile Italos, animi magnitudine & robore, nullis gentibus concessisse; constantia vero, fide, humanitate, semper fere omnibus præstitisse, reperiemus. cujus originem laudis accuratius indaganti, haud scio, an satis probabilis illa ratio afferri jure possit, excellens quædam in hoc cælo soloque vis a natura insita, quæ vel sola aspiratione, quicunque hanc regionem insideant, homines agrestes, & feros ad humanitatem traducere, barbaros & imperitos omni doctrina possit excolere. nisi si quis hujus rei prope admirabilis occultam caussam ad eorum, qui hanc terram primis temporibus tenuerunt, præclaram institutionem, & egregiam moderationem referre malit. cur enim delectam a diis, quam incolerent, antiquitas existimavit? credo, quod, ubi fides, ubi justitia vigeret, ibi deos aliquando præfuisse, ac præclara tantarum virtutum fundamenta jecisse, consentaneum videretur. Ex eadem opinione fluxit altera, qui postea diis homines simillimi eadem loca sanctissimis legibus, optimis institutis temperarunt, eos divinam quandam progeniem esse, deorumque sapientiam, a quibus ortum ducerent, jure optimo referre. Porro, quid credi aliud æquum fuit de illis viris, qui humana omnia inferiora virtute ducerent, qui summum bonum in beneficentia ponerent, regionem oppidis & coloniis ad aspectum pulcherrimis frequentarent, legibus & moribus ad imperii æternitatem firmissimis instituerent? Atque inter hæc populis utilia ac salutaria, cælesti prope virtute sese extulit, quasique solem alterum, unde diu lucem ac salutem semper homines peterent, Romana civitas ostendit. cujus admirabilem, & certe divinam originem singularis, ac divina consecuta virtus brevi facile vel armorum metu, vel justitiæ admiratione omnium in se gentium ac populorum animos oculosque convertit. Romanæ vero gentis præclara vestigia usque adeo reliqua semper est imitata Italia, ut cum populo ipso Romano orbis terrarum virtute & gloria principe, de omni honestatis laude contenderit. quo in genere cum alia sane quam multa, mihi admirabilia, atque perpetuam ad commemorationem insignia videri solent, tum illud in primis, quod cum ipsa per quingentos ferme annos infestissimis ejus armis acerrime restitisset, diuturnis tandem fracta bellis non modo singularem ei fidem præstitit, operamque in exteris subigendis gentibus navavit egregiam, sed, justissimo demum etiam bello suscepto, dignam se, quæ, ut antea in omnium laborum ac periculorum societatem, sic parta victoria, in civitatis atque imperii communionem vocaretur, ostendit. quo factum est, ut multo ampliorem, atque illustriorem ex Romani juris societate, quam ex pristina imperii æmulatione laudem tulerit. Quamobrem, cum ego de vetere populi Romani jure alio volumine, quantum res ferre videbatur, copiosissime scripserim, maxime convenire judicavi, ut deinceps antiquo de Jure Italiæ, cujus fideli admodum, ac forti opera exteræ bellicosissimæ gentes diversis temporibus victæ imperium, ac leges acceperunt populi Romani, quantum ipse consequi possem, accurate dissererem. Quamquam mihi sæpe venit in mentem subvereri, ne quibusdam, quorum industria in aliarum fortasse artium ac studiorum laude sit occupata, parum recte facere videar, qui in rebus antiquissimis, & propter vetustatem ab omnium hominum, ut ipsi putant, utilitate remotissimis nimium operæ, curæque consumam: cum præsertim, quæ ipse post quadriennium vel ingenii vel studii monumenta ediderim, quæ fuisse non pauca satis constat, ad unius populi Romani res, tempora, ac jura vetera instauranda spectaverint. Quibus, etsi res ipsa cognita satisfacere abunde potest, videtur tamen faciendum esse, ut hoc loco, quantum instituti ratio mei permittit, brevissime respondeam. Primum igitur, si me dicam populi Romani magnitudine, & rerum ab eo gestarum splendore commotum ad veterem ejus & multis incognitam memoriam renovandam, atque ab hominum oblivione, & silentio vindicandam esse aggressum, neminem puto fore, qui me jure, nisi plane agrestis, ac veræ laudis ignarus, possit reprehendere. cur enim, quod sexcentis quondam factu honestissimum & gloriosissimum fuit, id mihi vitio, aut omnino cuiquam nunc denique tribuatur? præsertim vero qui & ea litteris mandem hoc tempore, quæ neque ex veteribus quisquam omnia sit complexus, neque nostra, aut patrum, avorumque memoria docti homines attigerint, & in hac tamen disputatione ita verser, ut nihil nisi ex antiquorum, quos in tanta solos quæstione sequor, fontibus uberrimis hauriam. Quare, si maximi, atque omnium olim terra, marique potentissimi populi præclara facta, atque instituta vel ad cognoscendum admirationis, vel ad legendum utilitatis afferre quidquam possunt: quis est, qui nos in alio malit studio laborare, quam in eo, in quo populi orbis terrarum victoris universa reip. ratio plurimis errorum & ignorationis involuta difficultatib. explicatur? Sin autem obsoletos jam nimia vetustate Romanos cum suo quanquam latissimo imperio seponendos, & relinquendos putemus: an vero Latinæ orationis, cujus studio totam adhuc Europam cernere flagrantem possumus, cognitionem repudiabimus? Minime vero, dicet aliquis: at aliud est, populi facta; aliud, populi verba perquirere. Non dico, quam ridiculum sit, facta, quibus ad similis imitationem virtutis accendi possumus, rejicere; sermonem, qui gloriosa facta consequitur, curiosius indagare. illud dico, orationem Romanorum, nisi cognita penitus omni tum domestica, & forensi, tum bellica & militari eorum disciplina, percipi, & cognosci vix quidem posse. ut, si quid studii, atque operæ ad Latinæ orationis intelligentiam conferri deceat, par prope, ac multo fortasse etiam major industria in populi Romani rep. perdiscenda videatur

esse collocanda. quid enim Latinis litteris aliud, quam populi R. bella, ac victoriæ continentur? quid aliud, quam leges, & instituta, quæque ex iis manant, præclare facta traduntur? Quæ me ratio impulit, ut artem per se cognitione nobilissimam, usu fructuosissimam, his temporibus obscurissimam, latinis litteris tractandam, ac, quoad ipse possem, illustrandam susciperem: nimirum, ut non solum populi R. veteris, quasi parentis nostri, memoriæ pro virili parte consulerem, sed etiam, ut Latini sermonis, cujus antiquam gloriam, multis affecta calamitatibus, adhuc tamen conservat Italia, studium adjuvarem. Ac video quidem Italiæ ut non unam totius olim appellationem, sic nec unam communem fuisse possessionem. nam Hesperia, Ausonia, Oenotria, Saturnia, & demum etiam Italia partium tum fuerunt nomina, non totius. quas partes, ut in monumentis rerum gestarum traditum videmus, ab initio alii alias tenuerunt, Siculi, Tyrrheni, Umbri, Ligures, Oenotrii, Peucetii, Aborigines, Pelasgi. quorum alii hujus regionis indigenæ fuisse, alii aliunde in hanc terram, omnium jam tum rerum copiis affluentem, sed plerique ex Græcia creduntur trajecisse. Verum, ut eorum quisque venerit, ut bella pacemque cum finitimis fecerit, nobis hoc loco non est consilium scribere. nam nec eorum temporum satis est explorata memoria: &, quæ de iis antiqui prodiderunt, ea fabulis similiora videntur, quam historiæ. Adde, quod illi parum consentanea, atque adeo etiam inter se pugnantia sæpe loquuntur, ut ne probabile quidem, quod in tantis rebus afferas, facile quidquam invenias. Hanc scribendi gloriam æquo animo cum aliis, tum præsertim eruditissimo M. Catoni, illi veteri, relinquemus, & temporibus illis multo, quam nos sumus, propinquiori, & optimorum annalium copia magis instructo. cujus doctissimæ Origines hoc tempore magna rerum Italicarum jactura, desiderantur. nobiscum autem præclare actum iri putabimus, si, qui fuerit antiquus Italiæ status a Romulo rege usque ad Augustum Cæsarem, & quo singuli Italiæ populi bello a populo R. domiti, quo cum eo fœdere juncti, quo demum jure donati fuerint, quam poterimus, verissime demonstrabimus. Est hoc quidem magnum, ac nescio an dicam maximum, quod profitemur: tanta est vel antiquitatis obscuritas, vel temporum vetustas, vel priscorum annalium paucitas: sed has omnes difficultates, atque angustias una, quæ maxima ex veteribus temporibus renovandis capitur, facile superare utilitas potest. Quorum quidem temporum rationem cum complector animo, tria potissimum ea fuisse comperio: unum a Romulo rege usque ad primum Punicum bellum, tum cum tota, quæ tum dicebatur Italia, assiduis bellorum afflicta contentionibus, in ditionem potestatemque populi R. pervenit: alterum a bello Punico usque ad Italicum, sive sociale, sive Marsicum, quo tempore Italici Romanis sociorum loco habiti, mirum in modum opes eorum, & imperium adauxerunt: tertium a bello Italico usque ad Augusti imperium, quo lege Julia, atque Pompeja civitatis Romanæ jura late Italis omnibus impertita sunt. Itaque omnem hanc in tres libros disputationem contulimus: duos, in quibus singulorum populorum, oppidorumque Italiæ statum ab ortu Urbis usque ad exitum belli Marsici: tertium, in quo eorumdem jura a bello Marsico usque ad occasum reip. explanamus. Hujus autem disputationis cum bonis ominibus hinc capiamus exordium.

CAP. I.

De triplici jure populorum Italiæ.

ITALIA omnis, cujus vetera in his libris jura investigamus, duobus ab initio est finibus terminata, uno naturæ, altero juris. Natura fines mare

A atque Alpes dedit, quibus præter ceteros Ligures etiam, & Gallos, & Venetos, & Carnos comprehendit. populus autem Romanus a mari supero, quidquid intra Rubiconem; ab infero, quidquid intra Arnum est conclusum, proprio nomine Italiam appellavit. Ligures autem, Gallos, Venetos, & Carnos ob eam caussam exclusit, quod eos in provinciæ formam redegerat, ac multo deteriore, quam reliquam Italiam, jure affecerat. Prioris descriptionis cum multos alios auctores habemus, tum neminem certe aut ætate antiquiorem, aut auctoritate graviorem, quam Polybium, qui & P. Scipionis ejus, qui Carthaginem delevit, fuit æqualis, & res Romanas
B omnium, ut res ipsa docet, diligentissime scripsit. is autem historiarum libro secundo his Italiam terminis definivit. *Tota*, inquit, *Italia in trianguli speciem est formata. ejus latus unum, quod ad orientem solem spectat, Ionio, ac deinceps Adriatico mari terminatur: alterum vero, quod ad meridiem, Siculo & Tyrrheno. ex quibus inter se coeuntibus apex trianguli efficitur, ubi est in meridem projectum promontorium, quod Cocinthus appellatur, & Ionium a Siculo mari distinguit: tertium vero, quod septentrionem, & mediterraneam regionem intuetur, deinceps Alpium crepidine circumscribitur, quæ a Massilia, & iis, quæ*
C *supra Sardoum mare sunt, locis initium ducit, & continenter usque ad intimum Adriæ sinum extenditur. apud ipsam autem, de qua dixi, crepidinem Alpium, quam etiam quasi basim trianguli licet appellare, a meridie ad septentrionem subjecti sunt campi totius Italiæ ultimi, qui bonitate & magnitudine omnibus iis qui in Europa sunt, antecellunt. Universa vero ea linea, qua hi campi definiuntur, speciem trianguli format. cujus apex ab Alpium & Apennini montis concursu non longe a Sardoo mari supra Massiliam figuratur. Laterum autem unum a septentrione, ut supra dixi, Alpes sunt, quæ ad ducenta septuaginta quinque millia passuum porriguntur; alterum vero a meri-*
D *die Apenninus, qui ad quadringenta quinquaginta. basim autem totius figuræ littus Adriatici sinus effingit; cujus magnitudo est a Sena oppido in intimum fere sinum ultra* CCCXII. *millia passuum. adeo ut horum camporum ambitus non multum a mille ducentis quinquaginta millibus passuum absit.* Hæc, ut dixi, Polybius. ex quibus satis intelligi potest, Italiæ terminos eos, quibus ad Alpes usque est propagata, a natura esse, omnium rerum parente antiquissima, constitutos. quibus autem Arno est & Rubicone conclusa, eos non naturæ fuisse, sed juris, quod est a populo Romano, omnium gentium victore, præscriptum, post commodiore loco probabitur. Quo-
E circa si priorem illam naturæ divisionem sequamur, hos Italiæ populos numerabimus, Ligures, Gallos, Venetos, Carnos, Etruscos, Latinos, Campanos, Lucanos, Græcos, Apulos, Frentanos, Picentes, Umbros, Sabinos, Vestinos, Marsos, Marrucinos, Pilignos, & Samnites: si posteriorem, Italos populos in tres tantum partes tribuemus, Latinos, Italicos, & provinciam Galliam. Quas divisiones si quis diligenter ratione, animoque lustraverit, facile intelliget, illam esse ut totius in partes, hanc vero quasi generis in species. Etenim cum Italiam in suas regiones locorum inter se intervallo distinctas descri-
F bimus, quid aliud, quam totum quodammodo in sua, ex quibus constat, tanquam membra partimur? cum autem eandem non spatiis, aut locis, sed jure, aut lege distinguimus, nonne generis in suas formas divisionem instituimus? genus est enim jus vetus Italiæ; species, jus Latii, jus Italicum, & jus provinciæ Galliæ. Quæ quidem nomina ac jura Italia non a populari loquendi consuetudine, sed ab ipsa victoriæ lege obtinuit. ut enim optime se quisque in populum Rom. gessit, ita maxima fidei ac virtutis suæ præmia est adeptus. Etenim, ut scite Flaccus Siculus, *cum quidam populi adversus Romanos bella gessis-*

sent, quidam experti virtutem eorum servassent pacem, quidam cognita pace & justitia se illis addixissent, & frequenter adversus hostes eorum arma tulissent; pro suo quisque merito leges acceperunt. neque enim erat æquum, iis qui toties admisso perjurio, rupissent pacem, ac bellum intulissent Romanis, idem præstari, quod fidelibus sociis. recte etenim caput illud XII. tabularum, quo permittebatur, *Ut idem juris esset Sanatibus, quod fortibus, id est, bonis, & qui nunquam defecerant a populo Rom. lege Æbutia abrogatum*, prodit Gellius. Sanates autem, teste Festo, appellarunt, *qui supra, infraque Romam habitaverunt; qui cum descivissent a Romanis, brevi post in amicitiam, quasi sanata mente, rediissent.*

Gradus autem præmiorum, per quos optime meritis ad summum in imperio fastigium fuit ascensus, hi quos dixi, fuerunt, provincialium, Italicorum, Latinorum, & postremo civium Romanorum. ex quibus ut jure Latii civitas Romana, sic Italico Latinitas, & Italicum provinciali honestius, ac commodius fuit. quos quidem gradus cum alios, tum præcipue imp. Claudium apud Tacitum video in oratione quadam significasse, cum dixit, *plebejos magistratus post patricios, Latinos post plebejos, ceterarum Italiæ gentium post Latinos, exterorum post Italos extitisse.* Hæc autem jura maxime usque ad legem Juliam bello Italico anno urbis DCLXII. latam, in ipsa devicta jampridem, & nutum populi Rom. intuente Italia celebrata sunt. post legem vero Juliam, cum universa in civitatem Romanam accepta, atque in tribus conjecta esset Italia, exteris etiam populis tribui cœpta sunt, ut aliis quidem civitas, aliis Latium, aliis jus Italicum pro sua cujusque erga rempub. fide concederetur. id quod e Ciceronis, Suetonii, & Plinii nobilissimis perspici monumentis potest. Cicero quidem in epistolis ad Atticum inquit: *Siculis multa Cæsar, neque me invito. etsi Latinitas erat non ferenda. veruntamen. ecce autem Antonius fixit legem a dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani.*

Ut autem jus civium Romanorum docuimus, ex popularibus rogationibus, plebisve scitis, & senatus consultis, & edictis esse profectum, idem de jure Italiæ existimamus: omnia enim hæc jura leges illæ intulerunt, quæ in fœdere feriendo, atque omnino societate jungenda a populo Rom. conscriptæ sunt. Itaque jus omne ex fœdere, fœderis æquitas ex lege, lex ex populi Romani voluntate fluxit, quæ quidem pro suis in quemque aut victum, aut amicitiam petentem populum meritis inclinavit.

Jam vero tria amicitiæ, ac societatis, qua se populus Rom. cum Italis, ceterisque populis obstrinxerit, jura fuisse, sponsionem, pactionem, & fœdus, ostendit in defensione Balbi Cicero, cum ait: *Ut quæque civitas nobiscum maxime societate, amicitia, sponsione, pactione, fœdere conjuncta est, ita maxime communionem beneficiorum, & præmiorum continere.* & Livius, cum scribit: *Ocriculanos sponsione, Lucanos fœdere, in amicitiam susceptos.*

Non esse porro idem sponsionem, pactionem, & fœdus, ex eo intelligi licet, quod fœdus pactione, pactio sponsione firmior, ac stabilior fuit. Nam sponsio neque populi jussu, neque senatus auctoritate, quod in fœdere accidebat, sed arbitrio magistratuum, & imperatorum fiebat, atque deditione eorum, per quos facta esset, infirmabatur. Hoc autem adeo aperte docet Livius, ubi de pace Caudina disputat, ut de eo nulla dubitatio relinquatur. siquidem ita agit: *Itaque non, ut vulgo credunt, fœdere pax Caudina, sed per sponsionem facta est. quid enim aut sponsoribus in fœdere opus esset, aut obsidibus, ubi precatione res transigitur: Per quem populum fiat, quo minus dictis legibus stetur, ut eum ita Jupiter feriat, quemadmodum a fecialibus porcus feriatur? spoponderunt consules, legati, quæstores, tribuni militum, nominaque omnium, qui spoponderunt, extant; ubi*

A *si ex fœdere acta res esset, præterquam duorum fecialium non extarent.* Deinceps pacem eam a populo Rom. consulibus, & ceteris, qui spoponderant, deditis irritam esse jussam addit. Sæpe tamen evenit, ut quod imperator injussu populi, & sine auctoritate senatus pepigerit, id fœdus vocatum sit quidem, sed tamen non servatum. quod ostendit princeps quidam Carthaginiensium apud Livium, cum ad Romanos legatos de fœderis ratione secum agentes ita verba fecit: *Vos, quod C. Lutatius consul primo nobiscum fœdus icit, quia neque auctoritate patrum, nec populi jussu ictum erat, negastis vos eo teneri. itaque aliud de integro fœdus publico consilio ictum est.* Tale autem etiam fuisse Numantinum, facile inde apparet, quod id C. Mancini consulis deditione est dissolutum. Quocirca scriptum reliquit in tertio libro de officiis Cicero, *C. Mancinum, ut Numantinis, quibuscum sine senatus auctoritate fœdus icerat, dederetur, rogationem suasisse eam, quam L. Furius, & Sex. Atilius ex S. C. ferebant: eaque accepta, esse hostibus deditum.* Numantinum autem fœdus, ut Caudinum, sponsionem appellari posse, nisi Antias annalium libro XII. prodidisset, calamitatis certe similitudo id nos doceret. ut enim ad Caudium quæstores, qui spoponderunt, dediti sunt, sic ad Numantiam Ti. Gracchum, Mancini quæstorem, fœderis ejus auctorem, dedere voluerunt.

Pactionem præterea aliud esse a fœdere, demonstrat satis, ut opinor, Cicero in defensione Cæcinæ, cum inquit: *Quod edictum magistratus, quod fœdus, aut pactio?* Nam pactionis nomine etsi omnia, quæ cum hostibus paciscerentur, continebantur, quo etiam modo fœdus pactio nominari potest; tamen hoc in loco præcipuam paciscendæ amicitiæ rationem significatam existimo, ut inducias. De induciis porro elegans illud est Varronis, *inducias pacem castrensem paucorum dierum, vel belli ferias esse.* quas tamen descriptiones Gellius lepidas magis, atque jucundas, quam plenas aut probas esse arbitratur. probabilius enim multo illud esse, inducias sic dictas, *quasi inde ut jam.* etenim pactum induciarum esse ejusmodi, ut in diem certum non pugnetur, nihilque incommodi detur, sed ex eo die postea uti jam omnia belli jure agantur. Laudo. induciis enim pax non in perpetuum, ut fœdere, sed in certum temporis spacium dabatur aut dierum, aut mensium, aut annorum. Quare sæpe factum animadvertimus, ut populus R. hostibus fœdus petentibus inducias dederit. hinc enim illa Livii: *A Perusia, Cortona & Arretio, quæ ferme capita Etruriæ populorum erant, legati pacem petentes, inducias in triginta annos impetraverunt.* Item: *Falisci cum in induciis essent, fœdus a senatu petierunt.* Induciarum ergo ea ratio fuit, ut eo tempore, quo præfinitæ erant, nihil hostile gereretur, sed summa a bello quies esset, atque aliqua etiam societatis cum iis, quibuscum pactæ erant, species & imago. quas qui violassent, jus gentium violasse existimabantur. unde illud est apud eundem: *Omnes portas concionabundus ipse imperator circumiit, & quibuscunque irritamentis poterat, iras militum acuebat, nunc fraudem hostium incusans, qui pace petita, induciis datis, per ipsum induciarum tempus, contra jus gentium, ad castra oppugnanda venissent.* Itaque eosdem etiam a Cicerone jure vituperari videmus in primo de officiis, cum ait, existere injurias sæpe calumnia quadam, & nimis callida, sed malitiosa juris interpretatione, *ut ille qui, cum triginta dierum essent cum hoste pactæ induciæ, noctu populabatur agros, quod dierum essent pactæ, non noctium induciæ.*

Quæ cum ita sint, non est dubium, quin fœdus (jam enim ad hoc oratio mea delabitur) pactio quædam sit societatis, non ex imperatoris arbitrio, sed jussu populi, aut senatus auctoritate, firmata; neque ad tempus, sed in perpetuum; neque per sponsores, da-

tis obsidibus, sed per fecialem publicum populi R. nuncium, solemni precatione adhibita: *per quem populum fiat, quo minus dictis legibus stetur, ut eum Jupiter ita feriat, quemadmodum a fecialibus porcus feriatur*. Quod extremum ex formula etiam ipsa fœderum feriendorum nobis a Livio tradita potest cognosci, qui primo libro de fœdere Albano ita scriptum reliquit: *fœdera alia aliis legibus, ceterum eodem modo omnia fiunt. tum ita factum accepimus: fecialis regem Tullum ita rogavit: Jubes ne me, rex, cum patre patrato populi Albani fœdus ferire? jubente rege, Sagmina, inquit te rex posco. rex ait: Pura tollito. fecialis ex arce graminis herbam puram attulit. postea regem ita rogavit: Rex, facis ne me tu regium nuncium populi Romani Quiritium? vasa, comitesque meos? rex respondit: Quod sine fraude mea, populique Rom. Quiritium fiat, facio. Fecialis erat M. Valerius. is patrem patratum Sp. Furium fecit, verbena caput capillosque tangens* (*pater patratus ad jusjurandum patrandum, id est, sanciendum fit*) *fœdus multis verbis, quæ longo effata carmine non operæ est referre, peragit. Legibus deinde recitatis, Audi, inquit, Jupiter, audi pater patrate populi Albani, audi tu populus Albanus, ut illa palam prima, postrema ex illis tabulis cerave recitata sunt, sine dolo malo, utique ea hic hodie rectissime intellecta sunt, illis legibus populus R. prior non deficiet. si prior defexit publico consilio, dolo malo, tum ille Diespiter populum R. sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam. tantoque magis ferito, quanto magis potes, pollesque. Id ubi dixit, porcum silice percussit. sua item carmina Albani, suumque jusjurandum per suum dictatorem, suumque sacerdotem peragunt*. Ad hunc autem priscum feriendi porci ritum probe allusit Virgilius, cum dixit: *Et cæsa jungebant fœdera porca*. & Suetonius, cum scripsit *Imp. Claudium cum regibus in foro fœdus icisse, cæsa porca, ac vetere fecialium precatione adhibita*. nam illatam post aliam esse feriendi fœderis rationem, ut sæpe non porcus feriretur, sed lapis abjiceretur, existimo. si quidem Polybius auctor valde bonus cum Pœnis hoc modo ictum fœdus exponit: *Feciales lapidem tenens ita ait: Si sine dolo malo ago, bonis afficiar: si sciens fallo, ceteris omnibus salvis in suis civitatibus, legibus, laribus, delubris, sepulchris, solus ego concidam, ut lapis e manibus meis decidet. nec plura locutus manu lapidem abjicit*. Cujus jusjurandi video post etiam Plutarchum in Sylla meminisse, & ejusdem Festum etiam antiquam formulam adjunxisse, cum scripsit, *Lapidem silicem tenuisse juraturos per Jovem, hæc verba dicentes: Si sciens fallo, tum me Diespiter, salva urbe arceque, bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem*.

Fœdere, cujusmodi fuerit, cognito, jam illud ab hujus sermonis officio non videtur abhorrere, ut, quam multa fœderum genera fuerint, exponamus. Tria autem ea fuisse docet apud Livium Menippus Antiochi regis legatus: *Unum, cum bello victis dentur leges. ubi enim omnia ei, qui armis plus posset, dedita essent, quæ ex iis habere victos, quibus multari velit, ipsius jus arbitriumque esse: alterum, cum bello pares æquo fœdere in pacem, atque amicitiam venirent. tunc enim repeti reddique per conventionem res, & si quarum bello turbata possessio sit, eas aut ex formula juris antiqui, aut ex partis utriusque commodo componi. tertium, cum qui hostes nunquam fuerint, ad amicitiam sociali fœdere inter se jungendam coeunt. eos neque dicere, neque accipere leges; id enim victoris, & victi esse*. Quibus verbis nihil profecto docetur aliud, nisi fœdera alia aliis æquiora esse.

Iniquissima autem fœderis conditione usi sunt dediticii, adeo ut non in fœdere, sed in ditione esse dicerentur. ex quo fluxit Latinorum illud de Campanis apud eundem: *Campanorum aliam conditionem esse, qui non fœdere, sed per deditionem in fi-*

A *dem venissent. Itaque Campanos seu velint, seu nolint, quieturos: fœdere Latino nihil esse, quo bellare, cum quibus ipsi velint, probibeantur*. & illud Samnitium de Sidicinis: *Sidicinos nec in fide, nec in ditione populi Rom. esse, id est, neque æquo fœdere, ut se; neque deditione, id est, iniquissimo fœdere, ut Campanos, in amicitiam populi Rom. esse susceptos*. & tertium illud de Apulis: *ita in societatem eos esse acceptos, ut non æquo fœdere; sed ut in ditione populi Rom. essent*. Jam vero qui dediticii dicti sint, facile ex formula ipsa deditionis intelligi posse arbitror. cujus vestigia hæc extant apud Livium lib. primo ad memoriam omnium sempiternam B impressa: *Rex interrogavit: estisne vos legati, oratoresque missi a populo, ut vos, populumque dederetis? sumus. est ne populus in sua potestate? est. deditis ne vos, populumque, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, divina humanaque omnia in meam, populique Rom. ditionem? dedimus. & ego recipio*. Itaque idem libro XXVIII. morem vetustum fuisse ait Romanis, cum quo nec fœdere, nec æquis legibus jungeretur amicitia, non prius imperio in eum, tanquam pacatum uti, quam omnia divina, humanaque dedidisset, & obsides accepti, armaque adempta, & præsidia urbibus imposita forent. unde C Campanos etiam apud eundem se populo Rom. dedidisse his verbis videmus: *Populum Campanum, urbemque Capuam, agros, delubra deum, divina, humanaque omnia in vestram, patres conscripti, ditionem dedimus, quidquid deinde patiemur dediticii vestri passuri*.

Æquius autem aliquanto erat illud fœdus, cui hæc verba erant adjuncta: *Majestatem populi Rom. comiter conservent*. Quam iniquam tum conditionem fuisse probavit Cicero, cum Balbum de civitate defendit: *Primum*, inquit, *verbi genus hoc conservandi, quo magis in legibus, quam in fœderibus uti solemus, imperantis est, non precantis: deinde* D *cum alterius populi majestas conservari jubetur, de altero siletur. certe ille populus in superiore conditione, caussaque ponitur, cujus majestas fœderis sanctione defenditur*. Quod autem in hoc genere dixit Cicero *comiter*, id videtur dixisse Livius *sine dolo malo*, in exponendis conditionibus pacis Ætolis datæ. sic enim scriptum est: *Imperium majestatemque populi Rom. gens Ætolorum conservato sine dolo malo*.

Extremum præceptum est æquissimi fœderis, cujus formula fuit, cum ab utraque parte cavebatur, & pari jure societas utrinque, & amicitia stabiliebatur. quale illud fuit Annibalis cum Locrensibus, de E quo idem scribit hoc modo: *Locrensibus jussu Anibalis pax data, ut liberi suis legibus viverent, urbs pariter, & portus in potestate Locrensium essent: societas eo jure staret, ut Pœnus Locrensem, Locrensis Pœnum bello, ac pace juvaret*. quo in genere fœdera fuerunt, quæ populus Rom. cum Carthaginiensi, antequam armis inter se decertarent, fecit, quorum meminit Polybius libro tertio; ut iniqua, quæ post consecuta sunt, omnia. In omnibus autem fœderibus sanciendis, aut fœderum legibus conscribendis illud erat solemne, ac prope translatitium, ut legibus, libertati, agris, locis, ædificiis publicis, privatisque, & ceteris præter hæc rebus publicis, privatisque, liberis, servisque bello F amissis, juri, consuetudini & portoriis exigendis ejus populi caveretur, quo cum amicitia jungebatur. quod ex veterum monumentorum diligenti observatione colligitur.

Ergo cum jus omne, ut ab initio dixi, manet a fœdere; fœdera autem alia aliis sint æquiora: profecto jam patet, cur non eadem omnes populi juris conditione sint usi, sed alii meliore, alii deteriore. optima autem, ut dixi, fuit civium Romanorum, aliquanto incommodior Latinorum, infra Latinos Italicorum, durissima vero provinciarum. quo jure donata est

Italiæ pars illa, quæ ultra Umbriam, & Etruriam uſque ad Alpes eſt porrecta, atque a reliqua Italia, quia deteriore fuit cauſſa, quodam modo ſevocata. Quod quidem poſt patebit illuſtrius, cum qui Latini, qui Italici, quæ provincia Gallia, quod demum jus Latii, quod Italicum, quod provinciæ Galliæ fuerit, expoſitum erit.

CAP. II.

De Latinis.

DE Latinis autem, atque Italicis diſputaturus, maxime ad rem pertinere exiſtimo, ut formulas ante quaſdam dicendi antiquas Romanis in hoc genere uſitatas exponam. Hoc enim & doctiſſimi homines in rebus obſcuriſſimis illuſtrandis faciendum eſſe præcipiunt; &, ni fiat, innumerabiles poſt in diſputando objiciantur errores, oportet. Sic igitur intelligendum eſt, populos hos non ſemper a Romanis Latinos, atque Italicos appellatos, ſed quod ab iis in ſocietatem recepti eſſent, varie eſſe *ſocios* nominatos. Nam & *ſocii*, & *Latini ſocii*, & *ſocii nominis Latini*, & *ſocii nomenque Latinum*, & *ſocii ab nomine Latino*, & *ſocii ac Latium* dicti ſunt. Quarum formularum cum multa proferre teſtimonia poſſim, ſingulis contentus ero. Livius, *Sociis*, inquit, *imperare prætor juſſus quattuor millia peditum, & trecentos equites*. Item: *Et exquiri ab interrogantibus, Romanus civis ſis, an Latinus ſocius?* Item: *Fremitus inter Latinos, ſociosque in conciliis ortus*. Et: *Imperata quina millia peditum ſocium nominis Latini*. & alibi: *Donec & ipſe quinque millia ſocium, ac nominis Latini effecit*. Item: *Milites ſociis, nominique Latino imperati*. Et: *Delectu perfecto conſules paucos dies morari, dum ſocii ab nomine Latino venirent*. Et: *Sociis e nomine Latino imperata ſeptem millia peditum*. Salluſtius autem, *Sociorum*, inquit, *& Latii magna vis civitate per Syllam prohibentur*. Item: *Uti ex Latio, & ſociis cogeret exercitum*. Sed tamen cum hoc ita conſtet, ut de eo nulla ſuboriri quæſtio poſſit, ſæpe etiam Italicos de Latinis, & Latinos de Italicis dictos inveni. Nam Salluſtius dixit, *Turpilium ex Italicis capite pœnas ſolviſſe, quod civis eſſet ex Latio*. & Valerius, *Vibius*, inquit, *Pelignæ cohortis perfectus vexillum trans Punicum vallum projecit, ſe ipſum, ſuoſque commilitones, ſi hoſtes eo potiti eſſent, execratus. & ad id petendum ſubſequente cohorte primus impetum fecit. quod ut Flaccus tribunus tertiæ legionis aſpexit, converſus ad ſuos, Abſit, inquit, iſtud dedecus a ſanguine noſtro, ut Romani gloria Latinis cedere velint*. Latinos enim dixit pro Italicis, quandoquidem Peligni Latini non erant. Quin etiam idem Valerius Q. Popedium ducem Latinorum vocat, qui fuit Marſorum; & Latinos de civitate bello Sociali ait certaſſe, quos pro Roman. contra Italicos ſtetiſſe, inter omnes rerum Romanarum ſcriptores conſtat. Poſtremo Livius etiam ſocios Latini nominis Latinos tantum intellexit, cum dixit: *Legatis ſocium Latini nominis, qui toto undique ex Latio convenerant, ſenatus datus*. at cum inquit, *Annibalem captivos, qui Latini nominis eſſent, ſine precio dimiſiſſe, Romanos in vincula dediſſe*, in nomen Latinum videtur etiam Italicos incluſiſſe; quippe cum poſt ſubjiciat, inter multitudinem ſociorum Italici generis, qui ad Traſimenum capti ab Annibale, dimiſſique fuerant, tres Campanos equites fuiſſe. Nam quid dicam, ut Latini ſæpe pro utriſque ſint uſurpati, veluti, cum idem Hieronem, Syracuſarum regem, populi Rom. amicum loquentem fecit? *Scire ſe milite, atque equite, niſi Romano, Latinique nominis non uti populum Romanum*.

Sed de varia ac multiplici Romanorum loquendi conſuetudine, qui locus late patet, alii fortaſſe accuratius: nos de populis Latinis hoc tempore, quemadmodum propoſitæ diſputationis ordo poſtulat, diſſeramus. Quod autem eo libro feci, in quo civium Rom. jura aperui, ut omnem eam diſputationem ex civis Romani definitione derivarem, idem hoc loco mihi faciendum eſſe cenſeo, ut a Latinorum definitione profectus ad eorum jura explicanda perveniam. Itaque ut tum cives Romanos homines liberos, urbis, agrique Romani habitatores, qui cum tribu jus honorum haberent, diximus: ſic nunc Latinos Latii incolas, populi Rom. fœderatos, jure Latii donatos definimus. Latium enim eos ſecrevit ab Italicis, qui non erant in Latio; fœdus ab iis civibus Romanis, qui agrum Romanum poſſidebant, aut colebant in Latio; jus Latii ab iis Latinis, qui cum agrum Latinum tenerent, & non tamen Latii jure fruebantur. Quoniam autem, ut ſupra oſtendimus, jus eorum omne e fœdere proficiſcitur, fœdus autem ex victoria parta, & pace conceſſa, quædam quaſi per veſtigia indagatur: propterea, ut commodius fœdera ſingulorum populorum inveniam, bella quoque, & clades ultro citroque illatas, paucis exponam. atque hoc non in Latinis ſolum, ſed in Italicis etiam, & Gallia provincia inſtitutum tuebor, ut ab agri deſcriptione exorſus ad bella, a bellis ad fœdera, a fœderibus ad jura ſingulorum populorum explananda noſtra continenter oratio delabatur.

CAP. III.

De agro Latino, & fœderibus Latinorum.

IN deſcribendo autem Latio, ſi veteres, qui in hoc ſtudio magna cum laude verſati ſunt, Strabonem, Plinium, ac Ptolemæum, ſequar, haud optime hercle de antiquitate Romana merebor. illi enim ultima Latii tempora reſpexerunt, ego antiquiora conſidero; illi Romana jam pace florentis, ego bellum gerentis rationem habeo. eos igitur ſi quis audiat, facile ſentiat, Latio comprehenſos, ac Latinos fuiſſe, Volſcos, Æquos, Rutulos, Hernicos, Oſcos, & Auſones. ſiquidem & ea in Latio oppida perſequuntur, quæ Volſcorum quondam, Æquorum, Hernicorum, & aliorum fuerunt: & eis Latinos finibus includunt, quibus, ſpoliato jam, non armato Latio, ſeptos eos conſtat fuiſſe. ſic enim illi, & quidem, ut mea fert opinio, non peſſime diſputant; Latium duplex fuiſſe, antiquum & novum. antiquum a Tiberi Circejos, novum a Circeiis producunt ad amnem Lirim. Quorum ſi intimum excutere ſenſum potui, profecto Latium vetus his eſt finibus circumſcriptum, ab occaſu fere, Tiberi & Etruſcis; a ſeptentrione, Aniene & Sabinis; Ufente fluvio cum Volſcis, ab oriente; Tyrrheno pelago, a meridie. nam utrinque ad occidentem objectus eſt Tyberis, ad ſeptentrionem Anio cum Sabinis & Marſis, ad ortum Samnites & Campani, ad meridiem mare. Quod ſi quis, qui utrumque inſederint Latium populi, fortaſſe roget; nihil eſt, quod tam facile expedire poſſe videamur. cui enim obſcurum eſt, Vetus Latium Albanos, Rutulos, Volſcos, & Æquos; novum Oſcos, Auſones, & Hernicos a ſolitudine vindicaſſe?

Agamus igitur de utroque; ſed prius de priore. Primis temporibus anguſtiſſima fuit appellatio Latinorum. non enim ſolum Hernici, ceterique qui in novo erant Latio, Latini nominis expertes fuerunt, ſed ne omnes quidem, qui Latium vetus incoluerunt, Latini ſunt vocati: quandoquidem neque Volſci, neque Æqui Latinorum in numero habiti. Ac Volſci quidem fere mare verſus, citra, & ultra Ufentem oppida tenuerunt Antium, Circejos, An-

xur, sive Tarracinam, Ecetram, Velitras, Suessam Pometiam, Longulam, Polusçam, Coriolos, Cenonem, Signiam, Artenam, Satricum, Fabrateriam, Privernum, Fregellas, Arpinum, & Soram. Æqui vero mediterranea supra Volscos tenentes ad Anienem, Algidum, Corbionem, Lavicos, Volas, & Vitelliam possederunt. Quibus adjuncti erant Æquicolæ, quos Diodorus libro XIV. eosdem esse cum Æquis, atque eorum caput Volas fuisse, memoriæ prodidit. Plinius autem, qui aliquanto, quam Diodorus, minor natu fuit, inter Æquicolas Cliterninos refert, & Carseolanos. Nam Livius, ut post apparebit, utriusque populi meminit. Quibus ex rebus satis aperte cognosci potest, reliquos fere antiqui Latii habitatores solos tum Latinorum nomine insignitos; Medullinos, Tellenios, Ficanenses, Ficulnenses, Politorianos, Corniculanos, Camerinos, Tolerinos, Querquetulanos, Bolanos, Scaptienses, Bubentanos, Gabinos, Bovillanos, Carventanos, atque his fama, & rerum gestarum gloria illustriores Tiburtes, Prænestinos, Tusculanos, Albanos, Aricinos, Lanuvinos, Laurentes, Ardeates, Setinos, Coranos, Pedanos, Norbanos, & ceteros ejusdem generis alios. Volsci autem, & Æqui, quanquam veteris Latii finibus septi, tamen in Latinis illis temporibus non sunt numerati. cujus rei facilis est, & expedita ratio. neque enim aut commune Latinorum concilium inierunt, aut ad Latinas ferias vocari se cum ceteris Latinis, paucis quibusdam exceptis, permiserunt. quod aperte in Græca Dionysii historia scriptum reperitur.

Concilium autem, de quo dixi, Latinorum tale fuit, quale in Græcia Amphyctionum. sic enim ab initio erat traditum, ut omnes Latini nominis rerum communium caussa ad lucum Ferentinæ, qui erat sub monte Albano, coirent; ibique de summa republica consultarent, ac duobus prætoribus rem universam Latinorum committerent. hoc ostendit Dionysius in Anco, cum ait, Latinorum civitates separatim responsum nullum Anci regis legatis reddidisse, sed, convocato ad lucum Ferentinæ concilio, communi consensu decrevisse, non esse imperio cedendum Romanis, ac protinus prætores duos pacis, bellique arbitros legisse, Ancum Publicium ex Cora, & Sp. Vecilium ex Lavinio. Confirmat Livius libro octavo, cum inquit, *Prætores duos bello Latino secundo Latinos habuisse, L. Annium Setinum, L. Numicium Circejensem, ambos ex coloniis Romanis, per quos etiam Volsci ad arma sint exciti.*

Feriarum autem Latinarum recentior aliquanto fuit memoria, quippe quæ a Superbo rege sint institutæ. Harum ea fuit caussa, ut, quemadmodum Latini rerum publicarum caussa ad lucum Ferentinæ convenirent, sic sacrorum gratia in montem Albanum cogerentur. Fuit autem locus, ut proditum est a Dionysio, in monte Albano, in quem populus Roman. & Latini fœderati XLVII. (tot enim ille profitetur) convocantur, ut Jovi Latiali communi consensu sacrificium facerent; cumque eorum alii agnos, alii caseum, alii lac, alii alia domo attulissent, tauro immolato, suam quisque carnis partem acciperent. Hoc solemne Latiar etiam appellatum ad extrema usque reip. tempora est conservatum. neque enim ante consules exire paludati in provincias consueverant, quam ferias Latinas indixissent, atque iis in monte Albano cum Latinarum civitatum magistratibus operam dedissent. Quem ritum, quanquam satis superiore Dionysii auctoritate notum, placet nobilibus præterea aliquot etiam e Livio, Tullioque testimoniis illustrare. Hinc enim est, quod scripsit Livius libro XXXII. *Latinas ferias instauratas, quod legati ab Ardea questi in senatu essent, sibi in monte Albano Latinis carnem, ut assolet, datam non esse.* & libro XXXVII. *Latinas instauratas, quod Laurentibus carnis, quæ dari debet, data non erat.* & libro XLI. *Latinas fuisse ante diem III. Non. Maii, in quibus, quia in una hostia magistratus Lanuvinus precatus non erat, populo Rom. Quiritium religioni fuisse; instauratisque Latinis, placuisse, Lanuvinos, quorum opera instaurarentur, hostias præbere: Q. Petillium consulem Latinas in ante diem III. idus Sextiles edixisse.* hinc est, quod Cicero dixit in Planciana, *e Lavicano, Bovillano, & Gabino municipio vix qui carnem Latinis peterent, sua ætate inventos esse.* & cum Attico jocans, *aviam ejus mortuam, quod verita esset, ne Latinæ in officio non manerent, & in montem Albanum hostias non adducerent.* Atque his feriis unum diem dicavit Superbus. exactis autem regibus alter additus est; post fœdus cum Latinis a Sp. Cassio consule ictum, tertius; anno demum urbis trecentesimo nonagesimo sexto composita, quæ diu civitatem turbaverat, de plebejo consulatu seditione, quartus. id quod apud Dionysium, Livium, & Plutarchum in Camillo scriptum reperio.

Ergo, ut eo mea revertat, unde discessit, oratio, primis temporibus, dum integræ Volscorum Æquorumque opes fuerunt, Latini cum dicebantur, ceteri omnes ex vetere Latio, his duobus populis exceptis, intelligebantur, quod se communibus his aliorum Latinorum consiliis non committerent. quo fiebat, ut seorsum a Latinis, quasi ex eorum corpore non essent, vulgo nominarentur. si quidem Sex. Tarquinius, Superbi filius, inter Gabinos ait apud Livium, se, nisi ab Gabinis recipiatur, *pererraturum omne Latium, Volscosque inde, & Æquos, & Hernicos petiturum.* & alio loco scriptum est apud eundem: *Latinos, Hernicis assumptis, Volscos, & Æquos in agro Latino castra ponentes, sine Romano duce fudisse.* & alibi Numicius Circejensis, prætor Latinorum, *se ex Latinis, & Volscis populis juventute propere excita, rediturum infesto exercitu Capuam esse*, professus est. Ut omittam, quod idem ipse inter socios populi Rom. Latium omne cum Sabinis, Volscis, Æquis, Hernicis, quorum auxiliis Alexandro Magno, si in Italiam irrupisset, resistere potuissent, numeravit. Nam quid Ciceronem laudem auctorem, qui pro Balbo dixit, ex Latio multos, ut Tusculanos, & Lanuvinos, & ex ceteris generibus gentes universas in civitatem esse receptas, ut Sabinorum, Volscorum, & Hernicorum? Neque vero solum Æqui, Volcique separatim a Latinis sunt appellati, sed privato etiam nomine, universo quiescente Latio, plerunque in armis fuerunt. id quod postea cum res illorum tractabo, perspicue demonstrabo. nunc de iis, qui proprie Latini & dicti & habiti sunt, disputandum.

Horum fœdera multa cum populo Rom. eaque alia aliis meliora fuisse, comperio. sed antiquissimum omnium fuit Albanum. siquidem magna fuit populo Rom. jam inde a primordio urbis cum populo Albano necessitudo, non solum voluntatum, & sanguinis, sed fœderum quoque & societatis vinculo colligata, quod, ut scribit Strabo, ambo Latini essent, & eodem ambo sermonis genere uterentur, & cum proprium uterque regem haberet, connubia tamen, & sacra, & cetera jura civilia communia usurparent. Primum cum iis fœdus a Romulo rege ictum est, quo est cautum, ne bellum inter se gererent: alioquin quæ bellum intulisse civitas diceretur, ea judicium alterius, & multam subiret. Secundum a Tullo Hostilio, nobili illa per Tergeminos Horatios parta victoria: *ea lege, ut juventutem in armis Albani haberent: usurum se regem ea, cum res postularet.* cum autem idem, anno post Albæ excidium quinto decimo, legatis ad triginta urbes, quæ in Albanorum ditione fuerant, circummissis, petiisset, ut, quo modo Albanis, item sibi, a quo Albanorum fractæ opes essent, dicto audientes essent; idque il-

se se facturas abnuerent; bellum utrinque susceptum est, prætoribus in communi Latinorum concilio creatis Anco Publicio Corano, & Sp. Vecilio Lavinio. Eo vero bello in quintum annum mutuis potius agrorum populationibus, quam justis prœliis extracto, fœdus tertium est percussum. Post autem cum Tulli morte Latini sublatis animis agrum Romanum populabundi inissent, ab Anco rege, bello ad singulas urbes circumlato, ad pacem petendam, & fœdus renovandum sunt compulsi. Quo mortuo, Apiolani, & ceteri Latini soluta esse morte ejus fœdera rati, cum in fines Romanos excursiones fecissent, multo majore conatu L. Tarquinio Prisco rege bello domiti pacis conditiones acceperunt: *Ut agros ac leges suas haberent, ac socii populi Ro. dicerentur illi quidem, sed ad regis tamen Romani mandata præsto essent.* ab eo omne nomen Latinum domitum: Corniculum, Ficulneam veterem, Cameriam, Ameriolam, Medulliam, Crustumeriam, Nomentum de priscis Latinis, aut qui ad Latinos defecerant, oppida capta, prodit Livius. Hoc autem fœdus post a Superbo rege, cum principatum Latinorum sibi callide ascivisset, renovatum est, Latinis etiam feriis, quas Romanus, Latinusque populus communiter in monte Albano celebraret, ut supra diximus, institutis. Atque hæc quidem omnia Dionysius. neque vero multo aliter Livius. quanquam ipse ut brevius, sic obscurius in hujus antiquitatis pertractatione versatur. Horum autem fœderum meminit fere apud eum inter Latinos rex Superbus. *Posse se quidem*, inquit, *vetusto jure cum illis agere, quod, cum omnes Latini ab Alba oriundi sint, in eo fœdere teneantur, quo ab Tullo res omnis Albana cum colonis suis in Romanum cesserit imperium: ceterum se utilitatis id magis omnium caussa censere, ut renovetur id fœdus, secundaque potius fortuna populi Rom. ut participes Latini, fruantur, quam urbium excidia, vastationesque agrorum, quas Anco prius, patre deinde suo regnante perpessi sint, semper aut expectent, aut patiantur. Haud difficulter persuasum Latinis*, pergit Livius, *quanquam in eo fœdere superior Romana res erat. ita renovatum fœdus, indictumque junioribus Latinorum, ut ex fœdere die certa ad lucum Ferentinæ armati frequentes adessent.* Cum hoc igitur societatis jure Latini cum populo Rom. essent juncti, quid est, cur miremur in primo fœdere, quod, expulso rege Superbo, ac vindicata in libertatem rep. Bruto, & Collatino consulibus, cum Pœnis ictum est, Romanos Latinis sociis, qui maritimam oram accolerent, Ardeatibus, Antiatibus, Laurentibus, Tarracinensibus, quod scriptum est apud Polybium, prospexisse? Post hæc autem A. Postumio, T. Virginio consulibus anno post reges exactos XIV. post urbem conditam CCLVII. Latinos Octavo Mamilio Tusculano, Superbi regis genero, rebellasse comperimus. Fuerunt autem Ardeates, Aricini, Bolani, Bubentani, Corani, Carventani, Gabini, Laurentes, Pedani, Querquetulani, Satricani, Scaptienses, Setini, Tiburtini, Tusculani, Tolerini, Tellenii, Veliterni, Lanuvini, Lavicani, Nomentani, Norbani, & Prænestini. quibuscum ab A. Postumio dictatore ad locum Regillum in agro Tusculano debellatum, ac triennio post fœdus percussum invenio Sp. Cassio iterum, & Postumo Cominio iterum consulibus. Quo de fœdere hæc Dionysius: *Eodem tempore ictum fœdus cum omnibus Latinis civitatibus, de societate, atque amicitia maxime, quod in secessione plebis nihil moverant, eamque tandem in urbem recessisse gratulabantur, bellumque adversus deficientes civitates una suscepturæ videbantur. verba autem fœderis hæc fuerunt: Inter Romanos, & Latinorum civitates omnes æterna pax esto: neque ipsæ inter se bellanto, neque aliunde hostes inducunto, neque hostibus tutos transitus præbento, sed bello oppressis opem omnibus viribus ferunto: spoliorum, ac prædæ partem æqualem habento: privatarum litium judicia illi, quibus mandata cognitio fuerit, intra decem dies peragunto: his legibus nihil addi, demive possit, nisi si Romanis, Latinisque ita placuerit.* Meminit hujus quoque fœderis Livius libro secundo; meminit & in Corneliana Cicero. quin etiam profert ex fœdere Latino Festus hæc verba: *Pequuniam, qui nancitor, habeto, &, si quid pignoris nanciscitur, sibi habeto.* Quæ caussa fecit, ut Livius, post aliquot annos Torquatum consulem ita ad Latinos loquentem fecerit: *Hæccine fœdera Tullus Romanus rex cum Albanis patribus vestris, Latini, hæc L. Tarquinius vobiscum fœdera postea fecit? non venit in mentem pugna ad lacum Regillum? adeo & cladium vestrarum, & beneficiorum nostrorum erga vos obliti estis?* Atque hi quidem populi, nisi si qui privato forte nomine, ac privatis opibus interea bellum intulissent, ut Prænestini, Tusculani, & Tiburtes sæpe fecerunt, in amicitia populi Rom. manserunt usque ad annum CCCLXIV. quo anno perculsam civitatem scribit Livius defectione Latinorum, Hernicorumque, qui post pugnam ad lacum Regillum factam per annos prope centum nunquam ambigua fide in amicitia populi Rom. fuerant. Cum ergo Latini descivissent, ac milites ex formula per aliquot inde annos negassent, tum anno demum CCCXCV. C. Fabio, C. Plautio coss. in amicitiam redierunt. sic enim post scriptum invenio apud eundem: *Inter multos terrores solatio fuisse pacem petentibus Latinis datam, & magnam vim militum ab iis ex fœdere vetusto, quod multis intermiserant annis, acceptam.* Neque vero hæc diu culta fides est. Nam, eodem teste Livio, anno CCCCIV. *concilia Latinorum ad lucum Ferentinæ habita; responsumque haud ambiguum imperantibus milites Romanis datum: Absisterent imperare iis, quorum auxilio egerent. Latinos pro sua libertate potius, quam pro alieno imperio laturos arma.* Itaque anno ipso CCCCXIII. cum eo superbiæ adducti essent, ut alterum e Latio Romæ consulibus fieri, Romam a consulibus prætores eorum evocati respondissent, bellum Rom. adversus se concitarunt. quo ad Veserim in Campania victi sunt, T. Torquato, & P. Decio, qui se in acie devovit, consulibus. Adeo vero eorum opes accisæ sunt, *ut*, quod scriptum reliquit Livius, *Torquato consuli victorem exercitum ad populandos agros eorum ducenti dederent se omnes Latini. Latium agro multatum: extra pœnam fuere Laurentes, quia non desciverant. cum iis renovari fœdus jussum. renovaturque quotannis post diem decimum Latinarum.* deinceps Latinos, ob iram agri amissi rebellantes, fusos, atque in deditionem acceptos a Q. Publio Philone consule, inde Aricinos, Lavinos, Veliternos, cum in armis essent, a C. Mænio, Pedanos & Tiburtes a L. Camillo, idem auctor est. *Placuit deinde*, inquit, *majore conatu a Pedi expugnatione ad perdomandum Latium victorem circumducere exercitum. nec quievere consules, antequam expugnando, aut in deditionem accipiendo singulas urbes Latium omne subegere. Camillo autem in senatu de populis Latinis referenti responsum, cum aliorum alia caussa esset, ita expediri posse consilium, ut pro merito cujusque statueretur, si de singulis nominatim referrent. relatum igitur de singulis, decretumque. Lanuvinis civitas data. Aricini, Nomentanique & Pedani eodem jure, quo Lanuvini in civitatem accepti. Tusculanis servata civitas, quam habebant. Velitris, quia sæpius defecerant, senatus abductus, in agrum senatorum coloni missi. Antium nova colonia deducta. mare interdictum Antiati populo, & civitas data. (hæ duæ enim Volscorum civitates huic bello interfuerunt) Tiburtes, Prænestinique agro multati. ceteris populis Latinis commercia, & concilia inter se ademerunt.* Atque hoc tempore Latini ad lu-


Chorographia
Latii
Sive
Territurii Romani
Iuxta Veterem
Porte di Roma
1 P. S. Pietro
2 P. Cavalleggieri
3 P. S. Pancrazio
Aurelia
4 Portese
5 P. S. Paulo
Tergemina
6 P. S. Sebastiano
Capena
7 P. Latina
8 P. S. Giovanni
Celimontana
9 P. Magg. nevio
10 P. S. Lorenzo
Tiburtina
11 P. Pia
Riminale
12 P. Salaria
13 P. Pinciana
Collatina
14 P. del Popolo
Flumentana
15 P. di Castello
Enea o Elia
16 P. Angelica
Scala
Milliaria
Aprutiorum Regio
Æquicoli
Hernicorum
Parte di Regio
Campagna
Hernici
Volscorum
Setia
Regio
Pars Sabinorum
Sabina
Falisci et Hirpi
Parte di Toscana
Veienti
Latini
Sicani
Rutili
Volsci
Paludes
Pomptinæ
Mare
Thyrrenum
Roma
Via Salaria
Via Flaminia
Via Appia
Via Latina
Via Prenestina
Via Labicana
Via Tiburtina
Via Ostiense
Via Portuense
Via Aurelia
Via Ardeatina
Via Chigia
Lago di Baccano
Lago di Martignano
Lago di Bracciano o Sabatino
Anguillara
Trevignano
Bracciano
Campagnano
Cesano
Galera
Ostia
Porto di Traiano
Isola Sacra
Fiumicino
Frascati
Albano
Ariccia
Castel Gandolfo
Marino
Genzano
Nemi
Velletri
Tivoli
Palestrina
Zagarola
Gallicano
Monticelli
Palombara
Mentana
Campo di Annibale
Lago di Nemi
Lago Albano
Ardea
Lavinio
Pratica
Porcigliano
Laurenti
Campo Salino
Ponte Molle
Cora a Chorace uno ex Fratribus Conditoribus Tiburis
Hic Æneas descendit in terram Aborigenum ubi agrum Latinum
Monte Circello olim Circæum

cum Ferentinæ rerum communium cauſſa convocari deſierunt, quod ex Cincianis commentariis perſpici poteſt, unde hæc hauſit Feſtus: *Prætor*, inquit, *ad portam nunc ſalutatur is, qui in provinciam proprætore, aut proconſule exit. cujus rei morem ait fuiſſe Cincius in libro de conſulum poteſtate talem. Albanos rerum potitos uſque ad Tullum P. Decium Murem conſulem populos Latinos ad caput Ferentinæ, quod eſt ſub monte Albano, conſulere ſolitos, & imperium communi conſilio adminiſtrare. Itaque quo anno Romanos imperatores ad exercitum mittere oporteret, juſſu nominis Latini complures noſtros in Capitolio a ſole oriente auſpiciis operam dare ſolitos. ubi aves addixiſſent, militem illum, qui a communi Latio miſſus eſſet, illum, quem aves addixerant, prætorem ſalutare ſolitum, qui eam provinciam obtineret prætoris nomine*. Atque hæc quidem de pace reddita Latinis, deque præmiis, & multa eorum invenimus. Quam quidem pacem ab iis poſt in perpetuum ſanctiſſime cuſtoditam, nullis unquam adverſus populum Romanum, publico præſertim nomine, captis armis, animadverto. Quod cum ita ſit, ſane dubitari non poteſt, quin aut hoc tempore, aut non ita multo poſt, vetuſtum fœdus ſecum a Caſſio conſule ictum recuperarint. Etenim Cicero, qui trecentos poſt annos floruit, Latinos fœderatos in Balbi defenſione appellat *eo fœdere, quod cum Latinis omnibus Sp. Caſſio, Poſtumo Cominio conſulibus ictum eſt*.

CAP. IV.

De jure Latii.

EX fœdere autem, quod cum Latinis eſt percuſſum, jus illud emanavit, quod eſt jus Latii, vel Latinitas appellatum. quod ſupra dixi jure quidem civium Romanorum eſſe deterius, Italico vero aliquanto commodius. Hujus, ut etiam illius, multas partes fuiſſe, neminem puto fore, qui non intelligat, ſi in veterem memoriam paulo diligentius oculos quaſi mentis intendat. quæ autem hæ fuerint, nobis etiam atque etiam quærendum exiſtimo. Quæremus autem iiſdem veſtigiis jus Latinorum, quibus alio libro jus civium Romanorum inveſtigavimus. Ita quoniam jura ea in duo genera digeſſimus, quorum unum privatam rationem attigiſſe diximus, alterum publicam, eandem in hac diſputatione diſtributionem tuebimur. Sic igitur ſtatuo, Latinos privato jure longe alio uſos eſſe, quam cives Romanos. ne longius argumenta petam, hoc unum ſatis valeat, quod jus Latii juri Quiritium opponeretur, adeo ut, qui Latinitate donati eſſent, iidem, ſi meliore in cauſſa ponendi eſſent, jure Quiritium augerentur. Jus autem Quiritium cauſſam privatam, ut dixi, complexum eſt, libertatis, gentilitatis, ſacrorum, connubiorum, patriæ poteſtatis, legitimi dominii, teſtamentorum, & tutelarum. cum enim hæc omnia jure civili eſſent conſtituta, jus autem civile Quiritium eſſet, non Latinorum: profecto Latini nulla hujus parte ſunt uſi, niſi quidam ex iis populis fundi eſſent facti. quid eſt autem fundus quidquam aliud, quam auctor? quod oſtendit Plautus in Trinummo: apud quem ita eſt:

Nunc mihi is propere conveniendus eſt, ut quæ cum ejus
Filio egi, ei rei fundus pater ſit potior eo.

Cui opinioni convenienter Feſtus etiam prodidit, fundum dici populum rei, quam alienat, hoc eſt, auctorem. Ex quo tranſlate populos fundos appellatos eſſe intelligere poſſumus, qui ipſi auctores eſſent, ut jure civili Romano ſe obſtringerent. quo modo accepit accuſator Cornelii Balbi, quod indicat Cicero, cum in defenſione ejus ait: *Negat ex fœderato populo quenquam potuiſſe, niſi is populus fundus factus eſſet, in hanc civitatem venire*. Item: *Potuit magis fundus populus Gaditanus fieri, ſi tum ſit fundus, cum ſcita ac juſſa noſtra ſua ſententia comprobat, quam cum hoſpitum fecit?* Quanquam Cicero ipſe, qui ei reſpondit, aptius ad cauſſæ victoriam, quam ad veritatis rationem locutus, populum ita fieri fundum dixit, *ſi cum juſſiſſet populus Romanus aliquid, ſi id aſciviſſent ſocii populi, ac Latini, & ſi ea lex*, inquit, *quam nos haberemus, eadem in populo aliquo, tanquam in fundo reſediſſet, ut tum lege eadem populus is teneretur; non ut de noſtro jure aliquid minueretur, ſed ut illi populi aut jure eo, quod a nobis eſſet conſtitutum, aut aliquo commodo, & beneficio uterentur. tulit*, inquit, *apud majores noſtros legem C. Furius de teſtamentis, tulit Q. Voconius de mulierum hereditatibus. innumerabiles aliæ leges de jure civili ſunt latæ. quas Latini voluerunt, aſciverunt*. Ex quibus verbis patet, omnino Romanos Latinis jus civile ſuum non communicaſſe, ſed eos tamen uti legibus aliquot eſſe paſſos, & partem juris Quiritium ſæpe conceſſiſſe, eoſque populos fundos appellaſſe. Ex quo ſcitum eſt illud apud Gellium libr. XVI. *municipes nulla populi Rom. lege aſtrictos eſſe, cum nunquam populus eorum fundus factus eſſet*. Ergo quoniam aliud erat, ut dixi jus Quiritium, aliud jus Latii; atque illud proprium civium Rom. hoc Latinorum: alio jure privato Latini uſi ſunt, alio cives Romani. Neque vero, ſi jura privata libertatis Romanæ, gentilitatis, ſacrorum, ceterarumque rerum, quas alio volumine perſecuti ſumus, memoria retinentur, hic locus ullam habere dubitationem poterit. non enim ſi per leges Romanas civis Romanus neque a privato verberari, neque a magiſtratu cædi potuit, propterea etiam Latinus non potuit: nec ſi quid juris patricii, aut plebeii Romæ habuerunt, idem etiam Latini uſurparunt. nam ſacrorum jura quædam, & connubiorum, & patrum in liberos, & legitimi dominii, & teſtamentorum, & tutelarum propria civium Romanorum fuiſſe ita, ut nullis aliis, niſi jure Quiritium impertito, communicata ſint, ita ex eadem diſputatione perſpicuum eſt, ut longiorem orationem non deſideret. Quod autem jus, aut quæ conſuetudo harum rerum obeundarum apud Latinos fuerit, equidem vix inveniri, aut pro certo afferri poſſe crediderim. Quod tamen de ſponſalibus eorum proditum ſit, hoc loco apponere non gravabor. *Sponſalia*, inquit Gellius, *in ea parte Italiæ, quæ Latium appellatur, hoc more, atque hoc jure ſolita fieri ſcripſit Ser. Sulpicius in libro, quem ſcripſit de dotibus. Qui uxorem*, inquit, *ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat, ſtipulabatur, eam in matrimonium ductum iri. qui daturus erat, itidem ſpondebat. Is contractus ſtipulationum ſponſionumque dicebatur ſponſalia. Tum quæ promiſſa erat, ſponſa appellabatur; qui ſpoponderat ducturum, ſponſus. Sed ſi poſt eas ſtipulationes uxor non dabatur, aut non ducebatur, qui ſtipulabatur, ex ſponſu agebat. judices cognoſcebant. judex quamobrem data, acceptave non eſſet uxor, quærebat. ſi nihil juſtæ cauſſæ videbatur, litem pecunia æſtimabat, quantique interfuerat, eam uxorem accipi aut dari, eum, qui ſpoponderat, aut qui ſtipulatus erat, condemnabat. Hoc jus ſponſaliorum obſervatum dicit ad id tempus, quo civitas univerſo Latio lege Julia data eſt. Hæc eadem Neratius ſcripſit in libro, quem de nuptiis compoſuit*. Ex quibus rebus intelligi poteſt, Latinos ante civitatem Romanam acceptam alio jure ſponſaliorum eſſe uſos; poſtquam in civitatem accepti ſunt, jus in eo Quiritium eſſe ſecutos.

Age vero privatum jus fuit diverſum, quid publicum, cenſus, militiæ, tributorum, & vectigalium,

suffragiorum, & honorum? ne omnino quidem idem habuerunt, sed tamen in eo ad civium Rom. conditionem propius accesserunt. censos autem Romæ Latinos non invenio, nisi si qui aut furtim eo nomine civitatem Rom. assequi voluissent, aut jam municipes facti essent. Municipibus autem & coloniis aliquot & Romæ & in suis civitatibus censeri licuit: quod post illustrius apparebit. Quod si hoc in municipiis & coloniis, quæ leges Romanas, non suas habuerunt, est observatum, quanto magis in fœderatis, & liberis civitatibus valuisse verisimile est. Quæret aliquis, quid de tributis? de his nihil habeo, quod affirmem: non deest, quod opiner. Mihi vero videtur prope ad veri similitudinem accedere, si cives Rom. tributum contulerunt, ac vectigalia pependerunt, nec Latinos, qui deteriore erant in caussa positi, ab iis oneribus vacuos fuisse. præsertim vero cum scriptum inveniam apud Livium libro nono: *Latinos, postquam stipendiarii facti sint, scuta pro clypeis usurpasse*. & apud Appianum libro primo: *Italos questos, se militando, & tributo conferendo fessos esse*. & Dio adjiciat: *lege Metelli Nepotis vectigalia urbi, & Italiæ molesta esse sublata*. in Ambracensium autem fœdere, Livio auctore, illud etiam positum fuerit, *ut portoria, quæ vellent, caperent, dum modo eorum cives Rom. & Latini socii immunes essent*. Militasse porro Latinos pro Romanis, non est dubium. hoc enim & aliis ante fœderibus, & maxime Cassiano est provisum, ut Latini Romanorum arbitrio copias pedestres & equestres darent, quarum opera ipsi in bello uterentur. Unde illud est Livii in tertio, ut alios, quos supra commemoravi, locos multos omittam: *Hernici, & Latini jussi milites dare ex fœdere: duæque partes sociorum in exercitu, tertia civium fuit*. & illud in sexto: *Cum quæsitum ab Hernicis, & Latinis esset, cur per eos annos militem ex instituto non dedissent, responsum datum, terrorem assiduum a Volscis caussam attulisse*. Neque vero, quanquam cum Romanis Latini militarunt, propterea in legione, nisi fortasse municipes facti, meruerunt, sed in auxiliis. fuit enim legio civium Romanorum, auxilia sociorum. Quocirca scripsit Vegetius probe libro secundo, apud omnes se auctores invenisse, singulos consules adversus hostes copiosissimos non amplius, quam binas legiones adduxisse, additis auxiliis sociorum. Numerus tamen eorum nec semper idem, nec iisdem semper civitatibus est imperatus, sed aut pro rei magnitudine a senatu decretus, aut arbitrio consulum, quibus id negotii datum erat a senatu, est permissus. Quod docet Livius, cum libro vigesimo primo ita scribit: *Sex in eum annum decretæ legiones, & sociorum quantum consulibus videretur. quatuor & viginti peditum Romanorum millia sunt scripta, mille & octingenti equites. sociorum quadraginta quatuor peditum, & quatuor equitum*. item libro quadragesimo primo: *Additum decreto, ut consules binas legiones scriberent, & trecentos equites, & dena millia peditum sociis nominique Latino, & sexcentos imperarent equites*. & libro quadragesimo tertio: *Quatuor legiones scribi jussæ, quæ, si quo opus esset, educerentur. sociis nominis Latini sexdecim millia peditum, & mille equites imperati*. Ex quo intelligi potest, variasse sæpe id, quod perpetuum fuisse significare videtur Paterculus, cum ait: *questos esse Italicos, quod cum duplici peditum, equitumque numero fungerentur, civitatis tamen Romanæ expertes essent*. Eodem accedit Polybius, qui peditum numerum plerumque Rom. legionibus parem, equitum duplicem datum esse admonuit; cujus verba placet afferre, quia mirifice hunc locum, & hanc totam de sociorum militia quæstionem possunt illustrare. Sic igitur ille libro sexto, postquam de Romana legione locutus est, scribere de sociorum auxiliis pergit: *Eodem tempore consules præfe-*

A *ctis civitatum sociarum Italiæ ostendunt, ex quibus velint ad se auxilia mitti, numero, & die, & loco, in quem convenire debeant, indicto. civitates autem delectu simili Romano delectui habito, & jurejurando simili dato, mittunt præfecto, & tribuno ærario addito. Ubi vero socii convenerunt, divisionem eorum adhibent ii, qui a consulibus præpositi sunt, qui præfecti nominantur, numero duodecim. Hi primum ex omnibus aptissimum quemque ad bellicos usus equites, peditesque consulibus legunt, quos extraordinarios vocant. numerus autem universus sociorum, peditum quidem est plerumque Romanis legionibus æqualis, equitum vero duplex. ex his equitum* B *tertiam partem legunt in extraordinarios, peditum vero quintam. reliquos autem in duas dividunt partes, quarum alteram dextrum cornu appellant, alteram sinistrum*. Hactenus Polybius. Quanto vero majora legionum commoda fuerint, quam auxiliorum, satis in iis libris ostendimus, quos de jure civium Rom. conscripsimus. Habeo auctorem Plutarchum, legem a M. Livio Druso tribuno pleb. C. Gracchi collega ex auctoritate senatus latam, ne quis Latinus in castris cædi virgis posset. quam legem postea non observatam esse ab severis imperatoribus, qui remoto virgarum metu exercitum in officio conti- C nere se vix posse videbant, ex eo adducor ad suspicandum, quod de Italico præfecto quodam prodit in Jugurthino bello Sallustius: *Turpillius, quem præfectum oppidi unum ex omnibus profugisse supra ostendimus, jussus a Metello caussam dicere, postquam parum se purgat, condemnatus, verberatusque, capite pœnas solvit. nam is civis ex Latio erat*. Sed de Latinorum militia hactenus.

Relinquuntur duo, quibus jus optimum maxime stabiliri solet, suffragia, & honores. quæ qualia Latini habuerint, deinceps videamus. nam, ut nulla habuisse eos, negari non potest; sic non optima lege habuisse, asseri potest. suffragiorum D autem latione ea usi sunt, ut, quantum ex annalium veterum monumentis, & populi R. actionibus colligi potest, nec tribum certam, in qua suffragium ferrent, habuerint; nec nisi ad leges jubendas, & judicia facienda vocati sint; nec intercedente vel consule, vel tribuno pleb. jus ullum suffragii ferendi habuerint, sed sæpe urbe, in quam suffragiorum caussa venerant, abire sint jussi. hoc autem Cassiano etiam fœdere impetratum apparet. siquidem Cassius ipse consul tertium, is, quem fœdus cum Latinis percussisse supra diximus, apud Dionysium in concione gloriatur, se in primo consulatu Sabinos subegisse, in secundo plebem in ur- E bem reduxisse, Latinosque Romanorum consanguineos illos quidem, sed gloriæ tamen eorum invidentes ad amicitiam adduxisse, atque æquo jure civitatis donasse, ut non amplius Romam adversariam, sed patriam appellarent. Civitatem tamen neque omnino cum suffragio, neque prorsus sine suffragii latione datam, sed ad arbitrium magistratuum, ex verbis, quæ addit Dionysius, intelligitur. inquit enim: *Cum Cassius Hernicos iisdem fœderis conditionibus, quibus Latinos, obstrinxisset, atque agrum Hernicis ademptum, plebi Romanæ, Latinis, Hernicisque divisurus esset, eique rogatio-* F *ni intercederetur; Latinos, & Hernicos, quam plurimos potuit, ad suffragium ferendum accivit. qui cum frequentes venissent, urbem hospitum turba repleverunt. quod cum ad Virginium collegam ejus delatum esset, per compita edici jussit, ut qui in urbe domicilium non haberent, intra certam diem exirent. Cassius autem contra edixit, ut, qui civitate donati essent, donec lex accepta esset, manerent*. Quibus ex verbis, quis est, qui non intelligat, nisi Latini civitatem ac jus suffragii habuissent, eos Sp. Cassium ad legem suffragiis suis jubendam advocaturum non fuisse; nec si illi lege

Cassia optimum jus civitatis habuissent, ab ejus collega Virginio urbe pelli ante inita suffragia potuisse: verum incertam suffragiorum rationem magistratuum arbitrio Latinis esse permissam? neque enim hoc semel factum est, ut Latini ante legem Juliam ad suffragia sint acciti. ex hoc enim jure illud est, quod Livius scribit contigisse anno urbis DXLI. Ap. Claudio, Q. Fulvio coss. Italia bello Punico secundo flagrante, in judicio M. Postumi Pyrgensis, ad populum: *Testibus*, inquit, *datis tribuni populum summoverunt, sitellaque allata est, ut sortirentur, ubi Latini suffragium ferrent*. Neque vero, nisi jus suffragii aliquod habuissent, sortitione tribuum opus fuisset, in quibus suffragium ferrent; nec, si tribum, ut jure optimo cives, obtinuissent, ubi suffragium dicerent, sortiendum fuisset. Nam cum consulum arbitratu Latini, qui suffragiorum caussa venerant, alias aut in urbe retinerentur, aut exire juberentur, tum tamen eos credo ad suffragium ineundum maxime a Consulibus esse adhibitos, ut gravissimis, ac periculosissimis Punici belli temporibus, in magna totius Italiæ defectione Latinum nomen honoris ejus beneficio sibi arctius devincirent. Qua de caussa eodem bello triennio ante Sp. Carvilius in senatu etiam pro magna re se suadere dixerat, *ut ex singulis populis Latinorum binis senatoribus, si patres censuissent, civitas daretur, ejusque rei ut alienæ mentio oppressa est*. Itaque idem post tranquillatis rebus Italiæ, in tribunatu C. Gracchi non est concessum. qui anno DCXXXI. multis legibus adversa nobilitate promulgatis, cum Latinos ad eas suffragio jubendas in urbem advocasset, & C. Fannius consul ex S. C. eos exire ex urbe jussisset, Gracchus iis manentibus auxilio futurum professus, incœpto tamen, cum a lictoribus consularibus Latinos duci videret, teste Plutarcho, destitit. Quare duodecimo post anno in rogatione Mamilia ferenda idem occulte dicitur esse tentatum. Sic enim scribit in Jugurthino Sallustius: *Interea Romæ C. Mamilius Limitanus tribunus pleb. rogationem ad populum promulgat, ut quæreretur in eos, quorum consilio Jugurtha senatus decreta neglexisset, quique ab eo in legationibus aut imperiis pecunias accepissent. huic rogationi partim sibi conscii, alii ex partium invidia pericula metuentes, quoniam aperte resistere non poterant, occulte per amicos, & maxime per homines Latini nominis, ac socios Italicos impedimenta parabant*. Hoc autem jus cum in Sextiana Cicero intueretur, dixit: *nihil acerbius socios Latinos ferre solitos esse, quam id, quod perraro accidit, a consulibus juberi ex urbe exire*. Habuerunt ergo ante legem Juliam, bellumque Italicum, ex fœdere Cassianos jus suffragii Latini, aut certe speciem quandam suffragiorum, cum id potius precarium esset magistratuum beneficium, quam optimum jus suffragiorum.

Extremum fuit jus magistratuum Romæ petendorum & capiendorum, in quo tantum momenti est constitutum, ut hoc unum Latii jus appellatum sit: quippe quia qui hoc habebat, reliqua superiora haberet omnia. sunt ergo qui jus Latii fuisse scribant, ut petendi magistratus gratia civitatem Romanam adipiscerentur. hic est autem eximius interpres Ciceronis Asconius, qui in commentario Pisonianæ scriptum reliquit, *Cn. Pompejum Transpadanis colonis jus dedisse Latii, ut possent habere jus, quod ceteræ Latinæ coloniæ, id est, ut petendi magistratus gratia civitatem Romanam adipiscerentur*. Quid autem sit, *petendi magistratus gratia civitatem Romanam adipisci*, magnam merito habere potest quæstionem. quid est enim? an ut cives Romani fierent tantummodo, ut Romæ honores peterent? non videtur. qui enim credibile est omnes Latinos jus petendorum Romæ magistratuum habuisse, qui ne suffragium quidem, nisi quo modo demonstratum est, ferrent? est enim jus magistratus magnificentius multo quam suffragii. an ut qui jus Latii haberent, præter cetera civitatem etiam Rom. assequerentur, ubi apud Latinos magistratum petiissent, vel potius gessissent? arbitror. id enim aperte tradit Appianus libro II. cum inquit: *Novum Comum Cæsar ad jus Latii redegit, apud quos qui annum gessissent magistratum, cives Rom. fiebant. hanc enim vim habuit Latinitas. Marcellus autem consul Novocomensem quendam, & qui apud Novocomenses magistratum gesserat, ac Romæ se propterea pro cive gerebat, in Cæsaris contumeliam virgis cædi jussit, ut intelligeret, se civem Rom. non esse*. Adjicit Strabo, magistratus hos ædilitatem & quæsturam fuisse. sic enim & ipse scribit libro quarto: *Nemauso in Gallia jus Latii datum, ut qui Nemausi ædilitatem, & quæsturam adepti essent, ii cives Romani essent. eaque de caussa populus ille Romanis prætoribus non paruit*. Quibus ex verbis cum illud perspici non obscure potest, quod jam diu quærimus, jus Latii fuisse, ut qui Latino in oppido, vel jure Latii donato ædilitatem, aut quæsturam gessisset, civis Romanus esset; tum Latinos ipsos ne magistratuum quidem Romanorum edictis, sed suorum prætorum obtemperasse. Tale autem jus post etiam imperatorum temporibus usurpatum, verba ea indicant, quæ sunt in Panegyrico Pliniano ad Trajanum, divum Nervam iis, quibus per Latium civitas patuisset, indulsisse. Hoc vero jus Latini populi usque ad annum DCLXII. usurparunt, quo ex lege Julia civitas universo Latio est concessa, paucis quibusdam oppidis exceptis, quibus civitatis, & suffragii jura singulari populi Romani benignitate ante fuerant permissa. Quod, opinor, Livius intellexit, cum libro XXVI. scripsit, *jam inde a majoribus traditum morem Romanis colendi socios, ex quibus alios in civitatem atque æquum secum jus accepissent, alios in ea fortuna haberent, ut socii esse, quam cives, mallent*.

CAP. V.

De fœdere & jure Volscorum & Æquorum.

His expositis, quale fuerit jus Latii veteris, intellectum puto. Sequitur, ut de Volscis, & Æquis disseramus, quos Latio quidem inclusos, in Latinis tamen, ut supra ostendimus, antiqui non numerarunt. Hi vero vel potentiores vel ferociores ceteris, qui Latium incolerent, populis diu Romani molem belli sustinuerunt, ut eos merito dicat Florus pervicacissimos Latinorum, ac quotidianos prope hostes Romanorum fuisse. Quas ipsi civitates in Latio habuerint, & quam regionem tenuerint, supra dictum est. nunc, quod rem magis continet, ut victi, deletique sint, demonstremus. Volscos primus, ut placet Dionysio, bello persecutus est Ancus rex, populationibus eorum, quibus Romanum agrum infestum reddebant, commotus: atque Velitris, eorum oppido, circumsessis, ad pacem petendam compulit. At Livius secus, qui Volscis & Æquis a Superbo rege arma primum illata scribit, Volscis quidem non dissimulanter, Æquis autem subobscurius: inquit enim, *eum primum Volscis bellum in ducentos amplius post suam ætatem annos movisse, Suessamque Pometiam ex his vi cepisse: excepisse deinde eum lentius spe bellum, quo Gabios, propinquam urbem, adortus est*. & paulo post: *Gabiis receptis pacem cum Æquorum gente fecisse, ac Signiam & Circejos in agrum Volscorum colonias deduxisse*. Cum autem quarto decimo post reges exactos anno, bello Latino Volsci auxilia comparassent, quæ Latinis mitterent, placuit, ut sequentes consules Ap. Clau-

dius, & P. Servilius, anno urbis CCLVIII. adversus eos exercitum ducerent. Volsci subita re perculsi primum obsides trecentos a Cora & Pometia tradiderunt; deinde ad arma conversi, & prælio victi Pometiam oppidum amiserunt. Ecetrani, Pometia capta, rebus suis timentes cum senatum adiissent, agri parte adempta pacem impetrarunt. Postero anno cum Æqui Volscis adjuncti Latinum agrum populabundi inissent, castris relictis in valles desiluere. Volsci, Velitris amissis, colonos Romanos acceperunt. Exarsit deinde vehementius bellum, adeo ut tria ab insequenti consule Postumo Cominio Volscorum oppida in potestatem sint redacta, Longula, quo Antiates fusos fugatosque compulerat, Polusca, & Corioli. Norbam in montem colonia, quæ arx in Pomptino esset, deducta. Quietos inde Volscos & pace Romana contentos triennio post C. Julio, P. Pinario consulibus, Tullus Attius rex & Coriolanus Romanus exul ad arma perpulerunt, atque Æquis assumptis Circejos insequenti anno Romanam coloniam occuparunt. Ex quo tempore Volsci Æquique continentia fere cum Romanis bella gessere, quæ per consules quotannis, sed nulla illustri re gesta, administrata. memorabile illud, Antium oppidum anno CCLXXXIV. ex Volscis, a T. Quinctio Capitolino iterum consule captum, Romanis colonis esse firmatum; anno autem post pacem Æquis sub ea conditione datam, *ut legibus suis utentes privatis stipendiis pro Romanis jussi militarent*. quam pacem cum haud diu servassent, meritas statim pœnas dederunt. Siquidem anno CCXCV. cum duce Clœlio Graccho in Lanuvinum agrum, inde in Tusculanum hostili populatione incurrissent, plenique prædæ in Algido regionis suæ loco, ut inquit Dionysius, castris locatis L. Minucium consulem, adversus se profectum, cum exercitu obsiderent, a T. Quinctio Cincinnato dictatore victi & sub jugum missi, etiam Corbione oppido decedere sunt jussi; & cum Corbione præsidio interfecto Ortanam Latinorum cepissent, a C. Horatio consule non ex Algido modo, sed a Corbione, Ortanaque dejecti. Quietas inde res in Æquis Lavicani novi hostes turbarunt, quos cum veteribus hostibus consilia jungere anno CCCXXXV. Romam est allatum. Et hi quoque cum insequentibus consulibus, Æquorum exercitu adjuncto, agrum Tusculanum depopulati, castra in Algido posuissent, acie superati, non solum Lavicos oppidum amiserunt, sed colonos etiam Romanos receperunt. tertio post anno in Lavicanum excursiones factæ, novisque colonis bellum, Livio teste, illatum. quam noxam cum Volani se consensu omnium Æquorum defensuros sperassent, deserti ab iis & oppido & finibus deturbati sunt. Post quadriennium arx Carventana, quam illi occuparant, a Romanis recepta est; Verrugo & Ferentinum ex Volscis captum. cumque tripartito ad depopulandos fines Volscorum esset discessum, Antium, Ecetras, Anxur, extremum hoc captum est ac direptum, & biennio post Artena occupata. Æqui anno CCCLX. cum Vitelliam coloniam Romanam in agro suo expugnassent, a L. Lucretio consule pulsi. ad extremum vero quadriennio interjecto M. Camillus dictator tertium exercitu in Volscos ducto, non procul ab Lanuvio (ad Mæcium is locus dicitur) castra oppugnare adortus, fusos, cæsosque eos persecutus, cum omnem illorum agrum depopulatus esset, ad deditionem septuagesimo demum anno, quod extat apud Livium libro sexto, subegit. inde victor ex Volscis in Æquos transiit, & ipsos bellum molientes exercitu eorum ad Volas, quod oppidum recuperarant, oppresso, non castra modo, sed urbem etiam aggressus impetu primo cepit. Inclinatis ergo jam in Volscis rebus anno CCCLXVIII. Antiates obsessi urbem agrosque dediderunt. Latini a Volscis deserti Satricum urbem igne concremarunt, quæ anno CCCCVI. ab Antiatibus restituta, & colonia deducta, post biennium, cum eo Volsci compulsi essent, in ditionem Romanam pervenit. In Veliternos inde, & Antiates Volscos, qui bello Latino interfuerent, animadversum. anno CDXXIII. legati ex Volscis Fabraterni Romam venerunt, orantes, ut in fidem reciperentur, & cum jampridem Æquorum arma quiescerent, anno CDXLIX. P. Sempronius Sophus consul ad singulas eorum rebellantium urbes bello circumferendo unum & quinquaginta oppida omnia expugnando cepit. quorum pleraque dirupta atque incensa, nomenque Æquorum prope ad internecionem deletum Livius, omnem Æquorum gentem in ditionem redactam Diodorus auctor est. Itaque postero anno Soram atque Albam deductæ coloniæ. Albam in Æquos; Sora agri Volsci fuerat, sed possederant Samnites. Æqui inde coloniam ægre passi, cum arma cepissent, a C. Junio dictatore subacti. interjecto autem triennio bellum ultimum, sed parum memorabile adversus rebellantes Æquos, cum præter animos feroces nihil ex antiqua fortuna haberent, gestum.

Atque hæc quidem bella sunt, quibus Volsci tandem, Æquique in Latio sunt perdomiti. Quos ut antiquis temporibus Latinorum & concilio & jure exclusos invenio, sic postea propter affinitatem in eadem jura esse ascitos opinor. neque enim ut singulorum Italicorum, sic Volscorum, Æquorumque nomen postea est celebratum; ex quo intelligi potest, omnes Volscos, Æquosque, aut funditus a Romanis esse deletos, aut, si qui tot bellis, cladibusque superfuerunt, uno Latinorum ut jure, sic nomine esse devinctos. Cicero quidem, cum Balbum de civitate defenderet, dixit, *ex Latio Tusculanos, & Lanuvinos, ex ceteris generibus universas gentes in civitatem esse receptas, ut Volscorum, Sabinorum, & Hernicorum.*

CAP. VI.

De agro, fœdere, & jure Hernicorum.

PROXIMI Latinis Hernici, ut dixi, fuerunt: quorum oppida Alatrium, Anagnia, Verulæ, Capitulum, Cernetum, Frusino, & Ferentinum. Hos primus Superbus rex societate devinxit ac Latinarum feriarum participes fecit. deinde C. Aquillio, T. Sicinio coss. anno urbis CCLXVII. quod contra fœdus agrum Romanum populati essent, bello petiti, a Sp. Cassio tertium consule, cum pacem petiissent, fœderis conditiones easdem, quibus Latinos ille in secundo consulatu obstrinxerat, magna cum populi Romani querimonia acceperunt. cujus fœderis summam fuisse ex Dionysio diximus; *Ut socii populi Rom. vocarentur, ut belli caussa auxilia mitterent, ut tertiam prædæ partem referrent, & jus ferendorum, si inter magistratus convenisset, Romæ suffragiorum haberent.* Quanquam autem eodem, quo Latini, fœdere erant devincti, non tamen e Latinorum tum corpore habebantur. neque enim Livius seorsum Latinorum, Hernicorumque auxilia a Romanis accita; Hernicis, Latinisque milites ex formula imperatos; Latinos, assumptis Hernicis, Volscorum Æquorumque copias sine duce Romano fudisse scripsisset; neque Dionysius Latinos Romanorum cognatos, Hernicos alienigenas iis temporibus vocasset.

Servarunt ergo Hernici, Latinique pacem usque ad annum CCCLXIII. quod ostendit Livius, cum scribit, *eo anno Latinos, Hernicosque defecisse, qui post pugnam ad lacum Regillum factam per annos prope centum nunquam ambigua fide in amicitia populi Romani fuerant.* itaque anno CCCXCI. Hernicis

nicis post res nequicquam repetitas bellum indictum; L. Genucium consulem in hostes profectum, & insidiis eorum circumventum interiisse. Postero autem anno Ferentinum eorum oppidum a C. Licinio consule vi captum, deinceps a M. Fabio Ambusto, & C. Plautio consulibus pluribus præliis victos. Cum autem concilium omnium populorum habentibus Anagninis, præter Aletrinatem, Ferentinatemque, & Verulanum, omnes Hernici nominis cum populo Rom. bellum suscepissent, anno CCCCLVII. a Q. Marcio Tremulo consule acie superati sunt, atque in deditionem accepti. Henricorum tribus populis, quia maluerunt, quam civitatem, suæ leges redditæ, connubiumque inter ipsos, quod aliquandiu soli Hernicorum habuerunt. *Anagninis, quique arma Romanis intulerant, civitas sine suffragii latione data, concilia, connubiaque adempta, & magistratibus præterquam sacrorum curatione interdictum.* Atque hoc quidem scriptum apud Livium invenio. nam Diodorus Romanos Anagninis bellum intulisse, ac Frusinone expugnato agrum reddidisse ait. quam historiam nec Livius præterit, qui post biennium Frusinates tertia agri parte multatos narrat, quod Hernicos ab eis solicitatos esse, compertum esset. Et hos autem, ut Volscos, Æquosque ad Latinorum jura post adjunctos opinor: neque enim Hernicorum seorsum a Latinis post in Italicis auxiliis commemorandis, aut in alia actione referenda mentio usurpatur. Itaque anno DXXXVIII. Ferentinates, qui Hernici quondam fuerant, Latinos Livius vocat, cum eos tentasse ait, *ut Latini, qui in coloniam Romanam nomina dedissent, cives Romani essent.* Hernicorum certe gentem in civitatem fuisse receptam, Cicero in Corneliana de civitate scriptum reliquit.

C A P. VII.

De agro, fœdere, ac jure, Oscorum, & Ausonum.

LATIUM duplex fuisse, vetus unum a Tiberi usque ad Circejos, sive ad amnem Ufentem; novum alterum ab Ufente usque ad Lirim, omnes prope memoriæ prodiderunt, qui populos, regionesque Italiæ litteris persecuti sunt. at quo modo, aut qua occasione, aut quo tempore hi termini sint constituti, omnes, ut rem vel valde obscuram, vel nimis perspicuam, silentio præterierunt. nos vero rationem hujus mutationis quæremus, & quæ maxime probabilis videbitur esse, reddemus. Primum autem Strabonis verba de novo Latio recitabimus, deinde Plinii: ex quibus apparebit, Latium novum jam tum ab Augusti temporibus, cujus Strabo fuit æqualis, fuisse appellatum. ea vero sunt hæc: *Hoc quidem tempore maritima ipsa ora ab Ostia usque ad Sinuessam vocatur Latium, antea vero usque ad Circejos porrigebatur. ac mediterranea quidem loca prius non admodum magna; post autem usque ad Campaniam, & Samnites, & Pelignos, & alios Apennini incolas est producta.* & eodem libro: *In mediterraneo Latio sunt Campi Pomptini, his agrum continentem antea Ausones tenuerunt, iidem, qui etiam Campaniam coluerunt. Post hos Osci, & hi etiam Campaniæ partem habuerunt. nunc vero omnia Latinorum sunt usque ad Sinuessam.* Plinius autem ita scribit: *Ultra Circejos Volsci, Osci, Ausones, unde nomen modo Latii processit usque ad Lirim amnem. a Circejis palus est Pontina, deinde flumen Ufens, supra quod Tarracina oppidum lingua Volscorum Anxur dictum, Cajeta portus, oppidum Formiæ. ultra fuit oppidum Piræ, colonia Minturnæ Liri amne divisa, Glanico appellato. oppidum Sinuessa extremum in adjecto Latio, quam quidam Sy-*

A *nopem dixerunt vocitatam. hinc felix illa Campania est.* Quis est ergo, qui ex his verbis non intelligat, hanc regionem primum Volscorum, Oscorum, & Ausonum, deinde Latinorum fuisse? in qua oppida floruerunt Tarracina, Fundi, Cajeta, mons Cæcubus, Formiæ, Vescia, Ausona, Minturnæ, Fregellæ, Arpinum, Sora, & terminus regionis Liris amnis, quem ex Apennini collibus, & Vescino agro in mare ad Minturnas deferri prodit Strabo. unde dixit etiam Lucanus libro secundo:

> ——*Et umbrosæ Liris per regna Maricæ*
> *Vescinis impulsus aquis.*

B Templum autem deæ Maricæ in ripa fluminis dicatum non longe a Minturnis intelligit. De Tarracina ante dictum est. Fregellas modo Sidicinorum, modo Volscorum, modo Samnitium fuisse invenio apud Livium. Cicero in Bruto Fregellanos inter Latinos extremis temporibus refert, cum L. Papirium Fregellanum ex Latio nominat. Arpinum & Volscorum, & Samnitium fuit. illud ostendit Juvenalis, cum ait Satyra VIII. de C. Mario Arpinate:

> *Arpinas alias Volscorum in monte solebat*
> *Poscere mercedes, alieno fessus aratro.*

Hoc Livius, cum Arpinum de Samnitibus captum scribit. De Fregellis, & Arpino, quoniam e Samnitibus capta sunt, in Samnitibus dicemus. C Minturnæ, Vescia, & Ausona Ausonum fuerunt. Ausones autem proprie dictos in Tzetzis Græca invenio historia Auruncos inter Volscos & Campaniam sitos. Minturnas tamen etiam Samnitium fuisse, prodit Stephanus. Has Liris interfluit; supra eas Fregellæ, supra Fregellas Arpinum, supra Arpinum Sora, omnes ad Lirim, teste Strabone. Soram agri Volsci fuisse, ac a Samnitibus possessam prodit Livius. quare de his omnibus in Samniticis bellis, & fœderibus exponendis dicemus. Aquinum ultimum oppidum Latinorum esse prodit Strabo inter Lirim, & Casinum flumina, quod rectius a Plinio in Campania collocatur. D Fundanorum, & Formianorum mentio fit bello Latino anno urbis CDXIII. *quibus datam civitatem,* scribit Livius, *sine suffragio, quod per fines eorum tuta, pacataque semper fuisset via.* & paulo post, *Fundanis, quod Privernatis belli socii fuissent, arma illata, atque veniam petentibus datam* addit. Oscos autem, & Ausones ex his locis esse dimotos narrat Strabo, quod idem etiam de Volscis factum intelligere debemus, atque omnia hæc in unum Latii nomen esse comprehensa, quod novum Latium dictum sit. Hoc autem quando factum sit, parum liquet. illud quidem dubium non est, E neque bello Punico primo, neque Gallico Cisalpino, neque ipso bello Punico secundo omnium difficillimo mentionem ullam usurpari auxiliorum, quæ a Volscis, Oscis, & Ausonibus missa sint, cum tamen aliorum omnium populorum, quibus Latium cingitur, apud Polybium, & Livium memoria celebretur, Marsorum, Pelignorum, Samnitium, Campanorum, Sabinorum, Umbrorum, Picentum, Etruscorum. Ex quo conjici potest, his populis jam tum ad internecionem deletis in hanc regionem Latinorum gentem esse immissam, atque inde Latium novum appellatam. quod ego quidem inter Tarentinum, & Punicum bellum factum esse F crediderim.

An vero ut nomen Latinum, sic etiam jura Latii veteris tum adepti sint, in tanta rerum obscuritate nec affirmare ausim, nec negare. video enim Latinos omnes, utpote qui meliore conditione essent, quam Italici, belli Punici temporibus in fide manere; & bello Italico Latinos a Tiberi usque ad Lirim, ut inquit Appianus, armis pro populi Romani libertate, atque imperio adversus reliquam Italiam decertare: quod profecto non fecissent, nisi commodiore in caussa, quam qui bellum movebant, fuissent.

CAP. VIII.

De Italicis.

HACTENUS de prima Italorum parte, qua Latinos contineri statuimus, atque illorum jure sit disputatum: nunc de altera, quam Itali obtinuerunt, eorumque jure differamus. Ut autem Latinos Latii incolas, populi Rom. fœderatos, jure Latii donatos definivimus: sic Italicos, reliquæ ad Rubiconem Italiæ habitatores, populi Rom. fœderatos, jure Italico præditos commode definiri posse censemus. Italiæ enim domicilium eos secernit a Gallis & provincialibus, fœderis communio ab iis vel civibus Romanis vel peregrinis & exteris, qui quacunque de caussa in Italiæ oppidis versarentur; jus Italicum ab iis Italis, qui cum Italiam tenerent, non jure tamen Italico fruebantur.

Italicorum porro numerum expleverunt ad mare Tyrrhenum trans Tiberim Etrusci, post Latinos ultra Lirim Campani, Lucani, in Siculo Bruttii, in Ionio Messapii & Sallentini, ad Adriaticum Apuli, Frentani, Picentes, & Senones. mediterranei Umbri, Sabini, Marsi, Vestini, Maruccini, Peligni, & Samnites. quorum sigillatim agros, bella, & fœdera deinceps breviter exponere institui, ut ex hac disputatione quodnam tandem jus fuerit Italicum, quod ex eorum fœderibus fluxit, intelligamus.

CAP. IX.

De agro Etrusco, & fœderibus Etruscorum.

ETRUSCOS autem (ab his enim Italicos exordimur) Polybius a Pisis oppido Romam usque perducit, id est, ut ego interpretor, inter Arnum, Tiberimque flumina concludit. ex quo patet, eos, qui a Macra amne Etruriæ initia ducunt, quanquam recte, non tamen ad Romanæ reip. tempora apte instituere. qua florente, Luca etiam inter Ligures est numerata. Itaque idem Polybius Arretium quoque primum in mediterraneis oppidum Etruriæ collocat. unde alio loco C. Flaminium consulem Annibali ex Gallia in Etruriam irrumpenti ad Arretium ait occurrisse. Quod tamen ita accipiendum esse opinor, non quod omnino ab Arretino agro tum Etruria principium ceperit; siquidem Fæsulæ ante occurrunt, quam Arretium; sed quod ille firmius esse oppidum Arretium ad Annibalis impetum excipiendum existimarit. Fæsulas autem jam tum in Etruria numeratas, cum Polybius eo loco ostendit, tum præcipue Livius, cum de eadem re ita agit: *Regio erat Italiæ in primis fertilis, Etrusci campi, qui Fæsulas inter Arretiumque jacent.* Item: *Pœnus læva relicto hoste, Fæsulas petens Etruriæ agros prædatum profectus, quantam maximam vastitatem potest, cædibus, incendiisque procul consuli ostendit.* Neque vero a Fæsulis initium videtur habuisse Etruria, sed a Pistorio cum scribat Sallustius, Catilinam exercitum in agrum Pistoriensem adduxisse, ac sub ipsis radicibus montium consedisse, qua illi descensus erat in Galliam properanti. Etruriæ porro partes tres ab antiquis factas accepimus, quarum unam Maritimam appellarunt, alteram Ciscimíniam, tertiam Transciminiam. Maritimæ oppida a Tiberi ad Arnum progredientibus hæc aut ad mare, aut non longe a mari objiciuntur, Phregenæ, Alsium, Cære, Pyrgi, Sabate oppidum cum lacu, Castrum novum, Tarquinii, Graviscæ, Cossa, Volcæ, Telamon promontorium, Labro, Populonia, Volaterræ, & Pisæ. Ciscimínia omnem regionem cis Ciminium montem continet, quæ est inter Tiberim, regionem maritimam, & Ciminia juga. quo in spacio erant Veii, Falerii, Capena, Nepet, & Sutrium, lacus Ciminius, & Vadimonis. Transciminia, ut est in epitomis rerum Italicarum antiquis, a Ciminiis jugis ad Pistorium pertinuit, atque oppida habuit Ferentiam, Trossulum novem millia passuum citra Volsinios, teste Plinio, Bleram, Cortnossam, Cortenebram, Salpinates, Clusium, Rusellas, Senam, Fluentinos, qui & Arnienses, Fæsulas, Pistorium, Stellates, Arretium, Cortonam, lacum Trasimenum, & Perusiam. Quemadmodum autem Latinorum, sic Etruscorum commune quondam consilium fuit, ad fanum Volturnæ. quo in loco XII. Etruriæ tum principes populi de summa rerum consultare, ac de bello, paceque statuere soliti sunt. fuerunt autem, ut accepimus, hi: Vejentes, Cærites, Falisci, Vulsinienses, Clusini, Perusini, Arretini, Rusellani, Volaterrani, Populonienses, Pisani, & Fæsulani.

Ut autem ex his proximi quique Romæ urbi fuerunt, ita primi Romano bello, tanquam continenti quodam incendio, conflagrarunt. Proximi autem Vejentes, quorum agrum Tiberis a Crustumino, & Fidenate, qui in Sabinis sunt, ut ait Plinius, dividit duodecim millia passuum procul a Roma. Cum his ergo primum acie decertavit Romulus, cum pro Fidenatibus illi consanguineis suis arma cepissent. eosque prælio fusos agri parte, quæ Tiberim attingebat, & Septempagi dicebatur, ceterisque, quæ sunt ad fluminis ostium, locis, Dionysio auctore, multavit. Eosdem deinde sæpe rebellantes omnes prope, qui secuti sunt, reges devicerunt, Tullus, Ancus, reliqui. Illud memorabile de Anco apud Livium: *Sylva Mæsia Vejentibus adempta eum usque ad mare imperium prolatasse, atque Ostiam in ore Tiberis condidisse.* Inde vero regnante Prisco reliquam Etruriam belli Romani contagione arsisse, in Dionysii historia scriptum invenio, cum quinque Etruriæ populi arma cum Latinis tum populi Roman. hostibus communi consilio conjunxissent, Clusini, Arretini, Volaterrani, Rusellani, Vetulonienses. Hi vero ad Eretum in agro Sabinorum prælio victi, legatis ex singulis civitatibus missis, pacem his conditionibus impetrarunt, *ut in neminem animadverteretur, nulli oppido tributa atque præsidia imponerentur, suæ cuique leges redderentur, civitatum principatus penes regem Romanum esset, quem ipsi suis etiam insignibus augustiorem reddiderunt.* sic enim cum alii, tum præcipue in historia Florus: *Non pace Tarquinius, quam bello promptior. Duodecim namque Tusciæ populos frequentibus armis subegit; inde fasces, trabeæ, sellæ curules, annuli, phaleræ, paludamenta, prætextæ; inde quod aureo curru quattuor equis triumphatur; togæ pictæ, tunicæque palmatæ, omnia denique decora, & insignia, quibus imperii dignitas eminet, sumpta sunt.* Servio deinde regnante cum Vejentes rebellantes reliqui fere omnes Etrusci essent secuti, vigesimo anno XII. populi communi consensu pace petita fœdus antiquum a Prisco datum præter Vejentes, Cærites, & Tarquinienses, recuperarunt, quibus ut belli auctoribus agri pars est adempta. pulsis autem regibus cum Tarquinienses, & Vejentes Superbum regem in regnum reducerent, victi abierunt. Quod idem Porsena rex Clusinus anno post conatus, cum urbem obsidione cinxisset, & ipse nihil profecit. Anno vero urbis CCLXXI. C. Julio, Q. Fabio coss. Vejentibus populantibus, nec res reddentibus, bellum est indictum, idque per octo annos continuos gestum. quo spacio Fabii CCCVI. qui sibi hostem illum depoposcerant, ad Cremeram amnem deleti. A. autem Manlio, & L. Furio coss. induciæ in annos XL. petentibus, stipendio, & frumento imperato, datæ. Post autem anno urbis CCCXVII. L. Quinctio, M. Æmilio, L. Julio tribunis mil. consularibus, Fidenates legatis Romanorum interfectis ad Lartem Tolumnium Vejentium regem

defecere. Vejentibus arma capientibus socios se Falisci adjunxerunt. Itaque insequenti anno A. Cornelius Cossus, re bene gesta, spolia quoque opima de Tolumnio rege a se occiso retulit. tertio autem anno Fidenates, & Vejentes (non enim perduci Falisci potuerunt) cum in agrum Romanum trans Anienem impressionem fecissent, ab A. Servilio dictatore haud procul Nomento fugati, & Fidenas compulsi, oppidum quoque amiserunt. Inde usque ad annum CCCXXVII. otium ab Etruria. tum vero rem ita actam prodit Livius: *Iras adversus Vejentes post diem induciarum rebellantes in insequentem annum C. Servilio Abala, L. Papirio Mugillano coss. esse dilatas. ne bellum confestim indiceretur, neve exercitus mitterentur, religionem obstitisse; feciales prius mittendos ad res repetendas, patres censuisse; nec eorum, cum more patrum jurati repeterent res, verba audita; bellum jussu populi indictum, atque a tribunis militum parum prospere anno insequenti gestum. Cum Fidenates, colonis interfectis, defecissent, M. Æmilium dictatorem cum magistro equitum A. Cornelio Cosso, sexto decimo die oppidum cepisse, & Vejentes vicisse, iisque postero anno XX. annorum inducias datas.* Anno CCCXLIX. quia tempus induciarum cum Vejenti populo exierat, per legatos, fecialesque res repeti cœptæ. Veji circumsessi, adeo ut continuandæ obsidionis caussa novo exemplo hibernacula fierent. Venere inde Vejentibus auxilio Capenates, & Falisci, quia proximi regione erant, devictis Vejis, bello quoque se proximos fore credentes. Itaque triplici loco bellum constitit, ad Vejos, ad Capenam, ad Falerios. decimo tandem anno M. Camillus in agro Nepesino cum Faliscis, & Capenatibus acie congressus eos fundit ac castris exuit, Vejos cuniculo in urbem acto capit ac diripit. P. Cornelius Scipio, & Cossus Faliscum bellum, M. Valerius, & Q. Servilius, tribuni militares consulari potestate, Capenas sortiti, non urbes vi, aut operibus tentarunt, sed, agro depopulato, & prædis rerum agrestium actis, Capenatem populum subegerunt, ac pacem petentibus dederunt. Deinceps M. Camillus tribunus militum Falerios exemplo justitiæ memorabili, proditore filiorum magistro in urbem remisso, in fidem recipit. Faliscis pax data; in stipendium militum ejus anni pecunia imperata. Ante vero quam Veji caperentur, Tarquinienses arma moverant, quia multis simul bellis Volscorum ad Anxur, Æquorum ad Lavicos, Vejenti, Falisco, & Capenati districtos videbant Romanos. Eos L. Julius, & A. Postumius tribuni militares prope voluntariorum coacta manu per agrum Cæretem obliquis tramitibus egressi redeuntes a populationibus, gravesque præda oppresserunt, omnesque impedimentis exuerunt. Captis autem Vejis anno CCCLXIII. L. Valerio Potito, M. Manlio Capitolino coss. novum bellum cum Vulsiniensibus exortum. quo propter famem, & pestilentiam exercitus duci nequivit. ob quæ Vulsinienses Salpinatibus adjunctis superbia elati ultro agros Romanos incursavere. itaque duobus inde populis bello indicto cum Vulsiniensibus pugnatum. fusa primo concursu in fugam acies. octo millia armatorum ab equitibus interclusa positis armis in deditionem venerunt. ejus belli fama effecit, ne se pugnæ committerent Salpinates. mœnibus armati se tutabantur. Romani prædas passim & ex Salpinati agro, & ex Vulsiniensi, nemine eam vim arcente, egerunt: donec Vulsiniensibus fessis bello, ea conditione, ut res populo R. redderent, in viginti annos induciæ datæ. Postero anno Clusini Gallorum Senonum bello oppressi, quamquam cum Romanis nullum jus societatis, amicitiæve habebant, nisi quod Vejentes consanguineos adversus populum R. non defendissent, legatos Romam, auxilium a senatu petitum, misere. de auxilio nihil impetratum; legati missi, qui senatus, populique Romani nomine agerent cum Gallis, ne a quibus nullam injuriam accepissent, socios populi Rom. atque amicos oppugnarent. Eodemque tempore, recepta e Gallis Roma, cum Cæritibus hospitium publice junctum invenio, quod sacra populi Rom. bello Gallico custodierant. post biennium vero, cum ab Etruria prope omni armata Sutrium socii populi Rom. esset occupatum, eodem die a Camillo dictatore recuperatur. Deinde exercitus in agrum Tarquiniensium ductus Cortonossam, & Cortenebram oppida cepit. duobus inde post annis, dum Camillus in Volscis rem gerit, legati ab Nepet, & Sutrio auxilium adversus Etruscos petentes veniunt, brevem occasionem auxilii ferendi memorantes. Itaque cum ea loca opposita Etruriæ, & velut claustra inde ac portæ essent, & illis occupandi ea, cum quid novi molirentur, & Romanis recuperandi, tuendique cura erat. Camillus autem a Volscis aversus, Etruscis ab oppugnatione Sutrii depulsis, Nepet, quod per proditionem acceperant, recuperavit. Nepesinorum defectionis auctores securi percussi. innoxiæ multitudini deditæ res, oppidumque cum præsidio relictum. Pacatæ inde per multos annos res erant in Etruria, cum anno CCCXCVII. Tarquinienses populabundi fines Romanos, maxime qua ex parte Etruriam adjacent, peragravere, rebusque nequicquam repetitis consules C. Fabius & C. Plautius jussu populi bellum indixere. Fabius inconsulte adversus Tarquinienses pugnavit. CCCVI. milites Romanos captos Tarquinienses immolaverunt. Insequenti anno C. Marcio, Cn. Manlio coss. Falisci hostes exorti duplici crimine, & quod cum Tarquiniensibus juventus eorum militaverat, & quod eos, qui Falerios profugerant, cum male pugnatum est, repetentibus fecialibus non reddiderant. Manlius, cui ea provincia evenerat, nihil memorabile gessit. Postero anno, Falisci, Tarquiniensesque M. Fabium Ambustum consulem prima pugna fuderunt. concitatur inde omne nomen Etruscum, & Tarquiniensibus, Faliscisque ducibus ad Salinas perveniunt. adversus eum terrorem dictator C. Marcius Rutilus dictus, profectus ab urbe utraque parte Tiberis ratibus exercitu, quocunque fama hostium ducebat, trajecto, multos populatores agrorum vagos, palantasque oppressit. castra quoque nec opinato aggressus cepit, & VIII. millibus hostium captis, ceteris aut cæsis, aut agro Rom. fugatis, sine auctoritate patrum, populi jussu triumphavit. Anno autem CD. Tarquiniensium agri a C. Sulpicio consule sunt vastati. deinde multis in acie cæsis, ex ceteris captivis, quorum numerus ingens fuit, CCCLVIII. delecti, ut nobilissimus quisque Romam mitteretur. vulgus aliud trucidatum. nec populus in eos, qui missi Romam erant, mitior fuit. medio in foro omnes virgis cæsi, & securi percussi. insequenti deinceps anno in bellum Etruscum intentam civitatem, quia Cæritem populum misericordia consanguinitatis Tarquiniensibus adjunctum, fama ferebat, legati Latini ad Volscos convertere. inclinavit deinde pars major curæ in Etruscum bellum, postquam litteris C. Sulpicii consulis, cum Tarquinii provincia evenerat, cognitum est, depopulatum agrum circa Romanas salinas, prædæque partem in Cæritum fines avectam, & haud dubie juventutem ejus populi inter prædatores fuisse, ex autoritate patrum, & populi jussu. T. Manlius L. F. dictator bellum Cæritibus indixit. Cærites, quam non suarum virium ea dimicatio esset, cernentes, legatos de pace miserunt. ob vetus beneficium, quo bello Gallico sacra Romana pie custodiverant, pacem impetrarunt, & inducias in centum annos factas in senatusconsultum referri placuit. in Faliscos eodem noxios crimine vis belli conversa, sed hostes nusquam inventi. Anno CDIII. terror vanus Etrusci belli, cum conjurasse duodecim popu-

los fama esset, dictatorem dici coegit. dictus in castris C. Julius. postero anno T. Quinctius consul ad Faliscum bellum, C. Sulpicius ad Tarquiniense profecti, nunquam acie congresso hoste, cum agris magis, quam cum hominibus, urendo, populandoque gesserunt bella. cujus lentæ tabis senio victa utriusque populi pertinacia est, ut primum a consulibus, deinde permissu eorum ab senatu inducias peterent, quas in XL. annos impetraverunt.

Atque his quidem victoriis nihil aliud effectum est a Romanis, nisi ut partem Etruriæ sibi adjungerent. siquidem Livius in anni quadringentesimi trigesimi quinti rebus exponendis, ubi de Alexandro Macedonum rege ait, inter socios populi Romani, quibus resisti potuisse Alexandro, si Italiam invasisset, ait, partem Etruriæ refert. ex quo intelligi licet, reliquos deinde continentibus bellis afflictos in societatem esse ascitos. bella vero hæc gesta accepimus. Primum anno CDXLIIII. omnes Etruriæ populi præter Arretinos ad arma isse dicuntur, ab oppugnando Sutrio, quæ urbs socia Romanis velut claustra Etruriæ erat, bellum ingens orsi. Ita non solum ad Sutrium a Q. Æmilio consule cæsi sunt, sed etiam deinceps a Q. Fabio ad Sutrium obsidione liberandum profecto trans Ciminiam silvam tum inviam fugati, collatis non longe a Perusia signis devicti. a Perusia, Cortona, & Arretio, quæ ferme capita populorum Etruriæ erant, legati pacem a Romanis fœdusque petentes inducias in triginta annos impetraverunt. eodemque anno ad Vadimonis lacum cum Etruscis, qui lege sacrata exercitum coegerant, acerrime dimicatum. fractæ opes, cæsum in acie quod roboris fuit, castra capta, direptaque. quin etiam cum reliquis Etruscorum ad Perusiam, quæ & ipsa induciarum fidem ruperat, idem Fabius nec dubia, nec difficili victoria dimicat. ipsum oppidum (nam ad mœnia victor accessit) cepisset, ni legati dedentes urbem exissent. Præsidio Perusiæ imposito legationibus Etruriæ amicitiam petentibus præ se Romam ad senatum missis triumphavit. Ita quidem Livius: nec longe secus Diodorus, Etruscos Sutriam coloniam populi Romani obsidentes inde a consulibus esse depulsos. eosdem ad Perusiam a Fabio superatos, Fabium multorum cæde facta reliquis terrorem intulisse, cum primus Romanorum in ea loca cum exercitu penetrasset. eundem cum Arretinis, Cortonensibus, & Perusinis inducias pepigisse, & oppido Castula expugnato Etruscos ab obsidendo Sutrio avocasse. Fabium deinceps P. Decius est consecutus, cui secunda admodum belli fortuna fuit. Tarquinienses metu subegit frumentum exercitui præbere, atque inducias in XI. annos petere. Vulsiniensium castella aliquot vi cepit, quædam ex iis diruit, ne receptaculo hostibus essent, circumferendoque passim bello, tantum terrorem sui fecit, ut nomen omne Etruscum fœdus peteret. de quo tamen nihil impetratum. induciæ annuæ datæ. stipendium exercitui Romano ab hoste in eum annum numeratum, & binæ tunicæ in militem exactæ. ea merces induciarum fuit. Anno inde CDLII. M. Livio, C. Æilio coss. Etruriam rebellare, ab Arretinorum seditionibus motu orto, nuntiatum. M Valerius dictator castra in agrum Rusellanum promovit. prælio commisso, accisæ iterum Etruscorum vires, & pacto annuo stipendio, & duum mensium frumento, permissum ab dictatore, ut de pace legatos mitterent Romam. pax negata. induciæ biennii datæ. Sunt qui (ut ait Livius) sine ullo memorabili prælio pacatam ab dictatore Etruriam esse, seditionibus tantum Arretinorum compositis scribant. post biennium ab Etruscis adversus inducias paratum bellum, qui Gallos etiam sibi socios adversus Romanos adjunxerant, quos M. Valerius consul compressit, ut nemo extra munitiones egredi auderet, timorque ipsorum obsidioni similis esset.

Cum autem postero anno L. Scipioni consuli ad Volaterras occurrissent, victi abierunt. Romanus vacuis castris potitus in Faliscum agrum copiis reductis, cum impedimenta Faleriis cum modico præsidio reliquisset, expedito agmine ad populandos hostium fines incedit. omnia ferro, ignique vastata. castellis etiam, vicisque illatus ignis. Post biennium bellum ingens multis ex gentibus conflatur. cujus auctor Gellius Egnatius ex Samnitibus erat. Tusci fere omnes consciverant bellum. tacti contagione proximi Etruriæ populi, & Gallica auxilia mercede solicitata. consules L. Volumnius, & Ap. Claudius in eos profecti commisso prælio castra eorum ceperunt ac diripuerunt, & septem millia & trecenta hostium occiderunt. duo millia, & centum viginti ceperunt. Itaque sequentes consules Q. Fabius, & P. Decius ad bellum Etruscum missi, Cn. Fulvius, & L. Postumius Megellus proprætores cum duobus exercitibus haud procul Urbe Etruriæ oppositi, unus in Falisco, alter in Vaticano agro. Consules ad hostes, transgresso Apennino, in agrum Sentinatem pervenerunt. Fulvius, & Postumius in agrum Clusinum consulum jussu transeuntes Etruscos ex agro Sentinate ad suos fines tuendos revocarunt. Galli, & Samnites a Fabio acie fusi, cum se Decius collega in prælio devovisset. Cn. Fulvius, præter ingentem illatam populationibus agrorum hosti cladem, pugnavit etiam egregie. Perusinorum & Clusinorum cæsa amplius tria millia, & signa militaria ad viginti capta. Sunt qui, teste Livio, pugnæ in Sentinate agro Tuscos etiam, & Umbros affuisse dicant. Postero anno L. Postumius Megellus consul, in Etruriam traducto exercitu, primum pervastavit Vulsiniensium agrum, deinde cum egressis ad tuendos fines haud procul mœnibus ipsorum depugnat. duo millia CC. Etruscorum cæsi. ceteros propinquitas urbis tutata est. in Rusellanum agrum exercitus traductus. ibi non agri tantum vastati, sed oppidum etiam expugnatum. capta amplius duo millia hominum, minus duo millia circa muros cæsa, tres validissimæ urbes, Etruriæ capita, Vulsinii, Perusia, Arretium, pacem petiere, & vestimentis militum frumentoque pacti cum consule, ut mitti Romam oratores liceret, inducias in XL. annos impetraverunt. multa præsens quingentum millium æris in singulas civitates imposita. Insequenti anno legati sociorum ex Etruria questi sunt, uti & vastari agros a finitimis Etruscis, quod desciscere a populo Rom. nollent. allatum est etiam, Faliscos, qui per multos annos in amicitia fuerant, arma Etruscis junxisse. Faliscis res non reddentibus bellum indictum. Carvilius Trossulum primum oppugnare adortus, quadringentos septuaginta ditissimos pecunia grandi pactos, ut abire inde liceret, dimisit: ceteram multitudinem, oppidumque ipsum vi cepit: inde quinque castella locis sita munitis expugnavit. cæsa ibi hostium duo millia quadringenti. minus duo millia capti. & Faliscis pacem petentibus annuas inducias dedit, pactus centum millia gravis æris, & stipendium ejus anni militibus. Sequenti anno Faliscos, Romanorum opibus, vel ob pestilentiam, qua civitas laborabat, vel propter consules, quos, ut pacatis temporibus, non ex virtute delegerant, contemptis, movisse tradit Zonaras; D. Brutum consulem ad eos missum, Faliscis victis, & ipsorum, & aliorum Tuscorum agros esse depopulatum. Extremum inde bellum, quod cum Etruscis internecivum sit gestum, anno CDLXX. est concitum, cum Galli etiam arma consociassent. Quos omnes ad lacum Vadimonis a P. Dolabella consule occisione esse occisos invenio apud Eutropium, Florum, & Polybium. Cujus victoriæ mentio quoque usurpatur in Originum Catonis epitomis, his verbis: *Turrenus, patre Elbio Volterreno, regum*

Etruſcorum ultimo, ad lacum Vadimonis cæſo, ad dedendam urbem Etruriæ anno ſecundo Olympiadis CXXIIII. *allici potuit, ſed ad recipiendas Latinas litteras nunquam perſuaderi potuit.* Neque tamen poſt quieviſſe Etruriam, ex bellis apparet, quæ ſequentes conſules geſſerunt, Q. Fabricius Luſcinus, Q. Marcius Philippus, & Ti. Coruncanius: quorum illos de Etruſcis, hunc de Vulſinienſibus, & Vulcientibus triumphaſſe, ſcriptum eſt in fragmentis tabularum Capitolinarum. victoriam autem Coruncanii comprobat etiam Zonaras, qui eum triennio poſt in conſulatu rem cum Etruſcis geſſiſſe, & fœdus cum iis percuſſiſſe ſcribit.

His ergo bellis, cladibuſque fractæ tandem atque everſæ opes Etruriæ ſunt, ipſaque in ſocietatem a Romanis accepta. Quibus vero fœderum conditionibus ſinguli populi in amicitiam venerint, quis eſt tanta ingenii magnitudine præditus, qui amiſſis earum & rerum & temporum monumentis, poſſit aut conjectura conſequi, aut omnino divinatione complecti? non eaſdem tamen omnibus leges datas eſſe, cum per ſe ſatis intellectu probabile eſt, tum vero poſt alio loco apertius oſtendetur.

CAP. X.

De agro, & fœderibus Campanorum.

ETRUSCIS orientem verſus Latini, Latio Campania eſt adjuncta. Campaniam a Liri amne ad Vulturnum, a Vulturno ad Sarnum, inde ad Silarim antiqui produxerunt. quare tres Campaniæ partes inſtitutæ, una, quam Auſones, Aurunci, Sidicini, & Capuani tenuerunt: altera, quam Cumani, & Opici: tertia, quam Nucerini. Prima ad mare clariſſimis his eſt oppidis frequentata, Sinueſſa, & Vulturno: intus autem Gauro, Maſſico, & Falerno montibus, Stellate campo, Sueſſa Aurunca, Calibus, Caſſino, Teano Sidicino, Venafro, Calatia, Callicula, Trebula, Caſilino cum ſylva Gallinaria, & capite ipſo regionis Capua. Secunda ad mare Liternum oppidum cum flumine habuit, Cumas, quam in Opicis collocat Dionyſius libro primo, Miſenum, Bajas, ſinum Lucrinum, & Avernum, Puteolos, Neapolim, Heracleam, omnia in ſinu, qui Crater dicitur; intus Atellam, Abellam, Sueſſulam, Acerras, montem Veſuvium, Nolam, Pompejos. Tertia ad mare oppida habuit Stabia, Surrentum, Minervæ promontorium, intus Salernum, & Nuceriam. In his Vulturnus amnis ex Venafrano labens per mediam Campaniam Vulturnum oppidum, Caſilinum, & Capuam alluit. Livius Caſilinum urbem Vulturno flumine dirimptam Falernum a Campano agro diviſiſſe prodidit. Pompejos alluit Sarnus. Campania ipſa veterum omnium litteris adeo celebrata, ut eorum conſenſu victus Florus eam omnium non modo Italia, ſed toto orbe terrarum pulcherrimam plagam appellet. *Nihil mollius cœlo*, inquit, *nam bis floribus vernat. nihil uberius ſolo. ideo Liberi Cererifque certamen dictum. nihil hoſpitalius mari, hic illi nobiles portus Cajeta, Miſenus, & tepentes fontibus Bajæ, Lucrinus, & Avernus. hic amicti vitibus montes Gaurus, Falernus, Maſſicus, & pulcherrimus omnium Veſuvius. ad mare urbes Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeii, & ipſa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas Romam, Carthaginemque numerata.*

In hac autem regione res primum geri cœptæ ſunt anno urbis CDX. M. Cornelio, M. Valerio coſſ. Tum vero Sidicini (hos Oſcorum e gente fuiſſe putat Strabo) armis Samnitium oppreſſi, cum ad Capuanos ſe contuliſſent, bellum excitarunt, quod

A cum Samnitibus pro Campanis eſt geſtum, cum Capuani ab iis in agro Sidicino acie fuſi ipſi ſe, urbem, agroſque in fidem populi Romani dediſſent. Primi autem, qui bellum intulerint, conſules fuerunt Valerius, & Cornelius. quorum ille in Campaniam ad montem Gaurum, hic in Samnium ad Saticulam profectus rem bene geſſit. proſpere etiam ad Sueſſulam a Valerio tertia pugna certatum. Capuanis, Sueſſaniſque precantibus datum, ut præſidium eo in hiberna mitteretur, quo Samnitium excurſiones arcerentur. Biennio poſt cum Samnites icto cum Romanis fœdere Sidicinis arma intuliſſent, Sidicini ad Latinos ſe contulerunt, qui tum bellum B populo Rom. parabant. neque iis armis Campani ſe abſtinuere. pugnatum eſt cum Latinis haud procul radicibus Veſuvii montis, qua via ad Veſerim ferebat. fugatus hoſtium exercitus. Latini ex fuga ſe Minturnas contulere. caſtra ſecundum prælium capta: multique vivi oppreſſi, maxime Campani. qui Latinorum fugæ ſuperfuerant, multis itineribus diſſipati cum ſe in unum conglobaſſent, Veſciam in urbem ſe receperunt. Latinis bellum inſtaurantibus Torquatus conſul ad Triſanum (inter Sinueſſam, Minturnaſque locus eſt) occurrit, & acie congreſſus adeo res eorum contrivit, ut ei victorem exer- C citum ad depopulandos agros ducenti Latini omnes ſe dederent, deditionemque eam Campani ſequerentur. *Latium, Capuaque agro multati. Latinus & Falernus ager, qui populi Campani fuerat, uſque ad Vulturnum flumen plebi Romanæ dividitur. bina in Latio jugera, terna in Falerno, quadrantibus etiam pro longinquitate adjectis. extra pœnam fuere Latinorum Laurentes, Campanorumque equites, quia non deſciverant. equitibus Campanis data civitas. vectigal quoque eis Campanus populus juſſus pendere in ſingulos quotannis (fuere autem mille, & ſexcenti) denarios nummos quadringenos quinquagenos.* Hæc Livius. Torquatum eundem de Campanis, Si- D dicinis, & Auruncis triumphaſſe, ſcriptum eſt in Capitolinis triumphalibus tabulis. Campanos enim pro Capuanis veteres uſurparunt. Poſt autem anno CDXV. L. Furio, C. Mœnio conſulibus, cum de pœna Latinorum, quos conſules ad deditionem ſubegerant, referretur, de Campanis ſociis eorum ita decretum eſt: *ut Campanis equitibus, quia cum Latinis rebellare noluiſſent, civitas ſine ſuffragio daretur. Cumani, Sueſſulanique ejuſdem juris, conditioniſque, cujus Capua eſſent.* Poſtero anno C. Sulpitio, P. Ælio conſulibus inter Sidicinos, Auruncoſque bellum ortum. Aurunci a Torquato conſule in deditionem accepti, nihil deinde moverant. E eo petendi auxilii a Romanis cauſſa juſtior fuit. ſed priuſquam conſules ab Urbe (juſſerat enim ſenatus defendi Auruncos) exercitum educerent, fama affertur, Auruncos oppidum deſeruiſſe, profugoſque cum conjugibus & liberis Sueſſam commeaſſe, quæ poſt Aurunca appellata; mœnia eorum antiqua, urbemque a Sidicinis deletam. Sequenti anno L. Papirio, C. Duilio conſulibus Auſonum magis novum, quam magnum bellum excitatum. ea gens Cales urbem incolebat: Sidicinis finitimis arma conjunxerant. uno prælio duorum populorum exercitus fuſus. Poſtero anno M. Valerio Corvo conſuli bellum adverſus Calenos decretum. Auſones cum F urbe haud majori certamine capti, quam acie fuſi erant. Deinde Ti. Veturio, Sp. Poſtumio conſulibus Cales colonia deducta. conſules ingreſſi Sidicinorum fines populando uſque ad mœnia, atque ad urbem pervenerunt. Sequenti vero anno exercitum adverſus Sidicinos miſſum, Acerranis civitatem ſine ſuffragio datam, tradit idem, qui cetera, Livius. Vellejus altero anno, qui fuit Ti. Veturio, Sp. Poſtumio conſulibus, Campanis civitatem ſine ſuffragii latione datam prodit. Anno inde CDXXVI. Lentulo, & Philone conſulibus Palæ-

politani (horum urbs haud procul inde fuit, ubi deinde fuit Neapolis, quam inter Opicos refert Stephanus) Cumis oriundi Samnitium infida adversus Romanos societate freti, sive pestilentia, quæ Romanam civitatem adorta nuntiabatur, fidentes multa hostilia adversus Romanos agrum Campanum Falernumque incolentes fecerunt. ea caussa bellum iis indictum. Nolani Palæpolitanis affuerunt. Philoni imminenti hostium muris in alterum annum propagatum imperium est. Palæpolitani se ei dedidere. Nolani ex urbe Palæpoli Nolam effugerunt. Fœdus cum Neapolitanis ictum. eo enim deinde summa rei Græcorum venit. Anno inde CDXXXIX. C. Sulpicius, M. Pœtelius consules ab Sora profecti in agros, atque urbes Ausonum bellum intulerunt. mota namque omnia adventu Samnitum, cum ad Lautulas dimicatum esset, fuerunt; conjurationesque circa Campaniam passim factæ. nec Capua ipsa crimine caruit. At vero gens Ausonum proditione urbium in potestatem venit. Ausona, & Minturnæ, & Vescia urbes erant, ex quibus principes juventutis duodecim numero in proditionem urbium suarum conjurati ad consules veniunt, & eos consensisse cum Samnitibus exponunt. admotis castris tria oppida capta, deletaque Ausonum gens vix certo defectionis crimine, perinde ac si internecivo certasset bello. C. Mænius dictator quæstionem de Campanorum conjurationibus habuit. Ita quidem Livius. At Diodorus Campanos prodit, antequam Samnites prœlio victos audissent, defecisse, C. Mænium dictatorem adversus eos missum, castris non longe a Capua positis primum decertare acie voluisse, post Samnitum clade accepta, cum Romanis pepigisse defectionis auctoribus traditis. fœdus antiquum urbibus esse redditum. Postero anno L. Papirio, C. Junio consulibus, C. Pœtelius dictator receptis Fregellis in Campaniam profectus est maxime ad Nolam armis repetendam. Nola sive a dictatore, sive a C. Junio consule (nam utrunque teste Livio traditur) capta est. Qui captam Nolam a consule produnt, adjiciunt, Atinam, & Calatiam ab eodem captas. Suessa tum Auruncorum colonia deducta. Post triennium Q. Fabio, C. Marcio consulibus classis Romana, ut scribit Livius, a P. Cornelio maritimæ oræ præfecto in Campaniam acta, cum appulsa Pompejos esset, socii inde navales ad depopulandum agrum Nucerinum profecti, proximis raptim vastatis, unde reditus tutus ad naves esset, dulcedine, ut fit, prædæ longius progressi excivere hostes. palatis per agros nemo obvius fuit, cum occidione occidi possent. redeuntes agmine incauto haud procul navibus assecuti agrestes exuerunt præda, partim etiam occiderunt: quæ superfuit cædi, trepida multitudo ad naves compulsa est. Post quinquennium autem L. Postumio, Ti. Minucio consulibus Samnites Stellatem campum agri Campani, ut ait Livius; Falernum, ut scribit Diodorus, populati sunt. anno autem CDLVII. Samnites per Vescinos in Campaniam, Falernumque agrum transcendunt, ingentesque prædas faciunt. L. Volumnius consul in Calenum agrum veniens populantes repressit. de præsidio regionis depopulatæ a Samnitibus agitatum Itaque placuit, ut duæ coloniæ circa Vescinum, & Falernum agrum deducerentur. una ad ostium Liris fluvii, quæ Minturnæ appellata; altera in saltu Vescino Falernum contingente agrum, ubi Synope dicitur Græca urbs fuisse, Sinuessa deinde ab colonis appellata.

Hæc fere in Campania gesta comperio. ex quibus intelligi potest, Campaniæ populos omnes, sed alios alio bello ac fœdere, in societatem a Romanis esse acceptos. unde eosdem videmus postea Pyrrhi bello, tanquam populi Rom. socios arma adversus eum cepisse, ac pro Romanis stetisse. De fœdere autem, & civitate Capuanis data sic loquitur apud Livium C. Varro consul ex Cannensi clade doloris ac lacrymarum plenus ad Campanos: *Vobis fœdus æquum, & leges nostras, & magnæ parti vestrum civitatem dedimus, communicavimusque vobiscum*. & Regulus, qui eodem tempore in senatu dixit: *Per senatum agi de Campanis, qui cives Rom. sunt, injussu populi non video posse*. Tum vero regionem Campaniæ tertiam, quæ inter Sarnum, & Silarim est interjecta, Picentinorum factam esse, facile crediderim. siquidem scriptum est in commentariis Strabonis, aliquot ex Picentibus iis, qui Hadriam oppidum tenebant, a Romanis in hæc loca traductos omnia usque ad Silarim, antiquæ Campaniæ finem, insedisse. unde illud etiam extitit Plinii, *a Surrento ad Silarim amnem* XXX. *millia passuum agrum Picentinum fuisse, intus oppidum Salerni, & Picentiam*.

CAP. XI.

De agro, & fœderibus Lucanorum.

INDE a Silari ad Laum flumen tenuerunt Lucani ad mare Pæstum sive Posidoniam, Palinurum, Veliam, & Buxentum. intus autem Volscos, Compsam, Potentiam, Blandam, Grumentum, & Lucaniæ caput Pœteliam. Atque hæc quidem Strabo, & Ptolemæus. neque vero longe aliter Plinius. *A Silaro*, inquit, *ager Lucanus incipit, oppida Pæstum, Græce Posidonia, sinus Pæstanus, oppidum Helia, quæ nunc Velia, promontorium Palinurum, flumen Melphes, oppidum Buxentum, Laus amnis*. Idem mediterraneos Lucanorum nominat Asinates, Bantinos, Eburinos, Grumentinos, Potentinos, Sontinos, Sirinos, Tergilanos, Ursentinos, Volcentanos, quibus Numestranos jungit: præterea Thebas Lucanas interiisse, Catone auctore, prodit, & Pandosiam, Theopompo.

Ceterum Lucani Pœtelio & Papirio coss. qui fuit annus ab ortu Urbis CDXXVII. cum ad eam diem nihil rei cum populo Romano habuissent, in fidem venerunt, arma, virosque ad bellum pollicentes. fœdere ergo in amicitiam accepti. quod cum eodem anno rupissent, factum est, ut anno CDXXXVI. Apulia perdomita in eos sit perrectum: unde, ut ait Livius, repentino adventu Q. Æmilii consulis Nerulum vi captum. Post autem cum anno CDLV. oratores Lucanorum ad consules L. Cornelium, Cn. Fulvium venissent; questum, quia conditionibus se pellicere nequiverint ad societatem armorum, Samnites infesto exercitu ingressos fines suos vastare, belloque ad bellum cogere; iidemque adderent, sibi satis superque erratum quondam, nunc ita obstinatos animos esse, ut omnia ferre ac pati tolerabilius ducant, quam ut unquam postea nomen Romanum violent; orarent autem patres, ut & Lucanos in fidem acciperent, & vim atque injuriam ab se Samnitium arcerent: decrevit senatus, ut cum Lucano populo fœdus jungeretur. in quo mansisse videntur usque ad annum CDLXIII. quo cum Samnitibus, & Bruttiis, & Tarentinis tum populi Rom. hostibus junctis armis pluribus a Romanis præliis victi sunt. triumpharunt de iis Consules M. Curius an. CDLXIII. C. Fabricius anno CDLXXV. Postero anno C. Junius Brutus, insequenti Q. Fabius Gurges, deinceps L. Lentulus, & C. Claudius Canina, & demum an. CDLXXXI. Sp. Carvilius, & L. Papirius. Quo anno Lucanis & sociis eorum pacem datam esse facile adducor, ut credam. Fœderis tamen conditiones una cum rebus eorum gestis obscuratæ prorsus evanuerunt.

CAP. XII.

De agro Bruttio, Meſſapio, & Sallentino, & fœderibus Bruttiorum, Meſſapiorum, & Sallentinorum.

LUCANIAM regio attingit ea, quam Græci inſederunt. ea in tres partes diviſa eſt, Bruttios, Meſſapios, & Sallentinos. Bruttii Græcis expulſis occuparunt eam partem, quæ quondam OEnotriæ nomen tulit a Lao flumine uſque ad Metapontum oppidum, ſicuti Strabo ex Antiochi ſententia tradit. Nam ab antiquis OEnotros & Italos ſolos vocatos ait, qui Iſthmum habitarent; Iſthmum autem eſſe, quidquid agrorum inter duos ſinus includeretur, a Tyrrheno mari Hipponiatem ſive Napitinum, a Siculo Scyllaticum. Deinceps occurrit regio quæ Iſthmo eſt incluſa a Tarento ad Brundiſium, quam Meſſapiam, & Japygiam, & Calabriam, & Sallentinam variis nominibus ſignarunt. quanquam alii in duas eam partes diſtribuerunt, teſte Strabone; unam, in qua Tarentum, quam Calabriam & Meſapiam; alteram, in qua Brundiſium, quam Sallentinos, ſive ultimam Japygiam appellarunt.

Bruttios narrat Diodorus M. Popillio Lænate, & Cn. Manlio Imperioſo coſſ. an. urbis CCCXCIV. primum in his regionibus apparuiſſe homines agreſtes, & fugitivos, atque propterea domeſtica eorum locorum lingua Bruttios appellatos. occupaſſe autem eos Terinam, Hipponem, Thurios, aliaque oppida complura, ac reip. genus ab aliis ſeparatum inſtituiſſe. Crotonem quidem etiam Græcis a Bruttiis eſſe ademptum, invenio in Liviana hiſtoria: in qua eadem Rhegini, qui Bruttii erant, Græci appellantur. Quod ſi veros Bruttiorum fines aſſignavimus, profecto vere etiam traditum eſt, maritima eorum fuiſſe Tempſam, Terinam, Metaurum fluvium, Scyllæum promontorium, Rhegium, Leucopetram, Herculeum promontorium, Alecem flumen Rheginorum agrum dirimens a Locrenſi, Locros, Caulonem, Scyllacium, Lacinium, Crotonem, Sybarim, Thurias, Legariam, Acirim, & Sirim flumina, poſtremo Metapontum, intus Numiſtrum, Conſentiam, Hipponem, Heracleam, quæ & Siris vocata, &, ut placet Straboni, Pandoſiam. Nam in altera regione flumen fuit Galeſus, Tarentum, Gallipolis, Japygium promontorium, in quo Leuca, Hydruntum, & Brundiſium. Qua de regione ita video ſcripſiſſe Plinium: *Latitudo peninſulæ a Tarento Brundiſium terreno itinere* XXXII. *millia paſſuum patet, multoque brevius a porta Saſina. oppida per continentem a Tarento Uria, Meſſapia, Aletium. in ora vero Senonum Gallipolis, quæ nunc eſt Anxa,* LXII. *millia paſſuum a Tarento. inde* XXXII. *millia paſſuum promontorium, quod Acram Japygiam vocant. ab eo Baſta oppidum, & Hidruntum, qua in Græciam breviſſimus tranſitus. ab Hydrunte Soletum, dein Fratuertium, portus Tarentinus, ſtatio militum Lupia, Baleſium, Cœlium, Brundiſium,* L. *millia paſſuum ab Hidrunte.* His adde mediterranea Manduriam, Rhudias, Uxentum, & Neritum. Uretum ſunt qui idem eſſe putent cum Uria, Aletium cum Lupiis. Plinius quidquid eſſet a Locris uſque ad Tarentum Magnam Græciam vocitatam ſcripſit.

Ac qui res quidem cum his populis geſtas memoriæ mandarit, ex veteribus extat nemo. quantum autem ex iis, quæ habemus, monumentis colligi ſuſpicione poteſt, cum Tarentinis ante bellum, quam cum ceteris, eſt initum, an. urbis CDLXXII. cum illi claſſem Romanam diripuiſſent, & legatos Romanorum, qui ea de re miſſi fuerant queſtum, contumeliis affeciſſent. Bellum autem, cum Pyrrhi Epirotarum regis, & Bruttiorum, ac Lucanorum, & Samnitum ſocietate opes ſuas firmaſſent, in decimum uſque annum eſt protractum, Sp. Carvilio, L. Papirio coſſ. quo anno Tarento a Romanis capto Tarentinis pax, & libertas eſt conceſſa. Triumpharunt de Tarentinis, & Bruttiis C. Fabricius anno CDLXXV. C. Junius CDLXXVI. Q. Fabius Gurges CDLXXVII. triennio poſt C. Claudius, de utriſque Sp. Carvilius, & L. Papirius anno CDLXXXI. quemadmodum a me pluribus verbis in faſtorum conſularium commentariis eſt demonſtratum. Bruttiis Hipponem eſſe ademptum Strabo, Crotonem Livius, Tarentinos fœderatos eſſe dimiſſos, Zonaras memoriæ prodiderunt.

In numerum autem fœderatorum Bruttios quoque exiſtimo referendos. ſiquidem de ambobus ita apud Livium loquitur Minio Antiochi regis legatus: *Quid magis Smyrnæi Lampſacenique Græci ſunt, quam Rhegini, & Tarentini, a quibus ſtipendium, a quibus naves ex fœdere exigitis?* cui reſpondit P. Sulpicius imperator: *Ab Rheginis, & Tarentinis, ex quo in noſtram venerunt poteſtatem, uno & perpetuo tenore juris ſemper uſurpato, nunquam intermiſſo, quæ ex fœdere debent, exigimus.* Cum Heraclea vero Pyrrhi bello fœdus æquiſſimum ictum eſſe ſcripſit Cicero in oratione pro Balbo, ad quam Heracleam pulſos a Pyrrho fuiſſe Romanos legimus. quibus ex verbis forma fœderum data ſatis, ut puto, perſpicue perſpici poteſt.

Sallentinis autem anno CDLXXXVI. M. Atilio Regulo, L. Julio Libone conſulibus arma primum ſunt illata. Zonaras Calabriæ bellum indictum ſcribit, cum crimini darent, quod Pyrrhum regem recepiſſent, & ſociorum ſuorum agros populabundi iniſſent, re autem vera quod Brundiſinam ſibi urbem adjungere cuperent propter portus opportunitatem. inde enim in Illyricum, & Græciam facile trajici poterat, quod eodem vento & ſolvere, & redire liceret. Eutropius his item conſulibus bellum cum Sallentinis ſuſceptum ſcribit, captoſque eſſe cum civitate ſimul Brunduſinos. idem eſt in Flori hiſtoria. Ambos autem conſules de Sallentinis triumphaſſe tabulæ Capitolinæ demonſtrant. Cum Sallentinis porro ſimul etiam Meſſapios eſſe domitos, indicant aperte triumphi conſulum D. Junii Peræ, & M. Fabii Pictoris, inſequenti anno de Sallentinis, & Meſſapiis acti. quos eoſdem in iis, quas commemoravimus, tabulis deſcriptos videmus. Nec de his aliud quicquam comperti habemus.

CAP. XIII.

De agro, & fœderibus Apulorum.

POST Sallentinos Apuli a Brundiſio ad amnem Fiternum agrum tenuerunt. Et horum autem duo apud veteres genera fuiſſe invenio, unum, quos Peucetios, & Japygas, & Pediculos vocarunt; alterum, quos Daunios, & Meſſapygas. Peucetiorum ad mare fuerunt Egnatia, Barium, Aufidus amnis. Dauniorum Salapia, Sipus, Apeneſte, Garganus mons, Hyrium, inde Fiternus. illorum mediterranea Venuſia, Cælia; horum Teanum cognomine Apulum, Luceria, Vibarnum, Arpi, Canuſium. Quod cum teſtimonio Ptolemæi certum habemus, tum vero etiam Plinii, cujus placet illuſtrandi hujus ſtudii gratia, ipſa quoque hac de regione verba recitare: *Brudiſio*, inquit, *conterminus Pediculorum ager, quorum oppida Rhudia, Egnatia, Barion. amnes Pactius, Auſidus ex Hirpinis montibus Canuſium præfluens. hinc Apulia Dauniorum. in qua oppidum Salapia, Sipontum, Uria, amnis Cerbalus Dauniorum finis, portus Agaſus, promontorium montis Gargani, portus Garnæ, lacus Pantanus, flumen portuoſum Frento, Teanum Apulo-*

rum, itemque Larinum, Cliternia, Tifernus amnis. inde regio Frentana. ita Apulorum genera tria, Teani a duce Gares, Lucani subacti a Calchante, quæ loca nunc tenent Atinates. Dauniorum præter supra dicta coloniæ Luceria, Venusia, oppida Canusium, Arpi. Hæc ille. Adjicit Strabo, qui sinum ad montem Garganum accolerent, proprio nomine Apulos appellatos.

Sed de Apulorum agro satis: nunc de fœderibus. Apuli, quod extat in annalibus Livii, anno urbis CDXXVII. amicitiam petentes, eodem, quo Lucani, fœdere in amicitiam sunt suscepti. bellum autem post triennium commoverunt C. Sulpicio, Q. Aulio consulibus. Itaque sequenti anno Q. Fabius Maximus consul in Apuliam progressus, maximas inde prædas egit: deinde C. Publilius biennio post ad peragrandam Apuliam profectus aliquot expeditione una populos aut vi subegit, aut conditionibus in societatem accepit. L. Papirius Cursor, collega ejus Luceriam, quam Samnites tenebant, pressit biennio post Teanenses, & Canusini populationibus fessi obsidibus L. Plautio consuli datis in deditionem venerunt. Diodorus tum regionem omnem Dauniorum Apulorum populatam, & Canusinos in fidem acceptos scribit. *Inclinatis*, ut placet Livio, *in Apulia rebus Teanenses quoque Apuli ad novos consules C. Junium Bubulcum, C. Æmilium Barbulam fœdus petitum venerunt. pacis per omnem Apuliam præstandæ populo Rom. auctores. id audacter spondendo, impetraverunt, ut fœdus daretur, neque ut æquo tamen fœdere, sed ut in ditione populi Rom. essent: Apulia perdomita (nam Ferento quoque valido oppido Junius potitus erat) in Lucanos perrectum.* nec de Apuliæ rebus quidquam aliud scriptum invenimus. Addit Diodorus, sequentes consules, Sp. Nautium, & M. Popilium Ferentum urbem Apuliæ vi cepisse. qui vero Nuceriam Alphaternam colebant, a Romana societate ad Samnites defecisse. anno vero CDXLVIII. L. Postumium, Ti. Minucium consules adductis in Japygiam legionibus Silvium oppidum obsidione cum hominum amplius quinque millibus in potestatem redegisse. Quibus ex rebus quid aliud colligitur, quam Apulos alios aliis conditionibus ad societatem Romanorum esse adductos? quarum monumenta certa in litteris nulla extant.

CAP. XIV.

De agro, & fœdere Frentanorum.

POST flumen Fiternum, quod Apulis objici diximus, sequuntur ad mare Frentani usque ad Aternum amnem, a quo inde Picentes sunt, adeo ut inter Apulos, & Picentes nulli alii populi sint interjecti, quam Frentani. Hoc & Mela ostendit, qui hos populos ita enumerat, ut post Daunios continenter Frentanos collocet, post Frentanos Picentes; & Plinius, qui ita scribit: *Flumen portuosum Frento, Teanum Apulorum, itemque Larinum, Cliternia, Tifernus amnis. inde regio Frentana.* & alio loco: *In ora Frentanorum a Tiferno flumen Trinium portuosum. oppida Histonium, Buca, Ortona, Aternus amnis. intus Anxatini, cognomine Frentani, Carentini supernates, & infernates, Lanuenses.* Strabo quoque Aternum Picentibus esse finitimum scribit. Ptolemæus item Frentanorum maritimam numerat Bucam, & Histonium, mediterranea vero Anxanum, & Larinum. unde inquit Cæsar, bello civili se Corfinio per fines Marrucinorum, Frentanorum Larinatium in Apuliam contendisse. Pari modo Strabo citra Aternum collocat Ortonem Frentanorum navale, & Bucam item Frentanorum, quam Teano Apulo ait esse proximam.

Maneat ergo hoc, inter Apulos, & Picentes solos fuisse Frentanos. de quorum fœderibus vix quid scribam habeo. Illud enim tantummodo extat apud Livium, Q. Aulium consulem anno CDXXXIV. uno secundo prælio cum Frentanis debellasse. anno vero CDXVIII. Frentanos Æquorum clade commotos legatos Romam de pace, & amicitia misisse, iisque fœdus petentibus datum esse. unde post Pyrrhi bello Frentani, ut socii, Romanis affuerunt. siquidem eo bello Frentanæ turmæ præfectus egregie se gessisse commemoratur a Floro; & bello Gallico Cisalpino inter cetera Italicorum auxilia, etiam Frentanorum a Polybio numerantur.

CAP. XV.

De agro Piceno, & fœderibus Picentum.

ULTIMI tum Italiæ erant Picentes, qui deinceps oram tenebant ab Aterno amne ad Æsim. in qua oppida veterum scriptorum testimonio celebrata sunt, Castrum, Cupra maritima, Trumentum, Numana, Ancona; intus vero Trajana, urbs Salvia, Septempeda, Cupra montana, Firmum, & Asculum utrumque cognomine Picenum, Hadria; inde Matrinus amnis, Auximum, Iguium, Pnæventia. Plinius Prætutianam regionem modo cum Piceno conjunctam, modo ab eo separatam significat, cum de Piceno ita loquitur: *Picentes tenuere ab Aterno amne, ubi nunc ager Hadrianus, & Hadria colonia a mari septem millia passuum, flumen Vomanum, ager Prætutianus, Palmensisque, item Castrum novum, flumen Batinum, Truentum cum amne. Flumina Albulates, Suinum, Helvinum, quo finitur Prætutiana regio, & Picentum incipit, Cupra oppidum, Castellum Firmanorum, & super id colonia Asculum, intus Novana, in ora Cluana, Potentia, Numana, Ancona. intus Auximates, Veragrani, Cingulani, Cuprenses cognomine Montani, Falarienses, Pausulani, Plenienses, Ricinenses, Septempedani, Tollentinates, Triacenses, urbs Salvia, Pollentini.* Stephanus item Prætutianum agrum non procul ab Hadria locat. unde Annibalem narrat Polybius, itemque Livius, Hadrianum Prætutianumque agrum, inde Marsos, & Marrucinos, Pelignosque devastasse. Prætutianis oppida Beretram, & Interamnam assignat Ptolemæus. Invenio præterea apud Strabonem, Picentes agros habitasse a montibus usque ad mare in longitudinem, quam in latitudinem ampliorem: latitudinem autem a montibus ad mare intervallis fuisse disparibus, longitudinem vero centum millium passuum.

Jam vero cum Picentibus anno CDLIII. T. Manlio Torquato, M. Fulvio Pæto coss. fœdus primum ictum esse, apud Livium scriptum est his verbis: *Romæ terrorem præbuit fama Gallici tumultus ad bellum Etruscum adjecti. & minus cunctanter fœdus ictum cum Picenti populo est.* & paulo post: *Cum Etruscum bellum segnius opinione esset, alterius belli fama Picentium novorum sociorum indicio exorta est; Samnites arma, & rebellionem spectare, seque ab eis solicitatos esse. Picentibus gratiæ actæ.* Mansisse autem eos in hoc fœdere usque ad annum urbis CDLXXXIV. inde licet suspicari, quod eo demum anno Q. Ogulnio Gallo, Q. Fabio Pictore consulibus Picentes bellum commovisse, & ab insequentibus coss. P. Sempronio, Ap. Claudio victos esse, tradidit Eutropius. Quo de bello non est alienum Orosii verba, quando Liviana amisimus, recitare: *Sempronius consul adversus Picentes duxit exercitum. & cum directe intra jactum teli utraque acies constitisset, repente ita cum horrendo fragore terra tremuit, ut stuporem miraculi utrumque pavefactum agmen hebesceret. diu attoniti utrique populi hæsitavere. præjudicata incœpti conscientia tandem procursu concito*

cito iniere certamen. Romani, qui admodum pauci eo prælio remanserunt, vicerunt. Idem autem in Flori est scriptum historia: *Domiti sunt*, inquit, *post Tarentinos Picentes, & caput gentis Asculum Sempronio duce. qui tremente inter prælium campo Tellurem deam promissa æde placavit*.

His etiam victis pacem hoc tempore datam esse invenio in epitome Livianorum. verum quibus conditionibus, amissis præsertim priscis annalium monumentis, parum compertum habeo. agris autem multatos eos, inde facile conjici potest, quod C. Flaminius tribunus pl. anno DXXV. legem tulit, quod extat apud Ciceronem in Catone, de agro Piceno viritim dividendo, & quod Firmum & Hadriam in eorum agrum colonos tum Romani deduxerint. Hic autem ager fortasse ille fuit, unde dimoti Picentes illi feruntur, qui a Romanis in Campaniam, qui est inter Sarnum & Silarim, sunt traducti, ac Picentini, teste Strabone, postea, ut supra diximus, appellati.

CAP. XVI.

De agro Gallico, & Gallis Senonibus.

ERAT ergo, ut dixi, non Picentum solum, sed etiam Italicorum terminus Æsis. ultra Æsim enim tenuerunt Galli Senones, ut opinor, usque ad Vitim. Hanc regionem, ut ex Catonis, & Plinii perspici monumentis potest, primi coluere Liburni, & Siculi, quos expulere Umbri, quos Etrusci. Post Senones ex transalpina profecti Gallia in his locis, Tuscis exactis, consederunt. quod intellexit libro V. Livius, cum dixit, Senones recentissimos omnium Gallorum, qui in Italiam transcenderint, ad Utente ad Æsim fines habuisse. Itaque hæc regio ab iis Senogallia, Catone teste, est appellata. in qua hæc oppida floruerunt, Sena, Fanum Fortunæ, Pisaurum, & Ariminum; flumina vero Metaurum, Crustumium, & Ariminum.

Hi sunt, qui, ut scriptum est apud Polybium, una cum Gessatis Gallis Romam quondam præter Capitolium captam incenderunt, atque terroris semper, ubi moverunt, (moverunt autem sæpissime) populo Rom. tantum intulerunt, ut in lege de vacatione militiæ, quæ senibus, & sacerdotibus permittebatur, illud ascriberetur, nisi si tumultus Gallicus excitetur, cujus rei Appianus libro II. & Plutarchus in Camillo meminerunt. Qui quanquam a Romanis longius, quam Picentes, aberant, tamen ante in ditionem, quam Picentes, venerunt, cum manentibus in antiquo fœdere Picentibus ultro populo Rom. arma sæpius intulissent. Nam cum anno CCCLXIII. fusis ad Alliam amnem Romanis urbem ipsam primo impetu cepissent, atque inde a M. Camillo dictatore exacti, atque occidione occisi essent, tantæ tamen cladis obliti, anno CCCLXXXVI. reversi iterum in Albano agro ab eodem Camillo dictatore, & post anno CCCXCII. a T. Quinctio Capitolino ad tertium lapidem Salaria via castra habente, tertium ad Anienem amnem vinci voluerunt. quo in bello T. Manlius, provocatore Gallo occiso, ac torque, quem ei detraxerat, sibi imposito, Torquati cognomen invenit. Neque vero post triumphorum Gallicorum materia defuit; siquidem & sequenti anno C. Pœtelius consul, cum ad portam Collinam armati stetissent, & tertio post anno, cum Præneste venissent, atque inde circa Pedum consedissent, C. Sulpicius dictator, & anno CDIII. cum in agro Latino castra posuissent, M. Popilius Lænas eos prælio devicerunt, quin etiam L. Furius Camillus, Camilli dictatoris filius, consul, postero anno paternis auspiciis eosdem in agro Pomptino prælio fusos in Apuliam compulit; quo tempore M. Valerius pugna

A cum altero Gallo Romanos milites per contumeliam ad singulare certamen vocante commissa, ex corvi alitis Galli os in pugna lacerantis omine Corvi sibi cognomen peperit. Post autem cum aliquot annos quievissent, ac pæne priorum immemores facti malorum, Etruscis se, & Umbris, & Samnitibus tum Romanorum hostibus infestissimis adjunxissent, a Q. Fabio Maximo quintum consule anno CDLVIII. in Sentinati agro acie fusi sunt. quo in prælio P. Decius Fabii collega se pro salute populi Rom. exemplum patris imitatus devovit. Postremo vero, cum anno CDLXX. inita cum Lucanis, Bruttiis, Samnitibus, & Etruscis societate, bellum gravissimum intulissent,
B atque Arretium Etruriæ oppidum, quod in societate populi Rom. perstabat, obsiderent, Romanos occurrentes, primum L. Cæcilio imperatore exuerunt, atque acie pepulerunt, post ab iisdem novo delectu in fines suos eo usque bello Romano intactos irrumpentibus magno prælio victi, ac profligati sunt. Qua clade finitimi Gallis Boii perterriti (ii trans Rubiconem consederant) cum Etruscis in auxilium advocatis, exercitum adversus Romanos adduxissent, a P. Dolabella consule ad lacum Vadimonis in Etruria superati, vix domum incolumes reverterunt. Atque hæc quidem hoc modo Polybius. Nam Florus non
C Bojos, sed Senones ad Vadimonem deletos prodit, his verbis: *Post aliquot annos omnes reliquias Senonum ad lacum Vadimonis Dolabella delevit. ne quis extaret in ea gente, qui incensam a se Romam gloriaretur*. Pulsos autem ex agris Senones, & cives Romanos eo esse translatos, multis mihi argumentis, ac conjecturis est persuasum. primum quod video Catonem, ut scriptum est apud Plinium, memoriæ prodidisse, in hoc tractu Senones, qui Romam incenderant, funditus interiisse; deinde, quod colonias duas in eorum agro a Romanis collocatas intueor, Senam quidem pulsis statim Gallis, ut ait Polybius, Ariminum vero anno CDLXXXV. P. Sempronio, & Ap. Claudio
D coss. Huc accedit, quod rogante Cajo, de quo dixi, Flaminio tribuno pl. anno DXXI. latum est ad plebem de agro Gallico cis Ariminum dividendo, & quod post annos duodecim idem C. Flaminius censor viam Flaminiam munivit, testibus Livio, Cassiodoro, & Festo, quæ a Roma Ariminum est perducta. Nam quid dicam, ut inde hæc regio Togata Gallia nominata sit, nimirum a togæ usu, qui civium Romanorum fuit præcipuus?

Cum autem hanc regionem Romani reliquo juri Italiæ adjunxissent, placuit, ut Italiæ, quæ eo usque Æsi flumine septa fuerat, usque ad Rubiconem
E produceretur, id quod ex Strabone cognosci facile potest, qui ante Æsim, post Rubiconem Italiæ terminos fuisse memoriæ prodidit. Quin etiam post omni prorsus Galliæ, Gallorumque nomine extincto eandem propter affinitatem esse Umbriæ attributam, facile crediderim. siquidem video Strabonem Umbriam Æsi, & Rubicone fluminibus, Ancone & Arimino oppidis terminasse, atque in ea Ariminum, Senam, Fanum, & Metaurum, quæ Senonum ante ad mare fuerant, numerasse; & Valerium Asdrubalem a Nerone, & Salinatore in Umbria interfectum tradere, quos ad Senam, & Metaurum pugnasse, inter omnes constat. Quæ autem iis, qui in
F his collocati sunt sedibus, præcipuæ fœderum conditiones sint datæ, nondum assequi potui.

CAP. XVII.

De agro, & fœderibus Umbrorum.

HACTENUS eos populos persecuti sumus, qui oram Italiæ insederunt, ac sive Tuscum, sive Siculum, sive Ionium, sive Adriaticum mare attigerunt: reliquum est, ut deinceps disputationem ad

eos exponendos, qui mediterranea Italiæ tenuerint, conferamus. primi autem citra Rubiconem fuerunt Umbri. quos cum Sempronius a fontibus Tiberis usque ad Narem flumen perducit, antiquiorum videtur habere rationem temporum; cum Strabo ab Arimino ad Ocriculos, recentiorum, quibus ager Gallicus Umbriæ est, ut diximus, attributus. Horum ergo oppida fuisse feruntur Ocriculi, Nequinum sive Narnia, Mævania, Forum Flaminium, Fulginum, Nuceria, Interamna, Spoletium, Æsium, Camarinum, Ameria, Tuder, Hispellum, Urbinum, Arna, Sentinum, Sassina. quod veterum Strabonis, Plinii, Ptolemæi, Silii testimonio confirmare, non puto esse necesse.

Umbros primum populi Romani socios a Livio invenio dici anno CDXXXIV. dum comparans Alexandri Magni vires cum viribus populi Rom. omnem Campaniam cum Umbria pro Romanis adversus Alexandrum pugnaturam fuisse ait. Ceterum hi primi annos post novem bello se Romano implicuerunt, tum cum Q. Fabius Maximus consul iterum Etruscorum exercitum insecutus trans Ciminiam silvam penetravit. Cum Camertibus amicitia est inita. reliqui fusi potius, quam cæsi. neque enim cœptam acriter tolerarunt pugnam. post autem cum iidem repente defecissent, prælio ab eodem in tertio consulatu devicti, se dediderunt. Ocriculani sponsione in amicitiam accepti. Post autem cum Nequinatibus quoque, & cum Sassinatibus pugnatum est. cum Nequinatibus anno CDLIII. ab Q. Appulejo consule, qui Nequinum oppidum circumsedit, & sequenti anno a M. Fulvio Pætino, qui illud cepit, colonia eo a pop. Rom. deducta, ac Narnia a Nare flumine appellata. cum Sassinatibus autem anno CDLXXXVII. quod & epitomæ Livianæ testantur, & triumphi consulum Capitolini, D. Junii Peræ, & M. Fabii Pictoris.

Quæ autem societatis fœdera acceperint, ea post usque ad extremum perpetuo tenore usurparunt. quæ tamen ea fuerint, parum explicatum est. illud minime dubium, non eadem omnibus fœdera esse concessa.

CAP. XVIII.

De agro Sabino, & fœderibus Sabinorum.

DEINDE sequuntur Sabini inter Umbros ab occidente, & Latinos ab oriente siti. etenim quidquid agri inter Narem, & Anienem flumina contineretur, id totum Sabinorum fuisse quibusdam e veteribus video placuisse. Strabo eos angustum agrum illum quidem incoluisse scribit, sed in longitudinem porrectum a Tiberi fluvio, & Nomento oppido per centum viginti quinque millia passuum usque ad Vestinos. Quem agrum tradit Dionysius libro I. ex sententia Catonis XXXV. millia passuum a mari Adriatico abfuisse, XXX. a Tyrrheno, in longitudinem vero paulo minus CXXV. millibus passuum patuisse. Florus autem hunc usque ad Adriaticum fere mare pervenisse ostendit, cum scripsit, Curium omnem eum tractum, quem Nar ambit, fontesque Velini, Adriatico tenus mari igne, ferroque vastasse. Atque hunc eundem agrum Strabo alio loco inter Latium & Umbros usque ad Samniticos montes concludit. Dionysius libro V. historiarum Anienem amnem ex Tiburtinis montibus per campos Sabinorum, & Romanorum deferri, atque utrumque agrum disterminare memoriæ prodidit. Addit Plinius, Tiberim citra XII. millia passuum Urbis Vejentem agrum a Crustumino ac Fidenate, ut Latinum a Vaticano dirimere. Sabinorum oppida numerat Strabo Nomentum, Amiterum, Interocream, Reate, Forulos, Cures, Treburam, Eretum; Plinius Amiterninos, Curenses, Forum Decii, Forum novum, Fidenates, Interamnates, Nursinos, Nomentanos, Reatinos, Trebulanos, qui cognominantur Mutuscæi, & qui Suffenates, Tiburtes, Tarinates. quo de agro Silius ubi de Nerone Sabino:

Hunc Amiterna cohors, & Bactris nomina ducens
Casperula, hunc Foruli, magnæ Reate dicatum
Cœlicolum matri, nec non habitata pruinis
Nursia, & a Tetrica comitantur rupe cohortes.

Hoc etiam terrarum in spacio fuerunt Crustumerium, Cænina, Antemnæ, & Collatia, quæ una cum Nomento, & Fidenis, aliquando ad Latinos referuntur. unde illud extitit apud Virgilium de Albanis regibus:

Hi tibi Nomentum, & Gabios, urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces.

& Livius de Priscis Latinis scribens, capta a Prisco rege ait Nomentum, & Crustumerium. His adde Regillum oppidum, unde Claudii Romam commigrarunt. Trebulæ Mutuscæ, unde Trebulani Mutuscæi apud Plinium, meminit Obsequens, Suffenæ Dionysius.

Agro Sabino cognito dicendum est de fœderibus eorum. Ut autem Sabini cum Romanis primi armorum contentione decertarunt, sic primi etiam se cum iis fœdere obstrinxerunt. Nam Crustumerium, Antemnæ, & Cænina in regione Sabinorum fuerunt, sed bellum seorsum a reliquis Sabinis, quorum principes Curenses, & rex eorum T. Tatius fuit, Romulo regi fecerunt, ut raptas repeterent virgines, & acceptam in urbe per speciem amicitiæ ulciscerentur injuriam. Narrat Plutarchus, Romulo Sabinos ad societatem vocante Acronem Cæninensium regem, reliquis cunctantibus arma movisse: eo victo Antemnates, & Crustumerinos, dum alii se compararent, facta conspiratione, adversus Romanos exercitum adduxisse. quos cum reliqui Sabini fusos, superatosque moleste ferrent, T. Tatium Curensium regem imperatorem delegisse. Atque hos quidem postea reconciliatis inter pugnandum animis, ac fœdere icto, in amicitiam, & in civitatem a Romulo esse susceptos constat. Tullus inde Hostilius cum Sabinis bellum suscepit, cum utrinque injuriæ factæ, ac res nequicquam essent repetitæ. Qui haud parum memores, suarum virium partem Romam ab T. Tatio rege fuisse translatam, ad Vejentes cum confugissent, ad silvam Malitiosam acie congressi profligantur. id quod prodidit memoriæ T. Livius. deinde eosdem ab Anco Marcio rege, cum a populationibus bellum exortum esset, victos tradit Dionysius. L. etiam Tarquinium Priscum regem urbem muro lapideo circumdare parantem bellum Sabinum avocavit, cum ea adeo subita res fuisset, ut prius Anienem transirent, quam obviam ire, ac prohibere exercitus Romanus posset. iis trans Anienem fugatis rex in agrum populabundus incursat. iterumque ibi fusi, perditis jam prope rebus pacem petiere. Collatia, & quidquid circa Collatiam agri erat, Sabinis ademptum. Collatini dediti sunt. sic Livius. Dionysius autem nullo Collatiæ verbo facto Sabinos sex annorum inducias impetrasse ait. post autem in eos iterum esse bellatum, ac singulos populos oppidorum deditione facta fœdere eodem, quo Etruscos, a rege in amicitiam & societatem esse ascitos. quin etiam eosdem Tarquinio Superbo regnante multis præliis devictos legatis de pace missis tributum in posterum pactis, eam impetravisse. Animadverto etiam anno post reges exactos quinto, M. Valerio, P. Postumio coss. Sabinos aliquot, cum Romanas opes bello Etrusco Porsenæ accisas rati, in agrum Rom. impetum fecissent, acie pulsos, victosque esse. consulem utrumque triumphasse. Postero vero anno, P. Valerio quartum, T. Lucretio coss. iidem soluta esse fœdera, quæ cum Superbo rege postremum percusserant, arbitrati, quod

ille exactus imperio esset, communi consensu habito omnium civitatum concilio bellum gravius intulerunt: cumque a Sex. Tarquinio Superbi filio impulsi Fidenas & Cameriam a Romanis abalienassent, iterum a Romanis sunt cæsi. consules ambo triumpharunt. Fidenis in auctores defectionis animadversum. ager ademptus, atque iis, qui in prælium missi sunt, datus. Tertio anno item in Sabinos dimicatum. Agrippa Menenius cos. triumphans, P. Postumius, quod minus prospere rem gessisset, primus ovans urbem ingressus est. quarto anno Sp. Cassius cos. cum iis non longe a Curibus congressus ad x. millia & trecentos cecidit, ad tria millia cepit. qua clade compulsi ad consulem, atque inde ad senatum legatos de pace miserunt. quam non nisi frumento, & stipendio in milites, & decem agri jugeribus datis impetrare potuerunt. Opiter autem Virginius exercitu ad Cameriam adducto receptam evertit defectionis auctoribus interfectis & reliquis venundatis. Dionysius eos Ap. item Claudio, & P. Servilio coss. cum movissent, victos prodit, & sequenti an. A. Virginio, T. Vetusio coss. cum se cum Æquis, & Volscis junxissent, a M. Valerio Maximo dictatore esse subactos. P. inde Valerio, C. Nautio coss. motus eorum quidam, sed parum memorabiles, fuerunt, quin etiam aliquot post annos L. Valerio, Ti. Æmilio coss. cum iis pugnatum est. Numicio autem, & Virginio coss. cum ad portas urbis populantes incessissent, plus cladium, quam intulerant, acceperunt. & cum P. Quinctio, Q. Servilio coss. Crustuminos campos citato agmine transgressi, cædes, & incendium circa Anienem flumen fecissent, porta prope Collina mœnibusque pulsi ingentes tamen prædas hominum, pecorumque egere. quos Servilius cos. infesto exercitu insecutus, cum ipsum agmen adipisci locis æquis nequiret, populationem adeo effuse fecit, ut nihil bello intactum relinqueret, multiplicique capta præda rediret. post autem cum anno CCCIII. in agrum Rom. cum Æquis incursassent, sequentibus coss. M. Horatio, & P. Valerio pœnas dederunt. Neque eos postea movisse invenio, nisi anno CCCLXXIII. quo accisas prorsus eorum opes esse a M. Curio Dentato cos. præter ceteros memoriæ prodidit Florus, cum ita scripsit: *Populus Rom. a Latinis aggressus est gentem Sabinorum, qui immemores factæ sub T. Tatio affinitatis, quodam contagio belli se Latinis adjunxerant. sed Curio Dentato consule omnem eum tractum, quem Nar ambit, fontesque Velini, Adriatico tenus mari igne ferroque vastavit. qua victoria tantum hominum, tantum agrorum redactum in potestatem, ut in utro plus esset, ne ipse quidem existimare posset, qui vicerat.* Vellejus addit, eodem anno Sabinis sine suffragio civitatem datam, post autem Sempronio, Claudioque coss. suffragium etiam esse permissum. & Cicero cum Balbum de civitate, quæ in dubium vocabatur, defenderet; universas sæpe gentes, ut Sabinorum & Hernicorum, in civitatem esse ascitas dixit. Itaque Livius bello Punico II. inter alios socios populi Rom. qui milites sint polliciti, Nursinos numerat, Reatinos, & Amiterninos, Sabinumque agrum omnem. Bello certe Marsico pro Romanis contra Italicos, civitatis jura postulantes, steterunt. Romanorum victoriæ testimonio sunt Forum Decii, & Forum novum, quæ in Sabinis a Plinio memorantur.

CAP. XIX.

De agro, & fœderibus Vestinorum, Marrucinorum Marsorum, & Pelignorum.

DEINCEPS sequuntur populi quattuor, ut non admodum latis, sic nec satis certis finibus ab antiquis circumscripti, Vestini, Marrucini, Marsi, & Peligni. Illud tamen dubitationem non habet, hos populos inter Picentes, Frentanos, Sabinos, Latinos, & Samnites medios consedisse. quod etsi ad jura Italiæ demonstranda satis valere deberet, adjungam tamen, quid & ipsi mihi de singulorum situ ex veterum monumentis in mentem veniat suspicari, ne quem locum patiar hujus artis sine lumine aliquo vel veritatis, vel probabilis conjecturæ jacere. Vestinos opinor Sabinis adhæsisse. Me vero in hanc sententiam rationes multæ adducunt. primum, quod Strabo Sabinos usque ad Vestinorum regionem perducit; deinde, quod Silius Fiscellum montem inter Vestinos ponit, unde Narem amnem Sabinorum terminum labi Plinius scribit. Valet etiam apud me plurimum, quod Amiternum oppidum modo in Sabinis numerari invenio, modo in Vestinis. quin etiam aliquid ad hanc quæstionem arbitror pertinere, quod Aternus amnis, teste Strabone, Vestinum agrum a Marrucino secreverit. manasse enim in Adriaticum eum ait ex Amiternino, ac per Vestinos ad dextram Marrucinis relictis ponte trajectum esse. Quibus auctoritatibus mihi persuasum est, Vestinos fere ab oriente Aternum flumen habuisse cum Marrucinis & fortasse etiam initia Liris, qui in Tyrrhenum influit, cujus ex Vestino agro originem Strabo duxit; at vero ab occidente Sabinos, a Septentrione Picentes. usque adeo, ut qui Vestinos cum Campanis conjungant, Vescinorum, qui populi Campaniæ sunt, nominis similitudine ductos putem errare, quod nomen ubique in Livianis annalibus esse invenio depravatum. quorum errorem si nulla alia auctoritas coargueret, ipsa, quæ dicuntur Vestinorum fuisse, oppida certe convincerent, Pinna, Avia, Amiternum, & Angulum apud Ptolemæum; Angulani, Pinnenses, & Peltuinates apud Plinium. quorum his versibus meminit item Silius:

Haud illo levior bellis Vestina juventus
Agmina densavit venatu dura ferarum:
Quæ, Fiscelle, tuas arces, Pinnamque virentem,
Pascuaque haud tarde redeuntia tondet Avellæ.

Vestinos autem cis Aternum sequuntur Marrucini, quorum caput constanti omnium testimonio Teate fuisse fertur. ex quo apparet, Marrucinos Frentanis non admodum procul a mari fuisse subjectos.

Marrucinos porro supra Pelignos fuisse cum aperte tradit Strabo, tum indicat non obscure Cæsar, cum ait, se a Corfinio, quod Pelignorum est, per Marrucinos, & Frentanos in Apuliam pervenisse.

Pelignorum autem Confinium, & Sulmonem clarissima oppida fuisse, Strabone & Ptolemæo testibus, notum est. quæ septem inter se millia passuum abfuisse in Cæsaris commentariis video esse notatum, ut Pelignos a Fretanis flumine Sangro, quod est inter Aternum oppidum & Ortonem, discretos, in Strabonis. Sangro autem suspicor ne terminati fuerint Marrucini, ut ad mare primi fuerint Frentani, Marrucini sub Frentanis inter Aternum & Sangrum amnes, sub Marrucinis Peligni iisdem utrinque fluminibus cincti.

Jam Marsi supra se videntur habuisse Vestinos a septentrione, ab occasu Sabinos, ab oriente Pelignos, a meridie lacum Fucinum, & Æquos populos attigisse. Eorum oppida obscura fuerunt, & nulla re memorabili celebrata Æx, & Alfabucelis apud Ptolemæum, Milonia, Plestinia, & Fresilia apud Livium. Adjiciunt multi Albam, quæ propter finium vicinitatem modo fuit Æquorum, modo Marsorum ad lacum Fucinum, unde inter Marsos retulit Plinius Anxatinos, Atinates, Fucentes, Lucenses, Marruvios, & Albenses. & de Marsis loquens dixit Silius:

Marruvium veteris celebratum nomine Mari,
Urbibus est illis caput, interiorque per udos

Alba sedet campos, pomisque rependet aristas.
Cetera in obscuro famæ, & sine nomine vulgi,
Sed numero castella valent.

Horum autem populorum vicinitatem ostendit Cicero in Cluentiana, cum dixit, *adesse primum municipes Cluentii Larinates, deinde vicinos Frentanos, Marrucinos, & pari dignitate Teano Apulo, atque Luceria equites Romanos*. & Livius, cum ait, *Neronem ex Apulia in Umbriam ad Senam exercitum per agrum Larinatem, Marrucinum, Frentanum, & Prætutianum duxisse*. & item, cum scribit, *Annibalem ex Campania in Samnium, inde in Pelignos accessisse, præterque oppidum Sulmonem in Marrucinos transisse, inde Albensi agro in Marsos, hinc ad Amiternum, Foruloſque vicum venisse*.

De rebus autem a populo Rom. cum his populis gestis, quos exiguos quidem, sed bellicosos tamen fuisse narrat Strabo, hæc a Livio accepimus. Anno CDXXVII. L. Camillo, D. Bruto coss. cum satis per se ipsum Samnitium bellum, & defectio repens Lucanorum solicitos haberent patres, accessit, ut Vestinus populus Samnitibus sese conjungeret. & quanquam res nova erat, tamen tanta cura patres incessit, ut pariter eam susceptam neglectamque timerent, ne aut impunita eorum lascivia superbiaque, aut bello pœnæ expetitæ metu propinquo, atque ira concirent finitimos populos. & erat genus omne abunde bello Samnitibus par, Marsi, Pelignique, & Marrucini, quos, si Vestinus attingeretur, omnes habendos hostes. Ita bellum adversus Vestinos ex auctoritate patrum populus jussit, idque Bruto mandatum. ab eo in Vestinis multiplex bellum, nec usquam vario eventu gestum est. nam & pervastavit agros, & populando, atque urendo tecta hostium, sataque in aciem invitos extraxit: & ita prælio uno accidit Vestinorum res, haudquaquam tamen incruento milite suo, ut non in castra solum refugerent hostes, sed, jam ne vallo quidem ac fossis freti, dilaberentur in oppida, situ urbium, mœnibusque se defensuri. postremo oppida quoque vi oppugnare adortus, primo Cutinam ardenti ardore militum, aut vulnerum, ira scalis cepit, deinde Cingiliam. utriusque urbis prædam militibus concessit.

Anno deinde CDXLV. Q. Fabio, P. Decio consulibus, cum Samnitibus acie dimicatum. haud magno certamine hostes victi, neque ejus pugna memoriæ tradita foret, ni Marsi eo primum prælio cum Romanis certassent. Secuti Marsorum defectionem Peligni eandem fortunam habuerunt. Post triennium L. Postumio, Ti. Minucio coss. Livius Æquorum nomen prope ad internecionem deletum scribit; exemploque eorum cladem fuisse, ut Marrucini, Marsi, Peligni, & Frentani mitterent Romam legatos oratores pacis petendæ, amicitiæque. iis populis fœdus petentibus datum. Diodorus autem Pelignos armis subactos, & agro multatos narrat. aliis vero, qui amici esse videbantur, civitatem esse communicatam. Sequenti anno Æquos deletos, cum Marsis, Pelignis, & Marrucinis societatem initam. At vero anno CDLI. M. Livio, & M. Æmilio coss. cum Vestinis petentibus amicitiam fœdus ictum est. eodemque anno nunciatum, a Marsis agrum vi teneri, in quem Carseoli deducta colonia erat (erat autem in agro Æquicolarum). ea caussa fecit, ut Marsis arma inferrentur. M. Æmilius Paulus dictator profectus cum exercitu prælio uno eos fudit. compulsos deinde in urbes munitas, Miloniam, Plestiniam, & Fresiliam intra paucos dies cepit, & parte agri multatis fœdus restituit. Nec de iis aliud præterea quidquam compertum habemus.

CAP. XX.

De agro, & fœderibus Samnitium.

RESTANT Samnites populi, quorum regio Samnium appellata, in longitudinem plus patens, quam latitudinem; habuit a septentrione Frentanos & Apulos, a meridie Campanos & Lucanos, ab occasu Ausones cum Pelignis, ab oriente item Apulos cum Lucanis. Populi in his claruerunt præter ceteros Pentri, Caraceni, & omnium ultimi Hirpini. quorum tanta fuit belli gloria, ut separatim a Samnitibus, quasi ab eorum corpore essent avulsi, nominarentur. unde illud est apud Livium, ubi Cannensem cladem descripsit, defecisse ad Pœnos in Italia Atellanos, Calatinos, Hirpinos, Samnites præter Pentros; & apud Appianum, bello Marsico, Samnites, & Hirpinos arma adversus populum Rom. tulisse. Samnitium porro capita, quantum ego intelligere possum, fuerunt Saticula, Caudium, Æsernia, Allifæ, inde minora alia multa, Callifæ, Rufrium, Plistia, Cluvia, Tifernus mons, Aufidena, Cimetra, Murgantia, Romulea, Ferentinum, Milonia, Aquilonia, Amiternum, Duronia, Sepinum, Velia, Palumbinum, Telesia, Maronea, Pentrorum Bovianum, Caracenorum Cominium, Hirpinorum, ut ait Plinius, Beneventum, Cossa, & Herculaneum. Plinius autem inter Samnites collocat Bovianum vetus & alterum cognomine Undecumanorum, Aufidenates, Æserninos, Fagos, Fugulos, Ficolenses, Sepinates, Treventinates, de quibus plerisque sic Silius:

Affuit & Samnis, nondum vergente favore
Ad Pœnos, sed nec veteri purgatus ab ira.
Qui Batulum, Mucrasque colunt, Boviania quique
Exercent lustra, aut Caudinis faucibus hærent.
Et quos aut Rufræ, aut quos Æsernia, quosve
Obscura incultis Herdonia misit ab agris,
Bruttius haud dispar, animorumque una juventus
Lucanis excita jugis, Hirpinaque pubes.

Hirpinos proditum est a Strabone Samnites fuisse, qui Lucanis adhæserint iis, qui mediterranea tenent. Aufidum autem amnem, qui Canusium præterfluit, & Dauniam terminat, ex Hirpinis montibus esse delatum. retinuisse autem eos vel extremis temporibus nomen, bellum ipsum Italicum anno urbis DCXII. gestum, est documento, in quo Hirpinorum præcipue egregia opera celebratur. Ferocissimam autem inter omnes Italicas Samnitum gentem fuisse, ex eo intelligi potest, quod cum eis per annos octoginta quotidianis prope armis est dimicatum. Quocirca apud Florum in hunc modum scriptum invenimus: *Samnites invasit populus Rom. gentem, si opulentiam quæras, aureis & argenteis armis discolore veste usque ad ambitum armatam; si insidiarum fallaciam, saltibus fere, & montium fraude grassantem; si rabiem, ac furorem, sacratis legibus humanisque hostiis in exitium Urbis agitatam; si pertinaciam, sexies rupto fœdere, cladibusque ipsis animosiorem.*

De his autem pugnis, ac cladibus præcipue hæc accepimus. Narrat Livius, M. Fabio, M. Popillio coss. anno post Urbem conditam CCCXXXIX. Samnites petentes primum fœdere in amicitiam esse acceptos. anno vero CDX. populum Rom. cum eis bellum inisse, ut Campanos deditios suos adversus eorum arma defenderet: pugnatum autem esse a M. Valerio consule in Campania ad Gaurum montem, ab A. Cornelio collega ejus in Samnio ad Saticulam, iterumque a Valerio ad Suessulam. hostibus ubique pulsis, cæsisque biennio post fœdus cum eis esse percussum. post autem cum anno CDXXV. defecissent, quia Fregellas Volscis ademptas in agro suo populus Rom. coloniam collocasset, sequentes consules C Pœtelium, & L. Papirium, indicto bello, tria eo-

A rum oppida in potestatem redegisse, Allifas, Callifas, & Rufrium, aliumque præterea agrum longe lateque vastasse. inde a L. Papirio dictatore subactos pacem petiisse, ac pactos, ut singula vestimenta militibus, & annuum stipendium darent, cum ad senatum, ad quem rejecti erant, venissent, infecta pace, inducias retulisse. Postero autem anno sive ab A. Cornelio Arvina dictatore, sive a consulibus Q. Fabio, & L. Fulvio (utrumque enim tradit) victos, cum defectionis auctores dedissent, non tamen pacem impetrare potuisse. Itaque ad arma conversos Ti. Veturium, & Sp. Postumium, qui secuti sunt, consules sub jugum ad Caudium missos ad turpe fœdus feriendum compulisse. quo sequenti anno B ipsorum deditione consulum infirmato, bello vehementius a Romanis, L. Papirio consule duce, renovato, eosdem ad Luceriam in Apulia victos, & sub jugum missos esse. Inde Satrico, quod ad eos defecerat, capto, ipsos a Papirio prælio deletos, petentibus fœdus negatum, inducias biennii datas. Post autem anno CDXXXV. Sp. Nautio, L. Æmilio coss. L. Æmilium dictatorem Saticulam oppugnare adortum illis caussam rebellandi dedisse. Fuscos in castra spe abjecta Saticulæ tuendæ Plistiam socios Romanorum circumsedisse. sequenti anno Q. Fabium dictatorem Saticulam proditione, Samnites Plistiam vi cepisse. inde traducto Soram exercitu, C quæ colonia Romana ad Samnites defecerat, cum Samnitibus ad Lautulas ancipiti prælio dimicatum. Soram cum insequentes consules M. Pœtelius, C. Sulpicius cepissent, & supplicium de defectionis auctoribus sumpsissent, cum Samnitibus, qui in Campaniam Capuæ Romanis adimendæ caussa venerant, depugnasse. eo prælio ad triginta millia cæsa, aut capta: reliquos Beneventum profugisse. Inde Samnitium clades multæ. Nam & consules Q. Fabius per Soranum, P. Decius per Sidicinum agrum in Samnium legionibus ductis, eos ad Tifernum ceciderunt. & cum Apulis auxilio occurrentibus Decius D se ad Maleventum objecisset, Samnium vastarunt. Cimetram, Murgantiam, & Romuleam ceperunt. Ferentinum validissime oppugnarunt. deinde cum iidem reparato exercitu per fines Vescinos in Campaniam, Falernumque agrum transcendentes ingentes prædas fecissent, atque eos L. Volumnius consul, ex Etruria in Calenum agrum profectus, præda onustos ad Vulturnum flumen sedere audisset, prælio cecidit, ac prædam eripuit. inde sequentes consules Q. Fabius, & P. Decius cum Samnitibus, Gallis, & Umbris, qui arma consociaverunt, pugnarunt in agro Sentinate Umbriæ, quo prælio nobilissima E victoria Decii devotione est parta. Samnitium agmen cum per Pelignos fugeret, circumventum est a Pelignis. ex millibus quinque ad mille cæsi. L. Volumnius pro cos. Samnitium exercitum in Tifernum montem compulsum fundit, fugatque. Pugnatum est etiam prospere in agro Stellate ab Ap. Claudio consule, & L. Volumnio pro consule. Sequenti anno Samnites cum M. Atilio consule non infeliciter congressi, cum non modo castra inde proferre, sed ne pabulari quidem Romanos paterentur, & retro in pacatum Soranum agrum populabundi irent, L. Postumius collega Atilii exercitu Soram indicto, inde in Samnium ad castra collegæ perrexit, F ac Milonium, & Ferentinum cepit. Atilius ad Luceriam in Apulia vario eventu pugnavit. Samnites Interamnam coloniam, quæ via Latina est, occupare conati urbem non tenuerunt, agros depopulati cum retro redirent, in victorem delapsi hostem ab Luceria redeuntem, cæduntur. Postero anno Samnitum exercitus lege sacrata coactus ad Aquiloniam consedit. Sp. Carvilius consul Amiternum vi cepit. Papirius Duroniam expugnavit. Inde pervagati Samnium maxime depopulato Atinate agro Carvilius ad Cominium, Papirius ad Aquiloniam, ubi summa rei Samnitium erat, pervenit. utrobique res bene gesta: oppidum captum, direptum ac concrematum est. Post Carvilius Veliam, Palumbinum, & Herculaneum cepit. Papirius Sepinum expugnavit, exercitumque in agrum Vescinum, quia ea regio infesta ab Samnitibus erat, hibernatum duxit. Atque hæc quidem omnia in Livianis annalibus scripta sunt. Cum autem Q. Fabius Gurges, qui consul est subsecutus, ab iis fusus, fugatusque summa apud omnes infamia flagraret, patris Q. Fabii Rulliani, qui legatus ei datus est, consilio usus rem prospere pro consule gessit, atque hostes, Zonara & Orosio testibus, sub jugum misit. Cum Samnitibus autem debellatum a P. Cornelio Rufino, & M. Curio coss. qui secuti sunt, invenio, & cum iis petentibus fœdus quartum esse percussum; inde per annos undecim ab iis otium fuisse; anno vero CDLXX. P. Dolabella, & Cn. Domitio coss. eosdem cum Gallis, & Lucanis, & Etruscis arma rursus cepisse, atque de iis L. Æmilium Barbulam pro consule triumphasse. Neque vero his solum, sed post etiam Pyrrho regi in Italiam venienti Samnites se adjunxerunt, quo factum est, ut de iis C. Fabricius consul triumphum nobilissimum egerit. Post autem cum Pyrrhus Italia cessisset, C. Junius, & P. Cornelius Rufinus consules in Samnium legiones duxerunt, agrisque vastatis castella quædam ceperunt. cumque hostes in montem compulsos adoriri statuissent, detrimentis quibusdam acceptis, populatione contenti fuerunt. Inde aliis ducibus continenter est bellatum. siquidem de iis & Q. Fabius Gurges pro cos. iterum triumphavit, & post etiam M. Curius, & L. Lentulus. a quo Samnitium etiam oppidum captum esse prodidit Plinius. & post etiam C. Claudius Canina, & qui bello diuturno finem imposuerunt, Sp. Carvilius, & L. Papirius Cursor. Itaque per eosdem Samniticum bellum est confectum, per quos etiam Tarentinum. Victis autem Tarentinis, & Samnites, quæ populo Roman. placuerunt, conditiones pacis acceperunt. unde iidem apud Livium sic ad Annibalem victorem loquentes sunt, bello Punico: *Hostes populi Rom. fuimus, primum per nos ipsi, quoad nostra arma, nostræ vires nos tutari poterant. posteaquam iis parum fidebamus, Pyrrho regi nos adjunximus, a quo relicti pacem necessariam accepimus*. Pacis autem conditiones, ut multa alia vetustate obsoleta, nobis parum compertæ sunt.

CAP. XXI.

De jure Italico.

Ex his autem, quæ diximus, neminem esse puto, quin intelligat, populum Rom. cum populis Italicis ita societatem iniisse, ut alios deditione, alios sponsione, quosdam pactione, omnes demum fœdere aliquo in amicitiam acceperit. fœdera tamen alia aliis æquiora pro meritis eorum, & senatus populique Rom. liberalitate esse concessa. quibus autem legibus pax cuique data sit, silentibus in tanta re priscis annalibus, non est, cur vehementius a nobis, ut dixi, sit hoc tempore postulandum. Ex his ergo fœderibus jus unum manasse intelligo, quod, quia plerique Italici in eo convenerunt, jus est Italicum appellatum; Latinitate quidem deterius, provinciæ vero Galliæ jure commodius. Huius autem partes multæ numerantur, sed pleræque Italicis fuere cum Latinis, de quibus ante dixi, communes. primum enim, ut Latini jure Quiritium caruerunt, sic Italici; ita ut non eadem libertatis, sacrorum, gentilitatis, legitimi dominii, testamentorum, ac tutelarum jura, quæ cives Rom. habuerint. nisi forte præcipua lege aliqua, ut mu-

nicipes, & coloni aliquot, juris ejus partem aliquam impetrassent. Deinde, quod de censu, de tributis, & vectigalibus Latinorum est dictum, idem de Italicis censeo judicandum; omnes in civitatibus suis per censores suos censos esse, omnesque tributa, & vectigalia, quo modo in fœderibus cujusque cautum esset, persolvisse. unde tritum illud est Minionis legati regis Antiochi apud Sulpicium consulem: *Quid magis Smyrnæi, Lampsacenique Græci sunt, quam Neapolitani, & Rhegini, & Tarentini, a quibus stipendium, a quibus naves ex fœdere exigitis?* Cui respondit Sulpicius: *Ab Rheginis & Neapolitanis, & Tarentinis, ex quo in nostram venerunt potestatem, uno & perpetuo tenore juris semper servato, nunquam intermisso, quæ ex fœdere debent, exigimus.* Quin etiam Italicos tributis persolvendis afflictos narrat Appianus in primo, item Livius in XXVII. cum fremitum inter Latinos, sociosque in consiliis ortum scribit, *quod se decimum annum delectibus & stipendiis exhaustos esse, & quotannis ferme magna clade pugnare dicerent.* Nam partem Italiæ vectigalem fuisse, Cicero demonstrat in Verrem: *cum in omnibus*, inquit, *vectigalibus ipsius Italiæ, quæ vectigalis sit, publicanus petitor ac pignorator, non ereptor neque possessor soleat esse.* quæ quidem vectigalia, quippe Italiæ universæ molesta, Cæcilia tandem lege sublata, libro I. de jure civium Rom. ostendimus. Augustus inde cum vectigalia omnia provinciarum sustulisset, tributa ordinaria instituit, alia in agros, alia in caput. Itaque censum in toto imperii Rom. orbe indixit, ut capitum, fortunarumque summam, quæ in Imperio essent, cognosceret. cum autem provincias alias tributo in caput, alias tributo in solum onerasset, Italiam tamen immunem utriusque reliquit, idque jus Italiæ dictum. de censu universæ terræ instituto ita D. Lucas in Evangelio: *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Quirino.* & Isidorus libro V. Etymologiarum, cap. XXXVI. *Augustus censu excogitato Romanum descripsit orbem.* Higenus Augusti libertus: *Nunc multi agri pecuniam præbent, & hanc per soli æstimationem.* Jus autem Italicum hanc vim habuisse, quam dixi, ostendit Paulus D. de censibus: *Laodicea in Syria, & Berytos in Phœnice juris Italici sunt, & solum earum. ejusdem juris & Tyriorum civitas a Divis Severo, & Antonino facta est. D. Antoninus Antiochenses colonos fecit tributis. Imp. noster Antoninus civitatem Emisenorum coloniam, & juris Italici fecit. D. Vespasianus Cæsarienses colonos fecit, non adjecto, ut & juris Italici essent, sed tributum his remisit capitis; sed D. Titus etiam solum immune factum interpretatus est.* Hinc etiam Plinius scripsit: *in Hispania, Foroaugustanæ civitati jus Italiæ datum, Castulonenses oppidanos Latii veteris factos.*

Jam vero eodem militiæ jure Italicos fuisse, ac Latinos, obstrictos, satis perspicuum est; nempe ut in auxiliis, non in legione mererent, atque ex fœderis formula numerum militum, quem jussi essent, darent eo modo, quo supra in Latii jure explicando ostendi. Hujus autem juris testis est locupletissimus Polybius, qui bello Gallico Cisalpino, quod non ita multo ante, quam cum Annibale pugnaretur, est gestum, maximas sociorum copias præter Latinorum auxilia ait fuisse, Sabinorum, Etruscorum, Umbrorum, Sassinatum, Samnitum, Marsorum, & Marrucinorum, Frentanorum, Vestinorum, Japygum, Messapygum, Lucanorum, & Campanorum. Itaque Plinius L. Æmilio Papo, C. Atilio Regulo coss. Italiam nunciato Gallico tumultu solam sine externis ullis auxiliis equitum LXX. millia, peditum DCC. armasse prodidit, & Livius bello Punico duarum turmarum Samnitium meminit & bello alio Gallico Marsorum cohortis, & bello

A Persico cohortium Firmanæ, & Vestinæ, & turmæ equitum Æserninæ. & idem, cum res tulit, ad legiones Romanas socium Latinorumque auxilia tum peditum, tum equitum adjuncta scribit. Quod autem Hiero rex Syracusanorum, amicus populi Rom. apud eundem tertio anno secundi belli Punici, cum sagittarios ad Romanos mitteret, iccirco se eos misisse ait, *quod sciret, milite, atque equite, nisi Romano, Latinique nominis non uti populum Romanum*, id ita, ut dixi, accipiendum est, ut Latino nomine etiam Italicos complectamur: præsertim vero cum eodem tempore idem Livius tradat, *ad socios, Latinumque nomen ad milites ex formula accipiendos missum.*
B Non omnes tamen Italicos dare milites debuisse, hinc ego ducor ad opinandum, quod scriptum invenio libro XXXIV. apud eundem, *sociis, ac Latini nominis magistratibus, legatisque eorum, qui milites dare debebant, consulem edixisse, ut in Capitolio se adirent. ex iis XV. millia peditum, & quingentos equites pro numero cujusque juniorum descripsisse.* in quo mire dixit, *legatis eorum, qui milites dare debebant*, quasi vero non omnes deberent. atque etiam libro XXXVIII. extremo, quo loco, quæ a quoque populo in classem P. Scipioni præbita sint, narrat. ubi quæ Cærites, Populonien-
C ses, Tarquinienses, Volaterrani, Arretini, Perusini, Clusini, Russellani, Umbri, Nursini, Reatini, Amiternini, Sabinusque omnis ager, Marsi, Peligni, Marrucini se daturos esse polliciti sunt, exposuit, subdit: *Camertes cum æquo fœdere cum Romanis essent, cohortem armatam sexcentorum hominum miserunt*, nimirum hoc significans, ceteris populis exiguam, Camertibus, qui propter æquitatem fœderis nihil deberent, maximam laudem, quod enixe populum Rom. adjuvissent, fuisse tribuendam.

Si ergo in his omnibus eodem jure Italici sunt usi, atque Latini, restat, ut, quo Italicis Latini su-
D periores fuerunt, suffragii fuerit potestas, & magistratus. Neque enim Italicis civitas data est, quo modo fœdere Cassiano Latinis; neque Italicos nisi post legem Juliam Romæ suffragia inisse comperimus; eademque ratione neque Italicis per magistratum aditum ad civitatem Romanam patuisse certum est, in quo summum Latinitatis jus supra diximus constitisse. Loquor autem de Latinis, atque Italicis in universum. nam aliquot ex utroque nomine sigillatim civitate, atque suffragii latione donatos, satis ex eo loco perspicuum est, qui est apud Livium: *Jam inde a majoribus traditum morem Ro-*
E *manis colendi socios. ex quibus alios in civitatem atque æquum secum jus accepissent, alios in ea fortuna haberent, ut socii esse, quam cives mallet.* Quod si quis fortasse requirat, quo potissimum jure Italici Galliam provinciam superarint, non dubitabo respondere, quod magistratibus suis, non prætori Romano, ut provincia, obedirent. neque enim Appiano, quanquam auctori bono, assentior, qui belli Marsici temporibus Italiam ita a Romanis administratam scribit, ut plures essent proconsules, qui partes ejus cum imperio obtinerent. siquidem prætoribus, aut proconsulibus, nisi gravioris alicujus belli caussa, Italiam unquam esse decretam non
F invenio. quod & Punico, & Marsico bello, & post bellis sæpe civilibus factum est. Nam Q. Servilium, quem tum in Piceno proconsulem fuisse objicit Appianus, satis constat extra ordinem ad motus illos inspiciendos, sedandosque esse missum. siquidem inquit Orosius, *Q. Servilium prætorem, & legatum ejus ad se missum ab Italicis apud Asculum esse occisum.* legatus autem fuit Fontejus.

Hoc ergo jure fuit Italia a Tarentino fere bello usque ad cladem Cannensem. cujus ictu adeo est perculsa, ut qui sociorum ad eam diem firmi steterant, tum labare cœperint, atque ad Pœnum victo-

rem defecerint, Campani quidem, ut ait Livius, A Atellani, Calatini, Hirpini, Apulorum pars, Samnites præter Pentros, præter Petellinos Bruttii omnes, Lucani, Surrentini, & Græcorum omnis ferme ora, Metapontini, Crotonienses, & Locrenses. Itaque cum melioribus postea populi Rom. rebus iidem in fidem populi Rom. aut voluntate, aut vi redierint, credibile est, alios alias fœderis conditiones pro suis cujusque meritis impetrasse; & ut qui fidem non servarant, gravissime sunt multati; sic qui firmi steterant, ut Latinis, Sabinis, & Umbris, aliisque cum antiquum fœdus conservatum, tum novo fortasse aliquo etiam beneficio auctum. Ac Campanorum quidem constat disparem conditionem fuisse. B Nam de trecentis equitibus Campanis, qui in Sicilia cum fide stipendiis emeritis, alienata Capua, Romam venerant, latum ad populum narrat Livius, ut cives Romani essent, item ut municipes Cumani essent pridie, quam populus Campanus a populo Rom. defecisset. Capua vero recepta, Atella, & Calatia in deditionem acceptis in senatores, ceterosque, qui capita rerum fuerant, animadversum esse, Capuæ agrum, & tecta publica populi Romani facta. præfectus ut quotannis eo ad jura reddenda mitteretur, decretum. quin etiam adjicit alio loco Livius, Campanos omnes, Atellanos, Ca- C latinos, Sabatinos, extra quam qui eorum aut ipsi aut parentes eorum apud hostes essent, liberos esse a populo Romano jussos, ita ut nemo civis Romanus, aut Latini nominis esset. Postremo pulso Italia Annibale, cum P. Sulpicius Galba dictator anno quingentesimo quinquagesimo post Urbem conditam, Italiæ urbes, quæ bello alienatæ fuerant, circumisset, ac singularum caussas, quod extat apud Livium, quæ aut aperte defecerant, aut auxilia populo Rom. denegaverant, cognovisset, verisimile videtur, aliis alias conditionibus eum sibi obnoxias reddidisse, ita ut universis nominis Italici non idem jus reliquerit, quod ante defectionem habuerant, D sed quarundam civitatum conditionem, fortunamque magis afflixerit. inter quos Bruttiorum, qui primi ad Annibalem defecerant, valde jus est imminutum. eos enim post ignominiæ caussa non milites scripserunt, nec pro sociis habuerunt, sed magistratibus in provincias euntibus parere, & præministrare servorum vice, ut scribit Gellius, jusserunt. Strabo non Bruttios solum, sed etiam Picentinos, & Lucanos depressos tradit, siquidem pro militibus eos, ut viatores publicos aut tabellarios scripsisse, & Salernum oppidum adversus eos communisse; Lucanorum vero res adeo perditas fuisse, ut ne tum quidem sedes eorum distingui potuerint, cum nul- E lum commune gentis concilium reliquum esset, & sermonis, & habitus, & armaturæ ratio defecisset; Apulorum autem Peucetiorum, & Dauniorum nomina, quæ primis temporibus floruerunt, ætate sua prorsus evanuisse, propterea que certos eorum fines tradi non posse. Pediculorum autem, & Japygum, ut etiam Picentinorum, & Lucanorum bello Italico Appianum video in historia meminisse. Quod si quo beneficio novo Latinos, sociosque, qui a populo Romano dubiis in rebus non recesserant, ut mihi quidem probabile conjectura videtur, affecerunt, profecto iis legem illam dederunt, cujus post F meminit in anni quingentesimi septuagesimi sexti rebus exponendis Livius, ut qui socium, ac Latini nominis stirpem ex sese domi relinquerent, cives Romani fierent. qua lege simul & sociorum voluntati est satisfactum, qui Romanæ civitatis cupiditate maxime post Punicam victoriam erant incensi, & Italiam a solitudine vindicarunt, cum eos, qui civitatem mutare vellent, stirpem domi relinquere cogerent. Ac de Italicis quidem hactenus.

CAP. XXII.

De Gallia citeriore.

SEQUITUR, ut quoniam de duobus Italorum generibus, Latinis, atque Italicis, quorum diversa inter se fuisse jura docuimus, satis est disputatum, deinceps de tertio, nempe de citeriore Gallia, differamus. cujus multo, quam vel Latinorum, vel Italicorum, jus deterius fuisse comperimus. quo explicato, triplex, quod ab initio proposuimus, jus nobis erit Italiæ demonstratum. Galliæ autem nomine hoc loco ad Romani potius juris consuetudinem, de qua dicam post, quam ad veritatis rationem apte appello quidquid montium camporumque mari Ligustino, fluminibus Arno, Rubicone, Formione, Adriatico sinu, & convexa ipsa prope Alpium crepidine continetur. mare est enim a meridie, Alpes a Massilia prope in orbem per vada Sabatia, Taurinos, Salassos, Rhætos, Comum, Brixiam, Veronam, Vicetiam, Opitergium, Aquilejam, & Tergeste usque in sinum Adriaticum ductæ occidentis & septentrionis partes tuentur, sinus ipse cum duobus, quæ dixi, fluminibus partem orientis definit. Hanc mediam fere discriminat Apenninus, & flumen maximum Padus. Apenninus ab eodem fere, unde Alpes, initio exurgens usque ad mare Adriaticum, & Senam oppidum porrigitur. Padus ex Alpino quodam in Vagiennorum Ligurum finibus Vesuli montis fonte erumpens longo per medios campos tractu multis in sinum Adriaticum ostiis influit. In eum vero ex Apennino multa flumina deferuntur. quorum hæc in primis video celebrari, Jactum, Tanarum, Trebiam, Tarum, Niciam, Gabellum, Scultemnam, & Rhenum. ex Alpibus Sturam, Morgum, Durias duos, Sessitem, Ticinum, Lambrum, Aduam, Ollium, Mincium, Athesim; atque ex his quidem Ticinus ex Verbano lacu flait, Lambrus ex Eupili, Aduas ex monte Adua Rhætorum in Larium lacum, atque inde in Padum, Ollius ex Sebino, Mincius ex Benaco, ex Tridentinis Alpibus Athesis. quæ scripta in Strabonis, & Plinii commentariis extant.

Quoniam autem in multas nationes est hæc regio distributa, Ligures, Gallos, Venetos, & Carnos, admonet institutæ disputationis ratio, patriique soli caritas hortatur, ut sigillatim, quem quisque eorum agrum tenuerit, quibus imperatoribus, & quo tempore quisque devictus, quo fœdere in amicitiam acceptus fuerit, planum faciam, ut his demum expositis facilius, qualenam eorum jus ante bellum Italicum fuerit, cognoscamus. ordiamur autem a Liguribus.

CAP. XXIII.

De agro, & fœderibus Ligurum.

LIGURUM, ut ait Dionysius, & natio antiquissima, & regio latissima fuit, quippe quæ ante Gallos Italiam insederit, nec solum Italiæ, sed etiam Galliæ ulterioris partem non modicam obtinuerit, in qua Salyes, Deceates, Oxybii & Vocontii Ligures habitarunt. unde autem in Italiam, aut in Galliam venirent, ille pro incomperto reliquit. Invenio porro, qui cis alpes Ligures coluerunt, duas partes divisos, Transapenninos, & Cisapenninos. Transapennini fines a meridie mare Ligustinum, a septentrione Apennini jugum, ab oriente primum Macram amnem, post impetu in Etruriam facto Arnum, ab occasu ejusdem Apennini & Alpium congressum ad Nicæam habuerunt; eorumque alii Montani, alii Maritimi appellati. Montani, ut est in veteribus rerum Italicarum com-

mentariis, a Nicæa, unde Apenninus attollitur, usque ad fontes Macræ pertinuerunt, a Macra vero usque ad Arni Ligures Apuani. Maritimi a Massilia, ut ait Polybius, usque ad Pisas. quod primum oppidum ex Liguribus in Tuscos eunti occurrit; quamquam illud etiam Trogus in Liguribus collocavit. Quæ ora oppida habuit Herculis fanum, Lucum Feroniæ, Lunam, & post Macræ fluminis ostium Erycis, ac Veneris portum, Tigulliam, Genuam, Vada Sabatia, Albigaunum, Albium Intemelium, Monœci portum, Herculis portum, Nicæam & finem Italiæ flumen Varum. intus castella plurima, oppida pauca; in iis Luca, quod ante Etruscorum scribit fuisse Livius, post Ligurum, & Apua. Qui cis Apenninum fuerunt, ii Trebia & Pado fluminibus & Apennini atque Alpium parte conclusi hæc, ut prodit Plinius, oppida tenuerunt, Libarnam, Derthonem, Triram, Barderatem, Industriam, Polentiam, Carream, quod Potentia cognominetur; Hastam, Aquas Statiellorum. Strabo cum Derthone Statellam, & Clastidium edit, Livius cum Clastidio Litubium, & Caristum. Clastidium autem modo Ligurum, modo Insubrium fuit ad Padum. Livius Ligures quondam etiam trans Padum, & citra Ticinum incoluisse, verum ab Insubribus Italiam invadentibus pulsos fuisse prodit. Invenio etiam in ejusdem annalibus multa alia populorum Ligustinorum nomina, ut Brinatum, Celelatum, Cerdiciatum, Eganteriorum, Friniatum, Garulorum, Hercatum, Iluatum, & Lapicinorum: item montes Balistam, Suismontium, Letum, Anidum, Auginum. Addo illud, quoniam Pisæ ultimum tum erat Etruriæ oppidum, idque Liguribus hostibus proximum, Pisas sæpe tum pro Ligurum provincia esse usurpatas, ut apud Livium libro XXXIV. *P. Porcius Læca prætor*, inquit, *sortitus est Pisas, ut ab tergo Liguribus esset*. Hactenus de Ligurum agro sit dictum, nunc reliqua persequamur.

De bello Ligustino inito non omnes scribunt uno modo. Zonaras bellum susceptum cum iis anno Urbis DXV. Ti. Sempronio Gracco, P. Valerio Faltone consulibus, & Gracchi ductu prospere pugnatum tradit. Eutropius anno sequenti, L. Lentulo, Q. Flacco consulibus. Adjicit Florus, bellum a latrociniis Ligurum Etruriam populi Rom. provinciam incursantium esse commotum. Post triennium vero, cum iidem iterum arma cepissent, primum a L. Postumio Albino victi, deinde a Q. Fabio Maximo consulibus ita cæsi sunt, ut, quod scripsit Plutarchus, finem jam facerent populandi. Sed ne tum quidem diu quieverunt. Nam anno DXXIII. ambos consules M. Æmilium, & M. Junium adversus eos cum exercitu profectos, & anno DXXX. de iisdem P. Furium Philum triumphasse in Capitolinis tabulis scriptum est. Polybius tum Anamaros populos non longe a Massilia incolentes ad amicitiam Romanorum a consulibus ait esse traductos. Inde anno DXXXV. ad Annibalem Pœnum in Italiam irrumpentem se contulerunt, eumque auxiliis adversus populum Roman. juverunt. Quam injuriam, quanquam iniquo animo ferebant Romani, non tamen ante annum DLVI. sibi armis vindicandam putarunt. Tum vero Punico terrore levati, Q. Minucio consuli, ut eos bello persequeretur, mandarunt. Qui exercitu Genuam, ut ait Livius, adducto oppida eorum Clastidium, & Litubium, & duas ejusdem gentis civitates Celelates, Cerdiciatesque ad deditionem perpulit. Jam omnia cis Padum præter Gallorum Bojos, Illuates Ligurum sub ditione erant. quindecim oppida, hominum viginti millia quæ se dediderant, esse dicebantur. post Clastidium incensum in Ligustinos Illuates, qui soli non parebant, legiones duxit, eosque ad deditionem compulit. Neque vero post tantam cladem acceptam Ligurum bella defuerunt. Rem autem cum iis gessit an-

A no DLX. Q. Minucius Thermus consul, cum XX. millia Ligurum armatorum, conjuratione per omnia conciliabula universæ gentis facta, Lunensem primum agrum depopulati, Pisanum deinde finem transgressi, omnem oram maris peragrassent; nunciatumque præterea esset, etiam Ligurum XX. millia in agrum Placentinum venisse, & eum usque ad ipsa coloniæ mœnia, & Padi ripas cum cædibus, & incendiis perpopulatos esse. Is ergo Pisas a Liguribus circumsessas suo adventu servavit, atque primum acie congredi non ausus vix a populationibus eos continuit. post autem in agro Pisano commisso B prælio novem millia hostium occidit, ceteros fusos, fugatosque in castra compulit. inde ex agro Pisano in eorum fines ingressus castella eorum, vicosque igni, & ferro vastavit. Minucium inde L. Quinctius consul est consecutus, qui agro eorum late populato castella etiam aliquot occupavit. eodemque anno Q. Minucium pro cos. rem prospere gessisse, hostibus supra quattuor millia cæsis prodit Livius. Deinde Valerius Messala in eos profectus, nulla memorabili re gesta, bellum insequentibus consulibus C. Flaminio, & M. Lepido tradidit. quorum C. Flaminius cum Friniatibus in agro eorum pugnavit, ac pluribus præliis secundis factis in deditionem gentem C accepit, & arma ademit. & quia non sincera fide tradebant, cum castigarentur, relictis viciis in montem Auginum confugerunt. confestim secutus est consul. Verum effusi rursus per loca, qua sequi Romanus hostis non posset, trans Apenninum abierunt. qui castris se tenuerant, circumsessi expugnati sunt. inde trans Apenninum ductæ legiones. ibi montis, quem ceperant, altitudine paulisper se tutati, mox in deditionem venerunt. tum conquisita cum intentiore cura arma, & omnia adempta. translatum deinde ad Apuanos Ligures bellum, qui agrum Pisanum & Bononiensem ita incursaverant, ut coli non posset. his quoque perdomitis pacem dedit finitimis. & quia, D a bello quieta ut esset provincia, effecerat, ne in otio militem haberet, viam Bononia perduxit Arretium. M. Æmilius agros Ligurum, vicosque, qui in campis, aut vallibus erant, ipsis montes duos Balistam, Suismontiumque tenentibus, exussit, & populatus est. deinde eos, qui in montibus erant, adortus, primo levibus præliis fatigavit, postremo coactos in aciem descendere, justo prælio devicit. Subactis cis Apenninum omnibus, tum transmontanos adortus. in his & Briniates Ligures erant, quos non adierat Flaminius. omnes Æmilius subegit, armaque ademit, & de montibus in campos multitudinem deduxit. Pacatis Liguribus in agrum Gallicum exer- E citum duxit, viamque ab Placentia, ut Flaminiæ committeret, Ariminum perduxit. postero anno Q. Marcius Philippus consul in Ligures Apuanos profectus, dum penitus in abditos saltus, quæ latebræ, & receptacula illis semper fuerant, persequitur, in præoccupatis angustiis loco iniquo est circumventus. saltus, unde consulem Ligures fugaverant, Marcius est appellatus. Deinde M. Sempronius Tuditanus consul a Pisis profectus in Apuanos Ligures vastando agros, urendoque vicos, & castella eorum, aperuit saltum usque ad fluvium Macram, & Lunæ portum. Hostes montem antiquam F sedem majorum suorum ceperunt, unde superata locorum iniquitate dejecti sunt. & Ap. Claudius Pulcher felicitatem, virtutemque collegæ in Liguribus Ingaunis æquavit secundis aliquot præliis, sex præterea eorum oppida expugnavit, multa millia hominum in iis cepit, belli auctores tres, & quadraginta securi percussit. biennio post a Q. Fabio Labeone consule memorabile nihil gestum. Insequenti anno, cum Ligures consulibus ambobus L. Paulo, & Cn. Bæbio essent decreti, a Q. Fabio litteræ acceptæ, Apuanos ad rebellionem spectare, periculumque esse, ne impetum in agrum Pisanum facerent.

facerent. consules ambo in Ligures profecti prospere pugnarunt. Ligurum duo millia fere ad extremum finem provinciæ Galliæ, ubi castra Marcellus habebat, cum venissent, ut reciperentur, orantes, Marcellus per litteras senatum consuluit. senatus ad consules ut mitterentur, censuit. nec quicquam aliud postea gestum. recesserant enim Ligures primum in devios saltus, deinde dimisso exercitu passim in vicos, castellaque sua dilapsi sunt. postero anno L. Paulus prorogato ex consulatu imperio in Ligures Ingaunos cum exercitum adduxisset, rem bene gessit. triduo Ligurum Ingaunorum omne nomen obsidibus datis in deditionem venit. Insequenti anno P. Cornelio Cethego, & M. Bæbio Tamphilo prorogatum est ex consulatu in Liguribus imperium; jussique provincias obtinere, donec consules venissent. Hi vero cum in consulatu memorabile nihil gessissent, hoc anno in Apuanos exercitum induxerunt. Ligures, qui ante adventum consulum in provinciam non expectassent bellum, improviso oppressi ad duodecim millia hominum dediderunt se. Eos consulto prius per litteras senatu, deducere ex montibus in agros campestres, procul ab domo, ne reditus spes esset, Cornelius, & Bæbius statuerunt, nullum alium ante finem rati fore Ligustini belli. ager publicus populi Romani erat in Samnitibus, qui Tauraninorum fuerat. in eum cum traducere Ligures Apuanos vellent, edixerunt, Ligures ab Anido...... montibus descendere cum liberis, conjugibusque, sua omnia secum portarent. traducti sunt publico sumptu, ad quadraginta millia liberorum capitum cum feminis, puerisque. argenti data centum, & quinquaginta millia sestertium, unde in novas ædes compararent, quæ opus essent. agro dividendo, dandoque iidem qui traduxerant, Cornelius, & Bæbius præpositi. atque hi sunt quos in Samnitibus Plinius Ligures Bæbianos, & Ligures Cornelianos appellat. Eodemque anno consules ambo A. Postumius, & Q. Fulvius in Ligures exercitus diversis partibus induxerunt. Postumius prima, & tertia legione Balistam, Suismontiumque montes obsedit, & premendo præsidiis angustos saltus eorum, commeatus interclusit, inopiaque omnium rerum eos perdomuit. Fulvius secunda, & quarta legione adortus a Pisis Apuanos, qui eorum circa Macram flumen incolebant, in deditionem acceptos ad septem millia hominum in naves imposita præter oram Etrusci maris Neapolim transmisit. inde in Samnium traducti, agerque his inter populares datus est. Montanorum Ligurum ab A. Postumio vineæ cæsæ, frumentaque deusta, donec cladibus omnibus belli coacti in deditionem venerunt, armaque tradiderunt. Bellum inde Q. Fulvius Flaccus consul excepit. qui profectus per invios montes, vallesque saltus cum exercitu transgressus, signis collatis cum hoste pugnavit, neque tantum acie vicit, sed castra quoque eodem die cepit. tria millia ducenti hostium, omnisque ea regio Ligurum in deditionem concessit, consul deditos in campestres agros deduxit, præsidiaque montibus imposuit. ab altero consule L. Manlio in Liguribus nihil dignum memoria gestum est. biennio post C. Claudius Pulcher, consul victor ex Istria in Ligures moventes ex s. c. exercitum traduxit. ad Scultemnam flumen in campos progressi castra habebant. ibi cum iis acie dimicatum. XV. millia cæsa. Ligures reliquiæ cladis in montes refugerunt passim, populantique campestres agros consuli nulla usquam apparuerunt arma. eodem anno Lucam colonia deducta. de Liguribus captus is ager erat. Etruscorum ante, quam Ligurum, fuerat. Ligures postquam senserunt, non consularem tantum exercitum Romam adductum, sed legionem ab Ti. Claudio Pisis dimissam, soluti metu clam exercitu indicto, per transversos limites superatis montibus in campos degressi, agrum Mutinensem populati, repentino impetu coloniam ipsam ceperunt. Itaque postero anno C. Claudius procos. exercitum ad Mutinam admovit; atque ante triduum, quam oppugnare cœperat, receptam ex hostibus colonis restituit. VIII. millia ibi Ligurum intra muros cæsa. Q. autem Petillius consul, cum audisset, Ligures rebellasse, tumultus ejus caussa legionem tertiam, ac C. Claudium procos. in Galliam proficisci jussit, & duumviros navales cum classe Pisas ire, qui Ligurum oram maritimam quoque terrorem admoventes circumvectarentur. eodem & ipse ad conveniendum exercitui diem edixerat. & C. Claudius audita rebellione Ligurum præter eas copias, quas secum Parmæ habebat, subitariis collectis militibus exercitum ad fines Ligurum admovit. hostes sub adventum C. Claudii, a quo se meminerant ad Scultemnam flumen victos, fugatosque, locorum magis præsidio adversus infeliciter expertam vim, quam armis se defensuri, duos montes Letum, & Balistam ceperunt. muroque insuper amplexi, tardius ex agris demigrantes, oppressi ad M. & D. perierunt. Q. Petillius, ne absente se debellaretur, litteras ad C. Claudium misit, ut cum exercitu ad se in Galliam veniret. campis Macris se eum expectaturum. Litteris acceptis Claudius ex Liguribus castra movit, exercitumque ad campos Macros consuli tradidit. Eodem paucis post diebus consul alter venit. Ibi divisis copiis, priusquam digrederentur, communiter ambo exercitus lustraverunt. tum sortiti, quia non ab eadem utrunque parte aggredi hostem placebat, regiones, quas peterent. Profecti inde in diversas regiones. Petillius adversus Balistæ, & Leti jugum, quod eos montes perpetuo dorso inter se jungit, castra habuit. Ibi adhortantem eum concione milites immemorem ambiguitatis verbi, ominatum ferunt, se eo die Letum capturum esse. duabus subinde partibus subire in adversos montes cœpit. ea pars, in qua ipse erat, impigre succedebat. alteram hostes cum pepulissent, ut restitueret rem inclinatam, consul equo advectus suos quidem a fuga revocavit, ipse dum incautus ante signa obversatur, missili trajectus cecidit. multitudo peditum equitumque deturbatis hostibus montes sine duce cepere. ad quinque millia Ligurum occisa. ex Romano exercitu duo, & quinquaginta ceciderunt. Hæc iisdem verbis de Liguribus hactenus Livius. Sequenti anno tumultum item in Liguribus novum exortum, atque a consulibus M. Lepido, & P. Mucio compressum docuit ille quidem libro XLI. at injuria temporum rerum a Lepido gestarum memoria excidit. quæ vero ex tanto quasi naufragio evaserunt, hæc sunt. Loquebatur enim, credo, de Lepido, cum ita scripsit... *deduxit, cis Apenninum Garuli, & Lapicini, & Hercates, trans Apenninum Briniates fuerant*. Quibus verbis hos omnes Ligurum populos victos ex montibus in campos deductos a Lepido, ut alios ante ab aliis consulibus, significari existimo. Inde pergit de altero consule ita scribere: *P. Mucius cum iis, qui Lunam, Pisasque depopulati erant, bellum gessit, omnibusque in ditionem redactis arma ademit. ob eas res in Gallia, Liguribusque gestas duorum consulum ductu auspicioque senatus in triduum supplicationes decrevit, & XL. hostiis sacrificari jussit. & tumultus quidem Gallicus, & Ligustinus, qui in principio ejus anni exortus fuerat, haud magno conatu oppressus erat*. Inde anno DLXXX. in agro Statellati, ad oppidum Caristum, quo se magnus exercitus Ligurum contulerat, est pugnatum. primo sub adventum M. Popillii consulis mœnibus sese continebant, deinde postquam oppidum oppugnaturum Romanum cernebant, progressi ante portas aciem struxerunt. nec moram consul certamini fecit. cum amplius quattuor horas ita pugnatum esset, ut neutro inclinaret spes, consul equites immisit, qui impressione facta hostem pepu-

ierunt. Ligures in fuga passim cæsi sunt. decem millia hominum cæsa traduntur. amplius DCCC. passim capti. post hanc pugnam ex diversa fuga in unum collecti. Ligures cum majorem multo partem civium amissam, quam superesse cernerent (nec enim plusquam decem millia hominum erant) dediderunt sese. nihil quidem illi pacti. speraverant tamen non atrocius, quam superiores imperatores consulem in se sæviturum. at ille arma omnibus ademit, oppidum diruit. ipsos, bonaque eorum vendidit, litterasque senatui de rebus ab se gestis misit. quas cum A. Atilius prætor in curia recitasset, atrox res visa senatui, Statellates, qui uni ex Ligurum gente non tulissent arma adversus Romanos, tum quoque oppugnatos non ultro bellum inferentes, deditos in fidem populi Rom. omni ultimæ crudelitatis exemplo laceratos, ac deletos esse, tot millia capitum innoxiorum fidem implorantia populi Rom. ne quis unquam se postea dedere auderet, pessimo exemplo venisse, & distractos passim, justis quondam hostibus populi Rom. pacatis servire. Quas ob res s. c. factum est, placere senatui, M. Popillium consulem Ligures precio emptoribus reddito ipsos restituere in libertatem, bonaque ut iis, quicquid ejus recuperari possit, reddantur, curare arma primo quoque tempore fieri in ea gente, consulem de provincia decedere, cum deditos in sedem suam Ligures restituisset. Sequenti anno M. Popillius procos. iterum cum Statellatibus Liguribus pugnavit, ac decem millia eorum occidit. propter cujus injuriam belli ceteri quoque Ligurum populi ad arma ierunt. consules C. Popillius, & P. Ælius in Ligures profecti. s. c. factum, ut qui Ligurum post Q. Fulvium, L. Manlium consules hostes non fuissent, eos C. Licinius, Cn. Sicinius prætores in libertatem restituendos curarent, agrumque iis trans Padum consul Popillius daret. Multa millia hominum hoc s. c. restituta in libertatem, transductisque Padum ager assignatus est. Ita per aliquot annos otium in Liguribus fuit. anno autem DLXXXVII. consules ambos M. Claudium Marcellum, & C. Sulpicium Gallum cum iisdem rem prospere gessisse ex mutilatis ipsorum triumphis, qui in Capitolinis extant tabulis, apparet. a quibus iisdem Alpinos Gallos, & Ligures subactos, deletosque esse in Livianorum epitomis, & apud Obsequentem est scriptum. postremo vero anno urbis quingentesimo nonagesimo quinto in iisdem tabulis invenio, M. Fulvium Nobiliorem pro cos. de Liguribus Veleatibus triumphasse. qui annus est a primo hujus belli octogesimus. siquidem anno urbis DXV. initum scripsimus. Hæc est autem nobilis illa victoria, de qua scribit, ut opinor, Strabo libro IV. his verbis: *Salyes primos ex transalpinis Gallis populus Rom. in ditionem redegit, cum diuturnum adversus & eos & Ligures bellum gessisset, quod iter per oram maritimam in Hispaniam impedirent. etenim & terra, & mari latrociniis infesta reddebant omnia, atque iis opibus erant, ut vix magnis exercitibus viam præberent. octogesimum autem demum annum bellum gerentes Romani effecerunt, ut iis, qui publice iter facerent, ad stadia duodecim via pateret.* Nescio autem an hunc Fulvium Florus intellexerit, (nam multi cum Liguribus Fulvii ante bellum gesserunt) cum dixit: *Tandem Ligurum latebras Fulvius igne sepsit.* unde Forum Fulvii cognomine Valentinum nomen accepit apud Plinium. Quo vero anno Ligures in potestatem ita concesserint, ut parere prætori populi Romani coacti sint, parum liquet. Strabo quidem post hoc tempus Romanos, Liguribus deletis, & tributo imposito, eorum rempubl. descripsisse tradit, quod est aliud nihil, quam eos in provinciæ formulam redegisse. Quæ verba mecum ipse contemplans, & cum bellis, quæ post in Liguribus gesta sunt, comparans, in eam adductus sum opinionem, ut putem, Ligures aliquot post annis provinciæ formam M. Æmilii Scauri consulis victoria, anno DCXXXVIII. accepisse. quam sententiam intelligo præterea multis posse me argumentis non levissimis confirmare. primum enim hic de Liguribus Gatiscis triumphasse in libro de viris illustribus fertur; deinde eundem etiam incertum ultimæ quasi victoriæ argumentum Æmiliam in Liguribus viam stravisse refert Strabo, quam per Pisas, & Lunam usque ad Sabata, & inde per Derthonem perduxit. postremo, quod caput est, post hoc tempotis Ligurum, ut sociorum, in bellis Romanis fieri mentionem invenio. Atque de Liguribus quidem hæc hactenus.

CAP. XXIV.

De agro, & fœderibus Gallorum.

EXPOSITIS bellis, ac fœderibus Ligurum, ordo postulat, ut deinceps Gallorum res persequamur. Hi ex transalpina Gallia profecti, Tuscis, veteribus incolis, per arma pulsis, in his locis sedes posuerunt: Polybius quidem auctor est, loca prima, quæ ad fontes Padi sunt, Laos, & Lebecios, secunda vero Insubres, tertia apud fluvium Cænomanos insedisse. cis Padum vero, qui ad Apenninum agri pertinent, primum Ananes, post Bojos, deinceps ad Adriam Lingones, ultimos vero ad mare Senones occupasse. Livius autem aliquanto illustrius, *Tuscorum*, inquit, *ante Romanum imperium late terra, marique opes patuere. mari supero, inferoque quantum potuerint, nomina sunt argumento: quod alterum Tuscum communi vocabulo gentis; alterum Adriaticum mare ab Adria Tuscorum colonia vocavere Italicæ gentes. Ii in utrumque mare vergentes, incoluere urbibus duodenis terras, prius cis Apenninum ad inferum mare, postea trans Apenninum, totidem, quot capita originis erant, coloniis missis. quin trans Padum loca omnia, excepto Venetorum angulo, qui sinum circumcolunt maris, usque ad Alpes tenuere. Alpinis quoque ea gentibus haud dubie origo est, maxime Rhætis, quos loca ipsa efferarunt, ne quid ex antiquo præter sonum linguæ, nec eum incorruptum, retinerent.* Hinc Tarquinio Prisco regnante, Gallos Alpes in Italiam transcendisse ait, Bituriges, Arvernos, Santones, Æduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos, qui fusis acie Tuscis haud procul Ticino flumine, cum in quo consederant, agrum Insubrium appellari audissent, cognomine Insubribus pago Æduorum, ibi omen loci secuti urbem condiderint, eamque Mediolanum appellarint. aliam subinde Germanorum (Cænomanorum sunt, qui legi malint) manum vestigia priorum secutam trajectis Alpibus, ubi nunc Brixia, & Verona urbes sunt (locos tenuisse Lebuos) consedisse. Post hos Salvios venisse; qui præter antiquam gentem Lævos, Ligures incolentes citra Ticinum amnem expulerint. Bojos inde, Ligonesque transgressos, cum inter Padum, atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto, non Etruscos modo, sed etiam Umbros agro exegisse. tenuisse se tamen intra Apenninum. tum Senones recentissimos advenarum ab Vite flumine usque ad Æsim fines habuisse. Atque hic quidem post Gallorum irruptionem antiquus hujus regionis status fuit, ut ea trans Padum a Laiis, & Lebeciis, sive, ut est apud Livium, Lævis, & Lebuis, præterea ab Insubribus, & Cænomanis, cis Padum autem ab Ananibus, Boiis, Lingonibus, & Senonibus teneretur. Ego vero Ananes, & Lingones, quorum nullam in bellis Romanis fieri mentionem invenio, a Bojis accolis hostibus sedibus suis eversos, ac latius Bojorum fines propagatos facile existimarim. siqui-

dem & Ligurum cum Gallis, & Gallorum cum Venetis, & ipſorum inter ſe bella graviſſima conſtat fuiſſe. Quo fit, ut incerti eorum etiam fines pro victoriæ ac temporis ratione reperiantur. Quocirca ego in agro, & fœderibus Gallorum Ciſalpinorum exponendis, Bojorum tantum, & Inſubrium, & Cænomanorum meminero; quod reliqui, quantum ipſe conjectura conſequi poſſum, jampridem ab his, ut Senones a Romanis, bello deleti fuiſſent. Boii vero ab ortu ſolis Senonibus, teſte Polybio, ab occaſu Liguribus ciſpadanis ad Trebiam amnem adhæſerunt, a meridie quidem Apennino, a ſeptentrione vero Pado concluſi. Quod cum ita ſit, profecto apparet, oppida eorum fuiſſe ultra Rubiconem ad mare Ravennam, intus Cæſenam, Faventiam, Claternam, Bononiam, Mutinam, Macros campos, Nuceriam, Tanetum, Parmam, Brixillum, Fidentiam, & Placentiam: ultra eam enim eſt Trebeia. Cænomanorum incerti fuerunt fines. quoniam autem Veronam, quam interfluit Atheſis, modo in Venetis, modo in Cænomanis collocari ab antiquis animadverto, fit, ut ab oriente Cænomanos Atheſi flumine terminatos putem, ab occidente Ollio amne, a quo non longe abeſt Cluſius, cujus Polybius meminit, cum inquit, Romanos ex Inſubribus, Cluſio fluvio trajecto, in Cænomanos veniſſe. atque iis ſociis aſſumptis in Inſubres infeſto agmine rediiſſe; a ſeptentrione Rhætis, & ceteris, qui eas Alpes inſidebant, barbaris, a meridie Pado. quo in ſpacio ſunt Verona, Brixia, Mantua, Tridentum, & Butrium, auctore Ptolemæo. Inſubres inde, ut ipſe conjectura auguror, intra Ollium, & Ticinum flumina, Alpes, & Padum ſe tenuerunt. de Ticino ſignificat Livius, cum ſcribit, *Inſubres trajectis Alpibus præter antiquam gentem Lævos, Ligures citra Ticinum amnem incolentes expuliſſe, eamque regionem occupaſſe*. oppida hi coluerunt Cremonam, Bergomum, Mediolanum, Ticinum, Acerras, & Novariam. Ultra Ticinum, & Inſubrum regionem fuerunt Lebecii, ut ait Polybius, ſive Lybici, ut Ptolemæus, ſive Lebui, ut Livius, quos & ipſos Gallos aliquando appellat, quibus Vercellas oppidum aſſignat Ptolemæus. Nam Lævi gens, ut ait Livius, antiqua citra Ticinum habitavit, immo vero Ticinum oppidum, auctore Plinio condidit. Ultra hos erant Ligures Alpini, & Salaſſi, aliique Galli Alpes Italiæ incolentes, de quibus alio loco diſſeram; nunc, quod inſtat, agendum.

Ex Gallis ciſalpinis primi poſt Senones, quos ſupra funditus everſos ſcripſimus, Boii infeſta Romanorum arma ſenſerunt. Nam quo anno antiquis ſedibus Senones ſunt exturbati, eodem, ut ſcribit Polybius, Boii cum rebus ſuis timentes, ſolicitatis Etruſcis, gravi Romanos bello provocaſſent, ad lacum Vadimonis a P. Dolabella conſule ſunt devicti, qui fuit annus, ut dixi, urbis CDLXX. inde per multos annos otium a Gallis fuit. Quo deinde anno Liguribus, eodem etiam Boiis arma illata eſſe invenio Ti. Sempronio Graccho, & P. Valerio Faltone coſſ. cum quibus Valerio duce dubio eventu pugnatum ſcribit cum Zonara Oroſius. Poſtero autem anno primum trans Padum legiones miſſæ, & cum Inſubribus acie dimicatum eſt, tertio Boii cum multitudine ſua terrorem ſe Romanis incuſſuros putaſſent, ac per legatos Ariminenſem agrum, unde paucis ante annis pulſi Senones fuerant, ut ſuum repetentes, Romanos Arimino excedere juſſiſſent, ſua ſponte deleti ſunt a ſociis ipſi ſuis, quos ex tranſalpina Gallia evocaverant, converſis in ſe armis oppreſſi. Inde ab iis per aliquot annos quies. poſt anno DXXIII. M. Æmilio Barbula, M. Junio Pera coſſ. Boiis, aliiſque Gallis pecuniam facientibus, veriti Romani, ne eam belli in ſe inferendi cauſſa pararent, edixerunt, ne quis homini Gallo mutuam pecuniam daret. Galli comperto, conſules in Liguri- A res exercitum adduxiſſe, dum ſe, ut Romam verſus contendant, comparant, improviſo a conſulibus opprimuntur. Cum autem poſt biennium, Q. Fabio Maximo iterum conſule, C. Flaminius tribunus pleb. (quod ſcriptum eſt in Catone Tulliano,) adverſus ſenatus auctoritatem legem pertuliſſet, ut ager Picenus, & Gallicus viritim divideretur (Gallicum autem intelligebat eum, unde exacti Senones cis Ariminum fuerant) factum eſt, ut Boji Senonum calamitate edocti, cum ſe injuriæ eſſe proximos cernerent, inita cum finitimis Inſubribus ſocietate, Gallis etiam tranſalpinis accitis, qui ad Rhodanum accolebant, & a mercede, qua conducti B militabant, Geſſatæ dicebantur, quieſſentibus Cænomanis, in Etruriam, quæ jam tum in ditione Romanorum erat, irruperint, anno urbis DXXVIII. adverſus quos cum conſules L. Æmilius Papus, C. Atilius Regulus maximum, ſi quando unquam alias, ex univerſa Italia exercitum adduxiſſent, (ea centum millia armatorum fuiſſe traduntur) ingentes eorum copias ad Fæſulas profligarunt. XL. millia cæſa, decem capta, agrum Boicum ab Æmilio vaſtatum accepimus. Poſtero anno Romani ex re priore anno bene geſta in ſpem adducti, Gallos ex regionibus circumpadanis ejiciendi, C Q. Fulvium, T. Manlium conſules in Galliam miſerunt. qui cum legionibus fines Bojorum ingreſſi ad deditionem eos compulerunt, imbrium & peſtilentiæ, ut placet Polybio, deterriti magnitudine, ne reliquias belli perſequerentur. Zonaras tamen Bojorum regionem ab hoc tempore in poteſtate fuiſſe populi Rom. tradit. Anno inſequenti P. Furius, & C. Flaminius conſules per Ligurum quorundam, quos ſibi ſocios aſciverant, fines Inſubrium gentem adorti, nobilem victoriam retulerunt. Quietæ jam res in Gallia futuræ videbantur, niſi Inſubres pacem petentes a M. Marcello, & Cn. Scipione coſſ. occaſionem belli quærentibus ad arma capienda fuiſſent D compulſi. Hi vero Geſſatarum armis adjunctis cum in aciem prodiiſſent, Acetris, & Mediolano, quod eorum caput erat, & Como oppidis amiſſis, cum fruſtra trajecto Pado Claſtidium obſediſſent, deditionem fecerunt, pecuniis, & agrorum parte multati. Marcellus triumphavit, & tertia opima ſpolia Virdumaro rege Geſſatarum interfecto retulit. Atque hoc pacto Galliæ Ciſalpinæ pars, quam Boji, & Inſubres tenebant, in poteſtatem, ditionemque populi R. conceſſit. Tum vero provinciam hanc factam, inde apparet, quod ſequentibus deinceps annis prætores, qui eam regerent, eo cum imperio miſſi ſunt. Itaque triennio poſt Scipione, E & Longo coſſ. coloniæ duæ, Placentia, & Cremona in agrum, ut ſcriptum eſt in Livianorum epitomis, de Gallis captum ſunt deductæ. eaque clauſtra adverſus Gallicos tumultus, ſi qui cis, aut trans Padum excitarentur, oppoſita. ex quo intelligi ſine dubio poteſt, ut Placentia fuit Bojorum, ſic Cremonam tum fuiſſe, non, ut tradit Ptolemæus, Cænomanorum, ſed Inſubrium: neque enim bello dum Cænomanos populus Rom. attigerat, immo vero ſocios tum, & quidem conſtantes habebat. Cum autem Boji, & Inſubres ſubito defeciſſent, vix poſt multos annos perdomari armis potuerunt. eodem enim anno, ut inquit Livius, Boji ſolicitatis Inſubribus ad F Annibalem in Italiam venientem ſe contulerunt, non tam ob veteres in populum Rom. iras, quam quod nuper circa Padum, Cremonam, Placentiamque colonias in agrum Gallicum deductas ægre patiebantur. quo factum eſt, ut triumviri agrarii diffiſi Placentiæ mœnibus Mutinam confugerint. Itaque poſt biennium L. Poſtumius Albinus prætor e provincia decedens Bojorum fraude in Litana ſilva cum exercitu eſt oppreſſus. Cannenſi inde clade cum omnes Ciſalpini Galli populum Rom. deſeruiſſent, Cremona tamen & Placentia coloniæ in fide manſe-

runt. Bellum interea Gallicum ardente Punico bello in Italia omissum, & in annum urbis quingentesimum quinquagesimum quartum est dilatum, quo anno P. Ælius consul Galliam sortitus, cum audisset, a Bojis ante suum adventum incursiones in agrum sociorum factas, C. Oppium præfectum socium per Umbriam, agrum Bojorum invadere jussit. Postero autem anno cum Insubres, Cænomanique & Boji excitis Salybus, Iluatibus, & ceteris Ligustinis populis, Amilcare Pœno duce Placentiam invasissent, a L. Furio Purpurione prætore magno prælio victi. Furium inde C. Cornelius Cethegus consul secutus, qui decreto a senatu Gallico bello, ad Insubres, qui in armis erant, Cænomanis assumptis, profectus, Bojos, Insubres, & Cænomanos cecidit. Cethego autem cum M. Claudius Marcellus successisset, Comenses prælio profligavit, atque oppido capto, duo de triginta castella in fidem recepit, & cum L. Furio Purpureone collega Bojorum agrum usque ad Bononiam oppidum populabundus peragravit. ea urbs, ceteraque castella, & Boji fere omnes præter juventutem, quæ prædandi caussa in armis erat (tunc in devias silvas recesserat) in ditionem venerunt. Biennio interjecto P. Africano, Ti. Sempronio Longo consulibus L. Valerius Flaccus pro consule circa Mediolanum cum Insubribus, & Bojis, qui Dorulace duce ad concitandos Insubres Padum trajecerant, signis collatis depugnavit. X. millia hostium cæsa. eodemque anno a Ti. Longo consule cum Bojis res varie gesta. Quem secutus L. Cornelius Merula consul commisso ad Mutinam prælio Bojorum XIV. millia concidit. Postero anno Boji adeo quieverunt, ut etiam senatus eorum Cn. Domitio consuli cum liberis, & præfecti cum equitatu (summa omnium mille, & quingenti) se dediderint. Insequenti anno P. Cornelius Scipio Nasica summo cum Bojis prælio congressus, eos ad deditionem compulit, ac primo obsidibus ab eorum gente acceptis agri parte fere dimidia multavit, quo si vellet, populus Rom. colonias mittere posset. Itaque sequenti anno decretum, ut eo duæ coloniæ novæ deducerentur, & postero Bononia deducta est. Anno inde DLXVI. M. Furius prætor insontibus Cænomanis in pace speciem belli quærens ademit arma. Id Cænomani conquesti Romæ apud senatum, rejectique ad consulem M. Æmilium Lepidum, cui, ut cognosceret, statueretque, senatus permiserat, magno certamine cum prætore habito, tenuerunt. reddita arma Cænomanis. M. Æmilius ducto ex Liguribus in Galliam exercitu viam Æmiliam per provinciam ab Arimino Bononiam, & Placentiam, atque inde Aquilejam prope Alpium crepidinem stravit, ducto, ut ait Strabo, circum paludes opere: cujus viæ ambitum diligenter per singula oppida apud Antoninum video esse descriptum. Ab hoc Galliam citeriorem in provinciæ formam iterum esse redactam, via Æmilia, & oppidum Regium Lepidi ab ipso appellata satis magnum dare documentum possunt. Quibus addere etiam colonias duas possumus Mutinam, & Parmam in agro Bojis adempto non ita multo post constitutas.

Hæc sunt bella, quibus Boji, Insubres, & Cænomani domiti post Romana pace contenti in perpetuum quieverunt. Strabo auctor est, Bojos ex finibus suis in loca Danubio vicina translatos cum Tauriscis contra Dacos bellum gerentes radicitus esse sublatos. eosdem etiam funditus interiisse, ex Catone refert Plinius, cum eorum centum duodecim tribus fuissent. Polybius Gallos omnes Padi accolas e campis dimotos, præter eos, qui sub Alpibus sunt, tradit. recte. neque enim post hæc tempora ulla in Italia aut Bojorum, aut Cænomanorum memoria celebratur. Insubres autem sua etiam ætate in Italia fuisse Strabo prodidit: unde illud est apud Ciceronem in Pisonem: *Insuber quidam fuit, id est, mercator, & præco*. Quidquid autem Gallorum ab Alpibus ad Rubiconem fuit, id totum in cispadanam, & transpadanam regionem est divisum. Pulsis autem, ut dixi, Gallis pleraque Romani cives occuparunt. declarant frequentes eorum coloniæ Bononia, Mutina, Parma, Placentia, & Cremona. ostendit nomen Togatæ Galliæ (sic enim est hæc regio postea appellata) quod ab eo ductum videtur, quia ei provinciæ Romana toga sit concessa. unde dixit Martialis:

Gallia Romanæ nomine dicta togæ.

Togatam autem dictam scribit Dio vel ab usu togæ, vel quod multo, quam Transalpina Gallia, pacatior esset. Hoc autem nomen ea, ut dixi, regio primum tulit, quam Senones tenuerant. nimirum enim eam Galliam primum Togatæ nomine ornarunt, quæ primum imperio populi Rom. paruit, ac cives, moresve Romanos cum usu togæ Romanæ prima accepit. inde autem Bojis, qui finitimi fuerant Senonibus, ut dixi, exturbatis hoc nomen esse communicatum puto, postquam ad hos etiam victus, cultusque Romanus est translatus. siquidem Ptolemæus Galliam Togatam a Placentia Ravennam perducit. quo fortasse respexit quoque Festus, cum scripsit, *Boicum agrum dici, qui fuit Bojorum Gallorum, esse autem in Gallia citra Alpes, quæ Togata dicitur*. Argumento est etiam hanc regionem civibus Romanis fuisse refertam, sermo ipse Latinus, quo ea usa esse fertur adeo, ut etiam e Gallia Romæ fuerint oratores. Itaque quærenti Bruto in libro de claris oratoribus, quis esset urbanitatis color, respondit Cicero; *Id tu Brute jam intelliges, cum in Galliam veneris. audies tu quidem verba quædam non trita Romæ. sed hæc mutari, dediscique possunt. illud est majus, quod in vocibus nostrorum oratorum recinit quiddam & resonat urbanius, nec hoc in oratoribus modo apparet, sed etiam in ceteris. Ego memini T. Tincam Placentinum hominem facetissimum cum familiari nostro Q. Gratiano præcone dicacitate certare. sed Tincam non minus multa ridicule dicentem Granius obruebat nescio quo sapore vernaculo*. Sed de Gallis Italicis hactenus, nunc transeamus ad Venetos.

CAP. XXV.

De agro, & fœderibus Venetorum, & Carnorum.

SUPRA Cænomanos erant Veneti, supra Venetos Carni. Venetos alii ex transalpina Gallia ab ultimis Oceani partibus, alii, quibus ego potius assentior, ex Paphlagonia, post Trojæ excidium, cum Antenore Trojano in Italiam venisse, atque ad sinum Adriatici maris, pulsis inde antiquis incolis Euganeis, sedes posuisse, litteris prodiderunt. Quidquid autem agri ob occidente Athesi, ab oriente sinu Adriatico, a septentrione, ut ait Strabo, Natisone flumine, a meridie Pado est comprehensum id totum fuit Venetorum, eaque regio universa est Venetia nominata. oppida in hoc tractu nobiliora fuerunt, Adria, unde sinus nomen creditur invenisse, Patavium, Altinum, Ateste, Opitergium, Vicetia, Acedum, Belunum, ut auctor est, & quidem, ut puto, idoneus, Ptolemeus. Nam Carni a Natisone flumine usque ad Formionem, quantum ex Strabonis, & Plinii perspici monumentis potest, oppida tenuerunt Aquilejam, quam aperte extra Venetos fines trans amnem fuisse narrat Strabo, Concordiam, & Tergeste. Unde illud commode, ut alia multa, Mela, *in oris Italiæ proximam esse a Tergeste Concordiam. interfluere Timavum, deinde Natisonem non longe a mari Aquilejam attingere; ultra esse Altinum*. Flumina Venetiæ numerat Plinius Medoacos duos, & Togisonum per agrum Patavinum fluentes, Silim per Taurisanum, Liquentiam per Opiterginum, Romatium, Tillavemptum majus

minusve, Anassum, quo Varranus deflui, Alsam, Natisonem, cum Turro præfluentes Aquilejam, XII. millia passuum ab ea, ultra quam VII. millia passuum Formionem esse.

Quo tempore Veneti a Romanis victi, aut omnino bello ullo petiti sint, adhuc eruere ex tanta annalium vetustate non potui. societatem eos quidem cum Romanis iniisse ante Annibalis in Italiam adventum, tradit Polybius. ex quo existimari potest, nulla eos occasione, vel nullo potius rerum Italiæ motu post fidem semel datam violasse, sed amicitiam bonis populi Romani rebus junctam in perpetuum castissime coluisse. neque enim ipsos se ullo aut Cænomanorum, aut Carnorum finitimorum bello implicuisse, sed sponte se fidei ac potestati Romanorum permisisse accepimus. paruisse tamen & ipsos prætori, qui Galliam cum imperio obtineret, id est, in provinciæ formam esse redactos, & credo, & cur credam, multas caussas afferre possum. maxime autem, quod anno DLXVI. M. Æmilius Lepidus, cum provinciam Galliam, etiam tum arma retinentem, quanquam assiduis prope bellis afflictam, ac perditam esset sortitus, dicitur Æmiliam viam stravisse per provinciam ab Arimino, Bononiam, ac Placentiam, atque inde circumducto opere Mediolanum, Bergomum, Veronam, & Patavium usque ad Aquilejam, tum illius, ut puto, provinciæ finem, præsertim vero Carnis adhuc bello Romano intactis, quod ille certe non fecisset, nisi Venetos quoque provinciam habuisset. Alterum argumentum est, quod sequenti anno, cum Galli quidam transalpini in Venetia, ut inquit Livius, ædificare oppidum conarentur, id sine prætoris, qui provinciæ præesset, concessu factum moleste tulit senatus. Qua de re placet, quid ille ad verbum scripserit recitare. *Sp. Posthumio*, inquit, *Q. Marcio consulibus, Galli transgressi in Venetiam sine populatione, aut bello, haud procul inde, ubi nunc Aquileja est, locum oppido condendo ceperunt. triennio post, Q. Fabio Licino, M. Claudio Marcello coss. cum ædificarent, Julio prætori Galliæ mandatum, ut id prohiberet, quoad ejus sine bello posset. si armis prohibendi essent, consules certiores faceret. ex his placere alterum adversus Gallos ducere legiones. Marcello consuli advenienti cum legionibus Galli se dediderunt. XII. millia armatorum erant. arma omnibus adempta. id legatis eorum in senatu quærentibus, responsum, nec illos recte fecisse, cum in Italiam venerint, oppidumque in alieno agro, nullius Romani magistratus, qui provinciæ præesset, permissu ædificare conati sint. neque senatui placere deditos spoliari. Aquileja ut colonia deduceretur, decretum.* Tertio loco moveor, quod ann. DLXXIII. consuli, qui provinciam Galliam obtinebat, a senatu negotium datum esse idem testis est Livius, ut Patavinorum in Venetia seditionem comprimeret, quos certamine factionum ad intestinum bellum exarsisse, ipsorum legati attulerant. Patavinis saluti adventum consulis fuisse, neque aliud, quod ageret in provincia, cum habuisset, Romam rediisse. postremo, quod Cæsar, & post Cesarem D. Brutus, cum hanc Galliam cum imperio regerent, Patavinos quoque & Vicetinos in imperio habuisse videatur, ut veterum litterarum monumenta declarant.

Ut autem de Venetis, sic etiam de Carnis obscurum est, quando vel vi, vel voluntate in amicitiam venerint. credo, quod rerum cum his gestarum una cum veteribus annalibus memoria prorsus exciderit. integris autem eos viribus ad annum DLXXXII. fuisse, satis plane demonstrat Livius, cum ita scribit: *C. Cassius consul in Gallia, quam sortitus erat, memorabile nihil gessit. & per Illyricum ducere legiones in Macedoniam vano incœpto est conatus. Aquilejenses questi in senatu Romæ, coloniam suam novam & infirmam, nec dum satis munitam inter infestas nationes Istrorum, atque Illyriorum esse. senatus Carnis, aut Istris bellum a Cassio illatum credere. postero anno Carnorum, Istrorumque, & Japudum legati venerunt: duces sibi ab consule Cassio primum imperatos, qui in Macedoniam ducenti exercitum iter monstrarent, pacatum ab se tanquam ad aliud bellum gerendum abiisse, inde ex medio regressum itinere hostiliter paragravisse fines suos, passim rapinas, & incendia facta, nec se ad id locorum scire propter quam caussam consuli pro hostibus fuerint.* Ac de iis quidem aliud nihil accepimus. Carnos tamen, sive armis, sive voluntate se ad amicitiam Romanorum contulerint, in provinciæ formam relatos, & Gallis, Venetisque adjunctos, crediderim. siquidem Cæsar cum Galliam hanc pro consule administraret, Aquilejensium, & Tergestinorum, ut populorum ad suum imperium pertinentium, meminit in libris, quos de Gallico bello conscripsit. Factum est autem, ut postea Carni Venetis, quorum nomen late patebat, attributi eorum etiam sibi nomen asciverint, & Venetiam regionem usque ab Istriam sibi finitimam propagarint. quod video sine dubio intellexisse Catonem in epitomis Italicarum originum, cum Venetiam scripsit ab Istria usque ad Padi ostia pertinere. quibus epitomis tantam ego tribuo auctoritatem, quanta incorruptis veteribus monumentis merito tribuenda est. Venetos autem usque ad extrema reip. tempora nomen retinuisse, præter ceteros ostendit Vellejus, cum de M. Antonio ait: *Pollio Asinius cum septem legionibus diu retenta in potestate Antonii Venetia, magnis speciosisque rebus circa Altinum, aliasque ejus regionis urbes editis, Domitium junxit Antonio.* nec mirum, cum iidem his temporibus soli fere non modo antiquum nomen, sed pristinam etiam Italici imperii gloriam, sive pacis, sive belli artibus decertandum sit, tueantur, atque in perpetuum pro optima reip. institutione, & ipsorum incredibili prudentia ac moderatione, retenturi esse videantur.

CAP. XXVI.

De jure provinciæ Galliæ.

CUM igitur alio bello Ligures, alio Boji, alio Insubres, & Cænomani, alio Veneti, & Carni aut vi, aut voluntate ad amicitiam, & societatem sint traducti, est tamen una omnium horum, ut jam sæpe significavi, provincia facta, eaque uno nomine citerior, ac Togata Gallia appellata. in qua hi populi floruerunt, Ligures, Galli, & Veneti. nam ex Gallis Boji, & Cænomani adeo jam tum afflicti erant, & perditi, ut patriis eversi sedibus ne agro quidem, quem amiserant, nomen reliquerint. Insubrium autem non late admodum memoria patuit. illud enim celebrius, ut omnes Galli, aut Cispadani dicerentur, aut Transpadani. Carni enim Venetis videntur attributi. Termini autem hujus, ut dixi, provinciæ fuerunt a mari supero Rubico, ab infero Arnus, ab Alpibus Ligustinis Varus, a Carnicis Formio flumina. cis Rubiconem primum oppidum erat Ariminum, quod juris Italici fuit, non provinciæ Gallicæ, cis Arnum Pisæ, ultra Rubiconem in Cispadanis Gallis Ravenna, ultra Arnum in Liguribus Luca, ambo ultima provinciæ Galliæ oppida. Quo factum est, ut Cæsar, cum Galliam pro consule obtineret, modo Ravennam, modo Lucam, ut in extrema provinciæ suæ oppida, ventitarit; & Cicero Bruto Galliam pro consule administranti Pætum quemdam ex municipio, ut ait, Lucensi commendarit. De Rubicone, Galliæ fine, multa testimonio sunt, verum illud nobilissimum Ciceronis in Antonium: *An ille*, inquit, *faciat, ut exercitum citra flumen Rubiconem, qui fi-*

nis est Galliæ, educeret? Cæsarem autem intellexit, qui cum cohortes suas esset, ut ait Suetonius, ad Rubiconem provinciæ suæ terminum consecutus, reputans secum, quantum moliretur, conversus ad proximos, *Etiam nunc*, inquit, *regredi possumus. quod si ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt.* quod idem multis post annis versibus elegantissimis Lucanus est persecutus in hunc modum:

Fonte cadit modico, parvisque impellitur undis
Puniceus Rubicon, cum fervida canduit æstas,
Perque imas serpit valles, & Gallica certus
Limes ab Ausoniis disterminat arva colonis.

Atque etiam Ariminum primum oppidum e Gallia in Italiam venientibus occurrisse, eundem video satis diserte ostendisse, cum Ariminenses secum ita conquerentes fecit:

O male vicinis hæc mœnia condita Gallis,
O tristi damnata loco! pax alta per omnes
Et tranquilla quies populos: nos præda furentum,
Primaque castra sumus. melius fortuna dedisset
Orbe sub Eoo sedem, gelidaque sub arcto.
Nos primi Senonum motus, Cimbrumque ruentem
Vidimus, & Martem Libyes, cursumque furoris
Teutonici. quoties Romam fortuna lacessit,
Hac iter est bellis.

Quæ caussa fecit, ut primis temporibus, quemadmodum Pisas pro Liguria, sic Ariminum pro Gallia communi sermone usurparint, quod tradit lib. XXVIII. Livius, cum scribit: *urbana provincia Servilio obtigit, Ariminum (ita Galliam appellabant) Sp. Lucretio.* Neque vero Luca tantum, id est, finitima Tusci Ligurum regio, provinciæ est Galliæ finibus comprehensa, sed etiam prima, & remotissima, in qua Monœci portus fuit. hinc enim de Cæsare ex Gallia provincia in Italiam irrumpente dixit Virgilius:

Aggeribus socer Alpinis, atque arce Monœci.

Quod autem eadem Gallia Venetos, & Carnos inclusi, id non levissimis ductus conjecturis feci. Venetorum enim, ut dixi, Vicetia, Patavium, & Opitergium fuit; Carnorum Aquileja, & Tergeste. At Cicero in Philippicis ait: *Ut omittam alias partes Galliæ, Patavini alios excluserunt, alios ejecerunt, missos ab Antonio.* & Dio Patavium primum Galliæ, post Italiæ fuisse oppidum scripsit. & D. Brutus hujus Galliæ prætor de Vicetinis in epistolis, ut de iis, qui suo subjecti essent imperio, loquitur. & Cæsar, ut dixi, libro primo, atque octavo de bello Gallico Opiterginorum, Aquilejensium, & Tergestinorum, ut qui ad se, & ad suam provinciam Galliam pertinerent, meminit. Jam vero universa hæc regio Gallia Togata, quod nomen antea partium ejus tantum fuerat, est appellata. ostendit hoc Hirtius, indicat Cæsar, demonstrat Dio, res prope loquitur ipsa. Hirtius, cum scribit, Cæsarem omnes regiones Galliæ Togatæ percurrisse, T. Labienum ei præfecisse; Cæsar, cum se libro VII. ait legionem XII. in Galliam Togatam misisse, ad colonias civium Rom. tuendas, ne quod simile incommodum accideret de incursione barbarorum, ac superiore æstate Tergestinis acciderat; Dio, qui cunctam citeriorem Galliam Togatæ Galliæ nomine appellatam scribit. Itaque probe Mela, & docte, qui Galliam Togatam Carnos, & Venetos incoluisse prodidit, non quod ea Veneti soli, & Carni tenerentur, sed quod præter Ligures & Gallos, & hi Galliæ hujus finibus clauderentur. In hanc porro provinciam tres ab Urbe viæ duxerunt, Flaminia per Ariminum, Cassia per Arretium, Aurelia per Pisas. unde Cicero in Philippicis: *Tres viæ sunt ad Mutinam, a supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia.* Hanc ergo regionem armis, quo modo demonstravi, devictam iniquioribus, quam reliquam Italiam, in amicitiam fœderibus esse susceptam constat. unde tertio quodam juris genere est affecta, quod & Latinorum, & Italicorum jure deterius fuit. Visa est autem quodammodo a reliqua Italia segregari, quia non quo modo Italia, sed quo modo exteræ regiones solerent, est administrata. quo illa Tulliana referenda sunt in octava in Antonium: *Majores nostri tumultum Italicum, quod erat domesticus; tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus, nominabant.* & in decima: *Habet inimicissimam Galliam, etiam eos, quibus confidebat, alienissimos Transpadanos. Italia omnis infesta est.* Galliæ autem administrandæ ratio ab ipsa provinciæ, de qua sæpe supra dixi, formula est petita. Redigere vero in provinciæ formam nihil erat aliud, nisi leges domesticas adimere, & Romanas dare, ac prætorem, qui quotannis provinciam ex legibus datis administraret, instituere. Neque vero sola tributi impositio provinciam efficit, cum id multis sit etiam Italicis, & exteris imperatum, qui tamen in provinciæ formam non sint relati; sed legum domesticarum, & patriæ libertatis ademptio, & prætoris, qui eos regat, institutio. regit autem ita, ut & jus in conventibus dicat, & imperium belli gerendi caussa habeat, ut in libris de antiquo jure provinciarum accuratius ostendemus. Jus autem in Gallia dictum Aquilejæ, Mediolani, Ravennæ, & Lucæ, ibique conventus actos non levissimis adductus conjecturis opinor. Hanc vero interea aut tumultuantem per consules & prætores, aut pacatiorem per proprætores & proconsules rexerunt, donec quotannis aut consularibus, aut prætoriis ordine mandari est cœpta. siquidem extremis reip. temporibus L. Murena, & Q. Metellus Celer ex prætura, L. Afranius, & C. Cæsar ex consulatu eam administrarunt, postremo M. & D. Bruti a Cæsare acceperunt, & M. Antonius in consulatu obtinuit. Verum, ut aliquando summum hujus provinciæ jus aperiam, ac, quid inter hoc, & Latinorum, Italicorumque interfuerit, ostendam, dico, Latinos partem Romanæ civitatis, aut certe aditum ad Romanam civitatem aliquem habuisse; legibus suis, non Romanis magistratibus paruisse; inter auxilia meruisse; Italicos nec Romanæ civitatis partem, nec ullum ad Romanam civitatem aditum esse adeptos, sed legibus suis, ut Latinos, obtemperasse, & pariter in auxiliis militasse; Gallos vero nec civitatis Romanæ ullo modo participes, nec legum, aut libertatis suæ compotes fuisse, sed in auxiliis tamen stipendia fecisse. Gallicorum auxiliorum meminit Livius: *M. Junius consul bello Istrico transire in Galliam, & ab civitatibus, quantum quæque posset, militum exigere jussus.* & post: *Remissis auxiliis, quæ Gallis imperaverat.* & post: *auxiliis protinus per civitates Galliæ, coloniasque imperatis.* Ligustinorum bello Jugurthino Sallustius, cum scribit: *Missæ sunt eo cohortes Ligurum quattuor, & C. Annius præfectus.* deinde: *Forte quidam Ligus ex cohortibus auxiliariis miles gregarius castris aquatum egressus.* quid quod Cicero ad Caninium scribit, M. Bibulum Syriæ prætorem alarios Transpadanos populo remisisse? Huc adde Plin. cum inquit lib. tertio: *L. Æmilio, C. Atilio coss. Italia nunciato Gallico tumultu sola sine externis ullis auxiliis, atque etiam tunc sine Transpadanis equitum* LXXX. *millia, peditum* DCC. *millia armavit.* Cænomanos autem, jam tum populi Rom. socios, Transpadanorum nomine intellexit, quorum tamen viginti millia cum ceteris Italicis auxiliis bello Gallico affuisse, tradit Polybius. Ex quo intelligi potest, hoc ceteris Galliam citeriorem provinciis præstitisse, quod ex ea auxilia, ut etiam ex reliqua Italia, legionibus Romanis ex ordine sint accersita, Siculorum vero aut Sardorum, aut Hispanorum, aut Asiaticorum, aut reliquorum provincialium, nisi quid forte extra ordinem acciderit, non sint accepta. Ac de Gallis quidem, & reliquis Italiæ populis in universum hæc dicta sunt.

CAROLUS SIGONIUS DE ANTIQUO JURE ITALIÆ.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De multiplici jure civitatum Italiæ.



QUI status populorum Italiæ fuerit ab Urbe condita usque ad annum sexcentesimum secundum, quo Sociale bellum Italici Romanæ civitatis caussa conflarunt, superiore libro satis arbitror explicatum. huic libro non populorum, sed civitatum jura mandare institui. qui locus quo uberior ac fructuosior, eo mihi ad tractandum, ornandumve difficilior est. sum enim de coloniis, municipiis, præfecturis, & foris verba facturus, & singulorum inter se differentiam traditurus. quarum rerum & cognitio semper utilissima, & disputatio nunquam non obscurissima fuit; quippe quam ne sua quidem ætate satis expeditam, & facilem fuisse tradidit Gellius, auctor iis, quæ tracto, temporibus aliquanto ille quidem ætate inferior, sed ingenii tamen & doctrinæ elegantia, omnium consensione, prope æqualis. sapienter id quidem. intellexit enim, credo, vir judicio acutissimus, omnem antiquitatis quæstionem multis involutam obscuritatibus esse; quæ autem tradendis in singularum rerum præceptis cernitur, quæ & multitudine infinitæ, & temporum inclinationibus variæ, ac diversæ esse possunt, innumerabilibus prope errorum esse, & inscitiæ tenebris circumfusam.

Me autem, ut separatim de singulis civitatibus agerem, easque ab universa populorum disputatione secernerem, ea ratio movit, quod non ut omnes populi jus aut Latii, aut Italicum, aut provinciæ Galliæ sunt adepti, item omnes civitates assecutas reperiebam. Quod ut planius intelligatur, illud repetito aliquanto altius hujus orationis exordio constituendum videtur, duplicem jam tum civitatum Italiæ institutam esse divisionem, unam artis, alteram juris. artis, cum earum alias oppida, castella, & vicos dixerunt; juris, cum easdem in colonias, municipia, præfecturas, fœderatas civitates, fora, & conciliabula tribuerunt. De oppidis Italiæ, neminem puto expectare, dum scribam. neque enim obscura res est, sed veterum omnium testimonio patet. Multos autem vicos, multaque item in Italia castella fuisse, ne dubitandum quidem est, cum & Marsos, & Pelignos vicos, castellaque quamplurima tenuisse, Strabo in Italiæ descriptione posuerit: Samnitium multa castella, vicosque bello deletos, Bojos, Liguresque a Romanis acie fusos in sua castella, vicosque sæpe dilapsos, Livius in historiis suis scriptum reliquerit. Oppida autem illi, ut hoc quoque addam, frequentiores, & ampliores quosdam hominum conventus esse voluerunt, castella minores, atque angustiores, sed murorum tamen utrosque ambitu septos, vicos sine muris. sic enim Isidorus: *Vici, & castella, & pagi sunt, quæ nulla dignitate civitatis ornantur, sed vulgari hominum conventu incoluntur, & propter parvitatem sui majoribus civitatibus attribuuntur. vicus dictus est a vicinis habitationibus, vel quod vias habeat sine muris. castrum antiqui dicebant oppidum loco altissimo situm, quasi casam altam, a quo castellum: sive quod castrabatur ibi licentia habitantium, ne passim vagarentur.* Sed de oppidis, & castellis, quæ sint artis, alius erit differendi locus. nunc quod hujus instituti sermonis est, de iis, quæ ex jure ducta sunt, nominibus disseramus. Hæc autem coloniæ, municipia, præfecturæ, fœderata oppida, fora, & conciliabula sunt. de quibus nisi certum, & grave antiquorum attulero testimonium, non recuso, quin omnes hanc ut inanem & commentitiam docendi rationem repudient. quid est autem certius, & gravius Cicerone? at ille, cum totam oratorie complecti vellet Italiam, dixit in Sextiana: *Nullum erat Italiæ municipium, nulla colonia, nulla præfectura, quæ non honorificentissime decrevisset de salute mea.* & in Pisonem: *Nulla fuit regio, nullum municipium, neque præfectura, aut colonia, ex qua non publice ad me venerint gratulatum.* & in secunda in Antonium: *Horum flagitiorum iste vestigiis omnia municipia, præfecturas, colonias, totam denique Italiam impressit.* Adjungamus Marco Quinctum fratrem, qui in libro de petitione consulatus ita præcepit: *Totam Italiam fac ut in animo ac memoria tibi distributam comprehensamque habeas, ne quod municipium, coloniam, præfecturam, locum denique Italiæ esse patiare, in quo non habeas firmamenti, quod satis esse possit.* Neque vero aliunde sumpta esse putandum est ea, quæ in libris de limitibus ex priscis hausta legibus extant: *Quæ colonia hac lege deducta, quodve municipium, præfectura, forum, conciliabulum constitutum erit.* Oppidorum autem fœderatorum nulla in his idcirco mentio facta est, quia civitatem adepta lege Julia, omnia municipiorum jam in numerum erant relata. quod post dilucidius apparebit. hoc autem tempore, quoniam de jure Italiæ scribere instituimus, hunc in primis locum purgemus atque hanc quæstionem præ ceteris expediamus, ut, quid coloniæ, quid municipia, quid præfecturæ, quid oppida fœderata, quid fora, quid conciliabula fuerint, quæ jura a populo Romano obtinuerint, & quænam ex his potissimum in Italia ante bellum Sociale floruerint, explicemus; ac tertium librum temporibus post bellum Italicum exquirendis, atque illustrandis relinquamus.

CAP. II.

De coloniis.

COLONIÆ igitur (ab his enim placet ordiri) oppida fuerunt, quo populus Romanus cives suos ad incolendum deduxit. Harum antiquissima origo. quippe quæ jam inde a Romulo rege, teste Dionysio, repetatur. Is autem, ut apud eundem est scriptum, quæ oppida bello cepit, ea neque diruit, neque servitute multavit, sed fere in agrum de eis captum colonos ab Urbe deduxit. qua re vel ad libertatem firmandam, vel ad propagandum im-

perium fingi accommodatius nihil potuit. ex quo apparet, vere quodam in loco scripsisse Gellium, *colonias fuisse civitates ex civitate Rom. quodammodo propagatas*. Romuli deinde vestigia ceteri reges, atque exactis regibus senatus populusque, ac postremo senatus populique auctoritate & potestate infirmata dictatores sunt secuti. siquidem penes hos omnes aliis atque aliis temporibus jus deducendarum fuisse coloniarum invenio.

Cur autem illi hunc morem semel usurpatum nunquam postea intermiserint, ut aut quotidie novas colonias deducerent, aut veteres renovarent, caussas potissimum sex reddi posse reperio, dum mecum diligenter veterum annalium verba considero: unam, ad priores populos coercendos; alteram, ad hostium incursiones reprimendas; tertiam, stirpis augendæ caussa; quartam, plebis urbanæ exhauriendæ; quintam, seditionis sedandæ; sextam, ut præmiis milites veteranos afficerent. Hæc autem omnia nobilissimis antiquorum monumentis adeo perspicua sunt, ut de iis nihil sit, cur laborandum esse videatur. Nam & Flaccus in libro de conditionibus agrorum, colonias dictas scripsit, quod populus Rom. in ea municipia colonos misisset, vel ad ipsos priorum municipiorum populos coercendos, vel ad hostium incursus repellendos. & Livius Ecetras Volscis, Nequinum Umbris, Sinuessam Samnitibus hostibus colonias oppositas prodidit. idemque Placentiam etiam, & Cremonam velut claustra ad cohibendos Gallicos tumultus objecta alio loco scripsit. & Cicero in agraria altera dixit: *Hoc in genere, sicut in ceteris reip. partibus, diligentiam majorum esse spectandam, qui colonias sic idoneis in locis contra suspicionem periculi collocassent, ut non oppida Italiæ, sed propugnacula imperii esse viderentur*. & in Fontejana, *Narbonem Marcium coloniam civium Rom. speculam populi Rom. & propugnaculum Gallis oppositum esse* dixit, *atque objectum*. Nam de augenda stirpe nescio, cur soliciti simus, cum Livius magistratus Romanos his verbis colonias, quæ bello Punico imperium detrectabant, appellantes indicat: *Meminerint, se Romanos, inde oriundos, inde in colonias, atque in agrum bello captum stirpis augendæ caussa missos, omnia, quæ parentibus debentur, præstare debere*. Plebis autem urbanæ exhauriendæ, & seditionis sedandæ caussa sæpe colonias esse decretas, facile cum Plutarcho in Coriolano & Dionysio libro VII. senserim, qui Velitras ea de caussa colonos missos litteris prodiderunt. quanquam quid Græcorum testimonium quærimus, cum nostrorum habeamus? Livius hoc idem scripsit libro III. cum senatum Antium coloniam dixit decrevisse, ut sine querelis possessorum plebs in agros iret, civitas in concordia esset. & libro V. patres seditionis leniendæ caussa coloniam in Volscos, quo tria millia civium Rom. deducerentur, deducendam censuisse. & libro X. Romæ plebem quietam, & exoneratam deducta in colonias multitudine. Unde merito dixit in senatu, cum de ferenda agraria lege contenderet, P. Rullus tribunus pleb. *plebem urbanam nimium in rep. posse, exhauriendam esse*. & Cicero in primo epistolarum ad Atticum, se de lege Flavia agraria, quæ promulgabatur, ita censuisse scribit, *Ut emptione agrorum constituta sentina Urbis exhauriretur, & Italiæ solitudo frequentaretur*. Postremis autem etiam temporibus illa deducendarum coloniarum caussa celebrari est cœpta, ut emeriti milites in agros deducerentur; quæ militares inde coloniæ sunt appellatæ, de quibus sequenti libro disputabo.

Quacunque autem de caussa deducerentur, omnino aut senatusconsulto opus fuit, aut rogatione aliqua populari. quorum utrumque uno legis nomine video comprehensum, quæ lex agraria appellata est. de qua, quoniam lubricam quæstionem continet, & ad explicandum difficilem, pluribus nobis verbis

A est disputandum. Habuit ergo lex agraria multa capita. nam & agrum definivit, qui esset dividendus, & quibus, ac quam multis hominibus, & per quos, & quo modo, & quibus limitibus esset dividendus, præscripsit. quibus de singulis nisi diligentius agam, vix tueri me susceptæ disputationis pro dignitate officium posse putem.

Agri igitur dividendi ratio, quantum e veterum monumentis suspicari licet, fuit bipartita. nam aut sine ulla coloniæ mentione plebem Romanam in agris constituerunt, aut eidem ita agros assignarunt, si ex urbe in coloniam, cujus agrum divisuri essent, proficisceretur. Utrumque autem agrum multipli-
B cem fuisse invenio, nempe aut de hostibus captum, neque dum in publicum redactum, aut publicum populi Rom. & a populo Rom. possessum, aut publicum quidem, sed furtim a privatis potentibus usurpatum, aut denique publico ære dividendi gratia emptum. Ac reliquæ quidem leges agrariæ omnes, quæ agros vel hostium, vel publicos, vel pecunia publica emptos dividebant, facile, ac sine motu aliquo civitatis sunt perlatæ. quæ vero privatos divites possessione pellebat, ac plebem in agris nobilium collocabat, ea nunquam sine maxima turbatione reip. est promulgata. quæ quidem a Sp. Cassio consule pri-
C mum proposita, deinde quotannis fere per tribunos plebis jactata, ac semper a nobilium factione variis artibus elusa atque impedita, a L. Sextio, & C. Licinio tribunis pleb. comitia magistratuum haberi prohibentibus ad extremum est perlata. Quæ res ut pateat illustrius, placet nobilissimam quamque agrorum dividendorum legem, quam ego invenire potui hoc loco ordine recitare.

Primum igitur Romulum regem ex agro publico viritim diviso bina jugera singulis assignasse invenio. testis est hujus divisionis præter Dionysium Varro, cujus hæc verba sunt in libro de re rustica pri-
D mo: *Antiquus noster ante bellum Punicum pendebat bina jugera, quod a Romulo primum divisa dicebantur viritim, quæ, quod heredem sequerentur, heredium appellarunt*.

Numam inde agri a Romulo bello parti, itemque publici partem; Tullum agrum quem Romulus primum, post Numa possederant, ac privatis regiæ familiæ sumptibus destinarant; Servium agros Vejentibus, Cæritibus, & Tarquiniensibus ademptos novis civibus divisisse, auctor est Dionysius.

Exactis autem regibus, satis constat, agrum Tarquinii Superbi præter campum, qui Martius dictus est, senatusconsulto plebi fuisse concessum.

E Post autem, cum perpetuis bellis aliquid quotidie reip. hostilis agri accederet, eum fere vel colonis explerunt, vel publicum reliquerunt, donec Sp. Cassius tertium consul, anno ab exactis regibus XXIV. legem, de qua dixi, promulgavit, ut agri Hernicis adempti pars Latinis, pars plebi Romanæ divideretur. quam quoniam adjiciebat muneri agri aliquantum, quem, ut ait Livius, publicum possideri a privatis criminabatur possessoribus, senatu adversante perferre non potuit. Quocirca addidit Livius, tum primum legem agrariam promulgatam, nunquam deinde ad suam memoriam sine maximis motibus rerum agitatam. Cum Livio autem non dissentit
F Dionysius. siquidem agrum, de quo dividendo Cassius promulgavit, fuisse publicum populi Rom. incuria magistratuum a divitibus occupatum prodit. ac Cassio rem ex sententia fuisse processuram, si plebem tantum Romanam, non etiam Latinos, & Hernicos a se paulo ante civitate donatos, in agros deduxisset. multis super hac re in senatu sententiis dictis, S.C. tale esse perscriptum: *Decemviri creati e consularibus natu maximi, terminato agro publico, pronuncianto, quantum ejus locandum sit, quantum populo dividendum. ceterum si quis ager communi militia partus erit, is cum sociis in civitatem ascriptis dividi-*

dividi possit ex fœdere. electionem autem decemvirum & agrorum divisionem, & cetera, quæ hujus negotii erunt, futuri consules curanto.

Quod si hæc prima lex fuit agraria, profecto lex de septem jugeribus post reges exactos viritim plebi divisis post hanc lata sit, necesse est; siquidem ea a tribuno pleb. est lata: qui magistratus vix octo ante annis in rempub. erat inductus. ejus autem legis meminit lib. XVIII. Plinius, in hunc modum: *M. Curii post triumphos, immensumque terrarum adjectum imperio, nota concio est, perniciosum intelligi civem, cui septem jugera non essent satis. hæc autem mensura plebi post exactos reges assignata est.* & Columella libro primo, *Post exactos*, inquit, *reges, Liciniana illa septem jugera, quæ plebis tribunus viritim diviserat, majores quæstus antiquis retulere, quam nunc nobis præbent amplissima vervacta.* miror tamen hac de lege nihil me in Livianis, aut Dionysianis annalibus reperire.

Inde post annos XVII. in consulatu Ti. Æmilii, & L. Valerii vehementius de agrorum, quos divites possidebant, divisione per tribunos pleb. agi est cœptum. cui cum App. Claudius esset acerrime adversatus, die a tribunis pleb. dicta, antequam caussa ageretur, diem obiit.

Triennio post tribuni pleb. rem agrariam adversus possessores rursus commoverunt. tum vero atrox, ut inquit Livius, fuisset certamen, ni Q. Fabius consul consilio neutri parti acerbo rem expedisset: *T. Quinctii ductu & auspiciis agri capti priore anno aliquantum a Volscis esse, Antium propinquam, opportunam, & maritimam coloniam deduci posse. ita sine querelis possessorum plebem in agros ituram, civitatem in concordia fore.* hæc sententia accepta est.

Anno inde CCCXXXVII. L. Sergio, M. Papirio, C. Servilio, tribunis militum consulari potestate, captis Lavicis, senatus, priusquam ab tribunis pleb. agrariæ seditiones, mentione illata de agro Lavicano dividendo, fierent, censuit frequens, coloniam Lavicos deducendam.

Post biennium tribuni pleb. Sp. Mecilius, & Metilius civitatem turbarunt, cum rogationem promulgassent, ut ager ex hostibus captus viritim divideretur, magnæque partis nobilium eo plebiscito publicarentur fortunæ. neque enim ferme quidquam agri, ut in urbe alieno solo posita, non armis partum erat; nec, quod venisset, assignatumve publice esset, præterquam plebs habebat. hæc lex consilio App. Claudii per paratos intercessores impedita est.

Sequenti anno *tentatum ab L. Sextio tribuno pl.* (sic enim pergit Livius) *ut rogationem ferret, qua Volas quoque, sicut Lavicos, coloni mitterentur, per intercessionem collegarum, qui nullum plebiscitum, nisi ex auctoritate senatus, passuros se perferri ostenderunt, discussum est.*

At vero anno CCCLX. L. Lucretio, Ser. Sulpicio coss. S. C. factum, ut agri Vejentani, qui paulo ante, Veiis captis, in potestatem venerat, septena jugera plebi dividerentur, nec patribus familiæ tantum, sed ut omnium in domo liberorum capitum ratio haberetur. Quod senatus consultum nihil ad legem illam de septem jugeribus aut Plinii, aut Columellæ pertinere, ex eo liquet, quod ea tribunicia rogatio fuisse dicatur.

Post quadriennium autem agrarios narrat Livius Pomptinum agrum tum primum post accisas Volscorum res a Camillo possessione haud ambigua affectasse: cum criminarentur, multo eum infestiorem ad nobilitate esse, quam a Volscis fuerit: in possessionem agri publici nobiles grassari, nec, nisi, antequam omnia præcipiant, divisus sit, locum ibi plebi fore. Anno CCCLXXXV. L. Sextius, & C. Licinius tribuni pleb. quos ante commemoravi, legem Cassii agrariam tandem pertulerunt, ne quis plus quingenta jugera agri, centum majoris pecoris capita, quingenta minoris possideret, cujus inter alios Livius, & Appianus testes sunt. Quid autem quererentur agrarii, ostendit eo in loco Livius, cum a tribunis primores patrum interrogatos prodit: *Auderentne postulare, aut cum bina jugera agri plebi dividerentur, ipsis plus quingenta habere liceret? ut singuli prope trecentorum civium possiderent agros, plebejo homini vix ad tectum necessarium, aut locum sepulturæ pateret ager?* Neque vero ita multo post Licinius ipse sua lege damnatus est, quod filium emancipando mille jugera agri possideret. Ita perlata lege agraria, quæ possessores vetere possessione deturbabat, quieta post ab hac lege usque ad Gracchos civitas fuit. Nam si qua est interea agri divisio facta, ea non a privatis possessi, sed ex hostibus capti, aut publici populi R. est constituta. nam & anno CDXIII. Latinus ager, quo Latini victi multati fuerant, Privernati addito agro, & Falernus, qui populi Campani fuerat, usque ad Vulturnum flumen plebi Romanæ divisus est. bina in Latio jugera, ita ut dodrantem ex Privernati complerent, data, terna in Falerno, quadrantibus pro longitudine adjectis.

Anno CDLXIII. Sabinum agrum victoria M. Curii aliqua ex parte plebi divisum invenio apud Valerium cap. de abstinentia. si quidem ille in hunc modum scripsit: *M. Curius decretis a senatu septenis jugeribus agri populo, sibi autem quinquaginta, popularis assignationis modum non excessit, parum idoneum reip. civem existimans, qui eo, quod reliquis tribueretur, contentus non esset.* quam tamen septem jugerum assignationem aliquanto post reges exactos, & quidem rogante tribuno plebis, non senatu largiente factam, supra Plinii, & Columellæ testimonio non omnino contemnendo planum fecimus.

Eadem ratione ager Gallicus & Picenus anno DXXV. C. Flaminii tribuni plebis rogatione est divisus. cujus meminit libro primo Polybius, & præter Polybium Cicero, cum in Catone majore scripsit, Q. Fabium Maximum consulem iterum Sp. Carvilio Collega quiescente, quoad potuit, C. Flaminio tribuno pl. restitisse, agrum Picenum, Gallicumque contra senatus auctoritatem dividenti. Quam eandem divisionem intellexit Varro, cum in primo rerum rusticarum libro ita scripsit: *Ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum datus est.*

Quid quod anno DLII. Cn. Cornelio, P. Ælio coss. cum de agris veterum militum relatum esset, decreverunt patres, ut M. Junius prætor urbanus, si ei videretur, decemviros agro Samniti, Apuloque, quod ejus publicum populi Rom. esset, metiendo, dividendoque crearet. Itaque postero anno decretum, ut quot quisque P. Africani militum annos in Hispania, aut in Africam militasset, in singulos annos bina jugera acciperet. eum agrum decemviri assignarent.

Anno vero DLXXIX. L. Postumio, M. Popillio coss. cum agri Ligustini, & Gallici, quod bello captum erat, aliquantum vacaret, S. C. factum, ut is ager viritim divideretur. Decemviros in eam rem ex S. C. creavit A. Atilius prætor urbanus. diviserunt dena jugera in singulos, sociis nominis Latini terna.

Jam lex Licinia de quingentis jugeribus libidine divitum obsoleverat. cujus rei multa testimonia habemus, & quidem gravissima omnia, Catonis, Livii, Ciceronis, Appiani. unde post Ti. Graccho tribuno pl. in mentem venit, eam renovare. quo facto seditiones veteres jampridem conticescentes exsuscitavit, quibus ipsa demum resp. concidit. Catonis hæc sunt verba in oratione pro Rhodiensibus, quam anno DLXXXVI. habuit in senatu: *Quid nunc? ecqua tandem lex est tam acerba, quæ dicat, Si quis illud facere noluerit, mille nummi dimidium familiæ*

multa eſto: ſi quis plus quingenta jugera habere voluerit, tanta pœna eſto: ſi quis majorem pecudum numerum habere voluerit, tantum damni eſto. atqui nos omnes plura habere volumus, & id nobis impune eſt. Livius autem anno DLXXIX. placuiſſe ſenatui tradit L. Poſtumium conſulem ad agrum publicum a privato terminandum in Campaniam ire, cujus ingentem modum poſſidere privatos paulatim proferendo fines conſtabat. Narrat etiam Tullius in agrariis, P. Lentulum, qui fuit princeps ſenatus, horum temporum æqualis, a ſenatu in Campaniam miſſum, ut privatos agros, qui in publicum Campanum incurrebant, pecunia publica coemeret. Addit Appianus, nobiles homines ac locupletes partim agrum publicum occupando, partim pauperum coemendo, & poſſeſſionibus continuandis agros ad ſe omnes Italiæ convertiſſe, ac ſenſim plebem ex agris expuliſſe. quæ cauſſa Ti. Gracchum accendit, ut in tribunatu legem Liciniam referret an. Urbis DCXX. P. Mucio, L. Calpurnio coſſ. *Ne quis plus quingenta jugera poſſideret*; illud præterea adjiciens, *ut filiis quidem eorum dimidium habere, non tamen coemi agros, aut vendi liceret; &, ut ſi quis latius agrum patefaceret, triumviri quotannis ad id creati judicarent, qua publicus ager eſſet, qua privatus.* Lex autem, quanquam nobilitate, quæ patriis ſedibus movebatur, adverſante, perlata eſt. unde jure dixit Cicero in Sextiana. *Ti. Gracchus legem ferebat agrariam. grata res erat populo. nitebantur contra optimates, quod ea diſcordiam excitari videbant: & cum locupletes diuturnis poſſeſſionibus moverentur, ſpoliari remp. propugnatoribus arbitrabantur.* Cum autem triumviri Tiberius ipſe cum Cajo fratre & Ap. Claudio ſocero creati agros dividere atque aſſignare cœpiſſent, Tiberius, quod iterum tribunus fieri vellet, ab optimatibus, qui ejus ſe audaciam, ſi magiſtratum continuaret, frangere nullo modo poſſe videbant, eſt necatus. Quies interea per decennium Tiberio interfecto, & Appio mortuo in rep. fuit. inde M. Flaccus, & C. Carbo triumviri agro dividundo creati rurſus ocium civile perturbarunt, cum ſeverius ex lege Tiberii agrorum diviſionem exercerent. quibus cum P. Scipio Africanus Æmilianus Italorum, quorum agri dividerentur, precibus fatigatus adverſaretur, domi & ipſe, incerto auctore, eſt interfectus.

Quin etiam C. Sempronium aliquid rei agrariæ in tribunatu anno DCXXX. attigiſſe, oſtendit Plutarchus, cum ſcribit, ſenatum non leges Caii, ſed Cajum ipſum infirmare, ac tollere voluiſſe. Cajo enim duas colonias ſcribenti adverſatos eſſe, Livio vero Druſo collegæ ejus duodecim promulganti affuiſſe, atque illum ita pauperibus agros dividenti, ut vectigal imponeret, ferre non potuiſſe; hunc vero vectigal illud etiam remittentem complexos eſſe. in æneis etiam legibus agrariis fit mentio rogationis C. Sempronii, qua cautum, exceptumque ſcribitur, ne quidem ager divideretur.

Poſt autem Cajo ipſo, quod, ut ait Cicero, agrarios concitaret, & Flacco triumviris per optimates anno DCXXXII. occiſis, variis artibus a divitibus lex Tiberii primum eluſa, poſt abrogata eſt. ſiquidem haud ita multo poſt, teſte Appiano, eſt latum, ut quod lege Tiberii prohibebatur, agros vendi liceret. Hic autem fuit, ut opinor, M. Bæbius tribunus pl. idemque triumvir coloniæ deducendæ, qui tulit ne agri amplius dividerentur, ſed poſſeſſores in iis relinquerentur, vectigal pro iis populo Romano ſolventes, eaque pecunia plebi divideretur.

Neque ita multo poſt Sp. Thorius tribunus pl. legem aliam tulit, ne quis vectigal ullum agrorum, quos poſſideret, ſolveret. cavitque de paſtione pecoris. Unde Cicero ſcripſit in Bruto: *Sp. Thorius agrum publicum vitioſa & inutili lege, vectigali levavit.* & in ſecundo de oratore: *Cum in ſenatu agere-*

A *tur de agris publicis, & de lege Thoria, & premeretur Lucilius ab iis, qui a pecore ejus depaſci agros publicos dicerent.* Hujus autem legis fragmenta duo in nobiliſſimo Petri Bembi Cardinalis Muſæo Patavii reperiuntur, in tabulas æneas inciſa, verum manca admodum, atque exeſa. Hoc ita eſſe argumento eſt, quod in iis & poſſeſſores in agris confirmantur, & iidem vectigali publicanis perſolvendo liberantur, & de paſtione pecoris agitur. fitque mentio conſulum P. Mucii, & L. Calpurnii, quibus Tiberius agrariam legem tulit, C. Sempronii, & M. Bæbii, qui item. & poſtremo M. Livii, & L. Calpurnii conſulum, qui poſt eos anno DCXLI. conſu-
B latum adminiſtrant. Ea fragmenta, ut ad multas res utilia, his commentariis attexere viſum eſt.

LEGIS THORIÆ FRAGMENTA DUO
ex æneis Tabulis prope vetuſtate conſumptis exſcripta, & ſuppleta. *

Narrat etiam Appianus L. Saturninum trib. pl. legem agrariam tuliſſe anno DLIII. Mario ſextum conſule, ut quem agrum Marius conſul in Gallia Cimbris pulſis ademptum in ditionem populi Rom. redegiſſet, is populo Rom. divideretur; juſſiſſeque,
C ut ſenatores in eam legem jurarent.

Dicitur etiam Sex. Titius in tribunatu legem agrariam poſt biennium tuliſſe, cui M. Antonius ſe conſulem reſtitiſſe, inquit apud Ciceronem in ſecundo de oratore, his verbis: *Teſtimonium ſæpe dicendum eſt, ac nonnunquam etiam accuratius, ut mihi neceſſe fuit in Sex. Titium, ſeditioſum civem, & turbulentum. explicavi in eo teſtimonio dicendo omnia conſilia conſulatus mei, quibus illi tribuno pl. pro rep. reſtitiſsem; quæque ab eo contra remp. facta arbitrarer, expoſui.* de lege autem agraria tuliſſe eum, ſatis perſpicue oſtendit Valerius libro octavo, cum ait, *Sex. Titium innocentem, agraria lege lata*
D *apud populum gratioſum, quia imaginem Saturnini domi habuerat, ſuffragiis concionis oppreſſum.* hanc autem abrogatam ut putem, me ea verba Ciceronis adducunt, quæ ſunt apud eum in ſecundo de legibus: *Quid religioſius quam leges non jure rogatas tollere, ut Titiam decreto collegii?*

Eodemque tempore L. Marcium Philippum legem agrariam Gracchanæ ſimilem promulgaſſe in tribunatu idem oſtendit in ſecundo de officiis, cum ait: *In primis videndum erit ei, qui rempub. adminiſtrabit, ut ſuum quiſque teneat, neque de bonis privatorum publice diminutio fiat. pernicioſe enim Philippus in tribunatu, cum legem agrariam ferret, quam*
E *tamen antiquari facile paſſus eſt, & in eo vehementer ſe moderatum præbuit; ſed cum in agendo multa populariter, tum illud male: non eſse in civitate duo millia hominum, qui rem haberent: capitalis omnino oratio eſt ad æquationem bonorum pertinens. qua peſte quæ poteſt eſſe major?*

Anno autem urbis DCLXII. L. ipſo Philippo, de quo diximus, conſulatum gerente, M. Livius Druſus tribunus pl. legem de coloniis in Italia deducendis tulit: quæ jampridem decretæ, nondum tamen deductæ fuerant. qua lege, ſcriptum eſt apud Appianum, vehementer animos Italorum eſſe offenſos,
F quod ſe per eam viderent agris orbatum iri, quos ut nunquam diviſos alii vi, alii furto poſſiderent, & proprios præterea atque hereditarios amiſſuros. Druſo autem domi, incerto auctore, interfecto, Livias omnes leges decreto Philippi conſulis, auguris, uno verſiculo ſenatus eſſe ſublatas, traditum eſt a Cicerone in ſecundo de Legibus.

Poſt aliquot annos L. Sulla dictator legem tulit, ut agri eorum, quos ipſe proſcripſiſſet, publici eſſent.

Inde in conſulatu Ciceronis P. Servilius Rullus legem promulgavit, *Ut qui agri, quæ loca, quæ*

*1 LEGIS THORIÆ

SP. THORIUS. F. TR. PL. PLEBEM. JURE. ROG. PLEBESQUE. JURE. SCIVIT. TRIBUS...... PRINCIPIUM. FUIT. PRO. TRIBU. Q. FABIUS. Q. F. PRIMUS. SCIVIT. QUEI. AGER. POPL
de. eo. agro. loco. quem. quis. ſibi. agrum. locum. ſumpſit. reliquitve. quod. non. modus. major. fiet. quam. quantum. unu
quod. quoi. eique. de. eo. agro. loco. ex. L. plebeive. ſc. III. vir. ſortito. ceivi. Romano. dedit.
redditus. eſt. Quei. ager. publicus. populi. Romanei. in. terra. Italia. P. Muucio. L. Calpu
Ager. locus. ædificium. omnis. qui. ſupra. ſcriptus. eſt. quod. ve. agri. locei. publicei. in. terra. Italia. quod. ejus. extra. urbem. Romam. eſt. quod. ejus.
extra. eum. agrum. locum. quei. ager. locus. ex. lege. plebeive. ſcito. quod. C. Semproni. Ti. F. tr. pl. rog. exceptum. cavitumve eſt. nei. d
quod. ejus. agri. loci. extra. eum. agrum. locum. quem. locum. agrum. in. terra. Italia. III. vir. dedit. adſignavit. reliquit. inve. formas. tabulaſve. retulit. referri
o. ita. utei. ceterorum. locorum. agrorum. ædificiorum. privatorum. eſt. eſto. cenſorque.
Quei. ager. locus. ædificium. datus. aſſignatus. eſt. neive. quis. facito. quo. quoius. eum. agrum. locum. ædificium. poſſeſſionem. ex. l
neive. queis. de. ea. re. ad. ſenatum. referto. Senator. judexve. neive. ſententia. deicito. neive. ferto. quo. quis. eorum. quoium. eum. agrum. locum. æ
Quem. agrum. locum. in. viaſeis. vicaneis. quei. in. terra. Italia. ſunt. dederunt. adignaverunt. reliquerunt. nei. quis. fa
eumque. non. aliter. vendere. dare. reddereve. jus. eſto. atque. eum. agrum. quem. ex. H. L. venire. dari. reddive. oportebit. Quei. ager. locus.
Quo. minus. quod. in. hoc. capite. ſcriptum. eſt. ita. utei. eſt. ſiet. ex. H. L. N. R. Quei. ager. locus. publicus. populi. Romanei. in. terra. Italia.
cujus. rei. cauſa. in. eum. agrum. agri. jugra. non. amplius. xxx. poſſidebit. habebitve. S. ager. privatus. e
nihil. populo. neive. publicano. neive. dato. neive. ſolvito. Ager. publicus. populi. Romanei. quei. in Italia. P. Mucio. L. C.
*Pr. conſulve. quo. de. ea. re. ex. H. L. in. jus. aditum. erit. jous. dicito. de*cernitoque. utei. poſſeſſionem. ſecundo. eum. heredemve. ejus. det. quoi. ſorti. is. ager.
Quei. a. poſſeſſoribus. queive. ab. eorum. quei. emit. quei. eorum. de. ea. re. ante. eidus. Martias. primas. in. jo
qui. quom. que. ex. eo. agro. quei. ager. S. S. eſt. ex. poſſeſſione. vi. ejectus. eſt. quod. ejus. is. quei. ejectus. eſt. poſſederit. quod.
*quod. agri. locei. ædificii. ex. plebiſ*cito. exve. H. L. privatum. factum. eſt. eritve. pro. eo. agro. loco. ædificio. proque. ſcript
quid. ob. eam. rem. populo. Ro. debeatur. quove. quid. ob. eam. rem. populo. aut. publicano. detur. exſigneturve. neive. quis. quid.
E. A. D. XI. K. Octobris. Quom. agrum. quei. trans. curione. eſt. locaverint. quei. in. eo.
quod. oppidum. coloniamve. ex. lege. plebeive. ſc. conſtituit. deduxſitve. conlocavitve. que
quoive. ab. eo. heredeve. ejus. is. ager. locus. teſtamento. hereditati. deditionive. obve
*aditum. erit. jus. dicito. facitoque. utei. poſſeſſionem. ſecundum. eum. h*eredemve. ejus. det. quoi III. vir. eum. agrum. locum. pro. eo. agro. loco. quo. coloniam
neive. is. ager. compaſcuos. eſto. neive. quis. in. eo. agro. agrum. oupatum. habeto. neiv
numerus. pecudum. in. H. L. ſcriptus. eſt. liceto. neive. quis. quoi. ob. eam. rem. vectigal.
Quem. agrum. ex. publico. in. privatum. commutavit. quo. pro. agro. loco. ex. privato. in. publicum. tantum. modum. agrei. locei. c
quem. alii. a. cens. redemptum. habent. cenſores. queicumque. poſt. hac. factei. erunt. ei. faciunt.
quod. ex. H. L. ita. utei. S. S. eſt. in. agreis. quei. in Italia. ſunt. quei. P. Mucio. L. Calpurnio. cos. publicei. p
quis. quis. quod. eum. ex. H. L. facere. oportuerit. non. fecerit. quod. ve. quis. eor
ſeive. quei. pro. moincipieis. colo*ne*
*quoive. ab. eo. heredeve. is. ager. locus. teſtamento. hereditate. deditioneve. ob*venit. obveneritve. quibus. ante. H. L.
quei. ager. locus. publicus. pop*uli. R*
*de. eo. agro. loco. nei. jous. dicito. neive. decer*niro. neive. judicium. neive. *ju*
ſei. quid. de eo. agro. loco. ambigetur. cos. pr. cens. quei. quom*que. er*
eſſe. videbitu
ſolvi. darive. oporter
quæ. res. ſoluta.
*ſen*tentia.

Quod. ei. facere. ex. lege. plebei. ſc.

ICUS. POPULI. ROMANEI. IN. TERRAM. ITALIAM. P. MUUCIO. L. CALPURNIO. COS. FUIT. EXTRA. EUM. AGRUM. LOCUM. QUEI. EX. LEGE. PLEBEIVE. SC. A. VETERE. POSSESSORE. POSSESSUS. SIT.
m. hominem. ex. lege. plebeive. ſc. ſibei. ſumere. relinquereve. oporteat.
adſignavit. quod. non. in. eo. agro. loco. eſt. quod. ultra. fineis. ejus. agrei. locei. eſt.
rnio. cos. fuit. extra. eum. agrum. quei. ager. ex. lege. plebeive. ſc. a. vetere. poſſeſſore. poſſeſſus. ſit.
in. urbe. oppido. vico. eſt. quod. ejus. III. vir. dedit. adſignavit. quod. ejus. agrei. loci. neque. poſſeſſor. ipſe. abalienavit. abalienaveritve . . . .
ivideretur. quod. quoi. eique. de. eo. agro. loco. agri. locei. ædificii. datum. aſſignatum. eſt.
ve. juſſit. Ager. locus. ædificium. omnis. quei. ſupra. ſcriptus. eſt.
quei. quomque. erit. facito. utei. is. ager. locus. ædificium. quei. ſupra. ſcriptus. eſt. ejus. ſit. cujus. ex. Lege. plebeive. ſcito. eſſe. oportet. . . . .
ege. plebeive. ſcito. eſſe. oportet. oportebitve. eum. agrum. locum. ædificium. alius. habeat. poſſideat. utatur. fruatur.
dificium. poſſeſſionem. ex. lege plebeive. ſcito. eſſe. oportet. oportebitve. eo. agro. loco. ædificio. poſſeſſione. ſpolietur.
cito. quo. minus. ei. oetantur. fruantur. habeant. poſſideant.
ædificium. ei. quem. in. viaſieis. vicaniſve. ex. S. C. eſſe. oportet. oportebit. venditus. erit.
P. Muucio. L. Calpurnio. cos. fuit. extra. eum. agrum. quei. ager. ex. lege. plebeive. ſcito. a. vetere. poſseſsore. poſseſsus. ſit.
ſto. Quei. in. agrum. compaſcuom. pecudes. majores non. plus. x. paſcet. quai. ex. eis. minus. annum. gnatæ. erunt. poſteaquam. gnatæ. erunt.
alpurnio. cos. fuit. quod. ejus. agri. III. vir. A. D. A. ex. lege. plebeive. ſcito. ſortito. quoi. ceivi. Romano. dedit. aſſignavit. ejus. ſit. cujus. ex. hac. lege. plebeive. ſcito. eſse. oportet.
datus. adſignatuſve. fuerit. quod. ejus. agri. non. abalienatum. erit. ita. utei. S. S. eſt. eſto.
us. adierit. ad. eum. quem ex. H. L. de. eo. agro. jus. deicere. oportebit. is. de. ea. re. ita. jus. deicito. decernitoque. utei. jus. ſuum. conſequatur.
neque. vi. neque. clam. neque. precario. poſſederit. ab. eo. quei. eum. ea. poſſeſſione. vi. ejecerit. jus. ſuum. perſequi. liceto.
ura. pecoris. quod. in. eo. agro. paſcitur. poſtquam. vectigalia. conſtiterint. quæ. poſt. H. L. rog. primum. conſtituerint. nei. quis. facito. quo.
poſtea. quam. vectigalia. conſiſtent. quæ. poſt. H. L. rog. primum. conſtiterint. ob. eos. agros. locos. ædificia. nomine. populi. aut. publicani. exigat.
ægro. loco. ceivis. romanus. ſociumve. nominiſve. Latini. quibus. ex. formula. togatorum. ibei. eſse. licet. ſunt. nei. quis. eo. agro. loco. moveat.
m. agrum. locumve. pro. eo. agro. locove. de. eo. agro. loco. quei. publicus. populi. Romanei. fuit. dedit. aſſignavit.
nit. obveneritve. emit. emeritve. queive. ab. emptore. ejus. emit. emeritve. S. ager. privatus. eſto. quam. ſei. is. ager. P. Mucio. L. Calpurnio. cos. fuit. Pr. conſulve. quo. ex. hac. lege. in. jous.
deduxit. dedit. reddidit. adſignavitve. facitoque. is. pr. conſol. ve. quo. de. ea. re. in. jous. aditum. erit. utei. jus. ſuum. conſequantur.
e. defendito. quo. minus. quei. velit. compaſcere. liceat. ſei. quis. faxit. quotiens. faxit. in. agri. jugra. ſingula. . . . . . . .H. S. pendat.
neive. ſcripturam. dare. debeto. Quot. quiſque. pecudes. in. calleis. viaſve. publicas. itineris. cauſſa. induxerit. neiquid. populo. neive. publicano. pecuniam. ſcripturam. vectigalve. det.
ommutavit. is. ager. locus. omneis. privatus. ita. utei. qui. optima. lege. privatus. eſt. eſto. Quei. ager. ex. privato. in. publicum. commutatus. erit.
o. utei. quei. volent. tantidem. pro. patrito. redemptum. habeant. P. P. ſubſignent. II. virum. qu.
opuli. Romanei. fuerunt. ceivi. romano. facere. licebit. item. Latino. peregrinoque. quibus. M. Livio. L. Calpurnio. cos. conſultum. eſt. facere. liceto.
um. ex. H. L. omiſerit. mag. prove. mag. quo. de. ea. re. in. jous. aditum. erit. quod. ex. H. L petetur. item. judicium. judicem. recuperatoreſve. dato. I. V. E. E. R. P. F. V. S. V. E. jus. dicito. decernitoque.
is. ſociiſve. nominiſve. latini. poplice. deve. ſenati. ſententia. ager. fruendus. datus. eſt.
rog. redemptum. conductum. habere. frui. poſſidere. defendere. licuit. extra. eum. agrum. locum. ædificium. quem. agrum. locum.
omanei. in. terra. Italia. P. Mucio. L. Calpurnio. cos. fuit. quod. ejus. agri. loci. ex. lege. plebeive. ſc.
dicem. neive. recuperatores. dato. niſei. cos. pr. ve. quod. vadimonium. ejus. re.
it. de. ea. re. juris. dictio. judici. judicis. recuperatorum. datio. eſto. I. V. E. E. R. P. F. S. V. E. jus. dicito. decernitoque . . . .
r. quo. minus. huic. L. intercedat. E. H. L. N. R. Quoi. publicano. E. H. L. pequnia. debebitur.
e. decretum. erit. Cos. pr. prove. pr. quo. in. jous. adierint. in. diebus. X. proxſumeis. queibus. hæc. res. delata. erit. decretum. judicatum. habeto.
non. erit. ea. decreta. non. fiet. judicatave. non. fiet. quod. ejus. prævaricationis.
rei. joudicandæ. maxſume. verum. eſſe. commperrit. facitoque. utei.
habere. poſſidere. frui. vetet. quaſve. in. leges. pl. ve. ſc. de. ea. re. relatum. erit.
nei. magiſtratum. quem. minus. petere. capere. gerere. habereque. liceto. neive. quid.
exque. fœdere. licuit. ſed. fraude. ſua. facere. liceto. in. que. eas. leges. pl. ſc. de. ea. re. quod. ex.
us. eſt. dedit. adſignavitque. quemve. agrum. locum. de. eo. agro. loco. quei. publicus. populei. Romanei . . . .
adſignatum. eſſe. fuiſſeve. joudicaverit. utei. in. H. L. ſc. eſt. quei. l.
agrum. locum. quem. ex. H. L. colonei. eive. in. quei. colonei. numero. ſunt.
prævides. prædiaque. ſoluti. ſunto. eaque. nomina. mancupis.
emit. is. pro. eo. agro. loco. pequnia. neive. prævides. neive. prædia.
manceps. preſve. factus. eſt. quodque. praedium. ob. . . . .
ager. locus. privatus. vectigaliſque
vectigalia. inperare. ſolent. eis. p.
quem. agrum. locum. in.
Quei. ager. locus. publicus. populei. romanei.
erit.

LEGIS

3 LEGIS THORIÆ FRAGMENTUM ALTERUM.

*quod. C. Semproni. Ti. F. tr. pl. rog. excep*tum. cavit*umve. eſt. nei divideretur.*

*jud*icio. eum. quoium.

*n*eive. quis. de. ea re. ad. ſen*atum. referto.* . . . .

*habeat. poſſid*eatque. quove. poſſeſſio. invito. mor.

*agru*m. non abalienaverit. extra. eum.

. . . . *Is. a*ger. locus. ædificium. privatus. ſiet. quove. ma.

extraque. eum. agrum. quem. vetus. poſſeſſor. ex. lege. plebeive. *ſcito. habuit. poſſedit. uſus. fructus. que. eſt.* . . . .

paſcet. quæque. ex. eis. minus. annum. gnatæ. erunt. poſt. ea. qua*m.*

*neque. ipſe. abalie*navit. abalienaveritve. neque. heres. ejus. abalienavit. abalienav*erit. ve.*

eret. poſſeſſionem. dedit. adſignavit. reddidit. quodque. ejus. agri. III. *vir. coloniæ. deducendæ. dedit. aſſignavit.*

quoi. is. ager. vetere. prove. vetere. poſſeſſore. datus. adſignatuſve. queive.

*ante. eidus. marti*as. quæ. poſt. H. L. rog. primæ. erunt. facito. utei. is. quei. ita. vi. ejectus. er*it. reſtituatur.* . . . .

neive. populo. neive. publicano. pequnia. ſcripturam. vectigalve. det. dareve. debeat. neive. quis.

quei. paſcetur. populo. aut. publicano. dare. debeat. Ager. locus. publicus. popul*i. Romanei.*

*agrum. l*ocum. publicum. populi. Romanei. de. ſua. poſſeſſione. vetus. poſſeſſor. prove. vetere. poſſeſſore.

*extra. eum. a*grum. locum. quei. ager. locus. ex. lege. pleive. ſc. quod. C. Semproni. Ti. F. tr. pl. rog. excep*tum. cavitumque. eſt. nei. divideretur.* . . . .

quo. coloniam. deduxſit. ita. utei. s. s. eſt. agrum. locum. ædificium. dedit. reddidit. adſignavit. quei.

*ager. locus. quei. ſup*ra. ſcriptus. eſt. quod. ejus. agrei. locei. poſt. H. L. rog. publicum. populei. romanei. erit. extra. eum. *quei.*

nihil. dare. debeto. ei. quei. quomque. id. publicum. fruendum. redemptum. conductumve. habebit. boves. equi.

*qu*ibus. vieis. ā publiceis. paſtum. inpulſum. itineris. cauſa. erit. neiquid. populo. neive. publicano. pe*quniam. ſcripturam. vectigalve. det. dareve. debeat.*

quei. ager. ex. publico. in. privatum. commutatus. eſt. de. eo. agro. ſiremps. lex. eſto. quanſei. is. ager. P. Mucio. L. *Calpurnio. cos.*

per. terram. Italiam. P. Mucio. L. Calpurnio. cos. fuerint. eas. faciunto. pateant. vacuæque. ſient.

*ex. lege. pleb*eive. ſc. exve. fœdere. licuit. ſed. fraude. ſua. facere. liceto. Quod. ex. H. L. ita. utei. s. s. eſt. in agreis. quei.

et. in. eum. judicium. judicem. recuperatoreſve. ex. H. L. dare. oporteret. ſeiquis. de. ea. re. judici*um.* . . . .

*neiv*e. pro. colonia. moinicipiove. prove. moinicipieis. fruentur. quei. in. trientabul*eis.*

*da*re. oportebit. id. utei. quicquid. quoieique. ante. H. L. R. licuit. ita. ei. habere. *liceat.*

*ſei. qu*id. de. eo. agro. loco. ambigetur. cos. pr. queiquomque. erit. de. ea. re. juriſ*dictio. judicii. judicis. recuperatorum. datio. eſto.*

i. cauſa. decernant. ejus. H. L. N. R. Quod. judicium. judex. recuperator*ve. reddiderit. id. jus ratumque. eſto.*

*Pr. conſulve. nei. de. e*o. agro. loco. jous. deicito. neive. decernito. neive. judicium. *neive. judicem. neive. recuperatores. dato.* . . . .

em. facito. quo. quis. pro. agro. minus. aliterve. ſcripturam. v*ectigalve. det.*

*c*ivibus. L. quei. claſſis. primæ. ſient. xi. dato. inde. alternos. du*cito.*

*decretum. judiciu*mve. factum. non. ſiet. ſei. major. pars. eorum. recuperatorum. *non. conſenſerit.*

rit. ſedulo. mn. utei. is. quei. judicatus. erit. dare. oporteat. . . . .

aliter. habebit. poſſidebit. fruetur. quam. ex. H. L. licebit. eum. agrum. quem.

ſiquæ. lex. pleibeive. ſc. eſt. quæ. mas. quem. ex. H. L.

decernere. oportebit. ſed. fraude. ſua. nei. jourato. neive.

ex. pl. ſc. quod. M. Bæbius. tr. pl. III. vir. coloniæ. deducendæ. *fecit.* . . . .

extra. eum. agrum. locum. quei. ager. locus. in ea. cen*turia.*

. . . . . . *oportet.* oportebitve. quod. ejus. agri. locei. quoieique. emptum. eſt.

quæſtor. quei. ærarium. provinciam. obtinebit. in. tabuleis. *publicis. referat.*

in. eam. rem. quod. præs. factus. eſt. populo. obligatus. eſt. . . . .

quei. ager. locus. in Africa. eſt. quei. Romæ. publice. *veniit. venieritve.*

*datus. aſſigna*tus. erit. quod. ejus. agri. locei. extra. terram. Italiam. eſt.

ve. agrum. locum. queiquomque. habebit. poſſidebit.

*quei. ag*er. locus. in Africa. eſt. quod. ejus. agri. *locei.* . . . .

diebus. proxſumis. quibus. factus. creatuſve. erit. *facito.*

*p*rofitebitur. cognito.

idque. ipſe. . . . .

ædificia, aliudve quid, quod publicum populi Rom. factum esset L. Sylla, Q. Pompejo consulibus, id venderetur. item ut omnia venirent, de quibus vendendis S. C. facta erant M. Tullio, & Cn. Cornelio coss. & ea pecunia agri in Italia emerentur, in quos coloniæ a Xviris deducerentur. ut Campanus ager, & Stellas publicus populi Rom. divideretur, Capuam coloni adscriberentur. quæ lex dissuadente consule Cicerone magno plebis est consensu repudiata.

Triennio vero post lex a L. Flavio tribuno pl. est promulgata, de qua in hunc modum Cicero scripsit in primo epistolarum ad Atticum: *Agraria lex a Flavio tribuno pl. vehementer agitabatur, auctore Pompejo, quæ nihil populare habebat præter auctorem. ex hac ego lege, secunda concionis voluntate, omnia illa tollebam, quæ ad privatorum incommodum pertinebant. liberabam agrum eum, qui P. Mucio, L. Calpurnio publicus fuisset. Syllanorum hominum possessiones confirmabam. Volaterranos, & Arretinos, quorum agrum Sylla publicarat, neque diviserat, in sua possessione retinebam, unam rationem non rejiciebam, ut ager hac adventicia pecunia emeretur, quæ ex novis vectigalibus per quinquennium reciperetur. huic toti rationi agrariæ senatus adversabatur, suspicans Pompejo novam quandam potentiam quæri. Pompejus vero ad voluntatem perferendæ legis incubuerat. ego autem magna cum agrariorum gratia confirmabam omnium privatorum possessiones. is enim est noster exercitus, hominum, ut tute scis, locupletium. populo autem Pompejoque satisfaciebam emptione. qua constituta diligenter, & sentinam urbis exhauriri, & Italiæ solitudinem frequentari posse arbitrabar. sed hæc tota res interpellata bello refrixerat.* Factum autem eodem anno S. C. ait Dio, ut Pompeii, & Metelli militibus agri dividerentur, quorum ille e bello Mithridatico, hic ex Cretico reverterat.

Postero autem anno lex Julia a C. Cæsare consule est lata, optima in primis, ut inquit Dio, & nulla ex parte reprehendenda. quippe qua civium Rom. turba, quæ prope in immensum creverat, ac sæpius jam seditionibus materiam præbuerat, ad laborem, & ad agriculturam traducebatur; solitudines autem, quæ tum erant per Italiam plurimæ frequentabantur, ut jam non solum qui confectis erant stipendiis, sed & alii omnes satis victus haberent, neque civitate quidquam in eorum sumptum erogante, nec locupletibus jacturam facientibus. Etenim omnem agrum, qui publicus populi Rom. erat, excepto agro Campano, (hunc enim ob præstantiam exemptum reip. relinquendum censuit) divisit. reliquum nec invitis dominis ademit, nec precium arbitrio divisorum constituit, sed emi eum a volentibus jussit, ac tantum numerari pecuniæ, quantum in proscriptionibus judicaretur. magnam autem ejus adesse copiam afferebat, partim ex præda, quam Pompejus invexerat, partim ex tributis, & vectigalibus jam ante constitutis. Lege hac perlata addidit illud quoque, ut ager Campanus iis, qui ternos, pluresve liberos haberent, divideretur. Quo de agro Suetonius breviter ita scripsit: *Campum Stellatem consecratum, agrumque Campanum, ad subsidia reipub. vectigalem relictum divisit extra sortem viginti millibus civium, quibus terni pluresve liberi essent.* Non omnem tamen Campanum agrum in consulatu Cæsaris, aut certe lege Cæsaris esse divisum, non obscure mihi videtur Cicero significare in epistola ad Lentulum, cum ait de se ita: *Quin etiam Marcellino, & Philippo coss. Nonis Aprilibus, mihi est senatus assensus, ut de agro Campano Idibus Maiis frequenti senatu referretur. non potui magis in arcem illius caussæ invadere, aut magis oblivisci temporum meorum, & meminisse actionum.* & paulo post addit: *Pompejum ad se Vibullium misisse cum mandatis, ut integrum sibi de caussa Campana ad suum reditum reservaret.* & multo apertius Cœlius, cum scribit ad Ciceronem, Ser. Sulpicio, & M. Marcello coss. *Illud addo, actiones C. Curionis de agro Campano. de quo negant Cæsarem laborare, sed Pompejum valde velle, ne vacuus advenienti Cæsari pateat.*

Agros etiam ab eodem dictatore, & post necem ejus a M. Antonio consule, inde a triumviris reip. & postremo ab Imp. Augusto divisos, satis constat. cujus rei testimonia in tertium librum mihi putavi rejicienda, ubi de coloniis militaribus disseram. Atque ex his quidem legibus satis, ut opinor, intelligi potest id, quod in lege agraria primum quæsitum diximus, ut ager definiretur, quem dividi oporteret, sive de hostibus modo captus, sive publicus populi Rom. esset, sive a privatis possessus, sive publico ære de privatis emptus. Quæ res impulit Appianum, ut M. Brutum veteranos milites ita post necem Cæsaris in Capitolio alloquentem fecerit, ut diceret, *cives Romanos quondam in agros esse deductos, aut publicos, aut de hostibus captos, aut publica pecunia emptos, postremo autem civibus per vim ereptos dividi esse cœptos.* Quanquam Cicero disputans in consulatu adversus legem agrariam Rulli, negat a majoribus traditum, ut agri emerentur. sic enim inquit: *Hic ego jam illud, quod expeditissimum sit, ne disputo quidem, Quirites, non esse hanc nobis a majoribus relictam consuetudinem, ut emantur agri a privatis, quo plebs publice deducatur.* & addit: *Antea, cum erat a tribuno pl. mentio legis agrariæ facta, continuo qui agros publicos, aut qui possessiones invidiosas tenebant, pertimescebant.* Inde concludit, oportere definire, qui agri sint emendi. *Libet*, inquit, *agros emi? primum quæro, quos agros? & quibus in locis? nolo suspensam, & incertam plebem Roman. obscura spe, & cæca expectatione pendere.*

Alterum caput fuit legis agrariæ, quo præscribebatur, cui generi, & cui numero hominum agrorum assignatio constitueretur. cujus præcepti satis facilis, atque expedita ratio est. Nam, quod ad genus pertinet, satis constat, agros aut universo populo viritim divisos, aut plebi Romanæ, aut patribus liberorum, aut militibus, iisque vel peditibus, vel equitibus, vel civibus, vel Latini nominis sociis. unde scitum illud est apud Higinum, *finitis ampliorum bellorum operibus, augendæ reip. caussa, illustres Romanos viros urbes constituisse, quas aut victoribus populi Rom. civibus, aut emeritis militibus assignarent.* Ac plebis quidem deducendæ caussam inopia atque angustiæ rei familiaris attulerunt, ut agrorum aliquid darent iis, qui nihil possiderent. unde dixit Livius: *Etsi belli pars cum Sidicinis restabat, tamen ut beneficio prævenirent desiderium plebis, de colonia deducenda Cales retulerunt.* Videntur autem ab dividendo agro ordinem servasse tribuum, nimirum ut ab urbanis exorsi inde rusticas persequerentur. quæ res locum Ciceroni dedit Rullum reprehendendi, qui se a Romilia tribu, id est, a rusticis initium facturum esse dixerat. *Quæsivi*, inquit, *in concione, ex eo Kal. Januariis, quibus hominibus, & quemadmodum illum agrum esset distributurus. respondit, a Romilia tribu se initium esse facturum. primum quæ est ista superbia, & contumelia, ut populi pars amputetur, ordo tribuum negligatur; ante rusticis detur ager, qui habent, quam urbanis, quibus ista agri spes, & jucunditas ostenditur?* Quod autem dixi, modo pedites, modo equites in agros esse deductos, Livii testimonio adductus scripsi, qui in hunc modum loquitur de Thuriis: *Tria millia peditum iere, trecenti equites. numerus exiguus pro copia agri.* & de Vibone: *Quadragena jugera agri data in singulos pedites sunt. duplex equiti.* & de Aquileja: *Tria millia peditum, quibus data quinquagena jugera, centurio-*

nibus centena ; centena quadragena equites acceperunt . movit me præterea Pedianus, cujus hæc in commentario Pisonianæ verba reperi : *Placentiam , & Cremonam sex millia hominum sunt deducta , in quibus equites deducendi caussa fuit , ut opponerentur Gallis , qui eam partem Italiæ tenebant* . Ex his autem, qui agri cupiditate tenebantur, ii nomina in coloniam dabant. testis est Livius libro I. cum scripsit : *Plures inventi , qui propter ubertatem agri in Crustuminum nomina darent* . & libro III. *Jussi nomina dare , qui agrum accipere vellent* . Quem ad morem respiciens , credo , Virgilius dixit in quinto : *Transcribunt urbi matres populumque volentem* . Sæpe etiam numerus eorum, qui deducendi essent, lege est præfinitus. ostendit Livius : *Senatus censuit coloniam Lavicos deducendam . coloni ab urbe mille & quingenti missi bina jugera acceperunt* . & alio loco : *Senatus Satricum colonia duo millia civium Rom. deduci jussit* . & alibi : *Factum S. C. ut duo millia , & quingenti homines Cales scriberentur* . Quod si aut plures, aut pauciores, quam lege præscriptum erat, nomina in coloniam essent professi, tum ad sortem confugiebant, ut ex omnibus educerentur sorte, qui agro accepto exirent. Hoc enim Dionysius, & Plutarchus in deductione Velitrarum observatum scribunt; iidemque , qui sorte educti essent , a senatu exire coactos adjiciunt. declarat Livius, qui in alia re tradit , ex senatus decreto consulem colonorum numerum conscripsisse. Numerus autem colonorum pro agri amplitudine, in quem deducebantur, scribebatur. quo factum est, ut modo bina, modo terna , modo quaterna millia , atque amplius scriberentur . Quo in genere Cicero Rullum quoque reprehendit , cum dixit : *Tu non definias quot colonias , in quæ loca , quo numero colonorum deduci velis ?* post autem de Capua loquens ait : *Quinque millia colonorum Capuam scribi jubet . ad hunc numerum quingenos sibi singuli sument* . De emeritis autem militibus deducendis, in quibus etiam Italici erant, post dicemus .

Deinceps sequitur, ut per quos hæc divisio fieret, exponamus. neque vero dubium est , quin per curatores agrarios, vel triumviros , vel quinqueviros, vel septemviros, vel decemviros , vel vigintiviros; qui triumviri , vel Xviri agris dandis , assignandis vel coloniæ deducendæ sunt dicti . Triumvirum frequens mentio est. meminit Livius libro tertio, ubi de Antio loquitur : *Triumviros agro dando creant , T. Quinctium , A. Virginium , P. Furium*. & de Calibus : *Tresviros coloniæ deducendæ , agroque dividendo creaverunt K. Duilium , T. Quinctium , M. Fabium*. Quinquevirum lib. III. *Ad militiam , quo paratior esset plebes, quinqueviros Pomptino agro dividendo creaverunt*. Septemviros lege sua creavit M. Antonius consul. unde illa sunt Ciceronis in eum : *Sed hæc agrorum assignatio paulo ante L. Cæsaris sententia dissoluta est . huic enim assensi septemvirum acta sustulimus* . Decemviros tum creatos prodidit Livius , cum Samnitem , Apulumque , & Ligustinum, Gallicumque agros S. C. divisos scripsit, cujus rei ante mentionem fecimus. atque eosdem post etiam lege sua restituit Rullus. vigintiviros Cæsar intulit in primo consulatu , cum legem agrariam tulit. quod inter omnes video convenire . Hi vero curatores modo per consulem, modo per prætorem urbanum sunt creati . per consulem , ut est apud Livium, anno post u. c. DLIV. *L. Cornelius consul creavit triumviros Narniensibus colonis supplendis* . per prætorem urbanum , cum de Samnite Apuloque agro est actum : *Decreverunt patres , ut M. Junius prætor urbanus , si ei videretur , decemviros agro Samniti , Apuloque , quod ejus publicum populi Romani esset , metiendo dividendoque crearet* . & de Gallico : *Decemviros agro dando creavit A. Atilius prætor urbanus* . Creabantur autem comitiis tributis omnibus tribubus advocatis . Quare Rullo vitio vertit Cicero , quod decemviros suos per XVII. tribus sorte eductas crearet . *Toties* , inquit , *legibus agrariis curatores constituti sunt triumviri , quinqueviri , decemviri . quæro a populari tribuno pl. ecquando nisi per XXXV. tribus creati sint ?* Atque his quidem comitiis magistratum tantum , id est, potestatem ac jurisdictionem accipiebant, imperium vero, id est, belli gerendi facultatem, curiatis . Quod enim imperio ornari soliti fuerint , docet Livius , cum ad deducendos in agrum Thurium colonos triumviros, quibus in triennium imperium esset , creatos prodit. Curiatis autem comitiis eos fuisse affectos, cum vetus mandandi imperii consuetudo , tum Rullus ipse sua lege ostendit, qui Xviros suos agrarios, per XVII. tribus creatos curiata lege de imperio lata decoravit. imperio autem opus fuit, quod sub vexillo colonos, tanquam exercitum deducerent. Quin etiam ex eadem Rulli lege eosdem multis ministris fuisse ornatos apparet , quippe cum dicat Cicero, Rullum tulisse, ut Xviri auspicii coloniarum deducendarum caussa pullarios haberent eodem jure , quo habuerunt tresviri lege Sempronia. *Deinde ornat* , inquit, *eos apparitoribus , scribis , librariis , præconibus , architectis , mulis , tabernaculis , supellectili . janitores ex equestri loco ducentos in annos singulos stipatores corporis constituit* . quæ tamen ut nova in iis Cicero videtur improbare.

Jam vero modus etiam jugerum agri singulis assignandorum in lege est præfinitus . cujus rei testimonio verba sunt Livii, qui de Satrico ait : *Duo millia deducta, bina jugera, & semisses agri assignati* . item alio loco : *Anxur trecenti in coloniam missi bina jugera agri acceperunt* . & alibi : *Coloniam Latinam in agrum Thurinum deduxerunt . tria millia peditum iere , CCC. equites , numerus exiguus pro copia agri . dari potuere quadragena jugera in pedites , sexagena in equites . Apustio auctore tertia pars agri dempta , quo postea , si vellent , novos colonos adscribere possent . vicena jugera pedites , quadragena equites acceperunt* . non est opus pluribus . addo tantum Ciceronem qui ait , *Servilium Rullum Campani agri jugera dena , campi Stellatis duodena singulis lege sua assignasse* .

Neque vero solum jugerum, sed limitum quoque ratio agraria lege est præscripta . Hujus rei cum alia multa documento sunt , tum illud in primis, quod ager coloniarum , ut scriptum est apud Frontinum , *divisus* , & *assignatus* dictus sit , idemque duas conditiones habuisse feratur; unam , qua plerunque limitibus contineretur ; alteram , qua per proximos possessionum rigores. Limitum vero multa genera erant, decumani, Kardines, prorsi, transversi. decumanus erat ab oriente in occidentem, a meridie in septentrionem Kardo : ab occidente ad orientem prorsi: a septentrione ad meridiem transversi : & a situ regionum maritimi , & montani, qui ad mare, vel ad montes spectarent. præter hos erant limites actuarii , & linearii . *actuarius erat*, ut ait Higinus, *qui primus actus erat ab eo quintus quisque, quem si numerares cum primo, erat sextus, quoniam quinque centurias sex limites clauderent. reliqui medii limites linearii appellabantur in Italia subruncini. Per rigores autem*, ut scribit Frontinus, *duobus fiebat modis : si in longitudinem esset delimatus, per strigas appellabatur ; si in latitudinem, per scamna . strigatum autem agrum* definit Higinus, *qui a septentrione in longitudinem in meridianum decurrit ; scamnatum , qui eodem modo ab occidente in orientem crescit*. erant etiam alia genera multa, de quibus in libris de limitibus disputatur . verum his nos hoc loco contenti erimus, ut illud demum doceamus, aliarum coloniarum agrum alia ratione esse divisum atque assignatum , prout in lege erat comprehensum.

Celebrantur autem in hoc genere leges quædam, Sempronia, Mamilia, Cornelia, Julia. quarum Semproniam Ti. Gracchus tulit, Mamiliam C. Mamilius is, qui propterea Limitanus vocatus est, tribunus pl. bello Jugurthino, ut proditum est a Sallustio. Cornelia & Julia a Sylla & Cæsare dictatoribus latæ sunt. quibus legem etiam Augusti imp. adjicere possumus. Unde scriptum est apud Higinum hoc modo: *Actuarii limites extra terminos* D. & K. *latitudinem habent pedum* XII. *per eos iter populo, sicut per viam publicam debetur. ita enim cautum est lege Sempronia, Cornelia, & Julia. quidam ex his latiores sunt* XII. *pedibus, ut ii, qui sunt per viam militarem acti. habent enim latitudinem viæ publicæ. lineares limites mensuræ tantum distermiuandæ caussa sunt constituti, & si finitimi interveniunt, latitudinem secundum legem Mamiliam accipiunt*. Fuit autem lex Mamilia, quæ in finibus agrorum quinque aut sex pedum latitudinem præscriberet, quos, ut XII. tabulis ante cautum fuerat, usucapi vetaret. cujus rei meminit Aggenus his verbis: *De fine lex Mamilia quinque, aut sex pedum latitudinem præscribit. quoniam hanc latitudinem, vel iter ad culturas accedens occupat, vel circumactus aratri, quod usucapi non potest. iter enim, non qua ad culturas pervenitur, capitur usu, sed id, quod in usu biennio fuit*. Eadem lege singulos arbitros regendis finibus datos ostendit Cicero, cum ita loquitur in primo de legibus: *Ex hac autem non rerum, sed verborum discordia controversia nata est de finibus, in qua, quoniam usucapionem* XII. *tabulæ inter quinque pedes esse noluerunt, depasci veterem possessionem Academiæ ab hoc acuto homine non finemus, nec Mamilia lege singuli, sed ex* XII. *tres arbitri fines regemus*. Factum est autem sæpe, ut nova lege, & novis limitibus colonia deduceretur, sæpe ut antiqua lege, & antiquis limitibus. antiquas autem leges voco Semproniam, Corneliam, Juliam, Augustanam; antiquos limites Gracchanos, Sullanos, Julianos, Augusteos. Itaque Frontinus in libro de coloniis *Æserniam lege Julia deductam* ait, *agrum limitibus Augusteis assignatum*; *Nuceriam lege Augustana, limitibus Julianis*; *Velitras lege Sempronia*; *Suessulam lege Sullana*; *Aretium, & Verulas limitibus Gracchanis*. Termini autem Augustei, ut est in libro vetere de limitibus, in locis montanis termini erant rotundi ea ratione, quod Augustus eos recensivit, & ubi fuerunt lapides, alios constituit, & omnem terram suis temporibus jussit remensurari, ac veteranis assignari. Cum ergo tanta in limitibus constituendis opera poneretur, caussa apparet, cur Rullus, ut objicit Cicero, Xviros suos agrarios finitoribus, atque architectis ornaverit, cur Livius in triumviros agrarios Placentinum agrum metantes impetum a Bojis factum esse prodiderit, & alio loco Xviros Samniti agro metiendo, ac dividendo creatos scripserit.

Ut autem magis hæc tota de limitibus quæstio illustretur, placet hoc loco verba quarundam etiam legum, quas ante Augustum latas esse facile, nisi veteri testimonio revinctus, crediderim, recitare, ex quibus omnino, quæ limitum observatio esset, intelligatur. sunt autem lex Peducea, Alliena, & Flavia. quarum memoria extat in libro de limitibus agrorum, hoc modo:

KAPUT LEGIS PEDUCEÆ: *Quæ colonia hac lege deducta, quodve municipium, præfectura, forum, conciliabulum constitutum erit, qui ager inter fines eorum erit, qui termini in eo agro statuti erunt, quo in loco terminus non extabit, in eo loco is cujus is ager erit, terminum restituendum curato. utque recte factum esse velit, idque magistratus, qui in ea colonia, municipio, præfectura, foro, conciliabulo jure dicundo præerit, facito, ut fiat.*

KAPUT LEGIS ALLIENÆ: *Qui limites decumani hac*

A *lege deducti erunt, quæcunque fossæ in eo agro erunt, qui ager hac lege datus, assignatus erit, nequis eos limites decumanos ne obsepito, neve eos arato, neve eas fossas obturato, neve quis sepito, quo minus aqua ire, fluere possit. si quis adversus ea quid fecerit*, IV. *colonis, municipibusve iis, in quorum agro id factum erit, dare damnas esto.*

KAPUT LEGIS FLAVIÆ: *Qui hac lege coloniam deduxerit, municipium, præfecturam, forum, conciliabulum constituerit, in eo agro, qui ager intra fines ita ejus coloniæ, municipii, fori, conciliabuli, præfecturæ erit, limites decumani ut fiant curato.* B *quique fines ita statuerit, si fines eorum sunt, dum ne extra agrum colonicum, territoriumve fines ducat, quique termini hac lege statuti erunt, ne quis quem eorum ejicito, neve commoveto, sciens dolo malo. si quis adversus ea fecerit, is in terminos singulos, quos ejecerit, locove moverit, sciens dolo malo*, XXV. *in publicum eorum, quorum intra fines is ager erit, dare damnas esto. deque ea re curatoris, qui hac lege erit, jurisdictio, recuperatorumque datio, addictio esto. cum curator hac lege non erit, tunc quicunque magistratus in ea colonia, municipio, præfectura, foro, conciliabulo jure dicendo præerit, ejus magistratus de ea re jurisdictio, judicisque datio, addi-* C *ctio esto. inque eam rem is, qui hac lege judicium dixerit, testibus publice duntaxat in res singulas decem denunciandi potestatem facito, ita ut e rep. fideque sua videbitur. Et si is, unde ea pecunia petita erit, condemnatus erit, eam pecuniam ab eo, deve bonis ejus primo quoque die exigito. Ejusque pecuniæ quod receptum erit partem dimidiam ei, cujus unius opera maxime is condemnatus erit, partem dimidiam in publicum redigito. quo ex loco terminus aberit, si quis in eum locum terminum restituere volet, sine sua fraude liceto facere, neve quid cui is ob eam rem hac lege damnas esto*. Ac de legis quidem agrariæ capitibus hæc hactenus. nunc reliqua, D quæ ad coloniarum deductionem pertinerent, persequamur.

Lege accepta, aut S. C. facto, curatores, qui ex lege, aut S. C. coloniæ deducendæ, agrisque dandis erant creati, colonos, qui vel sua sponte nomina dederant, vel forte exierant, in agros lege definitos, atque in coloniam sub vexillo, quasi exercitum aliquem deducebant. dux autem deductionis, credo, aliquis e curatoribus agrariis erat. Docet hoc non obscure Appianus lib. II. cum de coloniis loquens ait; multitudinem quondam in fanis, & lucis sub uno vexillo, & uno duce collocatam. ostendit Plutarchus, cum C. Gracco III. viro colo- E niæ ad Carthaginem deducendam profecto portentum factum ait, quod vexillum laceratum sit. quin etiam ex eodem fonte illa Ciceronis in Antonium fluxerunt: *Casilinum coloniam deduxisti, ut vexillum tolleres*. & in Rullum: *Nisi forte mavultis, relictis his rebus, atque hac luce reipublicæ in Sipontina siccitate, aut in Salpinorum pestilentiæ finibus Rullo duce collocari*. qua in oratione post etiam vexilli meminit, cum a Capua colonos adversus Romam reductum iri prædicit, his verbis: *Tum illud vexillum Campanæ coloniæ vehementer huic imperio timendum, Capua a Xviris inferetur, tunc contra* F *hanc Romam, communem patriam omnium nostrum, illa altera Roma quæretur*. Signa autem cohortium in antiquis nummis, quibus coloniæ alicujus deductio significatur, impressa adhuc etiam cernere possumus.

Ubi vero colonos in agris, quo deducendi erant, collocarant, tum aratro urbem, & agrum circumscribebant. de urbe testis est Varro, Dionysius, Plutarchus, alii; de agro unus, quod sciam, Cicero. Varronis hæc in lib. de lingua Latina quarto verba sunt: *Oppida, quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe urbes. & ideo coloniæ nostræ in lit-*

teris antiquis ſcribuntur urbes, quod item conditæ, ut Roma. & ideo coloniæ ut urbes conduntur, quod intra pomœrium ponuntur. Romulum porro tauro, & vacca junctis Urbi condendæ locum circumaraſſe, ac deſignaſſe tradit Dionyſius. quin etiam terminos Carthaginis coloniæ, quos C. Gracchus triumvir deſcripſerat, a lupis eſſe diſſipatos refert Plutarchus. Nam de agro ſic agit in Antonium Cicero: *Caſilinum coloniam deduxiſti, ut vexillum tolleres, & aratrum circumduceres. cujus quidem vomere portam Capuæ pæne perſtrinxiſti, ut florentis coloniæ territorium minueretur.* Significat enim, Antonium Caſilini agrum ita dilataſſe, ut eum uſque ad Capuæ portam perduxerit, atque ea ratione Campanum ipſum territorium imminuerit. Ut autem ſignis militaribus, ſic etiam aratro coloniæ deductionem in nummis veteribus demonſtrari, ita notum eſt, ut teſtimonium res non deſideret.

Urbe agroque, quo modo dixi, circumſcripto, tum vero eos agri diviſionem, ac ſuæ cuique partis aſſignationem opinor eſſe aggreſſos. unde agros coloniarum diviſos, & aſſignatos dici notavit Frontinus. Quod munus difficillimum, ac moleſtiæ ſæpe pleniſſimum videtur fuiſſe propter odium colonorum. in quod illi facile poterant aſſignationis ejus cauſſa incurrere. Qua de re, quoniam difficile eſt, plus intelligere, quam quantum vetera monumenta ſignificent, nullum verbum prorſus feciſſem, niſi me graviſſima ad id T. Livii auctoritas adduxiſſet, qui de triumviris Ardeæ coloniæ deducendæ ita ſcripſit: *Triumviri ad coloniam Ardeam deducendam creat Agrippa Menenius, T. Clœlius Siculus, M. Æbutius Elva, qui per minime populare miniſterium agro aſſignando ſociis, quem populus Romanus ſuum judicaſſet, cum plebem offendiſſent, ne primoribus quidem patrum ſatis accepti quod nihil gratiæ cujuſquam dederant, vexationes ad populum, jam die dicta ab tribunis, coloni adſcripti, remanendo in colonia vitavere.*

Erit jam hujus loci finis, ſi hæc, quæ dixi, omnia auſpicato facta fuiſſe oſtendero. Quod ut omnibus videatur, id ſatis magnum argumentum debet eſſe, quod ſcriptum eſt apud Ciceronem in Antonium: *Negavi in eam coloniam, quæ eſſet auſpicato deducta, dum eſſet incolumis, coloniam novam jure deduci.* Nequid interea de pullariis repetam, qui cum agrariis curatoribus, ut ſupra docui, ſint dati, certe niſi auſpiciorum cauſſa non ſunt dati. Huc autem eodem luſtratio etiam coloniæ referenda eſt, cujus auctorem Ciceronem habemus in libris, quos de divinatione reliquit, cum ſcripſit, *in luſtranda colonia ab eo, qui eam deduceret, bonis nominibus, qui eam deducerent, fuiſſe electos.* Quocirca ſcriptum quoque apud Plutarchum legimus, C. Gracchum in Carthagine deducenda, extis aris impoſitis tempeſtate direptis, ac trans fines coloniæ latis valde eſſe commotum. Qui mos ſi quis, unde acceptus ſit, roget, reſpondebo, me arbitrari a Romulo, a quo multa ejuſmodi alia, ne dicam omnia, ad poſteros permanarunt. ab eo enim Romam coloniam & auſpicato & luſtratione adhibita eſſe deductam, diligentiſſimus rerum Romanarum ſcriptor litteris prodidit Dionyſius.

CAP. III.

De jure coloniarum.

Ex hac diſputatione jam omnes intelligere poſſe arbitror, id quod paucis adhuc patuit, quid coloniæ eſſent, qua de cauſſa, a quibus, per quos, & quo modo deducerentur; nunc, ſi quis, quam multa earum genera extiterint, & in qua inter ſe illæ varietate fuerint conſtitutæ, exquirat, is ſi paulo diligentius ſequentem diſputationem attenderit, non multa, ut opinor, quæ in tanta deſideret antiquitate, habebit. Eſt enim mihi deinceps de jure coloniarum quærendum. (ſiquidem non eadem coloniarum, ac municipiorum, ceterorumque Italiæ oppidorum jura fuiſſe comperio) cujus ignoratione multos adhuc in maximos, & turpiſſimos errores video eſſe prolapſos. Primum igitur conſtituendum eſt, jus coloniarum duplex fuiſſe; unum earum, quæ civium Romanorum; alterum illarum, quæ Latinæ coloniæ dicerentur. Nota diviſio eſt, quippe quæ ſit Livii clariſſimis conſignata monumentis, veluti cum de Aquileja loquitur: *Illud agitabant, ut colonia Aquileja deduceretur: nec ſatis conſtabat, utrum Latinam, an civium Romanorum deduci placeret. poſtremo Latinam potius deducendam patres cenſuerunt.* & alio loco: *Salernum, Buxentumque coloniæ civium Rom. deductæ ſunt.* & poſt: *Q. Ælius tribunus plebis tulit ad plebem, plebeſque ſcivit, ut Latinæ coloniæ duæ, una in Bruttios, altera in Thurinum agrum deducerentur.* & alibi: *Bononia Latina deducta, Parma & Mutina civium Romanorum.* Hoc cognito, jam illud ſequitur, ut quæratur, quæ potiſſimum eas inter ſe diſſimilitudo ſecreverit. Sunt, qui noſtra memoria ſcripſerint, Latinas eſſe, in quas homines ex Latio eſſent adſcripti; alii, quæ in Latium eſſent deductæ. quarum opinionum utraque ita vacillat, & claudicat, ut nulla poſſit eſſe infirmior. quid eſt enim, cur ulla ſententia delectemur, quæ aperte Liviana auctoritate redarguatur? an coloniæ Latinæ ſunt, quo Latini adſcripti ſunt? imo vero quo cives Romani. ſiquidem Livius ſenatum Roman. ad XII. colonias Latinas, quæ bello Punico II. defectionem ſpectabant, ita loquentem inducit: *Meminerint, ſe Romanos, inde oriundos, inde in coloniam ſtirpis augendæ cauſſa miſſos.* an quæ in Latium ſunt deductæ? immo vero, quæ quocunque: quod Bononiæ, & Aquilejæ commemorato exemplo, quæ in Galliam, & Carnos ſunt deductæ, facile comprobatur. Unde autem hujus ignoratio juris manavit? unde, niſi ab ignoratione Latinitatis? Etenim, ſi, quid inter civem Romanum, & Latinum intereſſet, cognoviſſent, facile etiam, quid coloniæ civium Romanorum a Latinis differrent, intellexiſſent. Supra autem diximus, jus Latii eſſe, ut ſuffragiorum poteſtatem, magiſtratu permittente, haberent; &, ſi in Latina civitate, aut Latii jure donata, magiſtratum geſſiſſent, cives Romani ut fierent. unde notum, ac jam tritum eſt illud Aſconii, *Strabonem Tranſpadanis jus dediſſe, quod haberent ceteræ coloniæ, id eſt, ut petendi magiſtratus gratia civitatem Romanam adipiſcerentur.* Ergo Latinæ coloniæ erant, quæ jus Latii ſive Latinitatis acceperant. Quoniam autem jus Latii juri Quiritium, & Latinæ coloniæ civium Rom. coloniis opponuntur, ob eam cauſſam fit, ut probe concludi poſſit, ſi Latinæ coloniæ ſint, quæ jus habent Latii, Romanas eſſe, quæ donatæ ſunt jure Quiritium. Qui autem jus habet Quiritium, is non plenam civitatem Rom. ſed partem tantum civitatis adeptus eſt. jure enim Quiritium quid aliud continetur, niſi, ut alio libro docui, jus privatæ libertatis, connubiorum, patrium, jus legitimi dominii, ut hereditatis, mancipii, & nexus, uſucapionis, & reliquorum, itemque jus teſtamentorum, & tutelarum? Ergo Romanæ coloniæ fuerunt, quæ jus privatum civium Romanorum habuerunt, quod his rebus eſt comprehenſum. Hæc autem jure omnia colonis Romanis conceſſa, Latinis interdicta, in veteribus monumentis perſcriptum animadvertere poſſumus. Nam & Boetius in expoſitione Topicorum dixit, *deductione in Latinas colonias cives Romanos mediam capitis diminutionem conſecu-*

tos esse, *& Romanam civitatem amisisse*, hoc est, A ut idem interpretatur, *neque connubii*, *neque testamenti*, *neque mancipii*, *aut nexus*, *aut patriæ potestatis jus*, *quod erat proprium civium Romanorum*, *habuisse*. & Ulpianus in Institutionibus scriptum reliquit, *Libertinos Latinos neque connubii*, *neque patriæ potestatis*, *neque tutelæ recipiendæ jus habuisse*. Neque vero aliud sensisse Livium puto, cum Antium coloniam missam, atque Antiatibus, si ipsi ascribi vellent, civitatem datam ait, aut cum Veliternos colonos veteres cives Romanos appellavit, quam eis coloniis jus esse Quiritium impertitum. Nam quid Tullianum testimonium proferam? qui aliquot colonias hoc jure fuisse præditas non obscure in oratione pro B Cæcina ostendit, cum dixit, *L. Sullam dictatorem*, *cum de civitate Volaterranis adimenda ferret*, *ita tulisse*, *ut non sustulerit eorum nexa*, *& hereditates*, *sed eo jure reliquisse*, *quo essent Ariminenses*, *quos neminem ignorare*, XII. *coloniarum fuisse*, *& a civibus Romanis hereditates capere potuisse*. erant ergo, ut eundem locum diutius urgeam, coloniæ civium Rom. civitatis Romanæ jure donatæ illæ quidem, verum non optimo. neque enim jura publica civitatis habebant, sed privata tantum. Quare qui eo ascripti coloni erant, nomine quidem erant cives Romani, re vero coloni. testem postulatis? non longe abiero. præsto est Livius, qui lib. C XXXIV. scribit, *Puteolos*, *Salernum*, *& Buxentum civium Roman. colonias ascripti coloni*, *qui nomina dederant*, *cum ob id se pro civibus ferrent*, *senatum judicasse*, *non esse eos cives Romanos*. & alio loco narrat, *Ferentinates novum jus tentasse*, *ut Latini*, *qui in coloniam Romanam nomina dedissent*, *cives Romani essent*, id est, ut ego quidem existimo, jus Quiritium adipiscerentur. Neque enim probabile, atque ulla ex parte consentaneum rationi videtur, Latinos in coloniam Romanam deductos plenum jus civitatis assequi voluisse, cum satis constet cives Romanos eo profectos id amisisse. Quoniam D autem illud novum, & ante inusitatum jus vocat Livius, facile, quid ante in more, ac instituto positum fuerit, intelligere possumus.

Quod si coloniæ civium Rom. partem tantum habuerunt civitatis, non integram civitatem, profecto dubitandum non est, quin Latinæ omnis expertes fuerint civitatis. Id quod cum ipsa suadet ratio, tum exempla vetera non obscure demonstrant. An enim, si Latini coloni cives essent Romani, Cicero pro Balbo dixisset, *T. Matrinium Spoletinum ex colonia Latina civitate esse donatum*? & in Bruto, *Q. Fulvium Nobiliorem*, *cum triumvir coloniam deduceret*, *Q. Ennium civitate donasse*? & E in orat. pro Cæcina, *cives Rom. si in colonias Latinas proficiscerentur*, *Romanam civitatem amisisse*? & pro domo, *qui cives Rom. in colonias Latinas proficiscebantur*, *fieri non potuisse Latinos qui non erant auctores facti*, *nomenque dederant*? quid opus est pluribus? lex Appuleja, quam idem ille in Balbi defensione commemorat, satis ostendit, nullas omnino colonias optimo jure civitatis Rom. fuisse affectas. cur enim Saturninus ille Appulejus in tribunatu tulisset, *Ut C. Marius in singulas colonias ternos cives Rom. facere posset*, *si coloniis civitas ante patuisset*? Si ergo coloniæ omnes aut jus Quiri- F tium tantum habuerunt, aut jus Latii, profecto nec census, nec tributorum, nec stipendiorum, nec suffragiorum, nec magistratuum jus idem, quod cives Romani, adeptæ sunt. De censu testimonium res non postulat: siquidem in quaque colonia colonici censores fuerunt, a quibus, ut infra ostendam, ex coloniæ instituto census peragebatur. Tributum tamen eos pependisse, & milites ad bellum ex formula misisse, non est dubium. Hoc enim XII. coloniarum exemplo confirmatur, quæ bello Punico II. negaverunt esse, unde milites, & pecuniam darent; & XVIII. aliarum, ex quibus, ut inquit Livius, cum quæreretur, ecquid milites paratos haberent, responderunt, & milites paratos ex formula esse; &, si pluribus opus esset, plures daturas; & quidquid aliud imperaret, velletque pop. Rom. enixe facturas. ad id sibi neque opes deesse, animum etiam superesse. Adde quod XII. coloniis, quæ imperium abnuerant, eodem bello aliquot post annis ex S. C. imperatum est, quantum quæque earum coloniarum militum primum dedisset pop. Rom. ex quo hostes in Italia essent, duplicatum ejus summæ numerum peditum daret, & equites centenos vicenos: si qua eum numerum equitum explere non posset, pro equite uno tres pedites liceret dare. pedites, equitesque quam locupletissimi legerentur, mitterenturque ubi extra Italiam supplemento opus esset. si quæ ex iis recusarent, retineri ejus coloniæ magistratus legatosque mandatum. neque, si postularent, senatum dari, priusquam imperata fecissent. stipendium præterea iis coloniis III. millia æris, asses singulos imperatum, ut quotannis exigeretur. Habuisse tamen aliquot colonias militiæ vacationem, Livii testimonio est cognitum, cujus hæc sunt verba: *Diis rite placatis delectum consules habebant acrius intentiusque quam prioribus annis quisquam meminerat habitum. nam & belli terror duplicatus novi hostis in Italiam adventu*, *& minus juventutis erat*, *unde scriberent milites. Itaque colonos etiam maritimos*, *qui sacrosanctam vacationem dicebantur habere*, *dare milites cogebant. quibus recusantibus edixere in diem certam*, *ut quo quisque jure vacationem haberet*, *ad senatum deferret. ea die hi populi ad senatum venerunt*, *Ostiensis*, *Alsiensis*, *Antias*, *Anxuras*, *Minturnensis*, *Sinuessanus*, *& a supero mari Senensis. cum vacationes suas quisque recitaret*, *nullius*, *cum in Italia hostis esset*, *præter Antiatem*, *Ostiensemque*, *vacatio observata est. earumque coloniarum*, *juniores jurejurando adacti*, *supra triginta dies non pernoctaturos se extra mœnia coloniæ suæ*, *donec hostis in Italia esset*. Præterea, quod bello Antiochino cum eædem maritimæ coloniæ, eodem teste Livio cogerentur in classem, trib. pl. appellarunt. a quibus ad senatum rejectis, senatus decrevit, vacationem rei navalis non esse. Quin etiam colonias immunitates aliis alias majores habuisse, indicat Cicero in Verrem, cum ait: *Quæ colonia est in Italia tam bono jure*, *quæ per hos annos tam commoda vacatione usa sit omnium rerum*, *quam Mamertina civitas per triennium?* De jure autem suffragiorum ferendorum, aut magistratuum Romæ petendorum, quoniam in hoc vetera prope muta sunt monumenta, facile adducor, ut credam, nullum colonis ullis ante legem Juliam patuisse, nisi, quo modo Latini id, ut supra diximus, per magistratum domi gestum adepti sunt.

CAP. IV.

De republica coloniarum.

UTRUM igitur hactenus ad jura coloniarum aperienda est satis? aliis fortasse, mihi nequaquam. neque enim de earum republica, & civitatis ratione aliquid dictum est, in quo maxime coloniarum jus est versatum. Explicemus igitur, quoad possumus, hanc etiam quæstionem, aut certe vias quasdam ejus tractandæ optimis ingeniis demonstremus. Omnis coloniarum respublica in legibus, & legum curatoribus, meo judicio, fuit posita; leges vel a populo Rom. acceperunt, vel ipsæ sibi per senatum, aut populum condiderunt; legum curatores aut magistratus, aut sacerdotes fuerunt, humanarum illi, hi divinarum. Leges autem suas quæque

colonia habuit præcipuas, a Romanis quidem legibus separatas, sed tamen a Romanis triumviris datas. ut enim legati a senatu decreti provincias ordinabant, iisque leges ac jura præscribebant, sic curatores coloniarum coloniis. Hujus autem antiquitatis multi sunt testes, sed maxime Gellius, qui scripsit, colonias omnes jura institutaque non sui arbitrii, sed populi Rom. habuisse; & Cicero, qui de Puteolis, quo deducere coloniam Rullus statuerat, dixit: *Puteolos, qui nunc sunt in potestate sua, suo jure, libertateque utuntur, totos novo populo, atque adventiciis copiis occupabunt*. & Livius, qui scriptum reliquit, *Veliternos, & Circejenses colonos repetisse captivos suos a Romanis, ut in eos legibus suis animadverterent*. Nam quid Flaccum memorem, omnium disertissime ita loquentem? *Territoria inter civitates, id est, inter municipia, colonias, ac præfecturas, alia fluminibus finiuntur, alia summis montium jugis, ac divergiis aquarum, alia etiam lapidibus positis præsignibus, alia inter binas colonias limitibus perpetuis diriguntur. de quibus territoriis si quando quæstio movetur, respiciuntur leges civibus datæ, id est, coloniis, municipiis, ac præfecturis*. Item: *Ergo fit, ut plura territoria confusa unam faciem limitationis accipiant. aliquibus vero auctores divisionis reliquerunt aliquid agri eis, quibus abstulerunt, quatenus haberent jurisdictionem, aliquos intra muros cohibuerunt. itaque leges datæ coloniis, municipiisque intuendæ erunt*. Fuisse quoque præter hæc alias leges ab ipsis colonis latas, argumento illud est quod in coloniis consilium erat & senatus & populi. Senatores autem in coloniis, ut etiam in municipiis, decuriones vocabantur, quod docet Cicero, cum ita loquitur in Sextiana de Capua colonia deducta, cum ante esset præfectura: *Qua de caussa & tum conventus ille Capuæ, qui propter salutem illius urbis consulatu conservatam meo, me unum patronum adoptavit, huic apud me P. Sextio maximas gratias egit, & hoc tempore iidem homines, nomine commutato, coloni, decurionesque beneficium P. Sextii testimonio declarant. recita quæso, quid decreverint Capuæ decuriones*. Significat autem, qui conventus Capuæ, cum præfectura erat, dicebatur, eundem decuriones post deductam a Cæsare consule coloniam, esse appellatum. Hinc Suetonius in Augusto, *Corpus*, inquit, *decuriones municipiorum, & coloniarum a Nola Bovillas usque deportarunt*. & in eodem libro: *Quæ de magistratibus urbicis decuriones colonici in suam quisque coloniam ferrent*. & in multis veteribus lapidum monumentis adhuc invenimus, DEC. COL. quod valet, *Decurio coloniæ*. Ceterum Pomponius decuriones dictos existimavit, quod initio, cum coloniæ deducerentur, decima pars eorum, qui deducerentur, consilii publici gratia conscribi solita sit. Numerus vero decurionum nescio an in omnibus coloniis idem fuerit. centum quidem eos certe fuisse in colonia Capua, Cicero in secunda agraria prodidit. Denique ut in senatore Romano, sic in decurione colonico legendo censum esse observatum, qui fuerit centum millium, satis aperte ex lib. I. epistolarum Plinii perspicitur, cum ait: *Esse autem tibi centum millium censum, satis indicat, quod apud nos decurio es. igitur ut te non decurione solum, verum etiam equite Romæ perfruamur, offero tibi ad implendas equestres facultates* CCC. *millia nummum*. Magistratus coloniarum præcipuos fuisse invenio duumviros, censores, ædiles, & quæstores. Duumviratus magistratus erat prope consulatui, aut præturæ compar. unde scite illud in agrariis Cicero de Capua colonia dixit: *Cum in ceteris coloniis duumviri appellentur, Capuæ se prætores appellari volebant*. & Pomponius de albo scribendo: *In albo lex præponi jubet, qui maximo honore in municipio functus est, ut qui duumviratum gessit*. Item alibi: *Is, qui non sit decurio, duumvi-*

A *ratu, vel aliis honoribus fungi non potest*. Atque hos quidem esse opinor, qui etiam duumviri jure dicundo appellabantur, quorum celebrem adhuc in veteribus lapidibus extare memoriam animadvertere licet, hac scriptura brevi: II. VIR. I. D. inveni tamen etiam III. virum coloniæ Auximatis, & IV. virum coloniæ Signinæ in exemplis his veterum inscriptionum ad me delatis, IIVIR. IN COL. AUXIM. BIS.

Item:

L. VOLUMNIO L. F. POMP. JULIANO SEVERO.
B IV-VIRO COL. SIG. PATRONO COLONIÆ SUÆ
SENATUS, POPULUSQUE SIGNINUS.

Censores censum in coloniis egerunt, perinde atque Romani censores Romæ. id quod testimonio cognoscitur Livii ita scribentis in libris de bello Annibalis: *Decretum est, ut census in* XII. *coloniis, quæ imperium abnuerant, ageretur ex formula ab Romanis censoribus data. dari autem placuit eandem, quam populo Rom. deferrique Romam ab juratis censoribus coloniarum, priusquam magistratu abirent*. Itaque Nero, & Salinator Romani censores earum coloniarum, quod nunquam ante factum erat, deferentibus coloniarum censoribus, censum
C receperunt, ut quantum numero militum, quantum pecunia valerent, in publicis tabulis monumenta extarent. quibus ex verbis apparet etiam, quid in censu coloniarum agendo a censoribus colonicis observatum sit. Invenio etiam in antiquis marmoribus mentionem ÆDIL. COLON. PUTEOLANORUM. Illud præterea non prætereundum, quod ad omnes coloniarum magistratus pertinet, etiam in colonia magistratus prætexta usos esse, quod scriptum est in oratione L. Valerii tribuni pl. apud Livium. Sacerdotes porro, ut augures, & pontifices, in coloniis cooptatos, indicat Cicero in secunda agraria, ubi de Capua loquitur: *Hinc isti decemviri,*
D *cum numerum colonorum ex lege Rulli deduxerint, centum decuriones, decem augures, sex pontifices constituerint, quos illorum animos, quos impetus, quam ferociam fore putatis?* An vero certus numerus sacerdotum fuerit, an pro coloniæ magnitudine variaverit, ut etiam magistratuum, parum habeo explicati, quid aut tradam, aut sentiam.

Præter magistratus fuerunt patroni coloniarum. Hos Romulus in remp. induxit. ut enim cives patricios plebejorum tutores constituit, sic colonis, ac sociis populi Rom. quos vellent, ex civibus Rom. sibi patronos deligendi, copiam fecit, quorum ope-
E ra in civitate uterentur, siquid esset, quod sua interesset, ac Romæ curandum esset. Horum patronorum tum Dionysium in Romulo video meminisse, tum Ciceronem in oratione pro Sylla, cum ait: *Primum omnis Pompejanorum, colonorumque dissensio delata ad patronos est, cum jam inveterasset, ac multos annos esset exagitata, deinde ita a patronis res cognita est, ut nulla in re a ceterorum sententiis Sylla dissenserit*. & in Philippicis, cum inquit, *Antonium vexasse Puteolanos, quod C. Cassium, quod Brutos patronos adoptassent*. & Suetonium in Augusto, cum ait, *Bononienses antiquitus in Antoniorum clientela fuisse*. In lapidibus autem veteribus a-
F deo crebra patronorum coloniæ mentio est, ut nihil possit esse celebrius.

CAP. V.

De coloniis ante bellum Italicum deductis.

QUÆ de coloniis, & jure, & rep. earum ex veterum annalium memoria repetere, aut ipse conjectura, judiciove complecti potui, ea fere sunt, quæ supra scripsi. reliquum est, ut earum nomi-

nomina litteris mandem, ac quo quæque anno, & qua lege, quo jure, quoque loco deducta sit, explicem: ne quid a me, quod ad antiquum Italiæ statum pertineat, prætermissum esse videatur. Initium autem ducam a Romulo, ac singulas deinceps usque ad bellum Italicum persequar. Romulus rex coloniarum deducendarum auctor, sex, quod in monumentis rerum ab eo gestarum notatum videmus, colonias condidit, CÆNINAM, ANTEMNAS, CRUSTUMERIUM, MEDULLIAM, CAMERIAM, & FIDENAS. quarum reliquæ in Sabinis; Medullia, & Cameria in Latio fuerunt. Cæninam, & Antemnas Aborigines, pulsis inde Siculis, tenuerant. in singulas treceni homines missi, cum ipsæ civitates tertiam agri partem obtulissent. Crustumerium, Cameria, & Fidenæ Albanorum coloniæ fuerant. ex quibus Crustumerium post cum regnante Tarquinio Prisco ad Latinos defecisset, armis in potestatem redactum, colonos iterum Romanos accepit. Cameria vero, cum regnante Romulo colonos suos partim interfecisset, alios ejecisset, dimidiam agri partem amisit. Hæc fere Dionysius, qui idem multas alias colonias a Romulo deductas, cum se multæ civitates initio a Medullia facto ejus potestati permisissent, scribit. Livius tamen Fidenarum tantum meminit, quas Plutarchus Idibus Aprilis deductas, duobus millibus, & quingentis eo missis, litteris consignavit. anno inde CCCXXVI. colonorum numerus additus, teste Livio, agerque iis bello interemptorum est assignatus, qui post biennium a Fidenatibus sunt occisi. Deinde OSTIA in ore Tiberis ab Anco Marcio condita, eademque colonia est deducta, ut Livius in primis, ac Dionysius memoriæ prodiderunt. SIGNIAM, & CIRCEJOS in Volscis deduxit rex Superbus, illam casu, hanc consilio. Cum enim bello Volscis illato, ac Suessa Pometia capta, in Sabinos profectus præsidium in Volscis reliquisset, idque per hiemem in agro Signino castra in oppidi modum communisset, Signiæ oppido originem dedit. Circejos autem consulto colonos misit, quod id oppidum & agro Pomptino, omnium, qui in Latio sunt maximo, & mari, quod attingebat, esset opportunissimum. Atque ita quidem Dionysius. Nam Livius Signiam, Circejosque colonos missos, præsidia Urbi futura terra, marique tantum scripsit. quin etiam idem Ap. Claudio, P. Servilio coss. anno CCLIX. Signiam suppleto numero colonorum iterum deductam prodidit; Circejos L. Lucretio, Ser. Sulpicio coss. anno CCCLX. Diodorus. Anno autem eo, de quo dixi, CCLIIX. ECETRAS in Volscis item deductas, significavit Dionysius, cum scripsit Auruncos postulasse a senatu, ut agro, quem Romani ademerent Volscis Ecetranis, atque in eum colonos deduxerant, qui præsidio gentis essent, decederent, alioquin se armis eos moturos. Anno CCLIX. A. Virginio, T. Veturio coss. *Volscis devictis Veliternus ager ademptus*. VELITRAS *coloni ab Urbe missi, colonia deducta*. sic Livius: neque vero aliter, nisi quod aliquanto diligentius, Dionysius: Q. Valerium dictatorem triumphasse, ac dimisso exercitu in agrum Volscis ademptum colonos misisse, lectis pauperibus, qui agrum hostilem custodirent, & seditiosam urbis plebem levarent. biennio post cum pestilentiæ vis vix decimam partem civium reliquisset, Veliternos vastitatem coloniæ questos colonos a Romanis postulasse: itaque triumviros creatos, qui novos colonos deducerent. plerisque pestilentiæ metu ire recusantibus, sorte ductos, qui irent, eosdemque ire compulsos esse. atque hoc idem in Coriolano quoque apud Plutarchum est scriptum. Hanc autem coloniam civium Romanorum deductam, significat Livius libro III. cum ait, *In Veliternos veteres cives Romani, quod cum Latinis rebellassent, acerbe sævitum*. Anno CCCLXI. T. Geganio, P. Minucio consulibus NORBAM in montes deductam, ut arx esset in Pomptino, Livius; ut seditio sedaretur, Dionysius prodidit. Anno CCLXXXVI. Ti. Æmilio, Q. Fabio consulibus Fabius retulit; T. Quinctii ductu, & auspicio agri capti priore anno aliquantum a Volscis esse: ANTIUM propinquam opportunam maritimam urbem coloniam deduci posse. ita sine querelis possessorum plebem in agros ituram, civitatem in concordia fore. ea sententia accepta triumviros agro dando creant T. Quinctium, A. Virginium, P. Furium. jussi nomina dare, qui agrum accipere vellent. Fecit statim, ut fit, fastidium copia, adeoque pauci nomina dedere, ut ad explendum numerum coloni Volsci adderentur. post autem anno CCCCXV. L. Furio, C. Mænio coss. subactis, qui defecerant, Antiatibus, Antium nova colonia missa cum eo, ut Antiatibus permitteretur, si & ipsi ascribi coloni vellent. & civitas, teste Livio, data. M. vero Fabio, Postumo Æbutio consulibus, an. CCCCXIII. S. C. factum est, ut quoniam civitas Ardeatium intestino tumultu redacta ad paucos esset, coloni eo præsidii caussa adversus Volscos scriberentur. Hoc palam relatum in tabulas, ut plebem tribunosque fallerent, judicii rescindendi consilium initum; consenserant autem, ut multo majore parte colonorum Rutulorum, quam Rom. scripta, nec ager ullus divideretur nisi is, qui interceptus infami judicio erat, nec ulli prorsus Romano ibi, quam omnibus Rutulis divisus esset, gleba ulla agri assignaretur. sic ager ad Ardeates rediit. triumviri ad coloniam ARDEAM deducendam creati Agrippa Menenius, T. Clœlius Siculus, M. Æbutius Elua, qui coloni ascripti in colonia remanserunt. Deinde anno CCCXXXVII. L. Sergio Fidenate, M. Papirio, C. Servilio tribunis militum consulari potestate, opportune captis ex Æquis LAVICIS, senatus priusquam ab tribunis pl. agrariæ seditiones, mentione illata de agro Lavicano dividendo fierent, censuit frequens coloniam Lavicos deducendam. coloni ab Urbe mille, & quingenti missi bina jugera acceperunt. Anno etiam CCCLX. L. Lucretio, Ser. Sulpitio consulibus Livium video VITELLIÆ coloniæ meminisse, nec tamen, quando deducta fuerit, aperire. sic enim tantum inquit: *Vitelliam coloniam Romanam in suo agro Æqui expugnant*. nec tamen de ea dubitandum est, siquidem ita de eadem scribit in Vitellio Suetonius: *Vitellia ab Janiculo usque ad mare, colonia ejusdem nominis, quam gentili copia Vitellii adversus Æquicolas tutandam olim depoposcissent*. Anno vero CCCLXVIII. cum haud procul seditione res esset, ecce tibi, ut inquit Livius, ejus leniendæ caussa, postulante nullo, largitor voluntarius repente senatus factus, SATRICUM coloniam duo millia civium Rom. deduci jussit. bina jugera, & semisses agri assignati. Triennio vero interjecto, L. Valerio, A. Manlio, & collegis tribunis militum consulari potestate, SUTRIUM in Etruria colonos missos mihi Velleii auctoritate est persuasum; quippe qui eam coloniam septem post Romam captam annos notat. Diodorus tamen anno post Romam captam Sutrinæ coloniæ meminit, ut Livius post Punico bello. Eo certe anno, & Livii, & Velleii testimonio certum est NEPET in Etruria esse deductam. siquidem Livius ait, quo ad Veliternam militiam paratior plebes esset, triumviros Nepet coloniæ deducendæ creatos. Anno CCCLXXVII. L. Æmilio, Ser. Sulpicio tribunis mil. consulari potestate, invenio apud eundem SEPTIAM, ipsis querentibus penuriam hominum, novos colonos esse scriptos. itaque anno CCCCXIII. Privernates Norbam, & Setiam finitimas colonias esse depopulatos. Vellejus tamen Setiam post annum, quam Sutrium, deductam scribit. Anno inde CDXIX. Ti. Veturio, Sp. Postumio consulibus, etsi belli pars, ut ait Livius, cum Sidicinis restabat, tamen ut beneficio prævenirent desiderium plebis, de

colonia deducenda CALES retulerunt. factoque S. C. ut duo millia quingenti homines eo scriberentur, tresviros coloniæ deducendæ agroque dividendo creaverunt K. Duilium, T. Quinctium, M. Fabium. Cales Ausonum fuit. ejus item hoc anno deductæ meminit Vellejus. Post quinquennium vero L. Æmilio, C. Plautio coss. ANXUR trecenti in coloniam missi bina jugera agri acceperunt. Insequenti vero anno FREGELLAS (Sidicinorum is ager, deinde Volscorum fuerat) colonia deducta. Utriusque cum Paterculo auctor est Livius. Anno inde CCCCXXXIX. C. Sulpicio, M. Pœtelio coss. cum Lucerini in Apulia ad internecionem essent cæsi, eo ira processit, ut, cum de coloniis mittendis LUCERIAM consuleretur senatus, multi delendam censerent. præter odium, quod execrabile in hos captos esset, longinquitas quoque abhorrere a relegandis tam procul ab domo civibus inter tam infestas gentes cogebat. vicit tamen sententia, ut mitterentur coloni. duo millia, & quingenti missi. meminit hujus non Livius solum, cujus hæc verba sunt, sed Polybius quoque, Diodorus, & Paterculus. Postero anno SUESSA, & PONTIÆ coloniæ sunt deductæ. Suessa Auruncorum fuerat. Volsci Pontias insulam sitam in conspectu littoris sui incoluerunt. Ita quidem Livius, num vero aliter Vellejus? etiam. nam Suessam Auruncam triennio post deductam ait, quam Luceriam. Addit præterea eodem anno SATICULAM in Samnio esse deductam, de cujus deductione apud Livium scriptum nihil invenio. cum tamen idem ille post lib. XXVII. Saticulanorum colonorum meminerit. ex Festinis porro commentariis apparet, Saticulam deductam esse a triumviris M. Valerio Corvo, Junio Scæva, P. Fulvio Longo ex S. C. K. Jan. L. Papirio Cursore, C. Junio iterum consulibus. Iisdem autem consulibus, ut ait Livius, INTERAMNAM, & CASSINUM, ut perducerentur coloniæ, S. C. factum est. Sed triumviros creavere, ac misere colonorum quattuor millia insequentes consules M. Valerius, P. Decius. Interamnæ idem post etiam meminit L. Postumio, M. Atilio coss. cum ait: *Samnites Interamnam coloniam, quæ via Latina est, occupare conati sunt*. Diversus tamen est ab eo in hoc quoque Vellejus, quod Interamnam biennio post deductam ait, quam Saticulam. Anno CCCCL. L. Genucio, Ser. Cornelio coss. SORAM, atque ALBAM coloniæ deductæ. Albam in Æquos sex millia colonorum scripta, Sora agri Volsci fuerat, sed possederant Samnites. eo quattuor millia hominum missa. Hunc quidem in modum Livius. Paterculus autem has tantum decennio post Interamnam deductas notat. Post quadriennium, M. Fulvio, T. Manlio coss. NEQUINUM in Umbris in deditionem populi Rom. venit. colonia eo adversus Umbros missa, a flumine Narnia est appellata. Post autem anno DLIV. P. Villio, L. Cornelio coss. Narniensium legatis querentibus ad numerum sibi colonos non esse, immistos quosdam non sui generis pro colonis se gerere, earum rerum caussa triumviros creare L. Cornelius consul jussus. creati P. & Sex. Ælii Pæti, & C. Cornelius Lentulus, teste Livio. Qui idem anno CCCCLV. a consulibus L. Cornelio, Cn. Fulvio CARSEOLOS in agrum Æquicolarum colonos missos scribit, cum tamen sui, ut puto, oblitus, ita in anni CCCCLI. rebus exponendis scripsisset; *Nuntiatum a Marsis agrum vi teneri, in quem Carseoli colonia deducta erat*. Anno idem CDLVII. Ap. Claudio II. L. Volumnio II. consulibus, cum de præsidio regionis depopulatæ a Samnitibus agitaretur, placuit, ut duæ coloniæ circa Vescinum, & Falernum agrum deducerentur: una ad ostium Liris fluvii, quæ MINTURNÆ appellata; altera in saltu Vescino Falernum contigente agrum, ubi Synope dicitur Græca urbs fuisse, SINUESSA deinde ab colonis appellata. tribunis pl. negotium datum est, ut plebiscito juberetur P. Sempronius prætor triumviros in ea loca coloniis deducendis creare. Nec qui nomina darent, facile inveniebantur, quia in stationem se prope perpetuam infestæ regionis, non in agros mitti rebantur. Hæc Livius; qui idem post bello Punico II. narrando Sinuessam Romanam coloniam Samniti oppositam scribit. Vellejus autem aliquanto secus, Fabio quintum, Decio Mure quartum coss. utroque colonos esse deductos. Quadriennio interjecto VENUSIAM in Apulia colonia missa est, teste Paterculo. Itaque Livius anno DLIII. P. Galba, C. Cotta coss. triumviros creatos scribit ad supplendum Venusinis numerum colonorum, quod bello Annibalis attenuatæ vires ejus coloniæ essent, C. Terentium Varronem, T. Quinctium Flamininum, P. Cornelium Cn. F. Scipionem. Anno CDLXXI. C. Fabricio, Q. Æmilio coss. SENA in agrum de Gallis Senonibus captum deducta, quantum ex verbis Polybii, & epitome XI. Livii suspicari licet. Fabio autem Dorsone, Claudio Canina coss. qui fuit annus ab u. c. CDLXXX. COSSAM, & PÆSTUM coloni ascripti, teste eadem epitoma cum Paterculo. Pæstum, quæ & Possidonia Lucanorum, Cossa Tuscorum fuit, utraque ad mare. post autem anno DLVII. L. Furio, M. Claudio coss. Cossanis postulantibus, ut sibi colonorum numerus augeretur, mille ascribi jussi, dum ne quis in numero esset, qui post L. Cornelium, & Ti. Sempronium coss. hostis fuisset. Plutarchus Narniam, & Cossam a T. Quinctio Flaminino ante consulatum deductas scribit. Inde quinquennio post P. Sempronio, Ap. Claudio coss. ARIMINUM in Gallia, & BENEVENTUM in Samnio deductas invenio apud Vellejum, & Eutropium, & Livium, & Polybium: de quo illud memorabile narrat Festus, *Beneventum, cum colonia deduceretur, appellari cœptum esse melioris ominis caussa, cum eam urbem Græci incolentes ante Maleventum appellarent*. unde notum illud est apud Plinium: *Herpinorum coloniam Beneventum auspicatius mutato nomine, quæ quondam appellata Maleventum*. Inde HADRIAM in Picenum coloni missi, ut scriptum legimus epitoma XI. credo anno, postquam Picentes devicti sunt, M. Atilio, L. Julio consulibus. Hadriam Vomano flumine humectatam tradit Silius, eandem in mediterraneis non longe a Matrino amne collocat Strabo. Ab hac nomen invenisse mare Adriaticum putat P. Victor in Hadriano, cum id ab Adria potius Venetorum ductum constantior fama sit. Deinde FIRMUM, & CASTRUM NOVUM coloni adscripti initio Punici belli, ut ait Vellejus, quod anno CDLXXXIX. est initum Ap. Claudio, M. Fulvio coss. Castri certe memoria extat etiam in epitoma Livianorum XI. Firmum Picentum, Castrum Tuscorum fuit, utrumque maritimum. Quocirca Livius lib. XXXVI. inter colonos maritimos Ostiam, Fregenas, Castrum novum, & Pyrgos numeravit. Postero anno ÆSERNIAM, in Samnitibus deductam apud Livium libro XVI. & Vellejum primo invenio. Eodemque Vellejo teste post annum XVII. ÆSULUM, & ALSIUM, colonos esse deductos video. Alsium Etruscorum est ad mare. Post biennium vero FREGENAS ad mare Tyrrhenum deductas. Et insequenti anno Torquato, & Sempronio coss. in Sallentinis BRUNDISIUM, narrat Vellejus. neque aliter est in epitoma XIX. Cicero natalem diem Brundisinæ coloniæ Nonas Sextilis fuisse in epistolis ad Atticum scriptum reliquit. Triennio vero interjecto SPOLETIUM in Umbria est deducta. Et post biennium VALENTIA Vellejo teste. Spoletium Latinam coloniam fuisse ostendit Cicero in defensione Balbi, cum ait, *T. Matrinium Spoletinum ex colonia Latina a C. Mario civitate donatum*. Anno inde DXXXV. P. Cornelio, Ti. Sempronio coss. CREMONA in In-

ſubribus, PLACENTIA in Boiis deducta. Cremonam tradit Tacitus lib. XIX. propugnaculum adverſus Gallos trans Padum agentes, ſi qua alia vis per Alpes irrueret, conſtitutam. de Placentia ita ſcriptum invenio in commentario Pediani: *In annalibus eorum, qui bellum Punicum ſecundum ſcripſerunt, tradi video Placentiam coloniam deductam pridie Kal. Jan. Ti. Sempronio, & P. Cornelio conſulibus, primo anno ejus belli. ſex millia hominum novi coloni deducti ſunt. in quibus equites deducendi fuit cauſſa, ut opponerentur Gallis, qui eam partem Italiæ tenebant. deduxerunt triumviri P. Cornelius Aſina, P. Papirius Maſo, Cn. Pompejus, alias Cn. Cornelius Scipio, eamque coloniam* LIII. *deductam eſſe meminimus. deducta eſt autem Latina*. Neque vero ſecus eſt in epitoma XX. Placentiam, & Cremonam in agro de Gallis capto deductas. itemque apud Polybium lib. III. utraſque autem velut clauſtra ad cohibendos Gallicos tumultus oppoſita alio loco refert Livius. Inde vero anno DLXII. L. Cornelio, C. Lælio coſſ. decrevit ſenatus, uti C. Lælius, ſi ei videretur, ſex millia familiarum conſcriberet, quæ Placentiæ, & Cremonæ dividerentur, & ut L. Aurunculejus prætor triumviros crearet ad eos colonos deducendos. creati M. Atilius Serranus, L. Valerius P. F. Flaccus, L. Valerius C. F. Tappus. conſul in ſupplementum Cremonæ, & Placentiæ colonos ſcripſit. Quoniam autem Placentiam LIII. coloniam fuiſſe deductam prodit Aſconius, placet hoc loco, quæ ex tam multis coloniis per bellum Punicum floruerint, quæque jacuerint, recitare. Livium enim tantum quadraginta commemorare invenio, triginta quidem lib. XXVII. alias vero in aliis. *Triginta*, inquit, *tum coloniæ populi Rom. erant. ex his duodecim, cum omnium legationes Romæ eſſent, negaverunt conſulibus, eſſe unde milites, pecuniamque darent. eæ fuere Ardea, Nepet, Sutrium, Circeii, Alba, Carſeoli, Sueſſa, Sora, Setia, Cales, Narnia, Interamna. reliquæ* XVIII. *ſe, ad quidquid opus eſſet, præſto futuras reſponderunt, Signini, Norbani, Saticulani, Brundiſini, Fregellani, Lucerini, Venuſini, Adriani, Firmani, Ariminenſes, & ab altero mari Pontiani, Pæſtani, Coſſani, mediterranei Beneventani, Æſernini, Spoletini, Placentini, Cremonenſes*. lib. autem XXVII. *colonos maritimos, qui ſacroſanctam vacationem habere dicebantur, ad ſenatum ait veniſſe, Oſtienſem, Alſienſem, Antiatem, Anxuratem, Minturnenſem, Sinueſſanum, & a ſupero mari Senenſem*. & lib. XXXVI. *colonis maritimis vacationem rei navalis negatam. quæ erant Oſtia, Fregene, Caſtrum novum, Pyrgi, Antium, Tarracina, Minturnæ, Sinueſſa*. ex quo apparet prætermiſſas ab eo Caſſinum, Æſulum, & Valentiam, haud ſcio an quia Annibalis partium eſſent. nam reliquas Cæninam, Antemnas, Cruſtumerium, Medulliam, Fidenas, Cameriam, Ecetras, Velitras, Lavicos, Satricum, & Vitelliam aut afflictas crediderim, aut certe non admodum magnis tum fuiſſe opibus præditas. in his autem illud eſt obſervatione dignum, Pyrgos coloniam nominari, cujus deductio ignoretur. Quas autem hoc loco XII. colonias imperium ait abnuiſſe, eas alio loco Latinas colonias vocat. Anno inde DLIV. L. Cornelio, P. Villio coſſ. CASTRORUM PORTORIUM, inquit Livius, *quo in loco nunc oppidum eſt, cenſores fruendum locarunt, colonoſque eo trecentos (is numerus a ſenatu finitus erat) adſcripſerunt*. Poſt biennium vero, C. Cornelio, C. Minucio coſſ. C. Acilius tribunus pl. tulit, ut quinque coloniæ in oram maritimam deducerentur, duæ ad oſtium fluminis VULTURNI, LITERNIQUE, una ad PUTEOLOS, una ad caſtrum SALERNI, his BUXENTUM adjectum. tricenæ familiæ in ſingulas colonias jubebantur mitti, iis deducendis triumviri ii, qui per triennium magiſtratum haberent, creati M. Servilius Geminus, C. Minucius Thermus,
A Ti. Sempronius Longus. Triennio vero interjecto, P. Scipione, Ti. Longo coſſ. coloniæ ſunt deductæ, Puteolos, Vulturnum, Liternum, treceni homines in ſingulas: item Salernum, Buxentumque omnes civium Rom. deduxere triumviri Ti. Sempronius Longus, qui conſul erat, M. Servilius, C. Minucius Thermus. Ager qui diviſus eſt, Campanorum fuerat. Eodemque anno SIPONTUM in agrum, qui Arpinorum fuerat, coloniam civium Rom. deduxere triumviri D. Junius Brutus, M. Bæbius Tamphilus, M. Helvius. Iiſdemque coſſ. TEMPSAM, & CROTONEM civium Rom. coloniæ deductæ ſunt. Tempſanus ager de Brutiis captus erat. Brutii Græcos
B expulerunt. Crotonem Græci habebant. triumviri C. Octavius, L. Æmilius Paulus, C. Plætorius Crotonem, Tempſam L. Cornelius Merula, C. Salonius * deduxerunt. anno vero DLXIII. Sp. Poſtumio, C. Marcio coſſ. triumviri ad colonos ſcribendos Sipontum ſupero mari, Buxentum infero, deſertas colonias, ab T. Mænio prætore urbano creati ſunt L. Scribonius Libo, C. Tuccius, Cn. Bæbius Tamphilus. Ante vero triennium, in conſulatu L. Cornelii, & C. Minucii M. Ælius Tubero trib. plebis tulerat ad plebem, plebeſque ſciverat, ut Latinæ duæ coloniæ, una in Bruttios, altera in Thu-
C rinum agrum deducerentur. iis deducendis triumviri creati, quibus in triennium imperium eſſet, in Bruttios Q. Nævius, M. Minucius Rufus, M. Furius Craſſipes: in Thurinum agrum A. Manlius, Q. Ælius, cujus lege deducebatur, L. Apuſtius. ea bina comitia prætor urbanus Cn. Domitius in Capitolio habuit. Itaque inſequenti anno coloniam Latinam in agrum THURINUM deduxerunt. tria millia peditum iere, CCC. equites. numerus exiguus pro copia agri. dari potuere quadragena jugera in ſingulos pedites, ſexagena in equites. Apuſtio auctore tertia pars agri dempta. quo poſtea, ſi vellent, novos colonos aſcribere poſſent. vicena juge-
D ra pedites, quadragena equites acceperunt. Poſtero vero VIBONEM coloni aſcripti ex S. C. plebeique ſcito. mille ſeptingenti pedites ierunt, trecenti equites triumviri deduxerunt. Q. Nævius, M. Minucius, M. Furius Craſſipes. quina dena jugera agri data in ſingulos pedites ſunt, duplex equitibus. Brutiorum proxime fuerat ager. Brutii ceperant de Græcis. Strabo Hipponem a Locrenſibus conditum, atque Bruttiis a Romanis ademptum Vibonem Valentiam nominatum prodit. Anno DLXIII. C. Lælius cos. cum ex Gallia Romam rediſſet, ut novæ coloniæ duæ in agrum, qui Bojorum fuiſſet, deducerentur, & rettulit, & auctore eo pa-
E tres cenſuerunt. Itaque poſtero anno ante diem III. Kalend. Januar. BONONIAM Latinam coloniam ex S. C. L. Valerius Flaccus, M. Atilius Serranus, L. Valerius Tappus IIIviri deduxerunt. tria millia hominum ſunt deducta. equitibus ſeptuagena jugera, ceteris colonis quinquagena ſunt data. ager captus de Gallis Boiis fuerat. Galli Tuſcos expulerant. confirmat hoc extremum Plinius, qui Bononiam Felſinam vocitatam tradidit, cum princeps Etruriæ eſſet. Anno DLXIX. P. Claudio, L. Porcio coſſ. coloniæ duæ POTENTIA, ſive POLLENTIA in Picenum, PISAURUM in Galli-
F cum agrum deductæ ſunt. ſena jugera in ſingulos data: diviſerunt agrum, coloniaſque deduxerunt iidem triumviri Q. Fabius Labeo, M. & Q. Fulvius Flaccus, & Nobilior, ut prodidit cum Paterculo Livius. Anno vero DLXX. D. Claudio, Q. Fabio coſſ. cum agitaretur, ut colonia AQUILEJA deduceretur, nec ſatis conſtaret, utrum Latinam, an civium Rom. deduci placeret, poſtremo Latinam potius coloniam deducendam patres cenſuerunt. triumviri creati ſunt P. Scipio Naſica, C. Flaminius, L. Manlius Acidinus. poſtero anno deducta eſt in agro, qui fuerat Gallorum tranſalpinorum. tria millia pe-

ditum, quinquagena jugera, centuriones centena, centena quadragena equites acceperunt.

Sed ecce in manibus patria MUTINA, itemque PARMA. Hæ eodem anno, quo Aquileja Latina decreta eſt, civium Rom. coloniæ ſunt deductæ. bina millia hominum in agrum, qui proxime Bojorum, ante Tuſcorum fuerat, octona jugera Parmæ, quina Mutinæ acceperunt. deduxerunt triumviri M. Æmilius Lepidus, T. Æbutius Carus, L. Quinctius Criſpinus. meminit poſt Mutinæ Cicero in Philippicis, ad laudem inquiens: *Quid intereſt, utrum hanc Urbem Antonius oppugnet, an hujus Urbis propugnaculum, coloniamque populi Rom. præſidii cauſſa conſtitutam?* Quo fit, ut in hoc erratum eſſe Polybii putem, qui Mutinam coloniam initio alterius Punici belli commemorat. Eodem anno SATURNIA in agrum Caletranum eſt deducta. deduxerunt triumviri Q. Fabius Labeo, C. Afranius Stellio, Ti. Sempronius Gracchus. Jugera in ſingulos dena data. Ptolemæus Saturniam coloniam inter mediterraneas Tuſcorum refert. Anno DLXXII. P. Cornelio, M. Bæbio coſſ. GRAVISCAS colonia in agrum Etruſcum de Tarquinienſibus quondam captum, eſt miſſa. quina jugera agri acceperunt. triumviri deduxerunt C. Calpurnius Piſo, Claudius Pulcher, C. Terentius Iſtra. hæc quidem Livius. cum quo diſſentit Paterculus, qui Graviſcas eodem anno, quo Aquilejam, deductas placet. Poſtero anno PISANIS agrum pollicentibus, quo Latina colonia deduceretur, gratiæ ab ſenatu actæ. triumviri, teſte Livio, creati ad eam rem C. Fabius Buteo, M. & P. Popillii Lænates. meminit ejus & Ptolemæus. Poſt triennium autem LUCAM coloniam duo millia civium Rom. ſunt deducta: triumviri deduxerunt P. Ælius, L. Ægidius, Cn. Sicinius. quinquagena & ſingula jugera, & ſemiſſes agri in ſingulos data ſunt. De Liguribus captus is ager erat. Etruſcorum ante, quam Ligurum, fuerat. Ita quidem Livius. Nam Vellejus quadriennio poſt Aquilejam hanc deductam ſcribit. Quo ex eodem Cn. Cornelio, M. Fulvio Nobiliore coſſ. ann. CXCIV. AUXIMUM in Picenum colonos eſſe miſſos cognoſcitur. Eodemque temporum intervallo RHUDIAS in Meſſapicis deductas ſignificare videtur Cicero, cum ſcribit in Bruto, Q. Fulvium Nobiliorem, cum triumvir coloniam deduceret, Q. Ennium (fuit ille Rhudinus) civitate donaſſe. Fulvius autem conſulatum anno urbis ſexcenteſimo geſſit. Inde C. Caſſio Longino, & C. Sextio Calvino coſſ. anno DCXXIX. FABRATERIA in Latio, Vellejo auctore, eſt deducta. Poſtero autem, quo Q. Metellus, & T. Flamininus conſules fuerunt, multas colonias a C. Sempronio Graccho trib. pl. deductas accepimus. ſiquidem ita in epitomis Livianæ hiſtoriæ ſcriptum extat: *C. Gracchus tribunus pl. continuato in alterum annum tribunatu, legibus agrariis latis effecit, ut complures coloniæ in Italia deducerentur, & una in ſolo dirutæ Carthaginis. quo idem triumvir creatus coloniam deduxit.* Invenio autem in Plutarchi, & Appiani hiſtoriis, Gracchum in ſecundo tribunatu de duabus tantum coloniis deducendis Capua, & Tarento tuliſſe. M. autem Livium Druſum Gracchi collegam ex S. C. legem de duodecim coloniarum deductione & tribus millibus in ſingulas adſcribendis pertuliſſe. Capuam tamen non eſſe deductam ſatis aperte indicat Cicero, cum in agrariis ait, Gracchos Campanum agrum attingere non eſſe auſos. Ergo ſi vel Gracchi, vel Druſi lege multæ in Italia coloniæ deductæ ſunt, profecto ex eo numero illæ fuerunt, quas poſt annum, quam Fabrateria, deductas narrat Vellejus, SCYLLATIUM, MINERVIUM, TARENTUM, NEPTUNIAM, & DERTHONAM, de qua tamen idem ambigi ait. Sunt qui conjecturam ſecuti in hunc numerum Nolam etiam, Ariciam, & Lavinium referant, quarum poſt Marſico bello, & civi-

A li Sullano mentio in epitomis uſurpatur hoc modo: *Nola colonia in poteſtatem Samnitium cum L. Poſtumio prætore venit.* item: *Marius Antium, Ariciam, Lavinium colonias devaſtavit.* verum non XII. eſſe deductas, cum alia indicant, tum vero id, quod eſt apud Appianum de M. Druſo hujus M. Druſi filio, legem eum de coloniis in Italia deducendis tuliſſe, quæ jampridem decretæ, nondum tamen deductæ fuerant. quam legem poſt S. C. ſublatam diximus.

Ultima autem ex iis, de quibus ante bellum Italicum deductis aliquid accepimus, fuit EPOROEDIA, C. Mario VI. & L. Flacco coſſ. Vellejo teſte, deducta, ut eſſet præſidio adverſus Salaſſos, auctore Strabone, tumultuantes. neque poſt hanc ullam ferme aliam niſi militarem, coloniam deductam eſſe, eidem placet, quas militares in tertium librum rejecimus. Atque de coloniis quidem hactenus expoſitum ſit.

CAP. IV.

De municipiis.

SEQUITUR altera quæſtio de municipiis, nobilis illa quidem in primis & cognitione digniſſima, verum tam multis tenebris vel vetuſtatis, vel inſcitiæ occultata, ut nos vix vetera ejus indagandæ veſtigia in tanta ſive rerum, ſive temporum, ſive monumentorum quaſi caligine videamus. Sed ingredienti, quid ſuſciperem, fuit videndum, nunc quo me incerta plerumque & fallax aura conjecturæ provexerit, vela danda ſunt. Municipia autem in eo præcipue a coloniis diverſa fuiſſe reperio, quod, ut traditum eſt apud Gellium, coloniæ ex civitate Romana quaſi propagarentur, municipia in civitatem extrinſecus vocarentur. Etenim, quod in primo libro de jure civium Romanorum docuimus, civitas aut ſingulis, aut univerſis alicujus oppidi incolis impertita eſt: univerſis autem ita, ſi aut Romam commigrarent, aut in patria ſua, id eſt, in municipio remanerent. quorum primi, & ſecundi cives Romani, tertii proprio municipum nomine ſunt ſignati. atque ille quidem a Romulo traditus, ut dixi, mos poſt ſæpiſſime eſt uſurpatus. Hanc vero conſuetudinem pop. Rom. poſt urbem a Gallis captam in temp. induxit. ſiquidem primi municipes fuiſſe feruntur Cærites, quos ob cuſtodita bello Gallico Romana ſacra civitatis Romanæ honore affectos accepimus. Municipes autem ex eo nominarunt, quod jus adepti eſſent cum populo Rom. munera capiendi. Quocirca præclare Ulpianus municipes proprie dictos prodidit, *qui in civitatem Romanam accepti, munerum participes fierent.* egregie etiam Paulus, qui *municipes appellatos, quod munera civilia caperent*, dixit. Munera vero illi nihil aliud, quam officiorum civilium jura vocarunt. Itaque municipes poſſumus ducere homines juris civium Romanorum participes, & municipium oppidum jure civium Romanorum donatum. quod, credo, alio nomine oppidum civium Romanorum vocavit Plinius, cum in Hiſpania citeriore eſſe dixit *colonias XII. oppida civium R. XIII. Latinorum veterum XVII.* & poſt: *in ora coloniam Barcinonem, oppida civium R. Betulonem, & Illuronem.* Municipii porro conſtituendi multo expeditior, atque proclivior ratio fuit, quam coloniæ deducendæ. quippe cum ad largiendam civitatem ſatis ſenatuſconſulto fuerit, & plebiſcito, id eſt, ut ex auctoritate ſenatus de ea ferretur ad populum. unde illa ſunt apud Livium de Privernatibus: *Ex auctoritate patrum latum ad populum, ut Privernatibus civitas daretur.* & de Campanis equitibus: *latum ad populum, ut cives Romani eſſent.* civitatis tamen communicandæ

arbitrium penes populum ita fuisse, ut etiam sine patrum auctoritate, cui liberet, civitatem dare posset, nescio an apertius ab aliquo tradi possit, quam a Livio traditum est alio loco, cum ait de Formianis, Fundanisque municipibus, *C. Valerium Tappum tribunum plebis promulgasse, ut iis suffragii latio esset; ei rogationi quatuor tribunos plebis, quia non ex auctoritate senatus ferretur, cum intercederent, edoctos, populi esse, non senatus jus, suffragiumque, quibus vellet, impertiri, destitisse incœpto*. Quæret forsitan aliquis, an vero rogatione de civitate perlata, confecta res erat? non equidem arbitror. Etenim si civitas cum suffragio data esset, præterea ut a censoribus in certam ex xxxv. tribubus conferrentur, requirebatur. Quæ quia ipsa per se satis a perta res est, uno mihi tantum confirmanda videtur exemplo. *Eo anno*, inquit Livius, *census actus, novique cives censi, tribus propter eos additæ Mæcia & Scaptia. censores addiderunt Q. Publilius Philo, Sp. Postumus*. Hi vero Lanuvini, Aricini, Nomentani, & Pedani fuerunt, quos cives bello Latino populus R. asciverat. An vero hoc perpetuum jus censorium fuerit, ut addubitem, verba illa Livii faciunt, cum ait, *rogationem esse perlatam, ut Fundani in Æmilia tribu ferrent. atque in hac tribu tum primum ex Valerio plebiscito a censoribus T. Quinctio, M. Claudio censos esse*. Hac enim lege tribus expressa est, in qua novi cives suffragium ferrent, non arbitrio censorum permissa. ex quo intelligi potest, jus ac beneficium civitatis totum a populo Romano esse profectum. atque hi quidem proprie municipes dicuntur fuisse, qui civitatis Romanæ compotes erant facti.

CAP. VII.

De jure municipiorum.

Ut autem coloniarum duo genera fuisse comperimus, ita & municipiorum. quam divisionem non aliunde, quam a juris dissimilitudine video emanasse. quandoquidem non eodem omnia municipia jure donata sunt. Etenim quanquam omnibus municipibus civitas est tributa, tamen quia civitatis, ut diximus, munera, sive jura diversa fuerunt, nec omnes municipes eodem modo omnia obtinuerunt, varietas juris dissimilitudinem quandam pepererit civitatis, necesse est. Quæ autem hæc juris diversitas fuit? nempe, quod alii jus tantum legionis, alii præter legionem reliqua omnia jura sunt consecuti. quam differentiam antiquos rerum Romanarum scriptores his verbis video expressisse, ut illis sine suffragio, his cum suffragio civitatem communicatam dicant. suffragium enim pro optimo jure civitatis acceperunt. nempe, quia nec suffragium est sine tribu, & qui suffragii jus habet, fere magistratus etiam habet. Primum autem municipum genus his mihi verbis prope depinxisse videtur Gellius, cum dixit, *municipes esse cives Roman. ex municipiis suo jure, & legibus suis utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes, a quo munere capessendo appellatos videri, nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi Romani lege astrictos, cum nunquam populus eorum fundus factus esset. primos autem municipes sine suffragii jure Cærites esse factos; concessumque illis, ut civitatis Romanæ honorem quidem caperent, sed negotiis tamen, atque honoribus vacarent pro sacris bello Gallico receptis, custoditisque. hinc tabulas Cærites appellatas versa vice, in quas censores referri jubebant, quos notæ caussa suffragiis privarent*. Quibus ex verbis perspicuum est, hoc genus municipiorum neque jus Quiritium habuisse, neque alias populi Rom. leges observasse, quod in his fit, *nulla populi Rom. eos fuisse lege astrictos, cum populus eorum nunquam fundus factus esset*. siquidem fundi populi erant, qui jus Quiritium asciverant. caruisse autem eosdem suffragio, & negotiis, atque oneribus civilibus vacasse, ex eo cognoscitur, quod ibidem scriptum est, *muneris eos honorarii tantum cum populo Romano fuisse participes*, id est, tantum honoris caussa in Romanam civitatem venisse. unde illud est Livianum, *Campanis equitibus, quia cum Latinis rebellare noluissent, honoris caussa civitatem sine suffragio datam*. honorem autem hoc loco, non magistratum vocant. neque enim qui suffragii non sunt compotes, honorum esse participes possunt, sed quendam dignitatis gradum, quod & cives Romani dicerentur, & in legione tanquam cives Romani, non in auxiliis ut socii, militarent. Quod extremum quanquam est a Gellio prætermissum, habet tamen aliorum veterum satis grave testimonium. hinc enim extiterunt illa jam trita Festi: *Municipes, qui ex aliis civitatibus Romam venissent, quibus non licebat magistratum capere, sed tantum honoris partem. at Servius filius ajebat initio fuisse, qui ea conditione cives Romani fuissent, ut rempublicam semper separatim a populo Rom. haberent, Cumanos videlicet, Acerranos, Atellanos, qui æque cives Rom. erant, & in legione mererent, sed dignitates non capiebant. Municipium id genus hominum dicitur, qui cum Romam venissent, nec cives Rom. essent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum una cum civibus Romanis, præterquam de suffragio ferendo, aut magistratu capiendo, sicuti fuerunt quondam Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuvini, Tusculani, qui post aliquot annos cives Rom. effecti sunt*. Patefactus est igitur locus, ut non difficile sit, videre, unum, ut dixi, genus fuisse municipum, qui cives Rom. essent ea conditione, ut nec suffragium ferrent, nec magistratus caperent, sed munus tantum honorarium obirent, id est, honoris caussa in legione stipendia facerent, ut cives, non ut socii in auxiliis. & quod de Cæritibus Strabo dixit, nomine, non re cives Romani essent. qui iidem quod suo jure uterentur, & magistratum Romæ neque alteri suffragio suo dare, neque ipsi alieno consequi possent, propterea dicuntur, rempublicam a Romana separatam habuisse.

Alterum genus municipum fuit, quibus cum suffragii latione civitas est data. quod intellexit item Festus, cum ad ea, quæ recitavimus, addidit: *Altero modo municipium dicitur, cum id genus hominum definitur, quorum civitas universa in civitatem Romanam venerunt, ut Aricini, & Anagnini*. his enim verbis eos notatos esse arbitror, qui in civitatem cum suffragii jure essent recepti, ut Tusculanos, Aricinos, Lanuvinos, ex quibus municipiis, antiquissimis etiam temporibus, honores Romæ amplissimos cepisse Coruncanios, Juventios, Catones, Murenas, Voconios, Scantinios accepimus. Ut autem quibus suffragium non dabatur, suæ leges permittebantur, sic qui suffragio ornabantur, legibus suis spoliabantur, Romanis vero obstringebantur, cujus rei nos inter alios videtur admonere Livius, cum ait, *Hernicorum tribus populis Aletrinati, Verulano, Ferentinati, quia maluerunt, quam civitatem, suæ leges redditæ*. & post: *Tentationem ajebant esse Æqui, ut terrore incusso belli, Romanos se fieri paterentur, quantopere optandum foret, Hernicos docuisse, cum quibus licuerit, suas leges Romanæ civitati præoptaverint, quibus legendi, quod mallent, copia non fuerit, pro pœna necessariam civitatem fore*. Quanquam quid dico Livium? nonne aperte idem ostendit Cicero in defensione Balbi, inquiens: *Cum sociis, & Latinis lege Julia civitas data est, magnam contentionem Heracliensium, & Neapolitanorum fuisse, cum magna pars in iis civitatibus juris*

sui libertatem civitati anteferret ? Qua ex re judicari potest, si illi populi leges suas Romanæ civitati ante tulerunt, eos accipienda civitate legum ac juris sui detrimentum fecisse. Unde illud etiam priscis est litteris consignatum, Latinos usque ad legem Juliam, id est, civitatem acceptam, jus quoddam sponsaliorum usurpasse; nempe, quia municipes facti, civitatis Romanæ, in quam ascripti essent, jura sequi essent coacti. Habebant ergo jura omnia municipes hi, quæ cives Rom. jure domicilii excepto. domicilium autem curiæ, curias sacra, & jura curiarum sunt consecuta. neque injuria. nam si curiæ tantum fuerunt in urbe, profecto qui extra urbem habitarunt, curiarum expertes fuerunt. ut libro etiam de jure civium Rom. primo est dictum. Si autem curiis vacarunt, profecto neque sacra habuerunt curiarum, sed municipalia. quæ tanta videntur confecta & culta esse religione, ut ea, ne si Romæ quidem, quod pro arbitrio poterant, sedem ac domicilium collocassent, propterea deserere possent. Itaque Festus probe, & docte municipalia sacra definivit, *quæ ab initio habuerunt ante civitatem Romanam acceptam, quæ observare eos voluerunt pontifices, & eo more facere, quo adsuevissent antiquitus.* Neque vero sacris tantum curialibus caruerunt, sed jure quoque suffragii curiatis comitiis ferendi vacarunt, quam diu in municipio, non Romæ domicilium habuerunt. Commodissima tamen horum fuit conditio, ac fortuna municipum. nimirum quod duas prope habuerunt patrias, unam naturæ, alteram juris. ex quo illa nota sunt Ciceronis in legibus: *Ego omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturæ, alteram juris. ut ille Cato, cum esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est. ita cum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris.* Item: *Avus quidem noster Cicero in municipio Arpinati restitit M. Gratidio ferenti legem tabellariam. quæ cum res esset ad se delata, Scaurus consul, Utinam, inquit, M. Cicero, isto animo atque virtute in summa rep. nobiscum versari, quam in municipali maluisses.* Quod autem patriam unam juris eos habuisse ait, nimirum civitatem Romanam intelligit, cujus eos jura, & privata, & publica usurpasse perspicuum est. primum enim legum de libertate beneficio sunt usi. quod ostendit idem, cum de Gavio Compsano, municipe a Verre prætore cæso, ita exclamavit: *Cædebatur in foro Messanæ civis Romanus: o nomen dulce libertatis, o jus eximium nostræ civitatis, o leges Porciæ, legesque Semproniæ.* deinde etiam connubiorum Romanorum jura sunt affecuti. id quod ex eo perspici potest, & quod sponsaliorum ratio apud Latinos, ut diximus, civitate accepta, sit commutata, & quod multi cives Romani, iidemque nobilissimi municipum filias in matrimonio habuerint. Quod si hæc duo, ut apparet, jura possederunt, quis dubitet, quin reliquas etiam juris Quiritium partes sint adepti, patriæ potestatis, hereditatum, mancipiorum, usucapionum, testamentorum, & tutelarum? Nam de publico jure nullus prope relinquitur controversiæ locus. Neque enim quenquam dubitaturum esse opinor, quin, si tribum habuerint, censeri etiam in ea potuerint. Quod me, cum ratio impellit, ut credam, tum etiam Livii auctoritas, qui scripsit, Formianos, & Fundanos in tribum Æmiliam conjectos in eo a censoribus Romanis Romæ eo anno esse censos. Quod si sunt censi, ad id certe sunt censi, ut cognita ex censu pecuniarum, & juniorum multitudine, in utroque officii genere reip. satisfacerent. Nam suffragii ferendi, ac magistratus petendi Romæ adeo certum jus municipes habuerunt, ut iidem & municipio, & in urbe magistratus interdum gesserint, quod non obscure declarat Suetonius, cum de Octaviis Veliternis municipibus differens ait, *proavum Augusti tribunum militum Punico bello fuisse, avum contentum municipalibus magisteriis, patrem Romæ præturam gessisse.* quid autem dico Suetonium? Cicero T. Annium Milonem Lanuvii dictatorem fuisse ait, tum cum Romæ consulatum petebat, & M. Cœlium, qui Romæ ædilis curulis, & prætor fuit, *summa omnia absentem Puteolis esse adeptum;* & alio loco, *se Marcum filium in Arpinati municipio ædilem creari voluisse ad constituendum municipium* inquit, cum ambo Romæ consulatum administrarint. Cum autem municipia jura hæc non sui arbitrii haberent, sed Romani, intelligendum est, non iccirco tamen eadem omnium municipiorum jura fuisse. adeo ut vere illud scripserit idoneus auctor Aggenus, antiqua municipia suum privilegium habuisse, ut alia iniquiore jure uterentur, alia solutiora essent, alia plus pensitarent. ex quo fonte illud Tullianum manavit in Verrem: *Quod tam immune municipium est, quod per hos annos commoda vocatione sit usum?*

CAP. VIII.

De republica municipiorum.

DEINCEPS sequitur, ut de republica municipiorum agendum esse videatur. Etenim quemadmodum in coloniis, eodem modo in municipiis quandam reip. speciem, atque imaginem fuisse animadvertimus. Quæret aliquis, quæ municipalis reip. forma fuerit? difficile est de singulis dicere. universum autem genus temperatum ex omnibus prope rebus publicis, & pæne Romanæ simile videtur fuisse. Nam si ordines quæramus, decuriones, equites, & plebem inveniemus; si consilia publica, in senatum, & populum; si magistratus, & sacerdotes, in dictatorem, II. viros, IV. viros, censores, ædiles, & quæstores, & flamines municipiorum incidemus. quæ tamen utrum omnia in omnibus fuerint municipiis, ego haud pro certo unquam posuerim. agamus autem de his sigillatim. Quod ad amplissimum ordinem municipalem attinet, perfacile judicium est, nisi a Tulliana recedamus auctoritate. sic enim ille egit, cum Cœlium adversus crimina inimicorum defendit: *Quod objectum est, municipibus esse adolescentem non probatum suis, nemini unquam præsenti Puteolani majores honores habuerunt, quam absenti M. Cœlio, quem & absentem in amplissimum ordinem cooptaverunt, & ea non petenti detulerunt, quæ multis petentibus denegarunt.* Summus autem ordo decurionum fuit, quorum insignis apud eundem extat memoria in Cluentiana, cum inquit: *Ex lacrymis horum existimare potestis, omnes hæc decuriones municipii Larinatis decrevisse lacrymantes.* & apud Cæsarem libro primo belli civilis, cum ait, *decuriones e municipiis a Domitio evocatos.* Ergo qui fuit senatus Romæ, idem in municipiis decurionum consilium. In quibus legendis video summam curam esse adhibitam. video autem apud idoneum omnis antiquæ memoriæ testem Ciceronem in epistola quadam ad Leptam: *Quæsivi e Balbo, quid esset in lege; rescripsit, eos, qui facerent præconium, vetari esse in decurionibus; qui fecissent, non vetari. quare bono animo sint tui familiares. neque enim erat ferendum, cum qui hodie haruspicinam facerent, in senatu Romæ legerentur, eos qui aliquando præconium fecissent, in municipiis decuriones esse non licere.* Ex decurionum autem ordine decem primi legebantur, qui, ut scriptum est apud Hermogenianum, tributorum exactioni ita præerant, ut si qua detrimenta fiscus mortuorum caussa contraheret, ipsi suis sumptibus resarcirent. neque vero hos tacitus præteriit Cicero; siquidem in Rosciana dixit: *Decretum sit*

A *decurionum, ut decem primi statim proficiscantur ad Syllam*. Cum autem equitum Romanorum Puteolis, & Teani Apuli, & Luceriæ, & Arpini mentionem in Cœliana, in Cluentiana, & in epistolis apud eundem inveniam, facile eo me adduci patior, ut credam, equitum etiam Romanorum ordinem in municipiis fuisse celeberrimum. cujus antiquitatis ne qua dubitatio in animis residere posset nostris, fecit idem, qui in Cluentiana equitem Romanum quendam in municipio suo nobilem commemoravit. Jam vero magistratuum summorum memoriam usurpat Spartianus, cum Imp. Hadrianum ait per Latina oppida dictatorem, & ædilem, & B duumvirum fuisse. Nam Milonem in municipio Lanuvino dictaturam gessisse, quis jam ignorat? An vero obscuri esse Quattuorviri possunt, qui sint Ciceronis memoria, & litteris consecrati? *Antonius consul*, inquit, cum scribit ad T. Pomponium, *evocavit litteris e municipiis denos, & quattuorviri venerunt ad villam ejus mane. cum esset nunciatum venisse Neapolitanos, & Cumanos, postridie redire jussit*. & in defensione Cluentii: *Oppianicus per Syllæ vim, atque victoriam Larinum cum armatis advolavit. Quattuorviros, quos municipes fecerant, sustulit; se a Sylla, & alios præterea treis factos dixit*. C quin etiam idem ad Quattuorviros, & decuriones Fregellanos scripsit petens, ut quam possessionem Valgius Hippianus ab iis in agro Fregellano emerat, eam immunem, & liberam esse vellent. Neque vero quattuorviros solum, sed duumviros quoque in municipiis fuisse invenio. hoc autem apud Cæsarem belli civilis primo, cum se *duumviris municipiorum omnium* ait *imperasse, ut naves conquirerent*. & alio loco, *aurum allatum ab duumviris Corfiniensibus Domitio reddidisse*. Censores item in municipiis creatos, argumento sunt tabulæ municipiorum censoriæ, quas Cicero in Cluentiana commemoravit, cum dixit: *Oppianicum tabulas publicas Larini censorias corrupisse, decuriones universi judica-* D *verunt*. Larinum enim fuisse municipium indicat, cum addit, *graviter id decuriones Larinatium, cunctosque municipes tulisse*. Quod idem in ceteris omnibus municipiis fuisse servatum, facile existimaverim, nisi forte insigni ac præcipuo aliquo crimine ejusmodi jure fuissent spoliata. Neque vero, quando me in hunc locum deduxit oratio, illud tacitus præteribo, in municipio ita censos esse municipes, ut si eis commodum esset, Romæ censeri etiam in tribubus possent, quas ab initio obtinuissent: quod ad speciem duntaxat, & juris usurpationem interdum fecerunt, ut post bellum Italicum civitate nuper accepta, in E censura Gellii, & Lentuli. quo anno cujuscunque modi multitudinem inquit Asconius ex municipiis convenisse, aut propter comitia suffragiorum caussa, aut ut censerentur apud censores. Jam ædiles in municipiis creatos docet Suetonius, qui de claris disputans dicendi magistris in Novariensi municipio ædiles tradit fuisse. Nam quæstorum meminit C. Gracchus in oratione, cujus memoria apud Gellium usurpatur, de legibus promulgatis; Flaminis Lanuvini Cicero in Miloniana. Atque his quidem magistratibus, ut in coloniis, item in municipiis uti prætextis permissum inquit Valerius adversus Catonem differens de lege Oppia abroganda apud T. F Livium. Age vero decurionum consilium senatus speciem retulit, quorum etiam decreta veteribus litteris, quod ex superioribus intelligi auctoritatibus potest, celebrantur, quid plebs, nonne populi? equidem arbitror. Hujus enim summum fuisse jus video in legibus ferendis, & magistratibus municipalibus creandis. unde pervulgata jam illa sunt Ciceronis in Legibus, *M. Ciceronem avum suum M. Gratidio in municipio legem tabellariam ferenti acerrime restitisse*. & in Cluentiana, *Oppianicum quattuorviros, quos municipes fecissent, sustulisse*. & in epistolis, *Transpadanos a Cæsare proconsule quattuorviros creare jussos esse*. Ergo cum corpus quoddam esset municipalis reip. etiam unde aleretur, & sumptus in repub. necessarii sustinerentur, publico vectigali opus fuit. Quocirca Cicero ad Cluvium de agro vectigali municipii Atellani, qui esset in Gallia, scripsit, & ad Brutum, de Arpinatis. sic enim dixit: *Arpinatum municipum meorum omnia commoda, omnesque facultates, quibus & sacra conficere, & sarta tecta ædium sacrarum, locorumque communium tueri possint, consistunt in iis vectigalibus, quæ habent in provincia Gallia. ad eas visendas, pecuniasque, quæ debentur, a colonis exigendas, legatos equites Romanos misimus*. Hic est autem ager, de quo, ut opinor, scripsit Livius lib. XLII. *terna jugera agri Gallici, & Ligustini sociis nominis Latini esse divisa*.

CAP. IX.

De municipiis ante bellum Italicum constitutis.

DEINCEPS nomina municipiorum litteris persequamur, quæ ante bellum Italicum floruerunt, ac quod fecimus in coloniis, id in municipiis quoque exponendis retineamus. Exordiamur autem a CÆRITIBUS, quos primos municipes prodit Gellius. Hi cum sacra populi Romani pie, casteque bello Gallico custodissent, merito anno CCCLXIII. in civitatem, sed sine suffragii ratione asciti sunt. cujus rei nomine populum Romanum accusat Strabo, quod optime meritos socios nomine tantum civitatis, non jure ornaverit. Livius autem nullo civitatis verbo facto, hospitium cum iis tantum publice junctum scribit. Anno inde CCCLXXIII. M. Furio Camillo sextum tribuno militum consulari, TUSCULANIS datam civitatem, his verbis idem tradit: *Tantum fere verborum a Tusculanis in senatu factum. pacem in præsentia, non ita multo post civitatem impetraverunt*. & post: *Incensos Latinos ea rabie impetus Tusculum tulit, ob iram, quod deserto communi concilio Latinorum non in societatem modo Romanam, sed etiam in civitatem se dedissent*: post anno CCCCXIV. *Tusculanis*, inquit, *servata civitas, quam habebant*. Habuisse autem eos civitatem cum suffragio, indicat post libro nono, cum narrat, *neminem ex tribu Pollia candidatum Papiriam ferre solitum*, quod Tusculani a tribu Pollia una condemnati essent. ex quo apparet, eos in tribu Papiria tulisse suffragium. Quod cum ita sit, satis liquere jam potest, jure Tusculum a Cicerone municipium antiquissimum dictum. sic enim inquit in Planciana: *Tusculani, quia refertum est municipium consularibus, nunquam de M. Catone, nunquam de Ti. Coruncanio municipe suo gloriantur*. Item: *Tu es ex municipio antiquissimo Tusculano, ex quo plurimæ familiæ sunt consulares, in quibus est etiam Juventia, quot e reliquis municipiis omnibus non sunt*. & in Fonteiana: *Generis antiquitatem Fonteii ex Tusculo clarissimo municipio profectam in monumentis rerum gestarum notatam videmus, tum autem continuas præturas*. Anno CCCCXV. L. Furio, C. Mænio coss. Latinis devictis relatum de singulis est, & pro cujusque meritis decretum. LANUVINIS civitas data, sacraque sua reddita, cum eo, ut ædes, lucusque Sospitæ Junonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Romano esset. ARICINI, NOMENTANI, & PEDANI eodem jure quo Lanuvini, in civitatem recepti. Hæc Livius. datam autem his esse cum suffragii latione civitatem, apparet ex verbis, quæ post subjicit; *eodem anno censum actum, novosque cives censos, tribus propter eos additas Mæciam, & Scaptiam. censores addidisse Q. Publilium, & Sp. Postumium*. cum enim in tribus eos conjectos ait,

A ſuffragiis jure affectos oſtendit. Quod autem eſt apud Livium de Aricinis, idem ſcriptum eſt etiam a Paterculo. unde Cicero Aricinum municipium antiquiſſimum in tertia in Antonium dixit: *Quis contemnat*, inquit, *Aricinum municipium, vetuſtate antiquiſſimum, jure fœderatum? inde Voconiæ leges, inde Scantiniæ, multæ ſellæ curules & patrum memoria & noſtra, hinc equites Romani lautiſſimi plurimi.* & Suetonius in Auguſto: *M. Atius Balbus paterna ſtirpe Aricinus multis in familia ſenatoris imaginibus functus honore præturæ eſt.* Quin etiam L. Licinium Murenam Cicero ex Lanuvio municipio antiquiſſimo in ejus defenſione ait fuiſſe, & T. Milonem in B Miloniana. Eodem autem etiam anno FUNDANIS, FORMIANISQ. quod per fines eorum tuta, pacataque fuiſſet via, civitatem ſine ſuffragio datam, ſuffragium autem anno DLXV. M. Valerio, C. Livio coſſ. impertitum, narrat Livius, cujus hæc verba ſunt: *De Fundanis, Formianiſque municipibus C. Valerius Tapus tribunus plebis promulgavit, ut his ſuffragii latio (nam ante ſine ſuffragio habuerant civitatem) eſſet. huic rogationi quattuor tribuni pl. quia non ex auctoritate ſenatus ferretur, cum intercederent, edocti, populi eſſe, non ſenatus, jus ſuffragiumque quibus vellet, impertiri, deſtiterunt incepto, rogatio perlata eſt, ut in Æmilia tribu ferrent. atque in hac* C *tribu tum primum ex Valerii plebiſcito a cenſoribus T. Quinctio Flaminio, & M. Claudio Marcello cenſi ſunt.* Eodemque anno CCCCXV. CAMPANIS EQUITIBUS honoris cauſſa, quia cum Latinis rebellare noluiſſent, civitas ſine ſuffragio data. CUMANOS, SUESSULANOSQUE ejuſdem juris, conditioniſque, cujus Capuam, eſſe placuit, ut Livius ſcriptum reliquit: nam in Velleji hiſtoria eſt, Campanis, & parti Samnitium civitatem ſine ſuffragio poſt quadriennium datam, Sp. Poſtumio, T. Veturio conſulibus. Anno inde CCCCXXI. A. Cornelio, Cn. Domitio conſulibus ACERRANOS Romanos factos lege a L. Papirio D prætore lata, qua civitas ſine ſuffragio eſt communicata, invenio. Vellejus tamen ſuffragium etiam conceſſum videtur ſignificare, cum eos a cenſoribus Sp. Poſtumio, & Philone Publilio in civitatem receptos ait. ſuffragium certe eos aliquando impetraſſe, tradit Feſtus. Poſt triennium vero PRIVERNATES in civitatem cum ſuffragii latione aſcitos, mihi videor ex Livianis poſſe verbis affirmare, quæ ſunt libro nono: *In hanc maxime ſententiam conſul inclinavit animos, identidem ad principes ſententiarum conſulares, ut exaudiri poſſet a pluribus, docendo, Eos demum, qui nihil præterquam de libertate cogitent, dignos eſſe, qui Romani fiant. itaque & in ſenatu* E *cauſſam obtinuere. & ex auctoritate patrum latum ad populum eſt, ut Privernatibus civitas daretur.* Eos autem in tribum Ufentinam conjectos docet Feſtus cum ait: *Ufentinæ tribus initio cauſſa fuit nomen fluminis Ufens. quod eſt in agro Privernati inter mare, & Tarracinam.* Lucretius: *Priverno Ufentina venit fluvioque Ufente.* poſtea deinde a cenſoribus alii quoque diverſarum civitatum eidem tribui ſunt aſcripti. Q. autem Marcio, P. Cornelio conſulibus, anno CCCCLVII. Hernicorum tribus populis Aletrinati, Verulano, Ferentinati, quia maluerunt, quam civitatem, ſuæ leges redditæ, connubiumque inter ipſos, quod aliquandiu ſoli Hernicorum ha- F buerunt, permiſſum. ANAGNINIS, quique arma Romanis intulerant, civitas ſine ſuffragii latione data; concilia, connubiaque adempta. Et triennio poſt, L. Genucio, Ser. Cornelio conſulibus, ARPINATIBUS TREBULANISQUE civitas impertita, ſed ſine ſuffragio. Itaque Arpinantibus, poſt ſuffragium eodem plebiſcito, quo Fundanis Formianiſque, eſt conceſſum: ipſique in tribum Corneliam ſunt tranſlati, in eaque a cenſoribus cenſi. Quo factum eſt, ut C. Marius Arpini natus & altus ante legem Juliam ſex Romæ geſſerit conſulatus. Anno verro CCCCLXVIII. M. Curio, & P. Cornelio conſulibus, SABINIS civitate ſine ſuffragio datam, narrat Paterculus: at vero CCCCLXXXV. in conſulatu P. Sempronii, & Ap. Claudii jus quoque ſuffragii eſſe communicatum. an vero tum in Sergiam tribum conjecti ſint, haud hercle affirmaverim. in ea certe ſuffragium Sabinos tuliſſe Cicero oſtendit in oratione in Vatinium, cum ait: *Ob haſce res ſcias, te ſeveriſſimorum hominum Sabinorum, fortiſſimorum virorum Marſorum & Pelignorum, tribulium tuorum, judicio notatum. nec poſt Romam conditam præter te tribulem quenquam tribum Sergiam perdidiſſe.* Bello inde Punico ſecundo de trecentis equitibus, qui in Sicilia cum fide ſtipendiis emeritis Romam venerant, latum ad populum, ut cives Romani eſſent: item ut municipes Cumani eſſent, pridie quam populus Campanus a populo Romano defeciſſet. Poſſumus etiam ſuſpicari TEANUM Sidicinum, CALES, & FERENTINUM ante legem Juliam civitate fuiſſe donata, ac municipia facta. ſiquidem C. Gracchus in ea oratione, quam de legibus habuit promulgatis, inter municipia Italiæ hæc omnia retulit, atque municipes ipſos a magiſtratibus Romanis verberatos, tamquam cives Romanos eſt conqueſtus.

Atque hæc quidem de municipiis ante bellum Italicum comperi. Addo ad extremum, municipii vocabulum etiam ante legem Juliam varie eſſe acceptum, ſiquidem & coloniæ, & fœderatæ civitates municipia dicta ſunt. Hinc enim illud manavit Livii bello Punico: *Ipſe per Appiæ municipia, quæque propter eam viam ſunt, Setiam, Soram, Lavinium præmiſit.* Et Ciceronis illud in epiſtolis de Neapoli: *Erat aſcriptus in id municipium ante civitatem ſociis & Latinis datam.* & tamen tum Setia, & Sora coloniæ, Neapolis fœderata civitas erat. ex quo intelligi poteſt, vere ſcriptum eſſe a Gellio hoc modo: *Municipes, & municipia verba ſunt dictu facilia, & uſu obvia, & neutiquam reperias, qui hæc dicat, quin ſcire ſe plane putet, quid dicat. quotus enim fere noſtrum eſt, qui cum ex colonia populi Romani ſit, non & ſe municipem eſſe, & populares ſuos municipes eſſe dicat? quod eſt a ratione, & veritate longe averſum.*

CAP. X.

De præfecturis.

SED quoniam de coloniis, & municipiis dictum eſt, deinceps de præfecturis, quarum perdifficilis, ac perobſcura quæſtio eſt, diſputandum videtur. perſequemur autem iiſdem veſtigiis veterem præfecturarum memoriam, quibus coloniarum, & municipiorum antea indagavimus. Inter omnes Italicas civitates præfecturarum conditio fuit, ac fortuna duriſſima. ſic enim a majoribus erat traditum, ut quæ civitates iniquæ ingrataeve erga populum Rom. fuiſſent, ac fidem datam ſemel atque iterum fefelliſſent, ubi in poteſtatem, ditionemque eſſent adductæ, in præfecturæ formulam referrentur. Formula vero præfecturæ non longe a provinciæ formula, de qua ſupra dixi, videtur abfuiſſe. ut enim quotannis in provincias prætores Roma mitti ſoliti, ſic in præfecturas præfecti, qui eas adminiſtrarent, ac jus dicerent. unde illæ quoque inſigne hoc præfecturæ nomen hauſerunt. Invenio tamen antiquiorem multo præfecturæ fuiſſe originem, quam provinciæ. ſiquidem prima præfectura fuit Collatia jam inde a L. Tarquinio Priſco rege conſtituta. Quam deditione facta in fidem veniſſe Livius; non eadem æquitate, qua Cruſtuminos, Nomentanoſque hoſtes, tractata, ſed armis ſpoliatam, ac pecuniis multatam, præſidium etiam cum præfecto accipere juſſam, Dioniſius auctor eſt. Hoc autem jus totum

A totum non populi, sed senatus fuisse comperio, nimirum, ut quemadmodum præmia, eodem modo pœnas civitatibus pro meritis illarum decerneret. quem morem non tam in præfecturis, quam in provinciis constituendis diligenter observatum, plurimis veterum exemplis, atque auctoritatibus admonemur. Quod si quis, quæ omnino fuerint præfecturæ, requirat, paucis ego rem expediam. auctorem quippe adhibebo Festum, qui præfecturas prodit vocatas, *in quibus & jus dicebatur, & nundinæ agebantur, & erat quædam earum respublica, neque tamen magistratus suos habebant, & in quas legibus præfecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent.* Neque vero B laudanda magni cujusdam hominis, & plurimum sibi in his litteris tribuentis sententia est, qui paullo ante in suo quodam aureo duarum pagellarum de provinciis commentario præfecturarum conditiones tantum esse prodidit duas: unam, ut ibi jus diceretur, alteram, ut nundinæ agerentur. hoc enim est forum, non præfecturam describere. cujus ratio tum demum plene, cumulateque perfecta erit cum non jurisdictionem solum, aut nundinationem dederimus, sed pro magistratibus præfectos ad jus dicendum concesserimus, & formam tamen aliquam liquerimus reipublicæ. Quod quidem aliter esse non C posse, post planius, ubi tractare de earum rep. cœpero, demonstrabo.

CAP. XI.

De jure præfecturarum.

Ex hac autem definitione satis apparet, præfecturas jure fuisse incommodissimo usas. Primum enim quid est, quod minus probari possit, quam præfecturas jure Quiritium esse donatas, quo multæ etiam coloniæ, multaque municipia caD ruerunt? deinde vero, qui possumus jus Latii, aut Italicum integrum eas retinuisse, existimare, cum præfectus Roma eo missus sit, qui jus pro arbitrio diceret, non præfecturæ legibus astrictus esset? nisi vero consentaneum alicui videtur, cives Romanos annuis prætoris urbani edictis devinctos fuisse, præfectos in præfecturis, qui locum prætoris obtinuerunt, jus liberum non dixisse. Nam quid dicam, præfecturam ne Latii quidem, aut Italici juris partem obtinere potuisse, cum speciem similitudinemque provinciæ gesserit, cujus jura longe a sociorum nominis Latini jure fuere diversa? Jus ergo, E ut puto, privatum omne ab edictis præfectorum Romanorum est profectum. quorum duo genera fuerunt, auctore Festo, *unum quattuorvirum, vel sexvirum, qui Romani populi suffragio creabantur, alterum, quos prætor urbanus in quæque loca mittebat legibus.* Publicum autem universum est a senatu petitum, nempe census, tributorum, vectigalium, & militiæ. quibus gravissimis præfecturas oppressas esse muneribus, verisimillimum mihi videtur. Nam suffragiorum, aut honorum ullam eas partem attigisse, quæ præmia civitatum bene meritarum haberentur amplissima, suspicari vix possumus. Neque vero F nego, præfecturam civitate Romana potuisse donari. illud dico, ad jus præfecturæ jus suffragiorum non pertinuisse; fieri tamen potuisse, ut aliqua præfectura in civitatem sit accepta, confirmo. quod de Arpino in primis libet suspicari. hoc enim & in præfecturis a Festo numeratur, & civitate donatum esse perhibetur. recte autem hercle utrumque. Nam & Cicero, cum inquit in epistolis, *solum ædilitatis magistratum Arpini creatum*, conditionem præfecturæ designat. quis enim jus dicit? ædilis? non videtur. an ut in municipiis quattuorviri? at, eo teste, non creantur. an præfecti Roma missi? ergo forma est præfecturæ, & cum civitate Romana affectum videmus, municipale jus ipsum statim agnoscimus. Licuit enim idem oppidum & præfecturam, & municipium esse: præfecturam quidem, quatenus eo præfectus jurisdictionis caussa mitteretur, nec in ea magistratus ad jus dicendum crearentur: municipium vero, quatenus jure civitatis, vel cum suffragio, vel sine suffragio uteretur. quemadmodum etiam coloniam in civitatem ascitam, & coloniam dictam invenimus, quia forma reipublicæ colonicæ utebatur, & municipium, quia suffragii jus Romæ ferendi erat adepta. unde illa profecta sunt in Antonium: *Lautissimum oppidum, nunc municipium, honestissimorum quondam colonorum Suessam fortissimorum militum sanguine replevit.*

CAP. XII.

De republica præfecturarum.

Jam vero, quod ait Festus, præfecturarum quandam fuisse rempublicam, ne incommode quidem dictum videtur. nam in præfecturis & consilia publica fuerunt, nec magistratuum aliquot ornamenta desiderata sunt. Neque vero hanc doctrinam quisquam ad Capuæ normam, aut exemplum dirigere universam debet. in quo multos errare animadverto. Etenim Capua, cum in præfecturæ formam est redacta, asperius multo est, quam ceteræ solerent præfecturæ, tractata. si quidem ita scriptum de ea invenio in annalibus Livianis: *Habitari tantum, tanquam urbem, Capuam, frequentarique placuit. corpus nullum civitatis, nec senatus, nec plebis concilium, nec magistratus esse. sine publico consilio, sine imperio multitudinem nullius rei inter se sociam, ad consensum inhabilem fore, præfectum ad jura reddenda ab Roma quotannis missuros.* Atque hoc idem etiam ante Livium tradiderat in agrariis Cicero, cum de Capua disputaret. *Statuerunt*, inquit, *homines sapientes, si agrum Campanis ademissent, magistratus, senatum, publicum ex illa urbe consilium sustulissent, imaginem reipub. nullam reliquissent, nihil fore, quod Capuam timeremus. itaque hoc perscriptum in veteribus monumentis reperietis, ut esset urbs, quæ res eas, quibus Campanus ager coleretur, suppeditare posset, ut esset locus comparandis condendisque fructibus, ut aratores cultu agrorum defessi urbis domiciliis uterentur, idcirco illa ædificia non esse deleta.* Hæc isti. Id autem ita esse, ut dixi, perspicuum est ex eo, quod progredientibus temporibus Capuæ consilium aliquod publicum videtur esse permissum, qui est conventus appellatus. id quod ostendit noster idem in Sextiana, cum ait: *Qua de caussa & tum conventus ille Capuæ, qui propter salutem illius urbis consulatu conservatam meo me unum patronum adoptavit, huic apud me P. Sextio maximas gratias egit, & hoc tempore iidem homines nomine commutato, coloni decurionesque beneficium P. Sextii testimonio declarant.* patet item ex eo, quod multa post Campanis beneficii loco, quasi ad pristinam levandam calamitatem videntur esse concessa. quale illud est, quod anno DLXIV. condonatum esse, prodit Livius: *Cum Campani, ubi censerentur, senatum consuluissent (nam antea incertum hoc fuerat) decretum, ut Romæ censerentur.* Itaque postero anno cum censores M. Marcellus, T. Quinctius ex hoc senatus consulto eos Romæ censeri coegissent, petierunt, ut sibi cives Romanas ducere uxores liceret, & si qui prius duxissent, ut habere eas, & ante eam diem nati, uti justi sibi liberi, heredesque essent. utraque res impetrata. Neque vero summus solum ordo, qui est conventus dictus, in præfecturis eluxit, sed etiam equester medius. quod uno

Plancii exemplo planum fieri poteſt. qui, ut inquit Cicero, *in Atinati præfectura ea vetuſtate equeſtris ordinis fuit, ut pater, avus, ut majores ejus omnes equites Romani fuerint, ſummum in præfectura honeſtiſſima gradum tenuerent*. Nam quid dicam de tertio plebis ordine? de quo ille eodem in loco ita pergit: *Atinas præfectura plena virorum fortiſſimorum, ſic ut nulla tota Italia dici frequentior poſſit. quam quidem nunc multitudinem videtis judices in ſqualore, & luctu ſupplicem vobis, hi tot equites Romani, tot tribuni ærarii (nam plebem a judicio dimiſimus, quæ cuncta comitiis affuit) quid roboris, quid dignitatis hujus petitioni attulerunt?* & pro Rabirio de perduellione: *Quid propinqui veſtri equites Romani, quid omnis præfectura?* Atque hæc quidem de ſummis præfecturarum conſiliis, & ordinibus hactenus. Magiſtratus autem alios eo Roma miſſos fuiſſe conſtat, alios e præfectura creatos; Roma miſſos, qui jus dicturi eſſent, quos præfectos appellarunt; creatos, qui publicæ curationi alicui præeſſent, ut ædiles, & quæſtores. Ac præfectos quidem Feſtus quattuorviros, aut ſexviros dictos tradit. Quos neſcio an recte eoſdem eſſe dixerimus, ac ſexprimos, quorum meminit Cicero in tertio de natura deorum, cum dixit, *L. Alenium ex agro Piceno chirographum ſexprimorum imitatum eſſe*: an potius ſexprimos in præfecturis decemprimis municipalibus reſpondiſſe putabimus. Quin etiam Fundanum præfectum prætorem ab Horatio nominari invenio in his verſibus:

Fundos Aufidio Fuſco prætore libenter
Linquimus, inſani ridentes præmia ſcribæ,
Prætextam, & latum clavum, prunæque catillum.

Neque enim audiendus eſt Acro, qui ibi prætorem pro duumviro accipiendum cenſet, ſiquidem præfecturas duumviros habuiſſe non eſt proditum.

Ædilem autem ad publica urbis loca ſarta tecta tuenda, & quæſtorem ad pecuniam præfecturæ publicam curandam in præfecturis eſſe creatum, valde probaverim. cum autem Feſtus, aut Livius magiſtratibus interdictum ſcribit, non quoſcunque intelligere, ſed eos, qui jure dicundo præeſſent, crediderim. Ejuſmodi vero ferme reip. forma hodierno die Italicæ pleræque civitates utuntur. ut cum præfectum a domino ad jura dicenda accipiant, qui, quod cum poteſtate ſit, vulgo Poteſtas appellatur, ipſæ tamen ædiles, quæſtoreſque ſuos e ſuo corpore creent, & in magnis ſæpe tenebris ſervitutis, ſpeciem tamen aliquam reip. lucemque libertatis aſpiciant, quæ partim in conſiliis publicis habendis, partim in quibuſdam civitatis vectigalibus pro arbitrio & colligendis ac in uſus civitatis conferendis, eſt collocata.

CAP. XIII.

De præfecturis ante bellum Italicum conſtitutis.

VERUM præſentem Italiæ ſtatum exquirere, nihil ſane ad hoc tempus. illud autem eſt inſtitutæ ſcriptionis, atque ſermonis, ut his cognitis, nunc quæ potiſſimum oppida a ſenatu Romano in præfecturæ quondam formulam ſint redacta, exponamus. Hujus autem antiquitatis indagandæ graviorem nobis curam ademit Feſtus, qui duo fuiſſe præfecturarum genera docuit, *unum, in quas præfecti irent a pop. Rom. creati, Capuam, Cumas, Caſilinum, Vulturnum, Liternum, Puteolos, Acerras, Sueſſulam, Atellam, Calatiam; alterum, in quas proficiſcerentur, quos prætor urbanus miſiſſet, Fundos, Formas, Cære, Venafrum, Allifas, Privernum, Anagniam, Fruſinonem, Reate, Saturniam, Nurſiam, Arpinum, aliaque complura*. Cujus pulcherrimum viri præceptum video egregia aliorum præterea multorum auctoritate, ac teſtimonio confirmari. Nam de Capua quæ non loquitur hiſtoria? Atellanos autem,

A & Calatinos, quod graviſſime multatos, quia Annibalem armis defendiſſent, prodat Livius, eandem fere, quam Campanos, pertuliſſe fortunæ conditionem poſſumus ſuſpicari. Quod idem de Cumis etiam, & Vulturno, & ceteris Campaniæ oppidis ego facile exiſtimaverim. Nam de Anagnia, & Fruſinone ſuſpicionem injicit Livius, cum inquit, *Anagninis, quique arma Romanis intulerant, civitatem ſine ſuffragio datam, & magiſtratibus, præterquam ſacrorum curatione, interdictum*. neque enim inter ſe pugnant, civitate donari, & magiſtratibus interdici, quorum alterum ad municipii, alterum ad præfecturæ jus pertinet; alterum præmii fere loco datur
B a populo, alterum pœnæ a ſenatu. id quod ſupra de Arpino diximus, & de Fulgino etiam judicamus. quippe cum Ciceronem in oratione pro Vareno Fulginum modo præfecturam, modo municipium videam nuncupare. Quin etiam *Reatinæ præfecturæ* extat apud eundem memoria in libris, quos ſcripſit de natura deorum, & *Atinatis* in Planciana. Neque vero paucas etiam in Piceno fuiſſe præfecturas, oſtendit libro primo de bello civili Cæſar, cum inquit, *Piceni cunctæ præfecturæ*, & Cicero, cum in Rabiriana illa nobili ait: *Quid propinqui veſtri equites Romani, quid omnis præfectura, re-*
C *gio, vicinitas veſtra, quid ager Picenus univerſus?* Ac de præfecturis quidem hæc vix e veteribus eruere litteris, ac priſcis annalium monumentis potuimus.

CAP. XIV.

De fœderatis civitatibus, & earum jure, & rep.

AN igitur, quæret aliquis, præter colonias, municipia, & præfecturas ullum aliud oppidi genus in Italia extitit, quod cum populo Rom.
D alicujus juris ſocietate devinctum fuerit? equidem opinor multa. ſed ea fere ante bellum Italicum, & civitatem Romanam acceptam omnia. Hæ ſunt civitates fœderatæ, quæ & oppida fœderata dicuntur. quas neſcio an commodius deſcribere poſſumus, quam ſi oppida, quæ neque coloniæ, neque municipia, neque præfecturæ eſſent, dicamus. Etenim, ſi verum quærimus, fœderata civitas aliquid ex fœdere populo Rom. debuit, in ceteris libera fuit. atque hoc intellexit quoque, ut opinor, Plinius, cum in Hiſpania citeriore deſcribenda dixit, oppida fuiſſe CCXCIV. fuiſſe in iis colonias XII. op-
E pida civium Romanorum XIII. Latinorum veterum XVII. fœderatorum unum, ſtipendiaria CXXII. hoc enim idem valet, ac ſi dixiſſet colonias, municipia, fœderata oppida, & præfecturas. Fœderata porro oppida in Italia fuere aut Latii fœdere obſtricta, aut Italico, aut Gallico. Latii, ut Tibur, ac Præneſte; Italico, ut Neapolis, Velia, & Heraclea; Gallico, ut Ravenna. Quæ cujuſmodi fœdera, juraque fuerint, ſatis ſuperiore libro eſt demonſtratum. nunc quod cœpimus, id eſt, de oppidis vel Latii jure, vel Italico fœderatis dicamus. Horum ut libertas major, ſic dignitas amplior, fuit. ſiquidem & minus, quam Gallica oppida fuerunt ob-
F noxia, & minorem populi rationem duxerunt. cujus libertatis ſatis argumento ſit, quod & ſuam rempublicam, & leges ſuas, & ſuos magiſtratus habuerunt. Itaque ſenatus, populique in iis oppidis, ut in liberis civitatibus, memoriam uſurpari videmus. quod, ne fruſtra ſingula perſequar, uno exemplo Capuæ confirmabo, de qua, cum adhuc fœderata, nec dum in præfecturæ formam eſſet relata, ita ſcriptum eſt apud Livium: *Annibal Capuam flectit iter, luxuriantem longa felicitate, atque indulgentia fortunæ. maxime tamen inter corrupta omnia licentia plebis*

sine modo libertatem exercentis, senatum & sibi, & plebi obnoxium Pacuvius Calavius fecerat. is cum forte eo anno in summo magistratu esset, jam diu infestam senatui plebem, ratus magnum ausuram facinus, ut, si in ea loca Annibal cum exercitu venisset, trucidato senatu traderet Capuam Pœnis, cum mallet incolumi, quam eversa rep. dominari, nullam autem esse incolumem orbatam publico consilio crederet, rationem iniit, qua & senatum servaret, & obnoxium sibi, ac plebi faceret. Quibus ex verbis & Campanam fuisse remp. & senatus, plebisque consilium, & summum in ea magistratum versatum esse cognoscitur. Quod idem de ceteris judicium faciendum est, quibus victis libertas a Romanis concessa fuisse dicitur, ut Tarentinis. Itaque animadvertere possumus, in civitates fœderatas exilii caussa commigrare civibus Romanis fuisse permissum, ut quæ liberæ essent, ac suam remp. in potestate haberent. Quod cum res ipsa testatur, & exempla exulum Romanorum, quæ in hoc genere colligi multa possunt, ostendunt, tum maxime Polybius libro sexto docet, quo loco formam Romanæ exprimit reipublicæ, addens, Tibur, Præneste, Neapolim, ut in liberas civitates, cives Rom. exilii caussa solum vertere solitos. quanquam illi non in oppida fœderata solum se contulerunt, sed sæpe in colonias etiam Latinas, id est, Latii, ut dixi, jure donatas. quippe quæ longius a civium Rom. jure abessent, quam Romanæ. hinc enim scitum illud est Ciceronis pro Cæcina: *In colonias Latinas sæpe nostri cives aut sua voluntate, aut legis multa profecti sunt. quam multam si sufferre voluissent, tamen manere in civitate potuissent.* Legum porro, ac magistratuum, quibus quæque civitas uteretur, ratio exquiri fortasse potest, inveniri vero in tanta vetustate qui potest? aliarum tamen alias leges, aliosque magistratus pro rerum, ac temporum ratione, & cujusque reip. genere fuisse, non est difficile intelligere. nam Tusculi dictator, & consul, antequam Tusculani in civitatem reciperentur, fuisse traditur. dictatoris meminit Livius libro VIII. & præter Livium Cato Originum libro secundo, cum ait, *Lucum Dianium in nemore Aricino Ægerium Lesbium Tusculanum dedicavisse, dictatorem Latinum*; consulis Plinius, cum scripsit libro septimo: *L. Fulvius inter insignia Tusculanorum rebellantium consul, eodemque honore, cum transisset, exornatus confestim a populo Romano, qui solus eodem anno, quo fuerat hostis, Romæ triumphavit ex iis quorum consul fuerat.* Narrat etiam Livius Capuæ, antequam deficeret, summum magistratum mediastuticum fuisse. alioque loco prætorem Capuæ Marium Blosium profitetur. quid quod Prænestinum prætorem commemorat, id est, ut ego interpretor, in bello præfectum. *Prænestinus*, inquit, *prætor per timorem segnius ex subsidiis suos duxerat in primam aciem*, & libro XXIII. *Prænestini cum suo prætore Manitio (scriba is antea fuerat) Præneste incolumes redierunt.* Quin etiam de censoribus licet aliquid suspicari ex eo, quod apud eundem est scriptum in historia anni DXXC. referenda. *L. Postumius consul*, inquit, *edixit, qui socium nominis Latini ex edicto C. Claudii consulis redire in suas civitates debuissent, ne quis Romæ, sed omnes in suis civitatibus censerentur.* Adjungamus his etiam ædilem, & quæstorem, quos a Latinis creatos, declarant ea Strabonis verba, quibus jus Latii definivit, ut qui ædilitatem, aut quæsturam apud Latinos gessissent, ii cives Romani essent. Quod autem supra dixi, fœderatos nullam fere populi Rom. rationem duxisse, id vere dictum esse, ex eo efficitur, quod ne magistratui quidem Romano apud se divertenti ex antiquo fœdere quidquam darent. quod ex hac Liviana narratione perspicitur, quæ est libro XLII. *L. Postumius consul iratus Prænestinis, quod cum eo privatus sacrificii in templo Fortunæ faciendi caussa profectus esset, nihil in se honorifice neque privatim factum a Prænestinis esset, priusquam ab Roma proficisceretur, litteras Præneste misit, ut sibi magistratus obviam exiret, locum publice pararet, ubi diverteretur, jumentaque, cum exiret inde, præsto essent. ante hunc consulem nemo unquam sociis in ulla re oneri, aut sumptui fuit. ideo magistratus mulis, tabernaculisque, & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis. privata hospitia habebant. ea benigne, comiterque colebant. domusque eorum Romæ hospitibus patebant, apud quos ipsis diverti mos esset. legati, qui repente aliquo mitterentur, singula jumenta per oppida, iter qua faciendum erat, imperabant. aliam impensam socii in magistratus Romanos non faciebant. injuria consulis etiamsi justa, non tamen in magistratu exercenda, & silentium nimis aut modestum aut timidum Prænestinorum jus velut probato exemplo magistratibus fecit graviorum in dies talis generis imperiorum.*

Atque hæc quidem tum erat Italicorum, Latinorumque oppidorum conditio. num autem eadem etiam Gallicorum? non, opinor. Nam cum Gallia provincia fuerit, profecto Gallica oppida præter magistratus suos quosdam prætorem etiam Romanum habuerunt, cui, ut præfecturæ præfecto, non jus solum dicenti, ac quæstiones exercenti, sed imperium etiam habenti, ut supra diximus, obedirent.

Caruisse autem fœderata oppida omnia jure civitatis Romanæ, illud argumento est, quod multos ex fœderatis civitatibus nominatim civitate donatos legimus. Age enim. Heraclienses fœderati erant, & quidem, ut inquit Cicero pro Archia, *æquissimo fœdere*: quod ictum esse C. Fabricio consule, Pyrrhi temporibus, scribit in Corneliana; itemque Camertes. Itaque bello Italico Heracliensium legionem, & Camertium cohortes duas P. Crassus civitate donavit. & P. Cæsium, qui vivebat Ravennæ, fœderato ex populo, Cn. Pompejus, & Aletrinensem fœderatum M. Crassus cives fecerunt. quæ omnia ad Balbi defensionem Cicero exempla adhibuit. ut etiam illa: *C. Cossinum Tiburtinum fœderato ex populo, damnato Cœlio, civem Rom. esse factum. & Cereris sacerdotes aut Neapolitanas fuisse, aut Velienses fœderatarum sine dubio civitatum.* at vero ante civitatem Veliensibus datam nominatim ad populum latum de Caliphana Veliense, ut ea civis Romana esset.

Finis erit hujus loci, si hoc addidero, fœderatarum civitatum aliquanto uberiorem, quam aliorum oppidorum, numerum extitisse. siquidem omnia Italiæ oppida præter colonias, municipia, & præfecturas, quas jam commemoravimus, in hunc numerum ascribenda sunt.

CAP. XV.

De foris, & conciliabulis.

EXTREMUM præceptum est de foris, & conciliabulis, quorum certam inter se differentiam vix in tam obsoleta rerum antiquissimarum memoria inveniri posse existimo; quærere tamen, atque indagare, utile admodum esse puto. Itaque, quoniam rerum omnium ea conditio est, ut veritas earum crassissimis circumfusa tenebris sine summa contentione erui non posse videatur, nos, quid in re prope ab omnibus, incredibili ipsius, ut arbitror, difficultate, deserta, proficere possimus, omnibus ingenii viribus contendamus. Sic igitur statuendum est, fori significationes, quæ multæ a Festo colliguntur, duas videri præcipue hanc disputationem attingere; unam, cum pro juris loco; alteram, cum pro nundinationis accipitur. Prioris significationis item mentio fit in

commentariis Nonii de sermone Latino, cum ait, *Fora locos fuisse, in quibus jus diceretur*. Quod praeceptum notis illis dicendi generibus video comprobari, *forum indicere, & forum agere*. Forum enim indicere praetores dicebantur, cum locum jurisdicundi, qui conventus dicebatur, designabant quod & intellexit Virgilius, inquiens: *Indicitque forum, & partibus dat jura vocatis*, & eum versum interpretans scriptum reliquit Servius: *Forum autem agere, cum conventum in provincia jurisdicundi caussa habebant*. Quaeret aliquis, quem istum Romani conventum appellarint: respondebo, quemadmodum nuper Joanni Sario Zamoscio Polono eximiae doctrinae, excellentisque ingenii juveni, de me quaerenti respondi, conventum fuisse, ut Institutionum libro primo apertissime demonstravit Theophilus, certum tempus, ac statum litium dirimendarum caussa inventum. Cum enim tempus omne anni Romani praetores bello gerendo consumerent, tum hieme ac tempestatibus ejus ab armis recedere coacti judiciis operam dabant, multis ad id judicibus, qui controversias eas deciderent, constitutis, qui Recuperatores sunt appellati. dictus est autem conventus, quod eo judices, & litigatores convenirent. extremo autem conventus die consilium habebatur. in quo procedebat praetor in proprio sedens tribunali, eique viginti viri, qui peregrini recuperatores dicebantur, assidebant. Itaque quod Caesar se ex ulteriore Gallia in citeriorem ad conventus peragendos venisse scribit, interpretatur Hirtius is, qui Caesarianam supplevit historiam, ad jus dicendum, Caesarem scribens superiore anno jus in Gallia citeriore dixisse. Hoc autem dicendi genus frequentavit Cicero in epistolis, conquerens, Ap. Pulchrum Ciliciae proconsule forum egisse Tarsi, statuisse, decrevisse, judicasse, cum ipse successor ejus jam provinciam attigisset. & alio loco, narrans, se egisse forum Laodiceae omnium dioecesium praeter Ciliciae. quod est aliud nihil, quam jus dixisse. unde alibi dixit, se Q. Volusium in Cyprum misisse, ut ibi pauculos dies esset, ne cives Romani pauci, qui illic negotiantur, jus sibi dictum negarent. Jurisdictio autem ad privatas controversias, & omnino ad jus Quiritium tuendum pertinere, eo, quo jura civium Rom. persecuti sumus, libro ostendimus. Itaque cum in foris jus dictum tradimus, prorsus quaestiones publicas removemus. quas non in foris Italicis, sed Romae cognitas fuisse, nisi quid forte extra ordinem factum sit, arbitramur. id quod in Bacchanalium quaestione usu venisse narrat Livius. *Eadem solitudo*, inquit, *quia Romae non respondebant, nec inveniebantur, quorum nomina delata erant, coegit consules circa fora proficisci, ibique quaerere, & judicia exercere*. Altera, ut dixi, fori significatio locum nundinationis amplectitur, quem praetores in provinciis indicere, Servio teste, soliti erant. Atque hoc idem jus video ad praedia etiam privata interdum translatum. siquidem inquit Suetonius, *Claudium Imperatorem jus nundinarum in privata praedia a consulibus petiisse*; & Plinius in epistola ad Valerianum scribit, *virum praetorium a senatu contendisse, ut sibi instituere in agris suis nundinas permitteretur*. Haec autem loca proprio vocabulo non fora, sed distinctionis gratia conciliabula dicta esse invenio. nimirum, ut tradit Festus, *quod eo in concilium veniretur*. unde est illud Livii libro septimo, *legem latam ne ambiendi magistratus gratia nundinas, & conciliabula obire liceret*. nempe enim intelligebant, cives Romanos, qui in agris versarentur, eo frequentes mercandi, ac vendendi caussa convenire solere. Fuisse vero loca ejusmodi, in quibus jus diceretur, alia, in quibus nundinae tantum agerentur, ostendit idem aperte, cum ait alio in loco, *ex vicis partim habuisse rempublicam, & jus dictum, partim nihil eorum, & tamen ibi nundinas actas*.

A Quo fit, ut haec duo conjuncte saepe a veteribus proferantur, ut a Livio lib. XL. *Decemviri supplicationem in biduum valetudinis caussa in Urbe, & per omnia fora, & conciliabula edixerunt*. & libro XXV. *Senatus triumviros binos creari jussit, altero, qui citra, alteros, qui ultra quinquagesimum lapidem in plateis, forisque, & conciliabulis, omnem copiam ingenuorum inspicerent*. In conciliabulis tamen aliquando aeque, atque in foris jus dictum, veteres leges indicant. una in libris de limitibus: *cum curator hac lege non erit, tunc quicunque magistratus in ea colonia, municipio, praefectura, foro, conciliabulo juredicundo praeerit, ejus magistratus de ea re*
B *jurisdictio esto*. altera aenea: *In oppidis, foris, conciliabulis, ubi juredicundo praeesse solet*. nam quaestiones ibi extra ordinem exercitatas, Livius indicat libro XXXIX. cum C. Maenium pr. quaestiones veneficii per municipia, conciliabulaque habuisse, scribit. Ut autem colonias, & praefecturas, item fora, & conciliabula ad jus municipiorum redigi potuisse, non obscure Frontinus in libro de limitibus declaravit, cum ita scripsit: *Quod si ad haec revertamur, hoc conciliabulum fuisse fertur, & postea in municipii jus relatum. nam omnia antiqua municipia suum habent privilegium*. & Aggenus: *Sunt loca publica*
C *coloniarum, ubi prius fuere conciliabula, & postea sunt in municipii jus relata*. Atque haec quidem, quod ad jus Italiae pertinet, de foris, & conciliabulis dicta sint.

Nunc quoniam multa in Italia oppida fuerunt, quae fori nomen tulerunt, ut Forum Appii, Forum Cassii, Forum Livii, Forum Cornelii, & alia generis ejusdem, nihil alienum me ab hujus disputationis officio arbitror esse facturum, si hoc loco, quid de toto hoc genere sentiam, aperuero, atque harum pulcherrimarum artium obscuras, & inusitatas vias omnibus, quoad ejus fieri poterit, vestigiis indagatas patefecero. Quod igitur quaedam hujus
D nominis, & appellationis in Italia oppida fuerint, id totum e more, institutoque Romanorum est repetitum. de quo neminem arbitror esse dubitaturum, qui tritas aures veterum nominum Romanorum usu ac consuetudine habeat. Cur autem, aut quando singula eorum sint constituta, vix equidem adhuc nisi levi suspicione attingere potui. Nam, quoniam forum & juris, & nundinationis sedes fuit, factum est, ut ad credendum adductus sim omnia ejusmodi fora, aut quia juris, aut quia negotiorum domicilia fuerint instituta, id nominis invenisse. Hoc autem ita esse, probatur etiam exemplo Regii Lepidi, Galliae citerioris oppidi, quod
E ita dictum prodit Festus, quia ibi forum habuerit Lepidus. Regium autem cum dicebant, quid aliud, quam basilicam intelligebant, id est, locum, in quo jus, ut Romae in basilicis, dicebatur? Quocirca Strabo Rhegium Bruttiorum oppidum ambigit, an ab eo nuncupatum sit, quod esset quasi regia, sive, ut Graeco verbo utar, basilica. Cum ergo hoc constet, jam nullam illud habet dubitationem, Forum Appii ab Appio, Cassii a Cassio, Cornelii a Cornelio esse ut appellatum, sic etiam constitutum. at a quo Appio, Cassiove (nam plurimi ejus nominis Romae fuerunt) nihil praeter conje-
F cturam afferre possum, quam nunc non invitus exponam. Me igitur ad hanc opinionem diuturna, ac diligens Romanae observatio antiquitatis adduxit, ut credam, ejusmodi pleraque fora aut a censoribus, aut a praetoribus Romanis condita esse: censoribus, cum vias in Italia sternerent; praetoribus, cum bellum gererent, aut provincias obtinerent. Cur enim cum in Appia via Appii forum, in Flaminia Flaminii, in Aurelia Aurelii, in Aemilia Lepidi fuisse, teste Antonino inveniam, aut aliter possum existimare, aut non ab eodem, a quo via strata est, Forum esse instructum putare? Viam autem Appiam

Ap. Claudius Cæcus censor, quod inter omnes constat, a porta Capena usque ad oppidum Capuæ munivit anno urbis CDXLI. Nam Flaminiam Livius, Cassiodorus, & Festus a C. Flaminio censore anno DXXXIII. stratam litteris prodiderunt. ea vero a porta Flumentana per Umbriam Ariminum usque perducta est. ut qui Flaminius agrum Gallicum cis Ariminum in tribunatu diviserat, Gallos cisalpinos in consulatu devicerat, idem in censura ad finem usque ejusdem agri viam perduxerit. aliam inde Flaminiam viam C. Flaminius hujus filius in consulatu stravit a Bononia usque Arretium, eaque cum Æmilia ad Bononiam est conjuncta. quod in Annalibus Livianis est scriptum. nam aliter est apud Strabonem, qui eam ab Urbe Ariminum usque perducit. Viam Aureliam ab Urbe per Etruriam usque ad Pisas deducit Antoninus. in eaque Forum Aurelii collocat, ea vero a censore C. Aurelio Cotta (loquor, ut opinor. neque enim præter conjecturam quidquam habeo) anno DXII. est strata. M. autem Æmilius Lepidus is, qui bello Gallico confecto viam Æmiliam ab Arimino Placentiam munivit, cum forum, teste Festo, in agro, qui est inter Mutinam, Parmamque haberet, Regium Lepidi in via Æmilia suo insigne cognomine reliquit. Atque hoc idem de Foro Claudii, & Foro Cassii possumus suspicari, quippe cum viam Claudiam, Cassiamque per Etruriam ductas, & Forum Claudii, Cassiique Etruriæ fuisse oppida liquet, & aliquot Claudii, Cassiique censores fuerint, a quibus ut vias munitas, sic fora condita esse, consentaneum sit. Jam vero Forum Cornelii a Cornelio Sylla constitutum scribit Prudentius: *Sylla forum statuit Cornelius, hoc Itali urbem vocant ab ipso conditoris nomine*. Conditum autem existimo bello civili, tum cum Sylla Carbonem, exercitu ejus ad Faventiam cæso, Italia expulit; ut Livius, & Appianus prodidit. ut autem Forum Cornelium a Cornelio, sic Forum Sempronii a Sempronio Sopho, qui Picentes in ditionem populi Rom. redegit, Forum Livii a M. Livio Salinatore, qui eam provinciam adversus Asdrubalem tenuit, Forum Fulvii in Liguribus ab aliquo eorum Fulviorum, qui cum iis populis bellum gesserunt, esse constituta, nisi si quis gravem veteris alicujus scriptoris auctoritatem opposuerit, facile opinione mihi patiar persuaderi. Forum autem Julii in Carnis a C. Julio Cæsare conditum crediderim, tum cum Galliam ulteriorem, citerioremque pro consule obtinuit. quod idem de

A Foro Julio Galliæ Narbonensis existimo. neque enim eos audire possum, qui hæc Cæsaris esse Augusti monumenta putant. quorum ab auctoritate cur discedam, id est caussæ, quod Forum Julium Narbonense in epistolis Planci, multo ante, quam Cæsar Augustus imperio potiretur, invenio celebrari. Adde quod quæ Augustus monumenta reliquit, ea non Julii, sed Augusti nomine signavit, ut in Hispania Foro Augustanam civitatem, & Augustam Emeritam, in Italia Augustam prætoriam, Augustam Taurinorum, nulla alia de caussa, nisi ut ea a patris Julii monumentis secerneret. Cæsar autem

B duobus in extremis provinciæ suæ finibus duo fora videtur constituisse, unum in ulteriore Gallia, alterum (ut diserte scribit in secundo de Longobardis Diaconus) in citeriore. Cur autem hoc ipse, vel ceteri Romani factitarint, equidem honestam quandam laudis, & gloriæ cupiditatem mihi videor afferre posse, qua præter ceteras gentes populus Romanus semper flagravit. ut qui armis, atque assidua bellorum contentione gentes omnes devicerant, iidem in terris non solum nobilissima victoriæ monumenta posteris proderent, sed suo etiam, per quos egregii aliquid gestum esset, nomine libenter ad æternitatem ornarent. hinc viæ, hinc aquæ, hinc

C thermæ, hinc arcus, hinc fornices extiterunt. quæ qui curarunt, ac construxerunt, eximio quodam immortalitatis amore ac studio ducti suo nomine insignita in perpetuum esse voluerunt. Quod idem de foris etiam conditis videtur esse judicandum. quæ a principio ad usum vel juris, vel nundinarum instituta, post incolarum numero aucta, tectis frequentata, oppidi formam accepisse, ac fori tamen nomen, pristino jure amisso, ac meliore alio parto, videntur usurpasse.

Quibus ex rebus breviter disputatis intelligi potest, non solum quod jus singulorum & oppidorum, & locorum Italiæ fuerit, sed etiam Italiam

D nullo modo per proconsules, ut tradidit Appianus, fuisse administratam. Neque enim cum a coloniis, municipiis, præfecturis, fœderatis civitatibus, foris & conciliabulis recesserimus, ulla alia in Italia loca reperiemus, quæ ipsa jam nulli proconsulum imperio, aut potestati fuisse permissa ostendimus. Hæc autem administrationis ratio usque ad Imp. Hadrianum videtur integra permanasse. cujus instituto Italiæ regiones præsidum, consularium, & correctorum imperio regi sunt cœpta. Quo de jure nobis non est in libris propositum disputare.

CAROLUS SIGONIUS
DE
ANTIQUO JURE ITALIÆ.

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

De civitate Latinis atque Italicis data.



INGREDIENTI mihi eam disputationem mandare litteris, quam de universo Italiæ post bellum Marsicum jure me hoc tertio libro expositurum esse professus sum, jucunda sane cogitatio alacritatem mihi perficiendæ rei attulit incredibilem. Etenim, quoad respicere longissime poteram, inde usque memoriam præteriti temporis repetens, videbam, hoc studium, quod ab omnibus olim desertum jam penitus obsoleverat, tanta nuper celebrari, atque excoli diligentia esse cœptum, facile ut sperandum sit, brevi fore, ut vetus Romanarum rerum notitia, quæ diu terris exterminata omnibus, prope in tenebris jacuit, in antiquas tandem sedes tanquam postliminio restituta, pristinum & splendorem, & veterem gradum dignitatis obtineat. Quod si iis, qui in hoc rectissimum studium, atque in hanc honestissimam curam incubuerunt, laus, aut gratia est aliqua tribuenda, ego in primis Octavio Pantagatho, & Paullo Manutio, viris summo ingenio, & excellenti doctrina præditis, maximam sane tribuendam esse censuerim: quod, cum artis hujus præstantiam admirati ad eam animum adjunxissent, alter doctissimis sermonibus Romæ uberrimum hujus doctrinæ seminarium fuit, alter Venetiis ornatissimis ingenii sui monumentis non modo nostrorum hominum, sed exterorum etiam studia commovit. neque enim parum multos hodie in Italia, atque adeo in tota Europa esse intelligo, qui hujus disciplinæ pulchritudine capti omne suum in ea studium, omnem operam, atque industriam ponant. quorum si quando monumenta laborum, vigiliarumque prodierint, nihil erit, opinor, caussæ cur in hoc facultatis genere, quæ nobis a veteribus tradita sunt, maxime requiramus. Quo ego tam præclaro doctorum hominum judicio confirmatus, eo erectiore atque alacriore, ut dixi, animo ad hæc ipsa, quæ institui, persequenda aggredior. neque enim vereri possum, quenquam tam iniquum judicem in me futurum, ut, quanquam intelligat, plus me sustulisse oneris, quam meæ imbecillæ sustinere vires possunt, plus tamen a me postulet, quam vel ipse per me consequi possim, vel hujus ratio ac natura disciplinæ concedat. Sed ad propositum revertamur.

Italiæ statum a bello Italico usque ad Augustum imperatorem hoc tertio libro mihi proposui demonstrandum. quo tempore melius aliquanto jus ipsa, quam antea obtinuerat, est adepta. Ut autem superiora jura ex legibus fœderum, fœdera ex bellis fluxerunt, sic hoc quoque, quod optimum jus Italiæ voco, lex Julia peperit, qua civitas Latinis, atque Italicis est concessa. Ad largiendam vero his civitatem populus Romanus Italici belli difficultate, periculoque compulsus est. Quod cum ita sit, relinquitur A profecto, ut caussam ejus belli, ipsumque bellum, & fœdus, & fœderis conditiones exponam, ni ab instituto discedere susceptæ disputationis velim. sic enim facilius, quo modo Latini, Italicique in civitatem, qui est hujus sermonis ac doctrinæ finis, asciti sint, apparebit.

Cum ergo, ut rem altius repetam, hoc jure Latini, atque Italici essent, quod, quemadmodum dixi jam toties, civitatis Romanæ jure incommodius erat, propterea de eo amplificando, atque ad optimum jus civium Romanorum redigendo iterum ac sæpius agitarunt, idque a senatu negatum ad extremum aperta defectione vi & armis extorserunt. B Hoc autem ipsum quantopere concupiscerent, atque adeo rationibus suis accommodatum existimarent, jam inde ab anno DLVIII. maximum, ac certissimum illi documentum dederunt, cum, M. Catone, L. Flacco consulibus, novum jus Ferentinates tentarunt, *ut Latini*, quod scriptum est apud Livium, *qui in coloniam Romanam nomina dedissent, cives Romani essent*. Puteolos autem, Salernumque, & Buxentum ascripti coloni, qui nomina dederant, cum ob id se pro civibus Romanis ferrent, senatus judicavit, non esse eos cives Romanos. Itaque cum vulgo per migrationem & censum, quod præcaveri consilio non potuerat, sedibus ac C penatibus suis furtim Romam traductis clam in civitatem irreperent, visum est faciendum senatui, ut tantæ licentiæ quasi fræna quædam injicerentur, atque in suas quique sedes redigerentur. Quare cum an. DLXVI. Lepido, & Flaminio consulibus, legati socium Latini nominis, qui toto undique ex Latio convenerant, magnam multitudinem civium suorum Romam commigrasse, ibique censos esse quererentur, Q. Terentio Culeoni prætori negocium, eodem teste Livio, datum est, ut eos conquireret, & quem C. Claudio, M. Livio censoribus, postve eos censores, ipsum, parentemve ejus apud se censum D esse, probassent socii, ut redire eo cogeret, ubi censi essent. qua conquisitione duodecim millia Latinorum domos redierunt, jam tum multitudine alienigenarum Urbem onerante. Neque vero mirum videri cuiquam debet, his legibus, atque edictis ad Italicorum, qui Romam commigrarent, multitudinem cohibendam tum opus fuisse. Nam cum recentibus victoriis, Punica, Macedonica, atque Asiatica, omnium gentium consensu, universi terrarum orbis imperium Romæ esset constitutum, nusquam se Itali melius, atque honestius, quam in ipso imperii domicilio fore arbitrabantur.

Itaque cum vulgo oppida, agrique desererentur, E tum, anno demum DLXXVI. C. Claudio, Ti. Sempronio consulibus, legationes, ut idem inquit Livius, socium nominis Latini, quæ & censores, & priores consules fatigaverant, tandem in senatum introductæ, questæ sunt, cives suos Romæ censos, plerosque Romam commigrasse. quod si committeretur, perpaucis lustris futurum, ut deserta oppida, deserti agri nullum militem dare possent. Fregellas quoque quattuor millia familiarum transisse ab se Samnites, Pelignique questi sunt. neque eo minus aut hos, aut illos in delectum milites dare. Genera

autem fraudis, ut idem addit, duo mutandæ civitatis inducta erant. Lex sociis, ac nominis Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat, ut cives Romani fierent. ea lege male utendo alii sociis, alii populo Romano injuriam faciebant. Nam & qui stirpem domi relinquerent, liberos suos quibuscunque Romanis in eam conditionem, ut manumitterentur, mancipio dabant, libertinique cives essent: & quibus stirps deesset, quam relinquerent, ii cives Romani fiebant. postea his quoque imaginibus juris spretis, promiscue, sine lege, sine stirpe, in civitatem Romanam per migrationem, & censum transibant. Hæc ne postea fierent, petierunt legati, & ut redire juberent in civitates socios, deinde ut lege caverent, *ne quis quem civitatis mutandæ caussa suum faceret, neve alienaret, & si quis ita civis Romanus factus esset, civis non esset*. Hæc impetrata ab senatu. legem C. Claudius sociis ex S. C. tulit, & edixit, qui sociis, ac nominis Latini ipsi majoresve eorum M. Claudio, T. Quinctio censoribus, postque ea apud socios nominis Latini censi essent, ut omnes in suam quisque civitatem ante Kalend. Novembris redirent. Quæstio, qui ita non redisset, L. Mummio prætori decreta est. Ad legem & edictum consulis adjectum est, ut dictator, consul, interrex, censor, prætor, qui tunc esset apud forum, darent operam, ut qui manumitteretur, jusjurandum daret, qui eum manumitteret, civitatis mutandæ caussa manu non mittere. qui non juraret, eum manumittendum non censuerunt. Hæc in posterum caussa, jurisdictioque C. Claudio consuli decreta est. Quo tempore L. Papirium Fregellanum orationem pro Fregellanis, & colonis Latinis in senatu habuisse, Cicero prodit in Bruto. Itaque cum quadriennio post censores Q. Fulvius, A. Postumius censum agerent, minorem aliquanto, quam superiore lustro, numerum invenerunt, quia L. Postumius consul pro concione edixerat, qui socium nominis Latini ex edicto C. Claudii consulis redire in suas civitates debuissent, ne quis eorum Romæ, sed omnes in suis civitatibus censerentur. Has autem insidias, atque aucupandæ Romanæ civitatis fraudes nimirum intellexit noster idem, cum de Balbo civitatis reo dixit: *Non furatus esse civitatem, non genus suum ementitus, non in aliquo impudenti mendacio delituisse, non irrepsisse in censum dicitur*.

Post legem Claudiam non multis annis lata est Papia de civitate. quæ tamen quo potissimum anno sit lata, cum eorum temporum una cum veterum annalium monumentis memoria evanuerit, nobis parum compertum est. Hæc autem lex hoc amplius videtur habuisse, quam Claudia, quod Claudia non nisi sociis nominis Latini esset lata, Papia etiam peregrinis, cum eodem illi fortasse civitatis Rom. adipiscendæ studio, atque hi, efferrentur. si quidem Mamertini, quod oppidum in Sicilia est, hujus legis beneficio M. Crassum, qui se Romæ pro cive ferebat, Messanam revocare sunt conati. cujus rei Cicero, cum Balbum defenderet, exemplum adhibuit. *Cum judices*, inquit, *præ se ferrent, palamque loquerentur, quid essent lege Papia de M. Crasso Mamertinis repetentibus judicaturi, Mamertini publice suscepta caussa destiterunt*. Quid quod hac etiam lege damnatum M. Perpernæ ejus, qui anno DCXXIII. consul fuit, patrem prodit Valerius? *M. Perperna*, inquit, *consul ante quam civis. cujus enim vita triumphavit, mors Papia lege damnata est. namque patrem illius nihil ad se pertinentia civis Romani jura complexum, Sabelli judicio petitum, redire in pristinas sedes coegerunt*.

Eodem ergo tempore, cum hunc rerum statum Italia obtineret, Ti. Gracchus tribunatum pleb. adeptus est anno Urbis DCXX. in quo etsi alia parum fortasse e republ. promulgavit, illud tamen ad imperium constituendum aptissime, quod animos Italicorum, ac sensus intimos perscrutatus, civitatem Italiæ, quod extat apud Paterculum, est pollicitus. quam tamen legem, ante ab optimatibus interfectus, ferre non potuit.

Anno DCXXVII. M. Junius Pennus (hic Lepido, & Oreste consulibus, teste in Bruto Cicerone, ad tribunatum plebis accessit) legem tulit, quæ non ad civitatem, & socios, id quod nunc quærimus, sed ad peregrinos Urbe ejiciendos, & usu ejus prohibendos pertinuit. Quam quidem legem commemorat Festus. quippe a quo testis citatur C. Gracchus in ea, quam scripsit de lege Penni de peregrinis, vituperat autem Cicero in tertio de officiis: *Male, inquit, qui peregrinos urbibus uti prohibent eosque exterminant, ut Pennus apud patres nostros. usu enim urbis prohibere peregrinos, sane inhumanum est*.

Hoc vero tempore palam atque aperte Italicos jus civitatis Rom. tentare cœpisse, neque ante, quam id obtinuerunt, conquievisse invenio. Etenim cum agraria Ti. Gracchi lege se vetere agrorum suorum possessione everti viderent, & P. Scipionem Æmilianum, quo uno patrono eos se retenturos esse confiderent, insidiis inimicorum e medio sublatum esse, ipsi una cum locupletibus Romanis omnibus indignissime ferrent: non defuerunt, qui Romæ ad incitandam ad agros defendendos Italiam, dandæ illis civitatis auctores essent. Quod Italici alacri, atque libenti animo acceperunt, atque oppidorum nomina, M. Fulvio Flacco consule legem scribente, professi sunt. verum indignante, atque adversante senatu, ac misso, & prope amandato in provinciam M. Fulvio, nihil, ut inquit Appianus, effectum est. Hujus autem legis Fulviæ meminit, ut video, Valerius, ubi superbiæ exempla proponit. *M. Fulvius Flaccus consul*, inquit, *M. Plautii Hypsæi collega, cum perniciosissimas reip. leges introduceret de civitate danda, de provocatione ad populum eorum, qui civitatem mutare vellent, ægre compulsus est, ut in curiam veniret*. Eodem autem etiam anno Fregellæ a Romanis in Latio defecerunt, Latinis, ut vulgo suspicabantur homines, a M. Fulvio concitatis. Plutarchus C. Gracchum suspectum fuisse tradit, ne socios solicitasset, ac conjurationis Fregellanæ particeps fuisset. Fregellas quidem L. Opimium prætorem cepisse, atque ita ceteros quoque Latini nominis socios male animatos repressisse, scribit in commentario Milonianæ Asconius.

Triennio post C. Gracchus tribunus pleb. legem, quam Tiberius frater ferre in animo habuerat, Flaccus promulgarat de civitate Italis danda, retulit. Atque hoc quidem tradit Appianus, cujus præter alia hæc etiam verba sunt: *Gracchus multas leges promulgabat de judiciis, de viis, de coloniis, & ad omnes Romanorum res Latinos advocabat, quasi vero senatus hominibus consanguineis honeste repugnare non posset. reliquis vero sociis, quibus jus suffragii non erat, suffragium in posterum dabat, ut & hos in ferendis legibus suffragatores haberet. Quo facto senatus perturbatus consules edicere jussit, ne quis eorum, quibus suffragii jus non esset, in urbe obversaretur, neque propius urbem quinque millia passuum esset*. Plutarchus item præter ceteras hanc etiam legem a C. Graccho in primo tribunatu promulgatam scribit, qua Italis idem atque civibus Romanis, jus suffragiorum communicabat. in secundo autem cum ad propositas reliquas leges jubendas suffragium plebi, cujus ex cuncta urbis fece maximus ad se concursus factus fuerat, daturus esset, Fannium consulem ex auctoritate senatus socios præter cives Roman. omnes edicto exire ex urbe jussisse: Gracchum, professum se manentibus eis auxilio futurum, & cum familiares quosdam suos a lictoribus consulis trahi videret, destitisse. Quibus ex verbis satis aperte intelligi potest, Gracchum, ut ait

Appianus, Latinos ad omnes res Romanorum sciscendas vocare, quippe qui nisi ad leges jubendas non accerserentur, Italis autem, auctore Vellejo, civitatem largiri voluisse; at Fanniano edicto omnes ex urbe exire jussos. quæ res Ciceronem impulit, ut in Bruto scriberet, *C. Fannium unam orationem de sociis, & nomine Latino contra Gracchum reliquisse*. Quod autem scriptum est apud Sallustium in Jugurthina, nobilitatem per socios, ac Latinum nomen Gracchorum actionibus obstitisse, id ad leges eorum agrarias repudiandas, quibus Italiæ potissimum res, ut diximus, agebatur, referendum videtur. quam tamen rogatione Sempronia de civitate promulgata cum Gracchis in gratiam rediisse, opinor.

Neque vero dubium est, quin Flacci, & Gracchi, qui primi de civitate legem intulerant, nece cognita, vehementius (& hoc enim tradit etiam Appianus) Italia dolore exarserit. Universos tamen postea omni civitatis cogitatione, speque abjecta placatos, licet suspicari; Latinos quidem, quod anno DCXLIII. nobilitati, ut scribit Sallustius, ad Mamiliam rogationem occulte impediendam affuerint, & quod interea legis Serviliæ, (hæc quo potissimum anno lata sit, est obscurum) beneficium tulerint, qua dabatur, ut si quis Latinus senatorem Roman. accusando condemnasset, is civis Romanus esset. cujus legis Cicero memoriam usurpavit, tum cum Balbum de civitate defendit. Italicos vero, quod non nisi tricesimo post Gracchum, & Flaccum interfectos anno ad civitatis petitionem accensi fuerint. id quod injuria legis Muciæ Liciniæ coacti videntur primum cogitasse.

Nam cum illi summa, ut est apud Pedianum, cupiditate civitatis Rom. flagrarent, & ob id magna pars eorum pro civibus Rom. se gereret, L. Licinius Crassus orator, & Q. Mucius Scævola pont. max. consules regem de civibus regundis tulerunt, ut in suæ quisque civitatis jus redigeretur. quæ lex eandem fere habuisse vim videtur, quam Claudia primum, post Papia, quæ vetustate fortasse jam sua negligebantur. Hujus autem legis meminit primum Cicero in III. de officiis, cum dixit: *Esse pro cive qui non sit civis, rectum est non licere. quam legem tulerunt sapientissimi consules Crassus, & Scævola*. & pro Balbo: *Lege Servilia sapientissimi cives hanc Latinis viam populi jussu patere passi sunt, neque in his est hoc reprehensum lege Licinia, & Mucia*. Unde illud est translate dictum in Bruto, *Lysiam Timæus quasi Licinia, & Mucia lege repetit Syracusas*. Verum hac lege adeo alienati sunt principum Italicorum animi, ut ea vel maxima caussa belli Italici, quod triennio post exortum est, fuerit.

Nam cum M. Livius Drusus tribunus pleb. L. Philippo, Sex. Cæsare coss. assiduis Italicorum efflagitationibus fatigatus, legibus multis de agris, de frumento, de judiciis, de senatu, de coloniis promulgatis, hanc etiam de civitate Italiæ danda proposuisset, advocatis in urbem per consules Etruscis, atque Umbris, verbo quidem, ut legem de coloniis, qua potissimum violabatur Italia, reprehenderent; re ipsa, ut Drusum interficerent, haud ita multo post, antequam hanc de civitate legem perferret, domi suæ, incertum a quo, necatus est. Quo facto equites Romani, penes quos tum judicia erant, Q. Varium tribunum pleb. Drusi collegam impulerunt, ut legem ferret in eos, qui Italicos civitatem petentes clam, palamve juvissent. qua lege multi e primoribus urbe sunt exacti. Italici vero cum se Druso, quo uno auctore se civitatem impetraturos speraverant, erepto, & ceteris patronis suis exilio multatis, desertos cernerent, indignationis, atque irarum pleni adversus populum Roman. conspirarunt. Ac primum quidem decreverunt feriis Latinis in monte Albano, Philippum

A & Cæsarem consules interficere. deinde re patefacta, Q. Servilio procos. ad motos suos comprimendos accurrenti una cum legato ejus Fontejo, & omnibus, qui Asculi erant, civibus Romanis necem attulerunt. Quam ut ulcisceretur injuriam populus Romanus, bellum illud inivit, quod Sociale, atque Italicum appellatum est, nempe quod a sociis Italicis sit commotum. Quod idem etiam Marsicum nominarunt, quod illud Marsi potissimum, ut inquit Stabo, & eorum imperator Popedius intulerint. ad quos se deinde hi populi applicuerunt, Picentes, Peligni, Vestini, Marrucini, Frentani, Hirpini, Pompejani, Picentini, Venusini, Japy-
B ges, Lucani, Samnites, atque omnis, ut ait Appianus, ora a Liri fluvio usque ad Ionium sinum. Hi vero, ut addit Diodorus, cum Corfinium, Pelignorum oppidum, belli caput legissent, eo cum alia, quibus magnum parari imperium posset, tum maxime forum, & consilium, & cetera, quibus ad bellum gerendum opus est, pecuniarum, & annonæ copiam contulerunt. quin etiam senatum ex viris quingentis constituerunt, ex quibus legerent, qui patriam regerent, & communi saluti consulerent. atque his rei bellicæ auctoritatem, ac jus omne permiserunt. illi vero, consules bini quotan-
C nis, & duodeni prætores ut crearentur, cum statuissent, Q. Popedium Silonem, & C. Papium Mutilum, alterum inter Marsos, alterum inter Samnites auctoritate, & rerum gestarum gloria facile principem, consules declararunt; cum autem universam Italiam in partes duas distribuissent, easque consulares provincias fecissent, Popedio partem ab Ocriculis usque ad mare Adriaticum, nimirum quæ occidentem, & septentrionem intuetur, tradiderunt; reliquam vero Italiam, quæ orientem, & meridiem spectat, C. Mutilo concesserunt. Ita cum omnia dextere, atque ad Romani moris similitudinem apte descripsissent, omni cura in bellum incu-
D buerunt, cum Corfinium in Pelignis, communem patriam, Italicum appellassent. unde postea Italicenses usurpati.

Adversus hos magno pedestrium, equestriumque copiarum apparatu Romani consules cum venissent L. Julius Cæsar, & P. Rutilius Lupus, primum vario Marte, dubioque pugnarunt: post autem, cum ad alias clades adversis multis præliis acceptas, P. etiam Lupus consul tertio idus Junias, teste in Fastis Ovidio, cecidisset, jamque Etrusci etiam, & Umbri, aliique iis finitimi populi, qui ab altera urbis parte incolunt, defectionem spectarent, tum lex, ut ait Appianus, est lata, *ut qui populi ad*
E *eam diem in fide mansissent, cives Romani essent*. quo nomine Latinos, Etruscos, & Umbros comprehendisse visa est. nondum enim eorum quisquam defecerat. Appianus quidem certe Tiburtes, & Prænestinos, quas fœderatas civitates fuisse in Latio diximus, tum civitate donatos diserte scribit. Umbros autem, & Tuscos, cum in tanto tumultu nihil movissent, in eandem tum esse ascriptos, facile mihi persuaserim. de Umbris enim, ut civibus in tribus conjectis, loquitur Cicero pro Murena: *Multas sibi tribus, quæ municipiis Umbriæ conficiuntur, adjunxit*. de Tuscis illud est indicio,
F quod ait Valerius, ubi de Spurnia Etrusco loquitur: *Quod sequitur externis adnectam, quia ante gestum est, quam Etruriæ civitas daretur*. Idem autem de Sabinis est judicandum, quos postremo in Sergiam tribum conjectos (in ea enim suffragium tulerunt) significat noster ille in Vatiniana. Hæc autem celeberrima lex Julia fuit, a L. Julio Cæsare consule, extremo, ut par est, consulatu, jam mortuo collega, anno post U. C. DCLXIII. lata. qua lege Cicero pro Balbo sociis, & Latinis, & Gellius lib. IV. universo Latio civitatem datam profitentur. Tamdiu vero Italici restiterunt, do-

nec a

nec a Cn. Pompejo consule, & L. Sylla alterius consulis L. Catonis legato pluribus præliis victi, & jam ad paucos redacti omnium suorum consensu communem patriam Corfinium reliquerunt, quod jam Marsi, atque omnes finitimæ gentes in fidem Romanorum redierant, ac communi Italicorum caussa deserta, cum ab armis recessissent, in civitatem lege Julia asciti fuerant. Rei vero summam in oppidum Samnitium, priore anno de Romanis captum, Æserniam transtulerunt. Tum vero magnis collectis undique copiis, & servis ad arma vocatis, duce Popedio Silone cum Venusiam in Apulia amisissent, nec, quod imploraverant, a Mithridate Ponti rege Romanorum hoste, auxilium impetrassent, omnem belli gerendi cogitationem deposuerunt, paucis tantum Samnitibus, qui Nolæ se continebant, & Lucanis quibusdam exceptis. Itaque hoc anno omnes ex lege Julia in tribus descriptos fuisse puto a censoribus L. Julio Cæsare, & P. Licinio Crasso, qui hujus rei gratia ante solemne quinquennii tempus creati erant. In tribus autem eos non veteres triginta quinque, sed in novas octo distribuerunt, eo nimirum consilio, ne, si eos in veteres retulissent, multitudine novorum suffragiorum nimium veterum civium opes infirmarent. Atque hoc esse opinor, quod in epitoma Livianarum LXX. scriptum est his verbis: *Italicis populis civitas a senatu data est*. Quanquam non suo id loco, ut opinor. non enim in Cornelii Cinnæ consulatu, quod ex eo loco apparet, sed in Pompeji Strabonis hoc factum est.

Quo eodem anno peregrinis etiam aditum quendam ad civitatem Rom. lege Silvani, & Carbonis tribunorum plebis video esse factum. peregrinos nunc appello omnes præter Italos. Ea vero lege, auctore in oratione pro Archia Cicerone, latum est, *Ut qui fœderatis civitatibus ascripti essent, si tum cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent, ac sexaginta diebus apud prætorem professi essent, cives Romani essent*. ad quam legem respiciens idem Archiam Antiochenum, cum ascriptus esset Heracleam, quæ æquissimo jure, & fœdere erat, civitatem Romanam esse adeptum, concludit. de utraque autem civitate sic in defensione Balbi loquitur: *Lege Julia, qua civitas sociis, & Latinis data est, magna contentio Heracliensium, & Neapolitanorum fuit, cum magna pars in iis civitatibus juris sui libertatem civitati anteferret*. Fuit autem æquum, ut qui ascriptus esset in civitatem fœderatam, una cum ea civitatem Romanam consequeretur.

Quod autem dixi, civitatem Italicis populis datam in consulatu Strabonis, non Cinnæ, cum censores, de quibus dixi, ostendunt, quorum munus est, cives in tribus transferre, tum etiam illud maxime, quod P. Sulpicius, qui anno post Strabonem consulem, Sylla consule, tribunatum gessit, novos cives ex octo tribubus in omnes triginta quinque distribuere est conatus. Etenim cum Italici in octo tribus novas conjecti nihil se ad comitia roboris afferre ac nervorum, dummodo veteres XXXV. consensissent, intelligerent, se deceptos rati, ad P. Sulpicium novarum rerum cupidum confugerunt. Ille vero ad aucupandam eorum gratiam legem promulgavit, ut novi cives in veteres transferrentur. qua de lege in epitoma LXXVII. atque in Appiani primo libro scriptum est. verum hæc lex aut non est lata, aut certe eodem anno a L. Sylla consule, cum in urbem ex Campania cum exercitu revertisset, ac Sulpicium ipsum, Mariumque inimicos suos urbe exturbasset, una cum ceteris ejus legibus est sublata. Quocirca L. Cinna, qui in sequenti anno consulatum gessit, quo sibi contra Syllam tum absentem opes pararet, eam retulit. id quod his verbis proditum a Vellejo esse video: *Cum civitas Italiæ data esset, ut in*

A
octo tribus contribuerentur novi cives, ne potentia eorum, & multitudo veterum dignitatem civium frangerent, plusque possent recepti in beneficium, quam auctores beneficii; Cinna in omnibus tribubus eos se distributurum pollicitus est. quo nomine ingentem totius Italiæ frequentiam in urbem acciverat. ex qua pulsus, consulatus ei quoque abrogatus est. Post autem Cinna quartum consule interfecto, & Cn. Carbone solo consulatum gerente, anno DCLXIX. socios omnes in XXXV. tribus distributos possumus suspicari, atque id esse quod in epitoma LXXX. scriptum est: *Novis civibus* S. C. *suffragium datum est*.
B
His enim verbis significari arbitror, novis civibus tum demum suffragium esse concessum, quod eo primum anno in XXXV. tribus, quod ante eam diem non obtinuerant, sint distributi, quo modo par jus suffragiorum cum veteribus civibus sunt assecuti. Neque vero de facto dubito. quo anno factum hoc sit, de eo potius ambigo. neque enim ex verbis epitomarum sæpe certum rerum annum possis eruere. ego vero, si quid in re tanta judicio, ac conjecturæ dandum est, malim Italicos biennio ante in XXXV. tribus conjectos in secundo Cinnæ consulatu, quam eodem quartum consule jam occiso, & Carbone solo consulatum gerente; primum,
C
quia probabile videtur, quod Cinna in primo consulatu conatus non potuit efficere, id statim in secundo peregisse; deinde quod eo anno censores fuisse traduntur L. Marcius Philippus & M. Perperna, idque ante solemnem censorii quinquennii vicissitudinem. quos ad id creatos esse facile putaverim. Nam nisi a censoribus in tribus translatos eos dicamus, legem latam ad populum, qua, qui in quaque tribu nominatim suffragium ferrent, expressum sit, confiteamur necesse est. cujus tamen legis nulla usquam memoria extat. Itaque recte post in epitoma LXXXVI. scriptum est, *Syllam cum Italicis populis, ne timeretur ab iis velut erepturus*
D
civitatem, & suffragii jus nuper datum, fœdus percussisse. Quod ipsum cum Scipione, & Norbano consulibus factum sit, ob eam rem probe Cicero in Philippicis dixit, *Sylla cum Scipione collocutum de auctoritate senatus, de suffragiis populi, de jure civitatis, inter se conditiones contulisse*. Hoc tamen beneficium post a Sylla victore, & dictatore ademptum est multis, qui Cinnam, Carbonem, Marium, Scipionem, & Norbanum, cererosque adversæ factionis duces aut consilio, aut pecunia, aut copiis juverant. quorum alios morte, ut inquit Appianus, alios exilio, alios bonorum publicatione
E
multavit. cumque in singulis hominibus insatiabilem suam crudelitatem exercuisset, oppida inde adortus, ea aut arcibus, aut mœnibus nudavit, aut gravissimis impositis tributis prorsus afflixit, aut deductis in eorum agros militibus suis, possessionibus patriis spoliavit, aut iis denique civitatem paulo ante a senatu datam eripuit. Unde merito in eum M. Lepidus consul est invectus in concione dicens apud Sallust. *sociorum, & Latii magnam vim civitate pro multis, & egregis factis data per unum Syllam prohiberi*. De agris tamen, non de civitate ratum fuisse, docet in oratione pro domo Cicero: *Populus Roman. L. Sylla dictatore ferente, comitiis centu-*
F
riatis civitatem ademit. ademit iisdem agros. de agris ratum est. fuit enim populi potestas, de civitate ne tandiu quidem quandiu illa Syllani temporis arma valuerunt. Neque vero alia, ut opinor, caussa Sallustium impulit, ut in Catilinæ conjuratione scripserit, *Etruriam novarum rerum cupidam consule Cicerone fuisse, quod Syllæ dominatione agros, bonaque omnia amiserat*. Samnitibus quidem, qui Telesino, & Lamponio ducibus infesta urbi signa adversus se tulerant, itemque Volaterranis, & Nolanis, & Arretinis, qui sibi pertinacissime restiterant, inimicissimum ipsum fuisse, multorum testimonio compertum ha-

bemus, maxime autem Strabonis ita de Samnitibus scribentis: *Samnites postremo a Sylla deleti sunt, quos cum ceteris Italis bello fractis, solos arma retinentes, ac Romam oppugnantes, videret, alios in fuga cæcidit, alios abjectis armis se dedentes, ad quattuor millia in villa publica, quæ in campo Martio est, trucidavit, factisque proscriptionibus non ante destitit, quam universum Samnitium nomen deleverit, aut Italia fugarit*. Post autem Sylla dictaturam deponente, aut certe mortuo, omnibus, aut plerisque jus pristinum, ut opinor, est restitutum: verum quo potissimum legem ferente, nihil sane mihi legisse videor. illud pro certo affirmare possum, M. Lepidum consulem de Syllanis actis rescindendis cum Q. Catulo, collega suo, post Syllæ mortem contendisse, & bona, agrosque quos a Syllæ hasta precio persoluto mercatus erat, se cuique veterum dominorum reddere paratum esse, in concione professum esse. Quocirca Cicero quoque, *legem Syllæ de civitate adimenda ne tandiu quidem valuisse* dixit, *quandiu Syllana arma valuerunt*.

Hoc igitur pacto cum Italia civitatem Rom. multis laboribus, ac multo sanguine primum meruisset, deinde vero armis, atque pop. Rom. benignitate obtinuisset, amissamque recuperasset, tum tanta demum peregrinorum in urbem se retulit copia, ut nova lege eorum libido fuerit coercenda. Itaque, Dione teste, Cotta, & Torquato coss. anno post urbem conditam DCLXXXVIII. omnes, qui Romæ obversabantur, Italis exceptis, urbe pulsi sunt, C. Papii, tribuni pleb. rogatione, cum peregrini in urbe superarent, nec satis digni viderentur, qui secum habitarent. Hic est autem Papius ille, de quo Cicero: *Male, qui peregrinos urbibus prohibent, eosque exterminant, ut Pennus apud patres nostros, Papius nuper*. quam eandem legem intellexit in agraria secunda, cum dixit: *Lege illa, qua peregrini urbe ejiciuntur, Glaucippus excipitur*. & in Archiæ defensione: *Quid quod non modo post civitatem datam, sed etiam post legem Papiam multi in earum civitatum tabulas irrepserunt?* ex quo apparet, Papias leges duas fuisse, unam de civibus, alteram de peregrinis; item unam de civitate, alteram de urbe. quos autem non modo post civitatem datam, sed etiam post legem Papiam in eorum municipiorum tabulas irrepsisse ait, peregrinos intelligit, qui urbe lege Papia prohibiti, ut ibi esse per legem liceret, furtim sua nomina in tabulis fœderatorum reponi curaverant, ut ex lege Silvani, & Carbonis cives Romani essent.

CAP. II.

De jure civitatis Galliæ provinciæ dato.

HACTENUS quo rerum motu, & quibus legibus Latini, atque Italici Romanam civitatem adepti sint, diximus. reliquum est, ut de Galliæ provinciæ civitate eo, quo cœpimus, ordine disseramus. Quid igitur? an ego Galliæ provinciæ nobilissimæ datam esse civitatem addubitem? minime vero. extant enim præclari hujus muneris insignia ad memoriam testimonia. Nam & Diodorus Ligures, & Strabo Gallos Cisalpinos cum Venetis in civitatem acceptos, uterque libro quinto mandarunt. an vero de tempore, quo asciti sunt, ambigam? ne id quidem. quippe cum Strabonem eundem habeam auctorem, Gallos, & Venetos, eodem, quo ceteram Italiam, tempore Romana civitate esse donatos. an lege Julia civitas Galliæ data? non arbitror. (lex enim Julia sociis & Latinis solis traditur opem tulisse) sed Pompeja, quam Cn. Pompejus Strabo post L. Julium Cæsarem, unde est lex Julia, consul, ni mea me conjectura decipit, tulit. Placuit enim Pompejo, cum Julius lege sua Italicis omnibus in fidem redeuntibus subvenisset, se quoque a Gallis, qui in tanto quieti tumultu fuerant, gratiam inire. Itaque, quod verisimile videtur, legem, collega Catone jam extincto, tulit, qua Liguribus, & Cispadanis, & Venetis civitatem, Transpadanis vero Latinitatem communicavit. Hujus legis præterquam quod vestigia extant apud Plinium, cum inquit, *Cottianas civitates duodecim, quia non hostiles fuerant, municipiis ab Augusto attributas lege Pompeja*. testis est quoque Alba Ligurum oppidum, quæ ab hoc Pompejo, ut in Transpadanis etiam Laus, Pompeja est appellata. Accedit, quod cum Transpadanos Latii jure ab eo donatos, ut infra ostendam, pro certo habeamus, Cispadanos item præmio aliquo affectos, verisimile esse arbitramur. præsertim vero cum post hæc tempora Cispadanos jus suffragiorum Romæ habere, Transpadanos desiderare videamus. Hinc enim illa sunt Ciceronis de se consulatum petente ad Atticum: *Et quoniam in suffragiis multum potest Gallia, accurremus legati ad Pisonem*. & in Antoniana secunda: *Ex omnium omnibus flagitiis nullum turpius vidi, nullum audivi, quam qui magister equitum fuisse tibi viderere, in proximum annum consulatum peteres, vel potius rogares, is per municipia, coloniasque Galliæ, a qua cum consulatus noster petebatur, non rogabatur, petere consulatum solebamus, cum caligis, & lacerna cucurristi*. & in tertia: *Tantus consensus est municipiorum provinciæ Galliæ, ut omnes ad auctoritatem hujus ordinis majestatemque pop. Romani defendendam conspirasse videantur*. & post de restitutione ejus ita Pedianus: *Placentini honestissima decreta erga Ciceronem fecerunt, certaveruntque in ea re cum tota Italia. cum de reditu ejus actum est*. & deinde de legibus C. Catonis antiquandis Cicero ad fratrem: *Magna manus ex Piceno, & Gallia expectatur, ut etiam Catonis rogationibus de Lentulo, & Milone resistamus*. & de sacerdotii Antoniani petitione Hirtius: *Cæsar in Italiam profectus, ut municipia, & colonias appellaret, quibus M. Antonii quæstoris sui commendaret sacerdotii petitionem, aut iis gratiam ageret, quod frequentiam, atque officium suum Antonio præstitissent*. Item: *Cæsar, cum omnes Galliæ Togatæ regiones percucurrisset, T. Labienum Galliæ Togatæ præfecit. quo majore commendatione conciliaretur ad consulatus petitionem*. Hinc idem etiam Cicero in Philippicis, cum de Mutina colonia ab Antonio obsessa loqueretur, Galliam provinciam fortissimorum civium vocat, atque incredibilem earum coloniarum, & municipiorum consensum ad salutem populi Romani tuendam exclamat. & ad M. Brutum Galliæ prætorem cum scriberet: *Ergo omnibus terris una Gallia communi non ardet incendio. in qua frueris ipse te, cum in Italiæ luce cognosceris, versarisque in optimorum civium vel flore vel robore*. Quod autem Transpadanis non jus civitatis, sed Latinitatis lege Pompeja concessum sit, docet Asconius, qui in commentario Pisonianæ ita, ut sæpe dixi, scribit: *Cn. Pompejus Strabo Magni pater Transpadanas colonias deduxit. quas non novis colonis constituit, sed veteribus incolis manentibus jus dedit Latii, ut possent habere jus, quod ceteræ Latinæ coloniæ, id est, ut petendi magistratus gratia Romanam civitatem adipiscerentur*. Ex his autem coloniis Veronæ, Comi, & Laudis Pompejæ tantummodo mentionem invenio. De Verona scriptum est in Panegyrico Constantini Magni, *fato evenisse, ut quam coloniam Pompejus aliquando deduxerat, Pompejanus everteret*. & apud Tacitum libro decimo nono: *Quæsitum inde, quæ sedes bello legeretur, Verona potior visa, patentibus circum campis ad pugnam equestrem, qua prævalebant, simul coloniam copiis validam auferre Vitellio in*

A *rem, famamque videbatur*. Comum narrat Strabo modicum oppidum fuisse. quod cum incumbentes Rhæti vastassent, Cn. Pompejus Strabo Magni pater restituerit. De Laude Pompeja nihil habeo præter conjecturam ex nomine ipso conceptam. Neque enim eos laudare possum, qui eam inter Transpadanos Venetos numerant, & oppida Venetorum in hunc etiam numerum sine ullo vetere teste ascribunt. primum, quod cum Transpadanos Romani dixerunt, ii Gallos tantum Cænomanos, & Insubres intellexerunt; deinde, quod Venetos non jure Latii, sed civium Roman. donatos invenio.

Cum ergo deteriore Transpadani, quam reliqui
B Itali, jure essent, propterea & ipsi sæpe, ut in civitatem acciperentur, egerunt. Itaque Cotta, & Torquato coss. anno DCLXXXIII. M. Crassus, & Q. Catulus censores inter se summa vi decertasse a Dione traduntur, quod alter eorum Transpadanis civitatem dare vellet, alter vetaret; iidemque cum infecta re abdicassent, ne per sequentes quidem censores quicquam esse perfectum: eodem vero anno Cæsarem, addit Suetonius, *Latinas colonias de civitate agitantes adisse, atque ædilem curulem cum Cn. Pisone conspirasse, ut ille foris, ipse Romæ ad res novas consurgeret per Lambranos, & Transpa-*
C *danos; destitutum utriusque consilium morte Pisonis*. Quod autem Cæsar in ædilitate præstare non potuit, id in primo consulatu videtur tentasse, ut aliqua ex parte Transpadanorum petitioni satisfaceret. quanquam nisi de Como nihil nominatim accepimus. de quo est scriptum in Strabonis commentario quinto: *Cæsarem quinque millia hominum Comum deduxisse. ex quibus maxime illustres quingentos Græcos fuisse. eos autem civitate donatos, atque colonos adscriptos, oppido nomen Novocomi reliquisse*. Quocirca aliquot post annis M. Marcellus consul, Cæsari inimicus, ad senatum retulit, ut colonis, quos rogatione, ut scribit Suetonius, Va-
D tinia Cæsar Novocomum deduxisset, civitas adimeretur, quod per ambitionem ultra præscriptum data esset. Civitatem autem intellexit, non Romanam, quæ Comensibus veteribus incolis data esset, quæ nulla erat, sed Novocomensem, quæ quingentis colonis Græcis adjectis. Nam, ut scribit Appianus, Cæsar Novocomum ad Latii jus redegit, quod erat, ut qui annum gessisset ibi magistratum, is civis Romanus esset, id est, novos colonos Græcos, quos Comum adscripserat, etiam jure Latii, quo veteres incolæ lege Pompeja donati fuerant, decoravit. Quare, ut idem scribit, Novocomensem quendam, qui domi magistratum gesserat, ac
E propterea se pro cive Romano ferebat, virgis cædi in Cæsaris contumeliam Marcellus consul jussit. quo eodem respexit etiam Cicero, cum ad Atticum scripsit: *Marcellus fœde in Comensi. etsi ille magistratum non gesserat, erat tamen Transpadanus. ita mihi videtur non minus stomachi nostro Cæsari fecisse*. nimirum enim significat, Marcellum non minus stomachi suo Cæsari, id est, Pompejo, fecisse, cum Comensem a Strabone Magni patre lege ornatum, quia Transpadanus erat, verberavit, quam Cæsari ipsi inimico suo, a quo Novocomum ascriptus fuerat. Neque vero aliunde fa-
F ctum, ut bello civili Cæsar Transpadanos amicos habuerit. quod in epistolis sæpe innuit Cicero, ut ibi: *Cæsar Gallias ambas habet inimicissimas præter Transpadanos*. & ad Atticum: *Transpadani, & plebs Romana erit cum Cæsare*. item: *Nondum satis huc erat allatum, quo modo Cæsar perferret de auctoritate perscripta, eratque rumor de Transpadanis, jussos quattuorviros creare*. & Cœlius ad Ciceronem: *Rumores de comitiis Transpadanorum Cumarum tenus caluerunt*. comitia vero intelligit, quibus quattuorviri crearentur, qui erat municipiorum magistratus. ut si Cæsar jussisset a Transpadanis creari quattuorviros, jus quoddam videretur civitatis iis, & municipii speciem concessisse. Sæpe autem de Transpadanorum civitate in senatu agitatum, ostendit vox illa Curionis apud Ciceronem in III. de officiis: *Male Curio, cum caussam Transpadanorum æquam esse dicebat, addebat tamen: Vincat utilitas*. Quasi enim significabat, Transpadanis civitatem deberi. sed quia id parum reip. expediret, negandam esse. Postremo quod efficere Cæsar in consulatu, & in imperio non potuit, id, ubi primum potestas data est, præstitit. siquidem Transpadanos omnes in prima dictatura, teste Dione, in civitatem ascivit. unde D. Claudius dixit apud Tacitum: *Cum Transpadani in civitatem recepti, solida domi quies, & adversus externa floruimus*. Ita autem recepti sunt, ut & magistratus petere Romæ, & in senatum legi possent. quod in oratione contra D. Claudium positum est apud eundem: *An parum est, quod Veneti, & Insubres in curiam irruperint, nisi cœtus alienigenarum velut captivitas inferatur?*

Quanquam autem Gallia in civitatem ascita erat, non tamen eodem, quo reliqua Italia, libertatis jure fruebatur, sed adhuc provincia erat, & prætori obtemperabat. Post autem anno DCCXI. placuit M. Lepido, M. Antonio, & C. Cæsari Octaviano III. viris reip. constituendæ, ut ex decreto divi Cæsaris libera esset, & ad reliquæ jus Italiæ traduceretur, ut scribit Appianus lib. V. Quo spectans etiam Dio lib. XXXVIII. prodidit, C. Cæsarem Octavianum III. virum reip. anno postero ex Gallia Togata pecunias, & milites coegisse, quæ ob id ad Italiæ formam redacta erat, ne quis in posterum provinciæ nomine intra Alpes exercitum haberet. quo tempore C. Albutius rhetor in cognitione cædis, Mediolani apud L. Pisonem proconsulem, cum reum defenderet, & cohiberent lictores nimias laudantium voces, ita, teste Suetonio, excanduit, ut Italiæ, id est, Galliæ statum deplorarit, quasi iterum in provinciæ formam redigeretur. Finis autem a septentrione fuit flumen Formio. Sic enim inquit Plinius: *Ultra Tergeste VI. millia passuum Formio amnis antiquus auctæ Italiæ terminus*. Auctam autem intelligit a Rubicone ad Alpes, non naturæ, sed juris finibus propagatam. Atque ita Italia aperte usque ad Alpes promota, & Gallia in posterum provincia appellari desita est, cum jam universa in partem civitatis, & imperii Romani esset vocata. id quod me ab initio demonstraturum esse pollicitus sum.

CAP. III.

De jure civitatis coloniis, præfecturis, fœderatis civitatibus, foris, & conciliabulis dato.

Ne quis autem putaret, cum universos Italiæ populos civitate a populo Romano donatos ostenderim, colonias, præfecturas, fœderata oppida, & fora, ac conciliabula non eodem jure fuisse ornata: quanquam hoc superiore disputatione probatum satis videri poterat, visum est tamen faciendum, ut retinendi instituti mei caussa, id ipsum sigillatim, in horum etiam unoquoque confirmarem. Ut ergo coloniis nullis ante legem Juliam jus suffragii patuit, sic post legem Juliam, aut Pompejam omnibus esse permissum dico. nisi forte id paucæ aliquot aut scelere suo non obtinuerint, aut post insigni aliqua calamitate amiserint. Habuisse autem colonias suffragium, indicat Cicero, cum de se post reditum ad Quirites inquit: *Nullus in eorum reditu motus municipiorum, & coloniarum factus est, at me in patriam ter suis decretis Italia cuncta revocavit*. & pro domo: *Quid ego illa divina, atque im-*

mortalia municipiorum, & coloniarum, & totius Italiæ decreta commemorem? & in secunda in Antonium: *Municipia, colonias, præfecturas num aliter judicare censetis?* & pro Sylla: *Adsunt pari studio Pompejani, qui ita de ambitione, & suffragiis suis cum colonis dissenserunt, ut idem de communi salute sentirent.* cum Cicerone autem facit Hirtius, in cujus historia scriptum invenimus: *Cæsar in Italiam profectus est, ut municipia, & colonias appellaret, quibus M. Antonii quæstoris sui commendaret sacerdotii petitionem, aut iis gratias ageret, quod frequentiam, atque officium suum Antonio præstitissent, simulque se, atque honorem suum insequentis anni commendaret.* Nam qui notum, vel potius nobile illud ex commentariis Suetonii proferam? Augustum Italiam duodetriginta coloniarum numero deductarum ab se frequentasse, & jure, ac dignatione urbi quodammodo pro parte aliqua adæquasse, excogitato genere suffragiorum, quæ de magistratibus urbicis decuriones colonici in sua quisque colonia ferrent, & sub diem comitiorum obsignata Romam mitterent. Neque vero, quin idem quoque præfecturis jus suffragii & magistratus sit impertitum, dubitandum videtur, cum hujus antiquitatis locupletissimum habeamus Tullii testimonium. quin in Planciana ita disputat contra Laterensem Plancii accusatorem: *Primum utrum magis favere putas Atinates, an Tusculanos suis? alteri, cum hujus Cn. Saturnini patrem ædilem, cum prætorem viderunt, quod primus ille non modo in familiam, sed etiam in præfecturam illam sellam curulem attulisset, mirandum in modum lætati sunt. alteros (credo, quia refertum est municipium consularibus) nunquam intellexi vehementius suorum hospitum honore lætari.* & paulo post: *Hujus præfectura plena virorum fortissimorum sic, ut nulla tota Italia frequentior dici possit, quam quidem nunc multitudinem videtis, judices, in squallore & luctu supplicem vobis. hi tot equites Rom. tot tribuni ærarii (nam plebem a judicio dimisimus, quæ cuncta comitiis affuit) quid roboris, quid dignitatis hujus petitioni attulerunt? non etiam tribum Terentinam, sed dignitatem, sed oculorum conjectum, sed solidam, & robustam, & assiduam frequentiam attulerunt.* Quod autem fœderatæ civitates municipiorum jus, id est, tribuum, & suffragii, & magistratus adeptæ sint, multi sunt testes, sed nescio quo modo uno maxime delector eo ipso, quem paulo ante commemoravi, Tullio; cujus hæc in defensione Syllæ cum verba contemplor, nihil quæro amplius. *At si nos*, inquit, *tibi peregrini videmur, qui sumus e municipio, quorum jam & nomen, & honos inveteravit & huic urbi, & hominum famæ, & sermonibus, quam tibi illos competitores tuos peregrinos videri necesse est, qui jam ex tota Italia delecti tecum de honore, & de omni dignitate contendunt? quorum cave tu quenquam peregrinum appelles, ne peregrinorum suffragiis obruare.* Non est hoc fortasse satis. nunc quid ille idem in Planciana dicat, attendamus: *Jam municipia conjunctione etiam vicinitatis moventur. nemo Arpinas non Plancio studuit, nemo Soranus, nemo Casinas, nemo Aquinas. totus ille tractus Venafranus, Allifanus. iisdemque nunc a municipiis adsunt equites Romani publice cum legationis testimonio. Ergo ut alia in te erant illustriora, Laterensis, sic te Plancius hoc non solum municipii, verum etiam vicinitatis genere vincebat; nisi forte te Lavicana, aut Bovillana, aut Gabina vicinitas adjuvabat. quibus ex municipiis vix jam, qui carnem Latinis petant, inveniuntur.* item in oratione pro domo, in qua, dum se decretis Italiæ revocatum comitiis centuriatis gloriatur, in hæc verba erupit: *Ille ille populus dominus est regum, victor, atque imperator omnium gentium, quem illo clarissimo die vidisti, tum cum omnes principes civitatis, omnes ordinum, atque ætatum omnium suffragium se non de civis, sed de civitatis salute ferre censebant. cum denique homines in campum non tabernis, sed municipiis clausis venerunt.* Quid quod in epistolis prodidit, Atellanos, & Volaterranos municipes sibi in suis honoribus affuisse? Nam Pediani nota est auctoritas, qui in Divinationis commentario posuit, *rusticam plebem ex municipiis Romæ convenisse, aut propter comitia suffragiorum caussa, aut ludorum, aut ut censerentur apud censores.* Hi vero omnes erant ex iis oppidis, quæ lege Julia paulo ante in civitatem ascita fuerant, neque dum censa in tribubus xxxv. siquidem Italia in tribus a Philippo, & Perperna censoribus est conjecta. cumque nisi post annos decem, & septem censores in civitate nulli fuissent, ad eos, qui primi declarati sunt, Lentulum & Gellium ex tota Italia frequentissimi venerunt, non quod in municipiis non censeri suis possent, sed ut jus novum, & multo sudore partum tandem aliquando usurparent. postremo vero conciliabulis etiam civitatem esse communicatam, video satis perspicue docuisse Aggenum, cum scripsit: *Sunt loca publica coloniarum, ubi prius fuere conciliabula, & postea sunt in municipii jus relata.* Quod cum ita sit, sane jam caussa patet, cur post legem Juliam multa oppida & municipiorum, & coloniarum nomine decorata sint, multa item præfecturæ, & municipia appellata. quid enim aliud esse censemus, nisi quod quatenus colonos habuerunt, coloniæ; quatenus præfectos, præfecturæ nomen tulerunt; ut autem suffragii jure donata sunt, eatenus municipia sunt nuncupata? Cum autem suffragii jus una cum tribu obtinuerint, factum est, ut sæpe tribus ipsas pro populis Italiæ civitate donatis veteres usurparint. ut Suetonius, cum scripsit, *Cæsarem testamento suo legasse populo Rom. quadringenties, tribubus tricies quinquies.* & Martialis, cum dixit:

Dat populus, dat gratus eques, dat thura senatus,
Et libant Latiæ tertia dona tribus.

Uterque enim distinguens populum a tribubus, populi nomine plebem Romanam videtur intelligere, tribuum vero Italiam. Quod si quis tribuum nomina, in quibus quæque aut colonia, aut præfectura, aut fœderata civitas post civitatem impetratam suffragium tulerit, requisierit, næ ille laborem inanem susceperit. Mihi enim ne hanc quidem investigandæ antiquitatis partem negligenti contigit, ut veterum lapidum titulos perlegens, atque observans, paucarum tantum quarundam certas tribus invenerim, Mutinæ quidem, patriæ meæ, Polliam, Veronæ Publiliam, Sutrii Velinam, Cæretis, & Tudertis Clustuminam, Florentiæ Scaptiam, Atestis Romiliam, Brixiæ Fabiam, Vicetiæ Meneniam, Clusii Arniensem, Tergestis Pupiniam, Aletrii Publiliam, Arretii Pomptinam. Nam Atinam in Terentina suffragium tulisse, docet Cicero in Planciana. Eorum vero lapidum exempla, qualia ferme Onuphrius Panvinius Veronensis, homo in ista ipsa disciplina, quæ nunc dimissa revocatur, in primis probatus, mihi tradidit, ne quem fallam, hoc loco subscribam:

Mutinæ.

Q. AMBILIUS T. F.
POL. TIRO MUTIN
MILES COHORT. VII. PRÆT.
Ↄ GRACINI. VIXIT ANN
XXXII. MILITAVIT AN. XII

Romæ.

M. APICIUS
M. F. PUB.
PUDENS
VERONA

MIL. COH. XII. PR.
MIL. AN. XVI.
VIXIT AN. XXXIIX.

Romæ.

D. M.
M. BALLONIO
M. F. POL. PAULLO
MUTINA
MIL. COH. X. PR. Ɔ
FRONTONIS MIL. ANN.
VIII. VIX. ANN. XXXVI.

Brixiæ.

Q. MINICIO
Q. F. FAB. POB.
MACRO
IIII VIR VERON
Q. VERON. ET BRIX.
MINICIA MATER
D. D.

Sutrii.

DIIS MANIBUS
T. VALERIO T. F.
VEL. VICTORI
DECURIONI SUTRI
II VIR I. D. ITERUM
QUINQUENNALI
CURATORI PECUNIÆ
PUBLICÆ. PONTIFICI
PATULCIA EXOCHE
CONJUX
FECIT

Romæ.

Q. GARGENNIUS
L. F. SCA
CELER
FLORENTIA MIL.
COH. XI. PRÆT.
VIX. ANN. XXXV.
MILIT. ANN. VI.

Romæ.

L. CASSIUS L. F.
ROM. NIGER
DOMO ATESTE
MIL. COH. I. PR.
MIL. ANN. XVII.
VIX. ANN. XXXVII.

Vicetiæ.

M. ENNIUS MP. F.
MEN. VICETINUS
SCR. ÆD. CURULIUM
ARMENTARIUS DECURIÆQ.
DECURIO VICETIÆ

Feltriæ.

Q. CÆDIUS P. F.
PUB. SEX VIR
TERGESTÆ V. F.
VINISSA Q. F. MAXU
UXOR
APRUSIDIA C. F. SE
MATER
CÆDIUS FRATER

Ceretæ.

TI. CLAUDIO DIVI AUG. F.
AUG. PONT. MAX. TRIB. POT. XX
L. PAULUS L. F. CLU. ATTICUS
PRÆFECTUS FABRUM CÆR.
&c.

A In agro Tudertino.

L. JULIO L. F.
CLU. MARCIANO
ÆD. IIVIR. TUDER
VICANI VICI MARTIS
TUDERT. EX ÆRE COLL.
OB MERITA EJUS L. D. D. D.

Florentiæ.

C. UMBRICIUS
C. F. SCA. CANSO
COLON. ADLECT.
B D. D. FLORENT.
SIBI ET
VOLTURNIÆ
C. FILIÆ
TERTULLÆ
UXORI

Clusii.

Q. GAVIUS Q. F.
ARN. CLEMENS
CLUSII EVOC
AUG.
C A QUESTIONIBUS

Feltriæ.

C. FIRMIO C. F.
MENEN. RUFINO
EQ. PUB. LAUREN
LAV. DEC. FLAMIN
PATRONO COLLE-
GIORUM FAB. CENT
DENORUM FELTRIÆ
ITEMQUE BER. VENS.
COLEG. FABR. ALTI
NATIUM PATRONO

D Tiferni.

C. ANINIUS C. F. POM. GALLUS
DOMO ARRETIO EQ. LEG. IIII.
SCYTH. MILITAVIT IN
PR. AN. XVII.
EVOCAT. AN. II
EQ. IN LEG. SCYTHIC
AN. XVIII

Ferentini.

C. JULIO C. F. PUB. RUFO
VETERANO COH. VI PR
E Ɔ AQUILA MAXIMI
PRÆTORI ÆD. IIIIVIRO I. D.
MUNICIPI ALETRI
C. JULIUS C. F. RUFINUS FRATRI
BENEMERENTI, ET SIBI
POSTERISQ. SUIS.

CAP. IV.

De coloniis militaribus.

F RELIQUUM eſt, ut, quoniam ſuperiore libro colonias omnes a populo Rom. poſt urbem conditam uſque ad belli Italici tempora deductas expoſui, quæque earum fuerit conditio, juſque oſtendi, nunc, quod ſe facturum eſſe negavit Paterculus, ut militares perſequeretur, ego, quemadmodum ante pollicitus ſum, exequar. hoc autem eo ſtudioſius, quod quas ille ſe prætermittere iccirco eſt profeſſus, quia earum, ut ait, cauſſæ, auctores, & nomina præfulgerent, ea nobis omnia hoc tempore obſcuriſſimis ſunt ex ignorantiæ tenebris educenda. Quanquam de cauſſa militarium coloniarum non eſt,

cur admodum laboremus, nisi ab earum ſententiarum auctoritate recedamus, quas paulo ante ex certis veterum monumentis attulimus. Deduci enim militares coloniæ iccirco ſunt ſolitæ, ut veterani milites præliorum diuturnitate feſſi præmium aliquod aliquando caperent laborum ſuorum. Auctorum autem nomina vere præfulgere dixit Vellejus. quid enim L. Sylla, C. Cæſare dictatoribus, M. Antonio, M. Lepido, & C. Octaviano IIIviris reip. & ipſomet imperatore Auguſto potuit eſſe illuſtrius? quos omnes, parta civili victoria, inimicorum ſuorum agros militibus, per quos vicerant, diviſiſſe, litteris proditum eſt? Hujus autem conſuetudinis a Sylla initium introductum, poſt a Cæſare probatum eſſe, cum aliis argumentis multis ducor ad opinandum, tum præcipue verbis M. Bruti, ejus, a quo Cæſar oppreſſus eſt, quæ ſunt in concione ejus ad veteranos, ut opinor, in Capitolio, apud Appianum. *Vos*, inquit, *pro rebus geſtis adverſus Gallos, & Britannos præmia, quæ olim dabat populus, referetis; qui nec ſuis, nec innocentibus hominibus agros adimebat, neque illis aliena donabat, neque injuria facienda gratiam referri oportere putabat. idemque hoſtes victos non omni agro, ſed parte multabat, in eamque emeritos deducebat, ut eſſent quaſi hoſtium, quos deviciſſent, cuſtodes. cumque ſæpe agri armis parti non eſſent ſatis, publicos quoque diviſit, aut alios emit. hoc pacto deducere populus ſolebat ſine cujuſquam ſolicitudine, ac moleſtia. Sylla vero, & Cæſar, quod patria armis occupata, cuſtodibus, & ſatellitibus adverſus eam egerent, neque vos in civitates veſtras dimiſerunt, neque vobis agrum emerunt, neque publicum diviſerunt, neque dominis precia perſolverunt, ſed Italiæ innoxiæ, lege belli, agros, villas, ſepulchra, & fana extorſerunt. quibus rebus nos ne alienigenas quidem hoſtes unquam exuimus, ſed decima ſolum fructuum mulctavimus. illi vero agros ſociorum Latini nominis diviſerunt, & vos in eos frequentes ſub ſignis & ordinibus deduxerunt.* Hæc eo loco Brutus. De Cæſare autem, & Auguſto adeo perſpicue loquitur Higinus, ut id revocari in dubium nullo modo poſſe videatur. Verba autem ejus, quibus hoc docet, hæc ſunt: *Multis legionibus contigit bellum feliciter tranſigere, & ad laborioſam agriculturæ requiem primo tyrocinii gradu pervenire. nam cum ſignis, & aquila, & ordinibus, ac tribunis deducebantur. modus agri proportione officii dabatur. ferunt quidam, indictum poſtea modum belli, & expleta centeſima hoſtium congreſſione ad colendum reductos terrarum agros. Divus Julius vir acerrimus, & multarum gentium domitor tam frequentibus bellis militem exercuit, ut dum victorias numerat, congreſſione multitudinis obliviſceretur. nam milites ultra ſtipendia emerita detinuit recuſantes, deinde veteranos dimiſit, mox eoſdem ipſos veniam cum milite rogantes recepit, & poſt aliquot bella facta in pace dimiſit. æque D. Auguſtus in aſſignata orbi terrarum pace exercitus, qui ſub Antonio, aut Lepido militaverant, pariter & ſuarum legionum milites colonos fecit, alios in Italia, alios in provinciis, quibuſdam deletis hoſtium civitatibus novas urbes conſtituit. quoſdam in veteribus oppidis deduxit, & colonos nominavit.* Quin etiam M. Antonius conſul apud Appianum in ea oratione, qua Cæſaris acta ſervanda eſſe ſuaſit, illud poſuit, *Cæſarem milites una cum armis, quibus meruerant, atque iiſdem ordinibus in agros deduxiſſe.* Ex quo intelligi poteſt, quæ res Tacitum adduxerit, ut ita in libro XIII. annalium ſuorum ſcriptum reliquerit, Nerone IV. & Coſſo conſulibus: *Veterani Tarentum, & Antium aſcripti non tamen infrequentiæ locorum ſubvenere. non enim, ut olim, univerſæ legiones deducebantur cum tribunis, & centurionibus, & ſuis cujuſque ordinis militibus, ſed ignoti inter ſe diverſis manipulis ſine rectore.* Neque vero obſcurum jam etiam alicui eſſe poteſt, quid in his verſibus Lucanus voluerit:

Quæ ſedes erit emeritis, quæ rura dabuntur,
Quæ noſter veteranus aret, quæ mœnia feſſis?

Nimirum enim colonias militares intellexit, atque deſcripſit. in quas milites veteranos eſſe deductos, cum nomen ipſum eſt argumento, tum vero quod multæ etiam earum a nominibus legionum, quæ in iis eſſent collocatæ, ſibi nomen pepererunt, ut Secundanorum, Sextanorum, Septuanorum, Octavanorum, Decumanorum, Undecumanorum, & reliquarum generis ejuſmodi.

Quod ergo, ut ad rem redeam, a Paterculo expectandum erat, qui & æqualis fere fuit eorum, de quibus loquimur, temporum, & rerum Rom. ſatis accuratus ſcriptor ac diligens habitus eſt, ut militarium coloniarum nomina exequeretur, id nunc nos tam multis ſæculis inferiores, dabimus operam, ut quoquo modo poſſimus, ad exitum perducamus. Is enim, cum duo coloniarum genera conſtituerit, unum earum, quæ ſenatus juſſu deductæ ſint, alterum militarium, priores illas ita enumerat, ut poſt Eporœdiam Mario VI. & Valerio conſulibus deductam, nullam fere, niſi militarem, eſſe deductam ſcribat. quarum nos initium a Sylla ſumendum eſſe exiſtimamus.

Ab eo vero bis colonias eſſe deductas invenimus, primum in priore conſulatu poſtquam ex Campania cum exercitu in Urbem reverſus Marium ſenem, & Sulpicium, ceteroſque inimicos ſuos urbe exterminavit; deinde poſtquam ex Aſia victor regreſſus, republica ex manibus inimicorum recuperata, dictaturam invaſit. prioris deductionis in epitoma Livianorum ſeptuageſima fit mentio. quo loco ſcriptum eſt, *L. Syllam civitatis ſtatum ordinaſſe, colonias deduxiſſe*; poſterioris in octogeſima nona, *ubi Syllam* XLVII. *legiones in agros captos deduxiſſe, & eos iis diviſiſſe* narratur. Hoc autem idem in Appiani Græca hiſtoria eſt, qui centum viginti millia hominum a Sylla eſſe deducta prodidit. Quas deductiones M. Lepidus conſul, Syllæ inimicus, in concione ita illuſit, teſte Salluſtio: *Maximam mihi fiduciam*, inquit, *parit victor exercitus, cui per tot vulnera & labores nihil præter tyrannum quæſitum eſt, egregia ſcilicet mercede, cum relegati in paludes & ſilvas, contumeliam atque invidiam ſuam, præmia penes paucos intelligerent.* Quas tamen colonias, aut quam multas ille deduxerit, non eſt memoriæ proditum. Veriſimile vero videtur, ipſum, ut acerbiſſimus erat hoſtis inimicorum ſuorum, pleraque oppida eorum qui adverſus ſe arma tulerant, ac pro inimicis ſuis ſteterant, eſſe acerrime perſecutum. Ex his autem Etruriam fere totam contra eum veniſſe accepimus, Senam, Cluſium, Saturniam, Arretium, Volaterras, Fæſulas; & ex Latio Præneſtinos, Signinos, & Norbanos; ex Umbris Spoletinos, & Interamnates; ex Pelignis Sulmonenſes; ex Campania Capuanos; & Nolanos, Samnitum magnam partem, qui Nolam tenebant, & ex Gallis Ciſalpinis Faventinos, & Ravennates. Quod in hiſtoriis Appiani, Plutarchi, Strabonis, & Flori, perſcriptum videmus. Qua ratione adductus Salluſtius in conjuratione Catilinæ ſcripſit, *Syllæ dominatione Etruriam agros, & bona omnia amiſiſſe.* Quæ vero oppida ſuſpicari poſſumus a Sylla eſſe deducta (neque enim teſte in agrariis Tullio omnes agros, quos publicavit, etiam aſſignavit,) in Etruria ſunt, Fæſulæ, Arretium, Cortona, & Volaterræ. FÆSULARUM veſtigia non dubia apparent in oratione tertia Ciceronis in Catilinam, cum inquit: *Ex iis colonis, quos Fæſulas Sylla deduxit.* & alio loco: *Hi ſunt homines ex iis colonis, quos Fæſulis Sylla conſtituit.* Quin etiam de ARRETINIS facilis eſt conjectura, ex eo, quod idem in defenſione Murenæ poſuit, *Cantilinam*

circumfluentem colonorum Arretinorum , & Fæsulanorum exercitum alacrem incedere . Quod si Arretium coloni sunt missi, profecto etiam CORTONAM, quæ ab Arretio non multum abest . cujus coloniæ meminit Dionysius libro primo . neque eam ante Syllæ tempora esse deductam, apud quenquam scriptum legimus. De VOLATERRIS traditum est in epitoma octogesima nona : *Sylla Volaterras , quod oppidum adhuc in armis erat , obsessum in deditionem accepit* . & in oratione pro domo: *Sylla victor rep. recuperata , comitiis centuriatis , civitatem Volaterranis , cum etiam tum essent in armis , eripere non potuit* . & in primo epistolarum ad Atticum : *Syllanorum hominum possessiones confirmabam . Volaterranos , & Arretinos , quorum agrum Sylla publicarat , neque diviserat, in sua possessione retinebam*. & in tertio decimo epistolarum : *Volaterrani Syllani temporis acerbitatem subterfugerunt*. Age vero exeamus e Tuscis , & veniamus in Latium . ecce in manibus PRÆNESTE, qua civitate nulla Syllæ caussæ fuit, infestior, nulli Sylla ipse acerbior. Obsideri diu se ab eo passi sunt Prænestini. Itaque Præneste capto, & C. Mario adolescente, qui oppidum tenuerant, jam extincto, quinque ille millia Prænestinorum, quod prodidit Valerius, extra mœnia municipii evocatos, acerbissima morte mulctavit. quattuor millia, & septingentos diræ proscriptionis edicto jugulatos in tabulas publicas retulit. Agrum autem eorum divisit, atque oppido, quantum augurari conjectura possum, colonos ascripsit. De agro significat Cicero in agrariis: *Coement præterea: nam si dicent, per legem id non licere, ne per Corneliam quidem licet. at videmus agrum Prænestinum a paucis possideri*. De colonia loquitur idem in Catilinam : *Quid cum te Præneste K. ipsis Novembris occupaturum nocturno impetu esse confideres, sensisti ne illam coloniam meo jussu esse munitam?* Age vero, nonne de BOVILLIS etiam ex verbis Frontini in libro de coloniis licet aliquid opinari ? *Bovillæ* , inquit , *lege Syllana est circumductum . iter populo non debetur . agrum ejus ex occupatione milites tenuerunt in sortem*. Nunc in Campaniam transeamus . Ex iis NOLA a Samnitibus magno conatu jam inde ab Italico bello occupata , summo tandem a Sylla labore recuperata Syllanos & ipsa colonos accepit . Id quod non obscure tradidit Frontinus , *cum agrum Nolanum Syllæ militibus fuisse assignatum* scripsit. Quod idem de SUESSULA judicium faciendum est, de qua idem ille ita scriptum reliquit : *Suessula oppidum muro ductum, lege Syllana deducta . iter populo non debetur . ager ejus veteranis militibus Syllanis in jugeribus est assignatus* . Possumus etiam in hunc numerum referre POMPEJOS, quippe cum in oratione Syllana a Cicerone ejus rei admoneamur. *Disjunxit* , inquit , *P. Sylla Pompejanos a colonis, ut hoc dissidio, ac dissensione facta oppidum in sua potestate esset, & Pompejos haberet , cum ab hoc illa colonia deducta sit, & cum commoda colonorum a fortunis Pompejanorum populi Romani fortuna diviserit, ita carus utrisque est*. Postremo vero CAPUAM etiam colonos a Sylla esse ascriptos duobus, quod notarim, in locis prodit Frontinus; uno, cum ait , *Capuæ agrum , antequam a Cæsare Capua deduceretur, lege Syllana fuisse assignatum:* altero, cum inquit, *Calatia oppidum muro ductum. iter populo debetur pedes decem . coloniæ Capuensi cum territorio suo a Sylla Felice adjudicata olim ob hosticam pugnam*. Neque vero aliud quidquam voluisse Plinium puto, cum scripsit libro VI. *Falernus ager a ponte Campano læva petentibus urbanam coloniam Syllanam nuper Capuæ contributam incipit*. Accedit, quod Cicero, cum in Rullum tribunum pleb. consul loqueretur , qui legem de Capua colonia deducenda promulgarat, quam postea Cæsar in consulatu pertulit, ita loquitur, ut eam ab aliis ante parum bonis ominibus deductam ostendat. quo in loco Syllanam, credo, deductionem significavit. sic enim dixit: *Neque te, P. Rulle, omina illa M. Bruti, atque auspicia a simili furore deterrent. nam & ipse, qui deduxit , & qui magistratum Capuæ ceperunt , & qui aliquam partem illius deductionis, honoris, muneris attigerunt , omnes acerbissimas impiorum pœnas pertulerunt*. & post de eadem re : *Cum venissem Capuam coloniam deductam L. Considio, Sex. Saltio, quemadmodum ipsi loquebantur, prætoribus. nam cum ceteris in coloniis duumviri appellentur , hi se prætores appellari volebant*. Est autem verisimile, cum alia Syllæ acta post mortem ejus rescinderentur , hanc quoque deductionem esse labefactatam. idque caussam Rullo attulisse, ut in consulatu Ciceronis de eadem deducenda cogitaret. cujus legem a plebe Romana incredibilem consulis eloquentiam admirata esse repudiatam accepimus.

Ac de Syllanis quidem coloniis hactenus : nunc persequamur Cæsarianas. quarum primam esse invenio CAPUAM, ab eo in primo consulatu deductam. nam reliquas post civilem victoriam videtur constituisse . Hoc ex Paterculi historia aperte cognoscitur . in qua scribit , Cæsarem in consulatu legem tulisse , ut ager Campanus plebi divideretur , suasore legis Pompejo, atque civium circiter XX. millia eo esse ascripta , & jus iis restitutum post annos circiter CLII. quam bello Punico a Romanis Capua in præfecturæ formam erat redacta. Quod idem est etiam apud Ciceronem , Appianum , & Dionem . quamquam quo in hoc genere locupletiore utar teste, quam ipsomet Cæsare? Is autem ita scribit libro primo de bello civili: *Capuæ primum sese confirmant, & colligunt, delectumque colonorum, qui lege Julia Capuam deducti erant, habere instituunt*. Unde illud est apud Frontinum: *Capua muro ducta colonia . Julia Felix jussu imperatoris Cæsaris a XX. viris est deducta . iter populo debetur pedes centum. ager ejus lege Syllana fuerat assignatus* . Non esse autem hanc militarem deductam , satis ex eo apparet, quod plebi Romanæ divisus est ager, ut priore libro demonstravi, non emeritis militibus assignatus . Post autem idem dictaturam adeptus multas deduxit , & quidem omnes , ut arbitror , militares . quorum aliquot ex intimis antiquitatis penetralibus eductas , ut instituimus , indicabimus. Una igitur CASILINUM. Hoc Ciceronis testimonio cognovimus in Antonium ita loquentis: *Deduxisti coloniam Casilinum, quo Cæsar ante deduxerat. omni auspiciorum jure turbato Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis ante annis deducta*. Item: *Consuluisti de Capua tu quidem, sed idem de Casilino respondissem, posses ne , ubi colonia esset, eo coloniam novam deducere : negavi in eam coloniam , quæ esset auspicato deducta, dum esset incolumis, coloniam novam jure deduci, colonos novos adscribi posse rescripsi*. Neque vero Casilini solum , sed CALATIÆ quoque veteranos Cæsarem constituisse intelligo , dum Paterculi , & Ciceronis verba considero . quorum ille ita scribit libro posteriore : *Octavius primum a Calatia, mox a Casilino veteranos excivit paternos*. hic vero libro extremo epistolarum ad Atticum hoc pacto: *Octavius veteranos, qui Casilini, Calatiæ sunt, perduxit ad suam sententiam. nec mirum. quingenos denarios dat . cogitat reliquas colonias obire* . Quæ sunt præterea coloniæ reliquæ? difficile est scire, suspicari proclive. una est , credo , MINTURNÆ , de qua hoc extat apud Frontinum : *Minturnæ muro ducta colonia deducta a C. Cæsare. iter populo non debetur* . altera ANCON . cujus meminit quinto de bellis civilibus Appianus cum ait , *legiones duas , quæ Anconem erant deductæ, cum essent Cæsari Octaviano patriæ, Antonio affuisse*. præterea vero LANUVIUM colonos a Cæsare fuisse ascriptos a Frontino accepimus. verba ejus hæc sunt: *Lanuvium muro ductum colonia deducta a D. Julio* . Item; *Vul-*

turnum muro ducta colonia jussu imperatoris Cæsaris est deducta. iter populo debetur pedes XX. *ager ejus in nominibus villarum, & possessionum est assignatus*. Quin etiam de VOLATERRANIS libet aliquid suspicari. cum agrum Volaterranum ab eo dividi jussum significet in epistolis ad Q. Valerium Cicero. itemque de VEIIS, & CAPENA, cum idem scribat ad Pætum de agris, & municipiis, quæ a Cæsare dividebantur: *Vejentem agrum & Capenatem metiuntur*. & in libro Frontini sit: *Veii colonia. ager ejus militibus est assignatus ex lege Julia*. postea deficientibus his ad urbanam civitatem adsociandos censuerat divus Augustus. Postremo vero opinari non nihil de iis etiam coloniis possumus, quæ Juliæ nomen tulerunt, ut de FANO, quæ Julia Fanestris; SUTRIO, quæ Julia Sutrina; HISPELLO, quæ Julia Hispella; DERTHONA, quæ Julia Derthona veterum testimonio lapidum sunt appellatæ. ut quemadmodum Cæsar Capuam, quam Juliam Felicem a se appellavit, deduxit, sic reliquas etiam, quæ Julio nomine sunt affectæ, ab eodem esse deductas putemus. Hæ sunt Cæsaris veteranorum coloniæ, quibus peragratis M. Antonium consulem stipatum armis ad senatum retulisse de actis Cæsaris in secunda adversus Antonium Cicero dixit.

Deinceps sequuntur Antonianæ. Has Cæsare interfecto a M. Antonio consule deductas esse, non est dubium. Vestigia enim hujus doctrinæ perspicua extant in libris Philippicis Ciceronis, in quibus ita de CASILINO disputat adversus M. Antonium: *Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis ante annis deducta, ut vexillum tolleres, & aratrum circumduceres. cujus quidem vomere portam Capuæ pene perstrinxisti, ut florentis coloniæ territorium minueretur*. & alio loco: *Addit Antonius, quos ipse cum Dolabella dederit agros, teneant ii, quibus dati sunt. hic est Campanus ager, & Leontinus, quæ majores nostri annonæ perfugia ducebant*. Huc accedit Plutarchus, qui in vita Antonii nos admonet de PISAURO scribens: *Prodigium ante prælium Actiacum extitit, quod Pisaurum oppidum non longe ab Hadria, quo Antonius colonos ascripserat, terræ hiatu labefactatum est*. Nam quid illa trita commemorem, quæ Cicero contra M. & L. Antonios fratres incenso sæpe animo dixit? *Omnem Italiam L. Antonio dividendam dedit*. Item: *Hic pecunias nostras æstimabat: possessiones notabat, & urbanas, & rusticas: dividebat agros quibus, & quos volebat: tantum quisque habebat possessor, quantum reliquerat divisor Antonius*. Item: *Nucula, & Lento divisores Italiæ ea lege, quam senatus per vim latam judicavit*. & illa: *Multi fuerunt multis in legionibus per tot annos. bis quoque divisit Semurium. campus Martius restabat. sed hæc agrorum assignatio paulo ante Quirites L. Cæsaris sententia dissoluta est. huic enim assensi septemvirum acta sustulimus*. Quo ex fonte querelæ illæ jam notæ manarunt M. Antonii, cum ad senatum scripsit: *Veteranorum colonias deductas lege, & senatusconsolto sustulisti*. cui respondit in senatu Cicero: *Nos sustulimus, an contra leges comitiis centuriatis lata sanximus? vide ne tu veteranos, qui erant perditi, perdideris: in eumque locum deduxeris, ex quo ipsi jam sentiunt, se nunquam exituros*.

Relinquamus Antonianas, & ad triumvirales pergamus. Triumvirales appello, quæ triumvirum reipubl. decreto sunt deductæ. nam constituisse eos colonias, quæ non loquuntur historiæ? Quas tamen illi potissimum constituerint, quoniam res est, quæ non ita omnibus patet, in eo nobis videtur esse diligenter elaborandum. Illud autem inter antiquissimos rerum Romanarum auctores constat, negotium C. Cæsari Octaviano ab Antonio, & Lepido collegis esse datum, ut in coloniis milites emeritos collocaret, quorum opera Brutum, Cassiumque devicerant. unde illa extiterunt, quæ sunt apud Suetonium: *Partitis post victoriam officiis, cum Antonius orientem ordinandum, Octavius veteranos in Italiam reducendos, & municipalibus agris collocandos recepisset, neque veteranorum, neque possessorum tenuit gratiam, alteris pelli se, alteris non pro spe meritorum tractari querentibus*. Cum autem Appianus XIIX. colonias tum decretas esse prodiderit, ac septem tantum nominarit, CAPUAM, REGIUM, VENUSIAM, BENEVENTUM, ARIMINUM, NUCERIAM, & HIPPONEM, reliquas ex Frontini libro non incommode videmur posse colligere, Arretium, Aquinum, Faliscam, Florentiam, Fœdaturas, Formias, Telesiam, Tuder, Venafrum, Volaterras, & Ulubras. de quibus video sic ascriptum esse: ARRETIUM *muro ducta lege triumvirali. iter populo non debetur. ager ejus militibus est assignatus*. AQUINUM *muro ducta colonia. lege triumvirali deducta. iter populo debetur pedes* LXXX. *ager ejus peremnis militibus est assignatus. Colonia Junonia, quæ appellatur* FALISCA *a triumviris est assignata. & modus jugerationis est datus, in qua limites intercisivi sunt directi lege agraria. C. Cæsaris auspiciis, & M. Antonii, & M. Lepidi pont. max. colonia* FLORENTIA *deducta, a triumviris assignata lege Julia. centuriæ Cæsarianæ in jugera per Kardines, & decumanos, termini rotundi pedales, & distant a se pedes* IICCCC. *Colonia* FOEDATURÆ *ea lege, qua ager Florentinus in centuriis singulis jugera* CC. *termini lapidei, alii sextantes, alii molares*. FORMIAS *oppidum triumviri sine colonis deduxerunt. iter populo non debetur. ager ejus in absoluto recedit. pro parte in lacineis est assignatus. finitur terminis siliceis, & Tiburtinis*. TELESIA *muro ducta colonia a triumviris deducta. iter populo debetur pedum* XXX. *ager ejus limitibus Augusteis in nominibus est assignatus*. TUDER *fida colonia ea lege, qua & ager Florentinus. in centuriis singulis jugera* CC. *termini lapidei, alii saxei, alii molares*. VENAFRUM *oppidum triumviri deduxerunt sine coloniis. iter populo debetur pedes* XX. *ager ejus in lacineis limitibus intercisivis est assignatus, sed summa montium jure templi deæ ab Augusto sunt concessa*. VOLATERRÆ *colonia lege triumvirali est assignata, in centurias singulas jugera* CC. *decumanis Kardinibus est assignata, quam etiam veterani in portionibus divisam pro parte habuerunt. in quos limites cepit intervalla pedum* CD. *de quibus centuriis unusquisque miles accepit jugera* XXV. *&* LXXXV. ULUBRÆ *oppidum a triumviris erat deductum, postea a Druso Cæsare extinctum. ager ejus in nominibus est assignatus. iter populo non debetur*. Hæc sunt XIIX. coloniæ, quas a triumviris decretas, ab Octavios deductas libet suspicari. alias quærent alii, quibus ultra præscriptam triumvirum legem tota fere ab Octavio occupata esse Italia dicitur. siquidem in eadem Appiani historia scriptum est: objectum esse ab Antonio Cæsari Octaviano, quod cum XVIII. oppida veteranis assignare debuisset, totam fere Italiam divisisset; & cum XVIII. legiones eo deducere debuisset, XXXIV. deduxisset. quod neque Dio dissimulavit, qui inter eas BONONIAM retulit.

Postremo colonias etiam alias duodetriginta ab Octavio post victum ad Actium Antonium, & præclara victoria pacem & urbi, & orbi terrarum partam, tum cum jam Augustus diceretur, invenio apud Suetonium his verbis scriptum: *Ad hunc modum urbe urbanisque rebus administratis Italiam duodetriginta coloniarum numero a se deductarum frequentavit, & ut Romam suffragia mitterent de magistratibus urbicis, statuit*. & apud Dionem ita libro LI. *Cæsar Romam reversus ad rempublicam constituendam militibus aliis pecunias distribuit, iis vero, qui sub se perpetuo stipendia fecerant, agros etiam assignavit. populis enim, qui cum Antonio senserant,*

serant, deletis, & oppida, & agros eorum militibus condonavit. & apud Higinum: *D. Augustus in assignata orbi terrarum pace, exercitus qui sub Antonio, aut Lepido militaverant, pariter & suarum legionum milites colonos fecit, alios in Italia, alios in provinciis. quibusdam deletis hostium civitatibus, novas urbes constituit, quosdam in veteribus oppidis deduxit, & colonos nominavit. illas quoque urbes, quæ deductæ a regibus, aut dictatoribus fuerant, quas bellorum civilium interventus exhauserat, dato iterum coloniæ nomine, numero civium ampliavit, quasdam & finibus*. & apud Flaccum: *Illarum urbium maxima finium pars data est coloniis, quæ in remotiora loca, & longe a mari positæ videbantur, ut numerus civium, quem multiplicare divus Augustus conabatur, haberet spacia, in quæ subsistere posset*. Quæ autem hæ coloniæ XXIIX. fuerint, parum explicata memoria est. ex his enim tantum XII. apud Frontinum inveni, Soram, Teanum Sidicinum, Puteolos, Acetras, Aletrium, Atellam, Caudium, Beneventum, Cumas, Graviscas, Nuceriam; alias apud alios, Augustam Taurinorum, Bovianum, Capuam, & Ariminum. Frontini hæc verba sunt: SORA *muro ducta colonia, deducta jussu Cæsaris Augusti. iter populo debetur pedum* XV. *ager ejus limitibus Augusteis veteranis est assignatus*. TEANUM, *quod est & Sidicinum, colonia deducta a Cæsare Augusto. iter populo debetur pedum* LXXXV. *ager ejus limitibus metricis omnibus est assignatus*. PUTEOLI *colonia Augusta. Augustus deduxit. iter uno latere populo debetur pedum* XXX. *ager ejus in jugeribus veteranis, & tribunis legionariis est assignatus*. ACERRÆ *muro ducta colonia. D. Augustus deduci jussit. iter populo debetur pedum* LXXX. *ager ejus in jugeribus est assignatus*. ALETRIUM *muro ducta colonia. Augustus deduxit. iter populo non debetur. ager ejus per centurias, & strigas est assignatus*. ATTELLA *muro ducta colonia, deducta ab Augusto. iter populo debetur pedum* CXXI. *ager ejus in jugeribus est assignatus*. CAUDIUM *muro ductum. iter populo debetur pedum* L. *a Cæsare Augusto coloniæ Beneventanæ cum territorio suo est adjudicata. ager ejus veteranis fuerat assignatus. postea mensuratus, limitibus est censitus*. CUMÆ *muro ducta colonia, ab Augusto deducta. iter populo debetur pedes* LXXX. *ager ejus in jugerib. veteranis pro merito est assignatus jussu Claudii Cæsaris*. GRAVISCÆ *colonia ab Augusto deduci jussa est*. NUCERIA *muro ducta colonia, deducta jussu imperatoris Augusti. iter populo debetur pedes* LX. *ager ejus limitibus Julianis lege Augustana militibus est assignatus*. Hæc ex Frontino. AUGUSTAM porro TAURINORUM, & CAPUAM ab Augusto deductas, significat Plinius. nam Augusta ab eo colonia nominatur: nomen autem Augustæ, a quo ipsa deducta sit, indicat. libro autem decimo octavo, capite XI. de Capua ita scribit: *Extat divi Augusti decretum, quo annua vicena millia Neapolitanis numerari jussit a fisco suo, coloniam deducens Capuam*. De BOVIANO suspicari libet, quia a Plinio Bovianum Undecumanorum vocatur, quod eo Undecumanæ legionis milites sunt ascripti. De ARIMINO admonet lapis ita inscriptus, PATRONO COL. AUG. ARIMIN. Ac de militaribus quidem coloniis hæc accepimus.

CAP. V.

De Istria ad Italiam adjuncta.

NUNC, quoniam plerique eorum, qui de Italiæ situ, regionibusque scripserunt, Italiam non Carnis, sed Istris; nec Tergeste oppido, sed Pola; nec Formione amne, sed Arsia circumscribunt, ut eorum, quibus hæc res aliquem injicere A dubitationis scrupulum possit, quæstioni occurram, placet, quemadmodum Italiæ a me definitæ Istria sit adjuncta, atque a Formione ad Arsiam propagata, ostendere. ita tamen, si paucis ante, quid de Istrorum bellis invenerim, exposuero. Istris arma primum illata sunt anno DXLII. a P. Scipione, M. Minucio consulibus. caussam bello attulerunt naves Romanorum ab eis captæ, ac direptæ. Quibus partim vi, partim voluntate ad deditionem adductis, facile fuit, ut sequentes consules C. Lutatius, & L. Veturius sine pugna usque ad Alpes penetrarent. quod in Eutropii, & Zonaræ commentariis invenitur. Inde B usque ad annum DLXX. quietæ in Istria res fuerunt. tum vero M. Marcellus consul Gallis transalpinis, qui oppidum in agro Aquilejensi condiderant, ex provincia pulsis bellum Istricum moliri cœpit, litteris ante ad senatum missis, ut sibi in Istriam traducere legiones liceret. neque ita multo post Romam comitiorum caussa est revocatus. Hunc autem intellexisse Plinium puto, cum scripsit: *Ab Aquileja ad* XII. *lapidem deletum oppidum etiam invito senatu a M. Claudio Marcello, L. Piso auctor est*. Post biennium L. Duronio prætori Apuliam decretam, & Istros adjectos pergit Livius, quod Tarentini Brundisinique nunciabant, maritimos agros in- C festos transmarinarum navium latrociniis esse. Inde anno CLXXV. A. Manlius consul decreto Istrico bello profectus ab Aquileja castra ad lacum Timavi posuit (imminet mari is lacus) & collatis signis male, castris præsertim amissis, pugnavit. post recuperata pugna, Istrorum ad octo milia cæcidit. Postero anno C. Claudius consul Istriam est sortitus, qui antequam ad bellum veniret, M. Junius & A. Manlius, qui priore anno consules fuerant, cum Aquilejæ hibernassent, principio veris in fines Istrorum exercitu inducto quattuor millia eorum in acie cæciderunt, eosque ad pacem petendam datis obsidibus coegerunt: cumque Nesactium oppidum, quo D se principes Istrorum, & regulus ipse Æpulo receperat, summa vi oppugnarent, eo Claudius consul exercitum adduxit, atque oppidum cepit. rex, ne in manus hostium perveniret, sibi necem conscivit. duo deinde oppida Mutila & Faveria vi capta, & deleta. Istria tota trium oppidorum excidio, & morte regis pacata est, omnesque undique populi obsidibus datis in ditionem venerunt. An vero hoc bello, an eo potius, quod post anno DCXXV. a C. Sempronio Tuditano consule gestum est, Istria provincia facta sit, parum mihi constat. De Tuditano vero, quem Plinius Istros domuisse prodidit, ita in Livianorum epitomis scriptum est: E *Sempronius consul contra Japudas primo male rem gessit, mox victoria cladem acceptam emendavit virtute D. Bruti*. quem eundem cum Illyriis rem gessisse apud Appianum; de Japudibus triumphasse in Tabulis Capitolinis invenio. Japudes autem in Alpibus a tergo Istrorum fuerunt. Hunc igitur in modum Istria in potestatem redacta tam diu cum Illyrico provincia fuit conjuncta, dum ab imperatore Augusto Italiæ est attributa. Hoc autem Melæ, Plinii, & Strabonis præclara litterarum monumenta docent. Mela enim in describendis Italiæ partibus Carnorum tantum, & ultimi eorum oppidi F Tergestis meminit; in Illyrici autem, Istriæ. Plinius ita loquitur, ut Formionem primis temporibus Italiæ finem esse significet, novissimis autem Arsiam. sic enim ait: *Ultra Tergeste sex millia passuum Formio amnis, antiquus auctæ Italiæ terminus, nunc vero Istriæ*. & post: *Oppida Istriæ civium Romanorum Ægida, Parentium, colonia Pola, quæ nunc Pietas Julia. abest a Tergesto centum millia passus. mox oppidum Nesactium, & nunc finis Italiæ fluvius Arsia*. Strabo autem, qui Augusti fuit æqualis, Istriam Italia comprehensam ab Augusto videtur innuere, cum ait: *Italiam usque*

ad Polam Istricum oppidum, qui nunc sunt principes, produxerunt. Cujus rei omnem plane, ut video, sustulit dubitationem Plinius, qui cum Italiam ab Augusto in regiones undecim distributam prodat, in decima Venetos & Carnos cum Istris, ut jam ab Augusto Italiæ attributis enumerat.

CAP. VI.

De Alpibus, ac fœdere, jureque gentium Alpinarum.

SATISFACTUM officio & muneri meo putarem, si hoc loco institutam disputationem deponerem. suscepi enim veterem Italiam illustrandam, quæ non Alpibus, sed intra Alpes includitur. quæ me hactenus pro opibus effecisse, nemo adeo alienæ industriæ invidus erit, qui non facile fateatur. sed me & antiquitatis studium, & suscepti muneris amor longius aliquanto etiam provehit, ut de populis Alpinis aliquid dicam, qui si non omnino Itali fuerunt, at certe aliquo modo Italiam attigerunt. Sunt ergo mihi primum Alpes omnes quæ tuentur Italiam, describendæ, & populi earum notandi, deinde quando victi, quo fœdere donati, quo jure affecti fuerint, exponendum. Invenio in commentariis rerum Italicarum Sempronianis, Alpes tres in partes fuisse divisas, unam a Nicæa ad Penninum, eamque a Liguribus esse infessam, alteram a Pennino ad Ocram montem, tertiam Taurisanam usque in Istriam. Narrat etiam ex Polybii auctoritate Strabo, per Alpes in Italiam vias fuisse quattuor, unam per Ligures proxime mare Tyrrhenum, alteram per Taurinos, qua usus sit Annibal, tertiam per Salassos, quartam per Rhætos. Porro autem Alpium multæ fuerunt partes, si multa earum, quæ in veteribus sunt monumentis, nomina intuemur. nam Maritimæ in primis, Cottiæ, Grajæ, Rhæticæ, & Carnicæ, Alpes commemorantur.

Maritimæ sive a Nicæa, sive, ut ait Polybius, a Massilia usque ad vada Sabatia pervaserunt, auctore Strabone, eæque a Liguribus maxime Intemeliis, & Ingaunis sunt habitatæ, unde oppida eorum nomen invenerunt, Albium Intemelium, & Albium Ingaunum. Albia, ut inquit Strabo, quasi Alpia dicta. Easdem autem a Comatis Liguribus cultas, auctor est Dio lib. LIV. unde illud est Plinii: *Capillatorum Ligurum plura esse genera ad confinium Ligustici maris*. Supra hos vero in Alpibus, ut opinor, fuerunt Ligures Vagienni, qui sunt ad fontes Padi, teste Plinio, qui e monte Vesulo manat. horum autem meminit quoque Silius, cum dixit: *Et pernix Ligus, & duri per saxa Vagenni*. Inde sunt Taurini Ligures, de quibus ita scriptum in Strabonis commentariis est: *Meduli imminent maxime Isari, & Rhodano confluentibus. ex altera vero parte, quæ spectat Italiam, & Taurini habitant, gens Ligustica, & alii Ligures. horum vero ager est, qui dicitur Ideonnis, & Cottii*. Per hos autem populos Taurinorum alter fuit ex Gallia in Italiam transitus, quo, ut dixi, usus est Annibal, quem ex Alpibus in Taurinos degressum Polybius, & Livius litteris prodiderunt.

Ex verbis autem Strabonis perspicuum est, Alpes Cottias Taurinis populis esse finitimas. quod idem confirmare videtur Plinius, cum ait: *Cottianæ civitates, Caturiges, & ex Caturigibus orti Vagienni Ligures*. Ammianus quidem Marcellinus Cottias Alpes a Segusione initium ducere scripsit. Segusionem autem oppidum non longe a Taurinis collocat Plinius, cum ita pergit: *Oppida Vibiforum, Segusio, coloniæ ab Alpium radicibus, Augusta Taurinorum, inde navigabili Pado*.

Post Taurinos, inquit Strabo, & Padum sunt A Salassi. super quos in verticibus sunt Ceutrones, Caturiges, & Veragri, & Nantuates, & lacus Lemanus, per quem fertur Rhodanus, & fons fluvii. non longe vero ab his sunt fontes Rheni, & mons Adula, ex quo effluit Rhenus ad septentrionem; & ex altera parte Abdua, qui in Larium lacum influit, qui est ad Comum. in Alpibus autem Medulorum duo fontes sunt, ex quorum altero Druentia amnis in Rhodanum præcipitat, ex altero Durias per Salassos in Padum. Salassos autem opinor tenuisse Grajas, quæ dictæ sunt, Alpes. siquidem inquit Plinius, *Augustam prætoriam Salassorum juxta* B *geminas Alpium fauces Grajas atque Penninas fuisse*. Strabo autem Salassorum regionem magnam ait fuisse in profunda valle, locum undique cingentibus montibus. iis autem, qui ex Italia trajicere in Galliam ulteriorem velint, per hanc vallem viam esse Lugdunum. hanc deinde in duas partes scindi, quarum alteram acclivem, per Penninum ducere, jumentis inviam per summas Alpes; alteram vero per Ceutrones plaustris commodiorem. Quibus ex rebus satis intelligi posse opinor, Salassos a Duria flumine ad Abduam pervenisse.

Supra Comum autem ad Alpium radicem, ut inquit Strabo, ab una parte sunt Rhæti orientem versus, C & Vennones, ab altera vero Lepontii, & Tridentini, & Stoni, & alii modici populi Italiam obtinentes. & alio loco, *Rhæti*, inquit, *ad Italiam spectant supra Comum, & Veronam. ipsi vero usque ad loca, per quæ Rhenus fertur, porriguntur. hujus vero gentis sunt etiam Lepontii, & Camuni. Vindelici vero, & Norici exteriorem montium crepidinem tenent. Rhætorum ferocissimi Rucantii, & Cotuantii*. de quibus omnibus ita etiam Plinius: *Rhæti, & Vindelici omnes in multas civitates divisi. verso deinde in Italiam pectore Alpium Latini juris Euganeæ gentes. ex iis Triumpilini venalis cum agris suis populus, dein Camuni, complures que similes. Le-* D *pontios Taurisci gentis Cato arbitratur. ceteri Lepontios relictos ex comitatu Herculis ex interpretatione Græci nominis credunt. ejusdem & Grajos fuisse positos in transitu Grajarum Alpium incolas, præstantesque genere Euganeos. caput eorum Stonos. Rhætorum Vennones, Sarunetesque ortus Rheni amnis accolunt. Lepontiorum, qui Viberi vocantur, fontem Rhodani, eodem Alpium tractu*. Addo hoc etiam, Rhæticas Alpes a valle Volturrena, cujus Cato meminit, exordium ducere, ac per eam in Larium lacum Abduam amnem deferri.

Extremæ sunt Carnicæ Alpes, quas deinceps his E verbis complexus est Strabo: *Post Rhætos, & eorum populos, qui Adriatico sinui, in agro Aquilejensi proximi sunt, nonnulli ex Noricis, & Carni insident. ex Noricis autem sunt etiam Taurisci.*

Inde Japudes ab utraque montium parte incolunt. eorum oppida Metulum, Arupenum, Monettium, Vendum. Ocra vero humillima pars est Alpium, qua cum Carnis junguntur, & per quam onera ex Aquileja in Pamportum plaustris deferuntur. Nec longe aliter Plinius, qui inquit: *Incolæ Alpium a Pola ad Tergestis regionem Secusses, Subocrini, Attali, Menocaleni, juxtaque Carnos quondam Taurisci appellati, nunc Norici*.

F Atque hæc quidem de Alpium Italicarum descriptione, ac situ hactenus. nunc quo fœdere hi populi in amicitiam sint recepti, aperiamus. Jam igitur Gallia citerior omnis, & maxima Ligurum pars erat pacata, & legibus ac prætori Rom. obediebat, cum Alpinæ adhuc gentes a bello erant intactæ. Quod significavit Plinius, cum dixit, Gallos Padi accolas brevi a Romanis spoliatos agris esse præter eos, qui sub Alpibus habitarent. Bellum autem hoc crebræ eorum in provinciam Rom. excursiones excitarunt. primus, quantum ego compererim, Alpinis Gallis arma intulit M. Claudius Mar-

cellus anno DLXXXVII. a quo Alpinos Gallos subactos in epitomis Livianis scriptum invenio. Reperio etiam, L. Crassum consulem anno DCLVIII. in citeriore Gallia cum Alpinis populis decertasse. scriptum autem est hoc in Rhetoricis apud Ciceronem: *L. Crassus consul*, inquit, *quosdam in citeriore Gallia nullo illustri, neque certo duce, neque eo nomine, neque eo numero præditos, ut digni essent, qui hostes populi Rom. dicerentur, quod tamen excursionibus & latrociniis infestam provinciam redderent, consecutus est, & confecit*. Gessit etiam cum iis bellum Q. Metellus Celer prætor Galliæ citerioris, Murena, & Silano consulibus, anno DCXCI. quod extat in epistola ejus ad Ciceronem. Idem fecit post eum D. Brutus, cum provinciam Galliam obtineret. quod ex ejus epistola ad Ciceronem cognoscitur, in qua ita scribit: *Progressus sum ad Inalpinos cum exercitu, nomen captans imperatorium*. rem autem & ipsum ibi bene gessisse, apparet ex triumpho, quem ei, ut inquit Cicero in Philippicis, senatus decreverat e provincia decedenti. Sed quinam potissimum hi hostes in Alpibus, cum plurimi esse possint, extiterint, pro certo proponere non ausim. De quibus comperti aliquid habemus, hi fere sunt.

Maritimæ Alpes a Capillatis Liguribus cultæ M. Crasso, Cn. Cornelio coss. anno DCCXXXIX. imper. Augusti auspiciis in servitutem sunt redactæ, teste Dione, cum eo usque liberæ fuissent. De jure autem, & conditione earum sub Augusto ita sentit Strabo, ut scribat, ex Liguribus, qui inter Varum, & Genuam sunt, Maritimos eosdem cum Italicis esse, ad Montanos præfectum quendam ex equestri ordine missum. at vero anno DCCCXV. Nero imp. nationes Alpium Maritimarum ad jus Latii redegit. quod voluit, credo, Plinius cum Capillatorum Ligurum multa genera Latio donata scripsit. Cum autem Alpinas gentes omnes auspiciis Augusti domitas acceperimus, Vagiennos etiam & Taurinos Ligures ab eo in ditionem adductos possumus suspicari: præsertim vero cum is utriusque victoriæ monumenta reliquerit, Augustam Vagiennorum, & Augustam Taurinorum, quarum Plinius meminit, qui idem Vagiennos, & Caturiges Latio donatos prodidit.

Cottias alpes Cottio regi suo obedientes Augustus non attigit. Indicat hoc Marcellinus, cum ait: *Cottias Alpes Cottius perdomitis Galliis solus in angustiis latens, inviaque locorum asperitate confisus, lenito tandem timore in amicitiam Octaviani principis receptus molibus magnis extruxit ad vicem memorabilis muneris compendiarias, & viantibus opportunas medias inter alias Alpes vetustas*. Unde merito dixit Plinius, cum de trophæo Augusti de gentibus Alpinis erecto loqueretur, *Non esse additas Cottianas civitates XII. quæ non fuerunt hostiles, sed item attributas municipiis lege Pompeja*. Suetonius autem auctor est, Cottias Alpes defuncto Cottio post ab imp. Nerone in provinciæ formam esse redactas. Quod autem proditum memoriæ est, Cn. Pompejum, cum in Sertorium iret, Alpes alio itinere, quam Annibalem, trajecisse, & bellum in Alpibus inter Padi, & Rhodani fontes gessisse, quod & in epistola Pompeji est apud Sallustium, & apud Appianum libro I. profecto intelligendum, non cum aliis, quam cum his populis ab eo decertatum esse.

Adversus Salassos primus, ut opinor, exercitum adduxit Ap. Claudius Pulcher consul anno DCX. Hunc narrat Orosius, cum victus decem millia peditum amisisset, reparata pugna quinque millia hostium cæcidisse. Unde anno DCXXXIII. Mario VI. & Flacco coss. Eporœdiam coloniam deductam ad cohibendas Salassorum hostium incursiones scripsit Strabo, a quo eodem reliqua, quæ ad Salassorum bella pertinent, cognovimus. *Salassorum*, inquit ille, *magna regio est in profunda valle, cum undique cingant locum montes. habet autem aurifodinas, quas obtinebant Salassi, tum cum res eorum florebant, ut & eorum quoque locorum aditum tenerent. quæ caussa bella inter eos etiam sæpe accendit. Rerum autem potitis Romanis & aurificium, & agrum amiserunt. montium autem juga tenentes, aquam publicanis, qui aurificium exercerent, venundabant, & cum iis sæpe lucri cupiditate contendebant, ut nunquam Romanis prætoribus, qui eo mitterentur, caussæ belli deessent. postremo partim bellis attriti, partim conciliati opes tamen magnas habebant, & multa damna latrociniis inferebant iis, qui per suos montes iter facerent. quippe a quibus D. Brutus Mutina fugiens data viritim drachma sese redemerit. Messalla etiam cum prope illos hybernaret, mercedem lignorum persolvit, quæ partim ad naves, partim ad hastas conficiendas rapuerat. postremo Cæsar Augustus eos funditus sustulit, & universos sub corona vendidit in Eporœdiam coloniam translatos. ibi autem brevi resistere potuerunt, donec gens ipsa extincta est. Aliorum igitur capitum sex & triginta millia censa sunt; qui ætate militari essent, octo millia. omnes autem Terentius Varro prætor sub hasta vendidit. tribus autem millibus Romanorum deductis Augustus oppidum Augustam constituit, quo in loco Varro castra prætoria habuerat. & nunc finitima regio usque ad summa montium juga pacata est*. Hæc Strabo, quæ eadem a Dione libro XLIX. video confirmari, cum scribit, Salassos, aliosque qui cum Salassis res novas moliebantur, a Messalla, & Varrone esse devictos. a Varrone autem eorum opes ita accisas, ut certam pecuniæ summam dare coegerit, & qui militarem ætatem haberent, vendiderit, cum eo, ut nemo intra viginti annos liberaretur, & opimum eorum agrum diviserit, & Augustam prætoriam illis condiderit.

Sequuntur Rhæti. & hos etiam cum Lepontiis, & ceteris finitimis populis ab Augusto perdomitos apud Strabonem invenio. in ejus enim commentariis ita scriptum est: *Supra Comum ad Alpium crepidinem sunt Rhæti, & Vennones, alia ex parte Lepontii, & Tridentini, & Stoni, & alii multi parvi populi Italiam tenentes. qui prioribus temporibus latrocinia exercebant, & inopia laborabant. nunc vero alii deleti sunt, alii vero omnino mansuefacti, ut cum antea transitus per eorum montes pauci, & difficiles essent, nunc ex multis locis, & tuti ab iis sint, & faciles. quorum caussa una est custodia. addidit enim Cæsar Augustus, ad tollendos latrones viarum custodes, quantum potuit. non enim ubique naturæ vim afferre per petras, & rupes præcipites potuit, quarum aliæ viæ imminent, aliæ vero decidunt*. Ex his autem Camuni, & Venii P. Silio duce victi sunt, teste libro LIV. Dione, atque inde etiam reliqui. Nam cum sequenti, ut ille, anno M. Libone, Calpurnio Pisone coss. *Rhæti, qui inter Noricum, & Galliam ad Alpes Italiæ Tridentinas incolunt, Galliam sibi finitimam incursarent, atque ex Italia prædas agerent, & Romanis sociisque per agrum suum euntibus detrimenta inferrent, mares autem necarent non solum, qui apparerent, sed etiam, qui in ventribus essent, ea caussa Augustus primum in eos Drusum misit, qui, hostibus in montibus Tridentinis primo impetu fusis, imperatoria ornamenta obtinuit. postea vero quam ex Italia pulsi in Galliam irruperunt, Tiberium misit. qui cum ex multis partibus ambo in eorum agrum infestis signis impetum fecissent, & ipsi, & legati sui eum illis terrorem incusserunt, ut dissipatos singulos facile deleverint, reliquos vero rebus suis diffidentes in potestatem redegerint*.

Noricos inde, qui cum Pannoniis in Istriam invaserant, P. Silius idem in servitutem adduxit, ut

ait Dio. Nam Strabo Noricos, in quibus & Taurisci sunt, incursantes una æstate a Tiberio, & Druso fratribus repressos narrat.

Extremi sunt Japudes. Et hos virorum robore præstantes, cum populationibus essent infesti, tandem omnino a Cæsare debellatos, idem tradit. Quod idem apud Dionem etiam in hanc sententiam scriptum esse invenio: *Cæsar in Japudas profectus, eos, qui circa montes haud procul a mari habitabant, nullo negotio in ditionem adduxit: qui vero juga, & latera incolebant, eos non sine maximo labore perdomuit. Etenim cum Metulum oppidum suum maximum communissent, multos sæpe Romanorum impetus retuderunt, multas machinas incenderunt, & Cæsarem ipsum a lignea turri quadam murum conscendere conatum vulnerarunt. tandem vero, ubi nihilominus destitit, & exercitum advocavit, de pace se agere velle simulantes præsidium in arcem acceptum nocte trucidarunt, & in ædes igne illato alii se, alii uxores etiam, & liberos occiderunt, ut nihil prædæ inde ad Cæsarem pervenerit, cum etiam captivi haud ita multo post sponte sibi manus intulerint.* Hæc autem omnia cum aut Augusti auspiciis, aut ductu imperioque ejus sint gesta, propterea in tropæo Alpium ab eo devictarum hæc, teste Plinio, fuerunt inscripta: IMP. CÆSARI DIVI F. AUGUSTO, PONT. MAX. IMP. XIV. TRIBUNICIÆ POT. S. P. Q. R. QUOD EJUS DUCTU, AUSPICIISQ. GENTES ALPINÆ OMNES, QUÆ A MARI SUPERO AD INFERUM PERTINEBANT, SUB IMPERIUM POPULI ROM. SUNT REDACTÆ. GENTES ALPINÆ DEVICTÆ. TRIUMPILINI, CAMUNI, VENNOTES, VENONETES, HISARCI, BREUNI, NAUNES, JOCUNATES, VINDELICORUM GENTES QUATTUOR, CONSUANETES, VIRUCINATES, LICATES, CATENATES, ABISONTES, RUGUSCI, SUANETES, COLLUCONES, BRIXENTES, LEPONTII, VIBERI, NANTUATES, SEDUNI, VERAGRI, SALASSI, ACITAVONES, MEDULLI, UCENI, CATURIGES, BRIGIANI, SONTIONTII, EBRODUNTII, NEMALONI, EDENNATES, ESUBIANI, VEAMINI, GALLICÆ, TRIULATTI, ECTINI, VERGUNNI, EGUITURI, NEMENTURI, ORATELLI, VERUSI, VELAUNI, SUETRI.

Exposui, quæ de Italia, atque Italiæ jure assiduo studio ex summa annalium vetustate eruere potui: lætorque, me tandem ad laboris utinam tam gloriosi, quam, ut spero, utilis, optatum exitum pervenisse. Reliquum est, ut, posteaquam civitatem Romanam, Italiamque ipsam satis, ut his temporibus, atque hac opum imbecillitate potuit, explicuimus, deinceps Romanæ quosdam quasi per victoriæ gradus, provinciarum populi Romani jura vetera, quæ huic maxime conjuncta disputatio est, eo, quo instituimus, ordine persequamur.

CAROLUS SIGONIUS
DE
ANTIQUO JURE PROVINCIARUM.

LIBER PRIMUS.
Ad magnificum virum Joan. Vincentium Pinellum.



ECI, *Joan. Vincenti Pinelle, vir magnifice, non invitus, ut rerum Romanarum studium non mediocri a me quondam diligentia cultum, sed variis postea de caussis intermissum hoc tempore revocarem, quæque de jure populi Romani aliquot jam editis commentariis scribere instituissem, ea nunc demum opera repetita perficerem. Me vero, ut hoc facerem, cum res ipsa per se cognitione dignissima, tum tua in primis auctoritas impulit, quæ in omni re merito semper apud me plurimum valuit. quippe cum tu ita mecum, quæ tua est humanitas, ageres; non debere me diuturniorem ejus studii operam recusare, in quo summi quondam philosophi, ac summo ingenio, summaque doctrina præditi, Aristoteles, & Heraclides industrie essent versati. a quibus studiose non Græcorum solum, sed etiam barbarorum respublicæ conquisitæ, atque earum mores & instituta diligenter hominum essent memoriæ consignata. immo vero eo me vehementius oportere in hanc unam cogitationem incumbere, quod illi tenuiorum, atque obscuriorum fere gentium jura investigassent, ego unius omnium clarissimæ, ac potentissimæ statum exquirerem: illi florentium tum populorum res omnibus exploratissimas tradidissent, ego jampridem mortui, & vix paucissimis in litterarum monumentis spirantis instituta obscurissima ab oblivione hominum, & silentio vindicarem. Quamobrem feci, ut dixi, libenter, ut ad eos libros, quos superioribus annis de antiquo jure civium Romanorum atque Italiæ scripseram, tertios hos de vetere provinciarum jure adjun-*

gerem, quæ una mihi disputatio desiderari posse videbatur ab iis, qui perfectam veteris populi Romani juris notitiam requirebant: feci autem ita, ut, quod in superioribus etiam observavi, neque idoneum tantarum tradendarum rerum ordinem, qui mire tenere lectorem solet, prætermitterem, nec, quod auctoritatem doctrinæ summopere, continet, quidquam interea non certo veterum testimonio confirmarem. ut omnes intelligere possent, ad solidam hujus laudem studii persequendam facultatem mihi potius aliquam defuisse, quam voluntatem. Quod autem mea sponte propter summum meum erga te studium, tuamque constantem erga me voluntatem eram facturus, ut aliquo te scriptorum meorum genere appellando, veterem nostram necessitudinem notam posteris facerem, id mihi multo justiore ratione in hoc libro retinendum esse duxi, ut, quod te potissimum hortatore opus ad exitum perduxissem, idem etiam in manus hominum in tuo multo ornatissimo nomine darem. ut illud omittam, quod vere mihi videor posse dicere, eum esse te, quem ego cum propter veterem erga me animi propensionem, unice diligam, tum propter variam præstantium multarumque artium cognitionem, & incredibile ac constans virtutis ac scientiæ studium omnibus istius ætatis, ac dignitatis hominibus anteponam. Itaque cum in te omnia eluceant, quæ præclara videri hominibus, atque eximia solent, Genuæ patriæ claritas, Pinellæ familiæ decus, Cosmi patris optimi, ac magnifici viri splendor, fortunarum amplitudo; tu hæc omnia perpetuo uno virtutis ac doctrinæ, quo flores, studio ita obscurasti, ut, qui te laudant, hoc in maximis tuis ornamentis ponant, quod his omnibus, quæ vulgo homines suspiciunt, posthabitis, solam laudem ex beneficentia, comitate, multarumque atque egregiarum disciplinarum notitia consecteris. Quibus de rebus cum ego te, jam tum, cum in Patavino profiterer gymnasio, præsens cœpissem admirari, nunc demum multis, iisque non levissimis additis tui erga me amoris ac benevolentiæ notis absens ita amo, ut quem aut propter virtutis opinionem colam magis, aut propter officiorum erga me magnitudinem diligam vehementius, profecto habeam neminem. Quæ caussa fecit, ut hoc prodi posteris, quanquam ad laudem fortasse tuam exiguum, tamen ad animi mei fructum, non leve, ut sentio, testimonium voluerim: ut & tu, & ceteri, si plura, aut majora vel honorandæ virtuti, vel alendæ benevolentiæ tuæ præstare possem, studiosissime præstiturum me fuisse, cognoscerent. Sed de meo erga te officio alias fortasse commodius. nunc, quod suscepimus, quoniam, quibus in rebus jura civium Rom. Latinorum, atque Italicorum sita essent, superioribus libris ostendimus, deinceps eodem doctrinæ ordine jura provinciarum investigemus, ac, te potissimum auspice, experiamur, quantum in hac etiam parte efficere industria diligentiaque possimus.

CAP. I.

Quid provincia fuerit, & quomodo confecta sit.



PROVINCIÆ nomen tribus modis populus Romanus totius hujus rationis auctor accepit; uno, pro regione, quam aut armis devictam, aut quocunque modo in potestatem adductam ipse magistratui suo administrandam subjecit; altero, pro quacunque regione, in qua bellum Romanus imperator administrarit; tertio pro quacunque publici muneris procuratione. Nos autem de provinciis locuturi provinciam prima, & quidem propria significatione sumemus. Quocirca, si certam provinciæ, brevemque definitionem quæramus, sane ut Latium

A regionem jure Latii donatam, & Italiam regionem jure Italico affectam dicebamus; sic provinciam definiemus, regionem, quæ jus provinciale consecuta sit. Etenim jus ipsum singulis regionibus a populo Romano concessum, illud est potissimum, quo regio a regione distinguitur. Jus autem provinciale, quod alio nomine formula provinciæ nuncupatur, ut etiam jus Latii, atque Italicum ex legibus percussi cum populo Romano fœderis emanavit. Itaque, ut fœderis leges æquiores iniquioresque fuerunt, sic diversa, quemadmodum ante diximus, fœderum genera intulerunt. Quoniam autem leges, quæ provinciis datæ sunt, iniquiores fuerant, quam quæ Latio, atque Italiæ, propterea provinciæ jus etiam deterius, quam Latium, atque Italia, sunt adeptæ. Nam Italia vectigalis facta est illa quidem, sed tamen in universum libertate donata. Provinciæ vero non solum vectigalibus, sed etiam servitute multatæ sunt. quippe quæ legibus suis, ac magistrati-

bus jus dicentibus spoliatæ sint. Id vero argumento est, quod provincia nulla fuit, quæ non Romanum prætorem, ac quæstorem habuerit: illum, qui jus diceret; hunc, qui vectigalia procuraret. Unde scite scriptum illud est apud Strabonem, universæ regionis, quæ Romanis pareret, unam regibus subjectam fuisse; alteram ab ipsis possessam, in eamque provinciam dictam, prætores cum quæstoribus missos. ex quo intelligi potest, universam provinciæ rationem fuisse; ut vectigalis esset, ac populi Romani magistratui obediret. A

Quoniam autem unius regionis populi, ac civitates non eodem modo se adversus populum Romanum gesserant omnes, propterea neque eodem omnes pacto tractatæ sunt, verum pro suis cujusque meritis leges acceperunt. Quo factum est, ut aliæ civitates vectigales, aliæ immunes relictæ, aliæ servitute, aliæ libertate affectæ sint. Vectigales dictæ, quibus vectigal aliquod impositum est; immunes, quibus nullum. Servitute affectæ, quas magistratui Rom. parere voluerunt; libertate, quas magistratus Rom. jurisdictione solverunt. Vectigal porro ipsum aut certum fuit, aut incertum. certum, definita fere stipendii summa. & hoc tributum, sive stipendium, & qui hoc pependerunt, tributarii, sive stipendiarii nominati sunt; incertum, quod portubus, rebusque venalibus, pascuis, agrisque constitutum est, quod portorium, scriptura, & decuma dictum est. Tributum autem duplex fuit, unum pecuniæ ordinarium, quod in caput, atque in solum impositum quotannis exigebatur; alterum extraordinarium, quod aut ex lege, aut ex senatus consulto pro usu provinciæ aliquando imperabatur. veluti cum naves, nautas, milites, ac sumptum in eos dare provinciæ jubebantur. Portorium autem fuit vectigal, quod ex importatione, & exportatione rerum venalium capiebatur; scriptura, quod ex pastione pascuorum publicorum; decuma, quod ex agris, qui frumenti decumam, sive quamvis aliam partem darent. Frumenti vero, quod ex provinciis extrahebatur, tria genera extiterunt, decumanum, emptum, & æstimatum. decumanum erat decuma, quam quisque arator sine precio dare cogebatur. quæ summa pro copia, inopiave frumenti in singulos annos erat incerta. eaque aut Romæ a censoribus, aut in provincia a magistratu Romano vendebatur publicanis, qui ex eo decumani dicebantur, ut pro ea certam pecuniam populo Romano repræsentarent. Emptum summa altera, quam aratores vendere accepto ex senatus consulto precio cogebantur. quod frumentum Romam ad alendum populum a magistratu Romano mittebatur. Æstimatum summa alia, quam æstimabat magistratus in cellam suam in usum familiæ suæ, cum interdum pro frumento pecuniam acciperet. Quin etiam emptum duplex fuit, unum decumanum, quod ex alteris item decumis precio persoluto aliquando accipiebatur; alterum imperatum, quod præter duas decumas æqualiter omnibus civitatibus precio item soluto imperabatur. quemadmodum perspicue ex frumentaria cognoscitur. nam fuisse etiam quoddam quod honorarium diceretur, Cicero in Pisonem ostendit, cum dixit: *Qui modus tibi fuit frumenti æstimati, qui honorarii? siquidem potest vi & metu extortum honorarium nominari.* Servitus autem, quam dixi, civitatum, tota in eo posita fuit, ut legibus, & magistratibus Romanis obtemperarent. Qua de caussa in singulis provinciis diversæ diœceses, sive diversi conventus, ac diversa fora constituebantur, eisque suæ cuique civitates attribuebantur, quæ eo juris a magistratu Romano poscendi caussa convenirent.

Ut autem earum civitatum, quæ servitute oppressæ sunt stipendiariæ proprie dictæ, quæ aliquid populo Romano pependerunt; immunes, quæ nihil: sic earum, quæ libertate donatæ sunt, fœderatæ præcipue appellatæ, quæ aliquid ex fœdere debuerunt; liberæ, quæ omnino nihil. Quorum nominum, quarumque conditionum omnium quæ ratio, quæque formula fuerit, post singulis afferendis, quæ cuique civitati datæ sunt, legibus, apparebit.

Hujus autem totius beneficii atque honoris arbitrium ab initio penes senatum fuit universum. Is enim acceptis ab imperatore de superatis hostibus, & regione in potestatem adducta litteris, secum de mulcta ac præmiis eorum, qui victi essent, consultavit, ac quid sibi fieri placeret, imperatorem admonuit, decem, aut quinque legatis senatoribus ad eum missis, ut ex eorum sententia de hostibus, & eorum regione statueret. Quibus mandatis acceptis imperator aut ex certa senatus, si ita præscriptum fuerat, voluntate, aut de communi decem legatorum sententia victis gentibus aut ignovit, aut in provinciæ formam redegit. ignovisse dictus est, cum liberas reliquit, ac suis uti legibus, suosque creare more patrio magistratus permisit; in provinciæ formam redigere, cum ademptis, aut immutatis legibus eos omnino magistratui Romano quotannis ab urbe mittendo subjecit, ac vectigalia, conventusque constituit. Quo in genere illud humanitatis adhibuit, ut non omnes ejusdem provinciæ civitates eodem modo tractaret, verum pro cujusque meritis, aut majoribus aut minoribus, ut dixi, commodis ac detrimentis afficeret. Quæ vero cum de universa regione, tum de singulis civitatibus, populisque constituta erant, ea in concione silentio ante per præconem facto imperator fere præconi pronuncianda mandabat, ac postremo Romam, relicto aliquo præfecto provinciæ, decedebat. Atque hæc quidem omnia ita esse, ex iis, quæ proxime de singulis provinciis dicentur, intelligetur.

Ex his autem perspicuum illud est, provinciam, ut proposui, regionem fuisse, quæ tum vectigalia populo Romano pependit, tum magistratui populi Romani ex fœderis lege obtemperavit, exceptis civitatibus iis, quæ propter merita sua aut immunitate, aut libertate donatæ, atque in amicorum formulas relatæ essent. ac propterea jus provinciale, quo magistratui Romano parere coacti sunt, multo, quam aut Italicum, aut Latinum, incommodius, ac deterius fuisse. civitates autem, populos, homines, familiasque eas excipio, quæ propter merita sua aut libertate, aut immunitate donatæ sunt, aut in amicorum, & sociorum formulam, numerumque relatæ. Fuisse vero talem libertatis, immunitatis, atque amicitiæ formulam, licet ex vetere senatusconsulto ann. DCLXXV. facto, ejusdemque memoriæ plebiscito perspicere. senatusconsultum, prout e Græco conversum, atque suppletum est, hujusmodi est:

COS. E. LUTATIO. Q. F. CATULO. M. ÆMILIO. Q. F. M. N. LEPIDO.
PR. VERO. URBANO. ET. PEREGRINO... L. CORNELIO. F. SISENNA. MENSE. MAJO.
Q. LUTATIUS. Q. F. CATULUS. COS. AD. SENATUM. RETTULIT.
XI. KAL. JUNIAS. IN. COMITIO. SCRIBENDO. AFFUERUNT. L. FABERIUS. L. F. SERGIA.
C...... L. F. POPLILIA. Q. PETILLIUS. T. F. SERGIA.
QUOD. Q. LUTATIUS. Q. F. CATULUS. COS. VERBA. FECIT.
ASCLEPIADEM. PHILINI. F. CLAZOMENIUM. POLYSTRATUM. POLYARCI. F. CARYSTIUM.
MENISCUM. IRENÆI. F. MENISCUM. THARGELII. F. MILESIUM.
IN. CLASSE. AFFUISSE. BELLO. ITALICO. INEUNTE. EOS. OPERAM. FORTEM. AC. FIDELEM.

REIP. NOSTRÆ. NAVASSE. EOS. EX. S. C. SE. SE. IN. PATRIAS. RECEPISSE.
VELLE. SEI. EI. VIDEATUR. UTEI. PRO. REBUS. BENE. GESTEIS. AB. EIS.
ERGA. REMP. NOSTRAM. EORUM. COMMEMORATIO. FIAT. D. E. R. I. C.
ASCLEPIADEM. PHILINI. F. CLAZOMENIUM. POLYSTRATUM. POLYARCI. F. CARYSTIUM.
MENISCUM. IRENÆI. F. MILESIUM. MENISCUM. INDIDEM. TARGELII.
VIROS. BONOS. PROBOSQUE. ET. AMEICOS. DECLARARE. SENATUM.
POPULUMQUE. ROMANUM. EXISTIMARE. EORUM. OPERAM. BONAM. ET. FORTEM.
ET. FIDELEM. REIP. NOSTRÆ. FUISSE. QUAM. OB. CAUSSAM. SENATUM. JUDICARE.
UTEI. IEI. LEIBEREI. POSTEREIQUE. EORUM. IN. SUEIS. PATRIEIS. IMMUNES.
RERUM. OMNIUM. ET. TRIBUTORUM. EXPERTES. SINT. SIQUÆ. TRIBUTA.
EX. BONEIS. EORUM. EXACTA. SUNT. POSTEAQUAM. E. PATRIA. REIP. NOSTRÆ.
CAUSSA. DISCESSERINT. UTEI. EA. OMNIA. EIS. IN. INTEGRUM. RESTITUANTUR.
ET. SEI. QUOD. VADIMONIUM. PRÆTERIIT. EX. QUO. EX. PATRIA. REIP. NOSTRÆ.
CAUSSA. DISCESSERINT. NEI. EA. RES. EIS. FRAUDI. SIT. NEIVE. QUID. EIS.
OB. HANC. CAUSSAM. MINUS. DEBEATUR. NEIVE. QUID. MINUS. EIS. EMERE.
VENDERE. LICEAT. QUÆQUE. HEREDITATES. EIS. SEIVE. LEIBEREIS. EORUM.
OBVENERUNT. UTEI. EAS. HABEANT. POSSIDEANT. FRUANTURQUE.
QUÆQUE. IPSEI. LEIBEREI. POSTEREI. UXORESQUE. EORUM. AB. ALIO. EMERINT.
SEIVE. QUID. AB. EIS. LEIBEREIS. POSTEREIS. UXORIBUSQ. EORUM. ALII. EMERINT.
UTEI. EORUM. LIBERORUM. UXORUMQ. EORUM. POTESTAS. ET. OPTIO. SIT.
SEIVE. IN. PATRIEIS. LEGIBUS. SUEIS. VELINT. CERTARE. SEIVE. APUD. MAGISTRATUS.
NOSTROS. APUD. JUDICES. ITALICOS. SEIVE. IN CIVITATE. LEIBERA. EARUM.
QUÆ. USQUE. AD. FINEM. IN. AMICITIA. POPULEI. ROMANEI. MANSERUNT.
UBEI. VELINT. UTEI. IBEI. JUDICIUM. DE. EIS. REBUS. FIAT. SEIQUA. JUDICIA.
DE. EIS. ABSENTIBUS. POSTEAQUAM. E. PATRIA. DISCESSERINT. FACTA. SUNT.
EA. UTEI. IN. INTEGRUM. RESTITUANTUR. ET. DE. INTEGRO. JUDICIUM.
EX. S. C. FIAT. SEIQUAS. PECUNIAS. CIVITATES. EORUM. PUBLICE. DEBEANT.
NEIQUID. IN. HAS. PECUNIAS. DARE. DEBEANT. MAGISTRATUS. NOSTRI. QUIQUOMQUE.
ASIAM. EUBOEAM. LOCABUNT. VECTIGALVE. ASIÆ. EUBOEÆ. IMPONENT.
CAVERENT. NEI. DARE. DEBERENT. ET. UTEI. Q. LUTATIUS. M. EMILIUS. COS.
A. A. S. E. V. EOS. IN. AMEICORUM. FORMULAM. REFERUNDOS. CURARENT.
EISQUE. ÆNEAS. TABULAS. AMICITIÆ. IN CAPITOLIO. PONERE.
SACRIFICIUMQUE. FACERE. LICERET. MUNUSQUE. EIS. EX. FOBMULA.
LOCUM. LAUTIAQUE. Q. URB. EIS. LOCARE. MITTEREQUE. JUBERENT.
SEIQUE. DE. REBUS. SUEIS LEGATEI. VENIRE. VELLENT. UTEI. EIS. LEIBEREIS.
POSTEREISQUE. EORUM. LEGATOS. VENIRE. MITTEREQUE. LICERET.
UTEI. Q. LUTATIUS. M. ÆMILIUS. COS. A. A. SEI. EIS. V. E. LITTERAS.
AD. MAGISTRATUS. NOSTROS. QUEI. ASIAM. MACEDONIAM. PROVINCIAS.
OPTINENT. ET. AD. MAGISTRATUS. EORUM. MITTERENT.
SENATUM. VELLE. ET. ÆQUOM. CENSERE. EA. ITA. FIERI. I. V. E. E. R. P. F. S. V. E.

Plebiscitum vero post loco idoneo proferetur.

CAP. II.

De coloniis, & municipiis provinciarum.

Ut autem in Italia coloniæ deductæ, municipia constituta, sic etiam in provinciis, verum & sero admodum, & pauca, sunt. Primum qui in provinciis colonias collocarit, invenio C. Gracchum, qui Carthaginem deduxit in Africa. Unde scribit Vellejus: *In Legibus Gracchi inter perniciosissima numeraverim, quod extra Italiam colonias posuit. id majores diligenter vitaverant, ut cives Romanos ad censendum ex provinciis in Italiam revocaverint. prima autem extra Italiam colonia Carthago condita est.* Appianus tamen scribit, cum Gracchi lege Carthago deduceretur, senatum infaustis ominibus commotum eam deductionem irritam reddidisse. Non multis inde post annis a Q. Marcio consule Narbonem in Gallia Vellejus, in Corsica Marianam a Mario, Aleriam a Sylla dictatore deductas, Plinius prodidit. Quin etiam, cum Suetonius colonias Cæsarias alias transmarinas nominet, in quas ille dictator octoginta millia civium distribuerit, alias Gallicas in quas veteranos deduxerit, sane in provinciis militares quoque colonias constitutas, intelligere possumus. Primus autem de civitate & Latinitate provinciis danda Cn. Pompejus Strabo Magni pater tulit, qui consul, ut ante scripsi, cispadanis Gallis civitatem, transpadanis Latinitatem concessit. at qui primus exteris provinciis hoc detulerit muneris, C. Cæsar dictator, ut opi-

A nor, fuit. quod Cicero inquit, cum ita queritur cum Attico: *Multa Siculis Cæsar neque me invito. Etsi Latinitas erat non ferenda. veruntamen. ecce autem Antonius accepta grandi pecunia fixit legem a dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani. cujus rei vivo illo mentio nulla.* Itaque municipia in provinciis florente populo aut nulla, aut certe perpauca fuerunt, exceptis iis, quæ in citeriore Gallia, id est, Italia, facta sunt. In provinciis tamen multos cives Romanos versatos esse, partim aratores & pecuarios, partim publicanos & negociatores, testatur Cicero, scribens ad fratrem.
B *Constat Asia*, inquit, *primum ex eo genere sociorum, quod est ex omni genere hominum humanissimum; deinde ex eo genere civium, qui aut publicani sunt, aut ita negotiantur, ut locupletes sint.* & pro Fontejo: *Referta est Gallia negotiatorum, plena civium Romanorum. unum ex toto negotiatorum, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorum numero testem producant.* Quin etiam Cæsar libro tertio, Lissum in Illyrico a se oppugnatum scribit, defendentibus civibus Romanis, qui ejus conventus erant. & Hirtius P. Sitrium equitem Romanum de conventu Uticensi in Africa prodit; & alio loco, Salonam in Illyrico incoluisse fortissimos, fidelissi-
C mosque cives Romanos. At ab Augusto, & successoribus ejus, ut multa alia, sic hoc innovatum; ut provinciæ coloniis frequentarentur, ut aliis oppidis civitas, aliis Latinitas, aliis jus Italicum tribueretur. cujus rei fidem facit Suetonius, cum de provinciis ejus scribit: *Urbium quasdam fœderatas, sed ad exitium licentia præcipites libertate privavit. alias merita erga populum Romanum allegantes Latinitate, vel civitate donavit.* Quam ob rem, quæ

a Plinio de tam multis coloniis, municipiis, Latini, & Italici juris oppidis Hispaniæ, Galliæ, Illyrici, Africæque traduntur, ea ad Augusti, & successorum ejus tempora usque ad D. Titum, cujus ipse æqualis fuit, referuntur. quorum instituta alio volumine sunt nobis enucleanda. nunc antiquam provinciarum populi consuetudinem persequamur. ac primum quæ, & quando, & quibus finibus, & quibus ducibus confectæ, & quo jure relictæ: deinde per quos, & quomodo administratæ sint, demonstremus. ad hæc autem indaganda iisdem vestigiis contendamus, quibus ad jus Latii, Italicumque accessimus. nempe vetere cujusque regionis statu exposito, a bellis cum populo Rom. gestis ad fœdera icta, a fœderibus ad jura ab eo accepta pergamus, ac de singulis quam brevissime, & quam planissime possumus, disseramus.

CAP. III.

De Sicilia.

CETERUM provinciarum conficiendarum consuetudo populo Romano recens admodum fuit. neque enim, nisi post devictam Italiam, atque adeo post Carthaginienses bello primo Punico superatos, id est, post annum ab urbe condita quingentesimum, provincia ulla est instituta. quo tempore Sicilia ipsa confecta est. Hanc insulam varie quondam possessam, postremo partim Syracusani reges vetusto imperii jure jam inde a Gelone rege, qui post annum urbis ducentesimum sexagesimum regnavit, deducto; partim Carthaginienses multis bellis in Sicilia jam inde a Gelonis temporibus gestis occupatam, præter Mamertinorum civitatem, tenebant. Itaque Romani insignia duo asciscendæ Siciliæ caussa gessere bella; unum, quo Pœnorum; alterum, quo Syracusanorum regionem redegerunt in potestatem. Cum Pœnis autem hæc gerendæ rei est oblata occasio. Flagrabant jampridem odio inter se Romanus, & Pœnus. Romanum maxime perpulerat, quod Pœnus Tarentinos adversus se contra vetusti fœderis leges auxilio adjuvisset; Pœnum, quod Romanus cum Hierone Syracusarum rege societatem iniisset. Itaque merito alter alterum suspectum habebat, salutemque suam in eo, si alterum sustulisset, reponebat. Quo vero tempore legio Campana D. Jubellio duce Rhegium oppidum in finibus Italiæ situm, cujus præsidio adversus Pyrrhum regem in Italiam advenientem præposita fuerat, occupavit, eodem etiam Campani, qui in Sicilia sub Agathocle Syracusarum rege meruerant, Messanam intra mœnia accepti, violata fide, in potestatem adduxerant. Post autem supplicio de legione Romana per Genucium consulem, anno urbis quadringentesimo octogesimo secundo, sumpto, qui Messanam tenebant, metu perculsi, ac prælio adversus Hieronem, qui post Agathoclem Syracusarum regnum obtinuit, fracti partim Pœnorum, partim Romanorum implorarant auxilium. Ita Romani veriti, ne Carthaginienses hac occasione tota insula potirentur, a Mamertinis acciti bellum cum Pœnis in annos tres, ac viginti susceperunt. quod bellum iniit Ap. Claudius Caudex consul anno quadringentesimo octogesimo nono, confecit Q. Lutatius Catulus anno DXII. Amilcare Pœnorum duce, Annibalis patre, devicto. Romani decem legatis, ut scribit Polybius, missis, his legibus pacem cum Pœnis composuerunt: *Ut Pœni, Sicilia, & omnibus insulis, quæ intra Italiam, & Africam sunt, excederent; duo millia ac ducenta talenta Euboica in annos XX. penderent, in præsens mille; captivos Romanos sine precio redderent; utriusque populi socii apud utrumque populum tuti essent, alterius socios neuter in amicitiam acciperet, neuter in alieno imperio imperaret, neve milites conduceret.* Tum vero Siciliæ partem, quam Carthaginienses possederant, in provinciæ formam esse redactam, testatur Zonaras, cum scribit, *Q. Lutatium Cerconem consulem in Siciliam profectum omnia cum Catulo composuisse ac Siciliæ arma ademisse; atque ita Siciliam a Romanis, excepto Hieronis regno, servitute multatam.* Primam autem omnium provinciam hanc a populo Romano esse factam, profitetur Cicero in oratione de jurisdictione: *Sicilia omnium nationum exterarum princeps se ad amicitiam, fidemque populi Romani applicuit. prima omnium, id quod ornamentum imperii est, provincia est appellata. prima docuit majores nostros, quam præclarum esset exteris gentibus imperare.* Itaque hujus administrandæ caussa ab hoc tempore prætor quotannis in Siciliam cum quæstore missus est. primus C. Flaminius prætor eam, Solino teste, sortitus est. Atque hæc quidem de primo bello.

Anno inde ab U. C. DXXXVIII. ardente Punico bello secundo Italia, Hierone rege Syracusarum socio populi Romani constantissimo vita functo, Hieronymus nepos ejus, re Syracusana ad Pœnos traducta, non ita multo post a conjuratis est interfectus. Quare sequenti anno M. Marcellus consul in Siciliam Hieronymi morte tumultuantem, & ad Pœnos inclinantem profectus Syracusas a Romana amicitia alienatas, diu a se oppugnatas, tandem cepit. Quo tempore, ut verbis utar Livii, *cum cetera tanta fide, atque integritate composuisset, ut non modo suam gloriam, sed etiam majestatem populi Romani augeret, ornamenta, signa urbis, tabulasque, quibus abundabant Syracusæ, Romam devexit. Legationes omnium ferme Siciliæ civitatum ad eum convenerunt. dispar ut caussa earum, ita conditio fuit. qui ante captas Syracusas aut non desciverant, aut redierant in amicitiam, ut socii fideles accepti, cultique. quos metus post captas Syracusas dediderat, ut victi a victore leges acceperunt.* Ceterum non a Marcello regnum Syracusanum in provinciæ formam est redactum, verum a M. Valerio Lævino consule, qui, ut idem tradit, *reliquias belli sustulit, Agrigento de hostibus capto & aliis quibusdam oppidis receptis, Pœnisque prorsus ex insula ejectis, debellavit.* unde in Senatu Romæ dixit, *cum annos prope sexaginta terra, marique magnis sæpe cladibus bellatum esset, se eam provinciam confecisse. neminem Carthaginiensem in Sicilia esse, neminem Siculum; qui metu inde fugati abfuerint, esse omnes in urbes, in agros suos redactos, arare, serere; desertam recoli terram tandem, frugiferam ipsis cultoribus, populoque Romano paci ac bello fidissimum annonæ subsidium.*

Ab hoc igitur tempore prætori uni ambæ provinciæ sunt commissæ, vetus nimirum provincia, & qua regnum Hieronis fuerat, Syracusæ. De prætore sic legatus Macedonum in senatu loquitur apud Livium: *Romani, Messanæ ut auxilio essent, primo in Siciliam conscenderunt; iterum, ut Syracusas oppressas ab Carthaginiensibus in libertatem eximerent, & Messanam, & Syracusas, & totam Siciliam ipsi habent, vectigalemque provinciam securibus & fascibus subjecerunt.* & alius alibi ita: *Cur Syracusas, atque in alias Siciliæ Græcas urbes prætorem quotannis cum imperio, & virgis, & securibus mittitis? nihil aliud profecto dicatis, quam armis superatis vos iis has leges imposuisse.* De duobus vero quæstoribus Lilybetano, & Syracusano testis optimus est in Divinationem Asconius.

Inde servilibus bellis duobus conflictata provincia est, quorum alterum ab Euno quodam Syro, & Cleone servis conflatum P. Rupilius consul anno DCXXXI. confecit, provinciaque constituta leges Siculis dedit. unde illa sunt apud Valerium: *A P. Rupi-*

Rupilio consule leges universi Siculi acceperunt, acerbissimoque prædonum, ac fugitivorum bello liberati sunt. & apud Ciceronem in Verrem: *P. Rupilius ex decem legatorum sententia leges Siculis conscripsit*. Alterum ab Athenione servo commotum a M. Aquillio consule anno DCLII. est absolutum, & provincia ordinata. Atque hunc quidem significavit idem, cum dixit in Verrem: *Post bellum, quod MP. Aquillius confecit, nullum fugitivorum in Sicilia bellum fuit*. item: *Post MP. Aquilium omnium prætorum instituta, atque edicta fuerunt, ne quis cum telo servus esset*. Ergo cum bellatum quater in Sicilia sit, bis cum Pœnis, bis item cum servis, hinc quattuor etiam bellorum, ac provinciæ confectores celebrati sunt, Q. Catulus, M. Lævinus, P. Rupilius, & M. Aquillius. de quibus fere eodem in libro Cicero: *Cum bellis Carthaginiensibus Sicilia vexata est post nostram patrumque memoriam, cum bis in ea provincia magnæ fugitivorum copiæ versatæ sint, tamen aratorum internecio facta nulla est. tum qui M. Lævino, aut P. Rupilio, aut M. Aquillio prætoribus in eam provinciam successerant, aratores reliquos non colligebant*.

Quin etiam quater est constituta provincia, legibus de vectigalibus exigendis, & jure dicendo datis, nisi si quæ civitates fœderatæ, aut immunes, aut liberæ observatæ fidei præmium fuerint relictæ. Ac de vectigalium quidem ratione hæc sunt apud eundem: *Inter Siciliam, ceterasque provincias in agrorum vectigalium rationibus hoc interest, quod ceteris aut impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, ut Hispanis, & plerisque Pœnorum, quasi victoriæ præmium, ac pœna belli; aut censoria locatio constituta est, ut Asiæ lege Sempronia. Siciliæ civitates sic in amicitiam fidemque recepimus, ut eodem jure essent, quo fuissent, eadem conditione populo Romano parerent, qua suis antea paruissent. perpaucæ Siciliæ civitates sunt bello a majoribus nostris subactæ, quarum ager cum esset publicus populi Romani factus, tamen illis est redditus. fœderatæ civitates, ac liberæ Halesina, Segestana, Alyciensis, Panormitana. præterea omnis ager Siciliæ civitatum decumanus est: itemque ante imperium populi Romani ipsorum Siculorum voluntate, ac institutis fuit*. & alio loco: *Majores nostri cum Siciliam tam opportunum subsidium belli, & pacis ad remp. adjunxissent, tanta cura Siculos tueri, & retinere voluerunt, ut non modo eorum agris vectigal novum nullum imponerent, sed ne legem quidem venditionis decumarum, neve vendundis aut tempus aut locum commutarent, ut certo tempore anni, ut ibidem, denique ut lege Hieronica venderent*. Quin etiam alio loco septemdecim fuisse populos ut acriores populi Romani hostes, sic deterius ab eo tractatos, ostendit, cum inquit: *An quod Tyndaritani libenter prædicent, Nos in septemdecim Siciliæ populis non eramus; nos semper in omnibus Punicis, Siciliensibusque bellis amicitiam, fidemque populi Romani sequuti sumus. a nobis omnia populo Romano semper & belli adjumenta, & pacis ornamenta subministrata sunt*. Jam vero, ut Siculi sæpe naves, nautas, sumptusque in navarchos præbuerint, ostendit idem, cum prætori Siciliæ Verri objicit, quod cum superiores prætores naves civitatibus, certumque numerum nautarum militumque imperassent, Verres Mamertinæ civitati nihil horum imperasset; Taurominitanæ vero æque, atque illa, fœderatæ, imperasset, & addit: *Quid si ejusmodi esse hæc duo fœdera duorum populorum doceo; ut Taurominitanis nominatim cautum, & exceptum sit fœdere, ne navem dare debeant; Mamertinis in ipso fœdere sanctum ac scriptum sit, uti navem dare necesse sit. istum autem contra fœdus & Taurominitanis imperasse, & Mamertinis remisisse? recitentur fœdera*. & paulo post: *At non hoc solum assecuti Mamertini, ne navem*

A *darent; ecquem nautam, ecquem militem, qui aut in classe, aut in præsidio esset, te prætore per triennium Mamertini dederunt?* & post: *Sumptum omnem in classem frumento, stipendio, ceterisque rebus navarcho suo quæque civitas semper dare solebat. is neque ut accusaretur a nautis, committere audebat, & civibus suis rationem referre debebat. in illo omni negotio non modo labore, sed etiam periculo suo versabatur. erat hoc, ut dico, factitatum semper, nec solum in Sicilia, sed in omnibus provinciis, etiam in sociorum, ac Latinorum stipendio ac sumptu, tum cum illorum auxiliis uti solebamus.* B *Verres post imperium constitutum primus imperavit, ut ea pecunia omnis a civitatibus sibi adnumeraretur: ut is eam pecuniam tractaret, quem ipse præfecisset*. Ac de vectigalibus quidem Siculorum hæc accepimus.

De jurisdictionibus autem satis constat, multos conventus fuisse in provincia constitutos, in iisque prætores juris dicendi caussa versatos, ut Syracusanum, Lilybetanum, Panormitanum, & Mamertinum, quorum sæpe meminit idem in defensione Siciliæ. Quo eodem illa Livii pertinent: *Siculorum civitatibus Syracusas, aut Messanam, aut Lilybæum indicitur concilium a prætore Romano. conventus agitur.* C *eo imperio evocati conveniunt. excelso in suggestu superba jura reddentem, stipatum lictoribus vident, virgæ tergo, secures cervicibus imminent, & quotannis alium atque alium dominum sortiuntur*. Quin etiam Siculos in privatis controversiis præcipuo quodam jure fuisse, aperte ostendit Cicero, cum inquit: *Siculi hoc jure sunt, ut quod civis cum cive agat, domi certet suis legibus, quod Siculus cum Siculo non ejusdem civitatis, ut de eo prætor judices ex P. Rupilii decreto, quod is de decem legatorum sententia statuit, quam legem Siculi Rupiliam vocant, sortiatur. quod privatus a populo petit, aut populus a privato, senatus ex aliqua* D *civitate, qui judicet, datur, cum alternæ civitates rejectæ sunt. quod civis Romanus a Siculo petit, Siculus judex datur; quod Siculus a cive Romano, civis Romanus datur. ceterarum rerum selecti judices ex civium Romanorum conventu proponi solent. inter aratores, & decumanos lege frumentaria, quam Hieronicam appellant, judicia fiunt*. Atque hic quidem usque ad Cæsarem dictatorem Siciliæ status fuit. Siculos inde a Cæsare Latinitate, & post mortem Cæsaris ab Antonio consule civitate donatos, queritur, ut dixi, cum Attico Cicero: *Multa Siculis Cæsar, neque me invito. etsi Latinitas erat non* E *ferenda. verumtamen. ecce autem Antonius accepta grandi pecunia fixit legem, a dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani. cujus rei vivo illo mentio nulla*. Quarum tamen legum neutram post observatam esse, cum multa alia documento sunt, tum quod Plinius, qui Vespasianorum fuit æqualis, Mamertinos solos cives Romanos appellat; Centuripinos autem, Nepinos, & Segestanos Latinæ conditionis.

CAP. IV.

De Sardinia, & Corsica.

F POST Siciliam, Sardinia, & Corsica, insulæ inter Italiam pariter atque Africam interjectæ, subactæ sunt. Anno enim DXV. Carthaginienses a Romanis incusati, quod naves mercatorum suorum dispoliassent, Sardiniam jampridem bello a se partam, impetrandæ pacis caussa, (nam bello Africæ domestico vexabantur) Romanis tradiderant; quadriennio vero post cum Sardi instigantibus Pœnis arma cepissent, T. Manlio Torquato consule duce in potestatem redacti sunt.

Corsis arma inferendi quæ caussa fuerit, nemo tradit. illud tantum est apud Zonaram, anno DXVII. C. Licinium Varum consulem Corsicam petiturum Claudium Cliniam cum copiis præmisisse. Claudium terrore Corsis injecto, quasi imperator esset, cum iis fœdus fecisse; Varum autem neglecto fœdere Claudiano Corsos adortum subegisse. Quin etiam biennio post a Sp. Carvilio cos. rem bene cum Corsis gestam, & post triennium eosdem a C. Papirio Masone cos. in ditionem populi Romani adductos invenio. Hic est autem Papyrius ille, qui primus in monte Albano, & quidem de Corsis, triumphavit, ut Valerius, ac Plinius prodidere.

Utramque autem insulam his victoriis in provinciæ formam esse redactam, multi significant, Solinus, cum Siciliam & Sardiniam *iisdem temporibus provinciam factam*: Vellejus, cum Sardiniam *T. Manlii ductu certum accepisse imperium*, scribit: Livius, cum per hæc tempora *duos additos prætores prodit*: Pomponius, *cum eosdem adjectos, ut in novas Provincias Siciliam, & Sardiniam mitterentur*, titulo de origine juris interpretatur. Corsica vero jam tum, ut inquit Rufus, Sardiniæ attributa est, atque ex duabus una provincia facta, atque uno Sardiniæ nomine insignita. Itaque ut C. Flaminius prætor Siciliam, sic M. Valerius Sardiniam, Solino teste, primus obtinuit. Rebellasse autem postea Corsos, ac multo etiam sæpius Sardos, eosdemque armis ad imperium populi Romani redactos, reperio. verum quibus fœderibus, quibusve legibus in fidem accepti sint, non invenio. Suspicari autem aliquid de C. Cicereii prætoris victoria libet, qui anno DLXXXI. victis Corsis pacem dedit; & de Ti. Gracchi consulis, qui annos DLXXVIII. Sardos rebellantes perdomuit, atque ut est scriptum in libro de viris illustribus, *inde tantum captivorum abduxit, ut longa venditione in proverbium venerint, Sardi venales*; postremo vero etiam de M. Metello cos. a quo Sardos, Corsosque subactos esse Rufus prodit. id quod anno DCXL. factum opinor.

Notat præterea Strabo, Sardos in colendis agris suis negligentes, alienis diripiendis, & maxime Pisanis studuisse. idque factum prætores Romanos neque omnino concessisse, neque prorsus prohibuisse, quod exercitum in pestilentibus locis alere, inutile videretur.

Corsica, ut refert Plinius, duas colonias habuit, Marianam a C. Mario deductam, & Aleriam a L. Sylla dictatore; Sardinia unam, quæ vocata est ad turrim Libisonis. Cæsar demum ex Africano bello revertens Sulcitanos, quod Pompejanis præsto fuissent, LL-S centum millibus mulctavit, & pro decumis octavas pendere jussit; ut Hirtius in libro de bello Africano memoriæ prodidit. Ceterum Sardiniæ Corsicæque stipendium frumentumque impositum elicitur ex verbis Livii cum bello Ætolico scribit, *L. Oppio prætori Sardiniæ a senatu imperatum, ut duas decumas frumenti exigeret. atque id frumentum Romam portandum curaret*. & bello Sardico Gracchi: *Ti. Gracchus in Sardinia multis præliis Sardos perdomuit. XV. millia hostium cæsa sunt. omnes Sardorum populi, qui defecerant, in ditionem redacti. stipendiariis veteribus duplex vectigal imperatum exactumque. ceteri frumentum contulerunt*. denique Persico: *Prætoribus Siciliæ, Sardiniæque mandari placuit, ut alteras decumas Siculis, Sardisque imperarent*.

CAP. V.

De citeriore, atque ulteriore Hispania.

SARDINIAM Hispania est sequuta. Hispaniam Romani vocarunt quidquid terrarum Pirenæis montibus, mari mediterraneo, atque oceano

A ipso est conclusum, Pirenæis quidem ab oriente, mediterraneo vero a meridie, a reliquis partibus oceano. Quantum autem ex Strabone, Plinio, & Ptolemæo cognosci potest, quorum alius hæc alio tractat uberius, meridionale littus a Pirenæo ad Iberum amnem coluerunt Indigetes, Lalætani, Ilergetes, Cossetani, & trans Iberum Ilercaones, trans Turiam Edetani, trans Sucronem Contestani, cis Bætim usque ad fretum Herculeum & ultra Bætim usque ad Anam flumen Bastetani, sive Bastuli. Iberus, Turia, & Sucro cis fretum in mediterraneum influunt; Bætis, & Anas ultra fretum, sed circa B Sacrum promontorium in meridionalem oceanum. Littus autem huic oppositum, quod ad septentrionem vergit, tenuere Vascones, Barduli, Autrigones, Cantabri, & Astures. ad orientem Pirenæum inhabitarunt Cerretani, ad occidentem ab Ana flumine ad Durium Lusitani, a Durio usque ad Astures Gallæci. Interiora cis Iberum Jacetani, Suessetani, Ausetani, Bargusii, ultra Iberum cis Bætim Oretani, ultra Bætim Turduli sive Turditani, supra Turditanos Carpetani, supra omnes Celtiberi & Vectones Lusitanis finitimi. Celtiberorum autem gentes quattuor, teste Appiano, fuerunt, Titthi, Belli, Vaccæi, & Arevacci.

C Invadendæ porro Hispaniæ Romanis eadem caussa, quæ Siciliæ, fuit, nempe ut Pœnis occurrerent, qui majorem fere partem ejus Amilcare primum, deinde Asdrubale Amilcaris genero ducibus occuparant. Itaque cum multa alia amicitiæ fœdera cum Pœnis, testibus Polybio & Livio, tum hoc postremum cum Asdrubale imperatore icerant, ut finis Punici imperii amnis Iberus esset, & Saguntinis trans Iberum populi Romani sociis libertas servaretur. Mortuo vero Asdrubale cum Annibal Amilcaris filius imperium accepisset, tota ferme trans Iberum sub imperium adjuncta Hispania, cum Saguntum contra fœdus oppressit, tum exercitu Ibe-D rum traducto Ilergetes, Bargusios, Ausetanos, & Jacetaniam, quæ subjecta Pirenæis montibus est, subegit. Hac de caussa Cn. Scipio procos. in Hispaniam missus, ut socios tueretur, aut ulcisceretur, orsus a Jacetanis usque ad Iberum flumen partim renovandis societatibus, partim novis instituendis, Romanæ ditionis omnia fecit, & post, cum ad Pœnos iterum defecissent, recepit. victo autem classe ad Iberum Asdrubale, Annibalis fratres, populos amplius centum viginti ex ultima Hispania ad imperium Romanum adjunxit, atque usque ad saltum Castulonensem pervenit. Inde Publio fratre adjun-E cto Carpetanos subegit, & Sagunto recepta, Turditanos, qui contraxerant eis cum Carthaginiensibus bellum, in potestatem redactos vendidit. Horum inde gloriam P. Scipio P. F. qui postea Africanus appellatus est, cumulavit. Hic enim Hispaniam, quæ patris, patruique continuatis cladibus tota ferme defecerat, recepit, Carthagine nova trans Sucronem, & Astapa trans Bætim expugnatis, atque Asdrubale & Magone ducibus hostium tota Hispania pulsis. Quo factum est ut Scipionis virtute imperium populi Rom. usque ad Anam flumen propagatum sit, atque Hispania omnis præter Lusitaniam & Callæciam ab occidente, & Cantabriam F Asturiamque a septentrione, sub ditionem populi Romani concesserit. Hic autem annus fuit ab U. C. DXLII. quo anno Livius *Hispaniam primam continentis provinciam factam esse* prodidit. Appianus autem *annuos magistratus, qui pacis præsides essent, in Hispaniam mitti cœptos* notavit. Victoriæ priorum Scipionum monumentum cis Iberum fuit oppidum ad mare Tarraco, posterioris cis Bætim Italica, ut Plinius & Appianus memoriæ prodiderunt. Decedenti vero Romam Scipioni L. Lentulus, & L. Acidinus procos. successerunt, Lentulus in citeriorem, Acidinus in ulteriorem provin-

ciam. Citeriorem autem tum vocabant, quæ citra Iberum esset, ulteriorem, quæ ultra. Lentulo inde post quinquennium C. Cethegus, Cethego C. Lentulus, eodemque anno Acidino L. Stertinius successere. Inde post biennium, nempe anno quingentesimo quinquagesimo sexto, sex prætores, ut inquit Livius, *primum creati crescentibus jam provinciis, & latius patescente imperio*. C. Sempronius Tuditanus citeriorem, M. Helvius Blasio ulteriorem sortitus est. iidem terminare jussi, qua ulterior, citeriorve provincia esset. Ex quib. intelligitur, veterum provinciarum terminos esse mutatos. cujus rei illud quoque esse documento potest; quod Celtiberi posthac, cum trans Iberum essent, tamen inter citerioris Hispaniæ populos numerati sunt. Biennio post Hispani cis Iberum defecerunt, ac bellum suo nomine commoverunt, Sedetani, Ausetani, Suessetani, & Lacetani. quos M. Cato consul citeriorem provinciam sortitus, muris omnium oppidorum dirutis, in potestatem redegit; &, ut inquit Livius, *pacata provincia vectigalia magna instituit ex ferrariis, argentariisque. quibus tum institutis locupletior in dies provincia fuit*. Trans Iberum autem Turditani moventes per Manlium proconsulem pacati sunt. Levia inde bella fuerunt partim cum Celtiberis citeriorem provinciam vastantibus, partim cum Lusitanis in ulteriorem irrumpentibus, a variis ducibus gesta. ex quibus P. Scipio Nasica prætor ulterioris Lusitanos pervastata ulteriore provincia cum ingenti præda domum redeuntes oppressit; C. Flaminius in citeriori oppidum Iluciam in Oretanis cepit; M. Fulvius apud Toletum oppidum cum Vaccæis, Vectonibusque, & Celtiberis signis collatis dimicavit. Flaminius fusis Vectonibus, qui subsidio venerant, Toletum in potestatem adduxit. C. Piso, & L. Quinctius, cum copias in Bæturia (Turditaniæ pars est ultra Bætim) junxissent, in Carpetaniam, ubi hostium castra erant, progressi procul Hippone, & Toleto pugnarunt. uterque ex Lusitanis, & Celtiberis triumphavit. Anno vero DLXXIII. magnum bellum coortum in citeriore provincia. ad quinque & triginta millia hominum, quantum nunquam ferme ante, Celtiberi comparaverant. a Lusonibus initium motus ortum, qui circa Iberum sunt, narrat Appianus. Q. Fulvius Flaccus, qui citeriorem provinciam obtinebat, exercitu in Carpetaniam ducto, & apud Eburiam castris locatis, cum Celtiberis prospere dimicavit. Inde Contrebiam profectus, cunctante hostium auxilio, cepit; atque inde Celtiberiam populatus maximam partem in deditionem accepit. agrum ulterioris Celtiberiæ, unde ad deditionem non venerant, vastavit. Flaccum autem Ti. Gracchus consequutus Celtiberos prælio victos ad deditionem compulit, monumentumque operum suorum, Gracchurium oppidum ibi constituit. Polybius, teste Strabone, Gracchum centum Celtiberorum oppida subvertisse; Appianus, leges pacis ac societatis Celtiberis dedisse scribit. Quietæ inde res in Celtiberia per annos XXV. fuerunt. Anno vero ab U. C. sexcentesimo bellum renovatum, cum Segeda Arevaccum, ut inquit Strabo, Bellorum, ut Appianus, oppidum muros urbis instaurasset, ac tributa Romanis denegasset. Neque vero a Lusitanis liberis eo tempore populis ocium, verum perpetua cum iis, qui ulteriorem obtinebant Hispaniam, bella fuerunt. Hæc autem bella Celtibericum, & Lusitanicum per multos annos, multosque duces, sed maxime per M. Marcellum, qui rerum a se gestarum monumentum Cordubam, teste Strabone, reliquit, L. Lucullum, & Ser. Galbam, qui Lusitanos contra fidem datam oppressit, administrata, ac profligata a Numantino, & Viriathino excepta sunt. Numentinum bellum Numantia Arevaccum civitas movit, cum sola ceteris Celtiberis subactis arma teneret; Viriathinum Viriathus pastor & latro in Lusitania, qui unus fuerat ex iis, qui ex Ser. Galbæ prætoris manibus evaserant, cum Lusitanos contra fidem publicam trucidavit. Numantinum diu parum prospere gestum tandem P. Scipio Æmilianus confecit. Viriathinum ipso redacto in potestatem Viriatho ad extremum absolvit Q. Cæpio. Lusitanos inde aliis atque aliis ducibus latrocinia exercentes D. Brutus latius est persecutus, qui ultra Durium amnem, usque ad flumen Lethen, Miniumque penetravit, & toto littore oceani peragrato Callæciam adhuc ab armis populi Romani integram, quod Lusitanos auxilio juverat, in potestatem adduxit, unde ipse Callæci cognomen invenit; Valentia oppido iis, qui sub Viriatho militaverant, ut tradit Livius, assignato. Atque ita recepta Celtiberia, Lusitania, & Callæcia in potestatem venerunt. Unde Rufus scripsit: *Rebellantes Lusitanos per D. Brutum obtinuimus, & usque ad Gades ad Oceanum pervenimus*. & Strabo: *Callæci ultimi sunt montes incolentes. ac propterea qui subigantur, difficillimi; qui Bruto ei, qui Lusitanos debellavit, cognomen dederunt*. & alibi: *Minius amnis Bruti expeditionis terminus fuit*. Est autem Minius, quem Bænim vocat in Iberic. Appianus, terminus Callæcorum, qui Bræcari dicti sunt. Quoniam autem scriptum est apud Appianum, Romanos de more decem ex senatu legatos misisse, qui regiones a Scipione, & Bruto in ditionem adductas componerent, fit, ut credam, novas leges hac victoria esse utrique Hispaniæ datas. Neque vero aut Lusitania latrociniis, aut Celtiberia bello postea, teste Appiano, vacavit. cujus rei cum C. Marii res in Lusitania gestæ, tum T. Didii in Celtiberia testimonio sunt. Didius autem consul XX. millia Arevaccum occidit, & Termestinorum urbem captam mœnibus nudavit, & Colendam post nonum mensem obsessam cepit, aliosque populos in deditionem redactos ex decem legatorum sententia militibus necandos tradidit. Diuturnis inde bellis fessas Hispanias bellum Sertorianum excepit, cum Lusitaniam Sertorius exul Syllæ dictatoris inimicus obtinuisset, eamque contra Syllam, & ejus factionem teneret. quo bello non Lusitania solum, sed etiam Celtiberia, & Vascones, & Ilergetes, & totus ille Sucronensis, ac Duriensis tractus exarsit. tandem per Q. Metellum Pium, & Cn. Pompejum Magnum Sertorio occiso, & Perperna in potestatem adducto receptæ Hispaniæ sunt. Pompejopolis in Vasconibus, & Pompeji trophœa in Pirenæo ad mare, illustria Pompeji victoriæ monumenta relicta sunt. Plinius libro VII. prodidit, *Pompejum solis occasum transgressum excitatis in Pirenæo trophœis* DCCCLXXI. *ab alpibus ad fines Alterioris Hispaniæ redacta victoriæ suæ adscripsisse*. Postremo Cæsar, ut testis est Strabo, ulteriorem in prætura sortitus Hispaniam, non solum cum Lusitanis cis Durium latrocinia exercentibus pugnavit, sed etiam trans Durium cum Callæcis, ut Brigantium eorum etiam oppidum in potestatem redegerit. Appianus reliquum Hispaniæ ab eo domitum fuisse, scriptum reliquit. ipse etiam Cæsar apud Hirtium, se ulteriorem Hispaniam vectigalibus, quæ Metellus imposuisset, liberasse, cum a senatu petisset, profitetur. Bis deinde ab eodem in Hispania civilibus armis est decertatum, primum cum Afranio, Petrejo, & Varrone Cn. Pompeji legatis; deinde cum Cn. & Sex. Pompejo Cn. filiis, Hispaniæque ex inimicorum potestate ereptæ.

Atque ex his quidem bellis omnibus apparet, universam Hispaniam præter Cantabros, & Astures a populo Romano subactam in duas provincias fuisse divisam: quarum finis plerunque fuisse videtur saltus Castulonensis, ut Cæsar quoque significavit, cum scripsit, *Afranium citeriorem Hispaniam obtinuisse*,

Petrejum a saltu Castulonensi ad Anam, Varronem Vectonum agrum, & Lusitaniam. Strabo tamen provinciarum harum terminos fixos negat fuisse, verum a senatu modo productos, modo reductos in gratiam prætorum, quibus provinciæ decernebantur. Quemadmodum autem Cantabri, & Astures post ab Augusto deleti, & in provinciam relati sint, alibi ostendemus.

Neque vero insulæ Hispaniæ prætereundæ sunt, quarum Gades, Baliares, & Cassiterides claritate ceteris præstiterunt. Ac cum Gaditanis quidem bello Punico secundo L. Martius, qui post Scipiones interfectos rem Romanam labentem sustinuit, fœdus fecit, *ea lege, ut Gaditani majestatem populi Romani comiter conservarent*. & ad eos præfectus est missus. Livius bello Philippico: *Gaditanis petentibus remissum, ne præfectus Gadeis mitteretur, adversus quod iis in fidem populi Rom. venientibus cum L. Marcio convenisset*. fœdus inde multis post annis Q. Catulo cos. a senatu est renovatum; ut in Balbi defensione Cicero posuit. Sequuta inde sunt Cæsaris in eam civitatem beneficia, in prætura, & dictatura. quorum illud in eadem oratione Cicero posuit his verbis: *Omitto quantis ornamentis populum Gaditanum C. Cæsar, cum esset in Hispania prætor, affecerit, controversias sedarit, jura ipsorum permissu statuerit*. Alterum fuit ejusmodi, ut Afranio, Petrejoque deletis civitatem Romanam eis communicarit, eamque largitionem post populus Romanus, teste Dione, ratam esse jusserit.

De Baliaribus autem scriptum est in hunc modum apud Strabonem: *Cum ex Baliaribus pauci quidam improbe cum maris prædonibus conspirasent, universos criminatus Metellus invasit*. & apud Orosium: *Metellus Baliares insulas pervagatus edomuit, & piraticam infestationem, quæ ab iis tunc exercebatur, plurima incolarum cæde compressit*.

Nam Cassiteridas insulas P. Crassus, teste Strabone, metallorum cupiditate, quæ ibi effodiebantur, adductus, ad imperium Romanum adjunxit.

Colonias autem alias a Metello in Baliaribus constitutas, testi Straboni assentior; alias in ulteriore Hispania a Cæsare deductas, ex eo ducor ad opinandum, quod ille multa ibi oppida suo insignita nomine, Plinio teste, reliquit, Pacem Juliam, Scalabim sive præsidium Julium, Atubii sive Claritatem Juliam, Ituci sive Virtutem Juliam, Olysipponem sive præsidium Julium. Quocirca Hirtius scriptum reliquit, Cæsarem bello eo, quod ultimum in Hispania cum filiis Pompeji gessit, ad Cordubam legionem unam ex coloniis, quæ fuerunt in iis regionibus, habuisse. confirmat Livius, cum de M. Catonis rebus in Hispania gestis scribit: *Jam tunc Emporiæ duo oppida erant muro divisa, unum Græci habebant a Phocæa, alterum Hispani. tertium genus Romani coloni ab divo Cæsare post devictos Pompeji liberos adjecti*.

Hispanis porro stipendiarium frumentariumque vectigal esse impositum, auctor est Cicero, primum in Verrem, cum inquit, *Hispanis certum vectigal impositum esse, quod stipendiarium dicitur*; deinde pro Balbo, *Hispanos agris, stipendioque mulctatos*. Unde vectigalium, & publicanorum Hispaniæ item in frumentaria meminit. Nam ut in Sicilia decumas, sic in Hispania vicesimas frumenti exactas, ostendit Livius, qui scribit, P. Licinio & C. Cassio coss. anno urbis quingentesimo octogesimo secundo, *quæstos de magistratuum Romanorum avaritia Hispanos impetrasse, ne frumenti æstimationem magistratus Romanus haberet, neve cogeret vicesimas vendere Hispanos, quanti ipse vellet, & ne præfecti in oppida sua ad pecunias cogendas imponerentur*. Verum hoc totum Hispaniense privilegium post brevi exolevisse, ex eo apparet, quod Cicero in frumentaria scribit, frumentariam æstimationem in cellam per prætorem esse in Hispania factitatam.

Juridicos autem conventus Hispaniæ multos enumerat Plinius, Cordubensem, Hispalensem, Astigitanum, Gaditanum, Tarraconensem, Saldubensem, qui etiam Cæsaraugustanus, Carthaginiensem, Cluniensem, & Lucensem; qui a populo ne omnes, an postea ab Augusto, qui totam perdomuit Hispaniam, instituti sint, parum compertum est. Hispalensis certe ante Augustum meminit Cæsar, & Cordubensis Hirtius, cum Longinum ulterioris Hispaniæ proprætorem ad jus dicendum Cordubam se recepisse, scribit; Gaditani vero Suetonius, cum Cæsarem quæstorem conventus jussu prætoris obeuntem Gadibus ingemuisse super Alexandri conspecta imagine prodidit.

CAP. VI.

De Narbonensi Gallia, & Comata.

HISPANIÆ porro adjuncta Gallia transalpina fuit. Hanc a Pirenæis montibus ad Alpes, & flumen Rhenum pertinentem a septentrione oceanus, a meridie mare mediterraneum alluit. amnes in mare post Alpes præcipitarunt Rhodanus & Atax, in oceanum post Pirenæos Garumna, Liger, Sequana, Mosa, & Rhenus. in Rhodanum ab oriente fluxit Druentia, & supra Druentiam Isara; a septentrione vero, ubi ipse se ab oriente in meridiem flectit, Arar: in Sequanam Matrona, in Mosam Scaldes, in Rhenum Mosella. Quibus fluminibus partes ipsæ Galliæ inter se antiquitus, Cæsaris auctoritate, sunt discretæ, Celtica, Aquitania, & Belgica. Celtas ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Sequana disclusit. inter Celtas, & Aquitanos mons sive Commenus, sive Gebenna intercessit, qui Pirenæo ex altera parte respondet. Atque hi singuli in multos populos distributi, alii domesticis regibus paruerunt, alii liberi remp. communibus armis, & communi consilio administrarunt.

Cum autem Celtæ, interprete Strabone, ab Alpibus ad Gebennam montem pertinerent, certe Salyes, Cavares, Vocontii, Allobroges, Volcæ, Ruteni, & Arverni inter Celtas fuerunt. nam quin Helvetii, Sequani, Æduique ex Celtico genere fuerint, qui his finitimi a septentrione fuerunt, nemo dubitat. Salyes autem, gens Ligustica, a mari ad Druentiam habitarunt; Cavares, & Vocontii a Druentia ad Isaram; Allobroges ab Isara ad Rhodani partem eam, quæ ab ortu fertur in meridiem; trans Rhodanum autem ad occasum fuere Volcæ usque ad montem Gebennam; quorum qui flumen accoluerunt, Aricomici, qui montem, Tectosages appellati sunt. supra Volcas vero Ruteni, & Arverni sedes habuerunt; supra Allobrogas Helvetii, Sequani, Segusiani, atque Ædui.

Primi e Gallis Romanorum socii Massilienses fuerunt, qui inter Salyas ad mare habitarunt; secundi Ædui, qui Allobrogas, ut dixi, contigerunt. quos Æduos, teste Cæsare, senatus sæpe fratres, & consanguineos, nedum socios appellaret. Ut ergo hos socios defenderent, Massilienses quidem a Salybus, & Vocontiis, Æduos vero ab Arvernis & Rutenis, Romani, exemplo a majoribus tradito, bellum Galliæ intulerunt, quod uno nomine Allobrogicum ab Allobrogibus vicinis populis, qui se quoque his armis immiscuerunt, est appellatum. atque hoc anno sexcentesimo vigesimo nono urbis ad quinquennium, per M. Fulvium Flaccum, C. Sextium Calvinum, Cn. Domitium Ahenobarbum, & Q. Fabium Maximum consules gesserunt. Flaccus, & Sextius Salyas, & Vocontios domuerunt. quorum Sextius subactis Salybus oppidum etiam a se conditum Aquas Sextias nominavit. Cum autem

Allobroges Teutomalium Salyum regem receptum A omni ope juvissent, & una cum Arvernis agros Æduorum populati essent, Domitius adducto adversus eos exercitu ad Rhodani & Sulgæ confluentem devicit, Arvernorum vero regem Betuitum acie juxta Rhodanum profligavit. Neque vero ille finem bello imposuit, quamvis victoriæ monumentum viam Domitiam reliquerit, cujus in Fontejana Cicero meminit, sed qui ei successit, Q. Fabius, qui Allobrogibus, & Arvernis ad Isaram superatis, & gente in deditionem accepta, sibi cognomen Allobrogici peperit, atque omnes in provinciam rettulit, præter Arvernos atque Rutenos, quibus populus Romanus ignovit. Unde apud Cæsarem dixit B Critognatus Gallus inter suos: *Respicite finitimam Galliam, quæ in provinciæ formam redacta, jure & legibus commutatis, securibus subjecta, perpetua premitur servitute.* & alibi Cæsar ipse: *Arvernos, Rutenosque Fabius superavit iisque populus Romanus ignovit, neque in provinciæ formam redegit.* Atque ab hoc quidem tempore hæc regio, quæ, teste Plinio, Braccata Gallia a genere vestium dicebatur, Narbonensis Gallia est vocitata, nimirum a Narbone Tectosagum oppido, quo biennio post Q. Marcius cos. coloniam deduxit, ut Paterculus & Eutropius memoriæ prodidere. Neque vero post aliud C in hac provincia bellum fuit usque ad C. Marium, qui eam continuatis imperiis ab irruptione Teutonum, Ambronum, Cimbrorumque Germaniæ populorum non minore virtute, quam felicitate servavit, atque ibi monumentum victoriæ Fossas Marianas reliquit. Postremo Allobrogas conjuratione Catilinæ, cujus participes fuerant, ad arma excitos C. Pontinius prætor aliquot oppidis expugnatis, atque hostibus acie fusis, teste Dione, perdomuit. Unde illa sunt Ciceronis in oratione de provinciis: *C. Pontinius fortissimus vir ortum repente bellum Allobrogum, atque scelerata conjuratione Catilinæ excitatum præliis fregit; eosque domuit, qui lacessiverunt,* D *& ea victoria contentus, rep. metu liberata quievit.*

Hanc igitur adepti provinciam Romani facile post aliquot annos reliquam Galliam cognomento Comatam ad Imperium adjunxerunt. Hoc autem ductu, atque imperio C. Cæsaris, qui cum Narbonensem consul obtinuisset, ejus a reliquis Gallis ex S. C. defendendæ prætextu reliquas omnes Galliæ partes perpetuo novem annorum imperio subegit, in provinciamque redegit: cum ab Helvetiis incepisset, quos neque per provinciam armatos iter facere, neque per Æduorum sociorum agrum in Santones, qui non longe a Tolosatibus habitabant, ire permisisset, atque ab Helvetiis ad Belgas, & Aquitanos, E reliquosque Celtas, novis semper, ut ipse scribit, aut conjurationis, aut defectionis, aut hostibus dati, aut sibi negati auxilii criminibus objectis, & ad singulos eorum populos, inter se, ut nominibus, sic imperiis discrepantes, arma circumtulisset. Quibus semel, atque iterum, ut res tulit, in potestatem adductis, totam Comatam Galliam præter socias, ac bene meritas civitates provinciam fecit. Quod breviter his verbis Suetonius prodidit: *Cæsar omnem Galliam, quæ a saltu Pirenæo, Alpibusque & monte Gebenna, fluminibus Rheno & Rhodano continetur, patetque circuitu ad bis & tricies cen-* F *tum millia passuum, præter socias, ac bene meritas civitates in provinciæ formam redegit.*

Ceterum ut in Narbonensem provinciam Salyes, Cavares, Vocontii, Allobroges, & Volcæ tum Aricomici, tum Tectosages erant inclusi, ita ut Narbo & Tolosa Tectosagum, & Nemausus Aricomicorum intra eam fuerint; unde Cæsar provinciales Volcas Aricomicos, & Tolosates dixit: sic in Comatam provinciam reliqui populi.

In re autem vectigali diversa Narbonensis, & Comatæ fuit conditio. Narbonensi agrarium potissimum vectigal est impositum, Comatæ vero stipendiarium. De Narbonensi sic Cicero pro Fontejo: *M. Fontejus provinciæ Galliæ præfuit, quæ constat ex iis generibus hominum, & civitatum, qui partim nostra memoria bella com populo Romano acerba, & diuturna gesserunt; partim modo ab nostris imperatoribus subacti, modo bello domiti, modo triumphis ac monumentis notati, modo ab senatu agris, urbibusque mulctati sunt.* Quin etiam in eadem sæpe colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorumque, qui in Gallia versarentur, meminit. addit tamen, Gallis, qui iccirco magnis sæpe erant bellis superati, ut semper populo Romano parerent, magnos equitatus ad bella, magnas pecunias ad eorum stipendium, maximum frumenti numerum ad Hispaniense bellum tolerandum a Fontejo prætore esse imperatum. Comatæ autem Galliæ in singulos annos stipendii nomen impositum scribit Suetonius. Unde Paterculus: *C. Cæsaris ductu, auspiciisque infractæ Galliæ pene idem, quod totus terrarum orbis, ignavum conferunt stipendium.*

De Narbonensium porro conditione oppidorum sic Cicero in ea, de qua dixi, oratione: *Est Narbo Marcius colonia nostrorum civium, specula populi Romani, ac propugnaculum istis ipsis nationibus oppositum. est urbs Massilia fortissimorum, fidelissimorumque sociorum, qui Gallicorum bellorum pericula populo Romano copiis, armisque propulsarunt.* Strabo etiam scribit, Allobrogas & Salyas Romanis prætoribus paruisse; Vocontios vero, ut Volcas, qui Nemausum incolerent, privatam remp. habuisse. Quod beneficium haud satis scio Cæsaris ne, an Augusti extiterit. Cæsarem quidem constat de Narbonense ita meritum, ut multos ex ea quoque senatores allegerit, unde dictum illud emanavit: *Galli braccas in curia deposuerunt, latum clavum sumpserunt.* Quin etiam Forum Julium, & Apta Julia in his locis ab eo deducta videntur. scribit certe Suetonius, eundem post bellum Alexandrinum colonias in Galliam per Ti. Neronem Tiberii, qui postea imperator fuit, patrem deduxisse, in quibus Narbonem, & Arelate fuisse. Massilienses autem, cum ei bello civili portas clausissent, & se oppugnari passi essent, tamen ab eodem liberi sunt relicti. Narbo autem ipsa ab eo iterum deducta videtur. siquidem in vetere aræ inscriptione colonia Julia Paterna Narbo Martius appellatur hoc modo:

PRO. COLONIS. INCOLISQUE. COL. JUL. PATERN. NARB. MART.

Utranque autem provinciam post Cæsarem L. Domitius Ahenobarbus, Cæsaris inimicus, obtinuit. Cæsar mox rerum potitus Narbonensem quidem cum Hispania M. Lepido, Comatam vero D. Bruto, & post Brutum L. Planco concessit, qui Hirtio, & Pansa consulibus decreto senatus ad confluentem Araris, & Rhodani Lugdunum, ad Rhenum, in Rauracis Rauracam, ut Dio auctor est, condidit. Eodemque anno cum triumviri reip. constituendæ Lepidus, Octavianus, & Antonius remp. invasissent, Lepidus item cum Hispania Galliam Narbonensem obtinuit, Comatam Antonius; cui post Brutum, & Cassium in Macedonia profligatos etiam Narbonensem adjunxit, atque utranque per Fusium Calenum, & P. Ventidium rexit. post autem tertia partitione Octavianus Gallias assequutus, in iis per M. Agrippam consulem rem gessit, qui post Cæsarem secundus Rhenum trajecit.

CAP. VII.

De Illyrico.

ILLYRICUM autem (huc enim ex Gallia transeundum videtur) inter Italiam, quæ tum Formione amne terminabatur, ac Macedoniam,

Epirum, Pannoniam, & mare superum situm gentes quidem plurimas est complexum, sed plerasque obscuras, neque ulla sane re memorabili gesta insignes. qui vero ceteris præstiterunt, Istri fuerunt, Italiæ adjacentes, & post Istros Japudes, Liburni, Delmatæ, Daorsei, Vardæi, Labeates, Daulantii, Dassaretii, Parthini, Atintani, & Bulliones, partim domesticis regibus, partim legibus suis obtemperantes; præter quosdam, qui post Philippi Macedonis, Alexandri patris regnum, jampridem in Macedonum imperium, moresque concesserant. Istros a Japudibus Arsia flumen discrevit, Japudes a Liburnis Tendanius, Liburnos a Delmatis Titius. Insulæ nobiles Issa, Pharus, Melite, & Corcyra cognomento Nigra.

Cum Illyriis autem multa bella gesta sunt illa quidem, verum, ut apparet, non semper cum iisdem, atque hæc magna ex parte levia, nec satis, ut innuit Appianus, scriptorum monumentis nobilitata. Primum bellum cum iis fuit, qui Ionium mare, atque Epirum, & Macedoniam attigerunt. quorum rex fuit Agron Pleurati filius, ut inquit Polybius, & post mortem ejus Pineus infans cum matre Teuta relictus. quæ Romanum in bellum hac de caussa incurrit. Illyrii mercatores Romanos navigantes adorti spoliaverant. ea de re cum Romani C. & L. Coruncanios legatos ad Teutam misissent, factum est, ut cum alter eorum superbe se gerenti reginæ ferocius respondisset, jussu ejus contra jus gentium sit occisus, ut refert Polybius. nam aliter aliquanto narrat Appianus. Hanc ergo ut persequerentur injuriam Romani, L. Albinum, & Cn. Fulvium Centumalum consules, anno urbis quingentesimo tricesimo quarto, adversus Illyrios cum exercitu, & classe miserunt; quorum cum Fulvius Corcyram, quam Demetrius Pharo ab Agrone profectus occuparat, venisset, atque insulam cum ipso Demetrio in potestatem adduxisset; Albinus autem pedestres copias Brundusium perduxisset, ambo conjunctis copiis Corcyram, Apolloniam, Epidamnum, & Issam liberas inter Illyrios civitates, ad amicitiam traduxerunt. Regina cum paucis Rhizonem oppidum confugit, ac legatis ad Romanos missis pacem his conditionibus impetravit: *Ut Pineus rex certum quotannis stipendium persolveret, & Illyrico toto, præterquam paucis locis, excederet, neque ultra Lissum, quod est trans Drilonem amnem oppidum, nisi cum duobus iisque inermibus lembis navigaret*. Corcyræ, & Apolloniæ libertas permissa est.

Secundo bello Istri petiti sunt, anno urbis quingentesimo tricesimo secundo, cum naves & ipsi Romanorum cepissent, easque diripuissent. Quibus a P. Scipione, & M. Minucio coss. partim vi, partim voluntate ad deditionem adductis, facile fuit, ut sequentes consules C. Lutatius, & L. Veturius sine pugna usque ad Alpes penetrarent. quod in Eutropii, & Zonaræ commentariis invenitur.

Tertium inde bellum Demetrio ipsi Phario postero anno est, Annibale Pœno in Italiam adventante, illatum. caussa belli fuit, quod ille Illyricorum Roman. sociorum agros populatus esset, ac sollicitatis Atintanis ultra Lissum quinquaginta lembis provectus esset. Adversus eum L. Æmilius Paulus profectus expugnato Dimalo, quod ille muniverat, ac Pharo ditionis suæ facta, rebusque Illyrici ex arbitrio constitutis, una cum collega M. Livio triumphavit. Demetrius ad Philippum Macedoniæ regem, Persei patrem profugit, ut narrat Polybius. quod confirmat Livius, qui secundo anno belli Punici legatos ad Philippum missos scribit ad deposcendum Demetrium, qui bello victus ad eum fugerat; & ad Pineum quoque regem in Illyricum alios ad stipendium, cujus dies exierat, poscendum, aut si diem proferret, accipiendos obsides. Per bellum inde Annibalis, & Philippi populus Romanus Pleurato altero rege Illyriorum amico usus est; unde scripsit Livius bello Philippico absoluto, *Caristo, & Pleurato Lingum, & Parthinos, quæ gentes Illyriorum sub ditione Philippi fuerant, datos*.

Deinde bellum cum Istris est renovatum. scribit enim Livius anno quingentesimo septuagesimo secundo, L. Duronio prætori Apuliam decretam, & Istros adjectos, quod Tarentini Brundisinique nunciabant, maritimos agros infestos transmarinarum navium latrociniis esse. Itaque triennio post A. Manlius consul decreto Istrico bello profectus ab Aquileja castra ad lacum Timavi posuit, & collatis signis male pugnavit; post recuperata pugna Istrorum ad octo millia cæcidit. postero vero anno M. Junius, & A. Manlius, cum Aquilejæ hibernassent, exercitu in fines Istrorum inducto, quattuor millia eorum in acie cæciderunt, eosque ad pacem petendam datis obsidibus compulerunt. dumque Nesactium oppidum, quo se principes Istrorum, & regulus ipse Æpulo receperat, summa vi oppugnabant, successor C. Claudius consul superveniens oppidum cepit. rex, ne in manus hostium perveniret, sibi mortem conscivit. duo deinde oppida Mutilam, & Faveriam vi capta delevit. Atque ita Istria tota trium oppidorum excidio, & morte regis pacata, omnes undique populi obsidibus datis in ditionem venerunt.

Quinto bello Gentium Pleurati filium, cum eum Perseus rex, Philippi Macedonis filius, magna mercede promissa in belli societatem traxisset, triginta diebus cum regno suo in potestatem adduxit L. Anicius prætor, anno urbis quingentesimo octogesimo sexto. Quo de bello hæc quasi ex quodam antiquitatis naufragio extant apud Livium: *Gentius*, inquit, *audito, Anicium prætorem adversus se proficisci, Lissum omnes copias contraxit. inde Caravantio fratre in Cauniorum gentem vi, aut terrore subigendam misso ipse ad Bassaniam urbem quinque millia ab Lisso ducit. socii erant Romanorum; itaque obsidionem pati, quam se dedere maluerunt. Caravantium in Cauniis Burnium oppidum adventantem benigne excepit, Caravantis altera urbs exclusit. Anicio se Rhizon, & Olcinium & ceteræ urbes regionis ejus dediderunt. Ad Scodram inde ventum est, tum quod Gentii regia esset, tum quod Labeatium regionis munitissima; eamque ac regem cum tota ipsius familia in potestatem adduxit. Inde Scodræ, quo quinque legati ab Roma venerant, evocatis ex tota provincia principibus, conventum habuit. ibi pro tribunali pronunciavit de sententia consilii, senatum, populumque Romanum Illyrios esse liberos jubere. præsidia ex omnibus oppidis, arcibus, & castellis sese deducturum; non solum liberos, sed etiam immunes fore Issenses, & Taulantios, Dassaretiorum Tirustaras, Inittas, Olciniatas, quod incolumi Gentio ad Romanos defecissent. Daorseis quoque immunitatem dare, quod relicto Caravantio ad Romanos transissent. Scodrensibus, & Drassarensibus, & Selepitanis ceterisque Illyriis vectigal dimidium ejus quod regi pependissent, imponere. Inde in tres partes Illyricum divisit. unam eam fecit, quæ supra dicta est, alteram Labeates omnes, tertium Agravonitas, Rhizonitas, & Olceratinos, accolasque eorum.*

Post Labeates subacti Delmatæ sunt, quorum caput erat Delminium. His crimini datum erat, quod Illyricos Romanorum socios divexassent. Ergo a C. Marcio Figulo consule anno quingentesimo septimo, usque ad Naronem flumen fusi, Delminiumque compulsi sunt. a P. vero Nasica consule, Delminio ipso incenso, in potestatem adducti.

Vardæi inde, cum, ut scribit Appianus, Romanum Illyricum invasissent, repentino bello oppressi, ac veniæ impetrandæ caussa sumptus in bellum solvere jussi cum imperata detrectarent, a Ser. Fulvio Flacco consule, teste Livio, sunt deleti, &, ut

scribit Strabo, ab ora maritima in Illyrici interiora translati.

Istris inde, & Japudibus arma illata sunt iis, qui cis montes ad mare habitabant. Istros, auctore Plinio, Japudes, Livio, C. Sempronius Tuditanus in consulatu subegit, ac de iis anno sexcentesimo vigesimo quarto triumphavit. Itaque quod Tuditanus, ut inquit Plinius, in statua sibi inscripserat, *Ab Aquileja ad Titium amnem stadia ducenta*, significare, credo, voluerat, se regionem ab Aquileja ad Titium amnem, quo Liburni terminabantur, populi Rom. imperio adjunxisse.

Sequutum est inde alterum cum Delmatis bellum. scribit enim Appianus, anno sexcentesimo vicesimo sexto, L. Metellum consulem adversus Delmatas nulla eorum culpa, triumphandi tantum libidine profectum, ab iis amice exceptum, Salone eorum oppido hibernasse, deportatoque exercitu, sine caussa de iis triumphasse. cui viro vix possum assentiri, cum apud Livium scriptum inveniam, Delmatas a L. Metello armis subactos, & apud Asconium, L. Metellum ædem Castoris de manubiis Delmatarum extruxisse, atque subactis iis cognomen Delmatici invenisse. post aliquot autem annos C. Cosconium procos. magnam Delmatiæ partem, Salone capta, subegisse, prodit Eutropius.

Atque his quidem bellis cum magna Illyrici pars ad provinciæ jus est redacta, tum ea maxime, quæ maritima erat. refert enim Appianus, Delmatas Liburnis Promonem oppidum ademisse, neque eos Cæsarem, cum ad eum Liburni confugissent, ulcisci bello civili imminente, potuisse. Extrema inde duo bella fuere, unum cum Delmatis, alterum cum Japudibus; prius Cæsar bellis civilib. perfunctus gessit; siquidem P. Vatinium misit, qui tributa imposuit, & obsides pacis accepit. quo tempore illa scripsit Cicero ad Vatinium: *Delmatis dii malefaciant, qui tibi molesti sunt*. posterius, Octavianus; nam cum, Cæsare mortuo, Delmatæ Vatinio se quidquam daturos negarent, atque Vatinium ipsum arma parantem acie superassent, Octavianus triumvir Japudibus cismontanis, qui defecerant, receptis, cum transmontanos nondum populo Romano subjectos, Metulo eorum urbe expugnata, in potestatem redegisset, postero anno in Delmatas Taulantiis proximos, qui post Vatinium victum tributum per decennium non dederant, arma convertit, atque eos ægre, præsertim accepto vulnere, & magnis aliis affectus incommodis, tandem subegit, ut Dio prodidit.

Non est autem prætermittendum, Romanos in describenda Illyrici provincia non omnem Illyrici regionem esse complexos, verum eam Lisso tantum oppido maritimo terminasse. reliquos autem inde usque ad Epirum Illyricos Macedoniæ provinciæ attribuisse. Quod cum Plinii, & Ptolemæi testimonio confirmatur, tum etiam Dionis, qui scribit, Dyrrachium, quod Epidamnus antea vocabatur, cum Illyriorum esset, qui Parthini appellabantur, bello civili Pompejano Macedoniæ oppidum fuisse, idque sua etiam esse observatum ætate.

De jurisdictione vero in Illyrico constituta hæc habemus. Plinius tres in Illyrico conventus nominat, Scardonam, Salonam, & Naronam. in quo quia auctore utitur Varrone, fit, ut ita Varrone quoque, id est, rep. vigente, observatum esse existimem. Salonensis conventus meminit etiam Cæsar libro tertio belli civilis. eadem cum in veteribus lapidibus Salona Julia nominetur, a Cæsare videtur deducta, eo magis, quod Hirtius bello civili Cæsaris *Salonam cives Romanos incoluisse*, scribit. Fuisse autem etiam colonias in Illyrico alias ostendit Cæsar, cum scribit, *Lissum se oppugnare conatum defendentibus civibus Romanis, qui ejus erant conventus*. siquidem extat vetus inscriptio aræ, his verbis:

A UTI SIS VOLENS PROPITIUS MIHI COLLEGISQ. MEIS, DECURIONIBUS, COLONIS, INCOLIS, COLONIÆ MARTIÆ JULIÆ SALONÆ.

CAP. VIII.

De Macedonia.

ILLYRICO autem Macedonia proxima non iisdem semper circumscripta finibus fuit; quod alii nationis Macedonicæ termini fuerunt, alii regni Macedonici, alii provinciæ Macedoniæ. Nationi [B] fines morum ac linguæ similitudo dederunt, a Thracia quidem, ut notat Strabo, Strymonem amnem, a Thessalia vero Peneum. inter quos fluvii alii Haliacmon, Lydius, Erigon, Axius, Echedorus, & Chabrius, in mare Ægeum omnes influxerunt, præter Erigonem, qui in Axium. Hos autem fines produxere Macedoniæ reges, in primisque Philippus Alexandri pater, cum ex finitimis gentibus quotidie aliquid Macedonico regno adjiceret, nempe Thracibus, Pæonibus, Illyriis, Epirotis, & Thessalis. ex quo fit, ut proximæ quæque Macedoniæ gentes non iisdem terminis ab omnibus [C] scriptoribus includantur. Strabo auctor est, partem Thraciæ, quæ ultra Strymonem est, usque ad Nessum amnem a Philippo domitam Macedoniæ esse attributam. adjungit alio loco, propter claritatem, ac potentiam Thessalorum, & Macedonum factum esse, ut vicini eorum, præsertim Epirotæ, partim voluntate, partim vi in partes Thessalorum, Macedonumve transierint; ut Athamanes, Æthices, & Talares in Thessalorum; Orestæ, Pelagones, & Elimiotæ in Macedonum. Quin etiam Pæones, Dolopes, Illyriosque aliquot Macedoniæ finitimos, ut Atintanas, postquam a Philippo subacti sint, Macedonicæ attributos, legendo animadvertere possu- [D] mus. Thessalia vero magna regio fuit, Peneo fere, & Sperchio amne inclusa. Hanc Herodotus in Polymnia ita descripsit, ut quidquid inter montes Pelion, & Ossam ab oriente, Olympum a borea, Pindum ab occasu, Otrym a meridie fuerit, id totum Thessaliam vocarit, eamque a quinque fluminibus irrigatam Peneo, Apidano, Onochono, Enipeo, & Pamiso prodiderit. Strabo vero aliquanto uberius eam describens latus orientale a Thermopylis ad ostium Penei habuisse inquit Achæos Phtiotas, Magnetas, & Malienses; a Pelio, & Peneo partem mediterraneam usque ad Pæoniam, & gentes Epiraticas; a septentrione accoluisse Macedonas; [E] a meridie montes Oeteos, & Ætolicos cum Doribus, & Parnasso fuisse; ab occidente Ætolos, Acarnanes, Amphilochos, & Epirotarum Athamanes, ac Molossos; Thessaliæ vero populos prodit Magnetas, Malienses, Pelasgiotas, Thessaliotas, Perræbos, & Estiæotas. Thessaliam autem, cum proprios tyrannos haberet, quorum Jason & Alexander præ ceteris claruerunt, in potestatem Philippus adduxerat, eaque Alexandro quoque filio ejus paruerat. Mortuo vero Alexandro, qui regnum Macedoniæ tenuerunt, iidem etiam Thessalis imperarunt. quare, quo primum tempore Romani cum Macedo- [F] nibus bellarunt, Thessali Macedonibus erant subjecti.

Bellarunt autem cum Philippo Demetrii F. cum Perseo Philippi F. & cum Andrisco, qui se Philippi filium esse mentiebatur. primo bello finem imposuit T. Quinctius Flamininus, secundo L. Æmilius Paulus, tertio Q. Cæcilius Metellus, Macedonicus ex ea victoria nominatus. prima victoria Philippus Macedoniæ rex relictus, Thessalia & reliquis, quæ in ditione ejus erant, gentibus ei ademptis, ac libertate donatis. secunda, Perseo capto, atque in carcere necato, Macedonia ordinata, sed libera

relicta. tertia, Pseudophilippo sublato, Macedonia in provinciæ formam redacta. Cum Philippo porro bis dimicatum armis est, primum bello Punico, cum ille se Annibali socium ad invadendam Italiam adjunxisset; iterum finito bello Punico, cum idem Athenienses populi Romani socios ab Acarnanibus impulsus bello vexaret. priore bello pax ita data est, ut fœderi Thessalos quoque rex ascriberet; posteriore, cum ad Cynoscephalas in Thessalia T. Quinctio duce debellatum esset, in has conditiones, teste Livio, ictum fœdus est: *Ut captivos, transfugasque reddere Romanis, & naves omnes tectas traderet, ne plus quingentis armatorum haberet, neve elephantum ullum. bellum extra Macedoniæ fines ne injussu senatus gereret. mille talentum daret populo Romano, dimidium præsens, dimidium pensionibus decem annorum. Orestis, (Macedonum ea gens est) quod primi ab rege defecissent, suæ leges redditæ. Magnetes, & Perræbi, & Dolopes, liberi quoque pronunciati. Thessalorum genti præter libertatem concessam Phiotæ dati, Thebis Phtioticis & Pharsalo excepto.*

Cum Perseo vero, quod contra fœdus bellum pararet, & socios populi Romani Thraces, Thessalos, Græcos, aut bello tentaret, aut ad defectionem solicitaret, summo prælio pugnatum est, L. Paulo imperatore ad Pydnam in Macedonia. Rege autem in Samothracia in potestatem redacto, res in hunc modum compositæ sunt: *Silentio*, inquit Livius, *per præconem facto Paulus Latine, quæ senatui, quæ sibi ex consilii sententia visa essent, pronunciavit. ea Cn. Octavius prætor interpretata sermone Græco referebat. Omnium primum liberos jubere esse Macedonas habentes urbes easdem, agrosque utentes legibus suis, annuos creantes magistratus. tributum dimidium ejus, quod pependissent regibus, pendere populo Romano. deinde in quattuor regiones dividi Macedoniam. unam fore, & primam partem, quod agri inter Strymonem, & Nessum amnem sit; accessuram huic partem trans Nessum ad orientem versam, quam Perseus tenuisset, vicos, castella, oppida, præter Ænum, & Maroneam, & Abdera; trans Strymonem autem vergentia ad occasum Bisalticam omnem cum Heraclea, quam Sinticem appellant. Secundam fore regionem, quam ab ortu Strymo amplecteretur amnis præter Sinticem Heracleam, & Bisaltas; ab occasu, quam Axius terminaret fluvius, additis Pæonis, qui prope Axium ad regionem orientis colerent. Tertia pars facta, quam Axius ab oriente, Peneus amnis ab occasu cingunt. ad septentrionem Bora mons objicitur. adjecta huic parti regio Pæoniæ, quæ ab occasu præter Axium amnem porrigitur. Edessa quoque, & Berrœa eodem concesserunt. Quarta regio trans Boram montem una parte confinis Illyrico, altera Epiro. capita regionum, ubi consilia fierent, primæ regionis Amphipolim, secundæ Thessalicem, tertiæ Pellam, quartæ Pelagoniam fecit. eo concilia suæ cujusque regionis indici, pecuniam conferri, ibi magistratus creari jussit. Pronunciavit deinde, neque connubium, neque commercium agrorum ædificiorumque inter se placere cuiquam extra fines regionis suæ esse. metalla quoque auri, atque argenti non exerceri: ferri, & æris permitti. vectigal exercentibus dimidium ejus impositum, quod pependissent regi. Et sale invecto uti vetuit Dardanis repetentibus Pæoniam, quod & sua fuisset, & continens esset finibus suis, omnibus dare libertatem pronunciavit, qui sub regno Persei fuissent. post non impetratam Pæoniam salis commercium dedit. tertiæ regioni imperavit, ut Stobos Pæoniæ deveherent preciumque statuit. navalem materiam & ipsos cædere, & alios pati vetuit. Regionibus, quæ affines barbaris essent (excepta autem tertia omnes erant) permisit, ut præsidia armata in finibus extremis haberent. Hæc pronunciata primo die conventus varie affecerunt animos. Libertas præter spem data arrexit, & levatum annuum vectigal. regionatim commerciis interruptis ita videri lacerata tanquam animalia in artus alterum alterius indigenteis distracta. adeo quanta Macedonia esset, quam divisu facilis, & se ipsa contenta quæque pars esset, Macedones quoque ignorabant. Pars prima Bisaltas habet fortissimos viros, (trans Nesum amnem incolunt, & circa Strymonem) & multas frugum proprietates, & metalla, & opportunitatem Amphipolis, quæ objecta claudit omnes ab oriente sole in Macedoniam aditus. Secunda pars celeberrimas Thessalonicem, & Cassandriam habet, ad hoc Palenem fertilem, ac frugiferam terram: maritimas quoque opportunitates ei præbent portus ad Toronem, ac montem Atho (Æneæ vocant hunc) alii ad insulam Eubœam, alii ad Hellespontum opportune versi. Tertia regio nobiles urbes Edessam, & Berrœam, & Pellam habet, & Vettiorum bellicosam gentem, incolas quoque permultos Gallos, & Illyrios impigros cultores. Quartam regionem Eordæi, & Lyncestæ, & Pelagones incolunt. juncta his Atintania, & Stymphalis, & Elimiotis. frigida hæc omnis duraque cultu, & aspera plaga est: cultorum quoque ingenia terræ similia habet. ferociores eos & accolæ barbari faciunt, nunc bello exercentes, nunc in pace miscentes ritus suos. Leges inde Macedonibus dedit cum tanta cura, ut non hostibus victis, sed sociis bene meritis dare videretur, & quas ne usus quidem longo tempore, qui unus est legum corrector, experiendo argueret.* Hæc Livius. ex quibus neminem arbitror tam rudem esse, qui non intelligat, magno illum in errore versari, qui historiæ epitomem Livianæ confecit, qui cum Livius scribat, Macedoniam a Paulo liberam quidem, sed vectigalem esse pronunciatam, ipse in provinciæ formam redactam esse, descripsit: quasi vero provinciam facere sit idem, atque libertate donare.

Tertium inde bellum cum Andrisco quodam est gestum, tum cum ad falsum Philippi nomen universa prope Macedonia consurrexit, atque hic quidem, anno DCV. a Q. Metello prætore, Macedonia recepta, deletus est. Hoc autem primum tempore Macedoniam provinciam esse factam, sunt qui significent; primum Florus, qui hac victoria *Macedoniam servitute esse mulctatam*; deinde Jornandes, qui Macedoniam a Metello *superatam colla submisisse, Romanamque provinciam factam*, prodit. Tum vero Thessaliam Macedonicæ formulæ esse ascriptam, facile existimarim. Nam eam item hoc bello a Romanis defensam, in Livianorum epitoma scriptum est. ex quo suspicari licet, eandem, quod cum Macedonia defecisset, pariter esse cum Macedonia constitutam. cui opinioni aperte Plinius, ac Ptolemæus favent, cum Thessaliam in Macedoniæ provinciæ fines includunt. Neque vero Thessalos solum tum Macedoniæ provinciæ adjunctos crediderim, sed Taulantios quoque. Parthinos, Dyrrachium, & Apolloniam, quæ eo usque Illyrici fuerant; siquidem & Piso Cæsaris socer Macedoniæ proconsul Dyrrachinis, Apolloniatibus, Parthinis, & Bulliensibus præfuit, ut Cicero in Pisoniana testatur; & Dio, Plinius, ac Ptolemæus hos item Macedoniæ fines ascribunt. Adjicit etiam Strabo, Lyncestidem, Pelagonitim, Orestidem, & Elimiotim, quæ omnes ad mare Ionium sunt, superiorem Macedoniam appellatam, a posterioribus autem Liberam; fuisse etiam, qui omnem regionem usque ad Corcyram Macedoniam dixerint, quod eadem lingua, eodemque cultu omnes uterentur. Liberæ autem Macedoniæ meminit item Cæsar libro III. belli civilis. *Calvinum*, inquit, *in Macedoniam proficisci jubet; cujus provinciæ ab ea parte, quæ Libera appellatur, Menedemus princeps earum regionum missis legatis omnium suorum excellens studium profitebatur.* Quin etiam ex eadem Pisoniana appa-

apparet, multos Thraciæ populos, Macedoniæ proconsuli paruisse. Hi vero fuerunt, partim qui postea ab Ap. Claudio, C. Curione, M. Lucullo imperatoribus victi sunt, qui omnes Macedoniam sortiti cum Thracibus populantibus prope quotidiana bella gesserunt: unde in oratione de provinciis consularibus Cicero viæ militaris meminit, quæ per Macedoniam ferret in Hellespontum; partim, qui cum Asiæ regibus donati fuissent, (ut Cherronenses, quorum idem meminit in Pisonem,) post Attali mortem ad populum Romanum reciderunt. unde dixit idem in agrariis: *Jubet venire agros Attalicos in Cherroneso.* loquitur autem de Rullo, qui agros publicos vendere cogitabat. Sed de Thracia provincia alias: neque enim a populo, sed ab imperatoribus est adjuncta.

His ergo finibus septa Macedonia provincia & vectigalis fuit, & prætori jus dicenti obtemperavit. De vectigalibus testis est idem, ubi Pisonis Macedonicum proconsulatum exagitat. *Qui fuit*, inquit, *modus frumenti æstimati, qui honorarii? siquidem potest vi, & metu extortum honorarium nominari. unus æstimator, unus venditor tota in provincia per triennium frumenti omnis fuisti.* & post: *Vectigalem provinciam, singulis rebus quæcunque venirent, certo portorio imposito, servis tuis publicanis a te factam esse meministi? Mitto rationem exacti, imperatique frumenti.*

De jurisdictione vero inde elicitur, cum ei vitio vertit, quod contra legem liberis etiam populis jus dicere ausus sit. Hi vero præter ceteros erant, quos Cæsar primo suo consulatu libertate donaret; quemadmodum postea Thessalos, quod pro se contra Pompejum in acie Pharsalica stetissent, in dictatura donavit, ut Appianus scriptum reliquit. Conventum unum Thessalonicæ celeberrimum fuisse, non obscuris suspicionibus arbitror.

CAP. IX.

De Achaja.

MACEDONIÆ Achaja fuit & situ regionis, & rerum gestarum ordine conjunctissima. Ut autem Macedonia Macedonas, & Thessalos est complexa; sic Achaja Epirotas, & Græcos. Epirus ab Acrocerauniis montibus Illyrico, Macedoniæve finitimis usque ad sinum Ambracium pertinens populos habuit Chaonas, Molossos, Thesprotos, Amphilochos, & Athamanes. Chaones, & Thesproti, & Molossi, vetera nomina Romanis rem in Epiro gerentibus amiserant, atque uno fere Epirotarum omnes nomine signabantur. Athamanes, cum regem haberent, in Thessalorum nomen transierant. soli celebrantur Amphilochi. Græcia inde duplex sequuta, una extra Isthmum, Achaja nomine. in qua fuerunt Acarnanes, Ætoli, Dores, Locri, Phocenses, Megarenses, Attici, Bœoti, & Eubœenses; alteram intra Isthmum, Peloponnesum dictam, habitarunt Achæi, Elei, Messeni, Lacones, Argivi, Sicyonii, & in medio quodam modo omnium Arcades longe a mari. Quod ipsum cum ex ceteris, tum ex Livio ipso cognoscitur, apud quem Græciæ hæc descriptio legitur: *Thermopylarum jugum, sicut Apennini dorso Italia dividitur, ita mediam Græciam dirimit. ante saltum Thermopylarum septentrionem versus Epirus, & Perræbia, & Magnesia, & Thessalia est, Phtiotæ Achæi, & sinus Maliacus; intra fauces ad meridiem vergunt Ætoliæ pars major, & Acarnania, & cum Locride Phocis, & Bœotia: adjunctaque insula Eubœa, & excurrente in altum velut promontorio Attica terra sita ab tergo, & Peloponnesus.* Atque hi quidem populi omnes, sed aliis temporibus alii, gloria rei mili-

A taris excelluerunt. Lacedæmonii quidem & Athenienses, & Bœoti ante arma Macedonum, Philippi, inquam, & Alexandri Magni, qui universam Græciam dicto sibi audientem esse coegerunt; Epirotæ vero, quoad Pyrrho regi vita suppeditavit, qui Alexandro ipso minor aliquanto natu fuit. Alexandro vero, & Pyrrho mortuis, cum Macedoniæ imperium post varias ejus regni procellas tandem ad Philippum Demetrii filium pervenisset, harum nationum ea conditio erat, ut aliæ servirent, aliæ liberæ essent. quæ serviebant, aut externis regibus, aut domesticis tyrannis obtemperabant. liberæ aut per se degebant, aut commune multarum

B civitatum concilium inibant, atque ex consilii decreto, & pacis, & belli tempora dispensabant. Inter omnes autem eminebant Achæi, & Ætoli. Achæi ad Isthmum incolentes, ut narrat Polybius, post mortem Alexandri inter se conspiraverant, & communem remp. constituerant, quattuor primum tantum civitatibus in unum concilium convenientibus, Dymis, Pharis, Patris, & Tritæa, & paucis post annis Ægio, Carynia, & Bura eodem, tyrannis suis exactis, sese adjungentibus. Quin etiam cum Achæorum arma, duxque Achæorum Aratus reliquæ in se Græciæ oculos convertissent, universa

C fere Peloponnesus Achaico immisceri concilio voluit, Sicyonii, Corinthii, Argivi, Messenii, Elei, Arcades, & ad extremum etiam Lacedæmonii: cum libertatem suam, quam plerique dejectis tyrannis recuperaverant, nulla alia ratione se defensuros arbitrarentur, quam si propriis abjectis legibus Achaici concilii instituta moresque susciperent, atque communibus armis vim maxime regum Macedonum propulsarent, qui deinceps quinque regnarunt; Antigonus, cognomento Gonatas, Demetrius Antigoni filius, Antigonus Philippi tutor, Philippus Demetrii filius, & Philippi filius Perseus. Achæorum autem exemplum reliqui, sed maxime Ætoli sequuti

D & commune gentis concilium habebant, atque ex communi sententia bella suscipiebant, gerebant, & deponebant, & fœdera cum vicinis inibant, & dimittebant. Bello autem Punico secundo, cum Philippus Demetrii filius, Annibali fœdere conjunctus Italiæ immineret, ab Ætolis primum cum Romanis societas, amicitiaque contracta est. siquidem, ut narrat Livius, conscriptæ conditiones, quibus in amicitiam, societatemque populi Romani Ætoli venirent, additumque: *Ut, si placeret vellentque, eodem jure amicitiæ Elei Lacedæmoniique essent. bellum ut extemplo cum Philippo terra gererent. navibus ne minus viginti quinqueremibus adjuvarent Romanos.*

E *urbium Corcyra tenus ab Ætolia incipienti solum tectaque & muri cum agris, Ætolorum; alia omnis præda, populi Romani esset. darentque operam Romani, ut Acarnaniam Ætoli haberent. si Ætoli pacem cum Philippo facerent, fœderi ascriberent. Ita ratam eorum pacem, si Philippus arma ab Romanis sociisque quique eorum ditionis essent, abstinuisset. item, si populus Romanus fœdere jungeretur regi, ut caveret, ne jus ei belli inferendi Ætolis, sociisque eorum esset.* Neque vero multo post, cum Ætoli sine Romanorum auctoritate adversus fœdus pacem cum Philippo fecissent, & Philippus ipse Epirotarum in-

F commodis adductus cum Romanis fœdus percussit. ab rege fœderi ascripti Achæi, Bœoti, Acarnanes, Epirotæ; ab Romanis Nabis Lacedæmoniorum tyrannus, Elei, Messenii, Athenienses. Bello inde Punico perfuncti Romani arma Philippo intulerunt, ut Athenienses socios suos tuerentur, quos Acarnanes auxilio usi Philippi bello aggressi erant, & ut omnino Græciam liberarent. Eo bello Ætoli ad Romanos redierunt, Bœoti atque Achæi cum iisdem societatem pepigerunt. Victo autem ad Cynoscephalas Philippo, pax a T. Quinctio imperatore data est in has leges: *Omnes Græcorum, quæ in Euro-*

pa, quæque in Asia essent, civitates libertatem, & suas leges haberent. quæ sub ditione Philippi fuissent, præsidia ex his Philippus deduceret. ut Corinthus, quam occupaverat Philippus, redderetur Achæis. Chalcis, & Demetrias a Romanis retineretur, donec cura de Antiocho Syriæ rege decessisset. Itaque Nemeorum ludrico præco cum tubicine, ut mos est, in mediam arenam processit, ac tuba silentio facto ita pronunciavit: Senatus R. & T. Q. inctius imperator Philippo rege, Macedonibusque devictis, liberos, immunes, suis legibus esse jubet Corinthios, Phocenses, Locrensesque in insulam Eubœam. Corinthus, & Triphylia, & Herea (Peloponnesi & ipsa urbs est) addita Achæis. Inde Nabidi Lacedæmonio tyranno bellum illatum, & Argos, quod oppidum ille bello superiore interceperat, Achæis restituere coactus. Ita ipso relicto, præsidiis Corintho, Chalcide, & Demetriade deductis libertas universæ Græciæ data est. Ætoli deinde ægre passi, se nullis a Romanis eo bello præmiis decoratos, cum Antiocho Syriæ rege in Græciam advocato, Amphilochorum regionem occupassent, atque Ambraciam Epirotarum oppidum sibi adjunxissent, tandem a M. Fulvio Nobiliore victi pacem his conditionibus impetrarunt: *Imperium majestatemque populi Romani gens Ætolorum conservato sine dolo malo. ne quem exercitum, qui adversus socios amicosque eorum ducetur, per fines suos transire finito, neve ulla ope juvato: hostes eosdem habeto, quos populus Rom. armaque in eos ferto. bellumque pariter gerito. perfugas, fugitivos, captivosque reddito Romanis, sociisque, præter quam si qui capti cum domos redissent, iterum capti sunt: aut si qui eo tempore ex iis capti sunt, qui tum hostes erant Romanis, cum inter præsidia Romana Ætoli essent. aliorum qui comparebunt, intra dies centum Corcyreorum magistratibus sine dolo malo tradantur. qui non comparebunt, quando quisque eorum primum inventus fuerit, reddatur. obsides quadraginta arbitratu consulis Romani dato ne minores* XII. *annorum, neu majores quadraginta. obses ne esto prætor, præfectus equitum, scriba publicus, neu quis, qui ante obses fuerit apud Romanos. De pecuniæ summa, quam penderet, pensionibusque ejus nihil ex eo, quod cum consule convenit, mutatum, dum pro argenteis decem aureus unus valeret. Quæ urbes, qui agri, qui homines Ætolorum juris aliquando fuerunt, qui eorum T. Quinctio, Cn. Domitio coss. postve eo consules aut armis subacti, aut voluntate in ditionem populi Rom. venerunt, neque eos Ætoli recepissent, vel in Ætolia essent, eæ urbes, agrique Acarnanum sunt.* Quin etiam Cephallenii ab eodem M. Fulvio armis subacti sunt, & Lacedæmonii demum ab Achæis Nabidis tyrannide liberati, propriis dimissis legibus Achaico se concilio aggregarunt. Bello autem Persei Macedonico universa Græcia in fide Romanorum mansisse videtur, Epirotis, qui ad Perseum defecerunt, exceptis. quorum prædam cum senatus exercitui dedisset, L. Paulus imperator, omni viro, atque argento tacita denunciatione uno die ex LXX. oppidis extracto, urbes ipsas diripi, murosque dirui jussit. præda vendita omnium; de ea summa militi numeratum est. Hactenus Livius. Addit Pausanias, cum legati decem bello Persico confecto, ad Macedonicas res componendas essent missi, Callicratis Achæi impulsu omnes, qui bello Persico exercitibus præfuissent, tanquam Persei fautores Romam deduci jussos, atque in custodias conjectos, post aliquot annos alios dimissos, alios cum effugere conati essent, suppliciis affectos esse. Ergo cum soli in Græcia Achæi opibus, ac bellica laude florerent, merito Romani suspecti esse cœperunt, eorumque concilium illi, quoad potuerunt, labefactare conati sunt. Quamobrem cum Lacedæmonii fines suos ab Achæis veteribus inimicis suis vastari, Romæ questi essent, responsum est Lacedæmoniis, se legatos in Græciam ad rem cognoscendam, controversiasque dirimendas missuros. Legati cum venissent, & Corinthum civitatum principes evocassent, pronunciarunt, senatum censere Lacedæmonios, Corinthios, Argos, Heracleam, quæ ad Oetam est, & Orchomenios Arcades ab Achaico concilio segregandos; quod neque cum Achæis cognatione conjuncti essent, & sero se ad eorum concilium aggregassent. Qua sententia cognita Achæi in omnes Lacedæmonios, qui tum forte Corinthi erant, impetum fecerunt, & captos in carcerem conjecerunt. Plerique legatos etiam Romanorum violatos esse scripserunt. His Romæ cognitis, Achæos bello persequendos decernunt, ad idque bellum L. Mummium consulem mittunt. Neque vero Achæi interea, Critolao duce populos ad arma capienda hortante, & Bœotis operam suam pollicentibus, quiescebant. Q. autem Metellus, qui Pseudophilippo victo Macedoniam pacarat, per nuncios Achæis edicebat, ut Lacedæmonios, & alias civitates, quæ se populi Roman. fidei tradidissent, ab Achaico concilio sejungi, æquo animo paterentur, atque adhibitæ in Romanos contumaciæ veniam promittebat. Quibus non auditis, cum Achæi Romanis occurrere ausi essent, funditus sunt eversi, Critolao a Metello ad Scarphiam fugato, atque occiso Arcadibus ad Chæroneam profligatis, & Thebis Megarisque receptis, ac postremo Diæo duce a L. Mummio in fugam conjecto, & Corintho ac tota Græcia in potestatem adducta. Hac autem victoria Græciam una cum Epiro provinciam factam, & Achajam a principatu, quem tum Achæi inter Græcos obtinebant, Achajam nominatam, Rufus & Strabo prodidit, sed elegantissime omnium Pausanias his verbis: *Mummius devictis ad Isthmum Achæis Corinthum patentibus portis ingressus funditus evertit, cremavitque. viri omnes trucidati, fœminæ & pueri sub corona venditi. ornamenta, & signa Romam asportata. aliarum urbium, quæ contra Romanos steterant, muri dejecti. arma civibus adempta. atque hæc omnia priusquam decem ab urbe legati mitterentur peracta. ubi vero illi venerunt, omnem e civitatibus popularem administrationem sustulit. magistratus ex censu instituit. tributa universæ Græciæ imposuit. Locupletibus extra fines suos agri possessione interdixit. concilia omnia singularum Achajæ nationum, & Phocensium, aut Bœotorum, aut in alia parte Græciæ delevit. Non multis autem post annis Romanos Græcorum misericordia cepit. Quare & antiqua sua concilia cuique genti restituta, & agros extra fines habere permissum. remissæ etiam, quas Mummius constituerat, mulctæ. Bœotos enim mille, & Eubœenses Heracleotis talenta centum, Achæos Lacedæmoniis ducenta pendere jusserat. hæc Græcis pecunia omnis condonata. mea etiam ætate mittitur præses, quem Achajæ, non Græciæ appellant, quod Græci subacti sint, principatum Græciæ tenentibus Achæis. confectum est Achaicum bellum Archonte Athenis Antitheo, olympiade* CLX *anno ab urbe condita* DCVII. Hactenus, ut dixi Pausanias.

Ab hoc ergo tempore Græcia vectigalis facta, & legibus, ac magistratibus Romanis subjecta usque ad bellum Mithridaticum in ocio fuit; cum interea multi populi, multæque civitates libertate ac legibus suis Romanorum beneficio fruerentur. ex quibus præcipui, teste Strabone, Athenienses fuerunt. Bello autem Mithridatico cum Achæi, Lacones, Bœoti, & Athenienses Aristionis tyrannide oppressi ad Archelaum Mithridatis præfectum se contulissent haud ita multo post adveniente in Græciam Sylla omnes repente Mithridatem, exceptis Atheniensibus reliquerunt, qui oppugnari se a Sylla passi, tamen recepti impetrata venia pristinam retinuere libertatem. Etenim Sylla, ut inquit Appianus, leges Athe-

nienſibus prioribus iis affines, quæ a Romanis capta Græcia datæ fuerant, dedit, ſed Piræeum nulli parcens operi concremavit. Liberos autem alios fuiſſe in Achaja populos Cæſar oſtendit, cum Pompejo objicit, quod bello civili a liberis Achajæ populis pecuniam exegiſſet. Quin etiam idem Cæſar, teſte Appiano & Dione, Athenienſibus, cum pro Pompejo adverſus ſe ſtetiſſent, victor ignovit, liberoſque reliquit. Corinthum autem dictaturam adeptus non ſolum reſtituit, ſed coloniam eam deduxit.

Agri publici in Achaja meminit Cicero contra Rullum: *Deinde vendit*, inquit, *agrum optimum, & fructuoſiſſimum Corinthium, qui L. Mummii imperio, ac felicitate ad vectigalia populi Rom. adjunctus eſt*. juriſdictionis autem Ser. Sulpicius in epiſtola, quam ad Ciceronem prætor Achajæ ſcripſit: *Cum ab Epidauro Piræeum navi advectus eſſem, ibi Marcellum collegam noſtrum conveni. poſtero die cum ab eo digreſſus eſſem, eo conſilio ut ab Athenis in Bœotiam irem, reliquamque juriſdictionem abſolverem*. Athenis autem, quanquam liberis, conventum fuiſſe conſtitutum opinor, non ut in Athenienſes jus diceretur, ſed ut honos ei civitati haberetur.

CAP. X.

De Aſia.

EXPOSITIS, quæ a populo Romano in Europa ſunt conſtitutæ, provinciis, deinceps res admonet, ut in Aſiam tranſeamus. Aſia vero tribus modis accepta eſt; uno, tertia orbis terrarum pars, quæ Europæ, Africæque reſpondet; altero, regio, quæ ab Iſſico ſinu uſque in Pontum porrigitur, quæ Aſia minor, & magna Cherſoneſus a Strabone, & Appiano appellatur; tertio, quam rex Pergami Attalus cognomento Philometor a majoribus ſuis acceptum populo Rom. teſtamento reliquit, quæ Myſiam, Phrygiam, Æolidem, Ioniam, Cariam, Doridem, Lydiam, Lycaoniam, & Piſidiam comprehendit. quæ regiones in magna quidem Cherſoneſo, ſed cis Taurum, omnes fuerunt. Varro tamen in libris de lingua Latina duobus tantum modis Aſiam dici tradidit; uno eam, quæ reſponderet Europæ, in qua Syriam provinciam populi Roman. collocavit; altero magnam Cherſoneſum, in qua duas provincias poſuit, cis Taurum Ioniam, ultra Taurum Ciliciam. ſic autem ſcriptum reliquit: *Aſia dicitur duobus modis. nam & Aſia, quæ non Europa, in qua eſt Syria: & Aſia dicitur prioris pars Aſiæ, in qua eſt Ionia, & provincia noſtra Cilicia*. Ioniam autem Varro poſuit pro Aſia, quam nos diximus Attali. Quod cum non intelligeret magnus hac ætate vir, aſſerere in Adverſariis ſuis non dubitavit, Ciliciæ nomen e Varronis libro delendum eſſe, *quod in illa Aſia non eſſet comprehenſa Cilicia*, cum Attalicam Aſiam a Varrone, non minorem, ſignificatam, falſo arbitraretur. Verum, ut ad rem redeamus, Myſia, quæ fuit hujus Attalicæ pars, ut etiam Phrygia duplex, ſed finibus ad diſtinguendum obſcuriſſimis, fuit. idque vel ipſo auctore Strabone, qui ſcribit: *Bithynis ad auſtrum finitimi ſunt Phryges, ac Myſi, qui ad Olympum Myſiam incolunt: utraque vero gens duplex eſt. etenim Phrygia una major vocatur, cujus Midas rex fuit, & cujus poſtea partem Galatæ occuparunt. altera vero minor ad Helleſpontum, quæ ad Olympum eſt, & Epictetus, ac Troas dicitur. Myſia item una Olympena eſt Bithyniæ atque Epicteto finitima, altera ad Caium amnem & agrum Pergamenum uſque in Tetraniam, & fluminis oſtium. verum hæc adeo immutata ſunt, ut etiam regionem circa Sipylum, quam antiqui Phrygiam nominant, majoriſne, an minoris Phrygiæ, pars ſit, incertum ſit. ac Myſorum quidem, & Phrygum fines diverſi ſunt, verum eos diſtinguere operoſum*. Ptolemæus autem minorem Myſiam ad Propontidem, & Helleſpontum a Cizyco oppido uſque ad Sigeum promontorium provehit; minorem vero Phrygiam deinceps ad Ægeum pelagus uſque ad Aſſum; majorem Myſiam uſque ad amnem Caicum; Æolidem uſque ad Hermum; ab Hermo vero ad Mæandrum, ad mare Ionium Ioniam; ad Myrtoum Cariam uſque ad Myndum oppidum; inde uſque ad Caunum in mari Rhodiaco Doridem. Ac reliquæ quidem omnes maritimæ, verum Lydia, Phrygia major, Lycaonia, & Piſidia maditerraneæ.

Hæc igitur omnia poſt Alexandri Magni obitum, qui ea Perſis eripuerat, duobus regibus ſubjecta fuerunt, Pergameno, & Syrio. Pergamum minoris Myſiæ oppidum, ut inquit Strabo, primus Philetærus, Lyſimachi Macedonis præfectus, mortuo Alexandro obtinuit. quem Eumenes fratris filius eſt conſequutus. qui multorum circa locorum, Antiocho Seleuci filio rege apud Sardeis ſuperato, potitus eſt. cui deinceps Attalus fratris filius ſucceſſit, qui ſocius a populo Roman. & a ſenatu rex appellatus Romanis contra Philippum Macedoniæ regem auxilio fuit; eoque bello confecto Æginam inſulam, teſte Livio, a ſenatu obtinuit. Attalum inde Eumenes alter excepit, cui, cum pro Romanis contra Antiochum Magnum Syriæ regem ſtetiſſet, regnum auctum eſt. Sic enim victo Antiocho, ex ſenatus & decem legatorum ſententia, auctore Livio, eſt conſtitutum: *Ut cis Taurum montem, quæ intra regni Antiochi fines fuiſſent, Eumeni attribuerentur, præter Lyciam, Cariamque uſque ad Mæandrum amnem, eæ civitates Rhodiorum eſſent. ceteræ civitates Aſiæ, quæ Attali ſtipendiariæ fuiſſent, eædem Eumeni vectigal penderent; quæ vectigales Antiochi fuiſſent, eæ liberæ, atque immunes. Itaque Lycaonia omnis, & Phrygia utraque, & Myſia, Lydiæ Ioniæque extra oppida, quæ libera fuiſſent, quo die cum rege Antiocho pugnatum eſt, & nominatim Magneſia ad Sipylum, & Caria quæ Hydrela appellatur, agerque Hydreletanus ad Phrygiam vergens, & caſtella vicique ad Mæandrum amnem, & oppida, niſi quæ libera ante bellum fuiſſent, Telmeſſus item nominatim, & caſtra Telmeſſium; præter agrum qui Ptolemæi Telmeſſii fuiſſet; hæc & ab Eumene & ab Rhodiis excepta. ea quoque his pars data Cariæ, quæ prope Rhodum inſulam trans Mæandrum amnem eſt, oppida, vici, caſtella, agri, qui ad Piſidiam vergunt, niſi quæ eorum oppida in libertate fuiſſent, pridie quam cum Antiocho rege in Aſia pugnatum eſt*. Bello vero, quod paulo poſt cum Galatis, qui veteris Phygiæ partem tenebant, ac Galatiam appellabant, Cn. Manlio Vulſone duce geſtum eſt, abſoluto, eidem Eumeni præmia cumulata. *Civitatum enim*, ut inquit Livius, *cognitis cauſis decem legati aliam aliarum fecerunt conditionem. Quæ ſtipendiariæ regi Antiocho fuerant, & cum populo Rom. ſenſerant iis immunitatem dederunt. quæ partim Antiochi fuerant, aut ſtipendiariæ Attali regis, eas omnes vectigal pendere Eumeni juſſerunt. nominatim præterea Colophoniis, qui in Notio habitant, & Cumæis, & Mileſiis immunitatem conceſſerunt, Clazomeniis ſuper immunitatem & Doniſſam inſulam dono dederunt, & Mileſiis, quem Sacrum appellant, agrum reſtituerunt, & Ilienſibus Rhæteum & Gergicum addiderunt, non tam ob recentia ulla merita, quam originum memoriam. eadem & Dardanum liberandi cauſſa fuit. Chios quoque, & Smyrnæos, & Erythræos pro ſingulari fide, quam eo bello præſtiterant, & agro donarunt, & in omni præcipuo honore habuerunt. Phocæenſibus & ager, quem ante bellum hbauerunt, redditus, & ut legibus antiquis uterentur,*

permissum. Rhodiis affirmata, quæ data priore decreto fuerant. Lycia, & Caria datæ, & usque ad Mæandrum amnem præter Telmessum. Regi Eumeni Chersonesum in Europa, & Lysimachiam, & castella, & vicos, & agros, quibus finibus tenuerat Antiochus, adjecerunt. in Asia Phrygiam utramque, alteram ad Hellespontum, majorem alteram vocant, & Mysiam, quam Prusias Bithyniæ rex ademerat, restituerunt, & Lycaoniam, & Milyadem, & Lydiam, & nominatim urbes Tralles, Ephesum, & Telmessum. Huic ergo Eumeni tam multis beneficiis a Romanis ornato deinceps Attalus alter successit, is qui Romanos bello contra Pseudophilippum Macedonem adjuvit. quem novis propterea beneficiis a populo Romano auctum, verisimile est. Post quem Attalus tertius regnavit, qui superiorum beneficiorum haud immemor, sine liberis decedens patrii regni populum Rom. heredem anno urbis DCXX. reliquit. populus Asiæ civitates liberas esse jussit. Verum cum Asia paucis post annis ab Aristonico Eumenis regis ex pellice nato concitata defecisset, per tres deinceps consules P. Crassum, M. Perpernam, & MP. Aquillium in potestatem adducta, servitute mulctata est. cujus rei hæc adhuc vestigia veterum extant monumentis impressa. Livius libro LIX. *Aristonicus regis Eumenis filius Asiam occupavit; cum testamento Attali regis libera esse deberet.* quo loco non prætereundum, Livium de Asiæ libertate non idem sentire, quod ceteri; qui non Attali testamento, sed Romanorum liberalitati acceptam eam referunt. Justinus libro XL.: *In Crassi consulis occisi locum missus Perperna consul prima congressione Aristonicum superatum in potestatem suam redegit, Attalicasque gazas hereditarias populi Rom. navibus impositas Romam deportavit. quod ægre ferens successor ejus MP. Aquillius consul ad eripiendum Aristonicum Perpernæ, perinde velut sui potius triumphi munus esse deberet, festinata velocitate contendit. sed contentionem consulum mors Perpernæ diremit.* Strabo libro XIV.: *M. Perperna capto Aristonico, & Romam misso bellum confecit. Aristonicus in carcere mortuus est. Perperna morbo absumptus. postea MP. Aquillius consul cum decem legatis missus provinciam composuit in eam formam, quæ nunc est.* & libro XIII.: *Attalus cognomento Philometor, cum annos quinque regnasset, morbo extinctus est. reliquit autem Romanos heredes, qui regionem in formam provinciæ redegerunt, atque Asiam eodem nomine ac continentem, appellarunt.* & Vellejus: *Aristonicus mortuo rege Attalo, a quo Asia populo Rom. hereditate relicta erat, mentitus regiæ stirpis originem, armis eam occupat. is victus a M. Perperna, ductusque in triumpho a MP. Aquillio, capite pœnas dedit.*

Hæc igitur victoria regiones cis Taurum omnes, & quas reges Pergami ipsi ante bello pepererant, & quas deinceps beneficii loco Syriæ regibus ereptas a populo Roman. acceperant, in unam provinciam esse redactas constat. nempe Mysiam, ac Phrygiam utramque, Galatia, quam Gallogræci tenerent, excepta, Ioniam, Æolidem, Doridem, Cariam, Lydiam, Lycaoniam, & Pisidiam, eamque esse uno Asiæ nomine insignitam. Quanquam enim scribit Justinus, Lycaoniam Ariarathi Cappadociæ regi socio a senatu fuisse concessam; & Appianus in primo Civilium & in Mithridatico refert, Phrygiam Mithridati Ponti regi ab Aquillio imperatore pecunia accepta permissam, Aquillio vero eo nomine damnato, senatum Phrygiam liberam decrevisse. utramque tamen non ita multo post provinciæ Asiæ attributam, patet ex verbis his, quæ sunt apud Livium epitoma LXX. *Mithridates Ponti rex, Bithynia & Cappadocia occupatis, & pulso Aquillio legato, Phrygiam provinciam populi Rom. cum ingenti exercitu intravit.* & Plinii his: *Insident verticem Pisidæ, quorum colonia Cæsarea, eadem Antiochia appellata. oppida Oroanda, Sagalessus. hos includit Lycaonia in Asiaticam jurisdictionem versa, cum qua conveniunt Philomelienses.*

Hanc autem provinciam præclaris multorum legibus atque institutis ornatam aliquandiu beatam fuisse comperio. Primus qui huic leges dederit, MP. Aquillius fuit, per quem primum ex decem legatorum sententia constituta est. Celebratur etiam Q. Mucii Scævolæ memoria, qui anno urbis DCXXXVII. proconsul *eam tam sancte & tam fortiter administravit, ut senatus,* teste Valerio, *deinceps in eam provinciam ituris magistratibus exemplum, atque formam officii Scævolæ decreto suo proponeret.* Quo factum est, auctore Asconio, ut Asiani in ejus honorem diem festum Mucia instituerint. Post autem, cum, civibus Roman. omnibus uno die tota provincia trucidatis, a Mithridate Ponti rege esset occupata, a L. Sulla recuperata, a L. Murena, L. Lucullo, Cn. Pompejo, qui deinceps eam omnes cum imperio obtinuerunt, conservata, novas aliquot leges, & nova instituta accepit. Unde illa præcipue Ciceronis ad laudem Luculli manarunt: *In eodem tanta prudentia fuit in constituendis temperandisque civitatibus, tanta æquitas, ut hodie stet Asia Luculli institutis servandis, & quasi vestigiis persequendis.*

De vectigalibus autem Asiæ, quæ multa, eaque magna fuerunt, tulit C. Sempronius Gracchus, qui anno DCXXX. tribunatum gessit, triennio postquam Aquillius ordinata provincia de Asia triumpharat: *Ut ea a censoribus Romæ publicanis locarentur.* quod significavit in Verrem Cicero, cum dixit: *Incertum vectigal constitutum est, ut Asiæ locatione censoria, lege Sempronia.* Totum autem vectigalium Asianorum negotium, quæ publicani exercerent, in decumis, portoriis, & scripturis versatum, aperte docet idem in Maniliana: *Ceterarum provinciarum vectigalia tanta sunt, ut his ad ipsas provincias tutandas vix contenti esse possimus. Asia tam fertilis est, ut ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine rerum earum, quæ exportantur, facile omnibus antecellat.* Item: *Cum hostium copiæ non longe adsint, etiamsi irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit. itaque neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conservari potest.* Tributum ordinarium nullum Asiæ impositum est. extraordinarii vero hæc testimonia sint. Narrat Plutarchus, Asiam a Sylla XX. millibus talentorum esse mulctatam. atque hoc idem videtur innuere Cicero, cum inquit: *Flaccus prætor Asiæ descripsit pecuniam ad Pompeji rationem, quæ fuit accommodata L. Syllæ descriptioni. qui, cum omnes Asiæ civitates pro portione in provincia descripsisset, illam rationem in imperando sumptu & Pompejus, & Flaccus sequutus est.* Sumptum autem, pecuniam in classem a prætore consumptam intelligit. Postremo Cæsar superato Pompejo in Asiam venit, ac publicanis, qui eam acerbissime habuerant, dimissis, quod redigebatur ex vectigalibus in tributi collationem transtulit, ut Dio scribit.

Jam vero de conventibus in Asia constitutis multi loquuntur; primum Cicero in oratione pro Flacco, ubi Apameæ, Laodiceæ, Adramytti, Pergami ita meminit, ut earum civitatum, in quibus prætor jus dicere consuesset. unde alio loco inquit: *Negotiari libet. cur non Pergami, Smyrnæ, Trallibus, ubi & multi cives Roman. sunt, & jus a nostro magistratu dicitur?* deinde Strabo lib. XIII. *Phrygia,* inquit, *& Lydiæ, & Cariæ, & Mysiæ loca ægre distingui possunt, quod inter se coeant. ad eorum vero confusionem non parum attulere Romani, qui non ex gentibus eos diviserunt, sed alio modo diœceses de-*

ſcripſerunt, in quibus fora agunt & jus dicunt. item: *Cibyra adjectis tribus civitatibus Bubone, Balbura, & Oenoandro concilium inſtituit, cum ſingulæ urbes ſingula ſuffragia haberent, Cibyra vero duo. tyranno vero paruit uſque ad Murenam, qui eum ſuſtulit, ac Balburam & Bubonem Lyciæ attribuit. nihilominus Cibyratica diœceſis inter maximas Aſiæ diœceſes habetur.* Omnes autem Aſiæ diœceſes, quæ ſuo tempore erant, diligentiſſime omnium unus collegit Plinius, Cibyraticam celeberrima urbe Laodicea, Synnadenſem, Apamenſem, Alabandenſem, Sardianam, Smyrnæam, Epheſinam, Adramyttenam, & Pergamenam cum omnibus, qui eo convenirent, populis inſignioribus. Helleſpontiam vero diœceſim, cujus meminit in epiſtola ad Thermum Cicero, puto eſſe Adramyttenam. *Si quid,* inquit, *Genucilius habebit cum aliquo Helleſpontio controverſiæ, peto ut in illam διοίκησιν rejicias.* ut autem ex his Aſiaticis diœceſibus tres aliquando Ciliciæ provinciæ attributæ ſint, Cibyratica, Synnadenſis, & Apamenſis, mox in ipſa Cilicia demonſtrabo.

Fuerunt præterea multæ etiam civitates in Aſia liberæ. ſiquidem Sylla, ut ſcribit Appianus, Ilienſes, Chios, Rhodios, Lycios, & Magneſiam liberos reliquit. Quibus adjungere etiam Cyzicenos licet, de quibus ita Suetonius: *Cyzicenis in cives Roman. quædam violentius auſis Tyberius publice libertatem ademit, quam Mithridatico bello meruerant,* eademque ratione in Piſidia Thermeſes, cognomento majores. duplex enim, auctore Stephano Thermeſus in Piſidia fuit, major, & minor. Majores autem bello Mithridatico ſocii populi Romani, ac liberi immuneſque lege facti ſunt. Cujus legis exemplum, quale adhuc Romæ in antiqua ænea tabula extat, ut ſimul libertatis immunitatiſque extero populo conceſſæ formula cognoſcatur, huic loco, quemadmodum ſupra promiſimus, libet attexere.

C. ANTONIUS. M. F. CN. CORNELIUS. F............................
C. FUNDANIUS. C. F. TR. PL. DESS. PLEBEM. JURE. ROGARUNT.
PLEBESQUE. JURE. SCIVIT. PRO. TRIBU............PRIMUS SCIVIT.

QUEI. THERMESES. MAJORES. PEISIDÆ. FUERUNT. QUEIQUE.
EORUM. LEGIBUS. THERMESIUM. MAJORUM. PISIDARUM.
ANTE. K. APRIL. QUÆ. FUERUNT. L. GELLIO. CN. LENTULO. COS.
THERMESES. MAJORES. PISIDÆ. FACTI. SUNT. QUEIQUE.
AB.... IEIS. PROGNATI. SUNT. ERUNT. IEI. OMNES.
POSTEREIQUE. EORUM. THERMESES. MAJORES. PEISIDÆ.
LEIBERI. AMICEI. SOCIEIQUE. POPULI. ROMANI. SUNTO.
EIQUE. LEGIBUS. SUEIS. ITA. UTUNTO. ITAQUE. IEIS.
OMNIBUS. SUEIS. LEGIBUS. THERMENSIS. MAJORIBUS.
PISIDEIS. UTEI. LICETO. QUOD. ADVORSUS. HANC. LEGEM. NON. FIAT.
QUEI. AGRI. QUÆ. LOCA. ÆDIFICIA. PUPLICA. PRIVATAV
THERMENSIUM. MAJORUM. PISIDARUM. INTRA. FINEIS.
EORUM. SUNT. FUERUNTVE. L. MARCIO. SEX. JULIO. COS.
QUÆQUE. INSULÆ. EORUM. SUNT. FUERUNTVE. IEIS.
CONSOLIBUS. QUEI. SUPRA. SCRIPTEI. SUNT. QUODQUE.
EARUM. RERUM. IEIS. CONSULIBUS. IEI. HABUERUNT.
POSSIDERUNT. USEI. FRUCTEIVE. SUNT. QUÆ. DE. IEIS. REBUS.
EO... ANO. UT .... QUEIQUE.
DE IEIS. REBUS. .... HAC. NE.
LOCENTUR .... Æ. FACTA.
EST. E... SIE .... CA. OMNIA.
THErmenſes, majores, Peiſidæ. HABEANT. POSSIDEANT.
IEISQUE. omnibus. iei... utantur frUANTUR
ITA. UTEI. ANte bellum Mithridatis. quod. pREIMUM.
FUIT. HABUERUNT. poſſiderunt. USEI. FRUCTEIVE. SUNT.
QUÆ. THERMENSIUM. MAJORUM. PISIDARUM. PUBLICA.
PREIVATAVE. PRÆTER. LOCA. AGROS. ÆDIFICIA. SUNT.
FUERUNTVE. ANTE. BELLUM. MITHRIDATIS. QUOD. PREIMUM.
FACTUM. EST. QUODQUE. EARUM. RERUM. IEI. ANTEA
HABUERUNT. POSSEDERUNT. USEI. FRUCTEIVE. SUNT.
QUOD. EJUS. IPSEI. SUA. VOLUNTATE. AB. SE. NON. ABALIENARUNT.
EA. OMNIA. THERMENSIUM. MAJORUM. PISIDARUM. UTI. SUNT.
FUERUNT. ITA. SUNTO. ITEMQUE. IEIS. EA. OMNIA.
HABERE. POSSIDERE. UTEI. FRUIQUE. LICETO.
QUOS. THERMENSES. MAJORES. PISIDÆ. LIBEROS. SERVOSVE.
BELLO. MITHRIDATIS. AMEISERUNT. MAGISTRATUS. PROVE.
MAGISTRATU. QUOIA. DE. EA. RE. JURISDICTIO. ERIT. QUIN.
DE. EA. RE. IN. JOUS. ADITUM. ERIT. ITA. DE. EA. RE. JOUS.
DEICUNTO. JUDICIA. RECUPERATIONIS. DANTO. UTEI. IEI.
EOS. RECUPERARE. POSSINT.
NEI. QUIS. MAGISTRATUS. PROVE. MAGISTATU. LEGATUS. NEU.
QUIS. ALIUS. MEILITES. IN. OPPIDUM THERMESUM. MAJORUM.
PISIDARUM. AGRUMVE. THERMENSIUM. MAJORUM.
PISIDARUM. HIEMANDI. CAUSSA. INTRODUCITO. NEIVE.
FACITO. QUO. QUIS. EO. MEILITES. INTRODUCAT. QUOVE. IBEI.
MEILITES. HIEMENT. NISEI. SENATUS. NOMINATIM. UTEI THERMESUM.
MAJORUM. PISIDARUM. IN. HIBERNACULA. MEILITES.
DEDUCANTUR. DECREVERIT. NEIVE. QUEIS. MAGISTRATUS.
PROVE. MAGISTRATU. LEGATUS. NEV. QUIS. ALIUS. FACITO.
NEIVE. IMPERATO. QUO. QUID. MAGIS. IEI. DENT. PRÆBEANT.

AB. IEISVE. AUFERATUR. NISEI. QUOD. ET. S. EX. LEGE. PORTIA. DARE. PRÆBERE. OPORTET. OPORTEBIT.
QUÆ. LEGES. QUODQUE. JOUS. QUÆQUE. CONSUETUDO. L. MARCIO. SEX. JULIO. COS. INTER. CIVEIS. ROMANOS. ET. TERMENSES. MAJORES. PISIDAS. FUIT. EÆDEM. LEGES. EIDEMQUE. JOUS. EADEMQUE. CONSUETUDO. INTER. CIVES. ROMANOS. ET. TERMENSES. MAJORES. PISIDAS. ESTO. QUODQUE. QUIBUSQUE. IN. REBUS. LOCEIS. AGREIS. ÆDIFICEIS. OPPIDIS. IOURIS. TERMENSIUM. MAJORUM. PISIDARUM. IEIS. CONSULIBUS. QUEI. SUPRA. SCRIPTEI. SUNT. FUIT. QUOD. EJUS. PRÆTER. LOCA. AGROS. ÆDIFICIA. IPSEI. SUA. VOLUNTATE. AB. SE. NON. ABALIENARUM. IDEM. IN. EISDEM. REBUS. LOCEIS. AGREIS. ÆDIFICIEIS. OPPIDEIS. TERMENSIUM. MAJORUM. PISIDARUM. IOUS. ESTO. ET. QUO. MINUS. EA. QUÆ. IN. HOC. CAPITE. SCRIPTA. SUNT. ITA. SINT. FIANT. EJUS. HAC. LEGE. NIHILUM. ROGATUR.
QUAM. LEGEM. PORTORIEIS. TERRESTRIBUS. MARITUMEISQUE TERMENSES. MAJORES. PISIDÆ. CAPIUNDIS. INTRA. SUOS. FINEIS. DIXERIT. EA. LEX. IEIS. PORTORIEIS. CAPIUNDIS. ESTO. DUM. NEIQUID. PORTORI. AB. IEIS. CAPIATUR. QUEI. PUBLICA. POPULI. ROMANI. VECTIGALIA. REDEMPTA. HABEBUNT. QUOS. PER. EORUM. FINEIS. PUBLICANEI. EX. EO. VECTIGALI. TRANSPORTABUNT.

CAP. XI.

De Cilicia.

CARIAM inde trans Taurum Lycia, Pamphylia, ac Cilicia sequebatur. Ptolemæus Lyciam a Cauno perducit ad Balburam. Strabo a Phaselide Lyciæ oppido Pamphyliæ initium Olbyam statuit, Ciliciæ vero Celendrim. Ceterum, ut refert Marcellinus, *superatis Tauri montis verticibus, qui ad solis ortum sublimius attolluntur, Cilicia funditur. ejusque lateri dextro adnexa Isauria. quam mediam Calicadnus flumen interfluit, in qua Seleuci regis*. Eadem vero, ut prodit Strabo, *duplex fuit, Trachea sive Aspera, & Campestris. Aspera oram maritimam perangustam habuit, & nullum vel rarum locum planum. ei Taurus mons incubuit male habitatus usque ad latera Septentrionalia, quæ circa Isauriam sunt & Monadeas usque ad Pisidiam. Campestris autem a Solis, & Tarso oppidis usque ad Issum pertinuit. quibus a septentrionali Tauri parte Cappadoces incubuerunt*. Plinius autem Isauriam inter Pamphyliam, ac Ciliciam collocat, queriturque Ciliciæ Pamphyliam omnes, neglecta gente Isaurica, conjunxisse.

Has ergo regiones Lyciam, Pamphyliam, Isauriam, & Ciliciam trans Taurum sitas reges Syriæ post Alexandrum Magnum obtinuerunt. Lycia Antiocho regi adempta, ac Rhodiis attributa ex fœdere, quod cum Antiocho primum, deinde cum Galatis ictum est, post, teste Livio, Rhodiis erepta, cum illi bello Persei dubios se gessissent, in posterum libera quidem, sed tamen vectigalis fuit. Pamphyliam autem, Isauriam, & Ciliciam piratæ Cilices occuparant, permittentibus, ut inquit Strabo, Armeniæ regibus, qui tum Syriæ regnum armis partum tenebant. Ergo Cilicibus ad latrocinia conversis, maxime qui asperam Ciliciam incolebant, Romani eas ademerunt, atque provincias per M. Antonium, P. Servilium, & Cn. Pompejum fecerunt. Antonii victoriæ non obscura extant monumenta. Nam apud Obsequentem scriptum est, C. Mario, Q. Catulo coss. anno urbis sexcentesimo quinquagesimo primo, *piratas in Cilicia fuisse deletos*; in epitoma vero Livianorum, *M. Antonium prætorem eo tempore maritimos prædones esse in Ciliciam persecutum*; apud Tacitum libro XII. *M. Antonium bello piratico a Byzantiis esse adjutum*. nam eundem etiam Antonium de piratis triumphasse satis constat. Ab eo vero tempore Pamphyliæ, atque Ciliciæ partem in provinciæ formam esse redactam, facile adducor, ut credam; præsertim vero cum videam, L. Syllam, ut scriptum est in libro de viris illustribus, & in Mithridatica Appiani, haud ita multo post Ciliciam in prætura sortitum, Ariobarzanem Cappadociæ regem a Mithridate Ponti rege ejectum reducere; & in primo Civilium Appiani, & in quinto Athenæi, Q. Oppium Pamphyliam proconsulari imperio una cum L. Cassio Asiæ pro consule Mithridati regi in Asiam invadenti occurrere; & in tertio accusationis, Cn. Dolabellam, cujus Verres legatus fuit, eandem Ciliciam pro consule gubernare. P. autem Servilii victoria aliquanto est hominum memoriæ commendatior. Hic autem postea ex consulatu Pamphyliam, atque Ciliciam adeptus novo bello cum piratis gesto utranque regionem latius domuit, eique adjunxit Isauriam. Cujus rei præter ceteros testes sunt Cicero contra Verrem: *Phaselis illa, quam cepit P. Servilius, non fuerat urbs ante Cilicum atque prædonum. Lycii illam Græci homines incolebant. sed quod erat ejusmodi loco, atque ita projecta in altum, ut & exeuntes e Cilicia prædones sæpe ad eam necessario devenirent: & cum ex hisce se locis reciperent, eodem deferrentur, asciverunt sibi illud oppidum piratæ primo commercio, deinde etiam societate*. Marcellinus libro XIV. *Cilicia, & Isauria provincia bello piratico catervis mixtæ prædonum a P. Servilio missæ sub jugum factæ sunt vectigales*. Justinus libro XL.: *Cilicia bello piratico perdomita in formam provinciæ redigitur*. Ut cognomen omittam, quod Servilius, quoniam primus Isauros aggressus est, Isaurici ex ea victoria reportavit. Postremum fuit bellum, quod cum prædonibus Cn. Pompejo imperatore est gestum. quo bello Ciliciæ reliquum, quod Romanis non parebat, in potestatem adductum, prodit in Mithridatica Appianus. qui idem addit, Pompejum partes quasdam Ciliciæ a Tigrane, Armeniæ rege occupatas Romanæ fecisse ditionis, iisque qui inopiæ caussa piraticam exercuerant, in Mallum, Adana, & Epiphaniam, aliaque deserta Tracheæ Ciliciæ oppida redactis, Solos instaurasse, oppidum a Tigrane vastatum, eoque piratis redactis Pompejopolim appellasse. Neque vero Cicero est audiendus, qui in Maniliana ad Pompeji laudem dixit, *Pompejum, ut a Brundusio profectus est, undequinquagesimo die totam ad imperium populi Romani Ciliciam adjunxisse*. neque enim Pompeji victoria tota Cilicia ad jus provinciæ videtur redacta: Siquidem Eleutherocilices, id est, liberi quidem Cilices in monte Amano perpetui Romanorum hostes fuerunt, quorum oppida post ipse proconsul magnis operibus expugnavit.

Atque hæc quidem est Ciliciæ provincia. quæ ut regiones tres, Pamphyliam, Isauriam. Ciliciam, sic tres conventus, Pamphylium, Isaurium, &

Cilicienſem, qui Tarſi agebatur, complexa eſt. Quod autem in aliis ſæpe provinciis factum eſt, ut ornandi præſidis cauſſa, cui provincia decernebatur, præcipue vero, ſi cum imperio proconſulari mitteretur, provinciæ fines augerentur, idem in hac etiam obſervatum eſt. nempe ut qui Ciliciæ præeſſet, non Pamphylicam ſolum, Iſauricam & Cilicienſem diœceſim in poteſtate haberet, ſed etiam tres alias ex Aſia provincia finitima demptas, atque huic attributas. ut Cn. Dolabella, P. Lentulus, Ap. Claudius, M. Cicero, qui omnes cum proconſulari imperio Ciliciæ præfuerunt, interea dum prætores Aſiam obtinebant. Fuerunt autem regiones, Phrygiæ pars, Piſidia, & Lycaonia; diœceſes vero, Cibyratica, Synnadenſis, & Apamenſis. Hoc autem demonſtrat Cicero primum in orationibus, cum inquit, *Verrem Cn. Dolabellæ Ciliciæ proconſulis quæſtorem Pamphyliam, Piſidiam, Phrygiamque totam frumento imperando, æſtimandoque afflixiſſe*; deinde in epiſtolis, cum Appium Pulchrum Ciliciæ item proconſulem pariter Phrygiæ, & Lycaoniæ præfuiſſe ſignificat. Nam de ſe proconſule, ex epiſtola ad P. Servilium liquet. in qua ſcribit aperte, *provinciæ ſuæ Cilicienſi tres diœceſes Aſiaticas fuiſſe attributas*. & ad Atticum, cum ſcribit, *Idibus Februarii ſe forum egiſſe Laodiceæ Cibyraticum, & Apamenſe, ex idibus Mart. ibidem Cynnadenſe, Pamphylium, Iſauricum, ex idibus Maii in Ciliciam*. & alibi: *In provinciam venimus Laodiceam pridie Kal. Sext. ibi morati biduum perilluſtres fuimus, honorificiſque verbis omnes injurias revellimus ſuperiores, dein Apameæ quinque dies, Synnadis triduum, Philomeli quinque dies, Iconii decem fecimus; nihil ea juriſdictione æquabilius*. Ubi, cum ſe Laodiceæ ſuperiores injurias revelliſſe dicat, atque Appium ſine dubio notet, profecto Appium etiam ipſum Laodiceæ jus dixiſſe ſignificat. Neque vero ego aſſentior iis, qui hoc primum M. Ciceroni tributum eſſe exiſtimant, ut Aſiaticis diœceſibus tribus præfuerit; verum auſim affirmare, omnibus hoc Ciliciæ proconſulibus eſſe conceſſum. Itaque L. Flaccus, prætor Aſiæ, quem Cicero de repetundis ab Aſianis poſtulatum defendit, Piſidiæ, & Lycaoniæ, ut ex ejus defenſione cognoſcitur, non præfuit. P. autem Servilius, qui Aſiam pro conſule poſt M. Ciceronem obtinuit, cum Laodiceæ jus dixerit, profecto Aſiaticas has juriſdictiones in poteſtate habuit. ut Cicero in epiſtola ad eum demonſtrat, cum rogat eum, ut Laodiceæ hoſpitio Andronis uti velit, cujus & ipſe uſus ſit; dum Ciliciæ proconſul tres diœceſes Aſiaticas gubernavit.

Qui vero agri in provincia Cilicia publici fuerint, indicat Cicero in agrariis, cum inquit: *Jubet venire, quæ Attalenſium, quæ Phaſelitum, quæ Olympenorum fuerint, agrumque Agerenſem, & Orindicum, & Geduſanum. hæc P. Servilii imperio, & victoria veſtra facta ſunt*.

Ac de Cilicia quidem, dominante populo, hæc invenimus. nam partes ejus, quæ Tarcondimoto, Archelao, Antiocho, & quidem fere ante Auguſti dominatum, conceſſæ ſunt, quemadmodum poſt ab imperatoribus, provinciæ formæ aſcriptæ ſint, alio volumine oſtendemus.

LYCIA vero, ut ſupra dixi, libera fuit. quod cum Livio, tum Straboni credimus ita de illorum rep. differenti: *Lycii adeo civiliter, & continenter vixerunt, ut cum uſque in Italiam mari dominarentur, tamen nullo turpi quæſtu capti ſint, ſed in patria juriſdictione concilii Lyciaci permanſerint. Sunt autem tres, ac viginti civitates, quæ ſuffragii participes ſunt. conveniuntque ex unaquaque civitate in commune concilium, quam ipſi probarint. civitatum autem maximæ tribus ſuffragiis ſingulæ præditæ ſunt, mediocres duobus, aliæ uno. pro portione vero tributa conferunt, aliaque munera obeunt. Sex autem maximas Artemidorus prodidit, Xanthum, Patara, Pinara, Olympum, Myra, Tlon. in concilio vero primum Lyciarcha deligitur, deinde alii concilii magiſtratus, & judicia reddunt communiter. Cum autem hoc modo regerentur, factum eſt, ut permiſſu Romanorum liberi fuerint, & patrios mores coluerint, ac prædones deletos per Servilium Iſauricum viderint*. Neque vero ut Lycia libera, ſic etiam immunis fuit, ſed vectigalis una cum Pamphylia, & Piſidia, Phrygiaque, & Cilicia univerſa. Hoc autem ex eo cognoſcitur, quod objicit Verri Ciliciæ quæſtori Cicero. *Pro quæſtore vero*, inquit, *quomodo commune Myliadum vexarit, quomodo Lyciam, Pamphyliam, Piſidiam, Phrygiamque totam frumento imperando, æſtimandoque afflixerit, non eſt neceſſe demonſtrare. hoc ſcitote, his nominibus, quæ res per eum geſtæ ſunt, cum iſte civitatibus frumentum, coria, cilicia, ſaccos imperaret, neque ea ſumeret, pro his rebus pecuniam exigeret, his nominibus ſolis Cn. Dolabellæ LL-S. ad tricies litem eſſe æſtimatam*. Confirmatur etiam ex eo, quod Lycia a M. Antonio poſt in triumviratu immunitate donata proditur ab Appiano libro Civilium quinto.

CAP. XII.

De Syria.

CILICIAM inde ſequuta eſt Syria. Hæc ab occidente montem habuit Amanum, & mare Syriacum uſque in Ægyptum; ab oriente Euphratem, & Arabiam deſertam; a ſeptentrione Taurum; a meridie cum Arabia Petræa Ægyptum. Amanus autem ipſam a Cilicia, Taurus ab Armenia minore, Euphrates a Meſopotamia ſecrevit. Regiones inſigniores, teſte Strabone, fuerunt Comagene, Seleucis, Phœnicia, Cœleſyria, & Judæa, quæ & Palæſtina. Seleucis, quod quattuor nobiliſſimis civitatibus, Seleucia, Antiochia, Apamea, & Laodicea inſtructa fuerit, eadem Tetrapolis appellata. Hæc autem, ut etiam Phœnicia, ad mare fuit, reliquæ mediterraneæ. De Comagene, & Judæa, quia propriis præditæ regibus non niſi ab imperatoribus, provinciæ factæ ſunt, alio loco: de reliquis in præſenti. Huic regioni univerſæ primum Perſarum reges imperitarunt: poſt, eorum imperio deleto, Alexander Magnus. quo mortuo, cum aliquandiu de illius poſſeſſione inter Satrapas ejus eſſet certatum, tandem Seleucus Antiochi filius cognomento Nicator regnum ejus conſtituit, atque in ea multas civitates ædificavit, maxime autem Seleuciam, Antiochiam, Apameam, Laodiceam, atque Berrœam. Regnum inde poſteri ejus deinceps acceperunt, Antiochus Soter, Antiochus Theus, Seleucus Callinicus, Seleucus Ceraunus, Antiochus Magnus, qui Syriæ regno Ciliciam, Aſiæque cis Taurum, & Thraciæ partem adjunxit. Cum hoc Romani primum bellarunt, cauſſam belli præferentes, quod Lyſimachiam in Thracia ad ſe pertinentem occupaſſet: atque ei, L. Scipione Aſiatico imperatore prælio apud Sipylum montem ad Magneſiam profligato, has, ut inquit Livius, conditiones pacis dederunt: *Ut Europa abſtineret, Aſiaque omni, quæ cis Taurum eſt, decederet. pro impenſis in bellum factis* XV. *millia talentorum Euboicorum daret, mille talentum per* XII. *annos penderet, Eumeni Pergami regi* CCCC. *talenta redderet*. Hunc deinceps Antiochus Philopater eſt conſequutus, Philopatrem autem Epiphanes; qui, cum Ptolemæum Philomerorem Ægypti regem invaſiſſet, miſſo a Romanis Popillio legato, incœpto deſiſtere eſt coactus. Inde Antiochus Eupater Epiphanis filius puer, Lyſia tutore, regnavit. ad quem cum Cn. Octavius legatus miſſus eſſet de elephantis, quos contra fœdus

alebat, a Leptine quodam est interfectus. Post multas inde Seleucidarum inter se dissensiones, expulsiones, & neces regnum ad Antiochum cognomento Eusebem pervenit, qui fuerat Antiochi regis cognomento Cizyceni filius. quem quidem Tigranes rex Armeniæ regno ejecit, Syriamque annis XIV. obtinuit. Cum autem Mithridatico bello conflato Lucullus Tigranem Mithridatis affinem persequeretur, Antiochus, qui Asiaticus appellatus est, Eusebis filius, Syriam, avitum quippe regnum, recepit, eamque postea permissu Luculli retinuit. Pompejus autem Luculli inimicus, & in eo bello successor, ne quid ratum relinqueret, quod ab eo actum esset, Syriam Antiocho ademit, cum diceret, Seleucidis Syriæ possessione a Tigrane dejectis, jure eam ditionis Romanorum, qui Tigranem superassent, factam esse. atque ita totam Syriam, excepta Comagene, & Judæa, quibus reges reliquit, in provinciæ formam redegit, & M. Scaurum decedens præfectum ibi reliquit. ut Appianus, Dio, Plutarchus, & Josephus, unde hæc hausimus, prodidere. Scauro inde L. Philippus, Philippo Cn. Lentulus ex prætura successerunt. deinde ex consulatu A. Gabinius, & post Gabinium M. Crassus. quo in Mesopotamia a Parthis, qui ultra Syriam tum omnia possidebant, ab ipso lacessitis, interfecto, C. Cassius Crassi quæstor provinciam tenuit, in ejusque locum multis post consulatum annis M. Bibulus. sequutum est inde bellum civile, in quo P. Scipio Pompeii socer eam obtinuit. Pompejo vero profligato, cum Sex. Julius a Cæsare victore ei præpositus a Cæcilio Basso Pompejanarum partium homine deletus fuisset, C. Antistius Cæsaris fautor imperium arripuit, ut se etiam a M. Crispo, & L. Statio Murco passus sit obsideri. Mortuo inde Cæsare senatus Syriam P. Dolabellæ consuli, cum ab eo Trebonium in Asia interfectum accepisset, ademit, atque eam ad C. Cassium, qui Bassi ad se exercitum traduxerat, transtulit. Cassio vero prælio Philippensi interfecto, M. Antonius triumvir, cui oriens a collegis permissus fuerat, in Ægyptum decedens primum Decidium Saxam, deinde, eo a Labieno exule Romano deleto, P. Ventidium legatum præfecit.

Neque tamen quicquid Euphrate concluderetur, jus a prætore Syriæ accepit; nam præter Comagenes, & Judææ reges, multi alii dynastæ, ac tyranni regiuncularum Syriæ fuerunt, quorum alios Romani imposuerunt, alios esse, cum ante essent, passi sunt, ut Chalcidicæ, Emesæ, Trachonitidis, Batanææ, & Abellinæ. unde dixit Cicero de Gabinio Syriæ procos. in oratione de provinciis: *In Syria, imperatore Gabinio, nihil aliud actum est, nisi pactiones pecuniarum cum tyrannis*. & Cæsar libro tertio de P. Scipione: *Scipio detrimentis quibusdam circa montem Amanum acceptis sese imperatorem appellaverat. quo facto civitatibus, tyrannisque magnas imperaverat pecunias*. de quibus tyrannis tum dicemus, cum de illorum regno in provinciam ab imperatoribus redacto agemus.

Quin etiam vectigalium, & jurisdictionis provinciæ Syriæ iidem auctores sunt. Cicero quidem de Gabinio: *Jam vero publicanus miseros tradidit in servitutem Judæis, & Syriis. statuit ab initio jus publicano non dicere. pactiones sine ulla injuria factas rescidit, custodias sustulit, vectigales multos, ac stipendiarios liberavit. quo in oppido ipse esset, aut quo veniret, ibi publicanum, aut publicani servum esse vetuit*. Cæsar autem de Scipione: *A publicanis suæ provinciæ debitam biennii pecuniam exegerat, & ab eisdem in sequentis anni mutuam præceperat, equitesque toti provinciæ imperaverat*. Antiochiæ vero conventum celeberrimum fuisse præter ceteros, facile crediderim.

CAP. XIII.

De Bithynia, & Ponto.

EODEM vero tempore, quo Syria, etiam cum Ponto Bithynia est adjuncta. quarum regionum hos Romanum ante imperium fines, huncque fuisse statum reperio. Bithyni ad Propontidem, & Pontum cognomento Euxinum usque ad Sangarium amnem incoluerunt, post Bithynos usque ad Parthenium Mariandeni, post hos usque ad Halym Paphlagones, deinceps trans Halym Cappadoces usque ad Tibarenos, & Colchos. Ut autem Bithynis reges Bithynici imperarunt, sic Mariandenis Heracleotæ, Paphlagonibus maritimis Pontici, Cappadocibus Cappadocici. Quam partem reges Bithyniæ tenuerunt, ea semper Bithyniæ nomine nuncupata fuit; quam Heracleotæ, & reges Pontici, præcipuo Ponti signata nomine est. reliqua vero trans Halym amnem, aut, quoniam Pontus aliquando Cappadocia Pontica dicta est, majoris Cappadociæ nomen obtinuit. quemadmodum Strabo nostræ huic disputationi convenientissime tradidit.

In Bithynia porro multis ante Alexandrum Magnum sæculis regnari cœptum fuerat, si Memnoni, & Appiano auctoritatem tribuimus. Nam Dildasus, & Botiras ætatem Alexandri præcesserunt. Bas autem Botiræ filius Alexandri fuit æqualis; quippe qui Calanto Alexandri duci restiterit, & Macedonas a Bithynia, teste Memnone, propulsarit. Ban inde Zipœtes est consequutus, qui cum Lysimacho, & Antiocho Seleuci filio decertavit; Zipœtem Nicomedes, qui regnum Bithyniæ stabilivit, & urbem Nicomediam condidit, ac Galatas in Phrygiam advocavit, unde pars ea Galatiæ postea nomen invenit. Nicomedem excepit Zielas, & Zielam Prusias, qui Prusiadem ædificavit, & cum Attalo Pergameno rege armis contendit; cumque se Persico bello Macedonico medium gessisset, Romam pileatus, populi Rom. se libertum appellans, venit. primusque, quantum apparet, cum populo Rom. societatem inivit. Prusiæ inde nepos Nicomedes, cognomento Philopater, rex a senatu appellatus, & a Mithridate Eupatore Ponti rege per fratrem ipsius minorem Socratem, cognomento Chrestum, regno pulsus, a Romanis per legatos Aquillium, & Mancinum reductus, rursus præsentibus legatis exactus, postea a L. Sylla procos. restitutus, ut refert Appianus. Quibus beneficiis provocatus Nicomedes filius, moriens Bithyniæ regnum testamento populo Rom. reliquit, L. Lucullo, M. Cotta coss. anno urbis sexcentesimo septuagesimo nono, ut scribit Eutropius. quod regnum Romani in provinciæ formam, teste Livio, redegerunt, atque per A. Pompejum Bithynicum Romam supellectilem omnem regiam, ut inquit Festus, devexerunt.

De Ponto autem utroque hæc habemus in annalibus. Inter Mariandenos, ut dixi, a Sangario usque ad Parthenium dominati Heracleotæ sunt. Hi primum liberi legibus suis, deinde tyrannorum imperio paruerunt, Clearchi, Satyri, Timothei, Dionysiique, qui Alexandro Magno mortuo Antigonum Asiæ regem auxilio juvit, & postremo Clearchi, atque Oxathris fratrum, quos Lysimachus successor Alexandri necavit. quo sublato ipsi iterum se vindicarunt in libertatem, fœdusque cum Romanis, Paulo Æmilio bellum cum Perseo rege Macedoniæ gerente, fecerunt. quemadmodum in Memnonis commentariis scriptum est. ad extremum autem in ditionem Mithridatis Eupatoris Ponti regis potentissimi concesserunt. Pontici vero reges regionem Paphlagoniæ maritimam a Parthenio usque ad Halym, in eaque oppida Amastrim, Cytorum in Synopem, & trans Halym Amisum, possederunt. Hanc autem regionem, aut certe partem ejus primus

mus occuparat Mithridates Ariobarzanis filius, regio Persarum genere oriundus, Laomedonte post mortem Alexandri Magni deleto. Pharnaces inde ab hoc sextus Synopen cepit. Cujus filius Mithridates Evergetes socium se populo Romano adversus Aristonicum Asiatico bello adjunxit. Omnes autem Ponticos reges opum, ac gloriæ magnitudine vicit filius Mithridates Eupator, a primo, ut scribit Appianus, octavus. quippe qui ab oriente Cappadociam majorem, & Colchos, & Bosporum, ab occidente Heracleotarum regionem Pontico regno armis adjecerit, gloriosissimus omnium ac maximus ætatis suæ rex futurus, nisi Romanorum in se arma gravissimis inferendis injuriis, convertisset. Nam cum Nicomedem regem Bithynia expulisset, atque inde Asiam, trucidatis uno die civibus Rom. omnibus, ac deinceps Græciam populi Rom. provincias invasisset, a L. Sylla cedere coactus, rursus cum Bithyniam jam populi Rom. provinciam occupasset, a L. Lucullo non Bithynia solum, sed etiam Ponto expulsus, tandem a Cn. Pompejo, & patrio regno, quod, sub Luculli discessum recuperaverat, & vita ipsa exutus est. Quo facto Pompejus ex senatus sententia Pontum utrumque a Sangario usque ad Halym una cum Bithynia in provinciæ formam redegit, ut Livius, & Appianus auctores sunt; legemque Ponticis, ac Bithynis ex decem legatorum sententia dedit. cujus unum caput fuit hujusmodi: *Ne quis caperet magistratum, neve esset in senatu minor annorum triginta. & ut, qui cepisset magistratum, esset in senatu. neque qui in bulen a censoribus legerentur, pecuniam darent, & ut ascriberent sibi, quos vellent cives, dum civitatis non essent alienæ, sed suarum quisque matrum civitatum, quæ essent in Bithynia.* eadem lege sancitum, quibus de caussis e senatu a censoribus ejiciantur, inter quas nihil de cive alieno cautum est. Quod autem Appianus justo volumine, cui Mithridatici nomen imposuit, est complexus, idem etiam invenio scriptum apud Strabonem, meliorem multo, quam ille, scriptorem his verbis: *Mithridates Eupator Ponti rex fuit. regionem vero tenuit ab Haly flumine usque ad Tibarenos, & Armenios, & ejus regionis, quæ est intra Halym, loca usque ad Amastrim, & quasdam Paphlagoniæ partes; ascivit etiam oram maritimam usque ad Heracleam ab occidente, a contraria vero parte usque ad Colchidem, & minorem Armeniam, quas item Ponto adjunxit. & Pompejus, qui illum evertit, cum his finibus regionem circumscriptam acceptisset, Armeniam & Colchidem regibus sociis dedit, reliqua vero in undecim politias distribuit, & Bithyniæ addidit, ita ut ex ambabus una efficeretur provincia.* & post: *Sublatis regibus Romani eosdem terminos servavere, ut Heracleam Ponto concederent, ulteriora Bithynis.* & post: *Regionem ab Haly usque ad Bithyniam in maritimam, & mediterraneam divisam tenuit Eupator; maritimam quidem usque ad Heracleam, mediterraneæ vero partem proximam, cujus etiam partes quasdam trans Halym protulit.* (nam Amisus trans Halym ejus fuit.) *atque hactenus provincia Pontica Romanis est terminata.* Ut autem Pompeii victoria Pontus imperio Romano accessit, sic, cum idem post bello civili a Pharnace Mithridatis filio Bospori rege capta Amisso, esset tentatus, facile per C. Cæsarem victorem ex Ægypto redeuntem aut recuperatus, aut retentus est. quam victoriam ille tanti fecit, ut de Ponto triumphaturus titulum illum victoriæ celeritatem indicantem prætulerit, Veni, Vidi, Vici. De Heracleæ vero post hanc victoriam statu sic Strabo: *Heraclea prius libera, deinde tyrannis subjecta fuit. tum rursus se in libertatem vindicavit. postea, cum sub Romanis esset, regi paruit. accepit autem coloniam Romanorum in parte civitatis, & agri; cum autem hanc partem civitatis ab Antonio Adiatorix Meneclii te-* A *trarchæ Galatarum filius accepisset, quam tenebant Romani, Heracleotæ paulo ante res Actiacas noctu in Romanos impetum fecerunt, eosque jugularunt, jussu, ut ille dicebat, Antonii. post victoriam autem Actiacam in triumpho ductus una cum filio jugulatus est. civitas autem Ponticæ provinciæ est ejus, quæ cum Bithynia constituta est.* De Amiso vero in hunc modum: *Amisum trans Halym Eupator ornavit. hanc Lucullus primum, deinde trajecto Bosporo Pharnaces obsedit. Antonius autem regibus concessit a divo Cæsare liberatam. Deinde a Stratone tyranno male tractata, rursus ab Augusto post res Actiacas liberata, nunc optime constituta est.*

B Ut autem reliquis provinciis, sic Bithyniæ vectigalia esse imposita, indicant societates publicanorum, quæ ibi fuerunt. de quibus admonet nos Cicero, scribens ad Crassipedem quæstorem: *Volo te scire, inquit, me in primis amicum esse huic Bithynicæ societati. te rogo, ut ejus rem, & utilitatem, cujus rei quantam potestatem quæstor habeat, non sum ignarus, per te defensam, & auctam velis.*

CAP. XIV.

De Cypro.

C Ex Asiaticis autem provinciis ultima fuit Cyprus. Hanc insulam Ciliciæ oppositam modo propriis tyrannis, modo Persarum regibus olim subjectam, post Alexandrum Magnum, a Ptolemæis Ægypti regibus possessam, ad extremum quidam Ptolemæi Auletis Ægypti regis frater tenebat. De hoc igitur rege, qui (ut verbis Ciceronis in Sextiana utar) *si nondum erat ipse a senatu socius appellatus, erat tamen frater ejus regis, qui cum esset in eadem caussa, jam erat a senatu illum honorem consequutus, erat eodem genere, iisdemque majoribus,* D *eadem vetustate societatis, denique erat rex, si nondum socius, at non hostis; pacatus, quietus, fretus imperio populi Romani, regno paterno atque avito, regali ocio perfruebatur; de hoc inquam rege, nihil nihil cogitante, suspicante,* Pisone, Gabinioque consulibus, *P. Clodius tribunus plebis legem tulit, ut præconi publico subjiceretur, ac nulla commemorata injuria, nullis repetitis rebus cum bonis omnibus publicaretur, & ad id negotium M. Cato cum prætorio imperio mitteretur.* Rex autem, cum Catonem hac rogatione adversus se armatum venire audisset, vim haud sibi expectandam ratus, veneno sibi mortem conscivit. Cato in Cyprum nemine E obsistente ingressus, insulam sine ullo Cypriorum certamine, teste Dione, constituit, ac supellectilem omnem regiam, quæ preciosissima erat, Romam postero anno, Lentulo, & Metello coss. anno urbis sexcentesimo nonagesimo septimo deportavit. Vellejus Cyprum tum senatus consulto, ministerio Catonis, regis morte, provinciam factam scribit, sed falso. Nam Cicero aperte hoc lege Clodia confectum demonstravit, in oratione, quam pro domo sua in Clodium invectus ad pontifices dixit: *Tua vero quæ tanta impudentia est, inquit, ut audeas dicere extra ordinem dare cuiquam nihil oportere. qui* F *cum lege nefaria Ptolemæum regem fratrem regis Alexandrini, eodem jure regnantem, caussa incognita publicasses, populumque Rom. scelere obligasses, cum in ejus regnum bona, fortunas, latrocinium hujus imperii immisisses, cujus cum patre, avo, majoribus societas nobis, & amicitia fuisset, hujus pecuniæ deportandæ, & si quis suum jus defenderet, bello gerendo M. Catonem præfecisti.* Atque hoc quidem confirmatur etiam in epitoma Livii centesima quarta; in qua est, lege lata de redigenda in provinciæ formam Cypro, & publicanda pecunia regia, M. Catoni administrationem ejus rei esse mandatam.

Id autem a Clodio factum ulciscendæ injuriæ caussa, quod rex se olim a piratis captum neglexisset, adjicit cum Strabone Dio.

Quanquam autem Cyprus separata provincia, ut inquit Strabo, est instituta, placuit tamen senatui, quo honos, credo, P. Lentulo, Ap. Claudio, & M. Ciceroni, proconsulibus haberetur, ut iidem cum Cilicia Cyprum quoque tenerent; ita tamen ut ex insula Cyprios non possunt evocare. De Lentulo testis est Cicero in epistolis, quas ad eum scripsit; de se in iis, quas ad Atticum: *Q. Volusium*, inquit, *misi in Cyprum, ne cives Romani, qui ibi negotiarentur. jus sibi dictum negarent. nam evocari ex insula Cyprios non licet*. An vero Clodii tribuni plebis, an P. Lentuli consulis (nam & hæc commemorantur,) rogatione leges datæ Cypriis sint, parum liquet. Post Ciceronis autem proconsulatum, ut a Ciliciæ præside tres Asiaticæ diœceses, sic etiam Cypri administratio est ablata, ac proprius, ut ex lege debuit, prætor cum suo quæstore in eam missus est. De prætore elicitur ex Strabone, qui Cyprum a Romanis prætoriam provinciam per se factam scribit; de quæstore, ex ipsomet Cicerone, qui Sestilium Rufum quæstorem primum in eam insulam, & quidem post se proconsulem venisse asserit in epistola, quam ad eum scripsit. *Omnes tibi*, inquit, *commendo Cyprios, sed magis Paphios: quibus tu quæcunque commodaris, erant mihi gratissima. Eoque facio libentius, ut eos tibi commendem, quod & tuæ laudi, cujus ego fautor sum, conducere arbitror, cum primus in eam insulam quæstor veneris, ea te instituere, quæ sequantur alii: quæ, ut spero, facilius consequere, si & P. Lentuli necessarii tui legem, & ea, quæ a me constituta sunt, sequi volueris*. Quæstor autem Sestilius primus propterea in Cyprum venit, quod Lentuli, & Appii, & Ciceronis quæstores aliis fortasse Ciliciæ provinciæ curis distracti, in eam venire nequiverint. siquidem Cicero Q. Volusium misit hominem non quæstorem, sed privatum. Venisse vero Sestilium, post Ciliciense Ciceronis imperium, apparet ex iis verbis: *Si ea, quæ a me constituta sunt, sequi volueris*.

Eadem insula, cum postea a C. Cæsare dictatore, ut scribit Dio, a M. Antonio triumviro, ut Strabo, Arsinoæ Cleopatræ sorori esset adjudicata, post mortem eorum, populo Romano est restituta.

CAP. XV.

De Africa.

ATQUE has quidem provincias in Asia populus Rom. confecit. nunc, quas tandem in Africa constituerit, exquiramus. Ceterum Africæ, tertiæ orbis terrarum partis, a freto Herculeo usque ad Ægyptum pertinentis, prima ab occidente regio Mauritania fuit, secunda Numidia, tertia Libya, ultima Ægypto finitima Cyrenaica. Mauritaniæ, & Numidiæ finis amnis Mulucha; Numidiæ & Libyæ Tusca; Libyæ, & Cyrenaicæ Aræ Philænorum; Cyrenaicæ, & Ægypti Catabathmus. Ultra Mauros ad meridiem occidentales insederunt Æthiopes, ultra Numidas Gætuli. Numidiæ partem unam incoluere Masæsuli, alteram Massyli; Masæsuli prope Mauritaniam, Massyli prope Libyam, Ampsaga flumine inter se divisi.

Cum Romani bellum Africæ intulerunt, Mauritania reges suos Bocchi ejus, qui postea amicitia populi Rom. floruit, proavos habebat, Masæsuli vero Syphacem, Massyli Galam Massinissæ patrem. Libya, quæ eadem & Africa dicta, Carthaginiensibus libero jampridem, ac præpotenti populo obtemperabat. Cyrenas Ptolemæi Ægypti reges possidebant.

Cum Carthaginiensibus autem tria bella Romani gesserunt, nomine quidem pro sociis, re vero pro imperio, cujus utraque gens præter ceteras avida fuit. Primum bellum pro Mamertinis susceptum in Sicilia cum multis Pœnorum ducibus, sed ad extremum cum Amilcare gestum est, ut supra diximus. Secundum in Hispania, Italia, & Africa cum Annibale Amilcaris filio pro Saguntinis, idque hac occasione: Post res priore bello compositas Romani extremum hoc cum Asdrubale, Amilcaris genero, Pœnorum in Hispania duce fœdus percusserant: *Ne Pœni armati Iberum flumen transirent. neve Saguntinos trans Iberum populi Rom. socios divexarent*. Cum autem, Asdrubale mortuo, Annibal Amilcaris filius imperium suscepisset, Romanos statim Sagunto expugnando, atque Ibero contra fœdus cum exercitu trajiciendo, bello omnium acerrimo, atque clarissimo provocavit. cui postea per plures duces in Hispania, Italia, atque Africa varia fortuna, ac dubia spe victoriæ administrato, anno tandem septimo decimo, P. Cornelius Scipio, superato acie in Africa, quo bellum denique translatum erat, Annibale, finem imposuit, atque inde Africani cognomen retulit. tum vero, teste Livio, pax Carthaginiensibus his legibus data est: *Ut liberi legibus suis Carthaginienses viverent. quas urbes, quosque agros, quibusque finibus ante bellum tenuissent, tenerent; perfugas, fugitivosque & captivos omnes redderent Romanis, & naves rostratas præter triremes traderent, elephantosque, quos haberent domitos, neque domarent alios. bellum neve in Africa, neve extra Africam injussu populi Romani gererent. Massinissæ res redderent, fœdusque cum eo facerent: decem millia talentum argenti descripta pensionibus æquis in annos quinquaginta solverent. obsides centum arbitratu Scipionis darent*. Tertium inde bellum eo nomine iis indictum est, quod contra fœdus naves haberent, & extra fines exercitum eduxissent, & Massinissæ socio arma intulissent. Quod bellum quarto anno, ductu, auspiciisque P. Scipionis Æmiliani, Pauli Æmilii natura filii, ac P. Scipionis Africani adoptione nepotis, anno urbis sexcentesimo quinto, confectum est. Quo bello urbe capta, atque incensa, & solo consecrato, regio Africæ, quæ Carthaginiensibus erat subjecta, in provinciam est relata. Atque hoc quidem prodidit in Libyca Appianus. *Capta urbe, decem*, inquit, *ex suo ordine senatus lectissimos viros misit, qui Libyam cum Scipione e re Romanorum componerent. qui quidquid reliqui erat Carthaginis, exciderunt; eamque incoli vetuerunt, sed consecrarunt. civitates Pœnorum amicas deleverunt. Romanorum socios parto agro donarunt, Uticenses in primis, qui se initio belli dediderant, agro ab una parte Carthaginem, ab altera Hipponem contingente. reliquis tributum imposuerunt agris & corporibus, viris æque, ac mulieribus: institueruntque, ut quotannis eo prætor mitteretur*. Confirmant etiam alii. Nam de urbis consecratione sic in agrariis Cicero: *Tum ipsam veterem Carthaginem vendunt. quam P. Africanus nudatam tectis, ac mœnibus suis ad notandam Carthaginiensium calamitatem, sive ad testificandam nostram victoriam, sive ad oblatam aliquam religionem ad æternam hominum memoriam consecravit*. De regione autem magistratui subjecta in hunc modum Sallustius: *Bello Jugurthino pleraque ex Punicis oppida, & fines Carthaginiensium, quos novissime habuerunt, populus Romanus per magistratus administrabat*. Neque vero hoc loco audiendus est Strabo, qui scribit regionem Carthaginiensium provinciam quidem esse factam, verum Massinissæ, ac posteris ejus traditam. neque

enim tum provincia fieri dicitur, cum socio regi, sed cum Romano magistratui administranda permittitur. aliquot tamen ex hac provincia oppida Massinissæ permissa, crediderim; siquidem Leptim bello Jugurthino in Jugurthæ regis Numidiæ, Massinissæ nepotis, potestate fuisse, scribit Sallustius.

Huic autem provinciæ, ut etiam Hispaniis, tributum, & vectigal impositum est. Tributum quidem in capita, vectigal vero in agros Appianus interpretatur. atque hoc idem, credo, Cicero etiam voluit, cum in Balbi defensione, *Afros agris, stipendioque mulctatos* dixit: & in Verrem, cum *plerisque Pœnorum impositum vectigal certum, quod stipendiarium dicitur, quasi victoriæ præmium, ac pœnam belli*. in oratione autem pro Pompejo Africam certe inter tria frumentaria Romæ præsidia numeravit. ex quo intelligere possumus, ut in aliis provinciis, sic in Africa, vectigal frumentarium per publicanorum societates esse tractatum. unde illud est ad Q. Valerium: *Gusspius fuit bis in Africa, cum maximis societatis negotiis præesset*.

In eadem Carthago, quæ colonia a C. Graccho propter adversa omina deduci non potuerat, post a C. Cæsare dictatore instaurata, atque deducta est, ut Strabo cum Dione testatur. Leptitani vero cum Jugurthæ regi parerent, initio belli Jugurthini ad Bestiam consulem, & postea Romam miserunt, amicitiam societatemque rogatum. ubi ea impetrarunt semper boni, ut inquit Sallustius, fidelesque mansere.

Jam vero conventus in Africa Uticensem, Thapsitanum, & Adrumetanum Hirtius celebrat in libro de bello Africo, ubi item liberam Accillam, Leptim liberam, & immunem, & P. Sittium equitem Rom. de conventu Uticensi, & negociatores Italicos, aratoresque bello Africo permultos in Africa fuisse prodit.

Ex iis autem, qui hanc provinciam cum imperio obtinuerunt, insignes fuere C. Adrianus, qui, testibus Livio, & Pediano, a provincialibus propter crudelitatem, & avaritiam Uticæ in prætorio suo combustus est, & L. Catilina conjurationis auctor, qui ab iisdem de repetundis est postulatus.

CAP. XVI.

De Cyrenaica, & Creta.

AFRICÆ vero affinis Cyrenaica Libya pars nimirum fuit Africæ universæ a Cyrenis quidem, urbe nobilissima Cyrenaicæ, Pentapolis vero a quinque insignibus urbibus Berenice, Arsinoe, Ptolemaide, Apollonia, & Cyrenis ipsis nomen adepta. Ultra quam pars porrecta fuit Ægypti, quæ Arida Libya dicta est, in qua, teste libro vigesimo secundo Marcellino, oppida fuerunt Paretonium, Cherecla, & Neapolis. His ergo duabus Libyis Cyrenaicæ, & Aridæ reges ex Ægyptiorum regum genere præfuerunt, atque ab his regibus hæ duæ regiones non vi, sed liberalitate deinceps ad Romanos pervenerunt. Fuerunt autem, quantum ego intelligere possum, Ptolemæi duo, superior, qui moriens Cyrenas populo Romano testamento reliquit, cum eo ut liberæ essent; posterior, cognomento Apion, qui cum Cyrenaica Aridam etiam Libyam. Quæ quidem quoniam apud veteres scriptores parce admodum, obscureque traduntur, verba eorum, ne quem fallam, mihi proferenda videntur, ut ea pro suo quisque judicio interpretetur. Sic igitur Jornandes: *Lybiam, id est, Pentapolim totam a primo illo Ptolemæo Romanis sub libertate concessam, tamen resistentibus dehinc Apionis consilium populo Romano subdidit*. & Rufus: *Cyrenas cum ceteris civitatibus Libyæ Pentapolis Ptolemæi antiquioris liberalitate suscepimus, Libyam supremo Apionis regis arbitrio sumus assequuti*. & Marcellinus: *Aridam Libyam supremo Apionis regis consequuti sumus arbitrio, Cyrenas cum residuis civitatibus Libyæ Pentapoleos Ptolemæi liberalitate suscepimus*. Ex his ego elicio, Ptolemæum superiorem Cyrenaicam reliquisse Romanis vectigalem, sed tamen legibus, & magistratibus suis utentem, Apionem autem & Cyrenaicam, & Libyam Aridam. hic autem mortuus est, C. Cassio, & Cn. Domitio coss. ut scribit Obsequens, id est, anno urbis sexcentesimo quinquagesimo septimo. Illud tamen habet dubitationem, quod Justinus Cyrenaicam statim post regis testamentum provinciam factam significat, Livius vero Cyrenæos a senatu libertate donatos scribit. Justini verba sunt hæc: *Ptolemæus Ptolemæi Soteris Ægyptii regis frater ex pellice natus, cui pater Cyrenas regnum testamento reliquerat, herede populo Romano instituto decessit. atque ita ea Libyæ pars provincia facta est*. Livii vero hæc: *Ptolemæus Cyrenarum rex, cui cognomen Apioni fuit, mortuus heredem populum Romanum reliquit. & ejus regni civitates senatus liberas esse jussit*. Ego vero, ut meam hoc loco interponam sententiam, cum Livio Cyrenæos liberos a senatu relictos, post a tyrannis oppressos, existimarim; atque inde populum Rom. Cyrenaicæ in provinciam redigendæ occasionem arripuisse. Video enim, L. Syllam apud Plutarchum, cum bellum adversus Mithridatem post in Asia gereret, indignatum, quod Cyrenæi libertate, quam a senatu acceperant, spoliati male a tyrannis haberentur, per L. Lucullum quæstorem suum eo missum, Cyrenæorum remp. tyrannis sublatis constituere: itaque aut imperante Sylla, aut certe post domitos Cretenses Cyrenaicam cum Creta provinciam factam, facile crediderim. De provincia certe Cyrenarum per ea tempora testimonium extat Ciceronis in Planciana, in qua ad Juventium Laterensem, Cyrenarum, ut mihi videtur Ciceronis ipsius in consulatu, quæstorem populus Rom. in hunc modum loquitur: *Desiderarunt te oculi mei, dum esses Cyrenis. me enim, quam socios, tua virtute frui malebam. & quo mea plus intererat, te adesse, eo longius aberas*. item: *Cyrenis Laterensem liberalem in publicanos, justum in socios fuisse, quis negat? sed ita multa Romæ geruntur, ut vix ea, quæ fiant in provinciis, audiantur*. Nominat hic publicanos, at vero alibi nominat agros publicos, ut in agrariis, cum inquit, P. Rullum tribunum plebis, se consule, tulisse, *ut agri Cyrenenses, qui regis Apionis fuerant, venderentur*. meminit eorum etiam Hygenus: *In provincia Cyrenensi*, inquit, *agri sunt regii, id est, illi, quos Ptolemæus rex populo Rom. reliquit*. & Tacitus: *Cyrenenses reum agebant Attilium Strabonem missum disceptatorem a Claudio agrorum, quos regis Apionis quondam habitos a populo Rom. cum regno relictos proximus quisque possessor invaserant*. Cyrenis autem in primis conventum unum esse illius provinciæ actum, ad opinionem mihi maxime persuaserim.

Creta vero insula Cyrenis opposita, cum opibus, armis, ac diuturna libertate floreret, prædonibus tum late maria omnia pervagantibus favisse existimata, merito arma in se Romana convertit. Anno, ut opinor, ab urbe condita sexcentesimo octogesimo secundo, M. Antonius triumviri pater piratas in prætura persequens bellum Cretensibus intulit, atque eo parum prospere gesto in Creta mortuus Cretici cognomen invenit, ut Asconius in Verrinas, Livius libro nonagesimo septimo, Plutarchus in Antonio prodidere. Biennio post, cum Q. Hortensius consul Cretam, ac bellum cum Cretensibus gerendum sortitus, urbe ac foro delectatus, Q. Metello collegæ suo provinciam exercitumque, aucto-

re Dione, concessisset, Metellus multis præliis prospere factis, multisque operibus insulæ urbibus expugnatis, totam ad imperium insulam trienii spacio redegit, ac Cretici cognomen inde una cum triumpho reportavit, &, ut apud plerosque scriptum est, Cretam provinciam fecit. sunt autem Livius, Vellejus, Justinus, & Rufus. Livius quidem: *Q. Metellus domitis Cretensibus liberæ in id tempus insulæ leges dedit*. Vellejus: *Creta Metelli ductu longissimæ libertatis fine mulctata est*. Justinus: *Creta bello piratico perdomita in provinciæ formam redacta*. Rufus: *Creta per Metellum consulem provincia facta*. Hæc autem cum Cyrenis conjuncta, in unam est provinciam constituta. Unde scripsit Appianus, post mortem Cæsaris Cassio prætori Cretam cum Cyrenis esse mandatam. quanquam ego malim Bruto, de quo ita secunda in Antonium Cicero: *Nuper fixa tabula est, qua civitates locupletissimæ Cretensium liberantur, statuiturque, ne post M. Brutum proconsulem sit Creta provincia*. Id autem ego, ut multa alia ab Antonio ex actis Cæsaris falso prolata, post servatum non esse, opinor.

CAP. XVII.

De Numidia.

Ex Numidia vero, quam in Masæsulos, & Massylos diviseramus, Masæsuli, superato a superiore Africano ipsorum rege Syphace, Massinissæ Massylorum regi cum parte Gætulorum dati fuerant, ita ut Numidiæ cunctæ a Mulucha usque ad Tuscam imperaret. Is Micipsam filium, Micipsa Adherbalem, & Hiempsalem, & Jugurtham fratris filium reges reliquit. Adherbale autem, & Hiempsale per insidias a Jugurtha sublatis, solus Jugurtha Masæsulis, & Massylis, id est, universæ Numidiæ præfuit. Jugurtham inde, quod contra senatus auctoritatem aliena invasisset, Romani bello multis ducibus persecuti sunt, in primis autem Q. Metello, qui Numidicus ex ea victoria nominatus est, & C. Mario, qui Jugurtha capto, & in triumpho ducto, bellum absolvit. Quoniam vero Jugurtha a Boccho tum totius Mauritaniæ rege deditus fuerat, propterea Bocchus socius populi Rom. dictus, ac Numidiæ parte ea, quæ Mauritaniam attingit, quæque olim Masæsulorum fuerat, est donatus; unde ipsa quoque Mauritaniæ novæ nomen accepit. quæ vero Carthaginiensium finibus continens Massylorum fuerat, ea regi Hiempsali, ex genere, ut puto, Massinissæ, videtur concessa. siquidem Hiempsalem regem Numidiæ apud Plutarchum invenio, tum cum Marius urbe a Sylla pulsus in Africam exul venit, ab eoque Marium ipsum esse adjutum. ex quo intelligi potest, aut Hiempsalem hunc, aut patrem ejus post Jugurtham regnum Numidiæ obtinuisse. Hiempsali vero successit Hiarbas, quem, cum aliquot post annis Domitium, & Carbonem Marianæ factionis duces contra Syllam armis suis foveret, Sylla per Cn. Pompejum ducem vicit & cepit, regnumque Numidiæ Hiempsali, cujus Cicero consul in agrariis meminit, cum Gætulorum regione permisit. Hiempsal inde Jubæ filio regnum tradidit. Itaque bello post inter Cæsarem, & Pompejum exorto, ac Pompejana parte in Thessalia profligata, cum Scipio Pompeii socer bellum in Africa renovaret, Jubam Hiempsalis filium, citerioris, ut dixi, Numidiæ, & Gætulorum regem, socium adversus Cæsarem habuit. Scipione vero, & Juba deletis, cum Gætuli ultro se ad Cæsarem contulissent, Numidia a Cæsare occupata provincia facta est, ac nova Africa appellata, ut illa, quæ Carthaginiensium fuerat, vetus. & C. Sallustius historiarum scriptor ei primus præfectus est. Atque hæc

A quidem omnia apud hunc ipsum Sallustium, Vellejum, Plutarchum, & Appianum scripta reperiuntur. Verum de Numidia a Cæsare provincia facta disertissime omnium Hirtius: *Cæsar Zamæ*, inquit, *auctione facta, bonisque eorum venditis, qui cives Rom. contra populum Rom. arma tulerant, præmiisque Zamensibus, qui de rege excludendo consilium ceperant, tributis, vectigalibusque regiis irrogatis, ex regnoque provincia facta, atque ibi Crispo Sallustio, populi Roman. proconsule, cum imperio relicto, ipse Zamam egressus, Uticam se recepit*. & Dio: *Cæsar munitionibus Juba fugiente potitus, atque omnibus urbibus nemine resistente receptis Numidiam in* B *suam potestatem adduxit, eique Sallustium præfecit. Quibus rebus confectis ea pars Libyæ, quæ circum Carthaginem sita, a Romanis Africa dicebatur, vetus provincia appellata, quod jam olim subacta esset: Numidia vero quia novissime victa fuerat, novæ provinciæ nomen est inditum*. Quæ cum ita sint, satis mirari non possum, cur quidam hac ætate scripserint, Numidiam a C. Mario, capto Jugurtha, in provinciæ formam esse redactam. quod neque factum tradidit ex veteribus quisquam, nec fieri potuisse, Hiempsale, Hiarba, Hiempsale, & Juba deinceps ibi regnantibus, facile intelligere potuerunt. C In Numidia Cirta colonia fuit, quæ regni caput fuerat, quam Sittianorum vocatam scribit Plinius: credo, quod eo Cæsar eos, qui cum P. Sittio in Mauritania exulante pro se adversus Scipionem dimicaverant, deduxisset.

Ceterum post victoriam Cæsaris, & C. Sallustii imperium, L. Sestius Numidiæ præfuit, Q. Cornificius, & D. Lælius Africæ. Post autem Octavianus in triumviratu Africam utramque adeptus Fuficium Fangonem legatum ei præfecit. Bruto inde, & Cassio in Macedonia superatis, Octavianus Numidiam, Antonius Africam secunda divisione obtinuit. Tum vero Sestius dux Antonii, cum, Fan- D gone Octaviani duce exacto, utrique provinciæ præesset, advenienti Lepido (sic enim inter triumviros convenerat) ambas dedit. Ad extremum autem cum Octavianus Lepidum inimicum suum, qui ambas item in tertia partitione adeptus erat, in Sicilia comprehendisset, eas per T. Statilium Taurum in potestatem adduxit, ut Dio in primis memoriæ prodidit.

E

CAP. XVIII.

De Mauritania.

MAURITANIAS vero duas, veterem a freto ad Mulucham, & novam a Mulucha ad Ampsagam, quæ Syphaci primum Masæsulorum regi, deinde Massinissæ posteris paruit, Bocchus rex unus, illam quidem jure hereditario, atque avito, hanc vero Jugurthæ regis Romanis traditi beneficio, primus obtinuit. deinde alter, ut puto Bocchus, de quo scriptum est in libro de viris illustribus: *M. Drusus Magulsam Mauritaniæ principem ob regis simultatem profugum accepta pecunia Boccho prodidit*: & post eum duo fratres, Bocchus F alius, & Bogud; novam quidem Bocchus, veterem vero Bogud, ambo reges a Cæsare victore, pro quo contra Pompejum pugnaverant, appellati. Mortuo vero Cæsare Octavianus in triumviratu Bogude, quod M. Antonium adversus se juvisset, auxiliis Bocchi regno depulso, Bocchum ipsum utriusque Mauritaniæ regem declaravit; Boccho vero vita functo, regnum totum in provinciæ formam rettulit, anno urbis septingentesimo vicesimo primo, se iterum, & L. Tullo consulibus, ut Dio scribit. Itaque idem post enumerans provincias, quæ ipsi Octaviano adversus Antonium bello Actiaco præsto fuerunt, af-

fuisse inquit Africam, cum eam, quæ antiquitus Romanis subjecta fuerat, excepta Cyrenaica, tum eam, quæ Bogudi modo, & Boccho paruerat.

Atque hæ quidem provinciæ fuerunt, quas populus Romanus liber, aut nondum omnino servitute oppressus, usque ad victoriam Octaviani Actiacam, id est, ad annum urbis septingentesimum vicesimum tertium fecit; Sicilia, Sardinia, Hispania citerior, & ulterior, Gallia citerior, de qua in libris de Italia disputavi, Gallia Narbonensis, & Comata, Illyricum, Macedonia, Achaja,

A Asia, Cilicia, Syria, Bithynia, Cyprus, Africa, Cyrenaica, Numidia, & Mauritania. Reliquæ vero, quæ præter has memorantur, provinciæ, provinciarumque divisiones ab imperatoribus constitutæ sunt omnes, Rhætia, Noricum, Pannonia, Mœsia, Dacia, Britannia, iterum Mauritania Cæsariensis jam & Tingitanæ nomen adepta, Ægyptus, Cappadocia, Galatia, Rhodus, Lycia, Comagene, Judæa, Arabia, Mesopotamia, Armenia, & Assyria, de quibus alio volumine disseremus.

CAROLUS SIGONIUS
DE
ANTIQUO JURE PROVINCIARUM.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

Qui præsides provinciarum essent, & quomodo legerentur.



QUO tempore, per quos duces, quibus finibus, quo jure singulæ populi Romani confectæ, ac constitutæ provinciæ sint, satis, ut opinor, superiore libro docuimus. reliquum est, ut hoc libro per quos, & quemadmodum jus eis redditum sit, sicut ab initio instituimus, ostendamus. qua doctrina nihil esse potest aut ad usum uberius, aut ad cognoscendum nobilius. Quoniam autem jus in omnibus provinciis duo magistratus, præses, & quæstor cum suis utriusque ministris administrarunt, propterea hoc libro de præsidibus primum, eorumque ministris, quinam essent, & quomodo legerentur, deinde de quæstoribus, postremo de utriusque munere disseremus.

Præsides igitur a principio præpositi provinciis sunt prætores, ut & jus provincialibus dicerent; &, si res cogeret, bellum administrarent. Itaque prætorum numerus ob id crevit, quia provinciarum numerus crevit. cum enim jam tum duo prætores essent, unus, qui inter cives, & peregrinos jus diceret: ac provinciæ duæ essent, ut dixi, Sicilia, atque Sardinia institutæ, visum est faciendum, ut prætores alii in eas duo adjicerentur. Inde duobus ad imperium adjunctis Hispaniis totidem alii accesserunt, qui quaterni quaternas in singulos annos provincias gubernarent. Quoniam vero in ipsis provinciis sæpe tumultus, ac bella graviora excitabantur, quæ bella jam inde ab initio geri per consules erant solita, hinc etiam provinciæ consulibus ordine sunt commissæ. Quare duo potissimum ordinarii fuerunt provinciarum rectores: prætores, qui in prætura, & consules, qui, graviore urgente bello, in consulatu provinciis præfuerunt. Qui si prorogato post præturam, aut consulatum imperio in provinciis remansissent, proprætores sunt, ac proconsules appellati. Erant autem prætores a consulibus, & proprætores a proconsulibus, ut dignitate, sic dignitatis insignibus separati. Etenim prætoribus, & proprætoribus sex lictores, totidem secures, fascesque præferentes apparuerunt, consulibus autem, ac proconsulibus duodecim. sic enim scribit in Syria

B historia Appianus: *Prætores ad exercitum Romani miserunt, quos ἑξαπελέκεις, id est, sex securium vocant. quia consules duodecim securibus, & fascibus regum more utuntur. prætores autem, quia dimidium dignitatis habent, etiam dimidium insignium consecuti sunt.* & in Paulo Plutarchus: *Prætor in Hispaniam missus est non cum sex securibus, (tot enim habent prætores,) sed totidem aliis assumptis, ut imperii consularis dignitatem haberet.* Quare jure Cicero de Verre Siciliæ prætore dixit: *Sed lictores circumsistunt valentissimi, & ad pulsandos, verberandosque homines exercitatissimi.* & de Pisone

C Macedoniæ proconsule: *Ipse cum hominibus duodecim male vestitis ad portam Cœlimontanam pervenit.*

Quoniam autem ad provinciam cum dignitate, & utilitate reip. obtinendam singuli præsides & potestate, & imperio, & quibusdam potestatis, atque imperii ornamentis afficiebantur, neque hæc una ratione omnia assequebantur, videtur faciendum esse, ut primum de potestate, deinde de imperio, tum de reliquis disputemus. neque enim hac quæstione quidquam potest esse ut ad tractandum difficilius, sic ad cognoscendum ex tota Romana antiquitate jucundius. Itaque, quoniam non omnibus temporibus uno modo præsidibus provincia, sive

D potestas in provincia est commissa, verum multæ ejus rei rationes inductæ, ut omnia facilius & dicantur, & intelligantur, placet hanc consuetudinem universam in quattuor tempora distribuere: unum ab institutione provinciarum usque ad L. Pisonem tribunum pleb. alterum a Pisone ad L. Syllam dictatorem; tertium a Sylla ad C. Cæsarem dictatorem; postremum a Cæsare ad Augustum imperatorem. Dico igitur, tum cum primum institutæ provinciæ sunt, vetere lege, cujus prorsus obliterata memoria est, sanctum esse, ut senatus provincias in potestate haberet, id est, ut quas prætorias, quas consulares esse vellet, ipse quotannis pro judi-

E cio suo statueret; illum autem, postquam consules, prætoresque designati erant, aut certe simul ac magistratum inierant, cum ad se de provinciis facta relatio esset, quas tumultuari, aut ab hostibus vicinis tentari intelligebat, eas fere consulibus, reliquas prætoribus decrevisse. qua re administrata prætores sortiri prætorias, consules consulares, sive sortiri, sive, quod facile inter duos transigi poterat, inter se comparare, jussisse, aut certe ipsum, quod minus sæpe factum est, utrisque pro suo judicio nominatim singulas destinasse. cum autem hoc modo provincias, sive potestatem in provinciis a senatu ob-

tinuiſſent, tum vero militare imperium lege curiata a populo accepiſſe. Atque hæc quidem omnia ex Livianæ hiſtoriæ ſerie cognoſci poſſunt eorum temporum, quæ a bello Punico ſecundo uſque ad Perſicum pertinent. ex qua licet aliquot teſtimonia ſumere. De ordinatione provinciarum, bello Antiochino: *Comitiis perfectis, quas provincias prætoribus eſſe placeret, retulit ad ſenatum conſul. decreverunt duas Romæ juriſdicundi cauſſa, duas extra Italiam, Siciliam, atque Sardiniam; duas in Italia, Tarentum, & Galliam. & extemplo, priuſquam inirent magiſtratum, ſortiri juſſi.* & bello Iſtrico. *Mummio prætori Sardinia evenit. Sed ea propter belli magnitudinem provincia conſularis facta. Gracchus conſul eam ſortitur.* & alibi: *Romæ principio anni cum de provinciis conſulum, & prætorum actum eſſet, conſulibus Ligures, quia bellum nuſquam alibi erat, decreti.* De ſortitione vero, comparationeve hæc documento ſint bello Punico: *Idibus Martiis, quo die conſules magiſtratum inierunt, Italia ambobus provincia decreta. prætores ſortiti provincias ſunt.* bello Macedonico: *Conſules, prætoreſque cum Idibus Martiis magiſtratum iniſſent, provincias ſortiti ſunt. Lentulo Italia, Villio Macedonia, prætoribus Quinctio urbana, Bæbio Gallia, Valerio Sicilia, Villio Sardinia evenit.* iterum Punico: *Conſulatum incunt Nero, & Livius, qui quia jam deſignati provincias ſortiti erant, prætores ſortiri juſſerunt.* item: *Decreverunt patres, ut conſules inter ſe compararent, ſortirenturve provincias.* item: *Scipio & Craſſus ut conſulatum inierunt, nominatæ conſulibus provinciæ ſunt. Sicilia Scipioni extra ſortem, concedente collega, Bruttii Craſſo evenerunt.* iterum Macedonico: *Decreverunt patres, ut provincias Macedoniam, atque Italiam conſules compararent inter ſe, ſortirenturve.* item: *Cum ſenatus aut ſortiri, aut comparare inter ſe provincias conſules, juſſiſſet.* De præcipua deſtinatione, quam raro uſurpatam diximus, bello Antiochino: *Tum de conſulum C. Lælii, & L. Scipionis provinciis cœptum eſt agi: ambo Græciam cupiebant. multum Lælius in ſenatu poterat. is, cum ſenatus aut ſortiri, aut comparare inter ſe provincias conſules juſſiſſet, elegantius facturos dixit, ſi judicio patrum, quam ſi ſorti eam rem permiſiſſent. Scipio reſpondit, facturum ſe quod is cenſeret. cum res nova, aut vetuſtate exemplorum memoriæ jam exoletæ relata expectatione certaminis ſenatum erexiſſet, Africanus ait, ſi Lucio fratri ſuo provinciam Græciam decreviſſent, ſe legatum iturum. itaque prope omnes Scipioni Græciam, Lælio Italiam decreverunt.* & alibi: *Hiſpaniæ extra ſortem prioris anni conſulibus ſervatæ. prætores ita ſortiri juſſi, uti flamini diali utique altera juriſdicundi Romæ provincia eſſet, peregrinam eſt ſortitus.* De imperio vero militari lege curiata accepto, haud ita multo poſt diſputabo. Ergo ſi ordinaria provinciarum mandandarum ratio fuit, ut quotannis conſulibus, & prætoribus a ſenatu decernerentur, a populo vero lege curiata imperium in iis traderetur, profecto extraordinaria fuit, quoties aut magiſtratibus, aut privatis nominatim provinciæ una cum imperium tributis comitiis datæ ſunt, aut in iiſdem in plures annos prorogatum imperium eſt. Ac ex magiſtratibus quidem neſcio, an primus hoc tentarit P. Scipio Africanus in conſulatu. de quo ita Livius: *Vulgatum erat, ſi apud ſenatum Scipio non obtinuiſſet, ut provincia Africa ſibi decerneretur, ad populum extemplo laturum. itaque Q. Fulvius poſtulavit ab eo, ut palam in ſenatu diceret, permitteret ne patribus, ut de provinciis decernerent, ſtaturuſque eo eſſet, quod cenſuiſſent, an ad populum laturus. Cum Scipio reſpondiſſet, ſe quod e rep. eſſet, facturum, tum Fulvius, non ego; inquit, ignarus, quid reſponſurus, facturuſve eſſes, quæſivi, quippe cum præ te feras tentare magis, quam conſulere ſenatum, & ni provinciam tibi quam volueris, extemplo decernamus, paratam rogationem habeas. itaque a vobis tribuni pl. poſtulo, inquit, ut ſententiam mihi ideo non dicenti quod ſi in meam ſententiam diſcedatur, non ſit ratum habiturus conſul, auxilio ſitis. inde altercatio orta, cum conſul negaret, æquum eſſe tribunos intercedere, quo minus ſuo quiſque loco ſenator rogatus ſententiam diceret. Tribuni ita decreverunt: Si conſul ſenatui de provinciis permittit, ſtari eo, quod ſenatus cenſuerit, placet, nec de ea re ferri ad populum patiemur; ſi non permittit, qui de ea re ſententiam recuſabit dicere, auxilio erimus. conſul diem ad colloquendum cum collega petiit. poſtero die permiſſum ſenatui eſt.* Poſt biennium autem conſules Servilius, & Claudius ſenatu in Capitolium vocato de provinciis retulerunt: *Italiam, atque Africam in ſortem conjici, ambo Africam cupientes, volebant: ceterum Q. Metello maxime annitente neque data, neque negata eſt Africa. conſules juſſi cum tribunis pl. agere, ut ſi iis videretur, populum rogarent. quem vellent in Africa bellum gerere. omnes tribus P. Scipionem juſſerunt. nihilominus conſules provinciam Africam (ita enim ſenatus decreverat) in ſortem conjecerunt*, Qui vero privati primi jam conſtitutas provincias a populo obtinuerunt, quos proconſules a conſularibus partibus obeundis dixerunt, & Lentulus, & L. Manlius, ut opinor, fuerunt, qui Hiſpanias tum primum a P. Scipione confectas provincias duas obtinuerunt, & poſt eos C. Cornelius Lentulus, & L Stertinius: de quibus ita Livius: *Plebs Cornelio Lentulo, & L. Stertinio proconſulibus imperium eſſe in Hiſpania juſſit.* Poſtremo vero imperium ex S. C. in provincia a populo, & quidem tributis comitiis prorogatum, illa nos admonent, bello Punico: *Prorogatum Philoni imperium eſt, ut proprætor Galliam eandem provinciam obtineret cum iiſdem legionibus, quibus prætor obtinuiſſet. Quod L. Veturio, idem in C. Aurunculejo decretum ab ſenatu, latumque & de prorogando imperio ad populum eſt.* item: *Omnes tribus eoſdem Lentulum, & Manlium proconſules, ſicut priore anno tenuiſſent, obtinere eas provincias juſſerunt.* Egregie. jus enim aut deferendi, aut prorogandi militaris imperii ſuum eſſe populus voluit. deferendi quidem, ordine, & magiſtratibus, curiatis, ut poſt docebo, comitiis; utrunque vero, extra ordinem, & privatis, tributis.

His autem ita ultra annum urbis DC. obſervatis, tum demum nova provinciarum eſt ordinatio inſtituta. Etenim, cum L. Calpurnius Piſo, tribunus pleb. Cenſorino, & Manilio coſſ. anno ipſo DCIV. teſte in Bruto Tullio, primus de quæſtione perpetua repetundarum tuliſſet, id eſt, ut ex prætoribus iis, qui provincias ſortiri ſoliti erant, unus provinciæ loco quæſtionem repetundarum ſortiretur, eique per annum in urbe præeſſet; & cum idem poſtea in aliis etiam quæſtionibus, ac prætoribus alii alia lege ſanxiſſent, initium introductum eſt, ut prætores, qui quotannis adhuc ſeni tantum creabantur, juriſdictiones duas, quæſtiones quattuor, aut plures ex legibus, quæ de quaque quæſtione latæ erant, in ſortem conjicerent, eaſque per annum in urbe exercerent, extremo autem anno ex S. C. provincias in poſterum ſortirentur. Quin etiam eodem tempore cum populus bis provincias Africam, & Hiſpaniam extra ordinem ſine ſorte nominatim P. Scipioni Æmiliano conſuli virtutis ejus admiratione mandaſſet, eaſque ipſi, itemque poſt aliis alias in multos annos prorogaſſet, in eoque veterem ſenatus auctoritatem imminuiſſet, placitum eſt C. Sempronio Graccho, quamvis juris populi ſtudioſiſſimo, atque retinentiſſimo, jus ſuum ſenatui totum aut reſtituere, aut conſervare. Itaque legem potius veterem retulit, quam novam aliquam intulit: *Ut provinciæ futuris prætoribus, ac conſulibus quotannis a ſenatu decernerentur.* qua lege cum provincias ad

senatus potestatem redegit, tum imperii prorogationem sustulit. Illud autem adjecit, ut puto, de suo: *Ut prætoriarum decreto intercedi liceret, consularium non liceret.* Hujus autem legis meminit Sallustius bello Jugurthino: *Lege Sempronia provinciæ futuris consulibus decretæ sunt, Numidia atque Italia. consules declarati Scipio, & Bestia. Numidia Calpurnio, Scipioni Italia obvenit.* & Cicero pro domo in Clodium: *Tu provincias consulares, quas C. Gracchus non modo non abstulit a senatu, sed etiam, ut necesse esset quotannis constitui per senatum, lege sanxit. eas lege Sempronia per senatum decretas rescidisti. extra ordinem, sine sorte nominatim dedisti consulibus.* & in oratione de provinciis: *Decernendæ sunt nobis lege Sempronia provinciæ duæ.* & ex intervallo: *Faciam, inquit, Syriam, & Macedoniam prætorias, ut Pisoni, & Gabinio succedatur statim, si hic sinat. tum enim tribunus intercedere poterit, nunc non potest. itaque idem ego, qui nunc consulibus, qui designati erunt, Syriam Macedoniamque decerno, decernam easdem prætorias, & ut prætores annuas provincias habeant, & ut Gabinium, Pisonemque quamprimum videamus. Sed mihi credite, nunquam succedetur illis, nisi cum ea lege referetur, qua intercedi de provinciis non licebit.* Ex quibus verbis apparet. Gracchum lege sua tulisse, ut prætoriis provinciis a senatu decernendis intercedi posset, consularibus non item. Quanquam autem de provinciis quotannis a senatu constitui, easque consulibus, & prætoribus in annum mandari subsequente sorte, aut comparatione, lex Sempronia sanxit, ex qua lege per hæc tempora C. Sempronius Tuditanus Illyricum, L. Aurelius Orestes Sardiniam, L. Crassus Galliam, Q. Scævola Asiam in consulatu, C. autem Marius, & L. Sylla, postquam insignem præturam Romæ gesserant, ille Hispaniam ulteriorem, hic Ciliciam, teste Plutarcho sortiti, lege deinde curiata in iis imperium acceperunt; sæpe etiam a lege Sempronia iisdem temporibus est recessum, ut in C. Mario, cui consuli Numidiam, & post etiam Galliam nominatim sine sorte populus non solum mandavit, sed etiam in iis imperium prorogavit, cuique privato Asiam, & bellum Mithridaticum, quod Sylla consul senatus consulto, & sorte erat adeptus, commisit.

Tertia inde tempora successerunt a L. Sylla dictatore usque ad C. Cæsarem. quibus lege item Sempronia provinciæ in senatus potestate manserunt. Indicant illa Ciceronis in oratione de provinciis, quam multis post Syllæ dictaturam annis dixit: *Decernendæ sunt nobis lege Sempronia provinciæ duæ.* & in epistolis ad Lentulum: *Stipendium Cæsari decretum est, & ne lege Sempronia succederetur.* Novi vero illud intulit Sylla, ut, quia tribunis plebis agendi cum populo potestatem ademerat, prorogatio imperii, quæ a populo fiebat, ipsius injussu populi haberetur. tulit enim, *ut qui provinciam ex S. C. obtineret, is imperium tandiu haberet, quoad in urbem redisset.* quod Cicero scripsit ad Lentulum: *Appius dictitat, se, quoniam ex S. C. provinciam habeat, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introeat.* Sic per hos annos lege Sempronia ex prætura C. Verres Siciliam sortitus est, L. Lucullus Africam, Q. Metellus Celer, & L. Murena Galliam, C. Cæsar ulteriorem Hispaniam, ex consulatu vero L. Octavius Ciliciam, C. Cotta, & L. Lucullus Galliam, M. Cotta Bithyniam, M. Lucullus Macedoniam, Q. Hortensius Cretam. Unde Cicero dixit in frumentaria: *Quid agis, Q. Hortensi? consul es designatus, provinciam sortitus es.* Usque adeo vero consules, prætoresque in potestate senatus fuerunt, ut iis etiam senatus levissimas, ac nullius laudis provincias decreverit. siquidem Suetonius in Cæsare scribit, *ab optimatibus datam operam esse, ut provinciæ futuris consulibus minimi negotii, id est, sylvæ, callesque decernerentur.* Cum autem lege Cornelia, qui provinciam ex senatus consulto habebat, is imperium, quoad in urbem rediret, haberet; hinc factum est, ut per eadem tempora alii biennium, alii triennium, alii amplius provinciis sine populi prorogatione præfuerint. quia, cum successor aut a senatu non esset decretus, aut decretus in provinciam non esset profectus, tandiu imperium obtinuerunt, quoad domum redierunt; ut L. Lucullus, qui ex consulatu per septem annos Ciliciæ, & Asiæ præfuit, quia successor non est missus, & C. Verres, qui ex prætura per triennium Siciliæ, quia successor non est profectus, ut scribit Asconius. Quin etiam iisdem temporibus novi illud est illatum, ut provincia a senatu tribueretur, ut Cn. Pompejo Hispania; credo, quia per populum, nondum potestate tribunicia restituta, dari non poterat. Itaque tradito exemplo, post tribuniciæ potestatis restitutionem idem quoque in Cn. Pisone, & C. Cæsare Octaviano est factitatum. De quibus sic Cicero in Antonium: *Sertorianum bellum Cn. Pompejo privato datum est a senatu, quia consules recusabant. cum L. Philippus pro consulibus se eum mittere dixit, non pro consule.* & Suetonius in Cæsare: *Cn. Pisoni ob suspicionem conjurationis urbanæ Hispania provincia a senatu extra ordinem data est.* & Sallustius in Conjuratione: *Piso in citeriorem Hispaniam quæstor pro prætore missus est.* iterum Cicero in Antonium: *C. Cæsari adolescenti imperium extraordinarium mea sententia dedi. ille enim mihi præsidium extraordinarium dederat.* Quin etiam, postquam Pompejus, & Crassus in primo consulatu tribuniciam potestatem restituerunt, provinciæ rursus extra ordinem rogatione tribunicia a populo sæpe mandatæ, & magistratibus, & privatis sunt; ut Gabinia quidem lege bellum piraticum; Manilia vero Asia, Bithynia, & Cicilia Pompejo privato; Vatinia vero Gallia, & Illyricum consuli Cæsari in quinquennium data, & Trebonia in alterum quinquennium prorogata; Clodia vero Syria Gabinio, Macedonia Pisoni, cum ambo consules essent. Unde illa Ciceronis in eadem oratione extitere: *De Cn. Pompeii imperiis extraordinariis tribuni pl. turbulenti tulerunt.* & in senatu post reditum: *A. Gabinius tribunus pleb. nisi rogationem de piratico bello tulisset, profecto & egestate, & improbitate coactus piraticam ipse fecisset.* & in Vatinium: *Eripuisti senatui provinciæ decernendæ potestatem, imperatoris deligendi judicium, ærarii dispensationem; quæ nunquam sibi populus Romanus appetivit; qui nunquam hæc a communi consilii gubernatione auferre conatus est.* & pro domo sua in Clodium: *Quis homini turpissimo Gabinio Syriam, quis bellum pacatissimis gentibus, quis pecuniam ad emendos agros constitutam, ereptam vi ex Cæsaris rebus actis, quis imperium infinitum dedit? cui quidem cum Ciliciam dedisses, mutasti pactionem, & Ciliciam ad prætorem item extra ordinem transtulisti. Gabinio precio amplificato Syriam nominatim dedisti. quid? homini teterrimo L. Pisoni nonne nominatim liberos populos tradidisti? tu provincias consulares, quas C. Gracchus non modo non abstulit a senatu, sed etiam, ut necesse esset quotannis constitui per senatum, lege sanxit, eas lege Sempronia per senatum decretas rescidisti, extra ordinem sine sorte nominatim dedisti consulibus.* Possum etiam illud adjungere, provinciam aut non sortiri, aut post sortem deponere, atque in eam non ire, si non lege, at certe exemplo licuisse, ut Ser. Sulpicii, qui in prætura sortiri noluit: Q. Arrii, qui C. Verri in Sicilia non successit; Cn. Pompeii, qui in primo consulatu, se in provinciam non iturum, juravit, idque servavit; Q. Hortensii, qui Cretam; M. Ciceronis, qui Galliam in concione deposuit. Unde illa sunt pro Murena in Sulpicium: *Postremo tu ex prætura*

in provinciam ire noluisti. non possum id in te reprehendere, quod in me ipso & prætor, & consul probavi. Eodem autem tempore cum provinciarum obtinendarum cupiditate plerique omnes præturam, & consulatum appeterent, ac propterea arderet in civitate ambitus, ut huic malo occurreretur, Senatus consultum Pompejo tertium consule factum est, teste Dione, *Nequis prætorius, aut consularis intra quinquennium in provinciam ire posset.* quo S. C. senatus eos ire in provincias compulit, qui in eas ex prætura, aut ex consulatu non iverant. inter quos fuere M. Cicero, & M. Bibulus, quorum alter ex senatus consulto Ciliciam, alter Syriam est sortitus, ut scribit Plutarchus. eodemque anno, Marcello, Sulpicioque coss. senatus consultum alterum in eandem ferme sententiam factum scribit Cœlius: *Placere senatui in Ciliciam provinciam, inque octo reliquas provincias, quas prætorii pro prætoribus obtinerent, eos, qui prætores fuerant, neque in provincia cum imperio fuerant, quos eorum ex senatus consulto cum imperio in provinciam proprætores mitti oporteret, eos sortito in provincias mitti placere; si ex eo numero, quos ex S. C. in provincias ire oporteret, ad numerum non essent, qui in eas provincias proficiscerentur, tum uti quodque collegium primum prætorum fuisset, neque in provincias profecti essent, ita sorte in provincias proficiscerentur. si ad numerum ii non essent, tunc deinceps proximus quisque collegii, qui prætores fuissent, neque in provincias profecti essent, in sortem conjicerentur, quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in provincias mitti oporteret.* Quod autem octo prætoriæ provinciæ in hoc S. C. nominantur, id ad instituto Syllæ profectum est, qui additis quæstionibus numerum quoque prætorum auxit usque ad decem. quanquam plerunque octo ex S. C. creati sunt. Postero vero anno Paulo, & Marcello coss. oriente civili bello, S. C. aliud eodem pertinens factum est, de quo sic Cæsar: *Provinciæ privatis decernuntur, duæ consulares, reliquæ prætoriæ. Scipioni Syria, Domitio Gallia obvenit. Paulus, & Marcellus privato consilio prætereuntur. neque eorum sortes dejiciuntur. in reliquas provincias prætores mittuntur.* Quæ omnia, quam varia ac secum discrepans fuerit eorum temporum in mandandis provinciis ratio, utpote jam labente vetere disciplina, declarant. Unde Cæsar ipse eodem in loco queritur, *in se novi generis imperia constitui, ut idem ad portas urbanis rebus præsideat, & duas provincias absens tot annos obtineat. in se jura magistratuum commutari, ne ex prætura, & ex consulatu, ut semper, sed per paucos probati, & electi in provincias mittantur.* Significat autem Pompejum in primis, qui duas provincias Hispanias absens per legatos administraverat, atque ipse ad urbem manens rebus urbanis præsederat.

Neque vero hoc loco res stetit, sed multo vehementius post victoriam Cæsaris fluctuavit. Primum enim ipse in dictatura legem tulit, qua (credo, ne quis exemplo suo continuatione imperii, & diuturna provinciarum possessione rempub. occuparet.) cavit, *ut nemo prætoriam provinciam plus anno, consularem plus biennio posset obtinere*: in quo aliquid de Sempronia lege detraxit, quæ annuas ambas sanxerat provincias. cui tamen legi ipse non paruit, quippe qui provincias sine sorte pro arbitrio, judicioque suo mandarit, ut Ser. Sulpicio Achajam, M. Bruto Galliam citeriorem, Decimo ulteriorem. Deinde vero occiso Cæsare, M. Antonius in consulatu ferri a tribunis pl. passus est, ut consulares provinciæ sexennio obtinerentur, qua lege Juliam legem ipsam funditus sustulit, ut Cicero ei in maledictis objecit: *Quæ lex sæpius flagitata, inquit, quam ne prætoriæ provinciæ plus, quam annum, quam biennium consulares, obtinerentur? hac lege sublata videnturne vobis Cæsaris acta servari?* & alibi: *Tri-* A *buni pl. tulerunt de provinciis contra acta Cæsaris, ille biennii, iste sexennii.* Atque eodem etiam anno provinciæ ex S. C. in sortem conjectæ sunt, sed fraus per M. Antonium consulem in sortiendo commissa, usque adeo ut plerique eorum, qui sortiti essent, ire noluerint. quo factum est, ut eam sortitionem Cicero his verbis in tertia in Antonium concione irriserit: *Præclara tum senatus consulta illo ipso die vespertina, provinciarum religiosa sortitio. divina vero opportunitas, ut quæ cuique apta esset, ea cuique obveniret. Ille autem quæ de se expectat judicia graviora? L. Lentulus, & P. Naso nullam se habere provinciam, nullam Antonii sortitionem fuisse* B *judicaverunt. quod idem fecit L. Philippus, M. Anturanius, P. Oppius. ipsi etiam, qui amicitiam Antonii veriti plus ei tribuerunt, quam fortasse vellent, M. Piso, & M. Vebilius senatus auctoritati se obtemperaturos esse dixerunt. quid ego de L. Cinna loquar, qui omnino provinciam neglexit? quam item C. Cæsetius repudiavit. qui sunt igitur reliqui, quos sors divina delectet? L. Annius, & M. Antonius. o felicem utrunque. nihil enim maluerunt. C. Antonius Macedoniam. hunc quoque felicem. hanc enim semper habebat in ore provinciam. C. Calvisius Africam. nihil felicius. modo ex Africa decesserat, &* C *quasi divinans se rediturum, duos legatos Uticæ reliquerat. deinde L. Iccius Siciliam, Q. Cassius Hispaniam. non habeo, quid suspicer. duarum credo provinciarum sortes minus divinas fuisse.* Quin etiam eodem anno, senatus consultum Antonio consule absente in ipsius Tullii sententiam factum est: *Senatum arbitrari, ad summam reipubl. pertinere, a D. Bruto, & L. Planco imperatore, consule designato, itemque ceteris, qui provincias obtinent, obtinere ex lege Julia, quoad ex senatus consulto cuique eorum successum sit.* item postero anno alterum: *Uti C. Pansa, A. Hirtius coss. alter, ambove, si eis videretur, recuperata republ. de provinciis consulari-* D *bus, prætoriis ad senatum referrent. interea provinciæ ab iis, qui eas obtinerent, obtinerentur, quoad cuique ex senatus consulto successum esset.* Novi vero, & quidem pessimi exempli illud, quod cum senatus M. Antonio consuli Macedoniam decrevisset, populus pro Macedonia Galliam citeriorem, quam D. Brutus ex senatus consulto obtinebat, teste Appiano, permutavit. & quod cum Octavianus, Antonius, & Lepidus triumviri rempubl. occupassent, provincias sæpe, præterquam quæ armis inimicorum tenebantur, inter se sine S. C. pro libidine partiverunt, easque per legatos a se lectos administrarunt. E Ex quibus omnibus non solum varia legendorum præsidum consuetudo, sed varia etiam proconsulum, ac proprætorum significatio perspici potest; cum proconsules, ac proprætores dicti sint, qui quocunque modo in provinciis, consulum prætorumque munia partesque obiverint, sive ex consulatu, ac prætura prorogatum a populo in provincia imperium haberent, sive ex consulatu, ac prætura provincias ex S. C. sortiti essent, sive privati a populo, aut a senatu cum imperio consulari, aut prætorio eas accepissent.

Ac de provinciis quidem, sive potestate in provinciis deferenda, hactenus. nunc de mandando F præsidibus imperio dicamus, de quo subobscure ante significavimus. Ceterum, ut potestas S. C. delata est, sic militare imperium lege. Legem autem intelligo eam, quæ, quod curiatis comitiis lata esset, præcipue curiata nominabatur. Curiata enim comitia cum ad alia multa adhibuerunt, tum maxime ad imperium militare mandandum. quod indicavit Camillus, cum in oratione, qua Vejentanam commigrationem dissuasit, dixit apud Livium: *Comitia centuriata, quibus consules, tribunosque militum consulari potestate creatis; comitia curiata, quæ militarem rem continent, ubi auspicato, nisi ubi* *assolet,*

assolet, fieri possunt? egregie. Etenim cum illud requirebatur, ut imperium a populo acciperetur, tum vero, ut justis comitiis acciperetur. sic enim justum quoque fore imperium arbitrabantur. Unde dixit in Ligariana Cicero: *Justo cum imperio in provinciam profectus erat*. Justa vero comitia fuerunt, quæ auspicato habita sunt: qualia sola centuriata, ac curiata fuerunt. quorum, ut inquit Camillus, illis magistratus, his imperium militare delatum. est ergo justum imperium, quod a populo curiatis comitiis est transmissum. transmissum est autem non omnibus, sed iis duntaxat, qui, ut dixi, aut in magistratu, aut certe ex magistratu provincias adepti essent, ut dictatoribus, consulibus, & prætoribus, aut qui ex consulatu, & prætura sortiti provincias essent. De dictatoribus, consulibus, sive tribunis consularibus, significat Livius, cum scribit: *Papirio dictatori legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit, quod Saucia curia fuit principium, duabus insignis cladibus, captæ urbis, & Caudinæ pacis. Macer Licinius tertia etiam clade, quæ ad Cremeram accepta est, abominandam eam curiam facit*. significat autem, præter dictatorem ad bellum iturum, etiam consulibus, & tribunis militaribus consulari potestate curiatam legem fuisse latam; quod clades, cujus meminit, ad Cremeram, & ad Caudinas furcas consulibus ducibus accepta sit: captæ vero urbis, tribunis militaribus consulari potestate. De consulibus autem præcipue docet Cicero in agrariis, cum inquit: *Consuli, si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet*. & in epistolis ad Atticum: *Consules flagrant infamia, quod C. Memmius candidatus pactionem in senatu recitavit, quam ipse & suus competitor fecisset, ut ambo sestertium quadringena consulibus darent, si essent ipsi consules facti, nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerent, cum lex curiata ferretur, quæ lata non esset, & duos consulares, qui se dicerent in ornandis provinciis consularibus scribendo affuisse, cum omnino ne senatus quidem fuisset*. De prætoribus autem, aut qui ex prætura provincias sortiti erant, Cæsar bello civili: *In reliquas provincias prætores a senatu mittuntur, neque, quod superioribus temporibus non acciderat, expectant, ut de eorum imperio ad populum referatur*. ad populum enim cum dicat, plebiscitum excludit. De iis autem qui quamvis multis annis post consulatum, tamen ex consulatu, & ex senatusconsulto provinciam, ut Cicero, obtinuerant, sic ipse ad Cassium: *Enitere, ne quid mihi ad hanc provinciam, quam & senatus & populus annuam esse voluit, temporis prorogetur*. Atque imperium quidem ordine jam inde a primis temporibus hoc modo mandatum est.

Jam vero subsidia sive ornamenta provinciarum, quæ quidem dari, atque adimi, augeri, atque minui pro arbitrio potuerunt, eadem a senatu novo, & quidem post legem curiatam latam, senatusconsulto tributa sunt. In his autem ornamentis, atque subsidiis fuit latitudo provinciæ, magnitudo exercitus, stipendium in milites, viaticum in legatos, & cohortem, comitatus, & cetera generis ejusdem. quæ quidem quoniam non omnibus eadem amplitudine, numeroque concessa sunt, propterea cum ea decernebat senatus, tum provincias, aut præsides ipsos provinciarum ornare dicebatur. ut Livius, bello Antiochino: *Disceptationem inter prætorem, legatumque consulum relatio interrupit, qui suas ornari provincias, priusquam de prætorio exercitu ageretur, æquum censebant*. & Cicero ad fratrem: *Referebatur de provinciis quæstorum, & ornandis prætoribus*. Ceterum provincias ornatas esse a senatu post legem curiatam de imperio latam, apparet ex verbis ejusdem supra allatis: *Nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerent, cum lex curiata ferretur, quæ lata non esset, & duos consulares, qui*

A *se dicerent, in ornandis provinciis consularibus scribendo affuisse, cum omnino ne senatus quidem fuisset*. Unde alio loco idem queritur, *consulares provincias Lentuli, & Metelli a senatu esse ornatas mense Decembri, antequam novi tribuni inissent, & cum adhuc consules designati essent*. idque graviter fert, *quod tribuni dicerent, se caussa ipsius voluisse sui potestatem esse de consulibus ornandis, non ut eos impedirent, sed ut ad caussam sui exulantis adjungerent*. additque, *se non arbitrari, alias unquam ornatas provincias esse consulum designatorum*. itemque ex Suetonio, qui scribit, *Cæsarem Hispaniam ulteriorem ex prætura sortitum, neque more, neque ju-* B *re, antequam provinciæ ornarentur, esse profectum*. In ornamentis autem provinciæ, magnitudinem fuisse provinciæ, ostendunt ea, quæ supra de finibus Hispaniarum pro præsidum honore productis, atque reductis, & de diœcesibus Asiæ, Ciliciæ ipsi attributis, atque ademptis diximus. Nam reliqua Cicero declarat in Pisoniana: *Ego*, inquit, *provinciam Galliam senatus auctoritate, exercitu, & pecunia instructam, atque ornatam in concione deposui*. & alibi: *Tu provinciam nactus, æs ex S. C. attributum in quæstu Romæ reliquisti*. & in Antonianis: *Provinciæ Cassio, & Bruto a senatu datæ, quæstores additi, legatorum numerus auctus*. & in epistolis ad C Cassium: *Cetera cujusmodi sint, ex hoc judica, quod legato tuo viaticum eripuerunt*. & Pedianus in Verrinas: *Legatis, & cohorti prætoriæ alimenta de publico data sunt*. Viaticum autem a senatu obtinere non potuisse, nisi qui legem curiatam haberet, nescio, an satis Appius indicarit, cum legem curiatam ferre consuli opus esse, necesse non esse dixit. de quo Cicero ad Lentulum Ciliciæ proconsulem: *Appius consul dictitat, sese, si licitum esset, legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam: si lex curiata non esset, se paraturum cum collega, tibique successurum. Legem curiatam con-* D *suli ferre opus esse, necesse non esse. se, quoniam ex S. C. provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introiisset. Sunt, qui putent, te non posse decedere; quod sine lege curiata tibi succedatur. sunt, qui, si decedas, a te relinqui posse, qui provinciæ præsit*. & ad fratrem: *Appius sine lege curiata confirmavit, se Lentulo nostro successurum*. & ad Atticum: *Appius sine lege, suo sumptu in Ciliciam cogitat*. Horum enim verborum hæc mihi videtur esse sententia: quoniam qui provinciam ex S. C. habebat, is postremis reipub. temporibus, ex lege, quam dixi, Cornelia imperium, E quousque in urbem introiisset, habebat. propterea Appium interpretatum, legem curiatam de imperio, sibi, qui ex S. C. provinciam haberet, utilem potius esse, quam necessariam. quippe cum sine ea imperium haberet, ut viaticum a senatu, nisi curiata lege ante de imperio lata, obtinere non posset. ex quo efficiebatur, ut quia sine lege curiata ibat, suo sumptu iret. In lege autem Cornelia interpretanda deceptum Appium, satis liquet, quia non intelligebat, Syllam tollere voluisse plebiscitum, quo privato imperium prorogabatur, non autem curiatam legem, qua imperium magistratu mandabatur. Nam cum plebi, ut dixi, infensus tribuniciæ potestatis F jus imminuisset, ne quis rogationem tribuniciam in prorogatione imperii desideraret, tulit, ut qui provinciam ex S. C. in annum obtinuissent, ii imperium in ea sine ulla populi prorogatione haberent, quoad domum rediissent.

Jam vero de viatico, id est, de ceteris provincialibus ornamentis, ut vestibus, vasibus, vehiculis, mulis, tabernaculis, & reliquis ejusdem generis, hæc habemus. Zonaras magistratibus peregre proficiscentibus, cum alia necessaria, tum annulum de publico datum scribit. Cicero de signis, *Majores*, inquit, *nostri neminem, qui cum potestate, aut legatione*

in provinciam esset profectus, tam amentem fore putarunt, ut emeret argentum; dabatur enim de publico: aut vestem; præbebatur enim legibus. mancipium putaverunt, quo & omnes utimur, & non præbetur a populo. Sanxerunt, ne quis emeret mancipium, nisi in demortui locum. Livius bello Persico: *Magistratus mulis, tabernaculisque & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis.* Unde Suetonius Augustum instituisse refert, *ut ad mulos, & tabernacula, quæ publice locari solebant, certa pecunia constitueretur.* Recte. Locata enim ejusmodi instrumenta fuisse, indicio est P. Ventidius; qui, ut scribit Gellius, victum quæsivit comparandis mulis, & vehicula magistratibus, qui sortiti provincias forent, præbenda publice conduxit. Itaque Alexander Severus, ut tradit Capitolinus, *exemplo veterum, argento, & necessariis, magistratus, quos in provinciam mittebat, instruebat, ita ut præsides provinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas senas, mulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, aureos centenos, cocos singulos.*

Atque ordinaria quidem provincialium præsidum deligendorum, ratio hæc, ut dixi, fuit, nempe ut magistratus, aut qui magistratu abiissent, ex S. C. provinciam, id est, potestatem in provincia sorte, imperium militare lege curiata, ornamenta vero provincialia deinceps novo senatus consulto nancifcerentur. Quæret aliquis, quid? an vero qui aut in magistratu, aut privati a populo nominatim extra ordinem provincias accipiebant, eodem hæc omnia modo adipiscebantur? Equidem non arbitror; verum qua lege provinciam a populo, eadem etiam imperium, & ornamenta consequutos. Lex autem, ut jampridem significavi, tributis lata comitiis, & quidem a tribunis pl. fuit. Atque hoc ostendit maxime Cicero, cum in Vatinium, qui tribunus pl. provincias duas lege Cæsari consuli cum tribus legionibus dederat, sic dixit: *Eripuisti senatui provinciæ decernendæ potestatem, imperatoris deligendi judicium, ærarii dispensationem.* Significat enim nimirum, quæ a senatu decerni solebant, provincia, imperium, & pecunia, eorum jus per Vatinium potissimum senatui ademptum populo esse tributum. siquidem imperium tum decerni quodam modo videbatur a senatu, cum lex curiata ex S.C. de imperio ferebatur. Declaravit etiam magis in Pisonem, qui lege Clodia Macedoniam consul acceperat: *Obtinuisti provinciam consularem finibus iis, quos lex cupiditatis tuæ, non quos lex generi tui pepigerat. habebas exercitum tantum, quantum tibi non senatus, aut populus Rom. dederat, sed quantum tua libido conscripserat. ærarium exhauseras.* Lege porro Gabinia scimus Cn. Pompejo privato bellum piraticum cum quindecim legatis, & Manilia Mithridaticum cum omni apparatu belli piratici, ac Mithridatici, itemque Asiam, Bithyniam, & Ciliciam provincias esse commissas. Hi enim omnes, quibus legibus provincias, iisdem etiam imperium in provinciis cum ipsis ornamentis imperii acceperunt, neque legem curiatam ullam præterea desiderarunt. Hujus autem rei hæc esse caussa potuit; in magistratibus quidem, quia satis id imperium videretur, quod semel comitiis tributis a plebe cum provinciis obtinuissent; in privatis autem, quia privatis lex curiata non ferretur, sed magistratibus tantum, credo, quod privati carerent auspiciis, quæ solis, ut alias dixi, patebant magistratibus. Sic enim scripsit bello Punico Livius: *In senatu, cum Cn. Servilius cos. de republica retulisset, redintegrata in C. Flaminium invidia est. duos se consules creasse, unum habere. quod enim illi justum imperium, quod auspicium esset magistratus, id a domo, publicis, privatisque penatibus, votis rite in Capitolio nuncupatis, secum ferre, nec privatum auspicia sequi, nec sine auspiciis profectum in externo ea solo nova atque integra concipere posse.* & alibi: *Rem mali exempli esse, imperatores legi ab exercitibus, & solemne auspicatorum comitiorum in castra, & provincias procul ab legibus, magistratibusque ad militarem temeritatem transferri.* Quocirca in castris Pompeii Macedonicis, teste Dione, in quibus magna civitatis Romanæ pars bello civili domo profecta considebat, magistratus novi, quibus provinciæ in insequentem annum committerentur, ob eam rem non sunt creati, quia lex curiata de imperio magistratuum in castris ferri non potuit. at magistratibus iisdem imperia in alterum annum sunt prorogata, quod id tributis comitiis sine lege curiata perfici potuit. curiata vero comitia idcirco in Macedonia non potuerunt haberi, quia auspicia, quæ ipsa comitia præcedebant, in externo concipi solo, si Livio credimus, non licebat, & comitia curiata auspicato, ut dixit Camillus, nisi ubi assolebat, haberi non poterant; tributa vero licuit haberi, quia ipsa auspiciis iis, quibus curiata, non erant obstricta.

Postremo vero eorum, qui privati extra ordinem a senatu provinciam accepissent, eandem quoque fuisse rationem opinor, ut quo senatus consulto provinciam, eodem etiam imperium atque ornamenta adepti sint. si modo tam multa senatus nominatim alicui detulit. cujus rei documento est Cn. Pompejus a senatu in Hispaniam missus, & C. Cæsar Octavianus in Galliam. sic enim Pompejus scribit ad senatum apud Sallustium: *Equidem fateor, me ad hoc bellum majore studio, quam consilio profectum; quippe qui, nomine modo imperii a vobis accepto, diebus quadraginta exercitum paravi.* queriturque inde, se a senatu stipendium, quod ad bellum opus sit, non accepisse. & Cicero in senatus consulto de Octaviano: *Demus imperium C. Cæsari, sine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris administrari non potest. sit pro prætore eo jure, quo qui optimo.* Neque vero iis lex curiata est lata, quod privati essent, & eo imperio, quo nominatim a senatu affecti fuerant, contenti essent. Ac de potestate quidem, imperio, & ornamentis præsidibus provincialibus deferendis hæc hactenus.

CAP. II.

De comitatu præsidum, tribunis mil. præfectis, reliquisque ministris.

QUEM vero in præsidiis, ornamentisque provinciarum comitatum præsidum reposuimus, hic adjutores, ministros, comitesque omnes eorum amplexus est, quos cum usus, ratioque provinciæ, tum dignitas ipsa magistratuum, ac reip. postulavit. fuerunt autem legati, tribuni militum, centuriones, præfecti, decuriones, aliique militarium operum, rationumque adjutores, atque ministri: præterea vero scribæ, accensi, præcones, lictores, interpretes, tabellarii, aruspices, cubicularii, medici, & qui quotidianæ vitæ prope socii fuerunt, quæ cohors prætoria, & quasi prætoria dicta est. inter quos referendi quoque contubernales sunt. Qui singuli quemadmodum lecti sint, exponamus: nam cui usui præsidibus, atque ipsi omnino reipubl. fuerint, post dicemus.

Legatorum nomen multis modis acceperunt, sed qui in provinciis versarentur duobus; primum, qui senatus voluntatem ad alios detulerunt; deinde, qui præsidibus operam quacunque ratione navarunt. Quos ambos intellexisse Varro mihi videtur, cum in libris de lingua Latina scripsit: *Legatis, qui publice lecti, quorum opera, consilioque uterentur peregre*

magiſtratus; quive nuntii ſenatus, ac populi eſſent. & Cicero in interrogatione in Vatinium, cum eos appellavit *nuntios pacis, ac belli, curatores, interpretes, bellici conſilii auctores, muneris provincialis miniſtros.* ſignificat enim unum genus legatorum, qui decem, aut quinque a ſenatu, & ex ſenatu ad ordinandam provinciam, parta ab imperatore victoria, mittebantur, de quibus initio diximus; item alterum, qui præſidibus in omni provinciali, ac bellico munere adjutores dabantur, ut ad arbitrium ſe illorum accommodarent. de quibus Appianus libro primo Civilium: *Legatos Romani appellant, quos provinciarum rectoribus addunt, ut iis ſubſidio ſint.* & Cæſar libro tertio eorundem: *Aliæ ſunt legati partes, aliæ imperatoris; alter omnia agere ad præſcriptum, alter libere ad ſummam rerum conſulere debet.* & libro ſecundo: *Officium legati fiduciariam operam obtinere.* De his igitur legatis illud hoc loco videmur poſſe præcipere, eos aut a ſenatu datos, aut permiſſu ſenatus a præſidibus eſſe aſcitos, aut certe lege aliqua extra ordinem eſſe delectos; atque hoc potiſſimum ex ea quam dixi, in Vatinium interrogatione: *Audire de te cupio, quo tandem S. C. legatus ſis. tua lege dicis? ne hoc quidem ſenatui relinquebas, quod nemo unquam ademit, ut legati ex ejus ordinis auctoritate legarentur? adeo ne tibi ſordidum conſilium publicum viſum eſt, ut non nuntios pacis, ac belli, non curatores, non interpretes, non bellici conſilii auctores, non miniſtros muneris provincialis ſenatus more majorum deligere poſſet? quis legatos unquam audivit ſine ſenatuſconſulto? ante te nemo. poſt continuo fecit idem in duobus prodigiis reipubl. Clodius.* & ex oratione pro Sextio: *Quos legatos non modo nullo S. C. ſed etiam repugnante ſenatu tute tibi legaſti.* & ex Maniliana, in qua queritur, impedimentum afferri, ne A. Gabinius Cn. Pompejo expetenti legaretur, & addidit, *ſe ſperare de eo legando ad ſenatum conſules relaturos.* Nam quod dixi, præſidem pro arbitrio aliquando ſibi legaſſe, id oſtendit in libro de prætura, cum inquit, *Verrem, poſtquam Cilicia Dolabellæ provincia eſt conſtituta, multis allegationibus illam legationem expugnaſſe.* & Nepos cum ſcribit, *Atticum ne cum Q. quidem Cicerone ſororis ſuæ viro in Aſiam ire voluiſſe, cum apud eum legati locum obtinere poſſet, quia decere ſe non arbitraretur, cum præturam gerere noluiſſet, aſſeclam eſſe prætoris.* Jam vero numerus legatorum, qui minimus, trium, ut opinor, fuit. ſic enim ſcripſit Livius: *Decernunt frequentes, ut C. Sulpicius prætor tres ex ſenatu nominet legatos.* Quin etiam Q. Cicero prætor tres tantum in Aſiam ſecum legatos duxit. Habitam tamen eſſe rationem prætorii gradus, & conſularis, & provinciæ, & belli, & ipſius denique hominis arbitror a ſenatu. ſiquidem Bruto, & Caſſio legatorum numerum auctum ſcribit Cicero, & ipſe in Cilicia proconſul ſecum legatos quattuor habuit, & Cn. Pompejo lege Gabinia quindecim datos, ſatis conſtat. Quin etiam obſervatum illud eſt, ut legatos libenter ſibi quiſque legaret, qui rei militaris periti eſſent, atque ipſi provinciis alias cum imperio præfuiſſent. itaque conſulares conſulibus, prætorii prætoribus legatos ſe poſcentibus aliquando adjunxerunt, & frater fratrem, filius patrem ſibi legavit: neque id injuria. intelligebant enim, totum juriſdicendi, reique gerendæ munus in conſilio, fide, opera, uſuque legati, legatorumve conſiſtere. Quoniam autem præſides legatis poteſtatis, atque imperii ſui partem communicabant, hinc factum eſt, ut & ipſi legati lictoribus, ac faſcibus uterentur. Quod oſtendit Livius de Pleminio P. Scipionis imperatoris legato ſcribens: *Sine reſpectu non majeſtatis modo, ſed etiam humanitatis, in legatum impetum, lictoribus prius indignum in modum mulctatis, faciunt.* & Cicero de Verre Dolabellæ proconſulis legato: *In Achajam ſumptu publico & legationis nomine cum imperio & ſecuribus miſſus eſt.*

De tribunis autem militaribus, ceteriſque qui ſequuntur, præfectis antequam dicam, illud repetere oportet, exercitum Romanum, cui hi omnes aliqua ex parte præfuerunt, ex legionibus, & auxiliis fuiſſe confectum: legionem certum numerum peditum, equitumque Romanorum fuiſſe; auxilia vero certum ſocialium copiarum, atque his ſingulis, ut inter ſe erant diverſi, ſic varios etiam duces præpoſitos. Quoniam autem legiones ſcribi quotannis quattuor erant ſolitæ, quæ conſulibus ad bella prope quotidiana proficiſcentibus traderentur, factum eſt, ut quemadmodum quattuor legiones primæ ceteris, quæ poſt ad eas adjunctæ ſunt, clariores fuerunt, ſic qui his legionibus præfuerunt, omnes aliarum duces honore anteceſſerunt. Hi vero tribuni militum quattuor legionibus primis ſunt appellati; tribuni quidem, auctore Varrone, quod ab initio terni eſſent, tum cum legio ex tribus millibus conficiebatur, ex ternis, quæ tum erant, tribubus Ramnium, Lucerum, & Tatienſium ſumptis; militares autem, quod militibus, id eſt, peditibus, imperarent. Siquidem tribuni militum peditibus tantum legionis, non item equitibus, præfuerunt. Itaque ut numerus peditum in legione auctus eſt, ſic etiam tribunorum militarium, ita ut a tribus ad quattuor, atque ab his ad ſex pervenerint. Quin etiam ut numerus eorum, ſic etiam lectio procedente tempore immutata eſt. Primis enim temporibus omnes ab imperatoribus legebantur, in ſingulas quaternas legiones terni, ut eſſent duodecim. Poſt autem anno urbis trecenteſimo nonageſimo primo, inſtitutum, ut pars eorum populi ſuffragiis, pars imperatorum arbitrio crearentur. ſic enim ſcribit Livius: *Cum eo anno primum placuiſſet, tribunos militum ad legiones ſuffragio fieri: (nam & antea, ſicut nunc, quos Rufulos vocant, imperatores ipſi faciebant.) Torquatus ſecundum in ſex locis tenuit.* ſex quippe locos vocans eorum, qui ſuffragio crearentur, quod ſex alteri iis, qui ab imperatoribus fierent, relinquerentur. deinde anno quadringenteſimo quadrageſimo altero latum eſt, ut quaterni in ſingulas legiones legerentur, ut eſſent ſexdecim; & ut, quod intermiſſum erat, iidem populari ſuffragio fierent. Unde ille idem, *Tulerunt,* inquit, *tribuni pl. L. Atilius, C. Marcius, ut tribuni militum ſeni deni in quattuor legiones a populo crearentur. quæ ante perquam paucis ſuffragio populi relictis locis, dictatorum & conſulum ferme fuerunt beneficia.* Interjectis inde temporibus cum legio ex quinque millibus conſcribi jam eſſet cœpta, ut ſua factum ætate ſcribit Polybius, & poſtremo, cum ex ſex millibus, tribuni militum ad quattuor legiones viginti quattuor, in ſingulas ſeni, lecti ſunt. Bello autem Perſico cum tribuni a populo crearentur, conſules propter belli Macedonici magnitudinem ex ſenatus conſulto ad populum, ut refert Livius, tulerunt, *ne tribuni militum eo anno ſuffragiis crearentur, ſed conſulum prætorumque in iis faciendis judicium, arbitriumque eſſet.* quod quidem haud diu ſervatum, idem indicat, cum ſequenti anno ſcribit, *non permiſſum ut tribunos militum conſules facerent: populum creaſſe.* Poſt hæc autem cum Rutilius Rufus legem tuliſſet de jure tribunorum, qui a conſulibus eſſent facti, accidit, ut tribuni ab imperatoribus in exercitu lecti, Rufuli; a populo in comitiis creati, comitiati dicti ſunt. quod cum Pediano Livius, & Feſtus diſertiſſime prodidere. Quocirca noviſſimis etiam reip. temporibus alios tribunos a populo, alios ab imperatoribus creatos videmus. nam & C. Marius, teſte Salluſtio, & C. Cæſar Suetonio, & M. Cato Plutarcho tribunatum militum a populo & petierunt, & obtinuerunt. & proconſul Cicero tribunatum mili-

tum alteri dedit, & pro altero petiit, ut ipse scribit ad Atticum: *Scaptius cum a me tribunatum accepisset, quem ego ex Bruti litteris ei detulissem, postea scripsit ad me, se uti nolle eo tribunatu.* & ad Cæsarem: *Huic ego neque tribunatum, neque præfecturam peto, benevolentiam tuam peto.* Ceterum de tribunis militum viginti quattuor ad primas quattuor legiones creandis hæc prodit lib. VI. Polybius: *Declaratis consulibus tribunos militum creant, quattuordecim quidem ex iis, qui quinque stipendia annua habeant, decem vero ad hos ex iis, qui decem; equites quidem, qui decem, pedites vero, qui sex. Tum vero die delectus tribunos militum natu minores in* B *quattuor partes consules tribuunt; ac qui primi quattuor lecti sunt, primæ legioni præficiunt; tres, qui deinceps, secundæ; quattuor subsequentes tertiæ; tres ultimos quartæ. ex iis autem, qui majores sunt, duos primos primæ præponunt, tres secundos secundæ, duos subsequentes tertiæ, tres postremos quartæ.* Hi vero tribuni militum legionibus quattuor primis propterea præ ceteris celebrantur, quia majori, quam ceteri, non quidem potestate, sed, ut puto, dignitate fuerunt. Unde in legibus, in quibus ceteri magistratus nominantur, & hi præcipue nominantur, hoc modo: QUI. TR. PL. Q. IIIVIR. CAPITALIS. TR. MIL. L. IV. PRIMIS. Quod in veteribus C quibusdam æneis legum tabulis, & in lege Cornelia de falso scriptum ex Cluentiana cognovi. Reliquorum autem tribunorum, qui prætoriis legionibus attributi sunt, eandem fuisse in legendo rationem, ex verbis Livianis supra prolatis apparet: *Consules ex S. C. ad populum tulerunt, ne tribuni mil. eo anno suffragiis crearentur, sed consulum, prætorumque in iis faciendis judicium, arbitriumque esset.* Tribunos autem fasces non prætulisse, ostendit Livius in seditione militari Scipionis apud Sucronem: *Fugatis ex castris tribunis, ad milites gregarios duos delatum omnium consensu imperium. qui nequaquam tribuniciis contenti ornamentis insignia etiam summi* D *imperii fasces, securesque attrectare ausi.* Appianus etiam in Libyca tribunos militares aureo annulo usos scribit, cum ceteri ferreo uterentur.

Qui vero centuriones fuerint, ac quo numero, quaque ratione lecti sint, quanquam ut in ceteris, sic in hoc sæpe variatum opinor, illustris in primis ex eodem sexto historiarum Polybii locus demonstrat. quem locum primum proponam, deinde aliorum scriptorum auctoritate firmabo. ut intelligatur si quando ab hac ratione recessum est, id extra ordinem, & novo exemplo factum fuisse. *Ubi milites*, inquit, *ad constitutam a consulibus diem convenerunt, tum minimum quemque natu, ac pauperrimum* E *in velites legunt; qui vero his proximi sunt, in hastatos; ætate præstantes in principes; gravissimos vero in triarios. dividunt autem eos in hunc modum, ut triarii sexcenti sint, principes mille ac ducenti, totidemque hastati, reliqui vero velites. quod si plures quattuor millibus sint, eos pro portione distribuunt, exceptis triariis, qui eodem semper numero manent. ex singulis autem generibus, præterquam ex natu minimis, deligunt duces decem. ac post eos alteros item decem, atque omnes centuriones appellant. qui vero primus electus est, is particeps consilii est. deinde vero una cum centurionibus singulas ætates præterquam* F *velitum in decem partes dividunt, atque unicuique parti ex selectis viris duos duces præficiunt. velites vero pro multitudine aptantes æqualiter in omnes partes distribuunt, duos vero duces in unoquoque manipulo constituunt. qui si ambo adsint, qui primus lectus est, dextrum cornu manipuli regit; qui posterius, sinistrum. si non adsint, qui relinquitur, omnibus præest.* Ex his ergo apparet, velitib. remotis, tres acies fuisse, hastatos, principes, & triarios, ex singulisque denos, atque iterum denos duces esse delectos, qui unicuique parti (quæ in singulis aciebus

A essent denæ) præessent, eosque centuriones esse dictos, quorum qui primus electus sit, particeps etiam consilii fuerit. Quod autem ille de hastatis, principibus, & triariis affert, idem etiam est apud Varronem: *Hastati*, inquit, *dicti, qui primum hastis pugnabant; pilani, qui pilis; principes, qui a principio gladiis. post commutata re militari minus illustres sumuntur. Pilani triarii quoque dicti, quod in acie tertio ordine subsidio deponebantur.* Varroni autem adjungere possumus Livium libro XXII. in quo est: *Nova deintegro pugna exorta est, non illa ordinata per principes, hastatosque, ac triarios, nec ut pro signis antesignanus, post signa alia pugnaret acies, nec ut in sua legione miles, aut cohorte, aut manipulo esset. fors conglobabat.* Idem hastatos, & principes, quos in prima, & secunda acie pugnasse scribit, Antepilanos vocat, quod ante triariorum aciem tertiam, quorum ordo unus Primus pilus diceretur, præliarentur. Quod autem singulæ acies in denas partes distributæ fuerint, confirmat item Ovidius libro Fastorum tertio: qui de Romulo rege loquens inquit, *Hastatos instituitque decem, Et totidem principes, totidem pilanus habebat Corpora.* siquidem pro decem corporibus decem sive ordines, sive manipulos intellexit. confirmat Livius, qui libro XLII. primi, & decimi ordinis hastati, & primi principis; & Cicero, qui in epistolis ad Brutum octavi principis meminit. nam de primo pilo loquuntur omnes. Quod autem singulæ denæ partes, quæ Manipuli sunt appellatæ, binos centuriones habuerint, haudquaquam alienum est ab eo, quod ex Cincii auctoritate prodidit Gellius, *Legionem cohortes decem habuisse, manipulos triginta, centurias sexaginta.* ita ut cohors pars decima fuerit legionis, manipulus tertia cohortis, centuria altera manipuli. Nomina vero partium, quæ Polybius prætermittit, hæc videntur fuisse: Primus, & secundus hastatus, primus & secundus princeps, primus & secundus pilus, atque ita in singulis usque ad decimum. Hos autem ordines ab imperatoribus assignatos, docet Livius libro XLII. primum cum scribit: *Consul deprecatus est tribunos pleb. ne prohibeant se, quem cuique ordinem assignari e repub. esset, eum assignare.* deinde cum Sp. Ligustinum ita loquentem inducit: *In eo exercitu, qui in Macedoniam est transportatus, biennium miles gregarius fui adversus Philippum regem, tertio anno virtutis caussa mihi T. Quinctius decumum hastatum assignavit. Inde miles voluntarius cum M. Porcio cos. in Hispaniam sum profectus. hic me imperator dignum judicavit, cui primum hastatum prioris centuriæ assignaret. tertio iterum voluntarius miles factus sum in eum exercitum, qui adversus Ætolos & Antiochum missus est, a M. Acilio mihi primus princeps prioris centuriæ est assignatus, quater post intra paucos annos primum pilum duxi.* & Cæsar libro tertio belli civilis: *Omnibus primæ cohortis centurionibus interfectis, præter priorem principem.* & libro XXVI. *secundi hastati signum ademptum signifero in hostes infert.* Cum autem ordines ab imperatoribus assignatos legimus, sane per tribunos militares assignatos, intelligere debemus. siquidem eodem in loco apud Livium inquit Ligustinus: *Ordinem, quo me dignum judicent tribuni militum, ipsorum potestatis est.* & post Livius: *Tribuni militares in legione prima primum pilum virtutis caussa ei assignarunt.* Unde Cicero Pisoni objecit, quod proconsul Macedoniæ *centuriatus palam vendidisset, ordinesque per servulum assignasset.* Atque hæc quidem satis mihi multa ad Polybii sententiam aut enucleandam, aut confirmandam videntur. Addo nunc, ut ordines alii aliis superiores fuerunt, sic ordinum ductores alios aliis fuisse honestiores. Honestissimus autem omnium fuit ordo, atque centurio primi pili, qui & primipilus, & primus quoque centurio dictus est. atque hoc præclara Cæsaris,

ac Livii multis in locis auctoritas comprobat. Cæsar bello Gallico: *Nonnulli centuriones ex inferioribus ordinibus reliquarum legionum caussa virtutis in superiores erant ordines hujus legionis traducti.* & bello civili: *Q. Fulginius vulneratur ex primo hastatu legionis quartæ decimæ, qui propter eximiam virtutem ex inferioribus ordinibus in eum locum pervenerat.* & alibi: *Scævam ab octavis ordinibus ad primipilum se traducere pronunciavit.* Ac superiores quidem sunt ordines, primus hastatus, primus princeps, & primus pilus, si reliquos deinceps usque ad decimum locos respiciamus. at primipilus omnium, etiam primi hastati, & primi principis, erat supremus. quippe quem, ut inquit Dionysius libro nono, sexaginta legionis centuriones sequerentur, ac mandata ejus peragerent. Unde Livius bello Persico: *Tres & viginti centuriones qui primos pilos duxerant, petierunt, ne inferiores iis ordines, quam quos, cum militassent, habuissent, attribuerentur.* & postea: *Placuit, tribunum militum primipilo legionis secretum edere imperium, illum & dein singulos proximo cuique in ordine centurioni dicere, quid opus facto esset.* & bello Samnitico: *Lex militaris lata est, ne quis, ubi tribunus militum fuisset, postea ordinum ductor esset. Id propter Salonium postulatum est; qui alternis prope annis tribunus militum, & primus centurio erat, quem nunc primipili appellant.* & Vegetius: *Vetus consuetudo tenuit, ut ex primo principe legionis promoveretur centurio primipili, qui non solum aquilæ præerat, verum etiam quattuor centurias, hoc est, quadringentos milites, in prima acie gubernabat. hic tanquam caput totius legionis merita consequebatur, & commoda.* Quod autem aquilæ præfuisse ait, idem est, ac toti legioni, sive, ut dixit Polybius, sexaginta centuriis. Unde Valerius libro primo: *Aquilarum altera vix convelli a primipilo potuit.* Ut autem primipilus ceteris centurionibus erat honestior, sic primæ legionis primipilus reliquis aliarum legionum primipilis. ut Livius supra significavit, cum Sp. Ligustino primum pilum in legione prima virtutis caussa assignatum scripsit. Neque vero lateat nos oportet, centurionum insigne vitim fuisse, eaque minus promptos ad parendum milites castigari consuevisse. declarat hoc Plinius lib. XIV. *Centurionum in manu vitis opimo præmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis pœnam ipsam honorat.* Tacitus libro primo: *Centurio Lucillius in seditione interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum, Cedo alteram, indiderant, quia fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, ac rursus aliam poscebat.* Unde Juvenalis etiam de Mario dixit:

Nodosam posthæc frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret castra dolabra.

& Silius libro XII.

Miscebat primas acies, Latiæque superbum
Vitis adornabat dextra decus.

Adjicit Polybius, singulos centuriones adjutores sibi singulos asciviſſe. Eos ille Græce οὐράγους, id est, extremi agminis ductores, vocat. ego vero eos accensos primum, deinde optiones a Romanis appellatos crediderim. idque auctore Festo, qui scribit: *Optio, qui nunc dicitur, antea appellabatur accensus. is adjutor dabatur centurioni a tribuno militum, ut quem vellet, eligeret, unde nomen sortitus est.* Atque hoc idem etiam est apud Varronem tum in libris de lingua Latina, tum in iis, quos scripsit de vita populi Rom. teste Nonio: *Referentibus centurionibus adoptati in cohortes subibant, ut plenæ essent legiones, a quo optiones in turmis decurionum, & cohortibus centurionum appellati.* Vegetius autem optiones fuisse, *qui antecedentibus ægritudine impeditis, tanquam adoptati eorum, atque vicarii solerent universa procurare.*

Jam vero ut totius legionis vexillum, nempe

A aquilam ferebat is, qui aquilifer dicebatur; sic manipulorum cujusque cohortis signa ii, qui signiferi vocabantur. qui, ut inquit Polybius, ex unoquoque manipulo ætate, & manu præstantissimi a centurionibus ejus manipuli legebantur. unde illud est apud Ciceronem de divinatione: *Cum signifer primi hastati signum non posset movere loco.*

Fuisse præterea alios etiam in legione militaris promotionis gradus, ut accensum, commentariensem, & cornicularium, indicat Asconius, qui in commentario Verrinæ actionis ita scribit: *Accensus nomen est ordinis, & promotionis in militia, ut nunc dicitur princeps, vel commentariensis, aut cornicula-*

B *rius. hæc enim nomina omnia de legionaria militia sumpta sunt.* siquidem accensos duobus modis acceptos tradit, uno pro nomine ordinis, altero pro nomine promotionis; ordinis quidem, pro militibus quibusdam, qui una cum rorariis post triarios consederunt. quorum meminit Livius libro VIII. & Varro de lingua Latina, & ante eos Plautus in Frivolaria: *Ubi rorarii estis? en sunt. ubi sunt accensi? ecce.* promotionis vero, pro militibus ministrantibus. de quibus sic idem Varro: *Accensos ministratores Cato esse scribit. potest id ab arbitrio, nam inde ad arbitrium ejus, cujus minister.* & Ve-

C getius libro primo: *Nullis milites instituti deputabantur obsequiis, nec privata iisdem negotia mandabantur; siquidem incongruum videretur, imperatori militem, qui veste & annona publica pascebatur, utilitatibus vacare privatis. ad obsequia tamen judicum, vel tribunorum, nec non etiam principalium deputabantur milites, qui vocabantur accensi, hoc est, postea additi, quam fuisset legio completa, quos nunc supernumerarios vocant.*

Quem vero vigente rep. commentariensem appellet, satis adhuc expiscari nequivi. sub imperatoribus autem commentarius principis celebratur, nimirum libellus, in quo princeps nomina omnium

D perscribebat, quibus aliqua erat reip. administratio tradita, unde commentarienses scribæ fuerunt, qui commentarium principis conficiebant. in castris commentariensis erit, qui obsequia militum, excubias, commeatusque perscripserit. nam talem in exercitu fuisse curam, scribit eodem in loco Vegetius.

Cornicularius autem qui fuerit, nemo tradidit. ego tribuni militaris ministrum fuisse, facile duxerim, ex verbis Valerii, capite de pudicitia: *M. Lætorio tribuno militum Cominius tribunus pleb. diem ad populum dixit, quod cornicularium suum stupri caussa appellasset.* & Frontini libro III. *Tanquam tri-*

E *buni cornicularius vigilias excitavit.* Quasi vero cornicularius vigilias tribuni loco circumierit, atque ejus imperia corniculo ediderit. unde Cornicularii ipsi merere corniculo dicti sunt a Suetonio in libro de claris Grammaticis: *Orbilius primo apparituram fecit magistratibus, deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit.* & de viris illustribus: *M. Scaurus primo in Hispania corniculo meruit, sub Oreste in Sardinia stipendia fecit.*

Ac pedestribus quidem copiis hi præfuerunt. equitibus autem, qui singulis legionibus modo duceni, modo treceni, (ut in libris de jure civium Roman-

F ostendimus) affuerunt, præpositi sunt ii, qui præfecti equitum, ac decuriones vocati sunt. quorum illi tribunis militum, hi centurionibus responderunt, cum præfecti alas equitum ducerent, decuriones vero turmarum decurias. De quibus legendis in hunc modum Polybius: *Equitatus partes decem dictæ sunt alæ. ex unaquaque autem consules tres præfectos selegerunt. iique sibi tres* οὐράγους, (id est, ut ego interpretor, tres optiones) *asciverunt. qui vero primus alæ præfectus lectus erat, is alam ducebat. duo vero decuriones dicebantur. absente vero primo rursus secundus præfecti alæ vices sustinebat.*

Hinc Cicero, cum scribit ad Atticum, *Appius turmas aliquot huic dederat, & præfectum habuerat*, significat decuriatum, ac præfecturam ei assignasse. præfectorum autem alarum ita frequens est mentio, ut testimonio non videantur egere. Frontinus: *Corbulo in Armenia Rufo præfecto equitum, quia parum instructam armis alam habebat, vestimenta per lictorem scidit*.

De decurionibus autem, & eorum optionibus sic Varro: *Turma terna est, quod terdeni equites ex tribus tribubus Tatiensium, Ramnium, & Lucerum fiebant. Itaque primi singularum decuriarum decuriones dicti, qui ab eo in singulis turmis etiam nunc sunt terni. quos hi primo administros ipsi sibi adoptabant, optiones vocari cœpti. quos nunc propter ambitionem tribuni faciunt*. & Festus: *Optio in re militari appellatur is, quem decurio, aut centurio optat sibi rerum privatarum ministrum, quo facilius obeat officia publica*. Ergo cum pedites centuriarentur, equites autem decuriarentur, jure dixit Livius: *Ubi ad decuriatum, aut centuriatum convenissent, inter se equites decuriati, centuriati pedites conjurabant*. Ac de peditatus quidem, & equitatus Romani ductoribus hactenus.

Erant præterea auxilia, id est, copiæ sociorum, tum pedestres, tum equestres. quibus item duces ab imperatoribus Romanis præpositi, iique præfecti socium dicti sunt. De quibus ad hunc modum Polybius: *Ubi socii convenerant, eos distribuebant ii, qui a consulibus constituti, præfecti vocabantur, numero duodecim. qui primum ex omni numero sociorum, qui venerant consulibus, equites, & pedites maxime idoneos seligebant eos, qui vocantur extraordinarii. numerus autem sociorum plerunque Romanorum numero æqualis, equitum vero duplex fuit. extraordinarios asciscebant tertiam equitum partem, peditum vero quintam*. Horum vero meminit etiam Livius, ut libro XXXV.: *Nuncius venit, non sustinere extraordinarios impetum Gallorum*, & libro XLI.: *C. Oppius præfectus socium hostes jussit invadere*.

Erant præterea præfecturæ in exercitu aliæ multæ; siquidem præfecti castrorum, præfecti evocatorum, præfecti fabrum memoria celebratur. Atque has quidem omnes ab imperatore delatas, existimarim. Declaravit Nepos cum scripsit: *Atticus multorum consulum, prætorumque præfecturas delatas sic accepit, ut neminem in provinciam sit sequutus, honore fuerit contentus*. & Cicero de Cæsarem: *Trebatio neque tribunatum, neque præfecturam, neque ullius beneficii certum nomen peto*. & ad Atticum: *Ego quas per te Brute promiseram præfecturas, Scaptio, & Gavio detuli*. Ex quo fonte insigne illud dictum Africani, teste in Verrem eodem manavit, *a quo cum quidam vetus assectator ex numero amicorum non impetraret, ut se præfectum in Africam duceret, & id moleste ferret, Noli, inquit, Africanus, mirari si hoc a me non impetras, ego jampridem ab eo, cui meam existimationem fore coram arbitror, peto, ut mecum proficiscatur, & adhuc impetrare non possum*. scite ille quidem. *Etenim*, ut ibi idem addit, *multo magis est petendum ab hominibus, si salvi esse volumus, ut eant nobiscum in provinciam, quam hoc illis in beneficii loco deferendum*.

Ex ministris autem humilioribus fuere scribæ, accensi, præcones, & reliqui. qui quid sint, ipsi ferme nomine suo declarant; scribæ, qui tabulas publicarum rationum confecerunt; accensi, qui præsidi in tribunali jus dicenti apparuerunt; ita ut accensi & in castris, & in jure magistratibus operam quocumque modo navarint. quare inter reliquos præsidum apparitores accensi etiam numerantur. ut in Verrem: *Comites illi tui delecti manus erant tuæ. præfecti, scribæ, medici, accensi, aruspices, præcones, manus erant tuæ. quo quisque maxime te cognatione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat, ita maxime manus tua putabatur*. Atque hic item accensus a prætore videtur fuisse ascitus, ex verbis, quæ sunt in epistola ad fratrem: *Quos autem ex domesticis convictoribus, aut ex necessariis apparitoribus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte prætoris appellari solent, horum non modo facta, sed etiam dicta omnia præstanda sunt nobis. accensus sit eo numero, quo eum majores nostri esse voluerunt, qui hoc non in beneficii loco, sed in laboris, ac muneris, non temere nisi libertis suis deferebant: sit lictor non suæ, sed tuæ lenitatis apparitor, majoraque præferant fasces illi, ac secures dignitatis insignia, quam potestatis*.

Prætoria vero cohors comitatus intimus fuit prætoris meliorum militum, qui ab eo non discedebant, a P. Africano quondam institutus. *hic enim primus*, ut scribit Festus, *fortissimum quemque delegit, qui ab se in bello non discederet, & cetero munere militiæ vacarent, & sexquiplex stipendium acciperent*, cujus sententiæ etiam illa in Verrem loca accommodata maxime sunt: *Cohors tota illa tua, tua manus sine controversia fuit* item: *Dedi stipendio cohortis prætoriæ*. & ad Atticum: *Ingemuit nostra cohors, omne illud putans distribui sibi oportere*. Ex quibus intelligitur, quod etiam notat Asconius, cohortem prætoriam comites fuisse prætoris, quibus stipendium uberius a prætore per quæstorem annuum erogatum sit. ceteri vero, quos modo dixi, quasi ex cohorte prætoris appellabantur.

Contubernales autem adolescentes fuerunt, qui rei militaris percipiendæ, & provinciæ cognoscendæ gratia magistratus in provinciam sequuti sunt, & propterea familiariter cum iis vixerunt, neque ab eorum lateribus discesserunt. ut Cicero ostendit in Cœliana: *Cum paulum jam accessisset ætati, in Africam profectus est, Q. Pompejo proconsuli contubernalis. in qua provincia cum res erant, & possessiones paternæ, tum etiam usus quidam provincialis non sine caussa a majoribus huic ætati tributus*. & in Planciana: *Hic adolescentulus cum A. Torquato profectus in Africam sic ab illo sanctissimo viro dilectus est, ut & contubernii necessitudo, & adolescentuli modestissimi pudor postulavit*. Neque vero præsides solum, sed etiam quæstores, & tribuni militum contubernales, ut post apparebit, habuerunt. quin etiam patri filium fuisse contubernalem, admonet nos in Stratagematis Frontinus. *Q. Metellus consul*, inquit, *quamvis nulla lege impediretur, quin filium contubernalem perpetuum haberet, maluit tamen eum in ordine merere. P. Rutilius consul, cum secundum leges in contubernio suo filium posset habere, in legione militem fecit*. Cæsar autem in dictatura, teste Suetonio, sanxit, *ne quis senatoris filius, nisi contubernalis, aut comes magistratus, peregre proficisceretur*.

Finem huic disputationi faciam, si hoc addidero, ex toto provinciali comitatu, libera rep. fœminas in primis remotas videri, ex verbis, quæ sunt apud Tacitum libro tertio: *Imperante Tiberio Severus Cæcina censuit, ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur. haud enim frustra placitum olim, ne fœminæ in socios, aut gentes externas traherentur. inesse mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur*. Ex his enim apparet, Augusto demum imperante, uxores duci in provinciam cœptas.

CAP. III.

De quæstoribus provinciarum, & eorum ministris.

HACTENUS de præsidibus, & eorum comitibus dictum sit, nunc de quæstore, qui alter fuit provinciæ magistratus, dicamus. Ne-

que enim quæstor eo jure in provincia versatus est, quo legatus. ille enim potestatem a prætore, hic a populo accepit; ille eam, quæ fuit prætoris, hic longe a prætoria separatam nactus est; ille apud prætorem assecla, hic filii locum obtinuit. In singulas enim provincias singuli quæstores mittebantur, præterquam in Siciliam. quæ, cum duplex fuisset provincia, vetus, & nova, duos etiam habuit quæstores, ut dixi; unum, qui Lilybæi curabat, alterum, qui Syracusis. Legebantur autem eo modo, quo præsides. nam cum legitimus in annum quæstorum numerus populi suffragiis esset creatus, jubebat senatus, ut provincias in sortem conjicerent. provinciæ vero duæ erant urbanæ, eorum, qui ærario populi Rom. præessent; reliquæ fere provinciales, eorum, qui cum consulibus, aut cum prætoribus in provincias irent. Quod Cicero declarat scribens ad fratrem: *Referebatur de provinciis quæstorum, & ornandis prætoribus*. & in Verrem: *Quæstor ex S. C. provinciam sortitus es. obtigit tibi consularis*. iterum ad fratrem: *Quæstorem habes non tuo judicio delectum, sed eum, quem sors dedit*. Quemadmodum autem præsides non semper provincias ex S. C. sorte, sed aliquando lege obtinuerunt, sic eas non semper quæstores ex S. C. sortiti sunt, sed aut S. C. aut lege aliqua extra ordinem nominatim adepti sunt. Atque hoc docuit Livius libro XXX. cum Scipionem Lælii quæstoris extra sortem ex S. C. usum opera in Africa, scripsit; significavit in orationibus in Antonium Cicero, cum dixit: *Quæstor es factus, deinde continuo sine S. C. sine sorte, sine lege ad Cæsarem cucurristi*; & in epistolis ad Atticum: *Pompejus Q. Cassium quæstorem sine sorte delegit, Cæsar Antonium. ego Cœlium sorte datum offenderem?* Ut autem quæstor a populo declaratus provinciam aut a senatu, aut a populo accepit, sic proquæstor ejusmodi procurationem neque senatui, neque populo, sed uni præsidi, a quo ascitus est, debuit. Qui enim mortuo quæstore præsidi ipsi quæstoris loco esse cœpit, is proquæstor appellatus est, ut Verres Dolabellæ Ciliciæ proconsuli. de quo Cicero: *C. Malleolo, quæstore Dolabellæ, occiso Verres a Dolabella statim pro quæstore jussus est esse*. Invenio etiam in provincia Gallia citeriore Cn. Carbonem consulem non solum quæstorem, sed etiam proquæstorem habuisse; idque in libro de jurisdictione. in quo scriptum est, Verrem Carbonis quæstorem *retulisse, se pecuniam dedisse stipendio, frumento, legatis, proquæstori, cohorti prætoriæ*. atque eam quoque lectionem probatus in primis interpres agnoscit Asconius, cum *legatis, & proquæstori alimenta de publico data*, inquit; ex quo apparet, proquæstorium gradum, maxime præsente quæstore, multo, quam quæstorius fuerit, fuisse inferiorem, cum proquæstor a quæstore ipso alimenta acceperit.

Jam vero separatam fuisse quæstoris, ac præsidis potestatem, tum cognoscetur, cum præsidem privatas, ac publicas controversias, quæ aut a jure civili, aut a legibus proficiscerentur, dijudicasse, quæstorem vero propria administratione pecuniam, prædamque publicam curasse, ac tabulas publicas confecisse, probabimus.

Nam filii, quam dixi, necessitudinem quæstori cum suo præside intercessisse, multis in locis testatus est Cicero. quorum tres non gravabor afferre. In divinatione in Cæcilium: *Sic a majoribus nostris accepimus, prætorem quæstori suo parentis loco esse oportere. nullam neque justiorem, neque graviorem caussam necessitudinis posse reperiri, quam conjunctionem sortis, quam provinciæ, quam officii, quam publici muneris societatem. quamobrem si jure eum posses accusare; tamen, cum is tibi parentis numero fuisset, id pie facere non posses*. & de jurisdictione: *Tu, cum quæstor ad exercitum missus sis, custos non*

A *solum pecuniæ, sed etiam consulis, particeps omnium rerum consiliorumque fueris, habitus sis in liberum loco, sicut mos majorum ferebat, repente relinquas*. in epistolis: *Cum ad te tuus quæstor M. Varro proficisceretur, commendatione egere non putabam. satis enim commendatum eum tibi arbitrabar ab ipso more majorum, qui hanc quæsturæ conjunctionem liberorum necessitudini proximam voluit esse*.

Cum ergo talis quæstor esset, propterea & scribis erat, & lictoribus insignitus; scribis ad conficiendas tabulas publicas, lictoribus ad majestatem magistratus tuendam. De utrisque auctor est Cicero in orationibus in Verrem: *Nuper, Hortensi, quæstor fuisti. quid tui scribæ fecerint, tu potes dicere: ego de meis hoc dico. cum in eadem ista Sicilia pro frumento civitatibus pecuniam solverem, mecum duos scribas haberem, non modo istas duas quinquagesimas, sed omnino nummum nullum cuiquam esse deductum*. item: *Quæstores utriusque provinciæ, qui isto prætore fuerunt, cum fascibus mihi præsto fuerunt*. & in Planciana: *Plancius quæstor, simul ac Dyrrhachium me tetigisse audivit, statim ad me lictoribus dimissis, insignibus abjectis, veste mutata profectus est, ac Thessalonicam me, in Quæstoriumque perduxit*. Atque hæc quidem de præsidibus, & quæstoribus, eorumque ministris, tum qui ipsi essent, tum quemadmodum legerentur, dicta sint. Nunc reliquum est, ut eos, posteaquam instruximus, aliquando in provinciam deducamus, ac, quonam modo se ibi gesserint, exponamus.

B

C

CAP. IV.

De profectione præsidum, & quæstorum in provinciam.

UBI ergo provinciam senatusconsulto, atque in ea imperium lege præsides obtinuerant, tum vero aut sponte sua, aut senatusconsulto paludati exibant. Verum ante, quam id facerent, in Capitolium venientes ibi solemnia pro rep. vota nuncupabant, atque inde paludamento, lictoribus, insignibusque imperii ceteris assumptis, recta ad portam urbis ibant. ad quam veteri instituto salutati, inde aut continuo amicis officii caussa aliquanto viæ spatio prosequentibus, ac bene ominantibus, in provinciam iter ingrediebantur, aut si quid negotii in urbe haberent, ad urbem per aliquot dies, aut menses manebant, quod cum imperio in urbe esse non possent. Ac senatusconsulti quidem, quo ire jubebantur, admonet nos Cœlius: *Consules, quia verentur, ne S. C. illud fiat, ut paludati exeant, omnino senatum haberi nolunt*. De solemni vero votorum nuncupatione, & illustri eorum ex urbe egressione docet Livius, maxime bello Persico: *Per eos dies P. Licinius consul, votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab urbe est profectus. Semper ea quidem res magna cum dignitate, ac majestate geritur. præcipue convertit oculos, animosque, cum ad magnum, nobilemque aut virtute, aut fortuna hostem euntem consulem prosequuntur. Contrahit enim non officii modo cura. sed etiam studium spectaculi, ut videant ducem suum, cujus imperio, consilioque summam reipubl. tuendam permiserunt*. & alibi in eodem. *Consul proficiscens, prætorve paludatis lictoribus in provinciam, & ad bellum vota in Capitolio nuncupat*. & libro XLI.: *Cum is more majorum secundum vota in Capitolio nuncupata lictoribus paludatis profectus ab urbe esset*. Cicero de Verre prætore Siciliæ: *Cum paludatus exisset, votaque pro imperio suo, communique populi Rom. nuncupasset, noctu stupri caussa lectica in urbem introferri solitus est ad mulierem, contra fas, contra auspicia, contra omnes divinas, atque humanas religiones*. & in

D

E

F

Pisonem: *Cum proficiscebamini paludati in provincias, consules vos quisquam putavit? itaque, credo, si minus frequentia sua vestrum egressum ornando, atque celebrando, at omnibus saltem bonis, ut consules, non tristissimis, ut hostes, prosequebantur*. & aliquanto uberius etiam Cæsar: *In reliquas provincias prætores mittuntur, neque expectant, quod superioribus annis non acciderat, ut de eorum imperio ad populum referatur, paludatique votis nuncupatis exeunt. consules, quod ante id tempus acciderat nunquam, ex urbe proficiscuntur, lictoresque habent in urbe ex Capitolio privatim, contra omnia vetustatis exempla*. Itaque paludamentum Cæsar vestem imperatoriam, Plutarchus prætoriam, Dio militarem vocavit, cum de Pompejo Pharsalico prælio excedenti loquuti sunt. Ac purpureum quidem ipsum fuisse, etiam Plutarchus ostendit, cum scripsit: *Fertur eo die Crassus, non purpurea, ut prætorum Romanorum mos est, sed pulla veste ad milites processisse*. & Silius, cum de Scipione dixit: *At contra ardenti radiabat Scipio cocco*. Unde merito Plinius quoque libro XXVII. *coccum imperatoris paludamentis dicatum fuisse* prodit. Varro libro VI. de ling. Lat. *Paludamenta sunt insignia, & ornamenta militaria. ideo ad bellum cum exit imperator, ac lictores mutant vestem, & signa incinuerunt, paludatus dicitur proficisci, quæ propterea quod conspiciuntur, qui ea habent, ac fiunt palam, paludamenta dicta*. Paludamentum autem, quo consules, ac prætores in provinciam exeuntes amicti fuere, *pallium*, teste Isidoro, *fuit imperatorium, cocco, purpura, & auro distinctum. dictum, quod eo indutus palam faceret imperator, se ad bellum exire*. Hinc prætextam, aut togam paludamento mutare, fuit ex magistratu, aut ex privato ad bellum, & in provinciam ire, quorum illud usurpavit Plinius in Panegyrico: *Gestus est consulatus non in hoc urbis otio, sed juxta barbaras gentes, ut illi solebant, quibus erat moris, paludamento mutare prætextam*; hoc vero Salustius, teste Isidoro: *Togam paludamento mutavit*. Quod autem dixi, præsides ad portam salutatos, id apud Festum his verbis scriptum reperi: *Prætor ad portam nunc salutatur is, qui in provinciam pro prætore, aut pro consule exit. cujus rei morem ait fuisse Cincius in libro de consulum potestate talem. Albanos rerum potitos usque ad Tullum regem. Alba deinde diruta usque ad P. Decium Murem consulem populos Latinos ad caput Ferentinæ, quod est sub monte Albano, consulere solitos, & imperium communi consilio administrare. itaque quo anno Romanos imperatores ad exercitum mittere oportet, jussu nominis Latini, complures nostros in Capitolio a sole oriente auspiciis operam dare solitos. Ubi aves addixissent, militem illum, qui a communi Latio missus esset, illum, quem aves addixerant, prætorem salutare solitum, qui eam provinciam obtineret prætoris nomine*. Eundem autem præsidem ad portam, atque ad urbem per plures, si placuisset, dies esse potuisse, testatur Asconius, cum scribit: *Ad urbem dici solet, de iis, qui cum potestate provinciali nondum in provinciam profecti essent*. & alibi: *Horum magna pars per tabulas laudaverunt, quia aberant. inter quos Pompejus quoque: nam, quod erat pro consule, extra urbem morabatur*. Significat autem tempus, cum Pompejus Hispanias ex consulatu secundo adeptus per legatos administrabat, atque ipse ad urbem manebat. qua de re in hunc modum Dio: *Pompejus, populo extra pomerium evocato, (neque enim proconsulare jam habens imperium poterat urbem ingredi) multa pro Gabinio locutus est*. unde Cicero in Sextiana: *Erat Cæsar ad portas, erat cum imperio*. & de Verre prætore Siciliæ: *Verres, simul atque ei sorte provincia Sicilia evenit, statim Romæ, & ad urbem, antequam proficisceretur*. Nebue vero illud hoc loco prætereundum videtur, ut senatus consulto exire consules jussi sunt, sic, ne irent, tribunorum pl. edicto, aut dirarum obnunciatione prohiberi potuisse. Itaque M. Crassus, cum P. Attejo primum edicenti, deinde obnuncianti non paruisset, ipse post, ac filius cum Parthis dimicans justas dedisse pœnas existimatus est.

Verum ubi iter in provinciam jam præses erat ingressus, moris fuit, ut præsidem, cui succedebat, de adventu suo faceret certiorem; scilicet, ut cum eo congrediens de statu cognoscere provinciæ posset. atque hoc lege potissimum Cornelia a Sylla dictatore relatum existimo, cum verba Ciceronis Appium, cui in provincia succedebat, de itinere suo admonentis intueor. Unde illa ex itinere: *Ut habere rationem possis quo loco me salva lege Cornelia convenias, in provinciam veni pridie Kal. Sext.* Quod eleganter non ad suorum magis, quam ad vetustorum temporum rationem descripsit Ulpianus de officio proconsulis. *Antequam proconsul*, inquit, *fines provinciæ decretæ sibi ingressus sit, edictum debet de adventu suo mittere, continens commendationem aliquam sui, si qua ei familiaritas sit cum provincialibus, vel conjunctis, & maxime excusans, ne publice, vel privatim occurrant ei. esse enim congruens, ut unusquisque in sua patria exciperet. Recte autem, & ordine faciet, si edictum decessori suo miserit, significetque, quo die sit ingressurus. plerumque enim incerta hæc, & inopinata turbant provinciales, & actus impediunt*. Quo vero die in provinciam accedebat, eodem provincialis muneris, imperiique initium capiebat. Unde Cicero tam sæpe diem pridie K. Sextil. usurpat, quo die in provinciam venisset, & sibi ex S. C. decedendum esset. Quod autem dixi de præside, idem etiam in quæstore servatum esse apparet. Quoniam autem non semper quæstor cum suo præside in provinciam profectus est, verum sæpe, aut multo ante, aut multo post eum in provinciam venit. fieri potuit, non ut idem semper quæstorii muneris ineundi dies fuerit, ac prætorii. quod ubi evenit, simul illud etiam contingere potuit, ut duos quæstores præses unus eodem anno deinceps habuerit, ut Cicero Rufum, & Cœlium, & duos præsides quæstor unus, ut qui in Sicilia Verre, ac Metello prætoribus quæstores fuerunt. Quod declaravit Cicero, cum de Metello post Verrem Siciliam obtinente loquitur. *Quæstores utriusque provinciæ, qui Verre prætore fuerant, cum fascibus mihi præsto fuerunt*.

CAP. V.

De potestate præsidum, & in primis de jurisdictione.

POSTQUAM ergo provinciam præsides suam attigerant, tum demum provinciale officium, cujus caussa venerint, aggrediebantur. officium autem eorum in duas partes fuit, ut diximus, distributum, potestatem, & imperium. Potestas fuit facultas cognoscendi, imperium exercitui imperandi, bellumque gerendi. quorum alterum pacis, alterum belli temporibus congruit. Hæc autem duo munera longe inter se, ut fine, sic tractatione diversa ita coluerunt, ut æstatem fere rei militari, hiemem prætoriæ cognitioni, quæ in jurisdictione potissimum est versata, dicarent. Atque hoc cum aperte in Institutionibus docuit non contemnendus auctor Theophilus, tum significavit etiam non obscure Hirtius, cum scripsit, *Cæsarem proconsulem, legatis hibernis præpositis, ipsum in citeriorem Galliam ad conventus agendos contendisse, & Longinum Hispaniæ ulterioris pro prætore relictum legionibus in hiberna dispositis ad jus dicendum se Cordubam contulisse*. Quo factum est, ut Cicero Ciliciam proconsule administrans, & in eodem item instituto per-

A to permanens, sic ad Atticum scripserit: *Erat mihi in animo recta proficisci ad exercitum, æstivos menses reliquos rei militari dare, bibernos jurisdictioni.* & ad Cœlium: *Mihi erat in animo, quoniam jurisdictionem confeceram, proficisci in Ciliciam Nonis Maii; & cum primum æstiva attigissem, militaremque rem collocassem, decedere.*

Quoniam autem horum officiorum neutrum tueri, nisi variis itineribus per provinciam faciendis, non potuerunt, (siquidem neque jus omnibus reddere, neque rem frumentariam tractare, neque rei militari servire, nisi provinciam obeundo licuit,) primum de itineribus præsidum provincialibus, B deinde de potestate, postremo de imperio disputabimus. Primis ergo temporibus iter facere præsides Romani ita per provinciam consuerunt, ut nihil sociis adventus sui caussa imperarent, neque ullis aut oneri, aut sumptui essent; verum in omnibus rebus modeste, atque abstinenter se gererent; quippe qui hospites etiam privatim haberent, ad quos plerumque diverterent. post autem gliscente libidine sociis usque adeo incommodi esse cœperunt, ut multorum adventus parum ab hostili impressione differret. quocirca multis legibus eorum constringenda libido fuit. quæ quid cuique prætori a sociis, & C provincialibus dandum, quidve a prætore imperandum esset, præscriberent, ut tectum, lecti, ligna, sal, fœnum, & cetera ejusmodi, quæ repente adveniente prætore commode parari ab ipsius comitatu non poterant. Hujus autem rei primam memoriam invenio apud Livium, anno urbis quingentesimo quinquagesimo sexto, Cornelio, Minucioque consulibus. *Sardiniam*, inquit, *M. Porcius Cato obtinebat. fugati ex insula fœneratores, & sumptus, quos in cultum prætorum socii facere soliti erant, circumcisi, aut sublati.* alteram vero anno quingentesimo octogesimo, Postumio, Popillioque consulibus. *Postumius*, inquit, *iratus Prænestinis, priusquam* D *ab Roma proficisceretur, litteras Præneste misit, ut sibi magistratus obviam exiret, locum publice pararet, ubi diverteretur, jumentaque, cum exiret inde, præsto essent. Ante hunc consulem nemo unquam sociis in ulla re oneri, aut sumptui fuit. ideo magistratus mulis, tabernaculisque, & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis. privata hospitia habebant. apud quos ipsis diverti mos esset. Legati, qui repente aliquo mitterentur, singula jumenta per oppida, iter qua faciundum erat, imperabant. aliam impensam socii in magistratus Romanos non faciebant. Injuria consulis, & silentium ni*E*mis aut modestum aut timidum Prænestinorum, jus, velut probato exemplo, magistratibus fecit, graviorum in dies talis generis imperiorum.* Ut autem postea huic malo in dies ingravescenti remedium aliquod afferretur, leges inde multæ de repetundis sunt pro sociis adversus provinciarum præsides latæ. quarum primam tulit Lucius Calpurnius Piso in tribunatu, anno DCIV, ut scribit in Bruto Cicero. Inde sequutæ aliæ, Junia, Servilia, Acilia, Cornelia, & ultima Julia, quæ singulæ vel pœnam graviorem, vel caput aliquod superioribus adjecerunt. Lex autem Julia, quam Cæsar in primo consulatu tulit, præter cetera, quid dari, quid accipi oportere F ret, præcepit. Quam quidem se Cicero servasse in proconsulatu Ciliciæ, cum Attico gloriatus est: *Sed tu aliquid*, inquit, *de me scire fortasse mavis. hæc sunt. Adhuc sumptus nec in me aut publice, aut privatim, nec in quenquam comitum. nihil accipitur lege Julia. nihil ab hospite. persuasum est omnibus meis, serviendum esse famæ meæ.* item: *Levantur miseræ civitates, quod nullus sumptus fit in nos, neque in legatos, neque in quæstorem, neque in quenquam. Scito non modo nos fœnum, aut quod lege Julia dari solet, non accipere, sed ne ligna quidem, nec præter quatuor lectos, & tectum quenquam accipere quidquam, multis locis ne tectum quidem; & in tabernaculo manere plerumque.* & alibi: *Cave putes quidquam homines magis unquam esse miratos, quam nullum teruncium, me obtinente provinciam, sumptus esse factum nec in remp. nec in quenquam meorum.* Quin etiam alio loco se Laodiceæ Andronem Artemonis filium hospitem habuisse scribit, rogatque P. Servilium Asiæ proconsulem, ut & ipse eum dignum hospitio suo judicet. Nam quid dicam, ut prætoribus, si quo navigandum esset, publice etiam navigia data sint? ostendunt illa in Verrem: *Quid tibi navi opus fuit? qui, si quo publice proficiscereris, & præsidii, & vecturæ caussa sumptu publico navigia præberentur? privatim autem nec proficisci quoquam potes, nec accersere res transmarinas ex iis locis, in quibus tibi babere, mercari nihil licet.* significat autem id, quod alio loco posuit, *prætori in provincia nihil emere, nisi mancipium in demortui locum, licuisse.* Unde merito laudavit idem fratrem suum Quinctum, quod in Asia commodum se sociis prætor præberet. *Quid tam eximium esse potest*, inquit, *quam non itineribus tuis perterreri homines; nos sumptu exhauriri, non adventu commoveri; esse, quocunque veneris, & publice & privatim maximam lætitiam, cum urbs custodem, non tyrannum; domus hospitem, non expilatorem recepisse videatur?* Atque etiam propterea instituti ministri quidam erant, qui, quæ lege continebantur, præberent, Græco vocabulo Parochi nominati, quorum meminit Horatius:

> *Proxima Campano ponti quæ villula lectum*
> *Præbuit, &, parochi quæ debent, ligna salemque.*

Itinerum ratione perspecta, sequitur, ut de potestate agamus, quæ cognitionem, & curationem amplexa est. Prætoria vero cognitio una domestica fuit, altera popularis; domestica intra prætorium, & in cubiculo querelis provincialium audiendis, ministrante atque admittente cubiculario, est consumpta; popularis in basilica, atque in tribunali, scribis, accensis, præconibus, & lictoribus apparentibus. Utriusque vero meminit Cicero, scribens ad fratrem: *Constare inter omnes video facillimos esse aditus ad te, patere aures tuas querelis omnium, nullius inopiam ac solitudinem non modo illo populari accessu, ac tribunali, sed ne domo quidem tua, ac cubiculo exclusam.* & de se ad Atticum: *Aditus ad me minime provinciales. nihil per cubicularium. ante lucem inambulabam domi, ut olim candidatus.* Atque hoc idem sine dubio voluit Hirtius, cum de Longino proprætore Hispaniæ scripsit: *Nullum genus quæstus prætermittebatur, quo domus, & tribunal imperatoris vacaret.* Utramque autem potestatem non ante, quam provinciam suam attigissent, neque alibi, quam in provincia sua, exercere poterant. Unde illud est Ulpiani titulo de off. proconsulis: *Proconsul ubique quidem proconsularia insignia habet statim, atque urbem egressus est, potestatem autem non exercet, nisi in ea provincia sola, quæ ei decreta est.*

Ut autem hanc potestatem exercere commode possent, institutum erat, ut præses, posteaquam in provinciam venerat, in aliquam civitatem, aut in plures ex iis, in quibus conventus agi solebat, conventum, sive forum in certam diem edicto indiceret, eoque provinciales homines evocaret. atque ita aut uno in oppido plures conventus; aut in singulis singulos agebat, atque omnes percurrebat. Indictos autem ante fuisse a prætore conventus, indicat Livius, cum bello Macedonico de Sicilia ita quendam loquentem inducit: *Siculorum civitatibus Syracusas, aut Messanam, aut Lilybæum indicitur concilium a prætore Romano, conventus agitur. eo imperio evocati conveniunt.* quo eodem respexit quoque Virgilius hoc versu: *Indicitque forum*,

& patribus dat jura vocatis. Jam vero in uno oppido plures, aut in singulis singulos actos, docet Cicero; qui cum per annum in Cilicia fuisset, primum se in singulis fere conventibus jus dixisse, deinde Laodiceæ quinque conventus egisse, scripsit. Nam in provinciam accedens ita scribit: *Laodiceam pridie Kal. Sext. venimus. ibi morati triduum perillustres fuimus. dein Apameæ quinque dies, Synnadis triduum, Philomeli quinque dies, Ionii decem fecimus. nihil ea jurisdictione æquabilius*. Post autem cum foro Tarsi in Cilicia peracto, in Asiam ad secundos conventus agendos rediret, ita scribit: *Ego æstivis confectis, Q. fratrem hybernis & Ciliciæ præfeci. ipse in Asiam profectus sum Tarso Nonis Januarii maxima admiratione Ciliciæ civitatum, maximeque Tarsensium. postquam vero Taurum transgressus sum, mirifica expectatio nostrarum Asiæ diœceseum, quæ sex mensibus imperii mei nullas meas acceperant litteras. Idibus Februar. forum institueram agere Laodiceæ Cibyraticum, & Apamense; ex idibus Martiis ibidem Synnadense, Pamphylium, Isauricum*. Ex his enim apparet, ipsum primo Laodiceæ, Apameæ, Synnadis, Philomeli, & Iconii, sigillatim conventus egisse, (unde questus est etiam cum Appio decessore suo, iisdem diebus Appium conventum Tarsi egisse, quibus ipse suum Apameæ, Synnadis, & Philomeli, peregerit.) post autem harum quinque diœceseum conventum in uno oppido egisse Laodiceæ. Quod confirmavit magis, cum scripsit alibi ad Atticum, *forum se egisse ex Idibus Februariis Laodiceæ ad Kal. Maii omnium diœcesium præter Ciliciæ*. Frequentius tamen singulos conventus a prætore perlustratos fuisse existimo, atque id quoque fuisse ad provinciæ rationes accommodatius. Hoc autem ex Hirtio colligo, qui ita scriptum reliquit: *Cæsar in Gallia citeriore jus dixit, ac paucos ibi dies moratus, cum celeriter omnes conventus percurrisset, publicas controversias cognovisset, in Belgium se recepit*: & ex Sulpicio Achajæ prætore, qui de se ad Ciceronem ita: *Cum Athenis in Bœotiam irem, ut reliquam jurisdictionem absolverem*. & ex ipso Cicerone in Verrem: *Nullum oppidum in Sicilia fuit ex iis oppidis, in quibus prætores consistere, & conventum agere solent, quo in oppido non Verri delecta ad libidinem mulier esset*. Unde idem scripsit ad Thermum Asiæ prætorem: *Peto a te, ut si quid habebit Genucilius cum aliquo Hellespontio controversiæ, in illam διοίκησιν rejicias*.

Cum autem conventibus indictis, & convocatis, alia domi, alia in foro cognoscerent; quæ quidem domi transigebantur, ea fere per diplomata annulo obsignata perficiebantur. Unde dixit Cicero in Pisonem: *Mitto diplomata tota in provincia passim data*. & Plinius prætor Bithyniæ ad Trajanum: *Usque in hoc tempus, domine, nemini diplomata commodavi*. Ex quo divinitus illa Q. fratri de annulo sunt præcepta: *Sit annulus tuus non ut vas aliquod, sed tanquam ipse tu; non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ*. Quæ vero in foro cognita sunt, ea totam jurisdictionem complexa sunt. Jurisdictio autem nihil aliud fuit, quam potestas juris ejus reddendi, quod legibus contineretur, de privatis controversiis, & criminibus publicis, aut provincialibus hominibus, aut civibus Romanis in provincia ipsa versantibus, quoties existeret, qui illud posceret. Ac quæ quidem privatæ fuerint, (de his enim prius agemus, quia in his potissimum collocata jurisdictio fuit) ex longa veterum Jurisconsultorum in hac potissimum re laborantium disputatione repetendum videtur, quorum ingenio constitutum est, earum alias ad personas, alias ad res & earum adquisitiones, alias ad obligationes pertinere. Leges autem fuerunt, aut quas imperator ab initio ex decem legatorum sententia dederat, aut postea e re nata consules, aut tribuni pl. tulerant. quibus etiam attexenda senatus consulta sunt. ut lex Rupilia de judiciis apud Siculos, quam P. Rupilius ex decem legatorum sententia tulit, & Terentia Cassia de emendo in Sicilia frumento, quæ a consulibus Terentio, Cassio, post in gratiam Siculorum est lata. ut senatus consultum illud Lentulo, Philippoque consulibus, *Ut qui Ciliciam obtineret, jus de centesimis usuris ex syngrapha diceret*. quorum omnium Cicero meminit. Quod autem scripsi, jus dictum esse provincialibus, ex eo numero liberos populos eximi oportet, quibus jus dici non licuit. quod ex Pisoniana cognoscitur: *Omitto*, inquit, *jurisdictionem in liberam civitatem contra leges, senatusque consulta*. item: *Tu emisti grandi pecunia, ut tibi de pecuniis creditis jus in liberos populos contra senatus consulta, & contra legem generi tui dicere liceret*. Quos vero cives in provinciis versatos dixi, ii fere, ut supra scripsi, aut aratores, aut publicani, aut negotiatores fuerunt, quibus non minus, ac sociis ipsis, jus dictum est. Unde illud in Verrem: *Præclara clausula edicti, quod omnium controversiarum, quæ essent inter aratorem, & decumanum, edicit se recuperatores daturum*.

Cum ergo jurisdictio reddendi juris potestas fuerit, quod in legibus contineretur, legibus autem omnia comprehendi non potuissent, factum est, ut multa edictis ipsis prætoriis sint permissa. siquidem ut prætores urbani Romæ magistratum ineuntes edicta proposuerunt, ex quibus jus se dicturos esse, professi sunt; sic præsides in provincias ingressi & ipsi sua edicta singulis de rebus diligenter scripta ediderunt, ad eaque postea totam jurisdictionem suam accommodarunt. Atque hæc quidem si ex urbanis aut provincialibus edictis sumpsissent, translatitia; sin minus, nova dicebantur. Hanc autem doctrinam huic disputationi intelligendæ apprime necessariam elicere potissimum ex Ciceronis epistolis possumus, ubi ipse proconsul de suis Ciliciensibus edictis agit cum Attico. *De Bibuli*, inquit, (hic erat Syriæ proconsul) *edicto nihil novi, præter illam exceptionem, de qua tu ad me scripseras: nimis gravi præjudicio in ordinem nostrum. ego tamen habeo ἰσοδυναμοῦσαν, sed tectiorem ex Q. Mucii edicto Asiatico*: EXTRA QUAM *si ita negotium gestum est, ut eo stari non oporteat, ex fide bona. multaque sum sequutus Scævolæ. in iis illud, in quo sibi libertatem Græci censent datam, ut Græci inter se disceptent suis legibus. breve autem edictum est propter hanc meam διαίρεσιν, quod duobus generibus edicendum putavi. quorum unum est provinciale, in quo est de rationibus civitatum, de ære alieno, de usura, de syngraphis, in eodem omnia de publicanis; alterum, quod sine edicto satis commode transigi non potest, de hereditatum possessionibus, de bonis possidendis, magistris faciendis, bonis vendendis, quæ ex edicto & postulari, & fieri solent; tertium de reliquo jure dicendo, ἄγραφον reliqui. dixi me de eo genere mea decreta ad edicta urbana accommodaturum*. & ex epistolis ad Appium, de iisdem: *Romæ composui edictum, nihil addidi, nisi quod publicani me rogarunt, ut de tuo edicto totidem verbis transferrem in meum. diligentissime scriptum caput est, quod pertinet ad minuendos sumptus civitatum. quo in capite sunt quædam nova, salutaria civitatibus, quibus ego magnopere delector. hoc vero, ex quo suspicio nata est, me exquisivisse aliquid, in quo te offenderem, tralatitium est*. item: *Interim cum ego in edicto translatitio, centesimas me observaturum, haberem, cum anatocismi anniversario*. Quin etiam in edictis non illa solum comprehensa sunt, quibus de rebus prætor cogniturus esset, sed etiam de quibus judicium daturus, & quo modo. Unde illa extiterunt in Verrem: *Edictum hominis cognoscite. si quis perperam judicasset, se cogniturum; cum cognosset, ani-*

madversurum. item: *Dicit, se in decumanum, si plura sustulerit, quam debitum sit, in octuplum judicium daturum esse*. item: *Qui in decumanos octupli judicium se daturum edixit, idem habuit in edicto, se in aratorem in quadruplum daturum*. item: *Illa vero praeclara clausula edicti, quod omnium controversiarum, quae essent inter decumanum & aratorem, si uter velit, edicit se recuperatores daturum*. Neque vero praetereundum illud est, improbe factum judicatum esse, si quis aliqua de re aliter in provincia, atque in urbe edixisset; aut aliquod edictum contra leges provinciae fecisset; aut contra edictum suum jus dixisset. Nam ni ita esset, profecto nunquam Cicero in accusatione Verris posuisset, quod praetor urbanus de hereditatibus aliquid scripsisset in urbano edicto, quod postea de provinciali demisset, & quod contra leges Siculis datas edixisset. aut certe non ita de se ad Atticum scripsisset: *Cum ego in edicto translatitio, centesimas me observaturum, haberem, cum anatocismi anniversario, ille ex syngrapha postulabat quattuor. quid ais? inquam possumne contra meum edictum?*

Cum ergo jurisdictio ab edicto universa penderet, nunc quo modo, proposito edicto, eam exercuerint, differamus. Exercuerunt autem aut coercendo, aut statuendo. de coercitione cum jurisdictione conjuncta intellexit etiam Paulus titulo de officio ejus, cum scripsit: *Jurisdictio sine modica coercitione nulla est*. Coercuisse autem dicti sunt, vel cum citari, vel cum prehendi jusserunt. Itaque coercitionis insignia, ac prope instrumenta fuerunt, accensus, & lictor, ille ad citandum, hic ad summovendum, & prehendendum tributus. De quibus noster ille ad fratrem: *Nuper C. Octavius in Macedonia jucundissimus fuit. apud quem primus lictor quievit, tacuit accensus, quoties quisque voluit, dixit, & quam voluit, diu*. Recte: fuit enim accensi officium, accire, qui jus poscerent, aut diutius, quam oporteret, loquentibus silentium imponere; lictoris non prehendere solum ac ducere, sed etiam summovere atque aliquando etiam loquentem cohibere. Unde illa Livii extitere de Paulo Æmilio in Macedonia: *Ubi is dies venit, quo adesse Amphipoli denos principes civitatum jusserat, cum decem legatis in tribunali consedit. Assuetis regio imperio, tamen novam formam terribilem praebuit tribunal, summotor aditus, praeco, accensus, insueta omnia oculis, auribusque*. & illud Suetonii in libro de claris dicendi magistris: *Albutius Silus in cognitione caedis Mediolani apud L. Pisonem proconsulem defendens reum, cum cohiberent lictores nimias laudantium voces, ita excanduit, ut Italiae statum deploraret, quasi iterum in formam provinciae redigeretur*.

Statuendi vero locus fuit Basilica, & tribunal; ministri scribae, praecones, & lictores. de Basilica Hirtius in Alexandrino: *Longinus ex concione se Cordubam recepit, eoque ipso die meridiana hora cum in Basilicam iret, interfectus est*. Tribunal suggestus editior erat, unde conspici magistratus ab omnibus poterat, in quo sella curulis, jurisdictionis insigne, locata erat, ubi sedens praetor cognoscebat, & pronunciabat. Unde apud Livium dixit Minio: *Siculi in conventu imperio praetoris evocati praetorem excelso in suggestu superba jura reddentem, stipatum lictoribus vident, virgae tergo, secures cervicibus imminent*. & Cicero in Verrem: *Satisne vobis praetori improbo circundati cancelli videntur in sua provincia, immo vero in sella, ac tribunali?* item: *Contentus hac iniquitate praetor non fuit. palam de sella, ac tribunali pronunciat*. item: *Quamobrem scriba deducat, ac non potius mulio, qui adduxerit? tabellarius, cujus adventu certiores facti petiverunt? praeco, qui adesse jussit? viator, ac Venerius, qui fiscum sustulit? quae pars operae, atque opportunitatis in scriba est, cur ei tanta merces detur? ordo est*

A *honestus, quod eorum hominum fidei tabulae publicae, periculaque magistratuum committuntur*. Ex quibus item, quae scribarum, quae praeconum, quae tabellariorum partes apud praetorem provinciae fuerint, declaratur.

Porro autem statuendi partes duae fuerunt, decretum una, judicii datio altera. Decreta sententiae praesidum fuerunt sine judicum consilio singulis de rebus interpositae. decernere autem dicebatur praetor, cum manumitti, emancipari apud se permittebat, cum possessionem ex edicto dabat, cum tutorem dicebat, cum bona addicebat, & omnino cum ipse sine judice rem & cognoscebat, & de ea
B pro suo judicio statuebat. talem autem praesidis fuisse cognitionem, & ut sine judice statueret, & judicibus rem statuendam permitteret, ostendit Callistratus aperte, cum inquit: *Quoties princeps ad praesides provinciarum remittit negocia per rescriptiones, veluti: Eum, qui provinciae praeest, adire poteris. vel cum hac adjectione: Is aestimabit, quid sit suarum partium: is aestimare debet, utrum ipse cognoscat, an judicem dare debeat*. Atque hoc idem etiam florente populo observatum apparet ex iis, quae Cicero scribit in Verrem: *An dubitabit quisquam, quin is venalem in Sicilia jurisdictionem ha-*
C *buerit, qui Romae totum edictum, atque omnia decreta vendiderit: & quin ab Siculis ob decreta interponenda pecuniam acceperit, qui M. Octavium ob jus dicendum poposcerit*. Atqui ille M. Octavio bonorum possessionem ademerat. item: *Verris decreta ejusmodi. Si non accepit, quod te debere dicit, accuses; si petit, ducas*. item: *Controversiae secreto deferebantur, paulo post decreta auferebantur*. item: *Abs te judicium postulatur; quid decernis? recuperatores dicis te daturum*. & pro Flacco: *Praetor Asiae pro sua aequitate, prudentiaque decrevit, ut si judicatum negaret, in duplum iret: si metu coactos diceret, haberet eosdem recuperatores*. item ad
D Atticum de se proconsule: *Si Brutus putabit, me quaternas centesimas oportuisse decernere, qui in tota provincia singulas observarem, itaque edixissem, accipiam dolorem*. & ad Thermum Asiae praetorem: *Peto a te, si intellexeris, eos neque ex edicto, neque ex decreto pecuniam depositam habuisse, des operam, ut usurae Cluvio instituto tuo conserventur*. Decreta vero Latino sermone pronunciabantur. Itaque ob eam caussam interpretes habebant, ut Verres A. Valentinum in Sicilia, ut Cicero in quinta in Verrem scripsit.

Judicia vero sententiae fuerunt, quas judices a
E praetore litigatoribus judicium postulantibus dati re cognita tulerunt. quod docuisse videtur is, qui Herenniana Rhetorica scripsit, cum dixit, *judicatum esse id, de quo aut sententia lata, aut decretum interpositum esset*. neque enim dubium est, quin his verbis & praetoris, & judicum cognitionem exprimere voluerit. Dabatur autem judicium a praeside eo modo, quo postulabatur, id est, aut ex lege provinciae, aut ex edicto praetoris, si quid, quod abesset a lege, commodi contineret. Ac ex lege quidem, ut Rupilia apud Siculos, in qua scriptum fuit: *Ut quod civis cum cive ageret, domi certaret suis legibus. quod Siculus cum Siculo non ejusdem civitatis, ut de eo*
F *praetor judices ex lege Rupilia sortiretur. quod privatus a populo peteret, aut populus a privato, senatus ex aliqua civitate, qui judicaret, daretur, cum alternae civitates rejectae essent. ceterarum rerum selecti judices ex civium Romanorum conventu proponi solebant, inter aratores, & decumanos lege frumentaria. quam Hieronicam appellabant, judicia fiebant*. Moris autem fuit, ut cum res ex lege Rupilia gereretur, dicae scriptio praecederet, inde citatis litigatoribus una sortitio post triginta dies, inde altera, & quidem ex voluntate litigatorum, fieret. dica vero Graecorum more (nam Siculi Graeci

erant, & Græce loquebantur,) scribi tum dicebatur, cum lis intendebatur, id est, judicium postulabatur. sortiri vero dicas erat judices ipsos ex lege sortiri, non autem, ut Budæus existimavit, litem intendere. Hæc autem omnia ex judicio Heraclii hominis Siculi cognoscuntur. de quo Cicero: *Scribitur Heraclio dica. dies advenit, quo die Verres se ex instituto, ac lege Rupilia dicas sortiturum Syracusis edixerat. paratus ad hanc dicam sortiendam venerat. tum eum docet Heraclius, non posse eo die sortiri, quod lex Rupilia vetaret, diebus triginta sortiri dicam, quibus scripta esset. dies triginta nondum fuerant. sperabat Heraclius, si illum diem effugisset, ante alteram sortitionem Q. Arrium successurum. iste omnibus judiciis diem distulit, ut hanc Heraclii dicam sortiri post dies triginta ex lege posset. posteaquam ea dies venit, iste incipit simulare, se velle sortiri. Heraclius cum advocatis adest, & postulat, ut sibi cum palæstritis æquo jure disceptare liceat. adversarii postulant, ut in eam rem judices dentur ex iis civitatibus, quæ in id forum convenirent. electi qui Verri viderentur. Heraclius contra, ut judices ex lege Rupilia dentur. negavit Verres, se judices ex lege Rupilia sortiturum. quinque judices, quos commodum ipsi fuit, dedit: eo die nihil actum est. adesse jubentur postridie. Heraclius interea consilium capit, non adesse ad judicium. atque Syracusis illa nocte profugit. Verres postero die mane judices citari jubet. ubi comperit, Heraclium non adesse, cogere incipit eos, ut absentem condemnent. illi eum commonefaciunt, ut, si ei videatur, utatur instituto suo, nec cogat ante horam decimam de absente secundum præsentem judicare. Tum Verres illis quinque judicibus uti se negat. jubet, id, quod initio e lege Rupilia fieri oportuerat, citari Heraclium, & eos, qui dicam scripserant; aitque judices e lege Rupilia velle sortiri. educit ex urna tres. iis, ut absentem Heraclium condemnent, imperat. itaque condemnat.* Hæc quamquam perverse omnia, neque ex lege facta sunt, tamen facile, quid fieri ex lege debuerit, ostendunt. Quocirca in Verrem paulo post ita Cicero invehitur: *Profecto negare non potes, te ex lege Rupilia sortiri judicium debuisse, cum præsertim Heraclius id postularet. deinde, cur tu post illius fugam judices alios sortitus es, si eos, qui erant antea dati, utriusque dederas voluntate? deinde ceteras dicas omnes illo foro M. Postumius quæstor sortitus est, hanc solam tu illo conventu reperiere sortitus.*

Ex edicto vero judicium postulabatur, cum more Romano postulabatur; id est, ut sibi aut judex unus, aut tres recuperatores, darentur. sic enim cum prætore quoque urbano agebatur. Hoc autem erat ex edicto, quia prætor hoc in edicto posuerat, se de illis, aut illis rebus judicem, aut recuperatores daturum. Unde illa Verrina: *Præclara clausula edicti, quod omnium controversiarum, quæ essent inter aratorem, & decumanum, si uter velit, edicit, se recuperatores daturum.* item: *Cœpit Scandilius poscere recuperatores. tum iste recuperatores dicit se de coborte sua daturum.* item: *Postulat arator ex edicto judicium in octuplum. Apronius non recusat.*

Præterea vero in quæ verba judicium postulabatur, in eadem quoque dabatur, hac formula; *Si pateret*, aut, *si appareret*. ut: *Dabat iste judicium, si pateret, jugera ejusmodi fundi esse plura, quam colonus esset professus, tum Xeno damnaretur.* item: *Quærebant, in quæ verba recuperatores daret. respondebat, si pateret, adversus edictum fecisse.* item: *Si vero illud quoque accedet, ut prætor in ea verba judicium det, ut vel Octavius Balbus judex non possit aliter judicare, sit ejusmodi L. Octavius judex. esto. si apparet, fundum Capenatem, quo de agitur, ex jure eum P. Servilii esse, is fundus Q. Catulo restituetur, non necesse erit L. Octavio judici cogere P. Servilium Q. Catulo fundum restituere, aut condemnare eum, quem non oportet?*

Quos autem judices, aut recuperatores dabant, eos ex conventu, & foro illo, in quo res agebatur, dabant, id est, ex iis civibus Roman. sociisve, qui in iis oppidis, quæ ad id forum convenirent, versarentur. Itaque inter cetera hoc quoque crimini vertit Cicero Verri, quod non de conventu, sed de cohorte sua recuperatores dedisset. Unde illa manarunt: *Scandilius postulare de conventu recuperatores. Tum Verres negat, se de existimatione sua cuiquam, nisi suis, commissurum.* item: *De conventu nullum unquam judicem, nec recuperatorem dedit. iniquos decumanis omnes dicebat esse.* item: *Instat Scandilius poscere recuperatores: tum iste recuperatores dicit se de coborte sua daturum.* & alibi: *Selecti e conventu, aut propositi ex negotiatoribus judices nulli. hæc copia judicum, cohors non Q. Scævolæ, qui tamen de coborte sua dare non solebat, sed C. Verris.* item: *Habebat in consilio homines honestos e conventu Syracusano, qui Sacerdotis prætoris quoque in consilio fuerant.* L. autem Crassus cos. in Gallia citeriore, ut scribit Valerius, Cn. Carbonem, inimicum suum, ad speculanda acta sua profectum, non solum inde non summovit, sed insuper ei locum in tribunali assignavit, nec ulla de re, nisi eo in consilium adhibito, cognovit. Quamquam ne si litigator quidem judicium in eam formulam accepisset, judices quicunque ex conventu dari poterant, verum ii demum, de quibus litigatores inter ipsos convenissent. Quocirca, ut in urbe, sic in provincia rejectio judicum, quos sibi uterque incommodos arbitraretur fore, concedebatur. Atque hoc ex iis verbis elicitur: *Cur post illius fugam judices alios sortitus es, si eos, qui erant antea dati, utriusque dederas voluntate?* item ex iis: *Postulat arator ex edicto judicium in octuplum. Apronius non recusat. prætor jubet recuperatorum rejicere decurias. Scribamus quas decurias? tu de mea coborte rejicies? inquit.* & post: *Si mehercule ex omni copia conventus Syracusani splendidissimorum hominum faceres potestatem aratori non modo rejiciendi, sed etiam sumendi recuperatores, tamen hoc novum genus injuriæ ferre nemo posset.*

Quod si non recuperatores tres, sed judex unus datus esset, tum, ut Romæ, sic in provincia, ille peritum aliquem sibi in consilium advocabat, atque ex ejus sententia judicabat. quod his verbis perspicue admonemur: *M. Petilium Verres jubet operam dare, quod rei privatæ judex esset; Petilius recusabat, quod suos amicos, quos sibi in consilio esse vellet, ipse Verres retineret.*

In ceteris autem eadem in provinciis agendi ratio fuisse videtur, ac Romæ, ante judicium quidem vadationum, compromissorum, sponsionum, satisdationum; post judicium autem addictionum, abductionum, & reliquorum ejusmodi, de quibus latius alio a nobis loco, & quidem magis idoneo, disputabitur. Ac vadationis quidem testimonio sunt illa: *Jam vero illud contra omnia jura Siculorum, quæ habent a senatu, populoque Romano, ne extra forum suum vadimonium promittere cogantur. Statuit iste, ut arator decumano vadimonium promitteret. ut hic quoque decumano, cum ex Leontino Lilybæum usque aliquem vadaretur, ex miseris aratoribus calumniandi quæstus accederet.* Vadationis vero cum sponsione hæc: *Jubet Verres, Servilium Lilybæum vadimonium Venerio servo suo promittere. Lilybæum venitur. cogere eum cœpit, cum ageret nemo, nemo postularet, sestertium duobus millibus sponsionem facere cum lictore suo, ni furtis quæstum faceret; recuperatores de coborte sua dicit daturum. Servilius recusare, & deprecari, ne iniquis judicibus, nullo adversario, judicium capitis in se constitueretur.* Satisdationis vero illa: *Amici, si quis quid peteret, judicio secum agi passuros, judicatum solvi satisda-*

turos esse, dicebant. Nam arbitrii etiam, & compromissi rationem observatam esse, ex eo loco apparet: *Quod judicium secundum Heraclium de compromissis factum erat, quod civis Centuripinus inter duos cives judicasset, id irritum jussit esse.* at post rem judicatam abductos esse, ex oratione pro Flacco: *Hunc judicio ille persequitur. a recuperatoribus caussa cognoscitur. recuperatores contra istum rem minime dubiam prima actione judicaverunt. cum judicatum non faceret, addictus Hermippo, & ab hoc ductus est.*

Atque hoc quidem modo privatarum controversiarum cognitionem administrarunt, quam proprie jurisdictionem appellarunt. nunc quemadmodum judicia publica, quas quæstiones dixerunt, exercuerint, demonstremus. Neque enim, ut Romæ alii jus inter cives, & inter peregrinos dixerunt, alii judicia publica exercuerunt, sic in provinciis; verum utraque cognitio præsidi provinciæ a populo Romano commissa est: privatarum quidem litium ex ea lege, quæ ex decem legatorum sententia data fuerat; publicorum vero criminum ex ea, quæ de quoque crimine cognoscendo, ac vindicando lata fuit. Unde illa sunt Ciceronis in Pisonem Macedoniæ proconsulem: *Quid ego rerum capitalium quæstiones, reorum pactiones, redemptiones, acerbissimas damnationes, libidinosissimas liberationes proferam?* & illa apud Hirtium de Longino proprætore Hispaniæ: *Nemo erat, qui modo jacturam aliquam facere posset, quin aut vadimonio teneretur, aut in reos referretur.* id est, qui non aut privata lite, aut publico judicio apud prætorem provinciæ irretiretur & S. Lucas dixit in Actis: *Quod si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, caussam adversus aliquem habent; aguntur fora, & proconsules sunt: accusent invicem.* Ceterum publicarum quæstionum, ut vis, peculatus, falsi, majestatis, exercendarum eadem in provinciis ratio, ac Romæ, fuit. Deferebatur enim rei nomen ab accusatore apud prætorem; prætor autem, si id recepisset, diem judicii constituebat, atque ubi advenerat, per præconem accusatorem, reum, & testes citari jubebat; interrogatione vero testium absoluta, sortiebatur ex lege, quæ de eo crimine lata fuerat, judices, & quidem e conventu. inde sequebatur more Romano rejectio. quibus absolutis, sedente in tribunali ac sella prætore, judicibus in subselliis, caussa ab utraque parte agebatur, id est, ab accusatoribus, & patronis rei; prætor cum consilio cognoscebat, atque ex eorum sententia, ubi ab utraque parte peroratum erat, reum aut comperendinabat, aut condemnabat, aut absolvebat, aut amplius pronunciabat. si comperendinatus reus, aut ampliata caussa fuisset, secunda actio instituebatur; &, si necesse fuisset, tertia. tum de integro aut absolvebat, aut condemnabat, atque in condemnatum animadvertebat. Sunt autem in Verrinis tria hujus generis judicia, unum de Philodamo, Nerone Asiæ prætore judicium exercente, alterum de Sopatro, tertium de Sthenio, Verre Siciliæ prætore quærente. quæ quanquam a Cicerone ut perperam facta efferuntur, tamen, quia ejusmodi sunt, ut veterem publicorum in provincia judiciorum consuetudinem illustrare possint, ea brevissime perstringemus. neque etiam aliunde hujus rei notitiam haurire, nisi concepta ex urbanis judiciis conjectura, possumus. de Philodamo res acta in hunc modum est: Occisus erat Lampsaci lictor Verris Cornelius a Philodamo, tum cum legatus Verres erat Dolabellæ in Cilicia proconsulis. cujus cædis cognitio ad Neronem Asiæ prætorem pertinebat. sic ergo ille narrat: *Decessit e provincia sua Dolabella, ut in alienam proficisceretur. contendit a Nerone, ut Philodami caussam cognosceret. venerat ipse, qui esset in consilio, & primus sententiam diceret. adduxerat etiam præfectos, & tribunos militares suos,* A *quos Nero omnes in consilium vocavit. erat in consilio etiam judex Verres. erant nonnulli togati creditores Græcorum. accusator apponitur civis Rom. de creditoribus Lampsacenorum. cum Dolabella cum suis præfectis pugnaret in consilio, Verres fortunas suas agi diceret, idem testimonium diceret, idem esset in consilio, idem accusatorem parasset, & cum hominem constaret occisum, tamen de Philodamo amplius pronunciatum. altera actione condemnatur perpaucis sententiis Philodamus, & ejus filius. urget Dolabella, ut quamprimum securi feriantur.* In Sopatri autem judicio ita actum est: *Cum Sopater Halyciensis ab inimicis suis apud C. Sacerdotem prætorem rei capi-* B *talis accusatus eo judicio liberatus esset, huic eidem Sopatro iidem inimici ad C. Verrem, cum Sacerdoti successisset, ejusdem rei nomen detulerunt. citatus reus. caussa agitur Syracusis. crimina tractantur ab accusatore. caussam Sopatri defendebat Q. Minucius eques Roman. postquam ad caussam dicendam ventum est, omnes sine metu. res illo die non peroratur. dimittitur judicium. bene sperare Sopater, quod prætor quoquo modo se in ea quæstione præbebat, tamen in consilio habebat homines honestos e conventu Syracusano, qui Sacerdotis quoque in consilio fuerant, tunc cum esset hic idem Sopater absolutus. cum in* C *consilium frequentes convenissent iidem, prætor M. Petilium equitem Rom. quem habet in consilio, jubet operam dare, quod rei privatæ judex esset. Petilius, recusabat, quod suos amicos, quos sibi in consilio esse vellet, ipse Verres retineret. Verres dimittit omnes, & solus cum sua coborte relinquitur. Minucius jubetur dicere. negat, quia non adsint, qui caussam cognorant. Petilius, ne dicere cogeretur, a subselliis abire cœpit. minanti illi caussam sese dimisso, atque ablegato consilio, defensurum negavit, a subselliis discessit. Verres jubet, Sopatrum dicere. idem orare, ut cum consilio cognosceret. tum repente Verres testes citari jubet. dicit unus, & alter breviter. nihil in-* D *terrogatur. præco dixisse pronunciat. prætor de sella exiluit. hominem a Sacerdote absolutum indicta caussa de sententia scribæ, medici, aruspicisque condemnavit.* Judicium vero tertium Sthenii hujusmodi fuit: *Verres prætor palam de sella, ac tribunali pronunciat, si quis absentem Sthenium rei capitalis reum facere vellet, sese ejus nomen recepturum. & simul, ut nomen deferret, Agathinum hortari. negavit Agathinus. tum repente Pacilius quidam ait, si liceret, nomen absentis deferre, se velle, iste vero & licere, & fieri solere, & se recepturum. itaque defertur. edicit statim, ut Kal. Decemb. adsit Sthenius Syra-* E *cusis. Kal. Decembr. mane, ut edixerat, Sthenium reum citari jubet. non respondit. non affuit. Verres, quem absentem reum fecerat, eum absente accusatore condemnat. neque enim, si præsens Sthenius reus factus esset, tamen cum accusator non adesset, condemnari oportuit.* His tribus judiciis addere possumus etiam quartum, veterum litteris in primis celebratum, de muliere Smyrnæa. de qua præter Valerium, ac Gellium, sic Marcellinus prodidit: *Apud proconsulem Asiæ Dolabellam Smyrnæa materfamilias filium proprium & maritum venenis necasse confessa, quod filium ex priore viro ab eis occisum comperisset, & comperendinata, cum consilium, ad quod* F *ex more delata est, anceps, quid inter ultionem, & scelus statui debeat, hæsitaret, ad Areopagitas missa est Athenienses judices tristiores, qui caussa cognita centesimo post anno cum accusatore mulierem adesse jusserunt, ne aut absolverent veneficam, aut ultrix necessitudinum puniretur.* Horum igitur judiciorum partes si quis singulas attente consideraverit, facile intelligeret, eandem fuisse quæstionum in provincia exercendarum consuetudinem, ac Romæ erat. Quæ caussa facit, ut nos in iis explicandis minus laboremus, quod alio loco hoc de genere disputaturi simus.

Atque hæc quidem de provinciali privatarum, & publicarum caussarum cognitione invenimus. Illud autem utrique commune fuit, ut in magna caussæ obscuritate prætores caussam alio rejicere possent. Quod video elici posse ex epist. Cic. ad Sulpicium Græciæ prætorem, cum scribit: *Pergratum mihi feceris, si eos, quando cum senatore res est, Romam rejeceris.* & accusatione Verris: *Si ex provincia Sicilia tota statuas idoneum judicem, aut recuperatorem nullum posse reperiri, postulat a te, ut Romam rejicias.* & ex judicio Dolabellæ, qui veneficæ caussam dubiam ad Areopagitas Athenas rejecit.

Quæret fortasse aliquis: an vero cum in una provincia ac sæpe duabus, aut tribus præses unus jure dicundo præesset, ipse in tantis occupationibus tanta esse diligentia potuit, ut præsens omnibus jus poscentibus satisfaceret? minime vero. verum vicariis ad eam rem usus est multis, legatis quidem suis in primis, aliquando etiam quæstore, nonnunquam etiam aliis, quibus ipse partem suæ jurisdictionis mandavit. Ac de legatis quidem non est dubium, quippe qui vicariam operam in omni provinciali munere sustinerent. confirmatur tamen etiam testimonio Ciceronis in Flacciana: *Gratidius legatus, ad quem est aditum, actionem se daturum negavit. re judicata stari ostendit placere.* De quæstore autem liquet ex Suetonio: *Cæsari quæstori Hispania ulterior obvenit. ubi cum mandato prætoris jure dicundo conventus circumiret, Gadibus ingemuit.* & ex divinatione in Cœlium: *Quæstor ad se vocari Agonidem jubet, judicium dat statim: Si pateret, eam, se, & sua Veneris esse dixisse. judicant recuperatores, id quod necesse erat. iste in possessionem bonorum mulieris mittit. ipsam Veneri in servitutem adjudicat. deinde bona vendit, pecuniam redigit.* & alibi in Verrem: *Ceteras dicas omnes illo foro M. Postumius quæstor sortitus est, hanc solam tu illo conventu reperiere sortitus.* De aliis idem Cicero testis est, cum proconsul Ciliciæ scribit ad Att. *Q. Volusium misi in Cyprum, ne cives Romani, qui ibi negociarentur, jus sibi dictum negarent. nam evocari ex insula Cyprios non licet.* & ad fratrem: *Parvi refert, abs te ipso jus dici æquabiliter, & diligenter, nisi idem ab iis fiet, quibus tu ejus muneris aliquam partem concesseris.*

Hoc autem in loco illud prætereundum non est, quod ignoratum miras huic quæstioni offundere tenebras posset, præsides, cum legatis jurisdictionem mandarunt, non publicarum quæstionum exercitionem mandasse, sed privatarum controversiarum cognitionem, quæ proprie jurisdictio dicta est. quæ quoniam a magistratu tota profecta est, neque cum quæstione, id est, publicarum causarum cognitione, conjuncta fuit, quæ a lege tota pependit: fane intelligendum est, præsidem, ne si voluisset quidem, quæstionem mandare potuisse, nisi forte lege, quæ de quæstione illa scripta esset, nominatim cautum esset, ut is, cui exercitio ejus quæstionis obtigisset, posset eam mandare. Erant enim de singulis, ut alibi docebimus, criminibus latæ leges, ut de adulteriis, vi, falso, peculatu, quibus quid cuique observandum esset, qui aut Romæ quæreret, aut provinciam obtineret, sciscebatur. ex quo intelligi potest, cum jurisdictio mandabatur, privati tantum juris cognitionem esse mandatam, publici vero judicii exercitionem nec mandatam esse, nec mandari licuisse, nisi nominatim id scriptum esset in lege. Atque hoc mihi videtur voluisse Papinianus titulo de officio ejus, cui mandata est jurisdictio, quem locum Jurisconsultos torquere plerosque audio: *Quæcunque specialiter lege, vel senatus consulto, vel constitutione principum tribuuntur, mandata jurisdictione non transferuntur. quæ vero jure magistratus competunt, mandari possunt. & ideo videntur errare magistratus, qui cum publici judicii habeant exercitionem lege, vel senatus consulto delegatam, veluti legis Juliæ de adulteriis, & si quæ sunt aliæ similes, jurisdictionem suam mandant. Hujus rei fortissimum argumentum, quod lege Julia de vi nominatim cavetur, ut is, cui obtigerit exercitio, possit eam, si proficiscatur, mandare. non aliter itaque mandare poterit, quam si abesse cœperit, cum alias jurisdictio etiam a præsente mandetur. Et si a familia dominus occisus esse dicetur, cognitionem prætor, quam ex S. C. habet, mandare non poterit. Qui mandatam jurisdictionem suscepit, proprium nihil habet, sed & ejus, qui mandavit, jurisdictione utitur. verius est enim more majorum jurisdictionem quidem transferri, sed merum imperium, quod lege datur, non posse transire. quare nemo dicit animadversionem legatum proconsulis habere mandata jurisdictione.* item in eodem titulo Paulus: *Legati proconsulis nihil proprium habent, nisi a proconsule eis fuerit mandata jurisdictio.*

Ac de priore quidem potestatis prætoriæ parte, qua in jurisdictionem, & quæstionem divisimus, hactenus. nunc de altera differamus, quæ tota ceteris in rebus curandis, atque provinciæ imperandis versata est, ut in re frumentaria, tributaria, vectigali, & viaria. Quid igitur ad hæc? quid aliud nisi omnia a præsidibus per edicta esse administrata? edicta vero non perpetua fuisse, sed repentina, & peculiaria, id est, de singulis, ut cujusque postulavit occasio, interposita. unde hoc? unde, nisi ex ipso hujus disputationis fonte, Siciliensi prætura Verris: *Apronio affirmante, se plus decuma non daturum, exoritur peculiare edictum repentinum: Ne quis frumentum de area tolleret.* item: *Edictum repente nascitur, ut ante Kal. Sex. omnes decumas ad aquam deportatas haberent.* item: *Duriora edicta interposuit, omnium superiorum prætorum auctoritatem repudiavit.* Agamus autem de singulis, atque, ut quæque prætor curaverit, exquiramus. Frumentum, ut ab initio dixi, in provinciis aliud vendebatur, ut decumanum in Sicilia, (nam aliarum provinciarum decumæ Romæ a censoribus vendebantur) aliud emebatur, aliud in cellam prætoris æstimabatur, aliud imperabatur, aliud honoris caussa accipiebatur. Ergo ex legibus, aut senatusconsultis, aut veteribus, aut recentibus omnia hæc prætor curavit, totumque jus vendendi, emendi, æstimandi, imperandique frumenti habuit. Ac de venditione quidem quid ea proferam, quæ plurima Cicero objecit Verri in frumentaria, quod decumas in Sicilia pluris vendidisset, quam per legem oportuisset, atque pecuniam avertisset? Nam æstimationem in ejus potestate sitam fuisse, illa declarant: *Cum ex S. C. & legibus frumentum ei in cellam sumere liceret, idque frumentum senatus ita æstimasset, quaternis sestertiis tritici modium, binis hordei, iste numero ad summam tritici adjecto tritici modios singulos cum aratoribus denariis ternis æstimavit.* & post: *Totus quæstus hic æstimationis ex annonæ natus est varietate. hoc enim magistratus in provincia assequi potest, ut ibi accipiat, ubi est carissimum. ideo valet ista ratio æstimationis in Asia, valet in Hispania, valet in iis provinciis, in quibus unum precium frumento esse non solet.* Eadem etiam ratione frumenti emendi, & imperandi auctoritatem prætoris totam fuisse, ostendit idem, cum inquit, *Verrem prætorem frumentum in Sicilia emere debuisse ex S. C. & lege Terentia, Cassia; emundi duo genera fuisse, unum alterarum decumarum, alterum, quod præterea civitatibus æqualiter esset distributum. illius decumani tantum, quantum ex primis decumis fuisset, hujus tritici modium octoginta millia; precium autem constitutum decumano in modios singulos sestertios ternos, imperato sestertios quaternos. atque ita in frumentum imperatum sestertium duodevicies in annos singulos Verri decretum, quod*

aratoribus solveret: in alteras decumas ferme ad nonagies. Verrem eam pecuniam suam avertisse. Jam vero, ut vinum quoddam fuit honorarium, quod prætori honoris caussa, teste Isidoro, dabatur, sic etiam frumentum honorarium. vini meminit Cato in oratione de innocentia sua: *Cum essem in provincia legatus, cum plures ad prætores, & consules vinum honorarium dabant, nunquam accepi ne privatus quidem*. frumenti, ut dixi, Cicero in Pisonem: *Qui modus tibi fuit frumenti æstimati, qui honorarii? siquidem potest vi, ac metu extortum honorarium nominari. unus tu dominus, unus æstimator, unus venditor tota in provincia per triennium frumenti omnis fuisti*. Honorarium vero vinum, atque frumentum vectigalis, credo, prætorii pars fuit ejus, quod se remisisse Ciliciæ Cicero gloriatur cum Attico: *Dixi, me coacturum, homines non modo non recusare, sed etiam hoc dicere, se a me solvere. quod enim prætori dare consuessent, quoniam ego non acceperam, se a me quodammodo dare, atque etiam minus esse aliquanto in Scaptii nomine, quam in vectigali prætorio*. Ac rem quidem vectigalem frumentariam ordine ita curarunt.

Extra ordinem autem vectigalia nova instituerunt, ac tributa imperarunt, verum non sine crimine. De vectigalibus testimonio sunt illa Ciceronis in Fontejana: *Crimen a Plætorio ita constitutum est; Fontejo, non in Gallia primum venisse in mentem, ut portorium vini institueret*. & in Pisoniana: *Vectigalem provinciam singulis rebus, quæcunque venirent, certo portorio imposito servis tuis publicanis a te factam esse meministi?* Tributa vero provinciis a prætoribus aliquando esse sive ex fœdere, sive ex Senatusconsulto, sive ex ipsorum libidine imperata, multorum præturæ ostendunt, ut Verris, Appii, & Scipionis. Ac de Verre quidem sic Cicero: *Imacharenses jam omni frumento ablato, jam omnibus injuriis tuis exinanitos tributum ferre miseros coegisti. recita decretum de tributis*. Quin etiam alio loco prætores sæpe naves, nautas, milites que provinciæ civitatibus ex fœdere imperasse inquit; sumptum autem ex ordine navarcho a sua quaque civitate suppeditatum, extra ordinem prætori adnumeratum, & quidem ipsius jussu prætoris esse. unde illa: *Sumptum omnem in classem frumento, stipendio, ceterisque rebus navarcho suo quæque civitas semper dare solebat. is neque ut accusaretur a nautis, committere audebat, & civibus suis rationem referre debebat. in illo omni negotio non modo labore, sed etiam periculo suo versabatur. erat hoc ut judicio factitatum semper, nec solum in Sicilia, sed in omnibus provinciis, etiam in sociorum ac Latinorum stipendio, ac sumptu, tum cum illorum auxiliis uti solebamus. Verres post imperium constitutum primus imperavit, ut ea pecunia omnis a civitatibus sibi adnumeraretur, ut is eam pecuniam tractaret, quem ipse præfecisset*. de Appio vero Ciliciæ proconsule sic cum Attico: *Audivimus nihil aliud, nisi imperata ἐπιχεφάλεια eos solvere non posse, possessiones omnium venditas, civitatum gemitus, ploratus, monstra quædam non hominis, sed feræ nescio cujus immanis*. Imperata vero ἐπικεφάλεια vocat tributa, quæ in capita, aut in ostia imposuerat Appius. quorum etiam scribens ad ipsum Appium meminit, his verbis: *Principes civitatum a me postularunt, ne in venditionem tributorum, & illam acerbissimam exactionem capitum atque ostiorum inducerentur sumptus minime necessarii*. De Scipione vero Syriæ proconsule Cæsar in hunc modum: *Civitatibus, magnas imperaverat pecunias. item a publicanis suæ provinciæ debitam biennii pecuniam exegerat, & ab eisdem insequentis anni mutuam præceperat, equitesque toti provinciæ imperaverat*. & paulo post: *Interim acerbissime imperatæ pecuniæ tota provincia exigebantur. in capita singula servorum, ac liberorum tributum imponeba-*

A *tur. columnaria, ostiaria, frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, vecturæ imperabantur. cujus modo rei nomen reperiri poterat, hoc satis esse ad cogendas pecunias videbatur*. Quod autem dixi de portoriis, & tributis, idem etiam de curatione viarum adjungo. cujus Fontejana prætura illustre præbet documentum: *M. Fontejus cum majoribus reip. curis impediretur, & cum ad remp. pertineret, viam Domitiam munire, legatis suis negotium dedit. itaque præfuerunt, imperaverunt pro dignitate sua quod visum est, & probaverunt*. Ex his autem conjecturam de aliis quoque rebus facere possumus, ut quæcunque aut ordine, aut extra ordinem imperanda B provinciæ fuerint, ea per edicta repentina a prætoribus esse imperata, dicamus.

Ut autem præsides multi libidine atque avaritia obcæcati nova vectigalia, ac nova tributa provinciis imposuerunt, aliaque ad perniciem earum plurima imperarunt, sic nonnulli tanta caritate, atque abstinentia fuerunt, ut non solum publica vectigalia sustulerint, sed etiam prætorium ipsum vectigal, in quo præcipue Cicero gloriatur, remiserint, neque ulli alii rei, quam commodis, ornamentisque sociorum, studuerint. unde honores summos ab ipsa provincia rettulerunt, legationes, statuas, fana, dies C festos. Ac de legationibus quidem Romam honoris caussa mittendis & monumento quodam extruendo, extat aliquid in epistolis Appianis. de die vero festo indicio sunt Marcellea, & Mucia, quæ Siculi M. Marcello, & Asiani Q. Mucio instituerunt; quorum Cicero, & Asconius meminere. Ejusmodi vero se affici ornamentis, ipse in Cilicia Cicero, qua erat animi moderatione, prohibuit. sic enim scripsit ad Atticum: *Ob hæc beneficia, quibus illi obstupescunt, nullos honores mihi nisi verborum, decerni sino; statuas, fana, τέθριππα prohibeo*.

D

CAP. VI.

De imperio Præsidum, sive administratione rei militaris.

HACTENUS de potestate prætoria dictum sit, quæ pars maxima officii præsidis fuit. reliquum est, ut de imperio, id est, de rei militaris tractandæ jure, ac ratione breviter, quod hujus loci sit, disseramus. huic enim rei Romani præsides non minus, ac jurisdictioni, operam dederunt. neque id injuria. hac enim cum socios in fide continuerunt, exercitus terrorem, bellique minas, si E deficerent, ostentantes, tum provinciam a finitimorum hostium incursionibus, aut latronum populationibus tutam præstiterunt. Itaque, ut potestatis administratio integritatem, æquitatem, & humanitatem præsidis desideravit, sic imperii tractatio rei militaris prudentia, severitate, & fortitudine eguit. Imperium autem hoc loco nihil aliud est, quam jus, ut dixi, habendi exercitus, belli gerendi, & rei totius bellicæ capessendæ. quo modo accepit Cicero tum, cum dixit: *Demus imperium C. Cæsari, sine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris administrari non potest*. & alibi: *Decrevi imperium* F *exercitum habenti. quid est enim sine imperio exercitus?* quibus verbis significatur, præsidi, qui habebat imperium, jus esse permissum exercitui imperandi, bellum auspiciis suis gerendi, & totius rei militaris suo consilio, atque arbitrio in sua provincia gubernandæ. de quibus videtur esse faciendum ut sigillatim dicamus, quemadmodum ante de jurisdictione fecimus.

Primum ergo omnium exercitum Romanum ex legionibus, ut diximus, auxiliisque sociorum confectum, aut præses ipse ex S. C. novum in urbe conscripsit, aut veterem a decessore suo in provin-

cia accepit. Ac novum quidem conscripserunt eo modo, quo supra diximus, cum jura Romanæ militiæ investigavimus. acceperunt autem veterem aut ab ipso præside decedente, aut a legato ejus. acceptum vero lustrarunt; & concione apud eum habita, ad tempus nimirum accommodata, si qua corrigenda in eo, aut immutanda visa sunt, proposito edicto emendarunt & immutarunt. sic enim cum ceteros fecisse video, tum Cn. Manlium, bello Gallogræco, de quo Livius: *Vere primo Ephesum consul venit, acceptisque copiis a L. Scipione, & exercitu lustrato, concionem apud milites habuit.* & L. Paulum bello Persico, prout ipse in concione Romæ dixit: *Quincto die Delphis Apollini pro me, exercitibus, & classibus vestris sacrificavi. Delphis quincto die in castra perveni. ubi exercitu accepto mutavi quædam, quæ magna impedimenta victoriæ erant.* Quem eundem locum explicavit Plutarchus his verbis: *Paulus quincto die cum Delphos venisset, post totidem alios exercitum accepit in Macedonia, & solemnem ejus peregit lustrationem.* postremo vero sic etiam fecisse animadverto in Cilicia M. Tullium, quippe qui scribat: *In castra veni* A. D. VII. *exercitum lustravi apud Iconium.*

Erat autem Lustratio solemne sacrificium, quod faciebant sub dio ad lustrandum, id est, expiandum exercitum, censorio non absimile, quo populus Roman. in campo Martio lustrabatur. quemadmodum innuit Plutarchus, & Cicero; Plutarchus quidem in Bruto, *Cæsar in castris lustrato exercitu paulum frumenti, & quinque drachmas viritim ad sacrificium distribuerat. Brutus autem, ejus egestate damnata, primum sub dio exercitum, ut mos fuit, lustravit; deinde hostiis multis centuriatim, ac denariis quinquagenis distributis alacriores milites reddidit. tum ostentum Cassio in lustratione est factum, quod coronam inversam ei lictor porrexit.* Cicero vero in libris de divinatione: *Cum imperator exercitum, censor populum lustrat, bonis nominibus, qui hostias ducant, deliguntur.*

Jam vero qualis militaris disciplinæ in castris emendatio fuerit, P. Scipionis imperatoris ad Numantiam, & Q. Metelli in Numidia nota severitas satis esse documento possunt. de quibus Appianus in Iberica, Sallustius in Jugurthina copiose, eleganterque scripserunt.

Ceterum tantum imperatori in exercitum suum imperium est permissum, ut non privatas solum controversias, sed etiam publicas cum consilio, ac sine consilio cognoverit, ac demum summam vitæ, necisque potestatem habuerit. juris ab eo in castris dicti hæc argumento sunt. *Scipio*, ut scribit Gellius, *quodam die jus in castris sedens dicebat. tum e militibus, qui in jure apud eum stabant, interrogavit quispiam ex more, in quem diem, locumque vadimonium promitti juberet. & Perendie, inquit, sese sistant in illo loco, oppidum, quod oppugnabat, ostendens. die tertio in quem vadari jusserat, oppidum captum. eo die in arce ejus oppidi jus dixit.* Idem, ut tradit Livius, *tres recuperatores cum se daturum pronunciasset, qui cognita caussa, testibusque auditis judicarent, uter prior in oppidum transcendisset, C. Lælio, & M. Sempronio advocatis partis utriusque P. Cornelium Caudinum de medio adjecit, eosque tres recuperatores considere, & caussam cognoscere jussit.* Quin etiam ad Cæsarem imperatorem, bello civili, *quascunque controversias inter se milites habuerant, sua sponte*, ut ipse scribit, *introduxerunt.* At vero capitalium rerum cognitionem imperatores in castris exercuisse, atque usque ad extremum supplicium civium Roman. nedum sociorum progressos esse, & ego ostendi, cum de jure civium Rom. disputavi, & Valerius plurima nobis, eaque nobilissima exempla suppeditat, ubi militaris disciplinæ monumenta pertractat. unde loci illius

A in Rhetoricis Herennianis sententia elucescit, ubi scribitur, *deprecationis statum in judicium non venire, sed in senatum, aut ante imperatorem, & in consilium.* nimirum enim hoc ille voluit, imperatorem sine consilio, absolvere pro arbitrio reum deprecantem potuisse. Nam quod cum consilio capitalia cognoverit, seditio militaris ad Sucronem Scipione imperatore discussa testimonio est. de qua Livius: *Consilium de iis Carthagine erat, certabaturque sententiis, utrum in auctores tantum seditionis animadverteretur, an plurium supplicio vindicanda seditio esset. vicit sententia lenior, ut, unde culpa esset orta, ibi pœna consisteret. Præconis audita vox,* B *citantis nomina damnatorum in consilio. nudi in medium protrahebantur, & simul omnis apparatus supplicii expromebatur. deligati ad palum, virgisque cæsi, & securi percussi sunt.*

Neque vero imperatores ipsi solum hoc jus habuerunt, sed eorum etiam legati, tribuni militum, & præfecti, ut jus dicerent, ac delicta pro suæ quisque auctoritatis modo castigarent. quod cum scripsit Macer libro primo de re militari, tum Livius significat in seditione, de qua dixi, Sucronensi. *Forma tamen Romanorum castrorum*, inquit, *constabat ea una spe, quod tribunos ex contagione furo-* C *ris haud expertes seditionis rati fore, & jura reddere in principiis sinebant, & signa ab eis petebant, & in stationem, ac vigilias in ordinem ibant.* & post: *Citati nominatim omnes apud tribunos militum in verba P. Scipionis jurarunt.* Erant autem Principia locus in castris post prætorium & quæstorium, nobilissimus; nempe in quo legati, tribuni militum, ac primorum maxime ordinum ductores non aliter, ac imperator in prætorio, quæstor in quæstorio, tendebant, ac jus dicebant. Unde mulctæ plerumque de militibus in principiis sumptæ leguntur. quarum aliquot apud Frontinum extant exempla, ubi agit de disciplina, & Florus de bello Gallico: *Ita-* D *que tantus gentis novæ terror in castris, ut testamenta passim in principiis scriberentur.* & Livius libro VII. *Miles non in circulis modo fremere, sed jam in principiis, ac prætorio in unum sermones confundi.*

Quod autem dixi de auspiciis imperatoris, id fuit hujusmodi. Institutum quippe ab initio fuerat, ut nihil neque domi, neque militiæ, nisi auspicato, gereretur. *quippe quod*, ut inquit apud Livium Cn. Manlius, *nullius calumniæ subjicerentur ea, quæ dii comprobavissent.* Auspicia vero in exercitu unius tantum fuerunt imperatoris, cui ea provincia evenisset. ceteri auspiciis ejus pugnare, ipse bellum, ut ductu, sic auspiciis suis gerere dicebatur. unde dixit E Scipio ad seditiosum exercitum: *Quin mihi ne hodie quidem scire videmini, quo amentiæ progressi sitis; quid facinoris in me, patriamque vestram, quid in deos sacramenti testes, quid adversus auspicia, sub quibus militatis, quid adversus morem militiæ, disciplinamque majorum, quid adversus summi imperii majestatem ausi sitis.* Itaque nec Imperatoris nomen, nec supplicatio, nec triumphus dabatur aut legato, aut ulli alii exercitus præfecto, ne si eorum quidem opera, atque virtute imperator absens, aut ægrotus victoriam adeptus esset; quod non eorum auspiciis res esset gesta, sed ipsius imperatoris.

F Ceterum in castris auspicia duo adhibuerunt, unum coactum, alterum ex acuminibus. Coactum autem appellarunt, tripudium; cujus hæc fuit consuetudo. singulis quippe magistratibus, qui imperium haberent, pullarii præsto erant, qui jussu eorum, esurientibus pullis, quos e cavea emittebant, cibum objiciebant, atque rei eventum ex eorum pastu conjiciebant; nam, si offa objecta, aliquid e pullorum pascentium ore in terram cecidisset, tripudium solistimum dicebatur, ac prosperum habebatur; sin minus, infaustum. Ac magistratus quidem, qui in consulatu, & prætura provinciam obtinuis-

tinuissent, non nisi addicentibus pullis, rem ullam aggrediebantur: at proconsules, & proprætores, ut qui sine magistratu essent, ea non observabant. Atque harum quidem rerum auctor est Cicero in libris de divinatione: *Nostri magistratus auspiciis utuntur coactis. necesse est enim offa objecta cadere frustum ex pulli ore, cum pascitur.* item: *Bellicam rem majores nostri administrari nisi auspicato, noluerunt. quam multi anni sunt, cum bella a proprætoribus & proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent? itaque nec amnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur.* item: *Sed quia cum pulli pascuntur, necesse est aliquid ex ore cadere, & terram pavire, terripavium primo, post tripudium dictum est. hoc quidem jam tripudium dicitur. cum igitur offa jam cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum nunciat.* item: *Hoc quoque, quod dixi, coactum, tripudium solistimum dicitis.* Unde Livius bello Samnitico: *Tertia vigilia noctis Papirius silentio surgit, & pullarium in auspicium mittit. cum pulli non pascerentur, auspicium mentiri ausus, tripudium solistimum consuli nunciavit. consul lætus auspicium egregium esse, ac deis auctoribus rem gesturos pronunciat, signumque pugnæ proponit.* & bello Punico: *Paulus consul, cum ei sua sponte cunctanti pulli quoque auspicio non addixissent, obnunciari jam efferenti porta signa collegæ jussit.* Auspicium autem ex acuminibus cujusmodi fuerit, incompertum. ejus Cicero tantummodo meminit primum loco prolato, cum dixit. *Ex acuminibus, quod totum auspicium militare est, M. Marcellus totum omisit.* deinde in secundo de natura deorum: *Negligentia nobilitatis auguriorum disciplina omissa, veritas auspiciorum spreta est, species tantum retenta. Itaque maximæ reip. partes, in his bella, quibus reip. salus continetur, nullis auspiciis administrantur, nulla perennia servantur, nulla ex acuminibus.*

Neque vero solum auspicia, sed etiam omina observabant. Fuerunt autem omina, dicta, factaque, quæ audita, ac visa ad imperatorem rem aggredientem pertinere possent: quæ cum temere essent oblata, propterea ab eo accipi, & non accipi poterant. factum, ut illud C. Flaminii, de quo Cicero: *Flaminius exercitu lustrato, cum contra Annibalem legiones duceret, ipse & equus ejus concidit, nec eam rem religioni habuit.* & alterum Cæsaris, de quo Suetonius: *Cæsar prolapsus ingressu navis cum in Africam adversus Jubam tenderet, verso ad melius omine, Teneo te, inquit, Africa.* Dictum, quale illud Pauli Æmilii, cui paranti expeditionem adversus Perseum regem Macedoniæ, cum filiola mœste occurrisset, dicens, *Persa periit*, respondit, *Accipio omen.* erat autem catella mortua eo nomine. & alterum consulum Romanorum, de quo Livius: *Samnites vociferari, se in auctoritate Tarentinorum manere, nec descendere in aciem. Accipere se omen consules ajunt, & eam precari mentem hostibus, ut ne vallum quidem defendant.*

An vero res auspicato tantum aggrediebantur? non, sed etiam litato. ostendit multis in locis Livius, ut bello Samnitico: *Auspicia secunda esse pullarius nunciat. litatum præterea egregie est. auctoribus diis ad rem gerendam proficiscimur.* & prælio Alliensi: *Nec auspicato, nec litato instruunt aciem.* & bello Gallogræco: *Consul cum auspicio operam dedisset, deinde immolasset, in quattuor partes divisas copias educit.* Erat autem litare pacem immolandis hostiis impetrare. id autem fiebat, cum cæsa hostia aruspices exta diligenter aperientes atque inspicientes, ex quibusdam aruspicinæ præceptis propitios, aut infestos deos interpretabantur. In extis autem, ut jecore, pulmone, & corde, caput & fissum observabant, in primis an aucta, an imminuta essent, cum in iis partem familiarem, atque hostilem (sic enim vocabant) constituissent. Itaque si caput in

A jocinore non fuisset, auspicia pestifera esse; si auctum esset, læta portendi omnia, existimabant. Unde Livius bello Istrico: *Consulibus immolantibus Jovi singulis bubus, uti solet, in ea hostia, qua Q. Petillius sacrificavit, in jocinore caput non inventum. id cum ad senatum retulisset, bove perlitare jussus.* & bello Samnitico: *Consules priusquam educerent in aciem, immolarunt. Decio caput jocinoris a familiari parte cæsum aruspex dicitur ostendisse. alioquin acceptam diis hostiam esse. Manlium egregie litasse. atqui bene habet, inquit Decius, si ab collega prospere litatum est.* & bello Punico: *Fabio auspicanti, priusquam egrederetur ab Tarento, aves semel, atque iterum non addixerunt. hostia quoque cæsa consulenti deos aruspex cavendum a fraude hostili, & ab insidiis prædixit.* & alibi: *Immolasse eo die quidam memoriæ prodidere consulem Marcellum, & prima hostia cæsa jecur sine capite inventum, in secunda omnia comparuisse, quæ assolent. auctum etiam visum esse in capite. nec id sane aruspici placuisse, quod secundum trunca, & turpia exta nimis læta apparuissent.* & Cicero de divinatione: *Fissum familiare tractant, & vitale caput jecoris ex omni parte diligentissime considerant.* Quæ omnia Lucanus disertissime videtur complexus his versibus.

Sacris tunc admovet aris
Electa cervice marem. jam fundere Bacchum
Cœperat, obliquoque molas inducere cultro.
Impatiensque diu non grati victima sacri,
Cornua succincti premerent cum torva ministri,
Deposito victum præbebat poplite collum.
Nec cruor emicuit solitus, sed vulnere largo
Diffusum rutilo nigrum pro sanguine virus.
Palluit attonitus sacris feralibus Aruns,
Atque iram superum raptis quæsivit in extis.
Terruit ipse color vatem. nam pallida tetris
Viscera tincta notis, gelidoque infecta cruore,
Plurimus asperso variabat sanguine livor.
Cernit tabe jecur madidum, venasque minaces
Hostili de parte videt. pulmonis anheli.
Fibra latet, parvusque secat vitalia limes.
Cor jacet, & saniem per hiantes viscera rimas
Emittunt, produntque suas omenta latebras.
Quodque nefas, nullis impune apparuit extis,
Ecce videt capiti fibrarum increscere molem.
Alterius capitis, pars ægra, & marcida pendet.
Pars micat, & celeri venas movet improba pulsu.
His ubi concepit magnorum facta malorum,
Exclamat: Vix fas, superi, quæcunque movetis,
Prodere me populis. neque enim tibi summe litavi
Juppiter hoc sacrum, cæsique in viscera tauri,
Inferni venere dei. non fanda timemus.
Sed venient majora metu. Dii visa secundent,
Et fibris sit nulla fides, sed conditor artis
Finxerit ista Tages.

Quæ vero exta valde aucta erant, ea Magmenta dicta esse arbitror. cujus ut sacrificalis vocis mentio est apud Varronem, Festum, & Arnobium libro adversus gentes septimo, & in vetere aræ inscriptione, quæ Narbone, & Patavi legitur, in qua est: *Si quis hic hostia sacrum faxit, quod magmentum nec protollat, idcirco tamen probe factum esto.* Vovet enim aram ille, cum ea conditione, ut etiamsi sacrificium magmentum, id est, exta aucta, non ostendat, nihil tamen triste portendat: unde magmentaria vasa esse quidam putarunt, in quibus ipsa magmenta reponerentur.

Ac de auspiciis quidem imperatoris hæc dicta sint. De ratione vero rei gerendæ, satis constat, qui provinciam cum imperio obtineret, eum aut per se cum consilio de summa belli ita decrevisse, ut penes eum jus ipsum fuerit dimicandi, oppugnandi, obsidendi, insidias struendi, signum pugnæ ac receptui dandi, castra locandi, muniendi, movendi præterea milites in æstiva, atque hiberna deducendi, obsides ho-

ſtibus dandi, & accipiendi. ad hæc autem agenda legatorum, & quæſtorum in primis opera eſſe uſum, quibus imperium committere conſuevit, præterea tribunorum, præfectorum, centurionum, & decurionum, prout res, atque eorum auctoritas tulit. Quarum rerum variam, ac multiplicem diſciplinam Paulus Æmilius in Macedonia in concione militari brevi complexus eſt, de qua Livius: *Hæc cum ita fieri placere, concione advocata, pronunciaſſet, adjecit urbanæ concioni convenientem orationem. Unum imperatorem in exercitu providere, & conſulere, quid agendum ſit, debere, nunc per ſe, nunc cum iis, quos advocaverit in conſilium. qui non ſint advocati, eos nec palam, nec ſecreto jactare conſilia ſua. militem hæc tria curare debere: corpus ut quam validiſſimum & perniciſſimum habeat, arma apta, animum paratum ad ſubita imperia: cetera ſcire de ſe diis immortalibus, & imperatori ſuo curæ eſſe. in quo exercitu miles, & imperator rumoribus vulgi circumagatur, ibi nihil ſalutare eſſe. ſe quod ſit officium imperatoris, proviſurum, ut bene gerendæ rei occaſionem eis præbeat, illos nihil, quid futurum ſit, quærere; ubi datum ſignum ſit, tum militarem operam navare. ab his præceptis concionem dimiſit, vulgo etiam veteranis fatentibus, ſe illo primum die, tanquam tirones, quid agendum eſſet in re militari, didiciſſe.* multoque apertius Cicero, cum in libris de oratore hæc omnia ad imperatoris definitionem dixit pertinere: *Nam ſi forte quæreretur*, inquit, *quæ eſſet ars imperatoris, conſtituendum putarem principio, quis eſſet imperator. qui cum eſſet conſtitutus adminiſtrator belli gerendi, tum adjungeremus de exercitu, de caſtris, de agminibus, de ſignorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de inſidiis faciendis atque vitandis, de reliquis rebus, quæ eſſent propriæ belli adminiſtrandi. quarum qui eſſent animo, & ſcientia compotes, eos eſſe imperatores dicerem.*

Quod autem dictum eſt, imperatorem aut per ſe, aut cum conſilio ſtatuiſſe, id fuit ejuſmodi, ut imperatores, quemadmodum in rebus capitalibus cognoſcendis, ſic in militaribus conſultandis conſilium adhiberent. Erat autem conſilium caſtrenſis quaſi quidam ſenatus ex ſenatoribus, ſi qui forte in caſtris aderant, & aliis idoneis hominibus conſtitutus. ut oſtendit Salluſtius, qui inquit: *Metellus propere cunctos ſenatorii ordinis ex hibernis accerſiri jubet. eorum, & aliorum, quos idoneos ducebat, conſilium habet. ita more majorum ex conſilii decreto per legatos Jugurthæ imperat argenti pondo ducenta millia.* & Polybius, qui primum centurionem conſilii fuiſſe participem ſcribit; & Cicero qui ad ſenatum: *Exiſtimavi, me judicium veſtrum ad regem deferre debere, eique præſidium meum, & fidem, & diligentiam polliceri, quæcunque eſſem in conſilio meo cum rege locutus.* & Livius, qui bello Ætolico: *Acilius, priuſquam prætorium dimitteret, denunciavit, ut ante lucem armati eſſent.*

Quanquam autem ſummum jus penes imperatores omnia pro ſuo judicio peragendi fuit, multis tamen legibus eorum etiam compreſſa poteſtas ita fuit, ut neque exercitum adverſus quoſcunque vellent hoſtes adducere, neque apud quoſcunque ſocios vellent hibernare liceret. Ac de hoſtibus quidem extra provinciam perſequendis, video cum aliis legibus, tum Cornelia majeſtatis, & Julia repetundarum poſtremo eſſe ſancitum. ut Cicero oſtendit invehens in Gabinium: *Exercitum eduxit e Syria. qui licuit extra provinciam. tribuit ſe mercenarium comitem regi Alexandrino. in Ægyptum venit. ſigna contulit. hic, ſi mentis ſanæ eſſet, auſus eſſet, mitto exire de provincia, educere exercitum, bellum ſua ſponte gerere, in regnum injuſſu populi, aut ſenatus accedere? quæ cum plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia majeſtatis, Julia de pecuniis repetundis, planiſſime vetant.* De ſociis autem legibus erat cautum, apud quos milites in ſtativa deduci, ac non deduci liceret. Hæc autem ſtativa duo fuerunt, æſtiva, & hiberna. Æſtivorum meminit Salluſtius Jugurthino: *Albinus, quantum temporis æſtivorum in imperio fuit, plerumque milites in ſtativis caſtris habebat.* & Livius Samnitico: *Conſul educto in æſtiva milite, dum quietos Samnites habebat, exercitum purgare miſſionibus turbulentorum hominum inſtituit.* & Cicero in Verrem: *Ac primo ad illa æſtiva prætoris accedunt, ipſam illam ad partem littoris, ubi iſte per eos dies tabernaculis poſitis caſtra luxuriæ collocarat.* Cum autem milites per hyemem aut ſub tabernaculis pellibus contectis, aut ſub tectis ædificiorum haberentur, hinc hibernacula, atque hiberna fluxerunt. quod ſignificavit Livius libro XXXVII: *Aut ſub pellibus habendos milites eſſe; aut, ſi concedere in hiberna vellent, differendum eſſe in æſtatem bellum*; & Cæſar libro IV. *Ejuſmodi tempeſtates ſunt conſecutæ, ut continuatione imbrium diutius ſub pellibus milites contineri non poſſent. itaque exercitum Cæſar in hibernis collocavit.* Ac de hibernaculis quidem, quæ ad continuandum hyeme bellum Vejenti primum bello facta ſunt, ſcriptum eſt apud Livium lib. IV. & in lege vetere Thermenſium ſupra ſcripta. De hibernis autem Cicero pro Pompejo: *Jam vero quemadmodum milites hibernent, quotidie ſermones, ac litteræ perferuntur, non modo ut ſumptum faciat in militem, nemini vis affertur, ſed ne cupienti quidem cuiquam permittitur. hyemis enim, non avaritiæ perfugium majores noſtri in ſociorum atque amicorum tectis eſſe voluerunt.* Addo etiam imperatorem exercitum pro arbitrio non potuiſſe dimittere. atque hoc quidem ex auctoritate Ciceronis, qui inquit in Piſonem: *Cum tibi ad priſtinas clades acceſſio fuiſſet Ætoliæ repentinus interitus, exercitum dimiſiſti, neque ullam pœnam, quæ tanto facinori deberetur, non maluiſti ſubire, quam numerum tuorum militum, reliquiaſque cognoſcere. dimittendi vero exercitus quam potes afferre cauſſam? quam poteſtatem habuiſti, quam legem, quod ſenatuſconſultum, quod jus, quod exemplum?* Ac quemadmodum quidem aut imperator, aut præfecti ejus ſigillatim ſua quiſque munera imperii, poteſtatiſve expleverit, ſatis, quantum ad præſentem diſputationem attinuit, nobis expoſitum ſit: qui non de re militari adminiſtranda, ſed de jure provinciali tuendo ſcribere inſtituimus.

CAP. VII.

De nomine imperatoris, & ſupplicatione imperatori decretis.

Qui vero imperium recte, ac feliciter adminiſtrarunt, iis hæc, quæ maxima apud eos habita ſunt, decora patuerunt, abſenti nomen imperatoris & ſupplicatio, præſenti triumphus. Sed de triumpho poſterius, nunc de imperatoris nomine ac ſupplicatione dicamus. Imperatoris nomen appellatio fuit militaris, qua præſens re bene geſta primum militum acclamatione in caſtris, deinde ſententia ſenatus in urbe ornatus eſt. Etenim imperatoris vocabulo duobus modis uſi ſunt, uno pro quocunque exercitus duce, qui ſuis auſpiciis rem gereret, & qui imperium, id eſt, jus belli gerendi, haberet; altero, qui hoſtibus magno prælio fuſis, ac profligatis, eo nomine, militum acclamatione affectus eſſet. Scribit autem Appianus libro II. Civilium, obſervatum eſſe antiquitus, ut non, niſi magnis rebus geſtis, acclamaretur. at ſua ætate (fuit autem Hadriani æqualis) decem millibus occiſis acclamatum eſſe. Addit Dio libro LX. non, niſi ſemel,

[A] de uno bello aliquem appellari imperatorem licuisse. Ex hoc autem fonte illa Ciceronis fluxerunt; *Magnum numerum hostium cecidimus. castella munitissima cepimus, incendimus, imperatores appellati sumus.* & Scipionis illud apud Livium: *Sibi maximum nomen imperatoris esse, quo se milites sui appellassent; regium nomen alibi magnum, Romæ intolerabile esse.* & D. Bruti: *Progressus sum ad Inalpinos, nomen captans imperatorium.* Neque vero solum, si ipsi, sed si legati, & quæstores, quibus imperium commisissent, rem bene se absente gessissent, iidem hoc etiam honoris adipiscebantur, ut ex legatorum, quæstorumque secundo prælio imperatores appellarentur. [B] testis est Cicero in Pisonem: *Scio, Q. Marcium, quorum tu legatorum prælio imperator appellatus eras, cum longe abfuisses, adventu isto tuo domi fuisse ociosum.* Testis Varro de re rustica: *Trebellius, cum esset quæstor Licinio Nerva prætore in Macedonia provincia relictus, qui præesset exercitui, dum prætor rediret, prælio hostes ita fudit, ac fugavit, ut eo Nerva prætor imperator appellatus sit.*

Supplicatio vero fuit honos, qui una cum imperatoris nomine præsidi decernebatur victori, nempe cum senatus populo deum templa aperiri, ac gratias diis imperatoris nomine agi, jubebat. Erat [C] enim moris, ut præsides, postquam a militibus appellati imperatores fuerant, lictores laureatos præferrent, litterasque ad senatum laureata de re gesta mitterent, quibus imperatoris nomen, ac supplicationes a senatu postularent. Quarum rerum certa ex antiquitate eruenda testimonia sunt, quo, ut certior, sic uberior ad alios ex his fructus permanet. Cicero in Pisonem: *Appellatus est hic illius provinciæ imperator. ne tum quidem tabellas Romam cum laurea mittere audebas?* item: *Primum, qua veneris cum laureatis tuis lictoribus, quis scit?* item: *Ex qua provincia L. Torquatus magnis rebus gestis* [D] *me referente absens imperator appellatus est, ex ea te imperatore nuncius ad senatum allatus est nullus.* & in Antonium: *Augebo omnino numerum dierum, præsertim cum communiter tribus ducibus sint decernendæ supplicationes. sed hoc primum faciam, ut imperatores appellem eos, quorum virtute maximis periculis liberati sumus. etenim cui viginti his annis supplicatio decreta est, ut non imperator appellaretur, aut minimis rebus gestis, aut plerumque nullis? quamobrem aut supplicatio ab eo, qui ante dixit, decernenda non fuit, aut usitatus honos, pervulgatusque tribuendus iis, quibus etiam novi, & singulares debentur. an, si quis Hispanorum, aut Gallorum,* [E] *aut Thracum duo millia occidisset, non eum hac consuetudine, quæ increbuit, imperatorem appellaret senatus?* & in ea, quæ de provinciis: *Statuit senatus, cum Gabinio supplicationem denegavit, primum homini scelerato credendum non esse, deinde a proditore rem bene geri non potuisse, postremo, ne deos quidem velle aperiri sua templa, & supplicari hominis impurissimi nomine.* Cum autem primis temporibus in unum, alterumve diem supplicatio ægre decerneretur, tamen ad postremum eo progressa res est, ut etiam in quinquaginta decretæ sint. siquidem M. Valerio, & M. Horatio consulibus, anno [F] urbis CCCIV. devictis Sabinis supplicatio in unum diem decreta est, Camillo Veiis captis in quatriduum, quot dierum nullo ante bello decretæ erant. at vero Cn. Pompejo, Mithridatico bello confecto, duodecim, Cæsari bello Gallico, primum XV. post XX. Hirtio, Pansæ, & Cæsari, Mutina colonia liberata, quinquaginta dierum decretæ sunt. in quo decernendo cum magnitudinis victoriæ, tum dignitatis hominis habuisse rationem videntur.

CAP. VIII.

De potestate quæstorum.

PRÆSIDUM officio, quoad licuit, explicato, deinceps sequitur, ut de Quæstorum munere disputetur, atque ita de altero, quem proposui, provinciali magistratu dicatur. Sic igitur statuendum est, ut prætores urbani Romæ pecuniam publicam curarunt, custodiverunt, atque in tabulas rettulerunt, quam ipsi aut aliunde accepissent, aut alio erogassent; sic quæstores provinciales pecuniam publicam curasse, quæ aut ex ærario deprompta, in usus esset provinciæ expendenda, aut a provincia exacta, esset in ærarium referenda. Quare provincialis pecunia duplex fuit, attributa, & vectigalis: illa ex ærario hauriebatur, hæc ex vectigalibus, & tributis colligebatur. Attributa vero erat hujusmodi. Cum unicuique præsidi *stipendium*, ac *viaticum* esset decretum: *stipendium in exercitum, viaticum in sumptum prætoris, legatorum, & cohortis prætoriæ*, institutum erat, ut quæstor, qui prætori obtigerat, hanc pecuniæ summam a tribunis ærariis, tribuni a quæstore urbano acciperent. Atque hoc tradit Varro in libris de lingua Latina: *Attributa pecunia dicebatur*, inquit, *quæ assignata erat. unde tribuni ærarii dicti, quibus attributa erat pecunia, quæ militibus redderetur. nam id, quod attributum erat, æs militare dicebatur.* & Asconius in Verrinas: *Attributa pecunia est, quæ in stipendium militum de ærario a tribunis ærariis adnumerari quæstori solet.* Unde Cicero proconsul ad Caninium scripsit: *De drachmis centum millibus nihil est, quod in isto genere cuipiam possim commodare. omnis enim pecunia ita tractatur, ut præda a præfectis, quæ autem mihi attributa est, a quæstore curetur.* & in Verrem: *Quæstor ex senatus consulto provinciam consularem sortitus est. pecunia attributa numerata est. profectus est quæstor in provinciam. venit in Galliam expectatus ad exercitum consularem cum pecunia.* & in Pisonem: *Nonne sestertium centies, & octogies ex ærario tibi attributum Romæ in quæstu reliquisti?* & pro Pompejo: *Quem possumus imperatorem eum existimare, qui pecuniam ex ærario depromptam, aut propter cupiditatem provinciæ magistratibus diviserit, aut propter avaritiam Romæ in quæstu reliquerit?* Quo factum est, ut, cum idem dixisset, *Verrem quæstorem rettulisse in rationibus ad ærarium, se accepisse vicies ducenta triginta quinque millia quadringentos septemdecim nummos, dedisse stipendio, frumento, legatis, proquæstori mille sexcenta triginta quinque millia:* Asconius interpres notarit, *ea omnia nomina esse erogationum, quibus aut stipendium militibus dedisset, aut frumentum coemisset in annonam exercitus, aut legatis, & proquæstori, & cohorti prætoriæ sumptum dedisset. eis enim de publico alimenta data esse.* Ut omittam, quod scribit libro sexto Polybius: *frumentum, vestes, arma sæpe militibus esse de publico data, detracta tamen a quæstore ex diurna mercede rata pecuniæ summa.* & Ciceronem ad Messinium quæstorem suum scribentem: *Tu de sestertium centum æquo animo ferre debes, & existimare eo minus ad te vel de tuis cibariis, vel de mea liberalitate pervenisse.*

Vectigalis autem pecunia fuit, tum quæ ex re frumentaria, tum quæ ex portoriis, ceterisque, quæ publicani exercent, vectigalibus, exigebatur. Ac frumentaria quidem pecunia fuit primum, quam aratores aliquando pro frumento in cellam æstimato dabant; deinde, quæ pro frumento emendo ab ærario dabatur. utramque autem quæstoris fuisse curam, unus ex Cæciliana locus aperte demonstrat: *Queritur Sicilia, C. Verrem prætorem ab aratoribus, cum frumentum sibi in cellam imperavisset, & cum esset tritici modius sestertiis binis, pro frumento in*

modios singulos duodenos sestertios exegisse. id ne alteri crimini dabis, quod eodem tempore in eadem provincia tu ipse quaestor fecisti? Emptum est ex senatus consulto frumentum ab Siculis Verre praetore. pro quo frumento pecunia omnis soluta non est, te accusante nullum crimen. eras enim tu quaestor, pecuniam publicam tu tractabas, ex qua, etiamsi cuperet praetor, tamen ne qua deductio fieret, magna ex parte tua potestas erat. Mancipes a civitatibus pro frumento pecuniam exegerunt. quid? hoc Verre praetore factum est solum? non: sed etiam quaestore Caecilio. quid igitur? daturus es huic crimini, quod & potuisti prohibere, ne fieret, & debuisti? & alibi: *Cum ego in eadem ista Sicilia quaestor pro frumento civitatibus pecuniam solverem, non modo istas duas quinquagesimas, sed omnino nummum nullum dico cuiquam esse deductum.* De reliqua pecunia a publicanis exigenda extat ejusdem in epistola ad Crassipedem testimonium, in qua rei, & utilitatis publicanorum sociorum defendendae atque augendae cum maximam potestatem habere quaestorem dicat, eam a quaestore quoque curatam pecuniam indicat. unde P. Rutilium etiam damnatum ab equitibus Rom. scimus, *quod quaestor*, ut inquit Pedianus, *publicanos in provincia sua Asia nihil agere, cum praetore suo Q. Mucio consenserit.* Atque hoc judicium de praeda quoque facere possumus, quando P. Scipio Aemilianus in Hispania munera sibi ab Antiocho rege Syriae missa quaestorem referre in tabulas jussit, & M. Cato captivos Vergiltanos in Hispania quaestori ut venderet, imperavit, ut Livius prodidit. Nam T. Antistium quaestorem signandae etiam pecuniae Apolloniae praefuisse, Cicero scripsit ad L. Plancum.

Ut autem praetores quaestoribus jurisdictionem saepe, imperiumque suum mandarunt, sic saepe etiam rei totius frumentariae administrationem commiserunt. quod ejusdem testimonio cognoscitur, cum inquit in Verrem: *Tibi Cn. Carbo consul quando improbus esse coepit? posteaquam tibi pecuniam, rem frumentariam, rationes omnes suas, exercitumque commisit.* Itaque post paulo subjungit: *Pro quaestore vero quo modo Phrygiam frumento imperando, aestimandoque afflixerit, non est necesse demonstrare. Scitote, his nominibus, cum iste civitatibus frumentum, coria, cilicia, saccos imperaret, neque sumeret, pro his rebus pecuniam exigeret, his nominibus solis Cn. Dolabellae praetori sestertium ad tricies litem esse aestimatam: quae omnia nisi voluntate Dolabellae fiebant, per istum omnia tamen gerebantur.* Alioque loco addit, ante Verrem praetorem vini, & olei decumas, & frugum minutarum a quaestoribus in Sicilia venditas esse. & se quaestorem in Planciana frumenti Romam mittendi curam habuisse profitetur, inquiens: *Non vereor, nequis audeat dicere, ullius in Sicilia quaesturam aut gratiorem, aut clariorem fuisse. frumenti in summa caritate maximum numerum miseram negotiatoribus comis, mercatoribus justus, municipibus liberalis, sociis abstinens, omnibus etiam visus sum in omni officio diligentissimus.*

De imperio vero quaestorum neminem puto expectare, dum scribam: quod ut legatos, sic quaestores, aut imperio caruisse, aut auspiciis praesidis, & imperio ab eo accepto rem gessisse, ex proxima disputatione satis perspicuum sit. Unde illa Caesaris sunt bello Gallico: *Caesar partitis copiis cum Fabio legato, & Crasso quaestore, hostes adiit tripartito.* & alibi: *Antonium quaestorem praefecit hibernis.*

CAP. IX.

De decessione praesidum, & quaestorum.

SANE restat, ut, quando jus universum in provincia praesidum, quaestorumque aperuimus, ad extremum etiam, quemadmodum ambo de provincia decesserint, exequamur. siquidem ut non temere in provinciam venerunt, sic neque ex ea temere decesserunt. Moris ergo fuit, ut praeses, annuo provincialis imperii munere terminato, successorem, si mature venturus erat, in provincia expectaret, atque ei advenienti obviam prodiret, ac praesenti praesens provinciam atque exercitum traderet; deinde intra triginta dies (tot enim lex Cornelia Syllae dedit,) decederet; verum interea nihil in provincia, quod ad administrationem attineret, attingeret. Quocirca Cn. Pompejus aegre tulisse fertur, quod L. Lucullus ex Asia, colloquio, conspectuque suo vitato, decesserit; & Appius, quod cum Lentulus sibi, ipse Lentulo processisset in Cilicia obviam, Cicero sibi decedenti noluerit. quod Cicero ita purgavit, ut omnem ejus rei culpam in Appium ipsum rejecerit; quippe quem se jampridem in provincia versante, jus quoque dixisse Tarsi arguerit. Quod si decessor ante successoris adventum decessisset, tum vero aliquem, qui provinciae praeesset, ut quaestorem, aut legatum, cum imperio relinquere est coactus. unde anceps illa Ciceronis deliberatio nata est, de qua cum Attico: *Obrepsit dies, ut vides. mihi enim ante diem tertium Kal. Sext. de provincia decedendum est. nec succeditur. quem relinquam, qui provinciae praesit? ratio quidem, & opinio hominum postulat legatum fratrem. primum quod videtur esse bonus; deinde quod solum habeo praetorium. quaestorem nemo dignum putat.* & ex intervallo: *Mihi difficilis ratio administrandi, quod paucos dies habebam reliquos annui muneris. illud autem difficillimum, relinquendus erat ex S. C. qui praeesset. nihil minus probari poterat, quam quaestor Messinius. nam de Coelio nihil audiebamus. rectissimum videbatur, fratrem cum imperio relinquere, in quo multa molesta.* & ad Coelium: *Ego provincia decedens, quaestorem Coelium praeposui. puerum, inquis. at quaestorem, & nobilem adolescentem. at omnium ferme exemplo. neque erat superiore honore ullus, quem praeficerem.* Qui vero ex quaestore, aut ex legato provinciae praeponebatur, is deinde aut propraetoris, aut proconsulis nomen ferebat, prout ab hoc, aut ab illo imperium acceperat: atque aut hujus, aut illius vices sustinebat. Atque de decessione quidem praesidum haec invenimus.

Quaestorum autem haud sane multo simplicior fuit ratio decedendi. Hi enim ut non semper cum suis praetoribus in provinciam perrexerunt, sic neque semper cum iis, verum saepe aut ante, aut post eos decesserunt. C. quidem Gracchus per triennium in Sardinia quaestor Orestis proconsulis fuit, L. Lucullus L. Murenae in Asia per multos annos. Eundem etiam Gracchum non expectato successore decessisse invenio, atque hoc idem postea fecisse Caesarem in Hispania. Fuit etiam, qui, quia sibi successum non esset, in provincia ultra tempus annuum remanserit. ut Antistius, de quo Cicero ad Plancum: *T. Antistius cum sorte quaestor provinciam Macedoniam obtineret, neque ei successum esset, Pompejus cum exercitu in eam provinciam venit.* Ex quo intelligi potest, quam varia quoque, & inconstans decessionis quaestoriae ratio, atque observatio fuerit. Redeo ad praesides. Hi vero successore, aut vicario imperii constituto, Romam decedebant, si ante, quod C. Julius in primo consulatu sancivit, rationes pecuniae confectas apud duas provinciae civitates reliquissent. Unde Cicero ad Rufum: *Illud certe factum est, quod lex jubebat, ut apud duas civitates*

Laodicensem, & Apamensem, quoniam ita necesse erat, rationes confectas, & consolidatas deponeremus. His rebus actis inde e provincia decesserunt, ac Romam venerunt; &, nisi triumphum petere in animo habuissent, lictoribus dimissis, & paludamento deposito urbem privati ingressi sunt. Quemadmodum Cicero in Pisonem ostendit, cum inquit præter cetera: *Togulæ lictoribus ad portam præsto fuere. quibus illi acceptis sagula rejecerunt, & catervam imperatori suo novam fecerunt.*

CAP. X.

De triumpho Imperatorum.

SIN autem de triumpho postulando cogitarent, aliquandiu ad urbem manebant, & lictores, fascesque laureatos, quandiu non triumphassent, habebant, ac senatu in ædem Bellonæ evocato res a se gestas exponebant, ac triumphum petebant. Hinc Asconius: *Ad urbem esse dicebatur de iis, qui cum provinciali potestate nuper e provincia revertissent.* & Sallustius: *Marcius, & Metellus ad urbem imperatores erant, impediti, ne triumpharent, calumnia paucorum.* Cicero etiam reversus e Cilicia, cum triumphum postulare vellet, atque in ipsam belli civilis flammam incidisset, diu fasces, & lictores laureatos habuit, ut ipse scribit. De postulatione triumphi multa suppetunt exempla: verum duobus ego ero contentus. Livius libro XXXI: *L. Furius Gallico triumpho imminens Romam cum venisset, senatum in æde Bellonæ habuit, expositis rebus gestis, ut triumphanti sibi in urbem invehi liceret, petit.* item: *M. Fulvius procos. ex Ætolia reversus ad ædem Apollinis, cum de rebus a se gestis disseruisset, petiit a patribus ut æquum censerent, ob rempubl. bene ac feliciter gestam, & diis immortalibus honorem haberi jubere, & sibi triumphum decernere.* Decreto inde a senatu triumpho, lex ei ferebatur ad plebem, ut quo die urbem inisset, imperium haberet. Livius: *Tribuni pleb. ex auctoritate senatus ad populum tulerunt, ut M. Marcello, quo die urbem ovans iniret, imperium esset:* item: *L. Paulo, L. Anicio & Cn. Octavio decretus est ab senatu triumphus. mandatumque Q. Cassio prætori, cum tribunis pleb. ex auctoritate patrum ageret, rogationem ad plebem ferrent, ut iis, quo die triumphantes urbem inveherentur, imperium esset.* Cicero ad Atticum: *Pontinius vult ante diem IV. Nonas Novembris triumphare. huic obviam Cato, & Servilius prætores aperte. negant enim latum de imperio. & est hercle latum insulse.* Ingressus autem ea pompa, quæ exponetur, in Capitolium ascendebat, ac sacrificio facto convivium ibi celebrabat. atque ad vesperam positis imperii insignibus domum omnino privatus se referebat. Ceterum triumphus omnium honorum, qui suffragio, aut studio civium deferrentur, amplissimus, a Romulo institutus usque ad extrema non solum reipubl. sed etiam imperii tempora permanavit. Pompa vero quanquam alia aliis temporibus pro rerum, ac victoriarum conditione fuit, tamen in hoc fere fuit semper eadem, ut senatus, qui ad portam obviam prodierat, anteiret, tum spolia de hostibus capta, & præda omnis auri, atque argenti, & oppidorum captorum simulachra, & captivorum hostium duces vincti subsequerentur, imperator autem ipse auratis quadrigis, laurea coronatus, dextra ramum lauri tenens, os minio illitus, bulla ornatus, & toga tunicaque triumphali indutus veheretur. currum vero legati, & tribuni militum in equis, & pedibus exercitus omnis victor laureatus cum cantu, & clamore affectaretur, quousque in Capitolium perveniret. De ornatu sic Festus: *Picta quæ nunc toga dicitur, purpurea antta vocitata est, eaque erat sine*

A *pictura. ejus rei argumentum est duplex pictura in æde Vertumni, & Consi. quarum in altera M. Fulvius Flaccus, in altera L. Papirius Cursor triumphantes ita picti sunt.* Livius: *Scipio Massinissam toga picta, & palmata tunica donat. addit verbis honorem: neque magnificentius quicquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem eo ornatu esse.* Plinius libro XXXIII. triumphantium ora minio illini solita scribit. sic Camillum triumphasse. idemque est apud Isidorum. Macrobius primo Saturnalium bullam triumphantib. additam fuisse auctor est. nam de laurea, notissimum est. De ordine pompæ sic Cicero in Pisonem: *Disseris de triumpho? Quid tandem*
B *dem habet iste currus? quid vincti ante currum duces? quid simulachra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati, & tribuni in equis? quid clamor militum? quid tota illa pompa? quid vehi per urbem?* Verum multo pluribus, atque illustrius hanc pompam descripsit Zonaras libro secundo: *Re bene gesta,* inquit, *justaque victoria parta dux statim a militibus imperator appellabatur, & laureatas litteras per tabellarios victoriæ nuncios in urbem mittebat. ipse vero domum reversus senatu habito triumphum postulabat, quem si a senatu, aut populo obtinuisset, nomen imperatoris confirmabat. Quod si adhuc in eo magistratu esset, quo victoriam peperisset, eo etiam in*
C *celebritate utebatur; sin tempus magistratus abierat, aliud nomen ei accommodatum assumebat. neque enim privato triumphare licebat. Triumphali vero habitu ornatus, armillis sumptis, laurea redimitus, & ramum dextra tenens populum convocabat, & militibus suis aliis communibus, aliis propriis laudibus oneratis pecuniam, & ornamenta dividebat, cum armillas aliis, aliis hastas puras, aliis coronas aureas, aliis argenteas expressum viri nomen ac facinus ferentes largiretur. Nam siquis murum primus ascenderat, muri; si castellum aliquod expugnarat, castelli speciem corona gerebat; si navali prælio vicerat, rostris*
D *corona exornabatur; si equestri, equestre aliquid præ se ferebat. Qui autem civem in acie, aut in obsidione, aut in alio periculo conservasset, cum summam laudem assequebatur, tum quernam coronam accipiebat, cujus honos argenteis, & aureis omnibus excellebat. Neque vero hæc dona singulis tantum virtutis caussa dabantur, sed & cohortibus, & exercitibus universis: spoliorum autem magna pars militibus distribuebatur. Quin etiam quidam universum populum donarunt, & sumptus in ludorum publicorum apparatus fecerunt. & siquid reliqui erat, in porticus, templa, aut alia ejusmodi opera publica consumpserunt. His rebus perfectis triumphans currum conscendebat. cur-*
E *rus autem neque bellicarum, neque ludicrarum quadrigarum, sed turris rotundæ instar erat constructus. Quo non ipse solus vehebatur, sed si liberos, aut cognatos aliquos habebat, etiam illorum virgines, & pueros adsciscebat; natu vero grandiores in equis jugalibus imponebat. Si autem plures erant, equis singularibus vecti ipsum prosequebantur. reliquorum vero civium nemo vehebatur, sed laureati omnes pedibus ingrediebantur. Quin etiam minister publicus in ipso curru advehebatur, qui pone coronam auream, gemmis distinctam sustinens, admonebat eum, ut respiceret, id est, ut reliquum vitæ spacium provideret, nec eo honore elatus superbiret. Appensum quoque erat cur-*
F *rui tintinnabulum, & flagellum, quibus notabatur, ipsum in eam calamitatem incidere posse, ut & flagris cæderetur, & capite damnaretur. Nam qui ob facinus supremo supplicio afficiebantur, tintinnabula gestare solebant, ne quis inter eundum contactu illorum piaculo se obstringeret. Hoc autem ornatu urbem inibant. spoliis, & tropæis, & simulachris castellorum, urbium, fluminum, montium, portuum, marium, & reliquorum omnium, quæ in ditionem redegerant, prælatis. Quod si dies unus ad hanc pompam transferendam non esset satis, secundus etiam, & tertius*

aſſumebatur. Illis autem præcedentibus triumphans in forum Romanum delatus, ac captivis inde aliquot in carcerem duci, atque necari juſſis, in Capitolium aſcendebat, ibique ſacrificio facto, & donis conſecratis in iis porticibus cœnatus, ad veſperam domum, tibiis, & fiſtulis præcinentibus ſe recipiebat. Hæc Zonaras. quæ quanquam adeo certa ſunt, ut alia confirmatione non egeant, placet tamen inſtituti tenendi cauſſa, locis etiam aliquot Livii inſignioribus comprobare. ſic loquitur ille de T. Flaminini triumpho Macedonico: *Triduum triumphavit. die primo arma, tela, ſignaque ærea, & marmorea tranſtulit. ſecundo aurum argentumque factum, infectumque & ſignatum. tertio die coronæ aureæ, dona civitatum. translatæ* CXIIII. *& hoſtiæ ductæ, & ante currum multi nobiles capitivi, obſideſque, inter quos Demetrius, regis Philippi filius fuit. ipſe deinde Quinctius in urbem eſt invectus: milites ſecuti currum frequentes, ut ex omni provincia exercitu deportato. his duceni quinquageni æris in pedites diviſi. duplex centurioni, triplex equiti.* & in concione M. Servilii de triumpho L. Pauli Macedonico, qui antiquabatur: *Militum quidem propria eſt cauſſa, qui & ipſi laureati, & quiſque donis, quibus donati ſunt, inſignes, triumphum nomine cient, ſuas, & imperatoris laudes canentes per urbem incedunt.* & poſt: *Et legiones ex Illyrico laureatæ urbem inibunt & navales ſocii, Macedonicæ legiones ſuo abrogato triumpho alienos ſpectabunt? Quid deinde tam opimæ prædæ, tam opulentæ victoriæ ſpoliis fiet? quonam abdentur illa tot millia armorum detracta corporibus hoſtium, an in Macedoniam remittentur? Quo ſigna aurea, marmorea, eburnea, tabulæ pictæ, textilia, tantum argenti cælati, tantum auri, tanta pecunia regia, an noctu tanquam furtiva in ærarium deportabuntur? quid illud ſpectaculum maximum, nobiliſſimus opulentiſſimuſque rex captus ubi victori populo oſtendetur?* & infra: *Pars non minima triumphi eſt victimæ præcedentes, ut appareat, diis grates agentem imperatorem ob rempubl. bene geſtam redire. omnes illas victimas, quas traducendas in triumpho judicavit, alias alio cædente mactate. illas quidem epulas ſenatus, quæ nec privato loco, nec publico profano, ſed in Capitolio eduntur, utrum hominum voluptatis cauſſa, an deorum, hominumque turbaturi eſtis? L. Pauli triumpho portæ claudentur? rex Macedonum Perſeus cum liberis & turba alia captivorum, ſpolia Macedonum circa flumen relinquentur? L. Paulus privatus tanquam rure rediens a porta domum ibit?* & deinde ubi de pompa triumphi agitur: *Ipſe poſtremo Paulus in curru, magnam cum dignitate alia corporis, tum ſenecta ipſa majeſtatem præ ſe ferens. poſt currum inter alios illuſtres viros filii duo Q. Maximus, & P. Scipio, deinde equites turmatim, & cohortes peditum ſuis quæque ordinibus. Pediti in ſingulos dati centeni. duplex centurioni, triplex equiti.* Poſtremo quod ſcriptum eſt apud Zonaram de captivis necandis juſſu imperatoris in Capitolium aſcendentis, idem eſt etiam apud Ciceronem in oratione de ſuppliciis contra Verrem: *At etiam,* inquit, *qui triumphant, eoque diutius hoſtium duces ſervant, ut his per triumphum ductis pulcherrimum ſpectaculum, fructumque victoriæ populus Romanus percipere poſſit, tamen cum de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem jubent, idemque dies & victoribus imperii, & victis vitæ finem facit.*

Hic autem, de quo dixi, honos fuit, ut ego quidem video, duplex, unus triumphus, alter ovatio dictus: major ille, hic minor: ille ob inſignem victoriam, hic etiam ob levem conceſſus. Qui enim, auctore Gellio libro VI. bellum aut non rite indictum, aut non cum juſtis hoſtibus, aut cum humilibus, aut non idoneis, aut ſervis, & piratis geſſiſſet, aut deditione repente facta, incruenta vi-

A ctoria negotium confeciſſet, aut, ut addit in Marcello Plutarchus, verbis, non armis rem peregiſſet, aut, ut ſæpe Livius, qui ſine magiſtratu aut alienis auſpiciis, aut in aliena provincia rem geſſiſſet, aut exercitum non deportaſſet, ei concedebatur, ut ovans urbem ingrederetur. quod erat nihil aliud, niſi ut non quadrigis, ſed vel pedibus, vel, ut aliis placuit, equo vectus, non ſenatu, ſed equitibus Romanis præeuntibus, non tubis, ſed tibiis præcinentibus, non laurea, ſed myrtea corona redimitus iniret, neque taurum, ſed ovem in Capitolio immolaret, quod ex Dionyſio, Plutarcho, Gellio, & Dione, quorum verba in faſtorum conſularium
B commentario recitavi, cognoſcitur. unde Plinius libro XV. ſcribit: *Triumphans de Sabinis Poſtumius Tubertus in conſulatu (qui primus omnium ovans urbem ingreſſus eſt, quod rem leviter ſine cruore geſſiſſet,) myrto Veneris genitricis coronatus inceſſit. hæc poſtea ovantium fuit corona, excepto M. Craſſo, qui de fugitivis, & Spartaco laurea coronatus inceſſit.* Triumphavit autem hic anno urbis ducenteſimo quinquageſimo primo. quanquam Dionyſius hunc ei leviorem habitum eſſe ait, quia male ante rem geſſerat, ac prope in fuga cum ceteris captus fuerat.

Ut autem imperium mandatum eſt conſulibus,
C prætoribus, dictatoribus, & privatis hominibus, iiſque item omnibus prorogatum eſt, ſic conſules, dictatores, prætores primum, deinde etiam reliqui triumpharunt. primus conſul prorogato imperio triumphavit Q. Publilius Philo de Palæpolitaneis. prætor primus Q. Valerius Falto de Siculeis. P. Scipioni, qui privatus in Hiſpaniam cum imperio fuerat miſſus, triumphus eſt negatus. at non multis poſt annis L. Lentulo, ut ovans in urbem rediret, permiſſum eſt. poſtremo vero major etiam triumphus iis, qui ſine magiſtratu rem geſſiſſent, tributus, ut Cn. Pompejo ex Africa, Hiſpania, & Aſia. de P. Scipione ſic Livius: *Ob res geſtas magis eſt tentata tri-*
D *umphi ſpes, quam petita pertinaciter, quia neminem ad eam diem triumphaſſe, qui ſine magiſtratu res geſſiſſet, conſtabat.* de Lentulo vero ita: *Lentulus cum in ſenatu res ab ſe per multos annos fortiter, feliciterque geſtas expoſuiſſet, poſtulaſſetque, ut triumphanti ſibi urbem invehi liceret, res triumpho dignas eſſe cenſebat ſenatus, ſed exemplum a majoribus non accepiſſe, ut qui neque dictator, neque conſul, neque prætor res geſſiſſet, triumpharet. pro conſule illum provinciam Hiſpaniam, non conſulem, aut prætorem obtinuiſſe. decurrebatur tamen eo, ut ovans urbem iniret. intercedente Ti. Sempronio Longo tribuno pl. qui nihilo magis id more majorum, ut ullo exemplo futurum*
E *ducebat, poſtremo victus conſenſu patrum tribunus ceſſit. ex S.C. Lentulus ovans urbem eſt invectus.* Ex iis, qui cum magiſtratu, atque adeo etiam cum imperio ſummo fuerunt ſoli decemviri, & tribuni militum conſulares triumphum nullum egerunt.

Fuerunt etiam alia præclara triumphantium jura, de quibus ſcriptum extat apud Valerium. ut illud: *Ne quis triumpharet, niſi quinque millia hoſtium una acie cecidiſſet.* Unde lex extitit, quam L. Marius, & M. Cato tribuni plebis tulerunt, qua pœnam imperatoribus minati ſunt, qui aut hoſtium occiſorum in prælio, aut amiſſorum civium falſum nu-
F merum ad ſenatum ſcripſiſſent, & juſſerunt, eos quamprimum ad urbem acceſſiſſent, apud quæſtores urbanos jurare, de utroque numero vere ſe ad ſenatum ſcripſiſſe. item illud: *Ne qui pro altero rem geſſiſſet, ſed is, cujus auſpiciis res geſta eſſet, triumpharet.* Quod exemplo Q. Valerii prætoris, & Q. Lutatii conſulis, bello Punico primo confirmatur. & illud, quod more potius retentum, quam lege obſervatum videtur: *Ne pro recuperato, ſed pro aucto imperio triumpharetur:* ut Q. Fulvio conſuli de Capua recepta, & L. Opimio prætori de Fregellis in ditionem redactis, negatus eſt. Item: *Ut de ex-*

ternis hostibus, non de civibus ageretur. quo factum est, ut neque L. Sulla de inimicis suis, neque Q. Catulus consul de M. Lepido, neque C. Antonius de L. Catilina, quanquam illi adversus remp. steterant, atque arma tulerant, triumpharint.

Hic autem honos primum a senatu, post etiam repugnante senatu a populo datus est. primum sine senatus consulto, collega intercedente, triumphasse P. Servilium Priscum consulem de Volscis anno urbis CCLVII, testis est Dionysius. Primi vero patribus invitis, jubente populo, de Sabinis M. Horatius, de Æquis L. Valerius anno CCCIIII.

Quin etiam illud est observatum, ut aut ex terrestri victoria, aut ex navali, itemque aut in urbe, aut cum id non daretur, in monte Albano triumpharetur. primus navalem triumphum egit C. Duilius bello Punico primo. in monte Albano triumphavit primus C. Papirius Maso consul de Corseis. de quo ita Valerius: *Papirius Maso cum bene gesta rep. triumphum a senatu non impetrasset, in Albano monte triumphandi & ipse initium fecit, & ceteris postea exemplum præbuit, proque laurea corona, quum alicui spectaculo interesset, myrtea usus est*. Cujus vestigia M. Marcellus bello secundo persecutus de Syracusanis in monte Albano triumphavit.

CAP. XI.

De relatis ad ærarium rationibus.

UBI vero sive triumphantes, sive privati urbem introierant, tum alio die rationes referre ad ærarium cogebantur, nec multo post centuriones, ceterosque provincialis curæ socios ad ærarium in beneficiis, si liberet, deferre. Ac ante legem quidem Juliam liberior referendi ratio fuit. lege autem Julia cautum est, ut rationes, quas in provincia apud duas civitates reliquissent, eas statim atque urbem inissent, ad ærarium totidem verbis referrent, atque triginta diebus, quibus rationes retulissent, comites in beneficiis deferrent. Hoc tamen non prætorum proprium, sed quæstorum commune fuit. Ac rationum quidem a proconsule, & a quæstore ante legem Juliam relatarum Verris prætura, & quæstura testes erunt. de quibus Cicero: *Præturæ, quam ex senatus consulto statim referre debuit, usque ad hoc tempus non rettulit. quæstorem se in senatu expectare dixit. perinde quasi non, ut quæstor sine prætore posset referre, eodem modo sine quæstore prætor, dixit idem Dolabellam impetrasse*. item: *Videamus, rationes quemadmodum rettulerit. Accepi, inquit, vicies ducenta triginta quinque millia quadringentos septemdecim nummos. dedi stipendio, frumento, legatis, proquæstori, cohorti prætoriæ sestertium mille sexcenta triginta quinque millia quadringentos septemdecim nummos. reliqui Arimini sestertium sexcenta millia. hoc est rationes referre? hoc modo quisquam hominum rettulit?* item: *Rationes ad ærarium antequam Dolabella condemnatus est, non audes referre. impetrat a senatu, ut dies sibi prorogaretur, quod tabulas suas ab accusatoribus Dolabellæ obsignatas diceret, perinde quasi exscribendi potestatem non haberet. audistis quæstoriam rationem tribus versiculis relatam.* Qualis autem post legem Juliam rationum referendarum ratio fuerit, Pisonis, Ciceronis, & Bibuli proconsulatus ostendunt. nam de Pisone sic Cicero in oratione adversus eum: *Rationes ad ærarium rettulit continuo, sicut lex jubebat. neque alia ulla in re ei legi paruit*. De se ad Rufum quæstorem suum: *Existimes velim, si rationum referendarum jus vetus, & antiquus mos maneret, me relaturum, nisi tecum pro conjunctione nostræ necessitudinis contulissem, confecissemque, non fuisse. quod igitur fecissem ad urbem, si consuetudo pristina maneret; id quando lege*

A *Julia relinquere rationes in provincia necesse erat, easdemque totidem verbis referre ad ærarium, feci in provincia. neque ita feci, ut te ad meum arbitrium adducerem, sed tribui tibi tantum, quantum me tribuisse nunquam pœnitebit. totum enim scribam meum tibi tradidi, tu ei M. Mindium fratrem tuum adjunxisti. rationes confectæ me absente sunt tecum. ad quas ego adhibui nihil præter lectionem*. & post: *Illud certe factum est, quod lex jubebat, ut apud duas civitates Laodicensem, & Apamensem, quoniam ita necesse erat, rationes confectas, & consolidatas deponeremus. itaque huic loco primum respondeo, me quanquam justis de caussis rationes deferre properarim,* B *tamen me expectaturum fuisse, nisi in provincia rationes pro latis haberem*. De Bibulo autem ad Caninium quæstorem Bibuli: *De rationibus referendis non erat incommodum, te nullam referre, quam tibi scribis a Bibulo fieri potestatem. sed id mihi vix videris per legem Juliam facere posse. quam Bibulus certa quadam ratione non servat, tibi magnopere servandam censeo.*

Jam vero comitum, quos dixi, in beneficiis deferendorum duo ante legem Juliam testimonia extant, unum in oratione pro Archia, in qua Archiam, ut civem Rom. in beneficiis ad ærarium de- C latum esse a L. Lucullo prætore, & consule inquit; alterum in oratione pro Balbo, ubi Cæsarem in prætura, & in consulatu Balbum præfectum fabrum ait detulisse. Post legem autem Juliam, quæ triginta dies post rationes relatas deferri jussit, illud est ejusdem in epistola ad Messinium Rufum, quæstorem suum: *Quod scribis de beneficiis, scito a me & tribunos militum, & præfectos, & contubernales duntaxat meos delatos esse. in quo quidem ratio me fefellit. liberum enim mihi tempus ad eos deferendos existimabam dari. postea certior factus sum triginta diebus deferri necesse esse, quibus rationes rettulissem. Sane moleste tuli, non illa beneficia tuæ potius am-* D *bitioni reservata esse, quam meæ, qui ambitione nihil uterer. de centurionibus tamen, & de tribunorum militum contubernalibus res est integra. genus enim horum beneficiorum definitum lege non erat.*

Neque vero præsides solum, & quæstores, sed etiam legatos rationes reddere coactos invenio. siquidem de P. Scipione Africano L. Scipionis fratris sui in Asia legato ita scribit Gellius: *Tribuni pl. in senatu instabant, ut pecuniæ Antiochinæ, prædæque, quæ in eo bello capta erat, rationem redderet. fuerat enim L. Scipioni Asiatico fratri suo imperatori in ea provincia legatus. ibi Scipio exurgit, & prolato e sinu togæ libro rationes in eo scriptas esse dixit o-* E *mnis pecuniæ, omnisque prædæ. illi tum, ut palam recitaretur, & ad ærarium deferretur. Sed enim id jam non faciam, inquit, nec me ipse afficiam contumelia. eumque librum statim discidit suis manibus, ac concerpsit, ægre passus, quod, cui salvus imperii ac reip. accepta ferri deberet, ab eo ratio pecuniæ prædaticiæ posceretur*. & de Verre Dolabellæ legato Cicero: *Legationis rationes non rettulit, nisi condemnato, & ejecto Dolabella prætore, & qui posset reprehendere.*

F

CAP. XII.

De judiciis præsidibus & eorum comitibus constitutis.

UT autem præsidibus, qui se optime gessissent, magni, ut dixi, & in provincia, & in urbe honores habiti, sic contra, si quid deliquissent, atque a legibus, de quibus dixi, recessissent, multis judiciorum laqueis irretiti sunt. In primis autem tribus obnoxii legibus, ac quæstionibus fuerunt, peculatus, majestatis, & repetundarum; peculatus,

si prædam, aut pecuniam publicam avertissent, A quo judicio etiam quæstores, legati, & scribæ eorum obstricti fuerunt; majestatis, si aut exercitum, aut provinciam hosti prodidissent, aut ultro exercitum e provincia eduxissent, aut bellum sine S. C. intulissent; repetundarum, si se in socios avare, aut libidinose, aut crudeliter, aut injuste gessissent. quæ lex maxime socialis fuit, & provinciarum salutem continuit. quo judicio postulati plurimi, damnati multi, nonnulli etiam absoluti sunt. Sed de his legibus, & quæstionibus mox in libro de judiciis disputabimus. si prius iis responderimus, qui a nobis in hac provinciali disputatione dissentiunt. Hic est autem Nicolaus, ut dixi, Gruchius, qui longe aliam magistratuum, imperatorumque rationem esse contendit, ac nos tradidimus. Quamobrem faciamus, ut separatim, quantum in ejus sententia ad veritatem momenti sit, ostendamus, eamque disputationem quasi tertium librum proposito provinciarum commentario subtexamus.

CAROLUS SIGONIUS
DE
ANTIQUO JURE PROVINCIARUM.

LIBER TERTIUS.

Ad illustrem juvenem Joannem Riccium Politianum.



EX omnibus quæstionibus, quæ his temporibus doctorum hominum ingeniis excitatæ in aliqua politiorum litterarum tractatione versantur, haud scio, an ulla alia aut genere ipso nobilior, aut usu fructuosior sit, quam quæ jamdiu inter me, & Nicolaum Gruchium agitatur. quippe quæ sit, ut te optime nosse puto, de re non solum in antiquitatis, sed etiam in philosophiæ studio maxima. Nam verbo quidem de antiquo usu legis curiatæ contendimus, at re vera de jure senatus, populique Romani, de jure magistratuum atque imperatorum, de obscurissimis probatissimorum scriptorum locis disputamus. Neque tritas jampridem in scholis quæstiones aliquot cum eorum, qui audiant, molestia retractamus, sed novas, atque huic sæculo inauditas controversias edimus. unde non Romanarum solum rerum, sed civilis etiam disciplinæ studio dediti utilitatis, atque adeo etiam voluptatis capere non minimum possint. Hujus autem concertationis initium inductum est a me; qui cum breviter quid ab eo in hac tota ratione dissentirem, non refellendi hominis gratia, sed indagandæ veritatis caussa annos abhinc decem exposuissem, eruditum hominem, atque acutum studio responsionis usque adeo incendi, ut ipse quasi legitimo aliquo hujus rei judicio constituto ac reo comperendinato, una atque altera actione totam caussam sibi sumpserit perorandam. Quarum actionum quando ego uni paucis ante annis respondi, putavi mihi faciendum, ut nunc quoque alteri responderem, totamque caussam novo quasi suscepto patrocinio retractarem. Quamobrem te hortor adolescentem præsertim ut opibus, & fortuna, sic ingenio studioque florentem, ut partem aliquam temporis de honestissimis tuis studiis demas atque ad hujus quæstionis cognitionem traducas. nam eodem tempore cum vetustissima, eademque pulcherrima populi Romani jura cognosces, tum difficillimos illustrium auctorum locos, eosque nostris adhuc parum hominibus notos intelliges. Qua notitia neque liberalius atque honestius, neque ætati, fortunæve tuæ quidquam esse convenientius potest. Atque ut hoc ipse acriore tibi studio faciendum existimares, cepi hoc tibi opus dicandi consilium. Quod ut facerem, primum præcipuo quodam meo erga te studio, deinde excellenti Jacobi Falconii juvenis eruditissimi prædicatione impulsus sum. Nam & ego te, cum Bononiæ ad me audiendum accederes, ac non dubia præstantis tuæ erga me voluntatis testimonia dares, ita jam tum amare institui, ut omnia officia me propterea tibi debere putem, & Falconius ipse, qua est

est humanitate præditus, ea mihi de admirandis tuis ad omnem dignitatem, laudemque progressibus rettulit, ut te hoc potissimum honoris genere, qui non nisi egregiis adhibetur hominibus, decorandum existimem, scilicet ut nomen tuum domesticis multis apud nos laudibus, virtutibusque clarissimum latius mea quantulacunque commendatione propagem, ac bonis quasi auspiciis præclaram augescentis in te virtutis indolem apud homines non obscuro hoc monumento commendem. sed ad rem veniamus.

CAP. I.

De lege curiata magistratuum Gruchii opinio.



CUM legissem libros nuper a te de comitiis Romanorum in lucem editos, Nicolae Gruchi, cum aliis rebus multum, tum illustri quadam eximiæ, ac minime vulgaris ingenuitatis tuæ significatione plurimum sum affectus. qui cum multa præclare de antiquissima illa consuetudine præcepisses, ea tamen haud quaquam ita re amplexari diceres, ut pro oraculis habenda censeres, immo vero maximam te habiturum esse doctis hominibus gratiam prædicares, qui non modo tua refutarent, sed veriora etiam in vulgus emitterent. Quibus ego vocibus, ut vere dicam, impulsus, cum forte eodem tempore de antiquo civium Romanorum jure perscriberem, atque a te in quæstione omnium, quæ in tuo tractantur libro, gravissima, ac difficillima dissentirem, eo facile me adduci sum passus, ut tua exposita sententia meam & ipse quasi aliud agens ascriberem; non ut tibi contradicerem, sed, quemadmodum tum testatus sum, ut litterarum studia nobilissima explicanda quæstione & ipse pro virili parte mea juvarem. Hunc tu locum cum legisses, ad eum tibi respondendum duxisti, ac præcipuum ea de re librum adversus me divulgasti. in quo cum caussam tuam accuratissime agis, tum me ad respondendum doctorum hominum quasi judicio quodam constituto lacessis. Quid quæris? quamquam ut nec opinata, sic non jucunda admodum illa mihi provocatio accidit, ut qui omnem curam jam meam alio, cogitationemque converteram. respondi tamen; sed paucis, ne omnino eruditum hominem, & me honestissimo certamine provocantem viderer contemnere. Verum qua me ratione molestia liberasse existimavi, ea mihi magis fuit adversaria. ecce enim post annum, non exiguum, ut ante, libellum, sed justum prope volumen edidisti. in eoque cum multis verbis eadem omnia repetis, quæ superiore disputatione tractaras, tum præter rem multa alia infers, ac sophistica quadam ratione concludis, &, quod magis mihi mirum accidit, sævo adeo atque impotenti animo interdum adversus me loqueris, ut quodam etiam in loco pro summo mihi beneficio tribuas, quod non me asperius, ac contumeliosius appellaris. Bone Deus, tu ne ille Gruchius es, qui paulo ante maximam te doctis hominibus gratiam habiturum esse, qui tua refutassent scripta, scripsisti? Nam si ego opinionem tuam aliquando invito fortasse te improbavi, tua illa tota culpa est, qui me, ut id facerem, invitasti; si ceteros omnes præter unum me ad hoc officium advocasti, næ ego posthac diligentius de ista contumelia videro. Neque enim ea te res perturbare potest, quod ego in te aut in disputando acrior, aut in scribendo contumeliosior fuerim, cum tertio quoque verbo tanta te cum laude appellem, ut tu ipse scripseris, *magnas te mihi eo nomine habere gratias, quod ea modestia usus sim in te reprehendendo, ut cum honorifica laudis tuæ præfatione nec gloriæ, nec*

A *contentionis studio ductus, sed veritatis tantum amore ad hanc dissensionem verius, quam reprehensionem pertractus videar.* Cum autem hanc, quam tu vocas, modestiam non solum in libris de jure civium Romanorum, sed etiam in responsione mea servarim, ita ut semper tibi plus, quam mihi, tribuerim, & me tantum aliter, quam te de rebus iis, quæ tum agerentur, sentire dixerim, satis mirari non possum, cur tu ab illa, quam tu in aliis tantopere laudas, animi moderatione discesseris, atque in disputando acerbiorem te interdum, quam acutiorem esse malueris. neque severa interea hominum judicia exhorrueris; qui te fictam, ac simulatam illam moderati
B hominis personam opportune deposuisse, existimaturi sunt, ut ceteros ab ejusmodi auctoritatis tuæ lædendæ cogitatione averteres. qua de re tu quodam in loco videris non mediocriter laborare. Sed his omissis, feci non invitus, ut tuæ voluntati obtemperarem, ac tibi iterum responderem; sed feci fortasse brevius, quam voluminis magnitudo, cui respondeo, postulabat. neque enim quæ ab utroque nostrum in superiore disputatione dicta sunt, ea mihi nisi necessario repetenda duxi. & si qua res nova incidit, eam vero, quam potui, brevissime sum complexus. inciderunt autem præclaræ nonnullæ,
C quod tu, credo, ut, quam valeres ingenio, demonstrares, omnia prope decreta mea sigillatim tibi aggredienda sumpsisti, quasi opima quædam de me spolia relaturus, si te mihi insultare copia ingenii tui perterritus permisissem. verum rem aggrediamur.

Omnis nostra ex eo fonte ducta est controversia, quænam sit lex curiata, cujus meminit Cicero in secunda agraria, cum inquit: *Majores de omnibus magistratibus bis vos judicare voluerunt. nam centuriata lex censoribus ferebatur, cum curiata ceteris patriciis magistratibus, tum iterum de iisdem judicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui pœniteret. nunc quia prima illa comitia tenetis centu-*
D *riata, & tributa, curiata tantum auspiciorum caussa remanserunt. hic autem tribunus plebis quia videbat, potestatem neminem injussu populi, aut plebis posse habere, curiatis eam comitiis, quæ vos non sinitis, confirmavit: tributa, quæ vestra erant, sustulit. ita cum majores binis comitiis voluerint vos de singulis magistratibus judicare, hic homo popularis ne unam quidem populo comitiorum potestatem reliquit. Sed videte hominis religionem, & diligentiam. vidit, & perspexit, sine curiata lege decemviros habere potestatem non posse, quoniam per novem tribus essent constituti. jubet ferre de his legem curiatam prætorem, qui primus factus sit. si lex lata non erit, Decemvi-*
E *ros eo jure esse jubet, quo qui optima lege.* & post: *Consulibus legem curiatam ferentibus sæpe intercessum est.* item: *Consuli, si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet.* postremo: *Sint igitur Decemviri neque veris comitiis, hoc est, populi suffragiis, neque illis ad speciem atque usurpationem vetustatis per triginta lictores auspiciorum caussa adumbratis constituti:* omnis, inquam, nostra in hoc est posita controversia, quæ sit lex curiata, cujus in his locis Cicero meminit. neque enim idem nostrum uterque sentit. Afferam primum opinionem tuam, deinde meam. Tua vero his a te verbis est in secunda Actione exposita: *Jam inde ab*

exactis regibus majores magistratus, qui a populo crearentur, lege curiata ita fuisse ornatos, ut postquam centuriatis creati essent, ad confirmandum illis quadam auspiciorum religione magistratum curiata etiam adhiberentur: minores vero nunquam binis comitiis creatos, nisi postquam cœperunt tributis comitiis creari, idque propter eandem auspiciorum religionem. Addis inde: *Ciceronis ætate non curiis triginta, ut olim, convocatis, sed lictoribus curiarum triginta tantum legem curiatam latam esse*. Atque hæc ita esse confirmas non his solum, quæ recitata sunt ex Agraria locis, sed etiam altero Messallæ, tertioque ex secunda Philippica Ciceronis. Quid igitur mihi a te in tota hac ratione dissentienti faciendum est? nimirum illa duo, unum, ut incommoda istius opinionis ostendam; alterum, ut perversitatem interpretationis horum locorum, quibus ipsa fulcitur, aperiam. Quamobrem aggrediamur. In tua ergo opinione illa quattuor reprehendo; unum, quod magistratus patricios, plebejosque nova significatione accipis; alterum, quod curiata comitia ad auspicia magistratibus jam designatis mandanda esse adjuncta scribis; tertium, quod legem curiatam Ciceronis etiam tempore ad hunc usum observatam scribis; quartum, quod eam non a triginta curiis, sed a triginta curiarum lictoribus esse jussam, contendis. De nomine patriciorum magistratuum, & plebejorum, quod Cicero in eo loco usurpat, unde hæc disputatio emanavit, tuque in libris de comitiis, & in prima actione adhibuisti, idem, quod alias ante, repeto, absurdum esse dictu, patricios magistratus centuriatis comitiis designatos, plebejos vero tributis. Nam cum patricii magistratus sint, qui primum patuere patriciis; plebeii vero, qui solis plebeiis; profecto, qui centuriatis comitiis creabuntur, omnes erunt patricii; qui tributis, omnes plebeii. quod est falsum, quia ædiles curules, & quæstores tributis comitiis, temet doctore, creabantur, & tamen erant patricii. quare non omnes patricii centuriatis, nec soli plebeii tributis. Respondes, te cepisse patricios magistratus pro majoribus, plebejos pro minoribus. neque aliud adhuc sentis incommodum. Neque enim recte concludi potest, quia aliquot magistratus patricii, ut consul, prætor, censor, dictator, majores sunt magistratus, propterea plebejos esse minores. patricii enim recte in majores, & minores dividuntur. majoresque sunt, quorum majora sunt auspicia, ut eorum, quos dixi; minores, quorum minora, ut ædilium curulium & quæstorum. plebejorum nulla est ejusmodi differentia, quia carebant auspiciis. Quamobrem si patricius est magistratus, intelligo, quid sequatur, nempe aut majorem esse, aut minorem. si plebejus, nihil tale. Quare multo minus efficietur, patricii magistratus sunt majores magistratus, ergo plebeii sunt minores: neque enim quisquam unquam aut quæsturam, aut ædilitatem curulem magistratus patricios, quia minores essent, plebejos vocavit, ut tu, quod te demonstrare oportuit. Si ergo manet vetus illud, patricios magistratus esse, qui prius patuerunt patriciis; plebejos vero, qui solis plebeiis: nec quia patricii aliquot magistratus majores sunt, propterea plebejos minores esse cogimur confiteri: si tu hoc idem intelligens aliam atque aliam, quam postea demonstrabo, hujus Ciceroniani loci lectionem excogitasti, quid est, quod ex maledicto risum quærens adversus me dicas: *Callipides multum se movet, sed nihil promovet*. cum hic meus Callipides usque adeo promoverit, ut te de loco, id est, de suscepta prioris lectionis sententia deturbarit?

Quod vero secundo loco ais, comitia curiata adjuncta centuriatis fuisse ad auspicia mandanda magistratibus, dico hoc supervacaneum fuisse in majoribus magistratibus consule, prætore, censore. Et-

A enim hi creabantur comitiis centuriatis, quæ ad mandanda auspicia satis valebant, cum essent auspicatissima. Nam Cicero dixit pro Milone: *Illa augusta centuriarum auspicia*. & pro domo: *Centuriata comitia maxime majores justa dici, haberique voluerunt*.

Quod deinde tertio loco dicis, veterem curiatorum comitiorum ad priora confirmanda comitia consuetudinem Ciceronis etiam tempore observatam, id falsum esse hac ratione coarguo. Nam si ipsius tempore magistratus omnes curiatis comitiis confirmati fuissent, Rullus non posuisset in lege sua, ut prætor legem curiatam ferret Decemviris suis a plebe designatis. cum autem posuerit, satis ostendit, se extra ordinem id fecisse. Respondes, si Rullus Decemviros extra ordinem lege curiata ornasset, Ciceronem id ei objecturum fuisse, quod non fecit. Verum hoc non est satis. cur enim Rullo objiciat id, quod ille jure facere potuit? Age enim, non ne tribunus plebis plebem rogare potest? sane. quod plebs jure rogata sciverit, non ne justum est? non est dubium. Cur ergo objiciat Cicero id, quod ille juste facere potuit, ut plebem rogaret? & plebiscito accepto, ut Decemviris legem curiatam quanquam insolitam ferret? tum enim objecisset, si sine plebiscito, id est, plebis injussu Decemviros lege curiata ornasset. Neque enim Rullus confirmabat Decemviros lege curiata, quæ obsoleverat, impudenter, sed ad plebem ferebat, ut id sibi liceret, sine dubio non facturus, si vetus consuetudo mansisset.

Postremo nego curiata comitia per triginta curiarum lictores, non autem per ipsas triginta curias celebrata, atque triginta lictores suffragium de magistratibus ullum tulisse. neque enim verisimile esse, qui consul propter excellentem virtutis opinionem certo judicio ab universo populo centuriatim lectus esset, permissum fuisse, ut eum triginta curiarum lictores suis suffragiis inconsulte repudiarent. Occurris, lictores, quod rogabantur, pro suo arbitratu repudiare non potuisse; &, quod gravius est, addis, me non tuum dictum, sed meum commentum oppugnare, atque antabatarum more pugnare. Verum de antabatis alias: nunc quod instat. Negas legem curiatam a lictoribus antiquari potuisse. Ridet, opinor, Rullus, qui timens, credo, ne lex curiata a tuis istis lictoribus antiquaretur, sic in lege cavit. *Si lex curiata lata non erit, Decemviri eo jure sint, quo qui optimo*. Si lex lata non erit, inquit, id est, si lictores legem non acceperint. ergo poterant non accipere. quod noster antabata non vidit. Addo nunc, si lex hæc de magistratibus curiata ad lictores, non ad curias esset perlata, turpe nimis atque indecorum futurum fuisse, ut prætor, consul, dictator agerent cum triginta lictoribus, tanquam cum universo populo; absurdum vero, si lex curiata de adoptione a triginta curiis, etiam te teste, jussa esset, de imperio vero magistratuum a triginta lictoribus. & cum in his de imperio comitiis cetera servarentur, quæ in justis servabantur comitiis, obnunciatio, intercessio, & reliqua, hoc unum exceptum esset, quod non a populo, sed ab apparitoribus infamibus inirentur.

Hæc sunt, ex quibus dico opinionem de lege curiata magistratuum tuam inanem esse, ac falsam. Relinquitur, ut videamus, an ex auctoritatibus, quas affers, hoc quod vis, quodque contendis, efficiatur. Hi sunt tres, ut dixi, loci; unus hic Ciceronis, qui controversiam intulit; alter Messallæ; tertius ex secunda Philippica. Consideremus omnes.

Ut ex loco Agrariæ eum, quem vis, sensum eliceres, insigni illum, ac prope prodigiosa mutatione facta protulisti, hoc modo: *Nam centuriata lex consulibus ferebatur, ac ceteris patriciis magistratibus, tribu-*

ta plebeiis, tum curiata iterum de iisdem judicabatur. Quo loco primum reprehendo, quod contra fidem veterum omnium librorum addis, demis, mutas, transponis verba, quæ tibi non judicii ratio, sed ingenii libido subministravit, moremque perniciosum in hæc studia inducis, ut quæ loca non intelligamus, ea delendo, addendo, commutando ad nostram sententiam traducamus, ut posthac tuo exemplo nemo tam rudis, ac desperati ingenii sit futurus, qui non ex omnibus scriptorum salebris sit, vel nullo etiam negotio emersurus. illud etiam vitio verto, quod tu morem novum in comitia infers. cui enim probabis, magistratus patricios lege centuriata designatos fuisse, curiata confirmatos; plebejos tributa creatos, curiata confirmatos? Nemo autem dixit unquam e veteribus, cum magistratus designati sunt a populo, eos lege creatos fuisse sive centuriata, sive tributa, sed comitiis centuriatis, aut tributis. Nam legem tum dixerunt, cum de uno nominatim loquuti sunt. ut tum, cum qui designati fuerant, confirmabantur. Etenim cum magistratus designabantur, sic in universum rogabatur populus: *Quos vultis*, exempli gratia, *consules fieri*? cum confirmabantur, ita: *Vultis, jubetis ne, ut M. Cicero, C. Antonius, quos consules populus designavit, consulatum habeant*? hæc posterior rogatio lex est dicta, sive centuriata, sive curiata. prior rogatio legis nomine nunquam invenitur affecta. Etiam illud improbo, quod voces in linguam Latinam aut novas invexisti, aut veteres nova significatione ornasti. Est enim novum illud, *lex tributa*. quam nemo unquam dixit, nisi tu. Lex enim tantum centuriata, & curiata est dicta. pro *tributa*, *plebiscitum* dixerunt. Nova significatione sumpsisti *plebejos* magistratus pro minoribus, ut supra dictum est. verum laudo, quod adjecisti, ne tibi id quidem magnopere arridere. Possum etiam hoc improbare, quod ita præfracte, & obstinate sententiam tuam defendis, ut omnem non minus humanitatis, quam judicii laudem amittas. sic enim agis: *Vel disrumparis licet, ego tamen etiam atque etiam confirmo, locum Ciceronis omnino ita legendum esse, ut a me legitur: Nam centuriata lex consulibus ferebatur, & ceteris patriciis magistratibus, tributa plebeiis; tum curiata iterum de iisdem judicabatur. aut si displicet illud, plebeiis accipi pro minoribus magistratibus, legatur: tributa aliis. aut denique, si patriciorum magistratuum nomine nolimus hic solos intelligi majores magistratus, sed omnino eos, in quibus fuit patriciis locus, ita legatur: Nam centuriata lex aut tributa consulibus ferebatur, ac ceteris patriciis magistratibus, tum curiata iterum de iisdem judicabatur*. Quæ verba aperte declarant, te more antabatarum vagari, vel potius tanquam naufragum quancunque possis tabulam in ipsa caligine tempestatis arripere. Nam ut cetera mittam, quomodo probabis unquam, patricios magistratus ut prætores & consules, comitiis tributis designatos, quod in libris de comitiis fieri non potuisse docuisti? Quod autem ad disruptionem attinet, polliceor, me hujus loci lectionem, & sententiam adeo veram esse prolaturum, ut te omnium quoque consensione disrumpam.

Venio nunc ad verba Messallæ, quæ ab A. Gellio recitantur: *Minoribus magistratibus creandis magistratus tributis comitiis, sed justius curiata datur lege; majores centuriatis comitiis fiunt*. Oro te, quis tibi affirmavit, Messallam dicere, suo tempore magistratus majores, & minores primum comitiis centuriatis, aut tributis creatos, deinde lege curiata necessario fuisse confirmatos? Quid est enim impedimento, quin dicat, ut vere dicit, majores magistratus fieri centuriatis, quibus auspicia accipiunt; minores vero tributis: sed si ferretur eis lex curiata, justius fieri lege curiata? An vero si quis dicat, Cæsaris tempore, magistratus dantur a Cæsare, sed justius a

A populo, significet, a Cæsare primum, deinde a populo eosdem eodem tempore dari, an potius qui dantur a Cæsare, si, ut mos erat, darentur a populo, justius datum iri? Adde, quod cum Messalla inquit: *majores fiunt centuriatis comitiis, minores tributis sed justius curiata lege*, omnino unum tantum genus comitiorum in singulis observatum agnoscit, centuriata in majoribus, tributa in minoribus. nam si auspicia requiruntur, centuriata auspicatissima sunt usque adeo, ut qui centuriatis creati sunt, auspiciorum ratione curiatis non egeant, tributa vero auspicata illa quidem, sed curiata auspicatiora. quare qui tributis creantur, inquit, juste quidem creantur, sed B justius, si curiata lege confirmarentur. quomodo vero tributa auspicata sint, tu docuisti, cum locum illum Ciceronis in libris de Comitiis exposuisti: *Cæsar, qui comitiis tributis auspicatus erat, centuriata habuit*.

Age vero Cicero in agraria nullo modo ita scripsit, ut tu, Messalla vero aliter sentit, ac tu: an vero Cicero in secunda Philippica idem significavit, ac tu interpretaris? multo minus *Quæstor*, inquit, *es factus. deinde continuo sine S. C. sine sorte, sine lege ad Cæsarem cucurristi*. tu *sine lege* interpretaris *sine lege curiata*, ut Antonium dicat, postquam tributis comitiis factus est quæstor, antequam C curiatis confirmaretur, sine S. C. sine sorte, sine curiata lege in provinciam esse profectum. Quo nihil esse potest alienius. est enim eadem ratio quæstoris, ac consulis, quod ad provinciam obtinendam pertinet, ut in libris de jure Provinciarum ostendi. Consul enim primum accipiebat magistratum centuriatis comitiis, deinde ex S. C. sortiebatur provinciam, aut si neque senatus consultum, neque sors intercedebat, lege obtinebat. ut Cæsar, qui neque S. C. neque sorte, sed lege Vatinii tribuni pleb. Galliam adeptus est. sic quæstores primum tributis comitiis accipiebant magistratum, deinde ex S. C. sortiebantur D povincias, aut si neque S. C. neque sors observaretur, extra ordinem lege aliqua, id est, plebiscito eas sibi parabant. objicit ergo Antonio Cicero, quod quæstor factus neque senatus consulto, neque sorte, quæ erant ordinaria, neque lege, quod fiebat extra ordinem, sed uno Cæsaris vocatu in Galliam ad Cæsarem proconsulem venerit. Atque hoc declaratur ex epist. ad Attic. ubi scribit: *Pompejus Q. Cassium quæstorem sine sorte delegit, Cæsar Antonium, ego Cœlium sorte datum offenderem*? Quam enim legem nominat Cicero, ea pertinet ad provinciam quæstori mandandam, non ad auspicia quæstori danda, aut ad quæstorem confirmandum. tua vero E interpretatione non dabatur Antonio quæstori provincia, sed privato quæstura. quasi vero quæstura post S. C. & sortem provinciæ fuerit confirmanda. quo nihil ineptius.

Transeo nunc ad locum Ciceronis, unde tu eam consuetudinem elicuisti, legem curiatam non a triginta curiis, sed a triginta curiarum lictoribus esse jussam: *Sint igitur Decemviri neque veris comitiis, hoc est, populi suffragiis, neque illis ad speciem atque usurpationem vetustatis per triginta lictores auspiciorum caussa adumbratis*. ac doceo, ne hunc quidem a te esse intellectum. Neque enim Cicero significat, ut ais, legem curiatam per triginta curiarum lictores F esse latam. Quid autem vult? nimirum hoc: Rullus decemviros creat comitiis tributis, sed imperfectis, quia non per xxxv. sed per XVII. tribus creat: eosdem confirmat lege curiata, sed ita confirmat, ut, si lex curiata lata non erit, etiam sine ea justum decemviratum habeant. quo fit, ut neque vera tributa afferat, neque curiata etiam falsa, & simulata. quibus reprehensis concludit permissione rhetorica, quæ tum adhibetur, cum ad aliud transire volumus, quod gravius esse putamus, quam id, quod permittimus, & ait: *Sin igitur decemviri*

constituti neque veris, neque saltem in speciem per XXX. *lictores auspiciorum caussa adumbratis comitiis*. id est, non adhibuerit non modo tribus omnes, sed neque etiam curias ullas, neque solum non curias, sed ne lictores quidem curiarum in speciem advocaverit auspiciorum caussa, id est, ut auspicia obtineret, quæ initio comitiorum captantur. nam ut cetera falsa essent, quæ sequuntur, & auspicia, ex quibus deorum voluntate ipsa approbari comitia intelligitur, rite captata initio comitiorum essent, satis justa futura fuisse videbantur. quod ille prætermisit. Rullus enim nulla omnino adhiberi comitia curiata voluit, tum sine lege curiata decemviros magistratum habere voluit. quasi vero officio suo satisfacturus fuerit, si saltem curiata comitia in speciem triginta curiarum lictoribus advocatis adumbrasset, ut postea Cæsar dictator in comitiis suis, de quibus Lucanus:

—— *Fingit solemnia campus,*
Et non admissæ dirimit suffragia plebis,
Decantatque tribus, & vana versat in urna.
Nec cælum servare licet. tonat augure surdo.
Et lætæ jurantur aves bubone sinistro.

Rullus autem ne triginta quidem curiarum lictores, ne dum triginta curias, advocabat. Quæ si ita sunt, jam satis intelligi posse arbitror, uter nostrum antabatarum a te commemorato more se gerat. atque istos tuos triginta lictores curiatos suffragium, quod commentus es, non habuisse, neque habere potuisse. quo decreto ita delectaris, ut totum volumen comitiorum tuorum, & has actiones eo sæpe iterando referseris.

CAP. II.

De lege curiata magistratuum Sigonii opinio.

HACTENUS de tua opinione sit dictum, nunc de mea dicamus. Ego, cum superiorem locum Ciceronis a te perversum, & deformatum viderem, dedi operam, ut incolumi vulgata lectione aliquem inde sensum eruerem. itaque hunc excogitavi. Legem curiatam duplicem fuisse, unam, quæ ferretur olim magistratibus patriciis designatis ad eos confirmandos, ut populus priorem comitiorum centuriatorum infirmare sententiam posset, si ejus pœniteret. verum hanc postremis temporibus obsoletam fuisse, neque nisi extra ordinem plebiscito aliquo revocatam in repub. hæsisse. eam vero a Cicerone intellectam esse cum dixit: *Majores de omnibus magistratibus bis vos judicare voluerunt. nam centuriata lex censoribus ferebatur, cum curiata ceteris patriciis magistratibus, tum iterum de iisdem judicabatur, si populum beneficii sui pœniteret*. alteram vero, quæ consulibus, & magistratibus in provinciam, & ad bellum cum imperio militari profecturis sit lata, ac postremis etiam temporibus observata. eam vero intellectam a Cicerone, cum inquit: *Comitia curiata, quæ vos non sinitis, tantum auspiciorum caussa remanserunt*. item: *Consulibus legem curiatam ferentibus sæpe intercessum est*. item: *Consuli, si legem curiatam non habeat, attingere rem militarem non licet*. Dicamus de utraque, sed prius de priore. Adversus primam consuetudinem tu sic argumentaris: *Si Cicero, cum dixit, legem centuriatam ceteris patriciis magistratibus latam, intellexisset omnes alios præter consules, dixisset, ceteris omnibus magistratibus absque illo verbo patriciis, ita ut etiam tribunos pleb. & ædiles plebis comprehenderet*. præclare. quasi vero tribuni pleb. & ædiles plebis sint patricii, aut ego etiam tribunos, & ædiles significatos dixerim. Item: *si Cicero dixit, Ceteris, non intellexit solos quæstores*. Immo solos quæstores ex ordinariis; non solos, si extraordinarios complectaris: Item,

A *si vera hæc propositio sit, de omnibus magistratibus bis a populo judicatum esse, id maxime tempus animo concipiendum est, quo nulli magistratus plebeii in repub. fuerunt. quod fuit sexdecim tantum annorum*. Noli quæso illa in me tela conjicere, quæ ego in temet retorquere nullo negocio possim. nam & tu hanc propositionem veram esse de patriciis solis consiteris, cum majores, & minores nominas. nam talis divisio solis patriciis convenit. Item: *eodem tempore*, inquit, *M. Lætorius plebejus dedicationem ædis a populo accepit, ergo curiatis. si binis comitiis, ergo non soli patricii*. cui respondeo: Quid si curiatis, sed non binis? quid si sacerdos fuit Lætorius, & non
B magistratus? Item: *Si de primis consulibus bis judicasset populus centuriatis comitiis, ter judicasset, non bis. nam præter hæc etiam lex curiata lata est de imperio militari, quod est in magistratu insitum*. Nego esse insitum, atque hoc me refutaturum esse infra polliceor. Quamobrem, quod quæris, cujus auctoritate hæc mea opinio innitatur, respondeo, niti auctoritate non contemnenda ipsius Ciceronis, & quidem expressa, non extorta, ut tua.

Quando igitur nec tua mihi lectio, nec mea tibi expositio placet, videamus, num meliorem aliquam indagare possimus. Equidem si locus ille Ciceronis,
C unde est hæc quæstio constituta, ita legatur, ut vulgo legitur, nullam aliam oratoris esse, quam eam, quæ a me est allata, sententiam arbitror. At si, ut in veteribus libris legitur, & mihi recte legi videtur, aliquanto secus. sic autem, ut nonnulli quoque notarunt, in iis scriptum reperitur: *Majores de omnibus magistratibus bis vos judicare voluerunt. Nam cum centuriata lex censoribus ferebatur, cum curiata ceteris patriciis magistratibus, tum iterum de iisdem judicabatur*. Mirum est autem, quantum una vox CUM addita lucis veræ sententiæ excogitandæ afferat. quam spero te, ubi cognoveris, pro judicii tui magnitudine arrepturum, ac pro æquitate animi probaturum,
D atque omnem disruptionis acerbitatem continuo abjecturum. Est autem hæc. De omnibus magistratibus majores bis vos judicare voluerunt. Nam cum centuriata lex censoribus jam designatis ferebatur, cum curiata item ceteris patriciis magistratibus pariter jam designatis ferebatur, eo tempore secundum judicium faciebat populus, ut posset reprehendere, si beneficii sui prioribus comitiis delati pœniteret. Primum enim comitiis centuriatis censores designabant, deinde eisdem legem centuriatam ferebant. item centuriatis comitiis consulem designabant, deinde ei legem curiatam ferebant. Non erat autem
E idem designare magistratum, & legem ei centuriatam, aut curiatam jam designato ferre. nam prioribus comitiis si consules exempli gratia creandi essent, populus rogabatur his verbis: *Quos vultis consules fieri*? posterioribus, quibus lex eis curiata ferebatur, his: *Velitis, jubeatis ne, ut ii consulatum habeant, quos populus designavit*? quod ostendit Asconius, cum scribit: *Prærogativæ tribus dicebantur, quod primæ rogarentur, quos vellent consules fieri*. & Cicero in agraria: *Curiatam legem ab eo prætore, qui sit primus factus, ferri jubet. at quo modo? ut ii decemviratum habeant, quos plebs designaverit*. Prioribus autem comitiis designabantur, posterioribus lege con-
F firmabantur. lex autem aut centuriatis comitiis lata est, & centuriata dicta, aut curiatis, & curiata, aut tributis, & plebiscitum vocatum. legis tributæ nomen a nemine unquam nisi a te usurpatum. Res autem sic habuit. Jus confirmandorum comitiorum, & magistratuum primum senatus habuit, ut scripsit Dionysius, & significavit, ut tu quoque notasti, Livius in Numa, cum scripsit: *Quirites regem create. ita patribus visum. patres deinde, si dignum, qui secundus a Romulo numeretur, crearitis, auctores fient*. & post: *Regem populus jussit. patres auctores facti*. & libro VI: *Omnium comitiorum eo anno patres aucto-*

res facti sunt. Significavit autem, patres eo anno magistratus omnes, quos populus plebesve designasset, id quod non quotannis accideret, comprobasse. Verum hoc jus senatus diu tenere non potuit, ut innuit Cicero pro Plancio: *Quod patres apud majores nostros tenere non potuerunt, ut reprehensores essent comitiorum, id haberent judices. tum enim magistratum non gerebat is, qui ceperat, si patres auctores non erant facti*. Hac autem consuetudine sublata, deinde hanc inductam facile possumus suspicari, quam nunc Cicero, omnis antiquitatis peritissimus, prodit, ut populus ipse magistratus a se designatos confirmare, aut infirmare vellet, censores quidem lege centuriata, reliquos patricios magistratus curiata. Verum & hanc sua ætate obsolevisse, idem hoc loco indicat. Itaque Rullus in decemviris suis creandis veterem consuetudinem renovavit: tulit enim, ut prætor legem curiatam ferret, ut ii decemviratum haberent, quos plebs designavisset, ita tamen, ut etiam sine lege curiata eos jure optimo decemviros esse vellet. siquidem verba legis Rulli hæc fuerunt: *Tribunus pleb. qui hanc legem tulerit, comitia creandis decemviris habeto. tribus septemdecim sorte educito. per eas decemviros creato, ut quem novem tribus fecerint, is decemvir sit. item eodemque modo, ut in comitiis pontificis maximi. Qui petet, præsens profitetor. Prætor, qui primus factus erit, legem curiatam ferto, ut ii decemviratum habeant, quos plebs designaverit. Sin is ferre non poterit, qui postremus erit, si lex curiata lata non erit, tum ii decemviri eodem jure sunto, quo qui optima lege. Tribuni pleb. prætori legem curiatam ferenti ne intercedunto: si intercesserint, decemviri eadem potestate sunto, ac si lata lex esset. Decemviri auspicii coloniarum deducendarum caussa pullarios habento, quos habuerunt tresviri lege Sempronia. in quinquennium potestatem habento. apparitores, scribas, librarios, præcones, architectos habento. mulos, tabernacula, cantherios, supellectilem ab ærario sumunto. custodes corporis ex ærario ducentos in singulos annos habento. Xviris vectigalia populi Rom. alienare liceto. summum judicium habento, &c.* Hanc autem legem reprehensurus Cicero, quattuor sibi culpanda suscepit, designationem decemvirum, confirmationem, ornamenta, & potestatem. In designatione vitio in primis vertit, quod decemviros per tribus XVII. crearet, id est, per partem populi. qua re absoluta finxit, se de potestate illorum infinita loqui velle. quod gravissimum omnium crimen erat, & ad plebem maxime pertinebat, & ut verisimile videtur, a plebe avide expectabatur. & propterea, ut ejus cupiditati in speciem satisfaceret, dixit, *Cognoscite nunc, quæ potestas, & quanta detur*. Quo dicto, in sermonem de lege curiata ingreditur, quæ ad confirmationem pertinet, non autem ad potestatem. Primum ergo reprehendit, quod lege curiata decemviros ornet, cum esset inusitatum, ut magistratus daretur lege curiata ei, cui nullis comitiis ante esset datus, id est, privato. nulla enim comitia vocat, quæ per XVII. tribus tantum erant habita, cum per XXXV. oportuisset. & quoniam ferebat, *ut prætor legem curiatam ferret, ut ii decemviratum haberent, quos plebs designavisset*, utraque comitia ab eo adhibita reprehendit, tributa, quia cum propria plebis essent, imperfecta allata sint; curiata, quia cum obsoleta essent, nec a populo magistratuum caussa amplius inirentur, ab eo renovata sint. Itaque addit: *Videte quid juris a majoribus acceperitis, quid ab hoc tribuno pleb. vobis relinquatur. majores de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt. nam cum centuriata lex censoribus ferebatur, cum curiata ceteris patriciis magistratibus, tum iterum de iisdem judicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui pœniteret. nunc quia prima illa tenetis comitia centuriata, & tributa, curiata tantum auspiciorum caussa remanserunt. hic autem tribunus pleb. quia videbat, potestatem neminem injussu populi aut plebis posse habere, curiatis eam comitiis, quæ vos non sinitis, confirmavit, tributa quæ vestra erant, sustulit*. Ex quibus verbis apparet, Ciceronis ætate, populum Roman. magistratuum caussa sola comitia centuriata, & tributa tenuisse, curiata auspiciorum caussa tantum in usu fuisse. id est, populum magistratus designatos curiata lege non amplius, ut olim, confirmasse, quod vero Rullus in decemviris fieri voluit, id ex vetere consuetudine a se revocata ipsum sumpsisse, contra, atque tu putas. siquidem ait: *Curiatis eam comitiis, quæ vos non sinitis, confirmavit*. nimirum significans, populum ad confirmandum decemvirum potestatem, ut ante, amplius non convenire. cujus rei argumento est, quod si curiata comitia magistratuum caussa in usu fuissent, non erat, cur Rullus, ut supra etiam dixi, juberet, prætores legem curiatam ferre, & si lex curiata lata non esset, ut etiam sine ea potestatem habere statueret.

Postquam autem explicavit, quæ ad legem curiatam reprehendendam pertinebant, tum de ornamentis agit, ab illo loco: *Videte nunc, eos, qui a vobis nihil potestatis acceperint, quanto majoribus ornamentis afficiat*. postremo de potestate, ab illo, *Perspicite, quanta potestas permittatur*. quod dicturus visus fuit jam tum, cum proposuit: *Cognoscite nunc, quæ potestas, & quanta detur*. Ac de lege quidem curiata, qua confirmati quondam magistratus a populo sunt, & de binis magistratuum comitiis, & de loco Ciceronis Agrariæ, qui hanc quæstionem excitavit, satis in utranque partem quæsitum sit.

CAP. III.

De binis comitiis, prærogativæ, & jure vocatarum.

Hoc loco quæstio alia subtexenda est, quæ quanquam neque legem curiatam magistratuum, neque locum Ciceronis attingit, tamen quia bina alia comitia magistratuum his finitima continet, non videtur esse prætereunda. Bina vero comitia hæc fuerunt, quæ a prærogativa centuria, & jure vocatis sunt facta. Ego enim cum apud Asconium talium comitiorum mentionem reperissem, quorum tu in libris de comitiis non meminisses, quanquam prærogativæ memineras, addidi, cum prima illa comitia, quibus bis de iisdem magistratibus a populo judicatum scribit Cicero, satis constaret evanuisse, verisimile videri, in eorum locum invectam esse alteram consuetudinem binorum comitiorum, prærogativæ, inquam, centuriæ judicium, & jure vocatarum. cujus consuetudinis quamvis initium esset obscurum, usus tamen vel maxime pateret. Hanc autem consuetudinem his verbis in priore responsione expono: *Aliquot post liberatam rempubl. annos cum jam tributa pro curiatis essent invecta, re pristina consuetudo est mutata, nomine vero retenta. ex omnibus enim centuriis unam sorte duxerunt, quæ prima rogaretur, ac propterea prærogativa diceretur. ejus autem sententia pro unis comitiis habita est. qua pronunciata tum deinde ipsa centuriata comitia sunt perfecta, ut assolebat. hoc autem factum est, vel propter suffragii ferendi commoditatem, ne totus populus bis in suffragia mitteretur, vel quæcunque alia excogitari caussa possit. in hanc autem ego sententiam veni duce Asconio. cujus locum insignem mirabar admodum a Gruchio, cum de prærogativa præciperet, in libris de comitiis esse præteritum. verba vero ejus in Verrinas hæc esse reperiebam: Prærogativæ tribus sunt, quæ primæ suffragium ferunt ante jure vocatas. mos enim fuerat, quo facilius in comi-*

tiis concordia populi firmaretur, bina omnino de iisdem candidatis comitia fieri. quorum tribus prærogativæ dicebantur, quod primæ rogarentur, quos vellent consules fieri, secundæ jurevocatæ, quod in iis sequente populo, ut sæpe contingit, prærogativarum voluntatem, jure omnia complerentur. Quocirca fieri quoque videbam, ut in consulibus creandis prærogativæ apud Livium memoria tantopere celebraretur. Quæ verba mea tu tibi multis modis oppugnanda duxisti, & quidem, ut video, modeste admodum, & minime aspere. Primum enim, *In ridiculis*, inquis, *quis non reponat, id quod dicit, tributorum pro curiatis invectionem caussam attulisse mutandæ consuetudinis binorum centuriatorum in mandando consulatu habendorum?* Quod quam ridicule feceris, alii judicent. neque enim ego, quia tributa pro curiatis essent invecta, sed cum jam tributa pro curiatis essent invecta, mutatam esse pristinam consuetudinem dixi. Deinde, *quid magis ridendum*, inquis, *quam ex eo, quod Asconius bina quodammodo agnoscit comitia in prærogativa, & jure vocatis, colligere bina fuisse integra centuriata, priusquam prærogativa instituta esset?* In quo tu etiam atque etiam ridiculus appares: neque enim apud me est, me ex loco Asconii colligere, ante prærogativam institutam bina fuisse centuriata, sed ex loco Ciceronis: secundam vero consuetudinem, quam dixi, invectam post tributa comitia instituta, me elicere ex Asconii loco. qui cum sit locus insignis, & in primis notandus, & in quo uno binorum comitiorum mentio aperte fiat, tamen a te est prætermissus in magno illo Comitiorum commentario, ita ut neque jurevocatarum, quæ fuerint, mentionem facias. tantum illud libro primo, capite quarto ascribas: *Apud Livium, & Asconium legi prærogativam tribum, & jurevocatas, ubi de comitiis centuriatis agitur.* quod tamen non in criminis loco pono (quid enim hoc me attingit?), sed ut intelligas, me non sine caussa locum hunc ad rationem, disquisitionemque revocasse. *At locum illum non intellexisti*, inquis: cur non? *quia cum vulgo legatur, Mos fuerat bina omnino de iisdem candidatis comitia fieri, ego vero te admonuerim, in aliis libris legi bina denuo, in aliis bina domo, in aliis bina quodammodo, tu vulgatam*, inquis, *omnium pessimam, omnino, retinuisti, quod verbum vel totum tempus significat, vel totam rem. quorum utrumque falsum.* Ego vero si retinuero, *omnino*, (nam me repudiasse *quodammodo*, mea verba non indicant) sed si retinuero: dicam hanc fuisse sententiam Asconii, morem fuisse, ut de iisdem candidatis bina comitia fierent omnino, id est, necessario. quod est, majores magistratus creari non potuisse, nisi prærogativæ judicium jurevocatarum suffragia subsequerentur. ni ita fieret vitiosa fore comitia; neque, si ita dixero, ridiculi aliquid me dicturum sed ridiculum potius eum, qui scripta veterum ad suam traducere sententiam, nisi vi facta, id est, mutatione adhibita, nesciat, existimabo.

Quæris inde, quando primum abrogata priore binorum comitiorum consuetudine posterior hæc prærogativæ, & jurevocatarum inducta sit? si dicam, quemadmodum tu scriptum reliquisti, & me alibi vel invitum scripsisse vis, post expletas XXXV. tribus, quæ fuerunt expletæ post annum quingentesimum, tum me in multas difficultates, atque angustias quasi quasdam disputationis impellis: si ante tribus XXXV. expletas, tum me quasi reum stultitiæ facis, qui a summa tua auctoritate recedam. itaque quo me vertam nescio, cum ita te egisse videam, ut omnes mihi vias evadendi occluseris. tentemus autem an vi aliqua laqueos tuos frangere, si solvere non liceat, istos possimus. Prærogativam institutam esse post XXXV. tribus institutas, & scripsisti in libris de comitiis, & nunc etiam ut cum maxime asseris. argumentaris autem A hoc modo: *Prærogativa centuria non potest esse sine tribu prærogativa. tribus prærogativa non fuit nisi postquam classium centuriæ ad divisionem tribuum pertinuerunt. atque verba Livii libro primo aperte indicant, tum demum Servii mutata divisione classium centurias ad tribuum distributionem pertinuisse, postquam expletæ sunt XXXV. tribus.* Nihil validius. quid tamen, si propositionem utranque negem, non me doctis probaturum existimas? quid si tibi ipsi, nisi pertinax esse volueris, illud idem persuadeam? Nam quod prærogativa, centuria non fuerit sine tribu prærogativa, unde educebatur, id quidem postremis temporibus convinci Cicero- B nis auctoritate video. cur autem primis sine tribu esse non potuerit, ut omnes centuriæ non aliter, quam omnes tribus, in sortem conjicerentur; ita ut quæ prima sorte exisset, prima sententiam rogaretur, ne tu ipse quidem, ut puto, verisimile esse negabis. Verum non sit in hoc controversia. sit, ut est, in eo, quod inquis, ex Livii auctoritate, prærogativam non fuisse, nisi post triginta quinque tribus expletas. Verba Livii sunt hæc: *Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc est, post expletas quinque & triginta tribus, duplicato earum numero centuriis juniorum, seniorumque ad institutam ab Ser. Tullio summam non convenire. quadri-* C *fariam enim urbe divisa regionibus, collibusque, quæ habitabantur partes, tribus eas appellavit. neque hæ tribus ad centuriarum distributionem numerumque quicquam pertinuere.* Dico, te rectam horum verborum sententiam non assequi. primum enim inquis, *centurias* Servii regis tempore *ad tribuum distributionem, numerumque non pertinuisse*; atque hoc etiam in libro de comitiis repetis: cum Livius dicat, *tribus ad centuriarum distributionem, numerumque.* &, quod obtusioris ingenii est, inquis, te me hujus rei adstipulatorem habere, cum in verbis, quæ profers, meis, ego tribus ad centurias, non centurias ad tribus D traductas dicam. Interest autem plurimum, utro modo dicas. nam si dicas, centurias traductas ad tribuum distributionem & numerum, tribuum numerum auctum concludas, non centuriarum: si tribus ad centurias, centuriarum, non tribuum. Livius autem intelligit, numerum centuriarum majorem postea esse factum, quam qui a Servio fuerat institutus. Adde, quod, *Duplicato earum numero*, interpretaris multiplicato centuriarum numero, atque in utroque, ut nunc demum sentio, laberis. neque enim de centuriis intelligit Livius, sed de tribubus; nec multiplicatum centuriarum numerum, sed vere duplicatum tribuum numerum. Nam cum Servius E præter quattuor tribus urbanas, quarum hic meminit Livius, multas etiam rusticas constituisset, ut omnes essent XIX. quemadmodum ego Livii, & Dionysii opinioni convenienter factum probavi in primo de jure civium Roman. cumque post aliæ, atque aliæ deinceps additæ sint, quarum nomina sunt apud Livium, ita ut factæ sint XXXV. vere dixit Livius, post expletas XXXV. tribus numerum tribuum esse duplicatum, cum a XIX. ad XXXV. pervenerint. Loquitur enim Livius de numero centuriarum, qui quoniam major erat ætate sua, quam fuerat ætate Servii, & hæc res poterat admirationem afferre, inquit: *Noli mirari, ordinem centuriarum, qui nunc* F *est post expletas XXXV. tribus, non convenire summæ centuriarum institutarum a Servio. etenim cum duplicatus sit numerus tribuum, & tribus sint traductæ ad divisionem centuriarum, contra atque Servius instituerat, propterea auctus est numerus centuriarum.* Neque vero post XXXV. tribus expletas existimare debes, tribus præcipue traductas esse ad distributionem centuriarum, quia traduci etiam ante id temporis cœperant, sed maximum centuriarum numerum præcipue evasisse post expletas XXXV. tribus. Quamobrem noli quæso ea conclusione uti, qua uteris, cum in-

quis: *Sit ergo constitutum Livii testimonio, non prius pertinuisse classium centurias ad tribuum distributionem, quam Romæ tribus* XXXV. *fuerunt. ex quo consequens est, non potuisse prius prærogativam tribum esse, quam* XXXV. *tribus Romæ fuerunt*. noli inquam ita concludere. immo quoniam Livius uon centurias ad divisionem tribuum, sed tribus ad centuriarum pertinuisse te cæcutiente dixit, collige, maximum centuriarum numerum, qui admirationem facere rem ignoranti poterat, post expletas demum XXXV. tribus fuisse, non autem prærogativam tribum post expletas XXXV. tribus institutam esse. præsertim vero cum Livius idem prærogativæ, & jurevocatarum multo ante expletas XXXV. tribus meminerit, ut libro V. anno CCCLVII. *Haud invitiis patribus P. Licinium Calvum prærogativa tribunum militum creat. omnesque deinceps ex collegio ejusdem anni refici apparebat. qui priusquam renunciarentur, jurevocatis tribubus permissu interregis P. Licinius ita verba fecit*. & libro decimo: *Cum primo vocatæ Q. Fabium consulem dicerent omnes centuriæ*. & post: *Nemini dubium erat, quin Q. Fabius omnium consensu destinaretur, eumque prærogativa, & primo vocatæ omnes centuriæ consulem dicebant*. Nam quod objicis, ut hunc scopulum vites, prærogativæ nomen his in locis improprie usurpatum non pro centuria forte educta, sed pro priore quadam judicii sui significatione, & jurevocatas per prolepsim dictas, in eo neminem, ut spero, habebis sectatorem, sunt etiam talia responsa extrema desperatæ perditæque caussæ perfugia. Cum enim opponat prærogativæ jurevocatas, ut fecit Asconius loco commemorato, & ipse post libro vigesimo septimo, cum dixit: *Galeria juniorum, quæ forte prærogativa erat, Q. Fulvium consulem dixerat, eodemque jurevocatæ inclinassent*, satis ostendit, se eodem modo sumere, quo alias sumpsit, id est, proprie. præsertim vero cum P. Licinium interregis permissu prius, quam collegæ renunciarentur, quos refici appareret, ad jurevocatas locutum inducat, ut eas ab eo consilio deterreret. quæ inania essent omnia, si jurevocatæ jam tum non essent institutæ, aut si jam tum mos non fuisset, ut jurevocatæ omen ipsius prærogativæ sequerentur, aut denique si prærogativam removeres, & jurevocatas improprie dictas defenderes. Neque vero est, quod ea te res moveat, quod in his locis vulgo legatur *prærogativæ*, non *prærogativa*, eamque lectionem ego ante annos XIV. in quinto libro laudarim. nam utraque lectio est veterum librorum, &, ut nunc sentio, rectius legitur, *prærogativa*, quam *prærogativæ* utroque in loco. ut primo vocatas in decimo dixerit, quæ primæ post prærogativam vocarentur, ut ibi dixi. Cum ergo constet, prærogativam, & jurevocatas extitisse, tum cum P. Licinius ad eas locutus fertur, qui fuit annus CCCLVII, verisimile, aut certe non improbablie est, per ea tempora, quæ annum illum præcesserunt, institutas esse. ut quanquam centum hujus institutionis annum, quem a me curiose nimis exquiris, tradere nequeamus, tamen obscuros temporum eorum limites assignare possimus. & sive ea caussa instituendi fuerit, quam Festus, sive ea, quam Varro, prodiderunt, nihil impedimenti est, quin ad ceteras ea quoque adjungi potuerit, quam ego tradidi. de qua tu plus, quam æquum est, laborare videris. quasi vero tu non aliam binorum comitiorum caussam tradideris, quam Cicero, atque eam probabiliorem esse, non ausus sis affirmare.

Ex his autem, quæ dicta sunt, illud statuo, genus unum binorum comitiorum fuisse, cum curiata lex ferebatur, ut ii magistratum haberent, quos populus centuriatis comitiis designasset. quod primis temporibus observatum post obsolevit; alterum, cum ipsius prærogativæ centuriæ judicium jurevocatarum suffragia subsequuta sunt. quod a primis temporibus usque ad postrema permanavit. quorum alterum Cicero significavit in Agraria, alterum Asconius, accedente Livii & Ciceronis testimonio, aperte prodidit.

CAP. IV.

De lege curiata imperatorum.

DEINCEPS sequitur, ut agam de lege altera curiata, quæ magistratibus ad bellum, aut in provincias cum imperio profecturis est lata. qua de re integra adhuc mihi tecum remanet controversia. Est autem quæstio ejusmodi: cum Cicero eodem in loco, *curiata comitia tantum auspiciorum caussa remansisse*, &, *consulibus legem curiatam ferentibus sæpe intercessum esse*; &, *Consuli, si legem curiatam non haberet, rem militarem attingere non licuisse*: satis autem constet, ipsius tempore, quo obsoletam priorem de magistratibus legem curiatam diximus, curiatam alteram de imperio usurpatam, quænam hujusce legis vis, ac sententia sit. Cum autem hæc lex nemini lata inveniatur nisi dictatoribus, consulibus, & prætoribus, cum ad bella, & in provincias cum imperio ire vellent, cumque eadem *rem militarem continuisse* a Livio, eadem *militaris fuisse* a Dione dicatur, facile in eam opinionem jampridem adductus sum, ut credam, hanc legem de imperio, ut dixi, militari auspicato mandando esse latam. siquidem qui auspicato rem gesserunt, auspicia illa a populo accepisse, auctor, ut postea ostendemus, est Cicero. Tu vero eandem esse putas, ac priorem. quippe quæ magistratibus omnibus imperium primum in urbe dederit, deinde idem in provincia continuaverit. imperium autem militare ut in ipso magistratu insitum, sic cum ipso etiam magistratu mandatum censes. ego vero & a magistratu sejunctum, & alio modo, quam magistratum ipsum, delatum opinor. Quare haud levi de re instituitur disputatio, cum sit quærendum, idem ne sit magistratus, atque imperium, idemne consul & prætor, atque imperator. Quoniam autem hæc expediri quæstio non potest, nisi ante quid magistratus, & quid imperium sit, cognoscatur, primum de magistratu, dein de imperio statuamus, quæque de iis inter nos dissensio sit, videamus.

CAP. V.

Quid sit magistratus.

MAGISTRATUS igitur voco potestates omnes eorum, qui res humanas, quæ quidem ad remp. pertinerent, publica auctoritate curarunt. Horum autem, ut in libris de jure civium Roman. scripsi, quattuor ferme fuerunt jura, unum imperandi, alterum jurisdicendi, tertium agendi, quartum auspicandi. Imperium tribus in rebus fuit positum, in edicendo, in vocando, in prehendendo. Edictorum duo genera fuere, unum, quo jurisdictionis suæ formulam initio magistratus proponebant; alterum, quo magistratus auctoritate, ut res tulisset, quæ videbantur, imperabat. Qui porro vocationem habuerunt, ii etiam jus prehensionis assecuti sunt, atque lictoribus & viatoribus & servis publicis usi sunt; qui prehensionem tantum, ii viatorem tantum cum servo publico adhibuerunt; qui neutrum, ii servis publicis duntaxat stipati incesserunt. Jurisdictio vero duas habuit partes, unam decretum, alteram judicii dationem. nam cum jus dicere nihil aliud esset, quam jus, quod in legibus, aut in edictis contineretur, ei, qui id poposcisset, reddere, pro-

fecto tum jus reddebant, cum aut ipsi re sine consilio cognita decernebant, aut judices, qui rem cognoscerent, dabant, atque eis judicandi formulam præscribebant. Actio vero eam habuit vim, ut qui hoc jus habuerunt, ii & ad senatum referre, & ad populum ferre possent de iis rebus, quæ ad remp. pertinerent. Auspiciorum autem ratio triplex; una fuit observatio de cœlo, quæ ad comitia sive impedienda, sive vitianda pertinuit; altera avium inspectio, quam in omni ferme re publice aggredienda adhibuerunt; tertia pullorum tripudium, quæ militiæ in primis est observata. Hæc autem jura convenerunt ita magistratibus, ut non omnes tamen his præditi fuerint, verum imperii, ac jurisdictionis partem aliquam omnes consecuti sint. De edictis res nota est, & a me aliis in libris tractata. De vocatione, & prehensione, quia res flagitat, recitabo verba Varronis ex Gellio. *In magistratu habent*, inquit, *alii vocationem, alii prehensionem, alii neutrum; vocationem, ut consules, & ceteri, qui habent imperium; prehensionem, ut tribuni pl. & alii, qui habent viatorem; neque vocationem, neque prehensionem, ut quæstores, & ceteri, qui neque lictorem habent, neque viatorem. qui vocationem habent, iidem prehendere, tenere, abducere possunt. & hæc omnia, sive adsunt, quos vocant, sive acciri jusserunt. tribuni pl. vocationem habent nullam*, quod, uti inquit Gellius, *antiquitus creari videntur, non juridicundo, nec caussis, querelisque de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis, quibus præsentes fuissent, ut injuria, quæ coram fieret, arceretur. ac præterea jus ad se vocandi ademptum, quoniam ut vim fieri vetarent, assiduitate eorum, & præsentium oculis opus erat*. item alio loco ex eodem Varrone: *Qui potestatem neque vocationis populi viritim habent, neque prehensionis, eos magistratus a privato in jus quoque vocari est potestas. M. Lævinus ædilis curulis a privato ad prætorem in jus est eductus. nunc stipati servis publicis non modo prehendi non possunt, sed etiam ultro summovent populum*. Ex quibus intelligi potest, qui minorem coercitionem habuerunt, eos potestatem habuisse; qui majorem, imperium. Itaque dictatoris, consulum, ac prætorum non potestas solum, sed etiam imperium extitit; tribunorum vero pl. & ædilium curulium, & quæstorum, potestas tantum. quia aut prehensionem tantum, aut neque prehensionem, neque vocationem habuerunt. Hæc autem cum ita esse, multo mecum ante constituissem, quoniam imperii vocem non solum ad magistratum, sed etiam ad imperatorem pertinere videbam, propterea de imperio imperatoris acturus, ne vocis homonymia errorem pareret, prioris initio responsionis ita scripsi: *Ego duplicem imperii significationem dico, unam civilem quandam magistratus auctoritatem, alteram militarem, ac bellicam. sic autem statuo, omnes magistratus & urbanos, & provinciales civilem potestatem habuisse, verum alios majorem, alios minorem. quæ minor fuit, eam præcipue potestatem dictam; quæ major, non potestatem solum, sed interdum etiam imperium appellatam. idque ex eo liquere, quod de tribunis quidem plebis, atque ædilibus nunquam nisi potestatem dixerunt; in consulibus autem, & prætoribus, & potestatem, & imperium usurparunt. unde Livius libro secundo tribunum pl. privatum esse, sine imperio, ac sine magistratu prodidit.*

Tu vero quid ais? unum ex his, & quidem grave admodum reprehendis, quod dixi de tribunis nunquam imperium dictum. ac mihi Florum, & Paterculum objicis, quorum alter prorogatum, alter abrogatum tribunis imperium dixit. atque hoc primi, ejusque gravissimi criminis loco das. Quod ego miror in primis. neque enim intelligere videris Florum, & Paterculum ibi imperium pro magistratu ipso cepisse, eosdemque improprie locutos esse,

A cum tamen ipse & ibi imperium sæpe pro magistratu usurpatum, & Ciceronem, aut Livium haudquaquam ita locuturos fuisse capite XIV. scribas. miror autem multo etiam magis, cum te eundem ita scribentem animadverto: *Est alia significatio imperii, qua major quædam jubendi, coercendique potestas intelligitur. in qua significatione cum accipitur, merito negantur omnes magistratus imperium habuisse, tametsi omnes jubendi potestatem haberent. in ea significatione accipitur apud Varronem, cum scribit, magistratus aut vocationem habere, ut consules, ceterosque, qui imperium habent. hujus vocabuli ea vis passim observatur apud Livium, Sallustium, Ciceronem, ceterosque Latinos scriptores, ut in majoribus magistratibus sæpissime imperium, nonnunquam imperium simul ac potestatem usurpent, in minoribus potestatem*. miror autem, quia ipse usque adeo cæcus videris, ut non videas, te idem tradere, quod ego. tu enim minores magistratus potestatem habuisse scribis, non imperium: ego tribunos plebis, quos etiam sine magistratu esse dixit Livius, potestatem habuisse, non imperium. potestatem autem uterque nostrum intelligit minorem cogendi, & coercendi facultatem.

Quod vero dixit Livius, *tribunum pl. privatum esse, sine imperio, ac sine magistratu*, ex ea parte reprehendis, quod a Livio non sit proditum, sed apud Livium ab Appio consule pronunciatum, atque oratorie auctum. quod prorsus refutat Plutarchus in Problematis, qui historice, non oratorie quærens, cur prætexta alii magistratus uterentur, tribunus pl. non uteretur, respondet, *an quia tribunus pl. magistratus non est? neque enim ex sella tribuni jus dicunt, neque lictores præferunt, neque creato dictatore abdicant, sicut alii magistratus, quasi ipsi magistratus non sint, sed alium ordinem obtineant*.

Deinceps vero declarans, quid esset potestas magistratus, dixi eam in auspicio, & judicio fuisse potestatem, teste Cicerone in legibus, qui scripsit: *Magistratus omnes judicium, & auspicium habento*. quod dictum cum tu ibi multis nominibus accusandum susceperis, videtur esse faciendum, ut omnes reprehensiones tuas, quam possim, brevissime, planissimeque refellam. Primum autem crimen est, quod Ciceronis testimonio in Legibus utar, quæ omni ex parte non sint legibus Romanis accommodatæ. quod crimen puto esse tum levissimum, tum mihi tecum, & cum omnibus, qui in hoc genere disputationis versantur, commune. verum age, cur non sunt accommodatæ? *quia statuit*, inquis, *ut censores quinquennio magistratum gerant, cum per* XVIII. *menses tantum gesserint*. quid? nonne primis temporibus quinquennalis censura fuit? nonne ipse Cicero aperte scribit, se multas leges ponere, quæ si non essent in legibus Romanis, tamen erant in more majorum, qui tum ut lex valebat?

Alterum crimen est, præcipuam magistratus potestatem non in judicando, & auspicando collocatam fuisse, sed in imperando. Quod quanti faciendum sit, non est difficile intellectu. neque enim sola imperandi potestas magistratum constituit, quanquam sine ea magistratus esse non potest. nam etiam sacerdotes pro jure sacerdotii, & legati pro jure curationis suæ imperarunt aliquid, quos tu tamen magistratus non vocas. & qui magistratui judicium, id est, jurisdictionem attribuit, eidem etiam imperandi potestatem adscribit. nam si potestas imperandi, te interprete, est potestas coercendi; magistratus, qui jurisdictionem habet, idem etiam coercitionem habuerit, necesse est. nam quomodo plene jus dicet, si quis in jus vocatus non paruerit, neque prehendi potuerit? Etenim, ut scripsit Paulus D. de jurisdictione: *Jurisdictio sine modica coercitione nulla est*. Coercitione autem sola magistratum non constitui, inde apparet, quod multi magistratus neque prehen-

prehensionem habuerunt, in quibus coercitio est versata, si auctoritate Varronis stamus.

Jam quod addis, *me parum memorem esse, quod cum dixerim, tribunum magistratum non esse, post dicam, potestatem esse in auspicio, & judicio, quorum utrumque conveniat in tribunum*, non vereor illam culpam. neque enim dixi, tribunum non esse magistratum, sed imperium de tribuno non dici, cognosci ex Livio, qui dixit, *tribunum privatum esse, sine imperio, ac magistratu*. Verum fac, me dixisse, tribunum pl. non esse magistratum, eumque iterum esse magistratum, inconstantiæ culpam non extimescam. primis enim temporibus dicam non fuisse magistratum, quia auspicium non habuit, & jus non dixit, ut Plutarchus loco prolato, & Gellius libro XIII. cap. XII. scribunt; postremis fuisse magistratum, quia & auspicium habuit, & jus dixit. nam auspiciorum jus quoddam accepit post decemviros abrogatos, auctore Zonara, & jus dixit in subselliis, ut testis est Asconius, & tu confiteris.

Tertii criminis loco deinde objicis, quod apud Ciceronem interpreter, *Judicium* jurisdictionem, id est, potestatem decreti interponendi, ac judicis dandi. atque hoc reprehendis bifariam; primum negans magistratus omnes habuisse potestatem decretum interponendi, & judicis dandi; deinde negans, verba Ciceronis eam, quam dixi, sententiam continere. utrique reprehensioni occurram paucis, ac prius priori. Dico igitur, magistratus omnes aut statuisse aliquid pro auctoritate magistratus sui, aut judicem, qui cognosceret, dedisse. audi ipsum in eodem loco Ciceronem: *Juris disceptator, qui privata judicet, judicarive jubeat, prætor esto*. judicat nimirum prætor decernendo; judicari jubet, judicium dando. audi iterum eum, qui scripsit Rhetorica ad Herennium: *Judicatum est*, inquit, *de quo aut sententia lata est, aut decretum interpositum*. sententiam enim refert ad judicem, decretum ad magistratum. & Appium decemvirum consularem apud Livium: *Ut jam sciret, non id petulantiæ suæ, sed Virginio absenti datum, jus eo die se non dicturum, neque decretum interpositurum*. id est, neque judicem, qui cognoscat, daturum, neque ipsum aliquid decreturum. Siquidem Ulpianus D. de jurisdictione scribit: *Jurisdictio est etiam judicis dandi licentia*. audi denique Ciceronem in Verrem ita loquentem: *An dubitabit quisquam, quin is venalem in Sicilia jurisdictionem habuerit, qui Romæ totum edictum, atque omnia decreta vendiderit; & quin ab Siculis ob decreta interponenda pecuniam acceperit, qui M. Octavium ob jus dicendum poposcerit?* Atqui omnes magistratus si non judicem dederunt, decretum saltem interposuerunt. cur enim ad eos privati confugerent, si ipsi pro auctoritate sua decernere nihil possent? mitto ceteros. sumo tribunos pl. quos sine magistratu aliquando fuisse innuit Livius, nonne hos & decretum interposuisse, & tutores æque, ac prætores dedisse lege Atilia constat? at Ulpianus D. de jurisdictione, *Jus dicentis*, inquit, *officium latissimum est. nam & bonorum possessionem dare potest & pupillis non habentibus tutores confirmare*. Ex quo sequitur, magistratus omnes potestatem decreti interponendi habuisse.

Quod vero negas, verba Ciceronis eam sententiam habere, quam ego dixi, ac novam ipse affers, puto utile esse, utramque expositionem inter se conferre, ut utra verior sit, judicari facilius possit. Verba legis, quam de magistratibus in universum Cicero ponit, hæc sunt: *Justa imperia sunto, iisque cives modeste, ac sine recusatione parento. magistratus nec obedientem, & noxium civem mulcta, vinculis verberibusque coerceto, ni par, majorve potestas, populusve prohibessit, ad quos provocatio esto. cum magistratus judicassit irrogassitve, per populum mulctæ pœnæ certatio esto*. Sequuntur inde leges de singulis magistratibus, quibus expositis infert: *Omnes magistratus auspicium, judiciumque habento. ex queis senatus esto.* atque hæc verba inde ipse interpretans ita subjicit: *Omnibus magistratibus auspicia, & judicia dantur; judicia, ut esset populi potestas, ad quam provocaretur; auspicia, ut multos inutiles comitiatus probabiles impedirent moræ*. His verbis ego dico exprimi fere, quæ in universum ad magistratuum jura pertineant, primum jus edicendi, deinde coercendi, tum ad populum accusandi, postremo auspicandi, & judicandi. Edicta magistratuum jussa esse statuit; coercitionem ejusmodi, ut si quem aut pignore mulctaverint, aut prehendi, & in carcerem duci, aut verberari jusserint, obediant provocationi, si is, quem illi coercuerint, aut collegam, aut majorem potestatem appellaverit, aut ad populum provocaverit. accusationem vero esse talem, ut si cui ad populum mulctam pœnam irrogarint, de ea cognoscat populus; auspicia vero se eis concedere ait ob id, ut cum de cœlo se auspicatos esse dixerint, ea obnunciatione comitia inutilia dirimantur; judicia postremo, ut sit aliqua populi potestas, ad quam confugiant, qui jus suum persequuntur. nam populi potestatem interpretor magistratum populi, & provocare ad potestatem populi, a magistratu judicium postulare, ut postea ostendam. Ob id ergo dat judicia magistratibus, ut privati habeant populi potestatem, ad quam provocent, id est, cujus auxilium quocunque modo læsi implorent. auxilium autem dabit magistratus aut decretum interponendo, aut judices dando.

Atque hæc quidem mea est expositio. tua vero ista a te his verbis expressa: *Judicium illo loco significat potestatem exercendi ad populum judicii, disceptatoreque, ac judice populo damnandi pro ea, quam quisque magistratus haberet, potestate. habuerunt enim omnes magistratus eam cum populo agendi, reumque ad populum faciendi potestatem, quam nemo privatus habebat. ego vero non aliunde veram, ac germanam hujus loci interpretationem sumo. Cicero recitatis suis legibus, legum a se positarum cum rationes caussasque subjicit, ita de hac lege scribit: Deinceps omnibus magistratibus auspicia, & judicia dantur: judicia, ut esset populi potestas, ad quam provocaretur. ex his verbis dico, necessario colligi, nomine judiciorum illo loco significari, illas, quas dixi, ad populum vocationes. dicit enim magistratibus. data in lege ob id judicia, ut per illa judicia ostenderetur, statuereturque summa illa populi potestas, quæ in provocatione posita erat. hoc vero jus ad populum vocationis omnes, ac soli magistratus habebant*. Hæc tu. ex quibus apparet, te censere Ciceronem velle magistratus omnes potestatem habere accusandi ad populum, & mulctam irrogandi, ita tamen ut provocare liceat ad populum. Ego vero dico, hæc ex omni parte falsa esse, atque a sententia Ciceronis alienissima. primum, quia si Cicero vellet magistratus omnes habere potestatem accusandi ad populum, sequeretur, ut vellet, omnes jus habere agendi cum populo. at in eadem lege hoc jus concedit tantum consuli, prætori, dictatori, magistro equitum, interregi, & tribuno pl. ergo non omnibus accusandi ad populum dedit potestatem. siquidem accusare ad populum est agere cum populo. Adde, quod si hoc vellet, quæ supra scripta sunt, in tam brevi lege sine caussa repeteret. supra vero scripsit de provocatione ad populum, & de irrogatione mulctæ; neque est verisimile eadem in eadem lege paucis interjectis verbis iteraturum. Huc accedit, quod idem haud sibi constaret, si daret irrogationem magistratui, ut constitueretur provocatio ad populum. quia irrogatio valet ad perniciem, provocatio vero ad salutem. Etenim si supra dixit: *Si magistratus irrogassit, per populum mulctæ pœnæ certa-*

tio est. item: *Magistratus civem mulcta coerceto, ni populus prohibessit, ad quem provocatio esto*. praeclare utrumque dixit. at hoc absurde: Do magistratibus mulctae irrogationem, ideirco ut ad populum provocatio sit. quod est nihil aliud, quam sancio, ut magistratus civibus vulnus inferre possint, quo a populo sanari queant. Jam vero cum judicia ad populum fiant duobus modis; uno, si quis a magistratu damnatus ad populum provocet, ut Suetonius de Caesare Duumviro: *Caesar forte judex in Rabirium reum ductus tam cupide condemnavit, ut ad populum provocanti nihil aeque, ac judicis acerbitas, profuerit*. altero, cum magistratus iratus alicui, ei diem dixit ad populum, ac mulctam irrogavit, de qua cognoscat populus. unde Livius lib. III. *C. Julius decemvir Sextio diem dixit, & accusator ad populum extitit, cujus rei legitimus judex erat*. Si secundum modum repetitum putas, temere putas, quia secundo modo provocatio non incidit: si primum, ergo judicium ibi significabit, ut ego scripsi, potestatem decernendi. non enim necessaria est provocatio, nisi praecessit judicium magistratus, quod ego appello decretum. neque enim provocabant ad populum, postquam magistratus eos accusarat ad populum, sed postquam eos suo decreto damnarat. Addo praeterea, magistratus omnes habere judicia eodem modo, quo habent auspicia. at habent auspicia ita ut auspicando de coelo impediant inutilia comitia, id est, prosint reip. sic etiam habent judicia, ut suis judiciis sublevent eos, qui ad se provocarint, id est, auxilium suum implorarint. at tu magistratibus das judicium, id est, accusationem ad populum, ut civibus nocere possint. Ut autem auspicia impediunt inutilia comitia, sic judicia propulsare civium injurias debent. Quid plura? genus ipsum orationis aperte tuam, ut video, sententiam respuit. nam si de provocatione ad populum intelligeret, non scripsisset: *ut esset populi potestas, ad quam provocaretur*, sed *ad quem*. neque enim dicunt Latini, *provocare ad potestatem populi*, sed *ad populum*, cum de provocatione ad populum facta loquuntur. potestas autem populi est idem ac magistratus. quin etiam potestas pro magistratu saepissime ponitur. Asconius in IV. Verrinam: *Romae appellari tribuni possunt contra omnem potestatem*. Suetonius in Caesare: *Quod compellari apud se majorem potestatem passus esset*. Cicero in hac lege: *Ni par, majorve potestas, populusve prohibessit, ad quos provocatio esto*. Dixit autem Cicero *provocare ad magistratum* pro eo quod veteres jurisconsulti dicunt *provocare ad judicium magistratus*. quod est nihil aliud, quam postulare judicium. Cajus D. de judiciis: *In tribus istis judiciis familiae erciscundae, communi dividundo, & finium regundorum quaeritur quis actor intelligatur: quia par caussa omnium videtur. sed magis placuit, eum videri actorem, qui ad judicium provocasset*. Ulpianus ibidem: *Sed cum ambo ad judicium provocant, forte res discerni solet*.

Et tamen cum haec ita sint, adeo tibi in hoc places, ut eo modo scribas, quo ne Varronem quidem ipsum, si revivisceret, arbitrarer esse scripturum. *Quoniam multos*, inquis, *etiam alios video ad hunc scopulum naufragium fecisse, magis mihi elaborandum est, ut me adhuc solum inde salvum evasisse demonstrem*. Quo quid magis potest esse ventosum? Gaude igitur, quod solus salvus emerseris ex hoc oceano, & me cum reliquis omnibus, quorum judicium tu prae tuo, ut video, pro nihilo ducis, perire aequo animo patere. Ac quid sit quidem magistratus, ex his intelligi posse, quantum ad nostram disputationem pertinet, arbitror.

CAP. VI.

Quid sit imperium

NUNC de imperio loquamur, quod militare dicimus, cujus caussa haec omnis est oratio instituta. Non est autem dubium, quin imperium praeter ceteras significationes sit potestas, ac jus imperatoris. Cum autem imperator sit, teste Cicerone in primo de oratore, *administrator belli gerendi, sive dux*; dux autem, ut scribit Livius libro quarto, sit *qui bellum suis auspiciis gerit*; sane imperium jus erit administrandi, ac suis auspiciis gerendi belli. unde illud est Ciceronis de Caesare Octavio: *Demus imperium Caesari, sine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris administrari non potest*. Haec autem auspicia accipiebantur a populo curiatis comitiis, cum legebantur imperatores: e Capitolio, cum paludati exituri erant. A populo accepta ostendit Cicero in libris de divinatione, cum scripsit, *proconsules bella gerere, cum non haberent auspicia, quae acciperentur a populo*. Curiatis comitiis accepta docet idem, cum in orat. de lege agraria dixit, *curiata auspiciorum caussa remansisse*, & Livius libro quinto, cum legem de imperio *curiatam* nominat. atque curiata comitia rem militarem continentia, auspicata fuisse ait; ut post dicemus. e Capitolio accepta, cum idem libro XXI. de Flaminio consule sic scribit: *Quod consuli justum imperium, quod auspicium esset, magistratus id domo publicis privatisque penatibus, Latinis feriis actis, sacrificio in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis, secum ferre*. & libro XLI. *Consul, praetorve proficiscens paludatis lictoribus in provinciam, & ad bellum vota in Capitolio nuncupat*. & libro XLI. *Quod non more majorum secundum vota in Capitolio nuncupata lictoribus paludatis profectus ab urbe esset*. Si ergo imperator est administrator belli gerendi, aut qui tale jus accepit; administrare vero est suis auspiciis gerere; auspicia vero a populo, & e Capitolio accipiebantur; profecto ad imperatorem lex curiata ad populum lata, sacrificium, vota, & paludamenta e Capitolio, pertinent; & qui haec non habuerit, aut nullus imperator, aut certe justus non erit.

CAP. VII.

An imperium in magistratu fuerit insitum.

NON idem autem fuisse imperium, ac magistratum, neque in ipso magistratu fuisse inclusum, ex eo apparere potest, quod ipsa eodem modo neque capiebantur, neque inibantur, neque gerebantur, neque prorogabantur, neque eodem in loco exercebantur.

Quod dixi de capiendo, satis constat, alio modo magistratus creatos, atque imperatores constitutos. nam magistratus mandabantur comitiis, imperium lege aliqua, aut senatusconsulto: inter quae illud interfuit, quod in comitiis ex multis petentibus pauci legebantur, in rogatione legis uni nominatim imperium deferebatur. unde scripsit Festus: *Cum imperio esse dicebatur, cui a populo nominatim mandatum erat imperium*. Indicat utriusque actionis formula. in consulibus enim creandis rogabatur populus, *Quos vellent consules fieri*: tum deinceps respondebant centuriae, ex iis, qui petere professi erant, *hunc* aut *illum*. unde Asconius, ut dixi: *Praerogativae tribus dictae, quod primae rogabantur, quos vellent consules fieri*. in imperatoribus autem legendis rogabatur, *Vellent, juberentne, ut huic consuli, aut postquam consulatu abisset, in hoc bello, aut in illa provincia imperium esset?* aut, *ut hic consul, aut pro consule rem gereret?* respondebant plerumque curiae, *Uti rogas*.

unde Livius libro XXVI. *omnes centuriæ P. Scipion. imperium in Hispania esse jusserunt*. & libro IX. *Actum cum tribunis pleb. est, ad populum ferrent, ut cum Philo consulatu abiisset, pro consule rem gereret.*

In ineundo vero quanta diversitas fuerit, non est necesse pluribus demonstrare. Etenim magistratus inibant, ut satis constat, Kalend. Januar. sacrificio in Capitolio facto, prætexta sumpta, lictoribus togatis prælatis; imperium vero alio, ut se obtulerat, die, altero in Capitolio sacrificio facto, votis nuncupatis, paludamento sumpto, & paludatis lictoribus prælatis: unde etiam togam prætexta mutare, ex privato magistratum fieri; paludamentum prætexta mutare, ex magistratu imperatorem fieri dicebant, ut ego in libris de Provinciis demonstravi. Ex his tu paludamentum arrodis. Itaque vix risum continere potui, cum te scribentem legi, *ex paludamento imperium non posse concludi, quod etiam lictores paludati essent, qui tamen non essent imperatores*. risi vero, quod non videres, si lictores ante togati incesserunt, dum prætextato consuli apparuerunt, postquam autem consul imperium, & insigne imperii paludamentum accepit, & ipsi paludati præcesserunt, illud paludamentum lictoris ad consulem referri, non ad lictorem. Quare quod inquis, probare me debuisse, solos imperatores paludamento ornatos fuisse, nihil est. quia paludamentum lictorum, non lictorum erat insigne, sed magistratuum, quatenus erant imperatores: ut laurea non erat lictoris, sed imperatorum, qui de hostibus victoriam rettulissent: & fasces non erant lictorum fasces, sed eorum, quibus præferebantur. *At dixit Livius*, inquis, *Consul proficiscens prætorve paludatis lictoribus in provinciam, & ad bellum, ne omnes fuisse belli duces existimaremus, qui paludati exibant*. egregie. scilicet dubitavit prudens historicus, ne lictores pro imperatoribus sumeremus. hos enim unos tu præter consules, & prætores, aut alio modo duces, paludamento ornatos attulisti. Quod si consul dimissis lictoribus pro privato est habitus, certe antequam eos sumeret, pariter fuit privatus. Unde dixit Plutarchus in Fabio: *Fabius dictator obviam prodeunte altero consule, viatore misso lictores dimittere eum jussit, atque insignibus magistratus abjectis privatum ad se venire*. si hoc in consule, profecto etiam in imperatore. non enim imperator ante est, quam imperatoria accepisset insignia, quæ a consularibus diversa constat fuisse.

De dissimilitudine vero administrationis hæc habemus. Illud sane perspicuum est, imperium populi Romani ex civibus Romanis & sociis provincialibus constitisse, atque utrique eorum varium jus esse concessum. Hoc autem jus qui reddiderunt, ii jus dicere, & magistratus esse dicti sunt. jus autem dixerunt aut de privatis controversiis, quæ proprie jurisdictio nominatur; aut de publicis, quæ præcipue quæstio appellatur. Ac Romæ quidem separati fuerunt magistratus, qui de privatis, & publicis caussis cognoverunt. in provinciis autem idem utramque procurationem obivit. quod si cives aut socii potestate magistratus propria coerceri non potuerunt, quæ potestas in lictoribus, & vocatione posita fuit, tum ad extremum auxilium vim armatam venerunt. quoniam autem exercitus haberi sine imperio non poterat, novum jus magistratui fuit addendum, quo exercitum habere, & qui non obedirent, armis cogere posset. & quia socii contineri procul ab domo armorum metu remoto non potuerunt, & multæ provinciæ hostibus vicinæ teneri sine exercitu nequiverunt, propterea omnibus præsidibus etiam in pacatas provincias euntibus militare imperium tribuerunt. Neque vero negatur, quin imperator aliquam & ipse jurisdictionem habuerit, sed eandem habuisse refellitur. Jus enim & ipse dixit civibus, aut sociis, verum non ut cives, aut socii erant, sed ut milites a se sacramento adacti erant. neque lites eorum cognovit, aut in eos animadvertit, ut prætor, sed ut imperator. Omnino autem cum tria magistratibus committerentur, jurisdictio, quæstio, & rei militaris administratio, intelligendum est, hæc ita inter se fuisse sejuncta, ut nisi speciali lege in eodem conjungi non possent. Siquidem ut qui habebat jurisdictionem, non habebat propterea etiam quæstionem, sic qui habebat jurisdictionem & quæstionem, non continuo habebat etiam militare imperium. itaque ut jurisdictio competebat provinciali magistratui jure magistratus, sic quæstio specialiter lege, aut senatusconsulto conveniebat. Quod vero dixi de jurisdictione, & quæstione, id est apud Papinianum D. de officio ejus, cui mandata est jurisdictio. *Quæcunque specialiter*, inquit, *lege, vel S. C. vel constitutione principum tribuuntur, mandata jurisdictione non transferuntur. quæ vero jure magistratus competunt, mandari possunt. Et ideo videntur errare, qui cum publici judicii habeant exercitionem lege vel S. C. delegatam, velut legis Juliæ de adulteriis, & si quæ aliæ sunt similes, jurisdictionem suam mandant*. Quid plura? nonne minus est habere quæstionem, quam rei militaris administrationem? certe. at neque consul, neque prætor urbanus, neque peregrinus injussu populi quæstionem habent, ergo multo minus rei militaris administrationem. nam primis temporibus ut quæque res capitalis commissa erat, ita ejus rei quæstio aut consuli, aut prætori lege mandabatur; postremis, cum prætores sortiri quæstiones ex lege cœperunt, tum ex legibus de iis latis eas exercuerunt. Quod si consul insitum in se militare imperium habuisset, certe multo potius Cæsar & Bibulus armis inter se contendissent, quam edictis. Nemo autem consul cum inimico suo bello contendit, nisi aut summo S. C. ornatus, ut Q. Catulus cum Lepido, & C. Antonius cum Catilina, ut ex S. C. provinciam cum imperio adeptus, ut Sylla, & Cæsar cum inimicis suis. Itaque Octavius cum neque S. C. summum, nec provinciam haberet, imperio a senatu extraordinario est affectus. Cæsar autem, & Bibulus, quia nondum provincias habebant, in consulatu edictis concertaverunt. Quid? jurisconsulti ubi de officio consulis, aut proconsulis agunt, num aliud, quam urbanam, aut provincialem jurisdictionem attingunt, aut aliquid rei militaris tradunt? non certe.

Jam vero prorogatio procurationis quam in utroque diversa fuerit, ex hoc cognosci potest, quod cum magistratum, ut consulatum & præturam prorogarunt, dixerunt continuare magistratum: cum militare imperium continuarunt, dixerunt prorogare imperium. ut Livius libro IX. *Fabio sicut priore anno populus continuarat consulatum, ita senatus in insequentem annum prorogavit imperium*. Frontinus de aquæductibus: *Legimus apud Fenestellam, M. Titio prætori inter cives, & peregrinos ad consummandum negotium statuisse senatum præturam in alterum annum prorogari*. iterum Livius libro VIII. *Actum cum tribunis pl. est, ad populum ferrent, ut cum Philo consulatu abiisset, pro consule rem gereret*. & post de eadem re: *Singulare hoc ei accidit, prorogatio imperii non ante in ullo facta, & acto honore triumphus*. Hic videmus in magistratu continuando consulatum aut præturam nominari, in imperio militari prorogando, imperium. Nam si imperii prorogatio, esset consulatus prorogatio, falsum esset, quod inquit, ipsi Publilio primo esse imperium prorogatum, cum consulatus primus ante eum continuatus sit. falsum etiam, ipsum honore, id est, consulatu jam exacto triumphasse, cum pro consule cum imperio triumphaverit. Quid? quod lib. XXVI. scripsit: *Placuit omnes, qui dictatores, consules, censoresve fuissent, cum imperio esse, donec recessisset a muris hostis*. an vero

A opus erat jurisdictione, aut coercitione, aut censoria notione adversus Annibalem muris urbis assidentem, ut consulibus, prætoribus, censoribusque magistratus continuaretur? minime, sed ducibus, qui exercitui imperare possent, quod jus voce Imperii est complexus.

Hæc ego ita. Tu vero intramuranos magistratus proprie magistratus, extramuranos imperia nominatos ais. atque hæc dicendi genera re eadem, verbo sejuncta esse contendis. quocunque vero modo dicatur, semper intelligi magistratus potestatem prorogatam. Quod ego concoquere non possum. urbanas enim procurationes magistratus scio vocari, quia jurisdictionem, quæ propria est magistratus, continent; extramuranas vero imperia nominari, B quia ad jurisdictionem etiam rei militaris imperium omnium maximum habent adjunctum. re autem distincta esse, ex eo apparet. sit enim consul. hic habet jurisdictionem, cum senatu & cum populo actionem, quæ sunt propria consulatus; &, si legem curiatam de imperio habeat, etiam militare imperium. reficiatur in posterum annum idem consul, eadem erit auctoritate, eodemque jure, quo anno superiore, & consul iterum vocabitur, quippe continuato magistratu. in tertium inde annum prorogetur illi imperium. quæro a te, num vocabis C cum consulem tertium? minime vero, sed proconsulem. an dices habere jurisdictionem eandem, actionem eandem? multo minus. an jus idem belli gerendi? idem omnino. si quidem latum est, ut pro consule possit rem gerere, quod est, non jus dicere, sed bellum administrare. quomodo ergo imperium prorogare est idem, atque magistratum continuare? & imperium non est a magistratu diversum? Nam quod dixisti *prætoribus aliquot urbanis imperium prorogatum a Livio*, respondeo prorogatum esse militare imperium, quod in prætura urbana extra ordinem obtinuissent, quamvis Livius de eo verbum nullum fecerit. sic enim assuevit. D

Quod autem extremo proposui, diversa magistratuum, & imperatorum in administrando loca quam eorum diversa jura fuerint, demonstrare, id in priore responsione multis verbis edocui. quæ necessario hic repetenda sunt, ut singulas tuas, quibus oppugnantur, rationes sigillatim hoc loco refellam. *Qui civilem*, dicebam, *adeptus potestatem erat, quæ magistratum ipsum attingebat, is in urbe manebat; qui cum imperio erat, quoniam exercitus habendi potestatem obtinebat, id quod parum civili tutum libertati putabatur, is statim ex urbe egredi, aut ad urbem cum imperio manere jubebatur. ubi* E *vero ex provincia, belloque reversus erat, aut statim urbem privatus ingredi, aut, si de triumpho cogitabat, ad urbem morari solebat. Quod si triumphum impetrasset, tum quoniam triumphare sine exercitu non poterat, exercitum autem haberi sine imperio non licebat, imperium autem militare in urbe non concedebatur, propterea lex ad plebem de imperio ejus diei ferebatur.* Adversus hæc tu quidem multa, sed illud in primis: *Si sic esset, futurum, ut omnes consules, quoniam civilem potestatem habebant, in urbe manere oportuisset.* Quod non est ita. Non enim ego consules dixi oportuisse manere in urbe, sed mansisse; qui vero imperium adeptus esset, eum F oportuisse ex urbe exire. his autem nihil aliud volui, quam magistratui in urbe esse licuisse, eidem vero imperatori non licuisse. Addis, *non omnes consules, qui provinciam sortiti essent, in provincias profectos, sed liberum eis fuisse, manere ne in urbe, an in provinciam ire vellent.* Concedo. verum aliud est, sortiri provinciam, aliud accipere imperium in provinciam. nam post sortitionem provinciæ sequebatur latio legis curiatæ de imperio, inde acceptio imperii per insignia in Capitolio. ego vero dico, non post sortitionem provinciæ, sed post accepta imperii insignia urbe esse egressos. Quos porro consules profers in provinciam non profectos, eos provinciam post sortitionem, non post imperii acceptionem deposuisse dico. atque hæc ex eodem, quem tu profers, Livii loco, cognosci possunt: *C. Claudius consul veritus, ne forte ea res provinciam, exercitumque sibi adimeret, non votis nuncupatis, non paludatis lictoribus, nocte profectus præceps in provinciam abiit.* & post: *Romam ex provincia rediit ad solemnia vota in Capitolio nuncupanda, paludatosque lictores accipiendos.* Itaque, quorsum illa tua pertineant, non video; nempe profectionis in provinciam tempus in voluntate magistratuum fuisse. an enim hoc agimus, accepisse imperii insignia, cum libuit, an urbe egredi jussos, postquam imperium acceperunt? quanquam ne illud quidem ipsorum in potestate fuit. siquidem scribit Cœlius: *Consules, quia verentur, ne senatusconsultum illud fiat, ut paludati exeant, omnino S. C. fieri nolunt.* & Livius lib. XL. *Consules nisi confecto delectu negare se ituros, nec suam segnitiam, sed vim morbi in caussa esse, quo serius perficeretur. non tamen potuerunt sustinere consensum senatus, quin paludati exirent.* Idem in prætore cognoscitur; qui quamdiu est prætor, manet in urbe; ubi accepit insignia imperii, ad urbem. Cicero: *Verres simul atque ei sorte provincia Sicilia evenit, statim Romæ, & ad urbem antequam proficisceretur.* Idem in quocunque, qui proconsulare habet imperium. Dio: *Pompejus populo extra pomerium evocato, (neque enim proconsulare jam habens imperium poterat urbem ingredi) multa pro Gabinio locutus est.* Adjungis, *si consules urbe egredi jussi essent, quod ab eorum imperio periculum libertati fuisset, Romanam remp. nunquam metu, qui a suis magistratibus immineret, liberam futuram fuisse.* Quo loco ego quæro de te, cur periculosum putarint, cis Rubiconem, qui tum erat Italiæ finis, exercitum adducere, atque, id ne fieret, decreto sanciendum putarint? cur denique exercitum in Gallia citeriore habere, parum tutum existimarint, atque eam postremo hac de caussa triumviri libertate, teste Dione, & Appiano, donarint, nequis provinciæ nomine in Italia exercitum haberet? quod si imperatorem esse cum exercitu in Gallia, atque cis Rubiconem exercitum adducere, libertati Romanæ periculosum putarunt, ergo in urbe exercitum habere, & cum imperio esse, tutum duxerunt? *Non poterant*, inquis, *timere de imperatore, quia vetabatur lege, ne intra urbem exercitum imperare, classemque procinctam intra pomerium habere liceret.* immo vero in eo vel maxime se timere valde significabant, cum imperatorem urbe exire volebant, eundemque in urbe exercitum imperare vetabant. sed quæcunque caussa egrediendi fuerit, consul imperio accepto cum urbe exivit, satis demonstravit, non idem fuisse consulatum, atque imperium.

Quod autem præterea reprehendis, quod *triumphare sine exercitu, qui triumphum impetrasset, non posset*, dixi; & utteris exclamatione, miror. tum enim exclamatio locum habet, cum res aut falsa aperte est, aut indigna. *Bone deus*, inquis, *Sigonius mandare scriptis non erubuit, triumphare sine exercitu neminem potuisse!* Falsum est enim, me scripsisse, triumphare sine exercitu nemini licuisse. Scripsi quidem, triumphare sine exercitu qui triumphum impetrasset, non potuisse. quod autem scripsi, id ex vetere triumphi instituto sumpsi. sic enim observatum esse docet Zonaras, ubi omnem triumphi pompam exponit. sic Cicero in Pisonem, ubi agit de triumpho: *Quid clamor militum, quid tota illa pompa?* Sic Livius de Pauli triumpho: *Militum propria est caussa, qui & ipsi laureati triumphum nomine cient, suas, & imperatoris laudes canentes*

per urbem incedunt. Quid quod multis negatus est A triumphus, quod exercitum non deportassent? *Exemplum*, inquit Livius, *obstabat*, *quod ita comparatum more majorum erat*, *nequis qui exercitum non deportasset*, *triumpharet*. at aliquot, inquis, non deportato exercitu triumpharunt. quid si majorum instituta non servarunt? Addis, qui ovantes urbem ingrediebantur, sine exercitu omnes fere inisse. nolo nunc querere, plures ne sine exercitu, an cum exercitu ovantes inierint. illud volo te scire, quod scribit Dionysius libro quinto. *Differt*, inquit, *ovatio a triumpho*, *quod qui ovans ingreditur*, *pedibus*, *exercitu præcedente init*. Neque vero si ovatio semel, aut iterum est concessa, quod exercitus B non esset deportatus, nos cogere debet, ut dicamus, qui ovantes inirent, sine exercitu id fecisse; immo vero si triumphus est negatus, quod exercitus non esset deportatus, concludi potest, exercitum ad triumphum more majorum necessarium fuisse, & qui hoc neget, ut in aperto mendacio erubescere debere.

Adjicis, legem de proconsulum triumphantium imperio latam fuisse, ne privati triumpharent: non improbo. illud tamen scire de te cupio, cur triumphare privati non potuerint? nempe quia imperium non habebant, non civile, (neque enim eo opus erat) sed militare. C verum cum in urbe militare imperium haberi non posset, relinquebatur, ut a lege in eam diem duntaxat petendum esset. Postremo concludis, legem de triumphantium imperio non de rei militaris potestate fuisse, apparere ex verbis Valerii, qui inquit: *Moris erat*, *ab imperatore trimphum ducturo consules invitari ad cœnam*, *deinde rogari*, *ut venire supersedeant*, *ne quis eo die*, *quo ille triumphaverit*, *majoris in eo convivio sit imperii*. neque enim si imperium, inquis, militare ille habuisset, consulibus in convivio, qui civilem tantum auctoritatem haberent, concessisset. Non est hoc magni. fieri enim potuit, ut triumphantes in D convivio privati fuerint. siquidem verisimile est, ut urbe exituri sacrificio facto in Capitolio imperium suscipiebant, sic etiam reversos sacrificio facto in Capitolio deposuisse, Convivium autem, teste Zonara, post sacrificium fiebat: aut si in convivio imperium retinuerunt, tamen more majorum consulum majorem fuisse respectum, quam ejusmodi imperatoris, qui tribus post horis privatus esset futurus. siquidem Plutarchus in Problematis rationem hujus instituti reddit, *quia triumphanti in cœna primus locus debebatur*, *quem præsentibus consulibus concedere jus non erat*.

Quanquam autem hæc adeo firma sunt, ut refelli non possint, E tu tamen his posthabitis imperium in magistratu insitum, & cum ipso magistratu mandatum inquis. Quod ut efficias, in consulibus, dictatoribus, prætoribus, & censoribus jus militare fuisse demonstrare aggrederis. ac de consulibus quidem in hunc modum: *Consulibus regia fuit potestas*, *maxime*, *quia scripsit Cicero in Legibus*, *Regio imperio duo sunto*. *at reges belli administrandi jus habuerunt*, *ergo & consules*. Quam autem falsa hæc conclusio sit, declarat Q. Fabius apud Livium, cum inquit: *Ego P. Cornelium reip. vobisque*, *non sibi ipsi privatim creatum consulem existimo*. *exercitusque ad custodiam urbis*, F *atque Italiæ scriptos esse*, *non quo regio more per superbiam consules*, *quo terrarum velint*, *trajiciant*. at consules bella administrarunt. administrarunt, imperio lege curiata accepto, cum ab initio eo jure essent, ut ipsis bella gerenda decernerentur, non autem jure consulatus, sine S. C. sine lege, bellum regio more gerere possent. Quod autem Ciceronem in Legibus testem producis, inique certe facis. quasi enim oblitus videris, te tribus ante versibus Legibus Ciceronis auctoritatem abrogavisse, quia a legibus Romanis essent alienæ, meque earum testimonio severissime interdixisse. Addis: *Consules dicuntur prætores*. *at prætor significat eum*, *cui pareat exercitus*, *ergo consules ex jure consulatus bellicum habent imperium*. Hoc, ut puto, sumpsisti a Varrone, qui libro quarto scribit: *Prætor dictus*, *qui præiret jure*, *& exercitu*. Præclare utrumque, jure præfuit, populi scito centuriatis comitiis; exercitu lege curiata. aut præfuit exercitui, quod ad annuos delectus habendos pertinuit, non quod ad rem pro suo jure gerendam. Ad reliqua quæ adjungis: *Cicero scribit*, *imperatores comitiis consularibus delectos*, *Livius belli duces legi*, *cum consules legebantur*, *Salustius loquens de consulibus*, *annua imperia*, *binos imperatores factos scribit*. ad hæc, inquam, ita respondeo, ut supra; cum consules deligebantur, eos esse delectos, quibus præcipue, atque ex ordine si opus fuisset, imperium militare committeretur, non qui sine alia lege imperatores essent. his autem locis oppono Livium libro XLIII. scribentem: *Ex equitibus in senatum lectos consules*, *ex equitibus imperatores creatos*. ac satis significantem consules non esse imperatores. Adjicis: *Consules delectum habuerunt quotannis*, *ut scribit Polybius*, *ergo militare jus habuerunt*. Dico jus militare duplex esse posse, imperfectum & perfectum. imperfectum est magistratus, ut delectum annuum habeat, quo copiam juniorum, qui stipendia faciant, inspiciat. perfectum est imperatoris, ut exercitui præsit, bellum gerat. illud habuerunt consules, ut consules; hoc vero, ut imperatores. qui vero imperatores fuerint, supra demonstratum est. Jam verba L. Postumii consulis ita loquentis: *Non ita vestræ auctoritatis P. C. meminero*, *ut me consulem esse obliviscar*. *eodem jure imperii*, *quo bellis feliciter gestis triumphabo*, hæc inquam, verba, nisi oratorie potius a Postumio, quam vere, ut tu de Appii verbis dicebas, prolata sint, ego in hunc modum interpretor: quoniam triumphus, qui a senatu concedi solet ab eo mihi negatur, triumphabo jussu populi, qui me & consulem, & imperatorem fecit; consulem centuriatis comitiis, imperatorem lege curiata. Quare *eodem imperii jure* dixit, id est, accepto a populo, non a senatu. nam illud sequitur, *his dictis eum reliquisse senatum*. ita quoque ad reliqua. Negabis hæc fortasse, quia liquidiore nulla auctoritate firmantur. audi Servium in VIII. Æneidos: *Antonius Cleopatræ prætoria castra concessit*, *quorum qui potiebatur imperio*, *ipse vocabat exercitum*. *unde est de Cleopatra*: *Patrio vocat agmina sistro*. *nam Antonius consulare tantum sibi detinuit imperium*, *in quo sola est potestas jubendi*. *ille enim ducit exercitum*, *qui habet in potestate castra prætoria*. potuit ne apertius imperatorem a consule separare? Quod autem quæris, si imperium militare non fuit insitum in consulum magistratu, quid eis relictum sit, postquam prætore instituto ad eum translata jurisdictio est, non est difficile respondere. nimirum hoc relictum est, ut, cum opus esset, accepto, ut dixi, imperio bella gererent, ut cum senatu, & cum populo agerent, ut Lavinii sacrum facerent, ut Latinas indicerent, ac celebrarent, ut legatis senatum darent, ut perniciosis tribunorum actionibus obviam irent, ut magistratus crearent, ut multis de rebus, si res posceret, jus dicerent, ut demum reip. ipsi universæ præessent.

Transis inde ad dictatorem, & ais, imperium militare in ejus magistratu fuisse insitum, quacunque de caussa esset creatus, ita ut omnes dictatores pari potestate fuerint, nec magis imperium militare habuisse, qui rei gerendæ caussa creatus esset, quam qui clavi figendi, aut ludorum caussa. Ego vero dico, dictatores quacunque de caussa creatos, ubi dictatores dicti sunt, ac magistratum inierunt, di-

ctaturæ jus, quodcunque legibus contineretur, accepisse, præter imperium militare: eo vero nunquam affectos, nisi post legem curiatam. neque vero cum legimus dictatorem dictum rei gerendæ caussa, intelligere debemus, ea nominatione imperium militare esse transmissum, verum caussam, cur extraordinario hoc magistratu reip. opus esset, bellum fuisse, quod ei gerendum esset, ubi lege curiata imperium accepisset. nam si nominatione consulis imperium militare accepisset, quid nova amplius de imperio lege fuisset opus, quam tamen, ut supra dixi, latam invenimus? ut præcipue de Papirio, qui sibi legem curiatam de imperio tulit. *At multi*, inquis, *dictatores aliam publici negotii partem gesserunt, quam cujus caussa creati erant, ut Cincinnatus, qui rei gerendæ caussa creatus judicio præfuit M. Volscii; & Mamercus, qui in legibus ferendis occupatus est*. sit ita. quid tum? ergo militare imperium in eorum magistratu fuit insitum? quo modo hoc sequitur? *At Camillus*, inquis, *seditionis sedandæ caussa creatus minatus est, sacramento omnes adacturum, & exercitum extemplo educturum*. minatus est scilicet, aut lege curiata jam sibi lata, aut quia de ejus latione non dubitavit. sacramento vero adegit cives dictator jure dictatorio, quacunque de caussa esset creatus; bellum gessit jure legis curiatæ, quam ipse sibi tulit, ut ante diximus. Atque cum hoc idem dicam in ceteris, quos tu anxia prope cura quadam collegisti, satis doceo, caussam creationis non jus facere magistratus. neque enim hoc ego ullo loco aut scripsi, aut sensi, sed omnes æquo jure esse, &, si bellum gerere vellent, lege curiata, si ordine res ageretur, eguisse.

Jam vero de prætoribus ita agis: *Prætorum omnium una fuit ratio, una forma. at prætores provinciales, eo quod prætores fuerunt, jus militare habuerunt, ergo & qui in urbe magistratum gesserunt*. Ego vero: Prætorum omnium una fuit ratio, ita ut postquam a populo creati essent, & antequam provincias sortiti essent, æquo omnes jure essent ad negotia publica populi Rom. gerenda, quæ ipsis aut sorte evenissent, aut senatusconsulto mandata essent. postquam autem sortiti provincias sunt, alii eam auctoritatem nacti sunt, ut jus inter cives dicerent, alii ut inter cives & peregrinos, alii ut inter provinciales, aut, veluti postremis temporibus, ut quæstiones publicas exercerent. nemo autem horum imperium militare accepit tum cum creatus est, sed cum lex curiata ei est lata. Itaque Varro libro quinto de lingua Latina scripsit: *Prætor, qui quærit, nulla alia de caussa, quam comitiorum caussa, urbanum convocare exercitum potest*. Ex quo apparet, neque omnes prætores imperium militare habuisse, & qui exercitum comitiorum caussa convocarunt, jure magistratus proprio id fecisse. *At multi prætores*, inquis, *ex iis, qui urbanam, & peregrinam jurisdictionem sortiti erant, exercitum habuerunt, & in bello versati sunt*. nam hoc etiam, quasi magnum aliquid esset, plurimis Livii locis tibi confirmandum putasti. Quid? si re cogente privato imperium militare sæpe plebiscito delatum est, cur non potuit dari etiam prætori, qui jurisdictionem sortitus erat, lege curiata? *at hujus legis Livius non meminit*. concedo. verum neque etiam ejus curiatæ meminit, quam tu postremis etiam temporibus quotannis initio magistratibus omnibus ferri ad illos tuos præclaros triginta lictores contendis, &, si meminisset, nullam caussam contentionis reliquisset. *At C. Calpurnius prætor urbanus, teste Livio libro* XXVI. *post præturam in Etruriam prorogato in annum imperio missus est; item Hostilius, & Sergius alio. ergo in prætura urbana militare imperium fuit inclusum*. Non me hoc movet. fieri enim potuit, ut ardente Punico bello Italia, cum multis ducibus opus esset, prætores urbani militari imperio ornarentur ad omnia subita belli consilia expedienda. atque hoc idem apud Livium sit omissum. nam etiam legem Oppiam ab-

A rogatam scribit, nec tamen latam scripserat. & sæpe censores lustrum fecisse inquit, quos creatos non dixerat; atque alia ejusmodi multa. De Varo vero prætore urbano, cui S. C. ora maris tuenda data erat, itemque de ceteris, quos addis, multis, sic respondeo, eodem S. C. quo extra ordinem provinciam illam acceperunt, etiam imperium militare potuisse accipere, ut Pompeius contra Sertorium eodem senatusconsulto & missus, & cum imperio missus est. Jam illa, *quod consules T. Mælium prætorem urbanum delectui habendo præfecerint, aut Petellio, & Fabio prætoribus urbano, & peregrino, & si qui alii ejusmodi fuerunt, imperatum sit, ut exercitum*
B *scriberent*, plane levia sunt. Etenim si consules privatum præficere consulari negocio potuerunt, ut legatum, cur non etiam magistratum?

Quod autem consules, & prætores, quia jus centuriatorum comitiorum habuerunt, concludis jus imperii militaris habuisse, id jam quale sit, perspici potest. Sic enim agis: *Centuriatorum comitiorum habendorum potestas sine rei militaris potestate nec esse, nec intelligi potest: quia vexillum in arce ponebatur, quia exercitus præsidii caussa imperabatur; quem exercitum sacramento adigi oportuit, quia centuriata comitia intra pomerium haberi nefas esset. quia populus*
C *sub signis, & centurionibus tanquam in bello conveniret, quia militaria auspicia observabantur*. Hæc quin vera sint, non nego; ex his effici, perfectum imperium ipsos habuisse, illud vero nunquam assensero. Jus enim comitiorum centuriatorum habuerunt consules & prætores, tanquam magistratus, militare vero perfectum, tanquam imperatores. Quod si quicunque centuriata comitia habuerunt, imperium etiam militare haberent, non solum interreges, sed etiam pontifices maximi ejusmodi imperio præditi essent, qui te potissimum auctore jus comitiorum habuerunt, & tamen imperium habuisse non legimus. speciem igitur aliquam hi omnes
D militaris habuerunt imperii, ut non exercitum, sed quasi exercitum, ducerent, nec imperatores, sed quasi imperatores essent; cum omnia, quæ in comitiis fierent, simulachra essent rei militaris, non veterem militarem attingerent. Neque vero qui vexillum habet, aut comitiorum caussa exercitum urbanum imperat, est imperator, sed qui belli caussa, eo modo, quo diximus. *At præsidii caussa*, ut inquit Gellius, *in comitiis exercitum imperarunt*. concedo. ergo imperatores propterea fuerunt. ne tu quidem concedis in primo de comitiis capite tertio. *Neque moveri oportet*, inquis, *quod exercitum imperare comitiis centuriatis oportuit, ut ait Gellius; pontifici-*
E *bus autem maximis exercitum imperandi jus non esset. neque enim ab eo, qui comitia habebat, dicit Gellius, imperari exercitum potuisse*. Dico igitur talem imperationem exercitus imperium militare plenum non desiderasse, aut si ab alio, quam ab eo, qui comitia habebat, imperari exercitus potuit, ab eo imperatum, qui tale imperium habuit. Nam quod conscriptionem adhibitam, & sacramenti adactionem putas, sane rem ut inauditam, sic operosam inducis, ut quotiescunque comitia centuriata habenda essent, quod vel magistratuum, vel legum, vel judiciorum caussa fiebat prope quotidie, toties u-
F niversus populus esset conscribendus, & sacramento adigendus. nam belli caussa juniores tantum citabantur, qui stipendia emerita non haberent, comitiorum caussa, & juniores, & qui stipendia emerita haberent, conscribendi erant, & sacramento adigendi. deinde vero quo sacramento? ne acie excederent, ne furtum facerent? hæc enim militari sacramento continebantur. plane ridiculum. At exercitus comitiorum caussa in urbe imperari non poterat, perinde atque belli caussa, idem sub signis, & sub centurionibus conveniebat, ut etiam belli caussa. ergo imperium fuit idem? minime vero,

sed simile. sic enim dixit Dionysius, *multitudinem convenisse sub signis, & centurionibus tanquam in bello*. At auspicia eadem adhibebantur. sit ita. non tamen actio illa propterea erat bellica. docet Festus. *Peremne*, inquit, *auspicatur, qui amnem, aut aquam, quæ ex sacro oritur, auspicato transit. sic magistratus in campum euntes, ut aliquid agant, Petroniam in Tiberim profluentem auspicato transibant. Ut aliquid agerent*, inquit, non ut præcipue exercitum convocarent comitiorum caussa. alioquin quicunque magistratus in campum profectus esset, is militari imperio ornatus fuisset. siquidem militare auspicium captasset. Quod vero quæris, an magistratus comitia centuriata habiturus in campo acceperit imperium, ibidemque peractis comitiis deposuerit, quorsum pertineat, non video, cum ego ne in campo quidem imperium tale habuisse constituam.

Quod autem deinde affers de censoribus, *ipsos lustrandi populi caussa exercitum imperasse, sub vexillo duxisse, comitia centuriata habuisse, quare etiam imperio insignitos fuisse*, id totum eadem ratione, qua de consulibus dixi, everti potest. siquidem, ut dixi, aliud est censorio more populum lustrare, aliud imperatorio exercitum. ad censum convenerunt patresfamilias, ut familiam, fortunasque suas jurati profiterentur; ad delectum juniores, ut nomina sua in militiam darent, ac longe diverso sacramento se obstringerent. Quod autem consuli, ac censori licuisse inquis, idem etiam, ut paulo ante dixi, prætori quæsitori permissum esse, Varro scribit libro quinto. quem tamen non ob hoc imperatorem dixeris. *Sed ad comitia*, inquit, *tum vocatur populus. ideo alia de caussa hic magistratus non potest exercitum urbanum convocare. censor, consul, dictator, interrex potest. quod censor exercitu centuriato constituit quinquennalem cum lustraret, & in urbem ad vexillum ducere debet. dictator, & consul in singulos annos, quod hic exercitum imperare potest, quo eat, id quod per centuriata comitia imperare solent*.

De tribunis autem militum quod inquis; respondeo, aliud esse tribunorum imperium, atque id, de quo agimus. agimus autem de imperio ducis. tribunus autem non dux est, sed minister ducis. dux autem gerit bellum, tribunus in bello versatur. *at non differt*, inquis, *imperium ab imperio, nisi quod ducis majus est imperium, quam ministri*. immo vero eo etiam, quod imperium tribunatus est imperium magistratus, imperium ducis est aliquid amplius. itaque tribunicium imperium iis comitiis mandatur, quibus magistratus, & eo modo, quo magistratus; ducis imperium lege curiata, ut post apertius apparebit. Quare qui ab initio consul aut prætor tantum erat, antequam acciperet imperium, post accepto imperio imperator, ut jam dixi, vocabatur. tribunus ubi primum creatus erat, jus suum obtinebat, neque legem aliam desiderabat.

Quod postremo duumviros navales opponis, eosque ducis imperium in magistratu insitum habuisse scribis, plane absurdum est. Neque enim duumviri navales duces fuerunt, cum suis auspiciis bellum non gesserint. neque enim satis est, eos in bello esse versatos, ut auspicia habuisse concludamus. quoniam quæstores etiam in bello versati sunt, & tamen auspiciis caruerunt. Et si duumviri duces fuerunt, a populo cum ea potestate creati sunt, ut rei navali præessent, & ea curarent, quæ ad naves faciendas, aut reficiendas pertinerent, & de ea re jus dicerent. neque in re navali alia ratio eorum erat, atque tribunorum militum in terrestri. Atque hæc quidem de propria vi magistratus, atque imperii dicta sint.

CAP. VIII.

De imperio consulum, qui in magistratu, aut ex magistratu bellum gesserunt, aut in provincias profecti sunt.

CUM ergo imperium militare esset a magistratu sejunctum, institutum erat, ut id lege curiata magistratus acciperent, cum bellum geri senatui, aut populo placuisset. Hi vero fuerunt consul, & prætor, &, qui consulum loco creari extra ordinem solebat, dictator. Quod si consuli, aut prætori post magistratum prorogandum imperium fuisset, tum plebiscito prorogabatur. Sin autem peracto magistratu in provinciam eundum esset, imperium lege curiata dabatur; si prorogandum, item plebiscitum adhibebatur. Probemus autem de singulis.

Ac de consulibus quidem, ac dictatoribus locus unus Livii satis magno documento est. is est lib. IX. *L. Papirio dictatori legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit, quod Saucia curia fuit principium, duabus insignis cladibus, captæ urbis, & Caudinæ pacis. Macer tertia etiam clade, quæ ad Cremeram accepta est, abominandam eam facit. dictator postridie auspiciis repetitis pertulit legem*. Ex hoc loco illud primum elicitur, quod hanc maxime quæstionem continet, legem curiatam de imperio alicui ferre, esse militare imperium ei lege curiata tribuere. Id quod quia controversiam facit, hoc modo mihi probandum videtur. Sane illud perspicuum est, imperium quattuor modis esse mandatum, senatusconsulto, plebiscito, lege centuriata, & lege curiata. quod si cum primis tribus modis imperium est mandatum, militare imperium est mandatum, certe etiam quarto, cum lege curiata transmissum est. Senatusconsulti exemplum sit illud Ciceronis in senatu: *Demus imperium Cæsari, sine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris administrari non potest*. Plebisciti illud Livii libro XXXI. *Plebs Cn. Cornelio, & L. Stertinio procos. imperium esse in Hispania jussit*. & illud Ciceronis pro Pompejo: *Quid tam præter consuetudinem, quam homini peradolescenti imperium, atque exercitum dari, Africam permitti, bellumque in ea administrandum?* Data vero sunt a plebe, quia, ut ipse inquit in Philippicis, de omnibus imperiis Pompeii tribuni pl. tulerunt, præterquam de Sertoriano. Legis centuriatæ unicum illud lib. XXVI. *Omnes centuriæ P. Scipioni imperium in Hispania esse jusserunt*. Atqui hos omnes imperio militari ornatos constat. De magistratu enim intelligi non posse, illud est argumento, quod magistratus lege nominatim non mandaretur, sed militare imperium tantum, ut supra dixi, nisi extra ordinem ageretur. Itaque cum dixit Cicero, tribunos pleb. de omnibus imperiis Pompeii tulisse præter Sertorianum, non magistratus intellexit, sed militaria imperia, ut bellum Africanum, & Asiaticum. neque enim tribuni pleb. de magistratibus ferre potuerunt iis, quos Pompeius cepit. neque ea ratio mandandorum magistratuum fuit, sed imperiorum, quæ lege mandata sunt, ut jam sæpe diximus. Jam vero si cum alicui magistratui prorogatur imperium, is rem gerere pro magistratu jubetur, certe etiam cum datur imperium magistratui, is in magistratu rem gerere jubetur. Et, si formula legis curiatæ de confirmandis magistratibus fuit, *Velitis, jubeatis, ut ii magistratum habeant, quos populus, sive plebs designavit*, sane formula legis curiatæ de imperatorib. constituendis erit, *Velitis, jubeatis, ut mihi in hoc bello, aut in illa provincia, aut ut illi in hoc bello, aut in illa provincia imperium sit?* Postremo, cum postremis temporibus lex curiata ad imperia militaria mandanda maxime adhiberetur, præcipuo nomine lex militaris appellata est. siquidem Dio de adoptione Torquati agens libro XXXIX. legem curiatam adoptionis legem militarem

nominavit, cum tamen de re militari minime lo- A queretur.

Quin etiam ex eodem Livii loco colligitur, antiquissimam hanc legis curiatæ de imperio ferendæ consuetudinem extitisse. siquidem lata est non multo post exactos reges Fabio consuli, qui male pugnavit ad Cremeram; & post anno CCCLXIII. tribunis consularibus, qui ad Aliam fusi sunt; & post aliis consulibus, qui ad furcas Caudinas sub jugum missi sunt.

Præterea vero illud etiam elicitur, dictatorem a lege curiata dictaturam non accepisse. Siquidem Papirius ante dictator fuit, quam legem curiatam de suo imperio tulerit. B nam si lex curiata Papirio dictaturam dedisset, certe legem ipsam ferre non potuisset, quia agere cum populo, & legem rogare, est una res, quæ maxime jus dictaturæ continet.

Hic tu respondes, si modo verba tua intellexi, (nam obscura admodum mihi videntur) Papirium, cum dictator rei gerendæ caussa creatus esset, non potuisse esse dictatorem ante legem curiatam, verum tum demum pleno jure fuisse dictatorem, cum lex curiata est lata, neque magistratum dictaturæ in eo constitisse, ut cum populo ageret. Ego vero dico, cum dictator aut rei gerendæ, aut seditionis sedandæ, aut alius rei præcipuæ agendæ caussa creatus legitur, C non id solum, cujus caussa creatus dicitur, agere potuisse, sed etiam omnia alia. inter quæ præcipuum illud erat, ut cum populo ageret, ut tu multos fecisse multis sine caussa collectis exemplis docuisti; tantumque abesse, ut actio cum populo ad dictaturam non pertineat, ut si id juris ei adimatur, non sit futurus dictator. Siquidem Cicero in Legibus posuit, *dictatorem jus cum patribus, populoque agendi habere*. tu vero optimus auctor censes, omnes magistratus habere jus accusandi ad populum, quare etiam agendi cum populo. quia qui accusat, populum rogat. quod non negas. Addis nominationem consulis dedisse dictaturam, legem D curiatam confirmasse, *ita ut si populus eam rogationem antiquasset, una etiam magistratum dictaturæ abrogaturus fuerit*. Ego vero dico, ex tuis pulchris decretis, populum (sic enim triginta lictorum conventum vocemus) antiquare non potuisse. legem autem curiatam non confirmasse dictaturam, sed imperium ad bellum, quod esset gerendum, attulisse, & antiquata lege curiata dictatorem dictaturam habiturum, sed non imperium, id est, dictatorem quidem, sed non imperatorem futurum. Neque vero est, quod sententiam tuam tueri velis loco Ciceronis ex Agraria, & Messallæ apud Gellium. nam satis demonstratum est, E de alia ibi curiata agi, antiqua illa scilicet, & obsoleta. quæ ne dictatoribus quidem, & interregibus est lata quondam, quia neque ita populus bis de illis magistratibus judicasset. cum eorum neuter a populo creatus sit, verum alter a consule dictus, alter a patriciis proditus. Adjungis, ut dictator agere possit cum populo, satis fuisse nominationem consulis, quanquam dictator magistratus nondum esset; nec meminisse videris, te in primo de comitiis constituisse, firmiterque sanxisse, neminem agere cum populo potuisse, nisi magistratum, & ex sacerdotibus pontificem maximum; nunc medium quendam statum excogitasti, hominis scili- F cet, qui neque privatus sit, neque in magistratu, qui & ipse agere cum populo possit. Quod ut confirmes, addis, consulem etiam designatum aliquando collegam dixisse. siquidem Livius lib. XXXVII. scribit, C. Lælium consulem comitia habuisse, quibus M. Fulvius Nobilior consul unus creatus esset, *cum ceteri*, inquit, *centurias non explessent. isque postero die Cn. Manlium Lepido dejecto, (nam Messalla tacuit) collegam dixit*. atque hoc arcanum Romanæ antiquitatis appellas. Me miserum, qui nunc primum hæc augusta mysteria discam! ego enim jampridem legeram, Fulvium collegam dixisse, id est nominasse sine comitiis, quomodo consules dictatorem dicunt. Siquidem hoc etiam in tribunis observatum est. Livius libro IV. *Tribuni pl. facti quinque aliis tribus non explentibus sibi collegas alios quinque cooptarunt*. Quid, quod tu aliter in secundo de comitiis cap. IV. scripsisti? *Cum ceteri candidati*, inquis, *centurias non explessent, tum ille, qui unus erat designatus, postea alio die collegam sibi ut subrogaret, lege jubebatur*. nam si lege jubebatur, ergo non vi designationis. Quare tuus iste nec privatus, nec magistratus a te nuper ex arcanis, ut ais, antiquitatis erutus, vanus prorsus est ac commentitius.

Atque hæc quidem, quæ de lege altera curiata consulibus ferenda dixi, ita esse, ut dixi, indicat præterea apertissime dictator Camillus apud Livium lib. V. cum anno CCCLXIII. ita loquutus est. *Comitia curiata, quæ rem militarem continent, centuriata quibus consules, tribunosque militum consulari potestate creatis, ubi auspicato, nisi ubi adsolet, fieri possunt?* Ex his enim verbis quis est, qui non intelligat, consulibus magistratum datum centuriatis comitiis; imperium militare, si bellum gerendum esset, curiatis; id est, consules a populo factos comitiis centuriatis, eosdemque imperatores, lege curiata? Quæ verba etsi ita plana sunt, ut nihil possit esse apertius, tu tamen, ut tuam defendas opinionem, ea torques, atque dilaceras. & ais debere concludi, quoniam comitia curiata rem militarem continent, eos non potuisse pleno jure magistratum obtinere, tametsi centuriatis comitiis creati essent, nisi etiam curiatis populus de iis judicasset. quod consules non essent optima lege, qui rei militaris potestatem non haberent. Quæ responsio repugnat iis, quæ a te supra sunt constituta. Primum enim si imperium militare continetur, ut dixisti, in majore coercendi potestate, & ea comitiis centuriatis mandata est, certe etiam imperium militare mandatum est. quare consules sine lege curiata pleno jure fuerunt. item si lex curiata confirmat consulatum, confirmat non magis jus rei militaris, quam reliqua jura consularia, ergo Camillus non plus debuit dicere, comitia curiata rem militarem continere, id est, confirmare, ut tu exponis, quam alia jura. Postremo cum inquis, *Consules non esse, qui rei militaris potestatem non habent*, sane ostendis lege curiata non confirmari magistratum, sed dari imperium militare, atque ita in meam opinionem imprudens laberis. Quid ergo vult Camillus? Romanos, si Romam reliquerint, neque consules, neque tribunos consulares, neque eosdem imperatores habituros, quia nisi auspicato creari non possent, illi centuriatis comitiis, hi curiatis, quæ auspicia nisi Romæ concipi non poterant. Quod idem Cicero sensisse videtur, cum in secunda Agraria dixit: *Consules si legem curiatam non haberent, rem militarem attingere non potuisse*, quasi vero alias omnes actiones obire consules sine lege curiata potuerint, hac una militari excepta. Atque hæc quidem dicta eo pertinent, ut ostendatur, consulibus in consulatu legem curiatam, si bellum gerere voluerunt, opus fuisse.

Jam vero ut ostenderem, eosdem, si post consulatum in provincias ire vellent, eandem legem curiatam desiderasse, proferebam duos Ciceronis locos, unum in Agraria: *Consulibus legem curiatam ferentibus sæpe intercessum est*. alterum in epistola ad Lentulum: *Appius consul dixit in senatu, se se, si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum cum collega provinciam. se, quoniam ex S. C. provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem redisset*. His autem probabam idem, quod antea, consules ante legem curiatam consulatum gessisse. atque ejus rei argumento esse, quod ipsi legem curiatam sibi tulissent, quæ rem militarem continet; & quod cum consulibus legem curiatam feren-

rentibus sæpe intercessum esset, non tamen ipsi consules esse desissent. & quod Appius transacto maxima ex parte consulatu suo de lege curiata sibi ferenda loquutus sit, deque ejus perlatione dubitaverit. Quod si lex curiata eo tempore magistratum confirmasset, consules, quibus intercessum erat, non fuissent consules, & Appius in discrimen venisset, non de provinciali imperio, sed de consulatu. Tertium inde locum ex epistolis ad Atticum producebam: *Consules flagrant infamia, quod C. Memmius candidatus pactionem in senatu recitavit, quam ipse & suus competitor Domitius cum consulibus fecisset, uti ambo sestertium quadringena consulibus darent, si essent ipsi consules facti, nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerent, cum lex curiata ferretur, quæ lata non esset, & duos consulares, qui se dicerent in ornandis provinciis consularibus affuisse, cum omnino ne senatus quidem fuisset.* Ex quibus verbis dicebam percipi posse, tum consules ante legem curiatam latam consulatum gessisse, quippe qui post aliquot menses, quam inierant, legem eam ad populum tulissent, tum legem curiatam fuisse de imperio non urbano, sed provinciali, ac militari. His autem tu locis omnibus multas responsiones affers. quod est argumento, te in tota hac controversia titubare, nec certi, quod opineris, aliquid habere. Prima responsio est, falli me, qui existimem, consules, qui rempublicam administrarunt, semper ipsos sibi legem curiatam tulisse de suo imperio, postquam jam inissent magistratum, quia C. Flaminius absens secundum consulatum iniit, & Marius tertium. atque uterque bellum gessit, neque sibi legem curiatam pertulit. ex quo concludis legem latam ab eo, qui eos designavit. Ego vero nego, me scripsisse, consules legem curiatam tulisse, postquam inissent, sed cum in superioribus Ciceronis locis scriptum sit, consules legem sibi curiatam tulisse, satis argumento esse, legem eam non magistratum attulisse, sed militare imperium. De Flaminio vero quid scribat Livius, attende; *Cum Cn. Servilius de rep. rettulisset, redintegrata in C. Flaminium invidia est. duos se consules creasse, unum habere. quod enim illi justum imperium, quod auspicium esset magistratus, id a domo, publicis, privatisque penatibus, sacrificio in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis secum ferre, nec privatum auspicia sequi, nec sine auspiciis profectum in externo ea solo nova, atque integra concipere posse.* Si ergo Flaminius, ut inquis, legem curiatam habebat ab eo, qui ipsum designarat, latam, & lex curiata auspicatum imperium attulit, ut tu alio loco dixisti, quomodo Livius scripsit, Flaminium justo imperio, atque auspicio caruisse? De Mario item possum dicere, quemadmodum contra leges tertium consulatum cepit, sic contra leges inisse. Secunda tua responsio est, fieri potuisse, ut lex curiata a collega, qui præsens esset, ferretur, quemadmodum lata est toti collegio prætorum. Quod inculcas de collegio prætorum, ut notum, nescio unde expiscatus sis. neque enim hoc probas. nec quæ de prætoribus dixisti, hoc aliqua ex parte attingunt. Quod vero inquis de lege lata a collega præsente, id certe exemplo Flaminii reprobatur. quem nunquam questi essent Romani justum imperium non habere, si justum imperium tradi a collega Romæ præsente ipsi absenti potuisset. Nam quod adjicis, te invenire, *Consules aliquid rei bellicæ gessisse statim inito magistratu, quod non potuissent, nisi perlata lege, ex quo apparere, legem latam esse ab iis, qui ipsos designassent*, concedam, dummodo & ipse concedas, consulem rem militarem attingere non potuisse sine lege curiata sive ab ipso, sive ab alio lata. Quod autem adjungis, *Neronem, & Salinatorem, antequam inirent consulatum, provincias, & exercitus esse sortitos*, non est satis: non enim qui sortitur provinciam, & exercitum, statim habet imperium: quia provinciæ imperat, cum accessit ad eam; exercitui imperat, ubi imperii insignia, atque adeo exercitum ipsum accepit. Tertiam responsionem affers, legem curiatam confirmasse consulatum, non dedisse, ita ut consules fuerint etiam ante eam legem, sed non optimo jure. quæ responsio quam infirma, atque inconstans sit, satis ex iis, quæ supra dicta sunt, puto liquere. Quarta est, duplicem esse legem curiatam de imperio; unam, quæ initio fertur magistratui ad confirmandum magistratum; alteram, quæ transmittit imperium auspicato, & in locis a me allatis, quibus consules pene confecto consulatu legem sibi curiatam ferunt de imperio, secundam esse intelligendam. Hic ego primum quæro, quid habeas dicere, cur si eædem curiæ, vel potius iidem lictores primam, & secundam legem jubent, auspicatum sit magis imperium, quod secunda lege transmittitur, quam quod prima. & si sola lex secunda transmittit auspicato imperium, cur non omnes ii, quibus ea lata est ab iis, qui ipsos designarunt, inauspicatum imperium sint habituri, contra quam tu supra constituisti, nisi eos eodem die, atque eadem hora binas leges curiatas tulisse dicas, alteram inauspicatam ad confirmandum magistratum, in quo etiam te auctore inest militare imperium, alteram auspicatam ad transmittendum. quo nihil potest esse perversius. Ultima tandem est, fieri potuisse, ut consules illi, quos nominavi, initio magistratus non potuerint per intercessiones, & obnunciationes eam legem ferre, quam in designandis magistratibus, aut postquam inissent, ferri oportebat. neque hujus responsionis attendis incommodum. nam si lex illa initio magistratus ferri non potuit, ergo magistratus eorum lege non est confirmatus. si ita, ergo consules illi per te pleno jure consules non fuerunt, immo vero ne consules quidem fuerunt. nam supra dixisti, sine lege curiata magistratum nullum fuisse. at consules hos magistratum gessisse sine lege illa constat. ergo lex illa non ad magistratum pertinuit, sed ad aliquid magistratui adventicium, id est, ad bellicum, si opus fuit, imperium committendum. Verum illud demiror in primis, te legem curiatam ferri non potuisse dicere, cum supra scripseris, triginta lictores, ad quos ferebatur, facere non potuisse, quin legem acceperint, neque in eorum potestate fuisse, ut antiquarent.

Postquam hæc responsa dedisti, quoniam ea infirma, atque imbecilla esse, intelligis, duobus ea tibi locis Dionis communienda suscipis. unus est hic: *Qui Thessalonicæ erant, novos magistratus non crearunt, quamvis ad præscriptum legis locum ad captanda auspicia publicum fecissent. in caussa fuit, quod legem curiatam consules non intulerant. itaque iisdem, qui ante, usi sunt magistratibus, appellationibusque tantum mutatis, eos proconsules, proprætores, & proquæstores dixere.* Hic ais, cum Dio scribat, Lentulum, & Marcellum consules novos magistratus non creasse Thessalonicæ, quia legem curiatam non intulerant, satis apparere, legem curiatam consulibus ferendam esse, ut optimo jure consules essent. Ego vero dico, Lentulum, & Marcellum consules, qui Thessalonicæ in castris erant, neque consules, neque prætores novos in annum sequentem creasse, quibus imperium traderent, quia intelligebant, si imperium militare, quo maxime opus erat, eis mandare ordine vellent, per legem curiatam dari oportere, quam ipsi non intulerant. itaque veteribus magistratibus imperia prorogasse, ut mos erat, plebiscito, non lege curiata. quanquam autem locum auspiciorum pararant, tamen id tantum valuisse videtur ad centuriata comitia, quibus consules, & prætores creandi erant. Nam si dicas, novos magistratus non esse creatos,

quia lex curiata a consulibus non esset lata, quæri poterit, cur consules centuriata comitia parassent, quod erat operosius; curiatam vero legem non tulissent, quam tu censes ad triginta lictores latam antiquari non potuisse. Ergo probabilius videtur dictu, eos rationem centuriatorum comitiorum habendorum inisse, qua consules, & prætores crearent; non autem curiatæ legis ferendæ, qua eosdem imperatores constituerent. nam lex curiata apud Dionem, ut dixi, lex militaris vocatur. Itaque prorogando veteribus magistratibus imperio assequutos esse quod voluerunt, ut imperatores haberent, quos proconsules, & proprætores appellarent. Qua sententia constituta tolluntur omnia, quæ tu ad tuam opinionem accommodata ex hoc loco colligis. Alter locus est, ubi agitur de P. Clodio, qui ædilis curulis factus L. Philippo, Cn. Marcellino coss. ubi primum ædilitatem inivit, Miloni diem dixit, eumque de vi ad populum postulavit, non quod speraret, se Milonem posse damnare, sed ut sub accusandi Milonis inimici sui prætextu, Pompejum etiam, ac Ciceronem Milonis defensores suosque adversarios conviciis agitare posset. *Clodius enim*, inquit ille, *ut plus in hac re perstaret, non sinebat legem curiatam ferri, neque judicium ullum fieri licebat*. Hunc autem locum tu ita interpretaris, Clodium ædilem legem curiatam non esse passum ferri magistratibus ad confirmandum eis magistratum. Cum autem te interprete Clodius hoc tentarit mense Februario, non vides, si per mensem Februarium lex curiata magistratibus, ut consulibus, & prætoribus non erat lata, futurum, ut eo mense nulli consules, nullique prætores essent. hoc autem falsum esse, colligitur ex epistolis primis Ciceronis ad Lentulum, quas hoc anno Januario, ac Februario mense scripsit, cum senatum sæpe habitum per consules dicat, & consules reliqua consularia munera obiisse significet. Adde, quod ædilicia comitia fuerunt XI. Kal. Febr. quibus Clodius ædilis est factus, & quidem, ut tu censes, comitiis tributis, & lege curiata. est autem absurdum in primis, Clodio, qui, ut tu vis, medio Januario mense ædilis designatus est, legem curiatam per consules esse latam, consulibus vero, & prætoribus superiore anno designatis eandem ne post multos quidem dies ferri per Clodium licuisse. simul etiam quærendum, qui nam legem curiatam Clodio ædili tulerint, qui non etiam consulibus, & prætoribus ferre potuerint? & si consules, ac prætores nulli erant, aut non optimo jure erant, qui tandem legem curiatam hanc tulerint, quæ a plebejo magistratu ferri non poterat? Vide ergo, quando hoc tempore lex curiata magistratuum obsoleverat, ne legem alteram curiatam intelligat, ut qua dabatur imperium Pompejo eo tempore ad rem frumentariam delecto, qui sine lege exire, quamvis cupiens, honeste non posset. Quæ cum ita sint, laudo ingenium tuum, qui coactus, credo, superioribus auctoritatibus tandem confiteris, quod verum est, legem hanc diversam esse ab illa prima: illa enim confirmari magistratum, hac in provinciam proficiscenti transmitti imperium. cui & ipse assentior, quemadmodum demonstravi.

CAP. IX.

De imperio prætorum, qui in magistratu, aut ex magistratu bellum gesserunt, aut in provincias profecti sunt.

UBI vero de iis, qui in consulatu, & qui ex consulatu ad bella, & in provincias cum imperio profecti essent, dixi, agebam deinceps de prætoribus, & quoniam de iis, qui primis temporibus in prætura provincias, & bella sortiebantur, exempla non suppetebant, quibus legem curiatam eis latam demonstrarem, proferebam exempla eorum, qui continuo post præturam, & quidem jure præturæ in eas exissent. siquidem ab initio institutum fuerat, ut provinciæ mandarentur iis dumtaxat, qui consulatum, & præturam gessissent. quod Cæsar significat libro primo, cum questus est, *in se jura magistratuum commutari, ut non ex prætura, & ex consulatu, ut semper, sed per paucos probati, & electi in provincias mitterentur*. Hos igitur, quicunque essent, provinciales prætores duplex imperium habuisse dixi, civile, nempe jurisdictionem, comitiis centuriatis; & militare ipsum, lege curiata. De primis prætoribus ne tu quidem dubitas. eos autem, qui prætura Romæ in jurisdictionibus, & quæstionibus exercendis transacta postero anno in provincias missi sunt, negas a centuriatis comitiis aliquid accepisse. Ego vero dico, vim centuriatorum comitiorum non solum ad præturam Romæ actam, sed etiam ad eam, quam post in provincia gesserunt, pertinuisse. siquidem lege, ut videtur, sanctum erat, ut, qui Romæ præturam administrassent, ii postea provinciam regerent. itaque ut primi in prætura, sic hi ex prætura obtinere provinciam dicebantur. Ut autem consules in consulatu legem curiatam belli caussa sibi tulerunt, itemque, si in provinciam post consulatum proficisci voluerunt, sic etiam prætores fecisse verisimile est. Res autem acta est in hunc modum. Prætores cum centuriatis comitiis creati sunt, potestatem jus dicendi in universum obtinuerunt. deinde cum ex S. C. urbana sortiti munera essent, alii, ut civibus, alii, ut peregrinis jus dicerent, alii, ut de criminibus quærerent, obtinuerunt. quo munere perfuncti in alterum annum ex S. C. alii hanc, alii illam provinciam sortiti sunt; id est, ut jurisdictionem, quam centuriatis comitiis acceperant, in hac potius, quam in illa provincia exercerent. ut autem bellum, si opus esset, gererent, ejus rei jus acceperunt a lege curiata. ergo jurisdictionem quidem habuerunt a centuriatis comitiis, jurisdictionem vero in hac provincia a sorte ex S. C. profecta, imperium militare a lege curiata, ornamenta imperii ab altero senatusconsulto quod legi conjunctum erat, ut post dicemus. Neque impedit, quod multi, ut inquis, prætores in provincias populo Rom. non obedientes missi sint, ita ut jus ei dicere non potuerint. prætores enim missi sunt duabus de caussis in provincias; id est, si provinciæ parerent populo Rom. jurisdicendi caussa; si arma tenerent, belli gerendi. ut autem in pace jus militare habuerunt, sic etiam in bello juris dicendi potestatem habere potuerunt, non quod ea opus esset, sed quia cum haberent, non erat caussa, cur spoliarentur. Ut autem probarem, prætores, qui prætura in urbe acta provincias sortiti essent, imperio militari ornatos fuisse, proferebam exemplum Verris Siciliæ prætoris ex Cicerone: *Cum tibi prætori sorte obtigisset, ut jus diceres, quantum negocii, quid oneris haberes, nunquam cogitasti. sequuta provincia est, in qua tibi nunquam venit in mentem, non tibi iccirco fasces, & secures, & tantam imperii vim, tantamque ornamentorum omnium dignitatem datam, ut earum rerum vi, & auctoritate omnia repagula juris perfringeres. in qua te ita gessisti, ut eum omnibus teneare rebus, ad fugitivorum bellum confugias*. Ex quibus verbis dicebam intelligi posse, non esse idem imperium prætoris urbani, & provincialis, quod Cicero vocet curationem urbanam negocium, & onus; provincialem vero imperium. quippe quia provincialis prætor non solum jus in provincia diceret, ut Romæ urbanus, sed etiam rem militarem administraret. Cum autem hæc adeo aperta, & manifesta sint, tu tamen me dixisse arguis, prætorem urbanum imperium non habuisse, sed negocium, & onus;

provincialem vero habuisse; & prætorem provincialem majus imperium habuisse, quam urbanum. atque in has conclusiones ita inveheris, ut in eo non minus humanitas, quam acumen tuum, desideretur. *Non possum*, inquis, *mirari, quid Sigonio venerit in mentem ita pervertere vetera monumenta. Cicero*, inquis, *in prætura urbana appellanda negocii, & oneris verbo utitur, in provinciali imperii; ergo prætor urbanus imperium non habet, provincialis habet*. Item: *Quid? eum ne ferre quisquam possit, qui ita concludit: majoris negocii est hujus, quam illius provincia; ergo majus imperium habet, quam ille*. Dii boni, quid dices Nicolae Gruchi? Ubi nam ego negavi, prætorem urbanum habere imperium, ac rursus habere quidem dixi, sed minus, quam provincialem? Verum fac me dixisse, provincialem majus habuisse imperium, quam urbanum; num me usque adeo rudem harum litterarum existimas, ut hoc etiam tueri nesciam? Age enim, quæ sunt prætoris provincialis partes? nempe jurisdictio, quæstio, & rei militaris administratio. quæ urbani? jurisdictio tantum. non tibi videtur, qui tria hæc habet, majus habere imperium, quam qui horum unum. respondes, majorem habet vim imperii, non majus imperium. at in quo hæc differunt? neque enim credo, ipse satis intelligis. inquis tamen, majorem vim imperii provincialis indicabant secures cum fascibus, quæ sublatæ provocationis insignia erant. probe. an vero dictator majus imperium ob unam, qua caret, provocationem, habebit, quam consul, & prætor; provincialis vero ob eandem rationem non majus imperium, sed majorem vim imperii, quam urbanus, habere dicetur? aut magistratus unus majorem potestatem, quam alter, habebit; imperium vero majus non habebit? sic enim Cicero: *Ni par, majorve potestas prohibessit*. Porro autem, ut probarem, prætores in provinciam exituros lege curiata imperium accepisse, testem adhibebam Cæsarem, qui in primo Civilium scribit: *De reliquis rebus senatus consulta scribuntur. provinciæ privatis decernuntur, duæ consulares, reliquæ prætoriæ. Scipioni obvenit Syria, L. Domitio Gallia. Paulus, & Marcellus privato consilio prætereuntur. neque eorum sortes dejiciuntur. in reliquas provincias prætorii mittuntur, neque exspectant, quod superioribus annis non acciderat, ut de eorum imperio ad populum referatur, paludatique votis nuncupatis exeunt*. Ex quibus verbis hanc sententiam colligebam, prætores provincias a senatu, imperium a populo accepisse. Tu vero inquis, quia provinciæ & consulares, & prætoriæ privatis datæ erant, propterea oportuisse de eorum imperio ad populum ferri, id est, ex privatis magistratus facere. Habet autem duas difficultates ista interpretatio, unam, quod eosdem & senatusconsulto, & sorte, & plebiscito in provincias mittit, cum in magistratu satis semper fuerit ordine senatus consultum cum sorte, extra ordinem plebiscitum sine sorte; alteram, quod eos, quos Cæsar in provincias missos queritur, omnino privatos facit, quia senatus consultum quarto ante anno factum esset, ut nemo consul, aut prætor in provinciam mitteretur, nisi quinquennio postquam magistratum gessisset. quod videtur esse alienum. quia si senatus consultum illud ex omni parte observabatur, cur queritur Cæsar, Paulum, & Marcellum consules in sortitione provinciarum præteriri, neque eorum sortes dejici? cur pravo, (sic enim ipse corrigis) id consilio fieri? quomodo pravum illud esse consilium potest, quod senatus consulto per quattuor ante annos observato conveniens est? Quod si S. C. illud observatum in alio non est, ut in Scipione, qui tertio, non quinto post consulatum anno provinciam sortitus est, non merito poterimus dubitare, ne in prætoribus etiam observatum non sit? Sed fuerint omnes ut consulares, sic prætorii, qui mittebantur. dico habendam eam fuisse rationem eorum, qui ex S. C. post quinquennium provincias sortirentur, quam magistratum Romæ gessissent, atque eorum, qui continuo ex magistratu. nam vi gesti magistratus sortiebantur, atque ire cogebantur. quare non minus eis feretur lex curiata de imperio, atque eis lata sit, qui nullo interposito spacio ex prætura sortiti sunt. Ut enim consules, qui creato dictatore abdicaverant, ac privati fuerant, deposita a dictatore dictatura, magistratum ex privatis resumebant sine novis comitiis, vi legis de dictatura a principio latæ, ut scribit Dionysius; sic consules, & prætores vi senatus consulti, postquam privati fuerant, jurisdictionem in provincia continuabant. mitto illud, quod magistratus lege mandatos facis, quod absurdissimum esse in tua doctrina statuimus. Quod vero negas verba Cæsaris: *Neque expectant, dum de imperio eorum ad populum referatur*, de lege curiata accipi posse, quia lex curiata non ad populum, sed ad triginta lictores ferretur, plane, ut dixi, ridiculum est, & jam satis explosum. Eademque ratione quod addis, si de lege curiata intelligatur, fore, ut me repugnante lege curiata datus sit magistratus iis, quibus nullis comitiis ante erat datus, non procedit. neque enim ego imperium voco proprie magistratum. & hos ego privatos constituo tantum ex ea parte, quod tum non gererent magistratum, cum sortiebantur, at quod ad jus provinciæ ex magistratu obtinendæ, non item. multoque minus, id quod adjungis, fore, ut omnes provinciarum ejus anni rectores habuerint tantum imperium militare, non civile. siquidem cum eos senatus sortiri provincias jussit, nihil aliud jussit, quam ut sortirentur, in qua provincia exercerent jurisdictionem, quam acceperant centuriatis comitiis ea lege, ut post præturam Romæ actam eam exercerent in provincia aliqua. Neque vero de plebiscito videtur posse intelligi. siquidem plebiscitum extra ordinem adhibetur, tum vero res ordine acta est mutato tamen vetere instituto. & cum plebiscitum adhibetur, sors locum non habet. At vero si hi prætores ex S.C. sortiti sunt provinciam, & post sortem provinciæ de eorum imperio ad populum latum est, certe curiata lex lata est, ut solebat, non plebiscitum. quia cum plebiscito res agebatur, neque senatus consulti, neque sortis mentio incidebat. Quæ si vera sunt, facile genus omne reprehensionum tuarum refutare etiam me tacente possunt.

CAP. X.

De imperio consulum, qui summo S. C. ornati erant.

ATQUE hæc quidem cum disputassem de consulibus, & prætoribus in magistratu, aut post magistratum in provincias, aut ad bella ordine cum imperio proficiscentibus, quibus legem curiatam necessariam fuisse demonstrabam, tum deinceps agebam de iis, qui & in urbe, & extra urbem sine lege curiata imperium nec tamen plebiscito obtinuissent. Eorum genus unum erat, qui summo S. C. ornati essent: *Videant, ne respubl. aliquid detrimenti capiat*. alterum eorum, qui legem Corneliam inique interpretabantur. De quibus quoniam tu a me longe dissentis, videtur faciendum, ut pluribus disputetur. De iis, qui summo S. C. ornati erant, cum dicerem, utebar auctoritate Sallustii, qui ita scribit: *Senatus decrevit, darent operam consules, nequid respub. detrimenti caperet. ea potestas per senatum more majorum magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis cives atque socios, domi, militiæque summum imperium, ac judicium summum habere. aliter sine populi jussu nullius earum rerum consuli*

jus eſt. Quo loco prolato, ego ſic addebam: *Hæc verba nobis hanc lucem afferunt, ut intelligamus, conſules jure conſulatus exercitum parare, bellumque gerere non potuiſſe, neque domi, militiæque ſummum imperium habuiſſe, quod certe habuiſſent, ſi imperium unum tantum eſſet, idque centuriatis comitiis cum magiſtratu ipſo delatum eſſet. at vero, cum niſi in atroci negocio mandatum non ſit, ſane intelligi poteſt, duo eorum fuiſſe imperia, unum civile, alterum militare.*

Hæc autem verba tu ita reprehendis, ut in his multipliciter me peccaſſe dicas. Primum autem objicis, me Salluſtii verba falſa rettuliſſe: *Aliter ſine populi juſſu nullius earum rerum conſuli jus eſt*, cum in omnibus libris legatur: *Nulli*. Ego vero culpæ maximæ me affinem eſſe confiterer, ſi aliam ſententiam ex voce, *nullius*, quam ex *nulli* ad te refutandum collegiſſem. Verum utro modo legas, non *conſuli*, ut tu, eam vocem attribuo, ſed *rerum*. atque hujus habeo opinionis ſocium Joannem Rivium, qui ita ſcribit: *Manuſcripta duo: Nullius earum rerum. niſi quis Nulli vetuſte poſitum malit pro* nullius: *quomodo Comicus dixit, Tam iners, tam nulli conſilii. & in Truculento Plautus: Coloris ulli, pro* ullius. *nec τῷ conſuli addendum puto*. habeo etiam Vincentium Caſtillioneum, apud quem ita ſcriptum eſt: *Diverſæ hic ſunt opiniones. alii enim, Nulli cum ſubſtantivo conjungunt. ut ſit, nulli conſuli jus eſt. alii, Nullius pro nulli legere malunt. niſi Nulli antiquo more, pro nullius poſitum ſit. ego tamen dativum eſſe puto, Nulli earum rerum conſuli jus eſt, pro in nullam rem earum rerum*. Hic animadvertere potes, horum neutri placere, quod tibi tantopere arridet: *Nulli conſuli*. & certe, qui ita dixerit, nove admodum dixerit. Sed ut dixi, ſive *nulli*, ſive *nullius* legatur, eandem ſemper elicio ſententiam.

Addis deinceps, ſi dicam, nullius earum rerum, quæ in hoc S. C. continentur, jus eſſe conſuli ſine lege curiata, Salluſtium falſa eſſe loquuturum, & inſtitutorum ſui temporis rudem apparituram, quod ſciret legem curiatam a lictoribus juberi, non autem a populo. In quo ego primum rideo. quis enim, quæ de lictoribus iſtis tam ſæpe repetis, audiens, riſum contineat? deinde obſtupeſco. ubi enim hoc ego ſcripſi? ubi legis curiatæ in hoc S. C. interpretando mentionem feci? ego enim ex hoc S. C. ſenatus poteſtatem collegi, non populi. Non eſt hoc ſatis. Cum ego diſerte ſcripſerim, militare imperium extra urbem haberi per legem curiatam, apparere ex locis ſuperioribus, in urbe per S. C. ſummum, ex hoc loci Salluſtii, tu me dixiſſe criminaris, in urbe haberi tantum per ſummum S. C. extra urbem tantum per legem curiatam; ac multis exemplis, & rationibus, more tuo, credo, ut multum ſapere videaris, cum multa dicas, probare contendis, & in urbe lege curiata, & extra urbem ſenatus conſulto imperium eſſe mandatum. ac perinde in hoc multus es, quaſi victoria in hoc poſita ſit. Ego vero illud, *Tantum*, non addidi, & cum ita ſcripſi, quæ apertis nitebantur auctoritatibus ſcripſi; neque ita locutus ſum, ut in urbe per legem curiatam, aut plebiſcitum, extra urbem per ſummum S. C. haberi poſſe negaverim.

Verum hoc ferendum. addis, me putare imperium legis curiatæ eſſe extraordinarium, cum tamen ubique ordinarium eſſe clamarim; & Salluſtium duos modos imperii tranſmittendi inter ſe contuliſſe, cum nihil tale ne ſomnio quidem finxerim.

Conſideremus autem quæſo diligentius, quid Salluſtius his verbis velit, & uter noſtrum rectius hoc S. C. intellexerit. Sane cum inquit, *Maximam poteſtatem hoc S. C. permitti magiſtratui*, extraordinariam intelligit poteſtatem, id eſt, majorem, quam quæ ordine dabatur magiſtratibus. hæc vero verſabatur in coercendo, in judicando, in bello gerendo. cum ergo conſul in urbe coercere, judicare ſine provocatione, atque exercitum belli gerendi cauſſa habere non poſſet, illud hoc S. C. adeptus eſt, ut ea poſſet. Nam ordine ſi Romæ conſul aut vinculis, aut verberibus, aut mulcta coercuiſſet, ac civem damnaſſet, erat appellatio collegæ, qui intercedere poterat, aut provocatio ad populum: hoc vero ſenatus conſulto accepto, nulla erat. ſiquidem maximam earum rerum habebat poteſtatem. Hoc igitur poſito video, te vehementer peccaſſe, qui peccatum aliis objicis. Tu enim *conſules* dicis *dictatoriam poteſtatem ob S. C. aſſecutos*, perinde ac ſi dictatores jure dictaturæ etiam ſine S. C. in urbe exercitum belli gerendi cauſſa imperarint. cum tantum comitiorum cauſſa, ut etiam conſules, imperarint, teſte, ut ſupra demonſtravi, Varrone. At Plutarchus, inquis, & Livius prodidere, conſules hoc S. C. armatos eandem vim habuiſſe, ac ſi dictatores dicti eſſent. recte. reſpexerunt enim ſeditionem, motumque civilem, de quo tum loquebantur, ad quos compeſcendos opus erat magiſtratu, qui coercere, atque animadvertere ſine provocatione poſſet, cujus cauſſa dictatura erat illata. ſiquidem ſcribit Dionyſius, cauſſam dictatoris creandi primum fuiſſe legem Valerii, quam tulerat de provocatione, & conſulatus poteſtatem minuerat. Quod idem confirmat Livius libro quarto: *Quinctius conſules immerito increpari ait, qui conſtricti legibus de provocatione ad diſſolvendum imperium latis nequaquam tantum virium in magiſtratu ad eam rem pro atrocitate vindicandam, quantum animi haberent. opus eſſe non forti ſolum viro, ſed etiam libero, exolutoque legum vinculis. itaque ſe dictatcrem L. Quinctium dicere*. At vero in bello majorem fuiſſe dictatoris, quam conſulis, poteſtatem, cum uterque ſine provocatione eſſet, neſcio, ubinam inveneris. certe hoc ſenatus conſultum *niſi in vi tribunitia, in pernicioſis legibus, in ſeceſſione populi, templis lociſque ſuperioribus occupatis, non factum*, prodit Cæſar libro primo belli civilis.

Addit Salluſtius: *Aliter ſine populi juſſu nulli earum rerum conſuli jus eſt*. Quid eſt populi juſſus? nempe plebiſcitum, aut lex. quæ ſunt res eæ? coercere omnibus modis, parare exercitum, bellum gerere, domi militiæque ſummum judicium ac ſummum imperium habere. Ergo ſi populus juſſerit, magiſtratibus domi, militiæque hæc facere licebit? ſane. ſed extra ordinem. quid eſt autem magiſtratum habere ſummum judicium? nempe, ut Cicero dixit in agraria, *habere cognitionem ſine conſilio, pœnam ſine provocatione, animadverſionem ſine auxilio*. Itaque Livius recte ſcripſit, C. Julium decemvirum conſularem, qui ſine provocatione erat, cum Sextium de cæde ad populum accuſaſſet, cujus rei legitimus judex erat, de ſuo jure deceſſiſſe. Si autem ſummum judicium habere eſt poſſe ſine conſilio condemnare, ut cum Cincinnatus dictator Sp. Mælium jure cæſum pronunciavit, video te errare multo, quam antea, gravius, dum me antiquitatis ignoratione in multos incidiſſe errores arguis. inquis enim, ſummum hoc judicandi imperium, quod ipſe appellas dictatorium, conſules non ſolum a ſenatu, ſed etiam a populo extraordinarium accepiſſe. & profers Livium, qui ſcripſit, quæſtionem cædis Poſtumianæ Coſſo, & Medullino conſulibus a populo eſſe mandatam, & quæſtionem Bacchanalium Albino, & Philippo conſulibus a ſenatu. erras autem trifariam (ſic enim tuo exemplo jam libet loqui.) primum, quod dictatorium judicium, & id quod his conſulibus mandatum ais, idem eſſe putas, cum ſit diverſum. dictatores enim ſine conſilio cognoverunt; hi conſules ex judicum, quos coegerunt, ſententia pronunciarunt. deinde, quod

eodem S. C. utrunque judicium commissum significas, cum sint diversa. nam dictatorium judicium senatus consulto extraordinario mandatum est, illud alterum ordinario, tum cum quæstiones certos & perpetuos non habebant quæsitores, sed a senatu, aut a populo, prout inciderat, mandabantur. postremo, quod judicium mandatum plebiscito illis consulibus extraordinarium vocas, cum esset iis temporibus maxime ordinarium, quibus quæstiones certos, ut dixi, non habebant prætores, sed modo consulibus, modo prætoribus, modo dictatori committebantur. unde scripsit Pomponius D. de origine juris: *Quia de capite civis Romani injussu populi non erat lege permissum consulibus jus dicere, propterea quæsitores constituebantur a populo, qui capitalibus rebus præessent*. Atque ita ordine factum est, quoad prætores has quæstiones sortiri cœperunt, ut scis, post L. Pisonem tribunum pleb. qui primus legem de pecuniis repetundis tulit, & quæstionem eam perpetuam fecit. *Summum* ergo *domi judicium* significat, non ut cum consilio judicum cognoscerent, sed ut pro suo arbitrio de re decernerent. Quocirca cum dixi, consulibus non fuisse jus belli gerendi in urbe sine summo S. C. extra urbem sine provincia, aut sine lege curiata, non incommode dixi. neque enim illud intellexi, quod objicis, extra urbem habitum duobus modis, aut cum provincia sine lege curiata, aut sine provincia per legem curiatam; verum illud, sine provincia non habitum, quia imperium ordine non deferebatur nisi ei, qui provinciam ex S. C. sortitus esset, aut sine lege curiata; quia non erat satis, sortitum esse provinciam ex S. C. nisi imperium etiam ex lege curiata accederet. ex quo apparet inania omnia illa incommoda esse, quæ tu ex hac oratione deducis. Ac de iis qui summo senatus consulto ornati sunt, hactenus.

CAP. XI.

De imperio lege Cornelia accepto.

De iis autem, qui legem Corneliam male interpretati, sine lege curiata se in provinciis, quas ex S. C. obtinerent, imperium habere posse existimarunt, res in hunc modum administrata est. Cum Cornelius Sylla dictator legem tulisset, ut qui ex S. C. provinciam obtinuisset, in ea imperium haberet, quoad in urbem revertisset, atque hac ratione prorogationem imperii, quæ fiebat a plebe sustulisset, dedit occasionem Appio consuli legem Corneliam perverse interpretandi, ut etiam sine lege curiata se imperium in provincia habere posse existimaret, ac legem curiatam utilem potius, quam necessariam diceret. credo, quod qui legem curiatam non haberet, a senatu viaticum impetrare non posset. Locus hic est in epistolis ad Lentulum: *Appius consul dixit in senatu, sese, si licitum esset, legem curiatam ferre, sortiturum cum collega provinciam; si curiata non esset, comparaturum cum collega, & tibi successurum. legem curiatam consuli ferre opus esse, necesse non esse, se, quoniam ex S.C. provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad urbem introisset. sunt qui putent, te non posse decedere, quod sine lege curiata tibi succedatur*. & libro tertio ad fratrem: *Appius sine lege curiata confirmat, se Lentulo nostro successurum*. & ad Atticum: *Appius sine lege suo sumptu in Ciliciam cogitat*. Si ergo Appius sine lege curiata, suo sumptu, in provinciam ire voluit, quam ex S. C. obtinuerat; si dixit, legem curiatam consuli opus esse, necesse non esse, & se sine ea per legem Corneliam imperium habiturum, profecto legem curiatam utilem esse judicavit, non necessariam: u-

A tilem autem, quod potestatem daret viatici a senatu impetrandi. tu vero cum hæc omnia negas, inconstantiam tuam duabus rationibus indicas. una, quod cum quodam in loco scripseris, te dubitare, an lex curiata in provinciam exituris fuerit necessaria, nunc dicis, eam sine ulla omnino exceptione necessariam esse; altera, quod cum in III. de comitiis ita scriptum reliqueris: *Necesse erat suo sumptu Appium proficisci, quando sine hoc de provinciis ornandis S. C. profecturus erat, cui locus esse non poterat, nisi post legem curiatam*, nunc negas, legem curiatam jus dedisse viatici postulandi. nec sentis, si te interprete lex curiata jus obtinendi a
B senatu sumptus dedit, atque sine ea Appius suo sumptu ire cogitavit, eam utilem ex Appii interpretatione fuisse, non necessariam. Quam sententiam ego sequutus, verba illa, *Curiatam opus esse, necesse non esse*, utilem, non necessariam esse sum interpretatus. quomodo Cicero idem locutus est in Oratore: *Aristoteles adjunxit tertium genus, quod si opus est, tamen minus est necessarium*, hoc sensu: Aristoteles adjunxit arti rhetoricæ genus demonstrativum, quod etiamsi utile est cognoscere civili oratori propter copiam, & facultatem orationis, quæ in eo sese effundit, tamen sine eo esse civilis
C perfectus orator potest. civilem autem oratorem dico, qui in consiliis, & judiciis, quæ duo continent civitatem, versatur. aut si utile est civitati ad laudandos fortes viros, non tantam tamen habet necessitatem, ut civitatem contineat, quantam reliqua duo, quæ utili, & justo continentur. quorum consociatio civitatem efficit, teste in Politicis Aristotele. Tu vero cum negas *opus esse* significare utile esse, sane ostendis, non meminisse Græcos quoque ἔργον & προὔργον in hanc significationem accepisse. Quod autem *opus esse* interpretaris, *carere non posse*, videamus, an recte, sed grammaticis iisdem ante appellatis, quos tu in hac quæ-
D stione opportune appellas. *Genus*, inquis, *laudationum, quod adjunxit Aristoteles, etsi est ejusmodi, ut eo carere non possimus, tamen non est necessarium. aut quoniam necessarium, teste in Partitionibus Cicerone, est sine quo esse non possumus; genus demonstrativum est, quo carere orator non potest, sed esse sine eo potest*. an hæc si portenta dixeris, auditum admissi risum teneatis amici? Quæ vero disputas, post legem curiatam opus fuisse senatusconsulto, quo ornamenta provinciæ decernebantur, neque provincias lege curiara fuisse instructas, sed senatusconsulto, quanquam vere, tamen sine caussa disputas. nam & ego
E idem in libris de provinciis tradidi, neque legem curiatam sumptum dedisse, sed jus sumptus a senatu obtinendi scripsi. Quis autem hic sumptus fuerit, non video inter nos convenire. tu enim ornamenta omnia provinciæ uno sumptus nomine complecteris, stipendium, cibaria, & reliqua; ego vero viaticum, i. sumptum, & apparatum itineris tantum. De quo viatico dixi videri Dionem loqui, cum scripsit: *Antiquitus qui redempturas ab ærario faciebant, proconsulibus omnia, quæ ad imperium pertinebant, suppeditabant. Augusto autem imperante illi certam accipere mercedem cœperunt*. Quæ
F verba miror te apud Dionem reperiri negare. & me affingere Dioni, quæ non sint Dionis, asserere, cum hæc apud Dionem inveniantur: Καὶ τὴν μισθοφορὰν καὶ ἐκείνοις, καὶ τοῖς ἄλλοις δίδοσθαι τότε ἐνομίσθη. τὸ μὲν γὰρ πάλαι ἐργολαβοῦντες παρὰ τοῦ δημοσίου πάντα σφίσι τὰ πρὸς τὴν ἀρχὴν φέροντα παρεῖχον. ἐπὶ δὲ δὴ τοῦ Καίσαρος πρῶτον αὐτοὶ ἐκεῖνοι τακτὸν λαμβάνειν ἤρξαντο. Quæ ita convertit, sed vitiose, Xylander: *Certum etiam stipendium & his, & aliis dari tum institutum est. antiquitus enim qui aliquod a rep. munus suscepissent, omnia suis ipsi stipendiis agebant. sub Cæsare primum accipere stipendium cœperunt*. tu

ergo ſumptum quencunque, quem prætores in provinciis facerent, ſignificatum ſcribis. ſiquidem pecuniam attributam numeras, quæ teſte Aſconio militi in ſtipendium dabatur; frumentum, quod in cellam prætoris æſtimabatur; cibaria, quæ quæſtori data ſunt. & apud Dionem, neſcio quo alio in loco, quem tu ex tenebris eruiſti, interpretaris Mæcenatem Auguſto ſuaſiſſe, certam mercedem ex publico magiſtratibus provincialibus eſſe aſſignandam pro ſui cujuſque imperii ratione. idque ad immenſam illam impenſam ærarii minuendam, qua ad eam diem uſi erant magiſtratus, cum pro ſuo quiſque arbitrio in rationibus referendis expenſos ærario referrent, quoſcunque ſumptus feciſſent. *Ut enim*, inquis, *attributæ omnis pecuniæ magiſtratibus rationes reddendæ eſſent, in ſuos tamen ſumptus quamlibet ſummam in ſuas rationes referre propemodum liberum erat*. Ego vero non quencunque ſumptum, ut tu cenſes, Appium intellexiſſe arbitror, ſed itineris. quod viaticum appellavit Cicero, cum ad Caſſium ſcripſit: *Cetera cujuſmodi ſint, ex hoc judica, quod legato tuo viaticum eripuerunt*. Erat autem viaticum ſumptus in mulos, vehicula, & tabernacula, & cetera ejuſmodi inſtrumenta. Livius bello Perſico: *Magiſtatus mulis, tabernaculiſque, & omni alio inſtrumento militiæ ornabantur, ne quid tale imperarent ſociis*. Hæc autem publice, ſumpta ex ærario pecunia, locabantur. indicat P. Ventidius, qui, ut ſcribit Gellius, victum quæſivit comparandis mulis, & vehicula magiſtratibus, qui ſortiti eſſent provincias, præbenda publice conduxit. Itaque Auguſtum refert Suetonius inſtituiſſe, *ut ad mulos, & tabernacula, quæ publice locari ſolebant, pecunia conſtitueretur*. atque hoc ſine dubio voluit Dio Auguſto imperante inſtitutum, ut certa pecunia magiſtratibus provincialibus conſtitueretur ad mulos, & tabernacula ſibi paranda, non ad quencunque ſumptum faciendum, quod antiquitus qui ab ærario redimerent, omnia, quæ ad imperium pertinerent, præberent. eſt enim ἐργολαβοῦντες ἀπὸ τοῦ δημοσίου ab ærario redimentes: ſiquidem Plutarchus in cenſura Catonis publicas ejuſmodi redempturas ἐργολαβίας vocavit. Ex quo intelligere potes, quæ tu de pecunia attributa, de frumento, deque cibariis inculcas, huc non pertinere; ac multo minus Mæcenatem ſuaſiſſe, ut ſingulis magiſtratibus pro ſui imperii modo decerneretur merces, ac veluti certum ſtipendium; cum ad eam diem magiſtratum ſtipendia merere auditum non eſſet. neque enim Mæcenas ſtipendium reddi magiſtratibus voluit, quaſi militiæ præmium, ſed certam pecuniam pro viatico, quod publice locaretur, aſſignari.

CAP. XII.

De imperio eorum, qui ex privatis in provincias miſſi ſunt.

QUÆRIS poſtremo, quid ſentiam de iis, qui non ſtatim ex prætura in provincias ibant, quomodo juriſdictionem a populo habuerint centuriatis comitiis, cum plebiſcito in provincias miſſi ſint. Ego vero cenſeo, non ſolum qui multis poſt magiſtratum annis, ſed etiam, qui in magiſtratu plebiſcito in provinciam miſſi ſunt, ab ipſo plebiſcito omnia adeptos, & provinciam & imperium, & ornamenta. Quod autem ipſe judicas, juriſdictionem a ſenatu potius, quam a populo eſſe tributam, id mihi non perſuades. ſic enim fieret, ut ſenatus mandaret magiſtratum, non populus. quod falſum eſſe, apparet ex eo, quod ſenatus neminem juſſit ſortiri provincias, niſi cui populus ante magiſtratum mandaſſet. quare aut a populo acceperunt juris dicendi poteſtatem, aut ſi a ſenatu, quatenus eos populus idoneos reddiderat, quibus juriſdictio a ſenatu mandari poſſet. Quod autem tu hoc in loco inculcas legem C. Cornelii, vix intelligo, quorſum. & niſi ad ſecundum tuum de comitiis librum confugiſſem, nunquam intellexiſſem. ſcribis enim hoc loco ſic: *Atqui legibus ſolvi niſi a populo nemo poterat, & vetere jure, & jure a C. Cornelio tr. pl. relato*. in libro autem de comitiis in hunc modum: *At ſi provinciæ decernerentur extra ordinem, tum vero populi ſuffragiis opus erat ad creandos magiſtratus, præſertim poſt legem Corneliam a C. Cornelio tr. pl. perlatam. qua lege, ut ſcribit Dio libro* XXXVI. *cavebatur, ut eſſet quidem in ſenatus poteſtate imperia extra ordinem dare, omninoque legibus ſolvere, ſed ita ut poſt rogatio ad populum vetere more de ea re ferretur, quam rogationem omnino a populo juberi neceſſe eſſet. hoc enim idem eſt cum eo, quod Aſconius de hac lege Cornelia ſcribit, cauſſam inquam fuiſſe, nequis in ſenatu legibus ſolveretur, niſi ducenti affuiſſent, neve quis intercederet, cum de ea re ad populum ferretur*. Ignoſce mihi quæſo, Gruchi, ſi quæ tu verborum tela paulo ante injuſte in me jaciebas, ea nunc ego in te juſte rejecero. ſic enim agebas: *Non te pudet, Sigoni, quæ tu animi cauſſa finxeris, ea bonis ſcriptoribus attribuere? an unquam fando tale aliquid finxit Dio, quale tu ei affingis?* injuſte autem ita egiſti, quia verba, quæ tu apud Dionem eſſe omnino negabas, erant tamen, ſed ea tu diligentia tua reperire non potueras, cum conſilium Mæcenatis Auguſto datum me cepiſſe pro ipſo Auguſti inſtituto inſimulares. ego vero juſtiſſime dixero, non te pudet, Gruchi, qui pudorem aliis ſine pudore affers, quæ tu apud bonos ſcriptores non intelligis, ea bonis ſcriptoribus attribuere? an unquam fando tale aliquid ſcripſit Dio, quale tu ei aſcribis? ſumamus verba Dionis: Ὁ Κορνήλιος γνώμην ἐποιήσατο, μὴ ἐξεῖναι τοῖς βουλευταῖς μήτε ἀρχήν τινι ἔξω νόμων αἰτήσαντι διδόναι, μήτε ἄλλο μηδὲν τῶν δήμου προσηκόντων ψηφίζεσθαι. τοῦτο γὰρ ἐνομοθέτητο ἐκ πάνυ ἀρχαίου, οὐ μέντοι καὶ τῷ ἔργῳ ἐπράττετο. Non hæc verba, ſi Latine reddantur, hoc valent? *Cornelius rogationem tulit, ne liceret ſenatoribus neque magiſtratum alicui ut contra leges peteret, dare, neque aliud ullum eorum, quæ ad populum pertinerent, vulgare. id enim antiquitus lege cautum erat, non tamen re obſervabatur*. Quid eſt ergo, quod inquis, Gruchi? an lex Cornelii fuit de imperiis provincialibus (nam tu de his loqueris,) an potius de urbanis magiſtratibus? nam ἀρχὴ & imperium, & magiſtratum ſignificat. an ut ſenatus daret imperia provincialia extra ordinem, an potius ne permitteret, magiſtratus peti a populo contra leges? quæ erant, ut certa ætate, ut deinceps peterentur magiſtratus, ne niſi certis annis interpoſitis iterum peterentur. an vero provinciæ unquam ad populum pertinuerunt, magiſtratus vero ad ſenatum? ſi, ut inquit Aſconius, *Cornelius tulit, ne quis in ſenatu legibus ſolveretur, niſi ducenti adeſſent*, propterea ne tulit, ut provinciæ extra ordinem a ſenatu dari poſſent, cum provinciæ ſemper in ſenatus poteſtate fuerint, ut magiſtratus ſemper in populi? Etenim magiſtratum ſenatus mandavit nunquam, at jus petendi contra leges dedit, ut paulo ante Pompejo. unde Cicero: *Quid tam ſingulare, quam ut ex S. C. legibus ſolutus conſul ante fieret, quam ullum alium magiſtratum per leges capere licuiſſet?* Et nimirum hoc eſt, quod lex Cornelia vetuit, ne concedi poſſet, niſi ducenti adeſſent, & ne quis intercederet, cum de ea re ex auctoritate ſenatus ad populum ferretur. Quare quid tibi vis, cum inquis? *At ſi provinciæ decernerentur extra ordinem, tum vero ſuffragiis populi opus erat ad creandos magiſtratus, præſertim poſt legem Corneliam:* quis eſt enim, qui decernit provincias? nempe ſenatus. quando decernit extra or-

dinem ? quoties eas neque consulibus, neque prætoribus decernit, sed privatis. quo tempore opus suffragiis populi fuisse ais ad creandos magistratus. at lege Cornelia cautum est, ut rogatio ferretur ad populum, ut, qui peteret magistratum, contra leges petere non posset. Itaque non magis post legem Corneliam, quam ante eam opus fuit suffragiis populi ad creandos magistratus, verum ad solvendos legibus qui peterent, & senatus auctoritate, & populi jussu opus fuit post legem Corneliam. num quid ergo tua ista sententia potest esse absurdius?

CAP. XIII.

De imperio eorum, qui ex privatis ad bella missi sunt.

DIXI de iis, qui ex privatis in provincias missi sunt. nunc dicam de iis, qui ad bella. de quibus tu non idem, atque ego, sentis. Quamobrem faciam, ut rem totam collatis inter se opinionibus iterum diligentius ad communem omnium utilitatem excutiam. Hæc igitur hac de re in superiore responsione mea fuerunt verba: *Relinquuntur quidam, qui neque ex magistratu, neque post magistratum, sed ex privatis, non in provincias, sed ad bella cum imperio mittebantur, aut consulari, aut prætorio, unde proconsules, & proprætores dicebantur. mittebantur autem aut lege, ut P. Scipio procos. in Hispaniam, aut S. C. ut C. Octavianus pro prætore in Galliam*. In quibus tu multa reprehendis, ac multis. ac primum illud, *Non in provincias, sed ad bella*. reprehendis autem, quia etiam qui bella sortiti sunt, provinciam sortiri dicti sunt, cum provincia dicatur omne munus alteri delatum sive privatim, sive publice. quod quia credis mihi esse ignotum, ut rem valde obscuram, multis more tuo tibi auctoritatibus suscipis comprobandum. Ego vero dico, provinciæ significationes esse multas, easque a me in libris de provinciis indicatas. verum unam illam esse propriam, regionem a populo Rom. ut inquit Festus, provictam, & jure provinciali donatam. unde illud emanavit, *redigere in formam provinciæ*. atque ab hac reliquas omnes esse profectas, ita ut quibus bella quocunque modo essent mandata, iis provinciæ mandatæ, aut cui negotium publicum delatum esset, eidem quoque provincia delata diceretur. Quamobrem cum scripsi, *qui non in provincias, sed ad bella mittebantur*, provinciam in propria significatione accepi. quomodo fecit Livius libro XLV. *Consul proficiscens, prætorve paludatis lictoribus in provinciam, & ad bellum*. *Ad bella* enim cum dixi, tempus id intellexi, cum imperatores in regionem suo imperio non subjectam bellandi caussa mittuntur, ut M. Cato, de quo Cicero pro Sextio: *P. Clodius trib. pleb. legem tulit, ut M. Cato ad regem publicandum in Cyprum cum prætorio mitteretur:* quod quid sit, declarat pro domo, cum ait; *Regiæ pecuniæ deportandæ, & si quis suum jus defenderet, bello gerendo M. Catonem præfecisti*. In provinciam vero dixi, cum præcipue ad regionem populo Romano obtemperantem administrandam proficiscuntur, in qua etiam, si res posceret, bellum gerere possent. Itaque mirarer, cur tu, quasi magnum aliquid excogitasses, tam multa verba faceres, ut probares, qui ad bella mitterentur, in provincias missos, nisi te ambos omnino pro iisdem falso accipere intelligerem. sic enim concludis: *Quasi vero ad bellum cum imperio mitti, non sit in provinciam mitti. cum enim illi non magis haberent provinciam, in qua jus dicere possent, quam hi, pariter utrique negandi fuerunt provinciam obtinuisse, aut pariter utrique dicendi suam habuisse provinciam*. Quibus ver-

A bis significas, qui in regionem hostium cum imperio mittitur, idem jus habere in ea, atque illum, qui in regionem a populo Romano in provinciæ formam redactam. cum tamen longe aliter sit. nam qui provinciam populi Rom. obtinuit, in ea conventus agit, ac jus provinciæ dicit; qui hostilem, minime. Itaque Cæsar, cum citeriorem, & Narbonensem Galliam provinciam nactus esset, in iis conventus egit, ut quæ jam pridem formam provinciæ accepissent, in Comata, quam ipse bello primus aggressus est, nequaquam. nisi fortasse, postquam eam in provinciæ formam rettulit. At, *ambo*, inquis, *pariter exercitui jus dixerunt*. non nego. illud dico,
B militarem jurisdictionem pertinere ad proconsulem, quatenus exercitui, non quatenus provinciæ præest. si quidem ut jus imperatorium differt a consulari, sic etiam a proconsulari. consul ut consul jurisdictionem quamdam habet in cives, quatenus cives sunt, ut autem imperator, jurisdictionem habet in cives, quatenus milites sunt. itaque quod est prætor urbanus in urbe, id est in provincia proconsul. exercitui vero præest, non ut proconsul, sed ut imperator. Unde illud est Paterculi de Quinctilio Varo: *Germani in summam socordiam adduxere Quinctilium, usque eo ut se prætorem urbanum in foro jus dicere, non in mediis Germaniæ finibus exercitui præ-*
C *esse crederet*. significat enim, Varum se gessisse pro prætore, cum tamen esset imperator tantum. neque enim Germania in provinciæ formam erat redacta, ut ei jus dicere posset, sed tantum exercitui in ea præerat, ut eam subigeret. Quod apertius etiam expressit Florus: *Ausus agere conventum, in castris jus dicebat*. cum enim *ausum* dicat *agere conventum*, profecto innuit, non consuevisse proconsules hostibus jus dicere, nisi postquam pacati, & in provinciæ formam redacti essent. Quamobrem inanis prorsus est illa tua conclusio, *Imperatores, qui ex privatis exercitui præpositi sunt, exercitui jus dicunt æque*
D *atque proconsules, qui ad regendas provincias ex magistratibus missi sunt, ergo idem habent imperium*. Habent enim idem imperium ex ea parte, qua exercitui præsunt: at quatenus provinciæ præsunt, non item. ut supra quoque est demonstratum. Reprehendis secundo loco, quod scripserim, *Unde proconsules, ac proprætores dicebantur*, atque interpretaris, me velle solos, qui ex privatis imperium acceperint, non item qui ex magistratibus, proconsules, & proprætores esse nuncupatos. quod non est ita. Ego enim innuere volui, privatos ornatos esse imperio consulari, ac prætorio, liquere ex eo, quod non minus proconsules, ac proprætores dicerentur,
E atque ii, qui ex magistratibus provincias obtinuissent. neque enim mirabitur quisquam, eum, qui ex consulatu in provinciam missus sit, proconsulem dici, neque qui ex prætura, proprætorem: sed qui ex privato ad bellum, aut in provinciam exeat, proconsulem, aut proprætorem vocari, id vero fortasse mirabitur. hoc autem factum dixi, quia cum imperio aut consulari aut prætorio missi essent. Postremo vero cum tria genera fecerim eorum, qui in provincias cum imperio missi sunt, unum eorum, qui in magistratu; alterum, qui ex magistratu; tertium, qui ex privatis; quæris cuinam horum trium ascribam C. Pisonem, & M. Catonem, quo-
F rum ille S.C. in Hispaniam, hic plebiscito in Cyprum, ex quæstura ambo missi sunt. Cui respondeo, in eorum numerum me referre, qui ex privatis missi sunt. neque enim quæstura vim ullam attulit, ut mitterentur. nam æque missi fuissent, si omnino quæstores non fuissent. siquidem extra ordinem missi sunt, alter senatus consulto, alter plebiscito. nam Pisonem senatus, Catonem Clodius amandare a rep. per speciem honoris voluerunt. ut Sallustius, & Asconius prodidere. Senatus consulto autem, & plebiscito omnia jura, ni-

hil quæsturæ debuerunt. Miror autem, cur non probaris, his lege curiata imperium esse transmissum; cum ego senatus consulto, aut plebiscito tantum id ipsos obtinuisse scripserim, ac legem curiatam ab his omnino repulerim.

CAP. XIV.

An proconsules, & proprætores, qui ex privatis ad bella missi sunt, ut cum imperio, sic cum magistratu fuerint.

Hoc autem loco quæstio existit, quæ principium hujus disputationis attingit, an, qui ex privatis ad bella mittebantur cum imperio, aut consulari, aut prætorio, magistratus essent? qua de re in priore responsione meam ipse opinionem his verbis exposui: *Hos, atque ejusmodi alios magistratus fuisse nego, cum imperio fuisse dico, sed tamen non lege curiata accepto. magistratus non fuerunt, quia neque auspicium, neque judicium habuerunt. auspicium non habebant, quia a populo non acceperant, ut testis est Cicero in libris de divinatione. nam præter Scipionem reliqui omnes tributis comitiis, quæ erant inauspicata, imperium acceperunt. judicium autem non habebant, quia provinciam, in qua jus dicerent, non habebant.* & post: *Proconsules, & proprætores, alii in provincias ad jus dicendum, & bellum, si res tulisset, gerendum missi sunt, qui magistratus fuerunt, ut Cn. Pompejus procos. in Asiam, alii vero ad bellum tantum, & hi magistratus non fuerunt, sed cum imperio fuisse dicti sunt, ut P. Scipio procos. in Hispaniam. de quo Livius: Magis est tentata triumphi spes, quam petita pertinaciter, quia neminem ad eam diem triumphasse, qui sine magistratu res gessisset, constabat.* Hæc autem incredibile dictu est, quibus modis oppugnes. Primum enim, quia Livio fidem abrogare non potes, confugis, ut soles, cum laqueis te expedire non potes, ad distinctionem, & alios magistratus primarios fuisse ais, alios primariorum vicem gerentes. Scipionem autem rem gessisse sine primario magistratu. Verum heus tu, quis est iste primarius magistratus? nempe is, qui judicium, atque auspicium habet? Scipio vero si auspicium habuit, quia novo, & singulari exemplo centuriata lege imperium in Hispaniam accepit, certe judicium, i. jurisdictionem civilem non habuit, sed tantum imperatoriam. itaque dempto jure imperatorio, quibus jus diceret, non habebat. id quod, si magistratum habuisset, habiturus erat. habuisset autem magistratum, si aut consul in urbe, aut proconsul, sive prætor in provincia fuisset. at ille tantum erat imperator in bello, usque adeo ut solis militibus, & iis, qui cum militibus lites contractas haberent, jus dicere posset. quod jus a principio imperium proprie, non magistratum vocarunt. unde dixit Livius de Lentulo, qui pariter ex privato in Hispaniam missus erat: *Negabat senatus, se exemplum accepisse, ut qui neque dictator, neque consul, neque prætor res gessisset, triumpharet; pro consule illum provinciam Hispaniam, non consulem, aut prætorem obtinuisse.* ex quibus concludi potest, proconsulem, ex privato lectum, sine magistratu fuisse. Agis inde contra auspicia, & judicia, quibus hos carere proposui, ac locum Ciceronis de divinatione aliter, quam ego, exponis. est autem hic: *Dejotarus auspiciis semper utebatur, nos, nisi dum a populo auspicia habemus, quam multum iis utimur? bellicam rem administrari majores nostri auspicato voluerunt. quam multi anni sunt, cum bella a prætoribus, & proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent? itaque nec amnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur.* Cum autem dicat Cicero, proconsules, & proprætores bella gessisse, quia auspicia non habent, tu exponis, eos accepisse quidem jus auspiciorum, sed uti noluisse. o præclarum interpretem! jamdudum proconsules bella gerunt, qui non habent auspicia, quæ accipiuntur a populo; id est, habent quidem auspicia, sed non utuntur. nam quod inquis, eos habuisse, quia Scipio habuit, plane infirmum est. Scipio enim solus centuriatis comitiis lectus est, reliqui omnes tributis. ergo reliqui non habuerunt, quia non acceperunt. neque enim aut centuriatis, aut curiatis, sed tributis imperium acceperunt, quæ sola erant inauspicata. quare pervertisti sententiam Ciceronis, dum exponere voluisti, cum *habere* idem esse dixisti, quod *uti*; *non habere* idem, quod *habere, sed non uti*. quo nihil ineptius. Mihi vero dubium non est, quin proconsules, & proprætores, qui ex privatis missi sunt, auspiciis caruerint, quod tributis comitiis lecti sint. nam si auspicia habuerunt, qui ea acceperunt a populo, *curiata* vero *lex remansit tantum auspiciorum caussa*, certe, qui legem curiatam non habuerunt, auspicia non habuerunt. habuerunt autem soli magistratus, & qui ex magistratibus missi sunt. Itaque Cicero cum proconsules, & proprætores bella gerere, qui auspicia non haberent, dixit, certe, non qui ex magistratibus, sed qui ex privatis profecti sunt, accepto per plebiscitum imperio, intellexit. Hic tu L. Martium opposuisti, quem cum milites ex privato ducem legissent in castris, atque ipse se proprætorem appellasset; questus apud Livium senatus erat, *rem mali exempli esse, imperatores legi ab exercitibus, & solemne auspicatorum comitiorum in castra, in provincias transferri*. Quod ego ita interpretor, questum senatum, quod cum proprætores legi solerent ex proprætoribus imperio auspicato per legem curiatam accepto, Martius creatus esset ex privato imperio lege inauspicata accepto. tu vero addis, quod Martius non a populo, sed ab exercitu imperium accepisset. quod non improbo, sed id solum senatus querelam expressisse non puto. quoniam si ita esset, non erat, cur Livius diceret, *solemne auspicatorum comitiorum*; sed satis habuisset dicere, *solemne comitiorum*. Quod autem dixi, vix quenquam inveniri, qui ante Scipionem, qui Martio submissus est, ex privato imperium acceperit, noli putare, me omnino nullos intellexisse, verum admodum paucos. exemplum autem, quod ipse T. Quinctii affers, non est simile Martio, cum ipse sit non ex omnino privato, sed ex proconsule proconsul subsidio castris missus, ut inquit Livius; multoque minus me existimare, si qui ex privatis proconsules facti sint, auspicatis comitiis esse creatos. teneo enim illud Ciceronis, *proconsules bella gessisse, qui non haberent auspicia: non habuisse autem, quia a populo non accepissent*; non accepisse vero, quia tributis comitiis, id est, plebiscito lecti essent. verum usque adeo parum sæpe ante Scipionem eam lectionem usurpatam, quæ post cum frequentata est fere quotannis, cum opus fuit, ut senatus doloris atque iræ plenus rationem Martii habendam non esse censuerit, simulque imperatorem & ex privato legi, & inauspicato legi, & a militibus in castris legi, conquestus sit. Hactenus de auspiciis. de judicio vero quod dixi, respondes, satis te ostendisse, quemadmodum locus Ciceronis de Legibus, ubi de judiciis magistratuum sancit, male a me sit intellectus. quod quam feliciter feceris, aliorum volo esse, non tui judicium. Addebam, proconsules hoc judicium non habuisse, quia provinciam, in qua jus dicerent, non habebant. contra tu T. Flaminium profers, qui proconsule in Macedonia jus dixit, & P. Scipionem, qui in Hispania, antequam utraque provincia facta esset. neque vides, exempla esse dissimilia, quia Flaminius non ex privato, sed in consulatu missus est. & uterque ut imperator jus dixit, non ut proconsul, atque uter-

uterque militibus & sociis, qui cum militibus litigarent, quod ad imperatorem attineret, jus dixit.

Tu vero hos & magistratus esse, & appellari vis. idque probas hoc pacto: *magistratus est, cui data est facultas imperandi: at ii, qui cum imperio esse dicuntur, cum facultatem habuerint imperandi, magistratus quoque fuerint, necesse est.* Cui ego. Qui cum imperio esse dicitur, aut est cum potestate imperandi quocunque modo ad jus dicendum, aut cum potestate imperandi exercitui, ad bellum gerendum: illo modo magistratum vere esse, hoc vero imperatorem. fieri tamen posse, ut idem sit & magistratus, & imperator; verum magistratus comitiis centuriatis; imperator, ordine lege curiata, extra ordinem plebiscito, aut senatus consulto. Adjungis in eandem sententiam, *privatum esse, & in magistratu esse contraria sunt*. item, *privatum esse, & in imperio esse contraria sunt; ergo idem est in magistratu esse, & in imperio esse*. Quo argumento nihil dico esse posse infirmius. sume enim alias voces, vitium facilius videbis. Acutum est contrarium gravi, ut vox acuta gravi. ergo acutum, & grave sunt idem. nihil minus. quid igitur? nempe, ut inquit Aristoteles in Topicis, ergo acutum duo significat, unum, quod opponitur obtuso; alterum, quod gravi. sic ex tua argumentatione, ergo privatus duos significat, unum, qui opponitur magistratui, alterum, qui imperatori. ex quo apparet, in magistratu esse, & in imperio esse, non aliter differre posse, quam obtusum, & grave. ecce enim: Legatus proconsulis non est privatus, quia est cum imperio: & tamen non est magistratus, ut tu ipse definis alio loco: an vero propterea est imperator? nequaquam. quia non suis auspiciis rem gerit, sed imperatoris ejus, cujus est legatus. Ex quo intelligi potest, quæ tu tam multa tuo more affers, ut probes, privatum esse opponi ipsi in imperio esse, vel cum magistratum, vel cum imperium militare significat, & propterea idem esse magistratum, atque imperium militare concludis, inania prorsus esse, atque non necessaria. Adjungis inde auctoritates aliquot, quibus doces, qui cum imperio in provinciis fuerunt, magistratus appellatos esse, ex eoque colligis, imperium idem esse, ac magistratum. ad quas sic respondeo. Ex Livii, & ceterorum, quos tu non necessario tam multos collegisti, auctoritate, qui cum imperio erant, ut proconsules, & proprætores, vocabantur magistratus, contra ex ejusdem Livii, & aliorum, quod tu non negas, auctoritate, iidem sine magistratu esse dicuntur. ergo aut magistratus, aut tempora distinguenda sunt. Nam si quicunque negotium publicum gessit, aut publice imperavit, aut quocunque modo jus dixit, est magistratus, certe proconsules, & proprætores in bellis sunt magistratus. sin autem qui non aut civibus Romanis, aut sociis jus dixit, quæ jurisdictio vere magistratum constituit, non est magistratus, profecto magistratus non sunt. eademque ratione si prima tempora repetemus, proconsules, & proprætores magistratus esse negabimus, ut etiam tribunos pleb. si postrema, fortasse non recusabimus.

Quod autem exemplum eorum, qui ad bellum gerendum, & jus dicendum ex privatis in provincias missi essent, protuli Pompejum, cum Asiam obtinuit, & bellum Mithridaticum; qui vero ad bellum tantum, P. Scipionem, cum Hispaniam: utrumque reprehendis. primum enim inquis, *neminem historicum scripsisse, legem Maniliam de alia re fuisse, quam de bello Mithridatico Pompejo demandando*. quod mihi permirum accidit. oblitus enim videris, Pompejum Lucullo successisse, cum ex consulatu Asiam obtinuisset; deinde Plutarchum, & Dionem, ostendis te non legisse, qui produnt, legem Maniliam latam, ut Pompejus provinciam, cui Lucullus præfuisset, obtineret, & præterea Bithyniam, quam Glabrio,

A & Ciliciam, quam Marcius obtinebat, haberet, ut Mithridati bellum faceret. ac legi primum repugnatum esse, quod Marcio, & Glabrioni ante tempus imperium finiretur. Quare neque in Asia, neque in Bithynia, neque in Cilicia fuit Pompejus, ut in alienis provinciis, sed ut in suis, ita ut ibi jus dicere, & bellum gerere potuerit. Deinde vero Scipionem confiteris sine magistratu quidem fuisse, sed sine magistratu urbano. quod cum sit, ut opinor, idem, atque sine magistratu primario, ut alio loco respondisti, satis supra refutatum esse, existimo.

Ut porro probarem, cum imperio esse, & cum magistratu esse, inter se differre, proferebam B verba Suetonii in Tiberio: *Nemine cum imperio, aut magistratu tendente quoquam, quin Rhodum diverteret*. quibus verbis magistratus, qui imperatores essent, & qui non essent, intellexit. quos cum tu voces majores, & minores, haud longe a me recedis. Verum eodem etiam modo locutus est Ulpianus D. ad legem Juliam: *Quo quis magistratus populi Rom. quive imperium potestatemve habet*. Præterea vero interpretabar: *Cum imperio esse*, in his esse idem, atque esse cum potestate belli gerendi, & exercitus habendi, non autem juris dicendi. idque apparere dicebam ex verbis Ciceronis: *Demus* C *imperium Cæsari, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest. sit pro prætore eo jure, quo qui optimo*. cum perpenderem verba illa, *Demus imperium*, non sine quo jus dici, sed sine quo res militaris administrari non potest. tu vero arripiens sequentia: *Sit pro prætore eo jure, quo qui optimo*, interpretaris, *optimo jure esse*, qui omnia jura prætoria consequutus sit. quod est longe aliter. est enim hoc loco *optimo jure*, quod est in orat. de lege agraria, *optima lege*. cum inquit: *Si lex curiata non erit, tum ii decemviri sint, quo qui optima lege*. item: *Ut sine lege curiata idem juris habeant, quod haberent, si opti-* D *ma lege a populo creati essent*, id est, si legitime creati essent. Cum enim Octavius prætor non fuisset, juste non poterat mitti proprætor. at censet Cicero, ut etiam si prætor non fuerit, tamen optimo jure lectus fuisse dicatur. quod ostendunt verba senatus consulti: *Senatui placere, C. Cæsarem proprætorem, senatorem esse, sententiamque loco prætorio dicere, ejusque rationem, quæcunque appetet, ita haberi, prout haberi lege liceret, si anno superiore quæstor fuisset*. Præterea vero *sine imperio exercitum haberi non posse* interpretaris, sine publica remp. gerendi potestate, ac sine majore coercendi potestate. neque istam tuam exposi- E tionem aperte a Cicerone repudiari sentis, qui in iisdem libris dixit: *Decrevi Cæsari imperium, quod quanquam videbatur ei ætati honorificum, tamen erat exercitum habenti necessarium. quid est enim sine imperio exercitus?* item: *Cæsari extraordinarium imperium non darem? aut exercitus adimendus, aut imperium dandum fuit, qui enim fieri potest, ut sine imperio teneatur exercitus?* Hic si dicas, *sine imperio*, id est, sine majore coercitione, quæ in lictoribus præferendis posita fuit, rem certe novam, atque admirabilem dices Octavio duodecim lictorum potestatem a senatu illo S. C. tantum esse permissam. si sine publica administrandi auctoritate dicis, ut F Cæsarem eo S. C. ex privato magistratum fecerint, quomodo extraordinarium imperium illud fuit, cum omnes ex privatis magistratus fiant? Extraordinarium enim illud in hoc fuit, non quod privatus factus sit magistratus, sed quod privatus factus sit imperator: cum imperia magistratibus ordine mandarentur. neque enim si Cæsar ex prætore proprætor missus ad bellum esset, extraordinarium imperium fuisset. siquidem extraordinaria imperia eodem loco vocat, quæ privatis mandata sunt. sic enim ait: *De Cn. Pompeii imperiis tribuni plebis*

tulerunt. nam Sertorianum bellum a senatu privato datum est, quia consules recusabant, cum L. Philippus pro consulibus se eum mittere dixit, non pro consule. Quod si tu hoc in loco imperia Cn. Pompeii magistratus Pompeii interpretaris, etiam tres consulatus comprehendas necesse est, de quibus consulatibus tribuni non tulerunt; & si ibi imperia non sunt magistratus, quia magistratus nominatim non mandatur, sed imperium militare, profecto neque hoc etiam in loco, neque in illo in Verrem: *Cum nunciatum esset de Tempsano incommodo, atque inveniretur nemo, qui cum imperio in illa loca mitteretur.* neque enim Tempsanum illud incommodum resarciri coercitione potuit, quæ fiebat per lictores, sed exercitu eguit, cui præesset imperator. item in illo altero in or. de provinciis: *Macedoniam tenui præsidio etiam sine imperio per legatos nomine ipso pop. Rom. tuebamur.* Neque enim est verisimile, Ciceronem dicere, Macedoniam esse retentam per legatos sine imperio, id est, sine lictorum coercitione, sed sine duce, qui haberet imperium, & rem suis auspiciis gereret, non autem alienis, ut legati.

Jam vero cum ego aliquando definissem, *cum imperio esse*, in his proconsulibus, & proprætoribus significare, exercitui præesse, cujus quis esset imperator, hoc tu improbasti in prima responsione, his verbis: *Si in omnibus, qui in provincias mittebantur pariter, & eodem modo verum fuit, eos fuisse cum imperio; ita ut illud cum imperio esse, una verbi significatione in omnibus illis acciperetur. verum profecto non est, illud cum imperio esse, significare exercitui præesse, cujus quis sit imperator. permultos enim legimus provincias consulares, aut prætorias obtinuisse cum imperio, quibus tamen nullus exercitus, cui præessent, decretus erat. cur enim in pacatas provincias, & quibus nulla esset belli suspicio, mitteretur exercitus?* post autem cum ego de te quæsissem, quomodo posset aliquis esse imperator exercitus, qui non præesset exercitui, respondisti, *quia multi exercitui præfuerunt, cujus tamen imperatores proprie dici non poterant, ut qui castris, aut provinciæ præficiebantur a magistratu.* & tamen cum tam diffidentes inter se responsiones afferas, me tua pervertere, atque calumniari quereris. Itaque cum in superiore perstans responsione, opposuisses, consules eos, qui sylvas, & calles provinciam sortiti essent, atque eos cum imperio quidem, sed sine exercitu eam provinciam obtinuisse dixisses, ego vero Taciti locum objecissem, qui lib. IV. scribit, *Curtium, cui provincia vetere ex more calles evenerat, classiariorum copia conscripta servilem conjurationem compressisse*, respondisti, me errare toto cœlo. quia Curtius ille quæstor fuerit, non prætor, eumque rem extra ordinem peregisse. neque intellexisti, si quæstor, atque extra ordinem hoc ille fecit, multo magis prætorem ordine facere potuisse. nisi vero cum inquit Suetonius, *datam operam, ut calles, & sylvæ provincia futuris consulibus decerneretur*, eos imperatores futuros non putas, quia exercitum secum Roma non eduxissent, aut in provincia non accepissent. Quod autem quæstorem, de quo loquitur Tacitus, ordinarium quæstorem fuisse conjicis, qui vectigalia illa exigeret, nescio quam vere id facias, ac non potius quæstor fuerit prætoris ejus, qui eam provinciam haberet. ut enim quæstor dabatur eis, qui ceteras provincias sortiti essent, sic ei, qui calles, & sylvas. neque enim dixisset, *Erat in iis regionibus Curtius quæstor, cui provincia vetere ex more calles evenerat*, si de ordinario quæstore, qui quotannis in eas regiones mitteretur, intellexisset. sed significat, renovatum eo anno morem antiquum in calles mittendi prætores cum quæstore. Quare quod ille conscripsit classiarios, & compressit conjurationem, fecisse videtur ex imperio non magistratus sui, sed prætoris sui, ipso absente fortasse prætore, ut alii multi, quorum te exempla non fugiunt. Quod autem occurris, *consules, qui in sylvas provinciam proficiscuntur, profecturos quidem cum imperio, sed non militari, verum cum potestate coercendi, quæ necessitatem afferat; & si in his imperium potestatem militarem non significet, neque etiam in ceteris significaturum*, cum est absurdum, tum doctrinæ tuæ contrarium. siquidem lib. III. cap. II. de comitiis ita scribis: *At enim neminem prætorio, aut consulari imperio in provincia fuisse, qui belli gerendi potestatem non habeat, dubitari non potest.* Ex quibus intelligo, te non quidem cœlo toto errare, quod proclive est, præsertim non contemplanti, sed domi tuæ te errare, atque in ipsis doctrinæ tuæ sedibus hospitari. Ego vero eos cum imperio militari fuisse dico: exercitum actu habuisse, non assero. idemque dico de iis, quibus paludes siccandæ datæ sunt, quod de Sicinio adversus locustas cum imperio misso dixi. nec tam provinciæ, quam hominum habitam esse rationem, ne deteriore jure essent, quam ceteri proconsules solerent. Etenim si consules jus militare habuerunt, ut tu censes, injuria eis fieret, si, cum proconsules mitterentur, id juris eis adimeretur, quod potius adaugendum esset. Quamobrem miror, cur tu dicas, sylvas provinciam minimi negotii a Suetonio appellari, quæ sine exercitu possit obtineri. non enim eos justo exercitui actu præfuisse, sed jus exercitus habendi habuisse volo. Ceterum, quod dixi de Sicinio prætore designato cum imperio adversus locustas misso, quam comice dii boni exagitas? quam lepidus in hoc, & non sine aculeo facetus videri cupis? de bello prætorio contra locustas. de triumpho de locustis. nosti locum. scilicet indignum esse concludis, adversus locustas missum esse imperatorem; decorum autem, missum esse magistratum pop. Roman. nam imperium ibi interpretaris majorem coercendi potestatem. quasi vero expeditio in locustas convenientior magistratui pop. Rom. futura fuerit, quam imperatori. Ego vero, cum Sicinius prætor designatus missus sit extra urbem, cum maximo missum esse imperio arbitror. maximum autem est militare, quippe sine provocatione, non quidem ut locustas bello persequeretur, sed ut homines nec obedientes non solum coercere, sed etiam armorum terrore cogere posset.

Cum autem concessissem, qui in pacatas provincias missi essent, exercitum actu non habuisse, sed jus comparandi habuisse, atque iccirco legatos, tribunos militum, præfectos, & cohortem prætoriam aliquam secum duxisse, eique præfuisse, hæc tu omnia verberare aggressus es, sed ita tamen, ut vix me attigeris. Nam quod Cn. Pompejum affers, qui, cum præfectus esset annonæ factus cum imperio proconsulari, exercitum non habuerit, sed jure tamen parare potuerit, si opus esset, totum est a me. neque enim diversa facio, habere exercitum, & posse sine ulla nova lege habere. eadem enim est auctoritas, idem imperium. nam qui actu imperat exercitui, & qui cum libet, imperare potest, idem est imperator. Quod autem legatos negas habuisse in usum rei militaris, quia legati publici ministerii adjutores fuerint, non me lædit, dum modo legatos habuerint, quorum opera, si usus foret, ut in jure dicundo, sic in re gerenda uti possent. Quod tribunos militum negas habuisse, quia exercitum non habuerint, respondeo habere potuisse in eum usum, ut si res armis gerenda esset, ne Roma evocare eos necesse haberent. Nam quod inquis, *tribunus mil. est Græce χιλίαρχος, id est, qui mille militibus præest: ergo ubi milites mille non fuerint, tribunus esse non poterit*, perinde est, ac si dicas, prætor est, qui præest exercitui; non est exercitus, ergo non est prætor. item, tribus dictæ, quod a principio tres fuerunt; ergo postquam triginta quinque factæ sunt, non fuerunt tribus. Quare ut in tota hac disputatione vacil-

las, sic de tribunis militum perverse sentis, ac præcipis. Inquis enim, *tribunos mil. qui quattuor legionibus præessent, a populo creari solitos. si aliæ legiones scriberentur, illis a magistratibus præpositos fuisse tribunos, qui dicerentur Rufuli.* cur autem perverse? quia qui ordinariis legionibus præfuerunt, non minus magistratuum aliquando beneficio, quam populi suffragiis id affecuti sunt. audi Livium anno urbis CCCXCI. *Cum eo anno primum placuisset, tribunos militum ad legiones suffragio fieri. (nam & antea sicut nunc, quos Rufulos vocant, imperatores faciebant.) Torquatus secundum locum in sex tenuit.* & anno CCCCLII. *Tulerunt tribuni pl. ut tribuni mil. seni deni in quattuor legiones a populo crearentur, quæ ante perquam paucis suffragio populi relictis locis dictatorum, & consulum ferme fuerant beneficia.* At Cicero, inquis, in prætura Verris, legatorum & quæstorum ejus meminit, tribunorum militum non meminit. optime. cur non meminit? *quia non habuit*, inquis. O rem ridiculam. Verres bellum fugitivorum gessit, ut inquit in septima Cicero, ergo solus gessit. quo modo solus? quia non habuit exercitum. quam ob rem non habuit exercitum? quia non habuit tribunos militum. Ecce tandem aliquando imperator sine exercitu, quem tu tanta cura exquiris, & inveniri posse negas. Sed hoc ferendum. Cum Verrem prætorem cohortem prætoriam habuisse inficiari non posses, eo delapsus es, ut dicas, cohortem prætoriam non ex armatis militibus, sed ex domesticis convictoribus, & necessariis apparitoribus constitisse, quorum utrumque falsum, audi Festum: *Prætoria cohors est dicta, quod a prætore non discedebat. Scipio enim Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello non discederent, & cetero munere militiæ vacarent, & sesquiplex stipendium acciperent.* & Ciceronem de quæstore Verre: *Dedi stipendio coborti prætoriæ.* Ex quo apparet, scribas, præcones, & alios ministros ejusmodi improprie ex cohorte prætoris dictos, quod ipse significavit in epistola ad fratrem: *Quos vero aut ex domesticis convictoribus, aut ex necessariis apparitoribus esse voluisti, qui quasi ex coborte prætoris appellari solent.* nimirum eos appellans non ex cohorte prætoris, sed *quasi ex coborte prætoris*. ex quo efficitur, cohortem prætoris proprie ex militibus constitisse, improprie ex ministris, & apparitoribus prætoris: Ciceronem vero ad contumeliam Verris cohortem ejus totam ex humilibus apparitoribus potius, quam ex militibus constitutam significasse. Quod autem addis, non cohortem prætoriam argumentum potestatis bellicæ administrandæ fuisse, sed quod prætores classem ex fœderis formula imperarunt, & præsidii caussa habuerunt, ut de Flacco Asiæ prætore dixit Cicero, id totum alienum est. neque enim Flaccus ut imperator ex fœdere classem imperavit, sed ut prætor. Ut enim prætor urbanus Romæ civilis juris erat custos, sic proconsul in provincia provincialis. quod si ille ex fœdere imperavit, fecit id, quod erat in jure. quod idem de Verre judicandum est, qui naves Siculis imperavit.

Addis postremo: *ubi non est bellum, non est imperator; in pacatis provinciis non est bellum; ergo neque imperator; & tamen est aliquis cum imperio. quare esse cum imperio, non est esse imperatorem.* O plumbeum pugionem! Ubi non est bellum, non est fortasse imperator, qui actu præsit exercitui; at est, qui, si opus sit, præesse potest. frustra enim imperium accepisset, ac paludatus exisset. Tales autem alia ratione proconsules dicti sunt, alia imperatores: proconsules, ut jus dixerunt; imperatores, ut rem bellicam administrarunt, aut jus administrandi habuerunt. Quid ergo tandem constituis? operæ precium est audire: *Qui cum imperio in provincias profecti sunt, magistratus fuerunt; non autem qui magistratus fuerunt, etiam cum imperio omnes fuerunt. siquidem quæstores*, inquis, *magistratus fuerunt, verum sine imperio.* O præclarum decretum, & undequaque verissimum. at legati non ne cum imperio fuerunt; & tamen, te auctore, magistratus non fuerunt? & quæstores ipsi non etiam cum imperio fuerunt, cum coercendi potestatem habuerint, quam tu vocas imperium: siquidem quæstores provinciales lictores cum fascibus prætulerunt, ut ostendit Cicero in Verrem: *Quæstores utriusque provinciæ, qui isti prætori fuerant, cum fascibus mihi præsto fuerunt.* Quæ si ita sunt, profecto ad id nos redisse sentis, quod ab initio tractare cœpimus, & in quo hujus disputationis summa versatur, imperatorem longe esse a magistratu diversum, neque imperium in magistratu ipso esse inclusum. Qua de re quoniam jam bis ab utraque parte, quasi comperendinata caussa, est peroratum, reliquum est, ut aliquando tandem judices in consilium ire patiamur, atque huic controversiæ finem inponamus.

Hactenus mihi disseruisse videor de antiquo jure populi Romani; id est, de civibus Romanis, Latinis populis, Italicis, ac Provincialibus, dum populus Rom. idem gentium moderator, ac liber fuit. Nunc quoniam video, judiciorum rationem unam omnium maxime ad jus populi Rom. pertinentem, haudquaquam satis libris superioribus illustratam, lumen aliquod orationis litterarumque desiderare, separatim quænam ea, florente potissimum rep. fuerit, quod ipse observare potuerim, demonstrabo.

CAROLUS SIGONIUS
DE
JUDICIIS.
LIBRI TRES.

Ad amplissimum Præsulem Joan. Baptistam Campegium Majoricensem Episcopum.



UM *omnes Romanæ disciplinæ partes fructuosæ, atque frugiferæ sunt*, JOAN. BAPTISTA CAMPEGI, *Præsul amplissime, tum nulla ad usum, vitamque hominum aptior, atque opportunior ab hominibus judicatur, quam quæ de judiciis appellatur. Etenim cum tota in ipsius obscuritate juris aperienda est posita, cujus constans, ac moderata observatio solidam omnino sinceramque civilem societatem, ac concordiam continet, tum vero ejusmodi est, ut cui ipsa sit ratione diligenter, atque animo perlustrata, is satis non solum ad Jurisconsultorum, sed etiam ad oratorum, atque historicorum libros intelligendos instructus sit. rerum tam multis semper divisionibus, tam multis definitionibus, tot formulis, tot actionibus, tot denique cujusdam quasi forensis artis involucris fuit implicita, ut non eos solum vehementissime exercuerit, qui præcepta de illa tradere, sed qui eam quoque ex præceptis illis voluerint exercere. Quod si ullis aliquando tenebris hæc obducta quæstio fuit, ab eo præcipue tempore fuit, quo antiquæ judiciorum formulæ a Justiniano Imperatore abrogatæ deponi cœperunt; atque ipsa prisco more, atque instituto celebrari judicia desierunt. Etenim dimissa veterum judiciorum tractatione simul & præclara illa, quæ in librorum commentariis, & legum tabulis versabatur, disciplina collapsa est. quæ si hoc tempore teneretur, maximum sine dubio momentum ad eas, quas adhuc habemus, legum, & caussarum reliquias percipiendas, ac cognoscendas afferret. Ut omittam, quod hæc ratio ignorata non minimam secum pulcherrimæ Romanorum reipublicæ partis inscientiam trahit, quæ in justo recte, ac scite reddendo potissimum cernitur, & tetram caliginem multis Latine dicendi formis offundit, quibus incognitis Latina lingua maxima antiquæ suæ dignitatis, ac pulchritudinis parte orbatur. Itaque præclare veteres non tam ingenii quam judicii copia, gloriaque præstantes, ut summæ huic utrique laudi servirent, plurimos de jurisdictione, judiciis, & jure prætorio commentarios, quos nunc gravi injuria vetustatis amissos frustra desideramus, non sine maxima nominis sui gloria reliquerunt. Hæc igitur cum ego animadverterem, qui nuper de antiquo jure populi Romani scribere multis libris editis institueram, suscepi onus omnium hac ætate gravissimum, ut priscam illam judiciorum Romana florente republica rationem in præcepta, artemque conferrem, ac singulas in intendenda, atque excipienda actione, ipsoque judicio faciendo formulas aperirem, quas Imperiali constitutione constaret esse sublatas. præsertim vero cum ad ea, quæ ceteri hac ætate in hoc genere pulcherrima peperissent, multa & ipse afferre ex veteribus monumentis eruta, ac diuturno notata ac collecta studio, possem. Itaque rem totam complexus animo, universam in tres partes distribui; unam, in qua de privatis judiciis scripsi; alteram, in qua de publicis; tertiam, ubi, quemadmodum ipsa populi judicia fierent, demonstravi. denique operam, quoad potui, ut cum cetera diligentia, tum maxime accurata re-*

rum, institutorumque descriptione, & ordine plurimum discentium ingenia, studiaque ad forensem hanc laudem, judiciariamque dirigerem. quod jurisperitum neminem in tanta, quæ increbuit in omnibus jam civitatibus copia, adhuc ne tentasse quidem viderem. Hac vero scriptione perfecta, si modo perfici res tanta, ac tam difficilis potest, duplicem me laboris, industriæque meæ cepisse fructum animadverti, unum, quod me institutum de jure populi Rom. opus, attexto hoc non levissimo judiciorum additamento, uberius ac clarius reddidisse cognovi; alterum, quod occasionem me nactum esse pulcherrimam sensi tui aliquo scriptorum meorum genere appellandi, quod ex graviore, atque interiore disciplina depromptum esset, & cum excellenti tuo judicio arrideret, tum præcipue etiam amplitudini conveniret. Quam rem jampridem avidissime cupiebam, non quidem, ut nomen tuum apud homines ejusmodi, ut ferme fit, appellationis officio commendarem, sed certe, ut hoc munere veteri meo studio erga te inservirem. Neque enim, dum de judiciis scripsi, adeo expers judicii factus sum, ut existimem, fieri posse, ut ego eximias laudes tuas ullo ingenii mei momento illustrem, quæ sua claritate usque adeo fulgent, ut latissime omnibus gentibus illucescant. Etenim, si in familiam tuam intueor, plures, & quidem amplissimas dignitates intra quadraginta annos in una Campegia domo floruisse, quam omnibus sæculis in civitatibus multis reperio; si in singulos propinquos respicio, continuo Laurentius pater tuus occurrit, vir nimirum vel cum ipsa antiquitate augustissima comparandus. qui Jurisconsultus, Episcopus, Cardinalis, & Apostolicæ sedis Legatus egregie omnes summæ doctrinæ, eximiæ pietatis, ac perfectæ sapientiæ partes implevit, unusque plus ornamenti, ac præsidii consilio, auctoritate, ac sedulitate in agendo sua Christianæ reipublicæ attulit, quam quiescendo reliqui a Deo ausi sunt postulare. occurrunt præterea ingenti prope agmine fratres, patrui, & patrueles, qui iidem Episcopi, Cardinales, Duces, ac Senatores ita plerique fuerunt, ut ex eorum integritate, fortitudine, & prudentia magnum non solum Ecclesia Romana, sed etiam Bononiensis resp. fructum utilitatis dignitatisque rettulerit. Quæ quanquam splendidissima, magnaque commendatione digna sunt omnia, tu tamen alia vitæ ratione assequi conaris, ut eadem multo illustriora, atque hominum memoriæ commendatiora reddantur. Etenim, cum ipse propter perditam totius prope corporis valetudinem in ocio degas, sic tamen vivis, ut in clarissima omnium, qui publica negotia gerunt, luce verseris. sic ab honoribus affectandis, ac quasi sitiendis abhorres, ut eis respuendis, ac deponendis plus gloriæ consequaris, quam alii quærendis, atque gerendis. sic ab ecclesia, & civitate administranda abes, ut tamen præsto, cum opus sit, difficillimis utriusque temporibus adsis. Neque enim est obscurum, sed constanti omnium voce, ac communi prædicatione concelebratum, te amplissimam, opulentissimamque Majoricensem Ecclesiam ultro multo etiam ante Tridentini decreta Concilii dimisisse, neque ullum inde tibi fructum, aut commodum reservasse: te fortissimos atque optime de Christiana republica meritos milites Hospitalis periculosissimo illo Melitensi bello sæpius amplissimis pecuniarum muneribus adjuvisse: te Ecclesiæ acerrime cum communibus hostibus pro publica libertate bello Cyprio contendenti tua voluntate annua stipendia præbuisse. quarum rerum unaquæque per sese facillime, quanta sit pietatis, animique tui magnitudo, ac splendor, ostendit. Nam quid dicam, ut in patria tua totus ad ærumnas ipsas paupertatis sublevandas incumbas, cum perspicuum sit, te non semel, verum iterum, ac sæpius laborantibus sacrarum virginum sodalitiis ingenti vi pecuniæ subvenisse, virgines nobiles ære tuo matrimonio honestissimo copulasse, pueros vero mendicantes multo etiam grandiore summa, tota plaudente, ac gratulante

civitate, jam sæpissime sustentasse? usque adeo ut omnes fateantur, nisi tu extitisses, qui labentem cœtum illum insigni tua liberalitate fulsisses, ipsum a ceteris prope desertum sæpius jam ad extrema fuisse venturum. Jam vero illa quanta, & quam admirabilia sunt? singularis morum integritas, vitæ constantia, moderatio animi, doctrinæ studium, eloquentiæ laus. quibus singulis ita excellis, ut omnium bene sentientium judicio parem te reddas eis, quos interdum in veterum scriptorum monumentis legentes excellenti inauditæ virtutis capti magnitudine obstupescimus. Tusculanam vero illam amœnam in primis, atque magnificam, quanquam in præsens, quod alius de ea dicendi sit locus, omitto: constat tamen, abs te non tam tibi, studiisque tuis, quam amicorum, & præcipue doctorum opportuno diversorio comparatam. quorum erudito, humanoque congressu, ac consuetudine jam inde ab ineunte ætate adeo delectaris, ut maximam in ea re partem honestæ, jucundæque vitæ statueris. Et, quanquam tu domesticis his, ut dixi, ac propriis laudibus sic abundas, ac prope circumfluis, ut nomen tuum neque meo, neque cujusquam ingenio clarius effici, atque ornatius possit, dabitur tamen, ut opinor, a summa tua facilitate locus mihi aliquis, qui te non fortunarum amplitudine, sed virtutis splendore adductus singulari jampridem studio colo, ut testimonium aliquod propensæ, ac constantis meæ erga te voluntatis monumentis his industriæ meæ in tuo nomine publicandis relinquam. Quamobrem patere quæso, Pater amplissime, ut cum ego omnia Amplitudini tuæ propter egregia tua erga me beneficia debeam, partem eorum hoc, quanquam exiguo, munere exolvam. & quem nobilitatis, virtutisque tuæ præstantia de adhibendis cogitare ad prodendam, illustrandamve memoriam monumentis non finit, eum humanitatis magnitudo ad referendam saltem hoc officii genere gratiam veteri suo, ut dixi, satisfacere studio patiatur. Qua de re antiqua te potissimum auspice declarare judicia ingrediamur. atque a definitione judiciorum exorsi reliquam deinceps ipsis actionibus, ac formulis afferendis, ac pro nostro judicio digerendis universi hujus operis quasi telam, ut aliis in libris instituimus, subtexamus.

CAROLUS SIGONIUS DE JUDICIIS.

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

Quæ privata judicia fuerint.



JUDICIA dicta sunt, quæcunque aut magistratus ipsi jus dicentes decreverunt, aut judices a magistratu jus dicente dati de jure statuerunt. Quoniam autem jus aliud privatum fuit, aliud publicum, propterea judicia alia privata, alia publica extiterunt; privata quidem de controversiis, publica vero de criminibus constituta. Unde dixit pro Cæcina Cicero: *Omnia judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficio-* A *rum caussa reperta sunt*. De utrisque quando agere nobis in animo est, prius de privatis dicamus.

Privata judicia fuerunt decreta, seu sententiæ de controversiis privatis, quæ aut magistratus ipsi, qui jus dicebant, aut judices a magistratibus jus dicentibus dati tulerunt, prout jure erat sancitum. Ita fit, ut tota privatorum judiciorum tractatio quinquepartita disputatione constet, controversiarum, juris, jus dicentium, actionum, & judicum. Quæ si explicuero, tria simul etiam in hoc genere maxime necessaria aperuero, res, de quibus factum judicium fuit; personas, quæ fecerunt; & rationem faciendi.

CAP. II.

De controverſiis civilibus, ſive privatis.

CETERUM cauſſæ, de quibus privata conſtituta judicia ſunt, lites ſeu controverſiæ fuerunt, civiles, ac privatæ appellatæ; civiles quidem, quod aut jure civili comprehenſæ, aut a jure civili profectæ ſunt; privatæ vero, quod aut privatum quemque, non populum, nec rempublicam attigerunt, aut quod privato tantum, cujus res ageretur, actio conveniret, non e populo cuicunque. Harum vero controverſiarum priſci juriſconſulti tripartitam attulere diviſionem. Quippe alias voluerunt ad perſonas pertinere, alias ad res, alias ad obligationes. ut Juſtinianus in Inſtitutionibus ſcripſit, quem auctorem in hac diſputatione nobis, quoad fieri poterit, ſequendum ſuſcepimus. Quamobrem ex ejus auctoritate ſingulas breviter, ut ordine noſtra progrediatur oratio, demonſtremus.

CAP. III.

De controverſiis perſonarum.

IN controverſiis ad perſonas pertinentibus poſuerunt, quæ de liberis ac ſervis, libertis & patronis incidere lites potuerunt. itemque quæ de ingenuis, ac libertinis, de patria in filios poteſtate, de nuptiis, de adoptionibus, capitis diminutionibus, ac tutelis. de quibus, quod ad hunc locum pertinet, ſatis a nobis in primo de Jure civium Romanorum eſt ſcriptum.

CAP. IV.

De controverſiis rerum.

RERUM autem aliæ in patrimonio noſtro eſſe dictæ ſunt, aliæ contra. In patrimonio fuerunt res privatæ, nempe quæ abalienari pro arbitrio potuerunt. Extra patrimonium res ſacræ, religioſæ, ſanctæ, & publicæ. Sacræ dictæ, quæ per pontifices conſecratæ Deo ſunt, ut aræ, templa, donaria. Religioſæ, loca, in quæ illati mortui fuerant. Sanctæ, quæ ut inviolatæ eſſent, pœna propoſita cautum erat; veluti muri, & portæ urbis. Publicæ, quæ omnium hominum, ac gentium communes ſunt, ut aer, mare, littus; aut omnium alicujus civitatis civium, ut fora, baſilicæ, theatra. Item res aliæ corpus habuerunt, aliæ corpore caruerunt. Habuere, quæ ſub ſenſum ceciderunt, ut fundus, & domus; caruere, quæ animo tantum comprehendi potuerunt, ut hereditas, obligatio, ſervitus. Item aliæ fuere mancipi, aliæ nec mancipi. Mancipi, teſte Ulpiano, vocarunt prædia in Italiæ ſolo tam ruſtica, qualis eſt fundus, quam urbana, qualis eſt domus. item, jura prædiorum ruſticorum, veluti viam, iter, actum, & aquæ ductum. item ſervos, & quadrupedes, quæ dorſo, collove domarentur, ſicuti boves, mulos, equos, & aſinos. Nec mancipi ceteræ res appellatæ. Acquiri vero aut ſingulas voluerunt, aut univerſas. ſingulas aut jure gentium, aut jure Quiritium. jure gentium, ut occupatione, captivitate, accretione, rei effectione, traditione, & ſervitute; jure Quiritium, ut mancipatione, uſucapione, in jure ceſſione. Occupationis jus erat ejuſmodi, ut quod nullius eſſet, primum occupanti acquireretur. Captivitatis, ut quæ ex hoſtibus cepiſſent, ſua fierent. Accretionis, ut quod alicui rei ſic accreviſſet, ut pars eſſet totius, ejus eſſet, cujus totum eſſet. atque hoc in alluvione, circumluvione, inædifica-

A tione, ſatione, pictura, ſcriptura, prætexta valere voluerunt. Rei effectio eam vim habuit, ut ſi ſpecies ex aliena re confecta ad priſtinam formam revocari poſſet, ejus eſſet, cujus erat res, quaſi materia non eſſet extincta. aut ſi ex utriuſque materia confecta eſſet, ejus, qui effeciſſet. Traditio venditionem, permutationem, legatum, donationem complexa eſt. Servitus dicta eſt, quod quis vel in re, vel ex re ſua alteri conſtituit. quæ duplex fuit, perſonarum, ut uſusfructus, uſus, habitatio; & rerum, ut ſervitutes prædiorum urbanorum, & ruſticorum: urbanorum, ut tigni immittendi, ſtillicidii recipiendi, vicinis luminibus non officiendi; ruſticorum, velut iter, actus, via, aquæductus, hauſtus, & ejuſmodi alia. Reliqua tria mancipatio, in

B jure ceſſio, uſucapio quid eſſent, & quemadmodum jure Quiritium inter ſolos cives Roman. fierent, in primo de jure civium Roman. demonſtravimus. Res porro per univerſitatem acquiri voluerunt, quinque modis, hereditate, fideicommiſſo, bonorum poſſeſſione, arrogatione, & bonorum emptione. Hereditas fuit ſucceſſio in univerſum jus, quod defunctus habuit. eaque duplex fuit, teſtamentaria, & legitima. Teſtamentaria fuit juſta, & ſolemnis teſtatio mentis, ac voluntatis noſtræ de univerſo jure

C noſtro in aliquem, pluresve poſt mortem noſtram abalienando. atque in his de hereditatibus, legatis, & fideicommiſſis caverunt, & ſecundos, tertioſque heredes ſubſtituerunt. Legitima fuit, quæ ab inteſtato ex lege XII. tabularum delata fuit. Inteſtatus dictus fuit, teſtamento non facto, non jure facto, rupto, irritove facto, & ab herede deſtituto. Quod ſi quis inteſtatus moreretur, lex primum liberis, deinde agnatis hereditatem attribuit. Fideicommiſſa appellata, quæ fidei heredis, ut ea redderet, committebantur. ut ſiquid ei teſtator datum vellet, cui per leges capere non liceret. itaque non jubebatur heres, ſed rogabatur. Horum autem duo genera;

D unum, quibus res ſingulæ, veluti veſtis, aut fundus relinquebantur; alterum, quibus univerſæ, ut hereditas, transferebantur. ut *L. Titius heres eſto. Peto abs te L. Titi, ut meam hereditatem C. Sejo reſtituas*. Bonorum poſſeſſio erat jus perſequendi, retinendive patrimonii, ſive rei, quæ cujuſque, cum moritur, fuit, ſolius prætoris beneficio inſtituta. nam quia heredes prætor facere non poterat, bonorum poſſeſſionem pro ſuo jure cuique attribuebat. Earum vero multa genera fuerunt. de quibus poſt commodiore loco dicemus. Arrogatio quæ fuerit, ſupra dictum. Arrogatione vero bona ejus, qui

E arrogabatur, omnia præterea, quæ capitis diminutione pereunt, arrogatori pleno jure quærebantur. Publica bonorum emptio auctione conſtituta fiebat, cum debitoris alicujus latitantis bonorum poſſeſſio creditoribus a prætore conceſſa eſſet, eaque bona triginta dies ab iis poſſeſſa fuiſſent.

CAP. V.

De controverſiis obligationum.

SEQUUNTUR obligationes. obligatio vero fuit juris vinculum, quo neceſſitate aſtringebantur a-

F licujus rei ſolvendæ ex jure civili. Hæc triplex fuit, naturalis, civilis, mixta. Naturalis, cum revera contracta erat, a jure tamen Quiritium non approbabatur: veluti ſi ſervus civi Romano pecuniam crediderit, jure quidem naturali, quæ parem omnium hominum conditionem eſſe voluit, obligatio nata eſt, ſed ea Prætor non jus dicit. Civilis eſt, quæ vel nunquam revera contracta eſt, vel cum revera contracta eſſet, facto tamen aliquo, ſed ad juris civilis rationem non accommodato diſſoluta erat. ut ſiquis vi, metuve promiſiſſet, ſummo jure

obligatus erat. & si creditor pactus esset, se nunquam petiturum, aut debitor creditoris postulatu jurasset, se non debere. Mixta, quæ cum revera, & æquissime contracta esset, etiam a jure civili comprobata erat. ut ex mutuo, commodato, deposito, empto, conducto. Quin etiam obligatio bipartita fuit, civilis, & honoraria. Civiles dictæ, quæ ab aliqua juris civilis parte institutæ, veluti lege XII. tabularum, ut heres legatario sit obligatus. Honorariæ, quas vel prætores, vel ædiles in edictis suis instituerunt. veluti cum prætor bonorum possessionem creditoribus omnibus hereditariis obligavit. Item obligatio alio modo quadripartita fuit, ex contractu, ex quasi contractu, ex maleficio, ex quasi maleficio. Contractus fuit negotium inter duos, pluresve data opera gestum, ut vel uterque invicem, vel alter tantum alteri obligaretur. Contractus alii nominati, alii innominati. Nominati alii re parere obligationem dicti, alii verbis, alii litteris, alii solo nudoque consensu. Re obligatio contrahebatur, cum ea non nisi re tradita, acceptaque, concipiebatur. ut in mutuo, commodato, deposito, pignore. Mutuum erat contractus, quo rerum, quæ pondere, numero, mensura constarent, usus ita concedebatur, ut postea non eædem, sed aliæ generis ejusdem redderentur. Commodatum erat contractus, quo gratis alicujus rei usus ita concedebatur, ut accipiens summam in ea ipse reddenda diligentiam præstare deberet. Depositum contractus, quo res aliqua ea lege apud alterum deponebatur, ut is dolum tantum, & nonnullam in ipsa reddenda culpam præstare deberet. Pignus contractus, quo res aliqua creditori ea lege obligabatur, ut in illa ipsa, cum primum ei satisfactum esset, reddenda dolum, & levem culpam præstaret. Verbis contrahebatur obligatio per stipulationem. Stipulatio erat interrogatio certis solemnibusque verbis concepta, & apta, consentaneaque responsio, veluti *Spondes? spondeo: Dabis? dabo*. De stipulationibus autem quattuor quærebantur: quæ personæ stipulatione vel obligare, vel obligari possent, quæ res in stipulationem deduci possent, quæ forma stipulandi esset, quod jus stipulationum existeret. Ad stipulationes autem pertinebant fidejussiones, quæ per stipulationem fiebant, & ut aliam obligationem confirmarent, institutæ erant. Fidejussor erat, qui fide, aut periculo suo suadebat, ut id, de quo agebatur, fieret, quoniam ejus eventum præstaret. Fidejussionis formula erat: *Centum a me Titio tua fide credita esse jubes? jubeo*. Jubebat autem sua fide, qui auctor, ac suasor erat, ut alteri quid crederetur. Fidejussio vero omni obligationum generi adhibebatur. Litterarum obligatio ea erat, quæ per scripturam fiebat. neque tamen omnis, sed præcipue ad nomina, quæ in tabulis accepti & expensi fiebant, contrahebatur. itaque nominum obligatio sæpe appellabatur, cum alicui quid expensum ferebatur, id est, scribebatur in tabulis, aliquem alicui certam pecuniam expendisse. Obligationes ex consensu erant, quæ sine rei traditione, sine stipulatione, sine nominibus, nudo consensu, solaque conventione contrahebantur. unde & inter absentes, & inter surdos, ac mutos recte fiebant. Erant autem quattuor, emptio, locatio, societas, & mandatum. Emptio, & venditio erat contractus bonæ fidei inter quos jure civili licebat, nudo consensu factus de re certa certo precio in perpetuum domini jure obtinenda. eaque in personis, rebus, forma contrahendi, & contractus jure consistebat. Locatio contractus bonæ fidei de re aliqua certa mercede vel facienda, vel ad tempus utenda inter quos jure civili licebat, factus. atque in totidem partibus, quot emptio, erat positus. Quod si nulla merces constitueretur, sed tantum, quantum inter eos convenisset, neque locatio, neque conductio sed actio præscriptis verbis dicebatur. Societas erat

A contractus bonæ fidei de alicujus vel rei vel negotiationis communione sic institutus, ut ejus & quæstus, & damnum ad unumquemque communiter pertineret, cujus totidem, quot superiorum, erant partes. Mandatum contractus bonæ fidei de eo, quod fieri sine mercede conveniret, periculo mandatoris exequendo, inter quos jure civili licebat, factus: atque in hoc personæ, res mandata, forma mandati, & jus contractus considerabantur. His etiam contractibus adjungere licet fiduciam, quæ juris civilis fuit. Erat autem fiducia species mancipationis, ut Boetius ait; nempe quoties cui res aliqua mancipabatur cum eo, ut eam mancipanti remanciparet. B veluti si quis tempus dubium timens amico potentiori fundum mancipasset, ut sibi, cum tempus, quod suspectum esset, præteriisset, redderet. hæc mancipatio fiduciaria nominata, quod restituendi fides interponeretur. Livius lib. XXXII. *Optimum ratus Corinthum Nabidi Lacedæmoniorum tyranno, velut fiduciariam dare, ut victori sibi restitueret; si quid adversi accidisset, ipse haberet.* Itaque fiducia videtur fuisse contractus, quo fidem alicujus sequuti rem ei aliquam dicis caussa mancipabant, ita dictus, quod nulla alia re, quam fide, ac probitate emptoris freti eam venditionem celebrabant. C In ejus vero formula hæc verba fuere solennia: *Ut inter bonos viros bene agi oporteat*; &, *Uti ne propter te, fidemve tuam captus, fraudatusve sim*. Obligatio ex quasi contractu erat, quæ neque ex contractu, neque ex delicto proprie nascebatur, sed quia rei privatæ negotium gestum erat, ita appellabatur, ut si quis negotium absentis, & ignorantis sua sponte, ac sine mandato gessisset, quæ Negotiorum gestorum appellata. Contractus innominati erant quattuor, *Do, ut des*: *Do, ut Facias*: *Facio, ut des*: *Facio, ut facias*. *Do, ut des*, cum id negotium gestum erat, quod neque emptionis, neque ullius alterius nominati contra- D ctus nomine appellari poterat, sed conventum erat, ut res pro re daretur. veluti in permutatione, & negotio æstimatorio. *Do, ut facias*, cum id conveniebat fieri, quod locari non poterat. veluti, si centum aureos Sempronio dem, ut servum suum manumittat. *Facio, ut des*, is qui cum superiore reciprocatur. veluti, si convenisset, ut servum meum manumittam, & tu mihi centum solvas. *Facio, ut facias*, cum neque gratis neque mercede pecuniaria constituta quid fieri conveniebat, sed, ut factum pro facto redderetur, veluti ut vicini bobus suis alternis diebus uterentur. Obligationes autem E quattuor modis dissolvebantur, solutione, acceptilatione, novatione, & delegatione. Solutione, cum vel ea res, quæ debebatur, vel si modo creditor consentiret, altera præstaretur. nam invito creditori aliud pro alio solvi non poterat. Acceptilatio erat in tabulas acceptæ pecuniæ relatio. Novatio, prioris debiti in aliam obligationem transfusio, atque translatio, quæ per stipulationem fiebat. Delegatio, alterius debitoris in suum locum substitutio. Obligationes ex delicto, quæ ex delictis tantum privatis nascebantur, furto, rapina, damno injuria dato, & injuria. Furtum erat contrectatio fraudulenta lucrifaciendi gratia vel ipsius rei, vel etiam usus F ejus, possessionisve, quod legi naturali prohibitum erat admittere. idque duplex, manifestum, & nec manifestum. manifestum, cum res in manibus furis, antequam destinatum in locum ferretur, deprehensa erat. nec manifestum, cum fur in faciendo quidem deprehensus non erat, sed eum furtum fecisse, negari non poterat. De manifesto furto sic in tabulis XII. *Qui noctu furtum faxit, aut interdiu telo se defenderit, cum domino cum clamore testificanti occidere jus esto. si neque noctu, neque se telo defendens prehendatur, virgis cæsus ei cui furtum fecit, addicitor. servus verberibus affectus de saxo dejici-*

dejicitor. impubes arbitratu prætoris verberator. Nec manifeſto vero ex lege XII. tabularum propoſita pœna erat dupli, & prætoris edicto quadrupli. Rapina furtum erat illud quidem, ſed impudenter, & vi factum. itaque rapinæ & privatum, & publicum conſtitui judicium potuit. pœna propoſita fuit tripli. Damnum injuria datum a furto, & rapina fuit diverſum, quod illa lucrifaciendi cauſſa tantum, hoc damni inferendi cauſſa factum eſt. illa non ſine dolo, hoc per imprudentiam admiſſum. Injuria enim eſt non cavere quod caveri debuit & potuit, ut is, qui eo loco jaculatur, ubi vel nulli, vel ſoli ſe milites exercere ſolent. Injuria demum erat, quæ aut pulſatione, aut convicio, aut turpitudine corpus, aures, aut vitam alicujus violavit, aut noſtram, aut alterius in contumeliam noſtram. De ea ſic in XII. *Si injuriam alteri faxit*, XXV. *æris pœnæ ſunto. ſi membrum rupit, niſi cum eo pacit, talio eſto. Si os fregit ...... æris ſunto*. Gellius libro XX. Juſtinianus lib. III. Prætores inde permiſerunt, ut paſſi injuriam pro arbitrio æſtimarent, ſecundum gradum dignitatis, & vitæ honeſtatem. Obligatio ex quaſi delicto erat, cum quis pœna aliqua multabatur quaſi deliquiſſet, cum tamen revera non deliquiſſet, ſed tantum in culpa eſſet, veluti ſi cujus ex cœnaculo dejectum aliquid eſſet.

CAP. VI.

De legibus judiciorum privatorum.

QUONIAM autem diximus judicia privata decreta fuiſſe de controverſiis privatis facta, prout jure erat ſanctum; & unde natæ controverſiæ ſint, demonſtratum eſt; jam quæ juris partes fuerint, breviter indicemus. ex quibus vero de ſingulis controverſiis judicia facta ſunt, fuere leges XII. tabularum, leges aliquot poſt XII. tabulas, & edicta prætorum.

Leges XII. tabularum, jus omne privatum complexæ ſunt, ut ſupra in libris de jure civium Romanorum eſt demonſtratum. atque infra, ut cujuſque rei dabitur occaſio, earum commemoratio repetetur. Leges poſt XII. tabulas, quæ quidem de jure civili fuerint, paucæ fuerunt, & leges XII. tabularum ſuppleverunt. fuere autem Furia, Voconia, Atinia, Atilia, Aquillia, & Falcidia. Furia: *Ne cui niſi manumiſſoris cognato, certiſque aliis perſonis ſupra mille aſſes legare, mortiſve cauſſa donare liceret. Quod ſi quis majorem ſummam ſibi legatam accepiſſet, quadruplum ejus, quo plus, quam licebat, accepiſſet, redderet*. Voconia. *Ne qui cenſus eſſet, virginem, neve mulierem ſupra quadrantem ſuorum bonorum heredem inſtitueret, pluſve cuiquam legaret, quam ad heredem, heredeſve perveniret. ne fœminæ ultra conſanguineos ab inteſtato ſuccederent*. Atinia: *Ut quod ſurreptum eſſet, ejus æterna auctoritas eſſet, niſi in ejus, cui ſurreptum eſſet, poteſtatem reverti eſſet*. Atilia: *Ut mulieribus, pupilliſve tutores non habentibus a prætore, & majore tribunorum plebis parte darentur*. Aquillia: *Qui ſervum, ſervamve, alienum, alienamve, quadrupedemve pecudem injuria occiderit, quanti id in eo anno plurimi fuit, tantum æs dare domino damnas eſto. Ceterarum rerum præter hominem, & pecudem occiſos ſi quis alteri damnum faxit, quod uſſerit, fregerit, ruperit injuria, quanti ea res erit in triginta diebus proximis, tantum æs domino dare damnas eſto. adverſus inficiantem in duplum actio eſto. ſi ſervus ſciente domino noxam nocuiſſet, dominus ſuo nomine ejus rei cauſſa teneatur*. Falcidia: *Qui teſtamentum faciet, quantam cuique civi Romano pecuniam jure publico dare, legare volet, jus, poteſtaſque eſto. dum ita detur, legetur, ut ne minus, quam quartam partem hereditatis ex eo teſtamento heredes capiant*. De

A quibus legibus ingentia librorum volumina ſcripta ſunt, unde hæc non tradendæ rei, ſed ſignificandæ ſumpſimus, ut veterem in repetendo jure ſuo rationem oſtenderemus. His addere poſſumus ad extremum etiam legem Juliam privatorum judiciorum, cujus crebra eſt in Pandectis commemoratio. ea vero de actionibus fuiſſe præcipue exiſtimatur.

Edicta leges fuerunt, quas prætores, & ædiles curules initio magiſtratus propoſuerunt. in quibus quo modo de ſingulis controverſiis jus dicturi in ſuo magiſtratu eſſent, cives admonebant. Erat enim eis permiſſum, ut a legibus ſcriptis diſcederent, &, quoniam non omnia comprehendi eis potuerant,
B eas adjuvarent, aut ſupplendo, aut corrigendo, ſi opus eſſet. Hæc autem primis temporibus in eum tantum annum valuerunt, quo is prætor erat, qui propoſuerat. unde Cicero in Verrem, edictum *legem annuam* appellavit. Verum cum prætores paſſim ab edictis ſuis propoſitis recedere in jure dicendo conſueſſent, C. Cornelius tribunus pl. anno urbis DCLXXXVI. legem tulit, auctore Dione, ut prætores ex edictis ſuis perpetuis jus dicerent. & quod ſemel Kalendis Januariis edixiſſent, id in toto præturæ ſuæ tempore obſervarent. qua lege addit Aſconius, multum auctoritatis, & gratiæ ademptum eſſe ambitioſis prætoribus, qui jus varie dicere ſole-
C bant. fiebat autem, ut aut integra edicta ex ſuperioribus aliorum edictis, aut capita aliquot in ſua poſteriora transferrent, eaque translatitia nominata ſunt. Cicero in Verrem: *Sed in re tam uſitata ſatis eſt oſtendere omnes antea jus ita dixiſſe, & hoc vetus edictum, translatitiumque eſſe*. Poſtremo autem Hadriano imperante Salvius Julianus edictum ſcripſit ex omnibus ſuperiorum prætorum edictis conflatum. quod edictum prætoris, edictum urbanum, & edictum perpetuum dictum eſt, in quo univerſum fere jus civile comprehendit. Ex eo inde omnes prætores ſic mandante Hadriano jus dixerunt. de
D quo edicto Eutropius hiſtoricus, & Juriſconſulti omnes loquuntur.

CAP. VII.

De prætoribus, ſive de jus dicentibus.

CONTROVERSIIS cognitis ſequitur, ut de magiſtratibus jus dicentibus exponamus. Quod igitur jus ſingulis de controverſiis in legibus XII. tabularum, aut in iis, quæ poſt XII. latæ ſunt, aut in annuis edictis magiſtratuum aut civibus, aut peregrinis ſcriptum fuit, id civibus ipſis, aut peregri-
E nis poſcentibus reddiderunt magiſtratus ii, qui hanc poteſtatem a populo acceperunt. Ac qui jus quidem ſuum perſecuti ſunt, ii lege agere; qui jus reddiderunt, ii jus dicere dicti ſunt. Unde illa poteſtas, legis actio; hæc, juriſdictio appellata. Ut autem lege agere fuit aliquid ex iis, quæ legibus, aut edictis inſtituta erant, in jure perſequi, ſic jus dicere fuit reddere ea jura, quæ legibus aut edictis continerentur. Jus autem hoc primum dixere reges, deinde conſules, & qui cum poteſtate conſulari fuerunt, poſtremo prætores, & ædiles curules. De jure dicto a regibus Dionyſius in Romulo, &
F Tullio aperte ſcripſit, & Livius ſubſignificavit in Priſco, cum ipſo vulnerato Tanaquilem reginam ſic fecit loquentem: *Interim Ser. Tullio jubere populum audientem eſſe: eum jura redditurum, obiturumque alia regis munera eſſe*. De conſulibus præter Dionyſium Livius idem docuit libro II. *Appius conſul de pecuniis creditis jus quam aſperrime dicere*. & alibi: *Quod de credita pecunia jus non dixiſſet*. De Decemviris conſularibus Dionyſius cum Livio lib. III. *Decimo die jus populo ſingulari reddebant*. Item: *Appius dixit, ſe eo die neque jus dicturum, neque decretum interpoſiturum*.

Post autem, ut scribit Pomponius, cum consules avocarentur a bellis finitimis, neque esset, qui in civitate jus reddere posset, factum est, ut prætor quoque crearetur, qui jus in urbe diceret. Post aliquot deinde annos non sufficiente eo prætore, quod multa turba peregrinorum ad jus petendum in urbem veniret, creatus est & alius prætor. Ita prætores duo facti, unus, qui civibus; alter, qui peregrinis jus diceret. Unde ille urbanus, hic peregrinus vocatus. Scribit idem Livius, nempe anno CCLXXXVI. plebem nobilitati concessisse de prætore uno, qui jus in urbe diceret, ex patribus creando, eumque jura reddidisse, & collegam consulibus datum, iisdemque auspiciis creatum esse. atque eodem anno ædiles duos curules institutos esse; post annum autem DXII. alterum esse adjectum. quem quidem eum esse suspicari possumus, qui peregrinus est appellatus. Hi vero comitiis centuriatis creati a populo jurisdictionem, sed incertam acceperunt. Ubi vero designati sunt, ex S. C. duas jurisdictiones, urbanam, & peregrinam, sortiti sunt, quamque sorte adepti sunt, eam exercuerunt. Itaque licet apud Livium legere, quotannis jurisdictiones in sortem conjectas, easque prætores designatos sortiri jussos. Factum est autem aliquando, ut ambas jurisdictiones unus prætor ex S. C. sortitus sit, easque exercuerit. idque non antiquis solum temporibus, quorum testis est Livius, sed etiam ultimis. siquidem anno DCLXXV. Catulo, Lepidoque coss. L. Cornelius Sisenna inter cives, & peregrinos jus dixit, ut ex vetere senatus consulto supra allato cognoscitur.

Hæc autem jurisdictio a prætore mandari alteri potuit, ob eam caussam, quod non lege, sed jure magistratus competiit. unde scripsit Papinianus D. de officio ejus, cui mandata est jurisdictio: *Quæ jure magistratus competunt, mandari possunt. Qui mandatam jurisdictionem suscepit, proprium nihil habet; sed & ejus, qui mandavit, jurisdictione utitur.* item Julianus D. de jurisdictione: *More majorum ita comparatum est, ut is demum jurisdictionem mandare posset, qui eam suo jure, non alieno beneficio haberet.* Ceterum prætores, ædilesque curules ubi Kalendis Januariis magistratum inierant, edictum proponebant, in quo, ut dixi, quemadmodum de singulis controversiis jus dicturi essent, populum præmonebant. Meminit hujus rei Pomponius: *Magistratus*, inquit, *qui jura reddebant, ut scirent cives, quod jus de quaque re quisque dicturus esset, seque præmuniret, edicta proponebant, quæ edicta prætorum jus honorarium constituerunt.* Meminit Cicero II. de finibus: *Quid enim mereri velis jam, cum magistratum inieris, & in concionem ascenderis. est enim tibi edicendum, quæ sis observaturus in jure dicendo.* Meminit Theophilus in Institutionibus. *Datum est*, inquit, *jus legis ferendæ præcipue prætori urbano, & peregrino, & ædilibus curulibus. idque jus honorarium dictum.* Ex quibus verbis illud præterea intelligi potest: tam prætorem peregrinum, quam urbanum edictum proposuisse. qua de re quidam hoc tempore dubitarunt.

Jam vero hi prætores certis insignibus ornati, certo in loco, certis diebus, & certis horis jus dixerunt. Insignia fuerunt prætexta, sella curulis, hasta, & ministri; ut scribæ, accensi, & lictores. Prætexta, toga fuit purpura prætexta, quam Kalendis Januariis in Capitolio, votis solennibus nuncupatis, una cum ceteris insignibus acceperunt. quod eis commune quoque cum consulibus fuit. Sella curulis fuit sella eburnea, qua in publico, & privato loco sedendi caussa utebantur. De loco publico nemo dubitat. de privato, ex Valerio cognosci potest, qui C. Flavium ædilem curulem, cum ad amicum ægrotum visendum venisset, scribit sellam curulem, quam secum habebat, insedisse in loco privato. Hastam jurisdictionis insigne fuisse, ex eo apparet, quod censores quoque ea usi sunt, & cum vectigalia publica locarunt, eam posuerunt. Prætorum autem insignia duo fuere, hasta, & gladius, illa ad jurisdictionem, hic ad quæstionem significandam. Cyprianus Epistolarum libro II. *Sævit invicem discordantium rabies, & inter togas pace rupta forum litibus mugit insanum. hasta illic, & gladius, & carnifex præsto est.* Seneca de brevitate vitæ: *Non est, quod me solos putes dicere, quos hasta prætoris infamibus beat lucris.* Hinc Ulpianus D. de postulando: *Prætor utrisque luminibus orbatum pro aliis postulare prohibebat, quia insignia magistratus videre, & revereri non poterat.* Porro autem lictoribus duobus prætor urbanus est usus. Censorinus: *In lege Lætoria hæc fuerunt: Prætor urbanus, qui nunc est, quique posthac erit, duos lictores apud se habeto. isque supremum ad solis occasum jus inter cives dicito.* Usus scribarum fuit, ut in tabulas actiones referrent; accensorum, ut citarent, & horam esse tertiam, aut meridiem admonerent; lictorum, ut coercerent, aut summoverent. Hæc de insignibus.

Jam vero locus, in quo jus dictum est, fuit duplex, aut superior, aut planus. superior fuit tribunal in comitio, atque in tribunali sella curulis; planus, quicunque locus præter tribunal posita sella curuli. isque locus tum dicebatur Jus. Comitium pars fuit fori Romani in quo rostra erant. Unde qui e rostris agebant, in forum, & comitium versus agere poterant. Tribunal locus celsior, & multorum hominum capax. De comitio Gellius libro XX. *Inter eos dies trinis nundinis ad prætorem in Comitium producebantur.* De tribunali, & sella curuli Cicero de oratore primo: *Nobis in tribunali Q. Pompeii prætoris urbani sedentibus.* & Tacitus libro primo: *Tiberius assidebat in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret.* & Varro de vita populi Romani, teste Nonio: *P. Ælius Pætus cum esset prætor urbanus, & sedens in sella curuli jus diceret populo Romano, picus Martius advolavit, atque in capite ejus assedit.* De plano Seneca de Clementia libro primo: *Hæc magnanimitas melius in tribunali, quam in plano conspicitur.* Cicero ad Appium: *Idque pro tribunali, cum aliquid ageretur, & nonnullis in conviviis.* & mox: *Scio meos multos, & illustres, & ex superiore & ex æquo loco sermones habitos cum sua summa laude.* Valerius de repulsis: *Propinqui Scipionis præturam ab eo pollui cum animadverterent, id egerunt, ne aut sellam ponere, aut jus dicere auderet.* Sellam ponere videtur dixisse pro de plano cognoscere, ut Jurisconsulti loquuti sunt. Jus autem dictum esse locum Jurisdictionis quencunque, docet Ulp. D. de just. & jure. *Jus*, inquit, *non is solum locus est, ubi jurisdicundi, judicandive gratia magistratus populi Rom. consistit, sed etiam si domi, vel in itinere hoc agat.* Donatus in Terentium: *In jus eamus, hoc est, ad prætoris sellam.* Jus ergo locus est, in quo consistit prætor juris dicundi caussa. Paulus de justitia, & jure: *Jus est locus, ubicunque prætor salva majestate imperii sui, salvoque more majorum jus dicere constituit.*

Dierum hæc fuit ratio. Eorum alii Fasti, alii Nefasti, alii Intercisi vocati. Fasti fuere, quibus jus fari, id est, dici poterat. Varro libro v. de lingua Latina: *Dies fasti, per quos prætoribus omnia verba sine piaculo licet fari. Contrarii horum vocantur dies nefasti, per quos dies nefas fari prætorem Do, Dico, Addico.* Ovidius primo Fastorum:

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur:
Fastus erit, per quem lege licebit agi.

Suetonius in octavo de prætoribus, teste Prisciano: *Fasti dies sunt, in quibus jus fatur*, id est, dicitur. & nefasti, in quibus non dicitur. Macrobius libro primo: *Fasti dies sunt, quibus licet fari prætori tria verba*

solemnia Do, Dico, Addico, hisque contrarii sunt nefasti. Intercisis diebus quibusdam horis fas est, quibusdam fas non est, jus dicere. & fastis quidem diebus lege agi potest, cum populo non potest, comitialibus utrumque potest. Hi vero qui quot quoque mense fuerint, ex antiquis Fastis editis liquet.

Jam vero tota prætoria jurisdictio, duabus in rebus fuit posita, id est, ut aut prætor ipse judicaret, aut alterum judicare juberet. unde recte in legibus Cicero: *Juris disceptator, qui privata judicet, judicarive jubeat, prætor esto, juris civilis custos esto.* Cum autem judicavit, tum decrevisse, aut decretum interposuisse; cum judicare jussit, tum judicem, judiciumve, aut actionem dedisse dictus est. Cum autem decrevit, tum aut dixit, aut addixit, aut dedit; cum judicare jussit, tantum dedit. Itaque tota jurisdictio his tribus verbis fuit inclusa, *Do, Dico, Addico*. ostendit Varro, cum inquit: *Necesse est uti aliquo horum trium verborum Do, Dico, Addico, cum quid lege peragitur.* Dixerunt autem exempli gratia, cum aliquem liberum esse decreverunt, & cum interdixerunt. Addixerunt, in jure cessione, emancipatione, & adoptione. Dederunt, ut bonorum possessionem, vindicias, & actionem, sive judicium. Probant hoc leges veteres: *Quicunque magistratus in ea colonia juredicundo præerit. ejus magistratus de ea re jurisdictio, judicisque datio, addictio esto.* Cicero de Verre prætore urbano: *Domus erat plena. nova jura, nova decreta, nova judicia petebantur: mihi det possessionem, mihi ne adimat, in me judicium ne det, mihi bona addicat.* & alibi: *In jure dicundo bonorum possessionumque contra omnium instituta addictio, & condonatio.*

Cum autem prætores duo hanc, quam dixi, jurisdictionem in urbe exercerent, urbanus, & peregrinus, par quidem in utroque potestas, major tamen urbani dignitas fuit. unde major prætor dictus est teste Pompejo. Itaque in pari potestate alter alterius decreto intercedere potuit, auctore Asconio, si quis eos appellavit. Cicero de Verre prætore urbano, & Pisone peregrino: *L. Piso multos codices implevit earum rerum, in quibus ita intercessit, quod iste aliter, atque edixerat, decrevisset. Quod vos oblitos esse non arbitror, qui ordo ad Pisonis sellam convenire solitus sit. quem iste collegam nisi habuisset, lapidibus coopertus esset in foro.* Cæsar libro tertio de bello civili: *M. Cœlius prætor caussa debitorum suscepta initio magistratus tribunal suum juxta C. Trebonii prætoris urbani sellam collocavit. & si quis appellavisset de æstimatione, fore auxilio pollicebatur.*

Ædilium vero jurisdictionis adhuc memoria obscurior est. Hi vero paucis de rebus jus dixerunt. in primis autem de venditione mancipiorum, & de mensuris, & de foro venalium. quarum rerum testimonia ab aliis recitata sufficient.

CAP. VIII.

De decemviris stlitibus judicandis.

NEQUE vero solus prætor hæc judicia exercuit, sed socios laboris hujus Decemviros stlitibus judicandis habuit. Hic item magistratus fuit. ostendit Pomponius his verbis: *Cum esset necessarius magistratus, qui hastæ præesset, Decemviri stlitibus judicandis sunt constituti.* & Dio qui libro LIV. magistratum vigintivirum collectum fuisse scribit ex quattuor magistratibus, triumviris capitalibus, triumviris monetalibus, quattuorviris viarum curandarum, & decemviris litium judicandarum. Hic magistratus post quæsturam captus est. indicat inscriptio vetus hujusmodi: SCÆVA QUÆSTOR. DECEMVIR STLITIBUS JUDICANDIS. TR. PL. & cetera. & Suetonius, cum scribit: *Augustus auctor fuit, ut centumviralem hastam, quam quæstura functi consueverant cogere, decemviri cogerent.* Hi vero hastam adhibuerunt, & quidem, ut opinor, prætoriam, atque ea posita & ipsi judicarunt, & ea judicia exercuerunt, quæ centumviralia dicta sunt. Itaque non minus Decemviralis, quam Centumviralis hasta in hoc genere celebratur, ut post pluribus exponetur.

CAP. IX.

De legis actionibus, sive de exercenda jurisdictione.

MAGISTRATIBUS jus dicentibus cognitis, jam, quemadmodum illud dixerint, declaremus.

Prætores igitur jus dixerunt aut ex superiore loco, aut ex æquo, id est, aut de tribunali, aut de plano. Quoniam autem sella posita sedentes id faciebant, eos dies Sessionum vocarunt. Quorum duo fuere genera. nam alii postulationibus, alii cognitionibus dicati fuerunt. Cognitionum autem dies alii aliis legis actionibus exercendis erant constituti. Hæc in libris Jurisconsultorum aperte traduntur. unde Ulpianus D. de bonorum possessione: *Si caussa cognita bonorum possessio detur, non alibi dabitur, quam pro tribunali. quia neque decretum de plano interponi, neque caussa cognita bonorum possessio alibi, quam pro tribunali dari potest.* Ut autem legis actiones erant multæ, sic jurisdictio quoque multiplex erat. lege autem agere nihil aliud erat, quam aliquid eorum, quæ lege continerentur, apud prætorem, vel apud eum, qui talem jurisdictionem haberet, in jure obire, nempe vindicare, atque in jure cedere, filium suum emancipare, alienum adoptare, servum manumittere, tutorem, bonorum possessionem, interdictum, & actionem postulare. Jus vero dicere aliquid horum aut dicere, aut addicere, aut dare. Quæ prætor cum faciebat, decrevisse, aut decretum interposuisse dicebatur.

Diebus igitur fastis, id est, quibus licebat aliquid horum peragere, prætores summo mane in comitium, sive forum veniebant, atque in tribunali sella posita assidebant, & accenso, ut horam tertiam populo circumstanti inclamaret, imperabant. Varro libro v. de lingua Latina: *Cosconius scribit in Actionibus prætorem accenso jubere solitum, horam esse tertiam, meridiem, & nonam:* Unde Martialis: *Exercet raucos tertia causidicos.* Tertia inclamata tum per accensum eundem populum rogabant, num quis esset, qui apud se lege agere vellet, id est, qui jus posceret. Hoc præcepto audito accedebant, qui lege agere volebant, veluti, si dies postulationum esset, qui aliquid eorum postulabant, quæ legis actionibus continebantur, ex legibus, aut edictis eorum, nempe aliquid eorum, quæ supra diximus.

Ceterum hi neque pro arbitrio, neque temere agere potuerunt, sed prout in singulis legis actionibus scriptum erat. Legis autem actiones formulæ fuerunt agendi, quas primum pontifices intulerunt, deinde C. Flavius Appii Claudii scriba ab Appio compositas divulgavit. Pomponius de origine juris: *Ex legibus XII. tabularum actiones compositæ sunt, quibus homines inter se disceptarent. quas actiones, ne populus prout vellet institueret, & certas & solemnes esse voluerunt, & appellatur hæc pars juris Legis actiones. & ita eodem pæne tempore tria hæc jura nata sunt, leges XII. tabularum. ex his cœpit fluere jus civile. ex iisdem legibus Actiones compositæ sunt. omnium tamen horum & interpretandi scientia, & actiones apud collegium pontificum erant, ex quibus constituebatur, quis quoque anno præesset privatis. & fere populus prope omnis annis centum hac consuetudine usus est. postea cum Ap. Claudius composuis-*

set, & ad formam redegisset has Actiones, C. Fla- A *vius scriba ejus, libertini filius, surreptum librum populo tradidit. & adeo gratum fuit id munus populo, ut tribunus pl. fieret, & senator, & ædilis curulis. hinc liber, qui Actiones continet, appellatur Jus civile Flavianum. augescente civitate & qui aderant quædam genera agendi composuerunt. nec post multum temporis spacium Sextus Ælius alias Actiones composuit, & librum populo dedit, qui appellatur Jus Ælianum*. De C. Flavio idem scribit Livius libro III. & Cicero ad Atticum libro VI. At vero legis Actiones dictæ sunt, quod earum rerum, de quibus lex XII. tabularum scripta erat, privatim agendarum formulam præscribebant. unde Cicero in de- B fensione Murenæ adversus Sulpicium Jurisconsultum dixit: *Gloria militaris vestris formulis, atque actionibus anteponenda est*. & de eodem Sulpicio in nona Philippica: *Neque instituere litium actiones malebat, quam controversias tollere*. Actiones autem hæ ita solemnes fuerunt, ut qui agere vellent, & impetrationis rationem habere, & formularum deberent. Impetrationis autem ea vis fuit, ut nemini liceret judicio experiri, nisi prius ab eo, cujus esset jurisdictio, agendi formulam impetrasset: formularum vero, ut formulæ quædam adhiberentur verborum, quarum ductu in judiciis experiren- C tur, ut qui uno verbo errasset, is tota caussa cecidisse videretur. Hinc illud est Ciceronis pro Murena: *Posset lege agi nec ne, pauci quondam sciebant. fastos enim vulgo non habebant. erant in magna potentia qui consulebantur. a quibus etiam dies tanquam a Chaldæis petebantur. inventus est scriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit, & singulis diebus ediscendos fastos populo posuerit, & ab ipsis cautis juris consultis eorum sapientiam compilarit. Itaque irati illi, quod sunt veriti, ne dierum ratione pervulgata & cognita sine sua opera lege posset agi, notas quasdam composuerunt, ut omnibus in rebus ipsi interessent*. Quales autem hæ formulæ fue- D rint, in singulis legis Actionibus demonstremus, exordio a Vindicatione sumpto, quousque ad postulationem actionis, sive judicii veniamus.

CAP. X.

De vindicatione, & in jure cessione.

Si quis ergo servum, aut aliam rem corpoream sibi vindicare volebat, is apud prætorem ita agebat. Quippe, ut inquit Boetius ex Cajo, Vin- E dicator tenens servum in Jure, ita dicebat: *hunc hominem ex jure Quiritium meum esse ajo*. prætor autem interrogabat eum, unde petebatur, an contra vindicaret, id est, an contra servum illum suum esse assereret. eo vero tacente, aut cedente prætor servum addicebat vindicanti. qui vero vindicaverat, lege egisse; qui cesserat, in jure cessisse: atque ea in Jure cessio dicebatur, ut scribit Boetius, prætoris vero Addictio.

CAP. XI.

F

De emancipatione.

Emancipationem vero, quæ fuit filiorum e propria potestate dimissio, legis item actionibus comprehensam, & apud prætorem factam esse, testis est Modestinus D. de jurisdictione. *Magistratus, inquit, apud quem legis actio est, & emancipare filios suos, & in adoptionem dare potest*. Paulus: *Apud magistratus municipales, si habent legis actionem, emancipari, & manumitti potest*. Ceterum in emancipationem & vindicatio, & mancipatio incidit. Fuit autem mancipatio, ut supra diximus, imaginaria quædam venditio facta hoc modo: adhibitis non minus quinque testibus civibus R. puberibus, & præterea alio ejusdem conditionis, qui libram æneam teneret, qui appellabatur libripens, is qui mancipium accipiebat, æs tenens ita dicebat: *Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo, isque mihi emptus est hoc ære, æneaque libra*. deinde ære percutiebat libram, idque æs dabat ei, a quo mancipium accipiebat, quasi precii loco. Qui ergo naturalis pater filium emancipare volebat, is secundum postulationem die cognitionis filium suum fiduciario patri emancipabat, hac verborum formula utens, quæ vindicationem simul, ac mancipationem complectebatur: *Hunc hominem ex jure Quiritium meum esse ajo, quoniam emptus est mihi hoc ære, æneaque libra*. Naturalis vero pater respondebat: *Hunc filium meum tibi mancipo*. & accepto precio in Jure cedebat, quo facto prætor addicebat. Quoniam vero ex lege filius a patre venundatus usque ad tertiam mancipationem in potestatem patris redibat, propterea secunda inde mancipatio, & in Jure cessio adhibebatur. cumque iterum filius in potestatem patris redisset, tum tertia adhibebatur hoc modo: *Ego vero hunc filium meum tibi mancipo ea conditione ut mihi remancipes, ut inter bonos bene agi oportet, ne propter te, tuamque fidem frauder*. ac tertium accepto precio cedebat. & prætor tertium addicebat. Qua re perfecta tum demum filius e potestate patris egressus putabatur. Unde fiduciarius pater, qui dominus ejus erat factus eundem naturali patri sine fraude remancipabat. naturalis vero filium, quem quasi servum coemerat, manumittebat. atque ita liber ille, id est, sui juris factus erat, ut Cajus scripsit.

CAP. XII.

De adoptione.

Jam vero adoptiones etiam apud prætorem factas scribit Ulpianus. *Adoptare, inquit, apud Juridicum quis potest; quia data est ei lege actio*. Incidit autem in adoptionem vindicatio pariter, & mancipatio. Nempe qui adoptabat, apud prætorem, eum quem adoptabat, tenens ita dicebat: *Hunc hominem filium meum esse ajo. isque mihi emptus est hoc ære*. Naturalis autem pater usque ad tertiam mancipationem in Jure cedebat. prætor vero addicebat. Hinc Gellius libro quinto: *Adoptantur liberi, cum a parente, in cujus potestate sunt, tertia mancipatione ceduntur, atque ab eo, qui adoptat, apud eum, apud quem legis actio est, vindicantur*. & Suetonius: *Augustus Cajum, & Lucium adoptavit domi emptos per æs, & libram*. & Cicero de finibus: *Torquatus filium Silano in adoptionem emancipavit*. Notavit etiam Appianus, testibus præsentibus adoptiones apud prætorem fieri solitas.

CAP. XIII.

De manumissione.

Manumissionem item inter legis actiones fuisse, & apud prætorem factam esse docet Marcianus D. de officio proconsulis. *Apud legatum proconsulis, inquit, nemo manumittere potest. omnino enim non est apud eum legis actio*. ubi vero die postulationis manumissio postulata erat, tum vero die cognitionis post caussam cognitam fiebat. & quidem hoc modo. Qui manumittere servum apud prætorem volebat, ejus, quem manumittere volebat, caput, aut aliud membrum tenens ad præto-

rem ita dicebat : *Hunc hominem liberum esse volo* , & emittebat eum e manu. prætor autem vindicta, id est, virga ejusdem servi capiti imposita ita dicebat : *Dico eum liberum esse more Quiritium*. Inde conversus ad lictorem addebat : *Secundum tuam caussam, sicuti dixi, Ecce tibi vindicta*. Tum lictor accepta a prætore vindicta caput servi percutiebat, faciem palma, tergumque verberabat. Quibus actis nomen manumissi in Acta a scriba referebatur, adjecta caussa manumissionis. Hæc Boetius in Topica, Festus libro XI. Valerius Probus de notis, Donatus in Adelphos, & Hermogenianus. Addit Cajus D. de manumissis vindicta : *Non est omnino necesse pro tribunali manumittere. Itaque plerique in transitu servi manumitti solent, cum aut lavandi, aut gestandi, aut ludorum caussa prodierit prætor*. Hoc modo perfecta est pars Jurisdictionis, quæ per verbum Dico exprimebatur.

CAP. XIV.

De postulatione, & datione tutoris.

QUIN etiam tutoris postulatio ad legis actionem, datio ad jurisdictionem pertinuit. auctor est Ulpianus, cum inquit : *Jus dicentis officium latissimum est. nam & pupillis non habentibus tutores constituere potest*. Est autem intelligendum, si neque testamentarius, neque legitimus tutor adesset, tum datum a prætore fuisse, eodem teste. Unde dicebat Verres apud Ciceronem, *pupillos & pupillas certissimam esse prædam prætoribus*. Hoc autem cum faciebat prætor, tertiam partem Jurisdictionis explebat, quam verbum Do continebat. atque hoc idem de consulibus, & tribunis plebis dicimus, quorum idem jus fuisse accepimus.

CAP. XV.

De postulatione, & datione bonorum possessionis.

ADHÆC vero qui voluerunt, a prætore quoque bonorum possessionem postularunt, prætorque pro arbitrio dedit. Unde scripsit idem Ulpianus eodem in loco, *Jusdicentem bonorum possessionem dare potuisse*. item : *Mistum imperium est, cui etiam jurisdictio inest, quod in danda bonorum possessione consistit*. Ceterum bonorum possessio fuit, ut diximus, jus persequendi, retinendive patrimonii, sive rei, quæ cujusque, cum mortuus est, fuit. quod prætor aut emendandi, aut impugnandi, aut confirmandi juris civilis gratia dedit. Ut enim lex XII. tabularum ex testamento, vel ab intestato ad hereditatem vocavit, sic prætor bonorum possessiones invenit, per quas jus civile correxit, non solum in iis, qui intestati mortui essent, sed etiam qui testamentum fecissent. Nam si quis moriens alienum posthumum heredem scripsisset, is si natus fuisset, a jure civili rejiciebatur ; at a prætore bonorum possessione secundum tabulas decorabatur. Si libertus patronum præteriisset, lex nullum dabat patrono aditum ad bona liberti ; at prætor dabat bonorum possessionem contra tabulas. Item si quis ex testamento heres institutus esset, non solum a jure civili habebat hereditatem, sed etiam a prætore bonorum possessionem secundum tabulas. Neque vero solum has duas bonorum possessiones prætor dedit ex testamento, sed etiam octo alias ab intestato, partim jus civile confirmans, partim emendans, partim reprehendens. Sunt autem hæ. primo suis heredibus, id est, liberis tum emancipatis, tum suis ab intestato ; secundo legitimis heredibus, nempe agnatis ab intestato ex lege XII. tabularum ; tertio decem personis, quæ manumissori extraneo præferrentur, nimirum filio, filiæ, fratri, sorori, nepoti, nepti, patri, matri, avo, aviæ ; quarto cognatis proximis ; quinto iis, qui ex familia, nempe liberti liberis tam naturalibus, quam adoptivis, itemque uxori, quæ ipsius in manum convenerat ; sexto liberto, patrono, patroni liberis, parentibusque eorum ; septimo viro intestata uxore, & vicissim uxori viro intestato, quoties deficiebat omnis parentum, liberorumve, seu propinquorum legitima, vel naturalis successio ; octavo patroni cognatis intestato liberto. Atque hæc quidem prætor omnino fecit, prout se facturum in edicto proposuit. Hinc Valerius libro VII. *Piso prætor urbanus Terentio patri exheredato bonorum defuncti filii possessionem dedit, heredesque lege agere passus non est*.

CAP. XVI.

De postulatione interdicti, & interdicti interpositione.

QUIN etiam ut postulatio Interdicti ad legis actionem pertinuit, sic interpositio interdicti ad jurisdictionem. Interdicta vero, ut inquit Justinianus, fuerunt formulæ, atque conceptiones verborum, quibus prætor aut jubebat aliquid fieri, aut prohibebat. quod tunc maxime faciebat, cum de possessione, aut quasi possessione inter aliquos contendebatur. Erat autem possessio rei corpore præditæ, ut domus ; quasi possessio rei corpore vacantis, ut ususfructus. Ex quibus verbis apparet, interdicta fuisse decreta prætorum de iis rebus, quas judicum cognitioni committendas non putarunt, sed sibi ipsis pro imperio reservarunt. Cum enim dictum sit, res alias sacras, & religiosas, alias publicas, alias privatas fuisse, reliquas actiones, quæ de his incidere poterant, cognoscendas judicibus tradiderunt. quæ vero de vi vel facta, vel quæ fieri in his posset, incidissent, quatenus ad possessionem ferme pertinerent, ipsi decreverunt. Decretum autem illud vocatum est præcipuo nomine interdictum. Itaque decreta, quæ de aliis rebus interposita sunt, arbitrio eorum permissa ; hæc vero, quæ interdicta vocata sunt, propriis formulis sunt concepta ; & ut concepta erant, in edictum relata ; & deinde ex edicto, prout res poposcit, pro tribunali pronunciata. Itaque Interdictum fuit actionis, sive judicii quasi principium. Nam, ut scribit Cajus D. de vindicatione, *is qui destinavit rem petere, animadvertere debuit, an aliquo interdicto posset nancisci possessionem. quia longe commodius est, ipsum possidere, & adversarium ad onus petitoris compellere, quam alio possidente petere*. Itaque inter ceteras legis actiones recte reponitur etiam Interdicere. quod est non tam interdictum interponere, quod est prætoris, quam interdictum postulare, sive interdicto contendere, quod est litigatoris, ut Fabius scripsit lib. III. *Non debuisti interdicere, sed petere ; an recte interdictum sit, ambigitur*. id est, non debuisti interdicto uti, sed actione. an recte interdicto actum sit, ambigitur. Interdictum autem dabat prætor, cum mittebat in possessionem. Mittere autem in possessionem, fuisse a danda bonorum possessione diversum, & tamen partem jurisdictionis fuisse, declarat Ulpianus, cum inquit, *jus dicentem & bonorum possessionem dedisse, & in possessionem misisse*.

Ceterum interdicta, quæ ad sacras, & publicas res pertinuerunt, aut fieri aliquid prohibuerunt, aut restitui, aut exhiberi jusserunt. quæ ad privatas, aut de adipiscenda possessione, aut de retinenda, aut de recuperanda fuerunt. De locis sacris, & religiosis ita interdictum est : *Quo, quave illi mortuum inferre invito te jus est, quominus illi eo, eave mortuum inferre, & ibi sepelire liceat, vim fieri veto*.

Quo illi jus est te invito mortuum inferre, quominus illi in eo loco sepulchrum sine dolo malo ædificare liceat, vim fieri veto. de liberis personis ita: *Quem liberum dolo malo retines, exhibeas jubeo. Qui quæve in potestate tua est, si is, eave apud te est, dolove malo tuo factum est, quominus apud te esset, ita eum, eamve exhiberi jubeo. Si Stichus in potestate tua est, quominus Mævius eum ducere liceat, vim fieri veto*. De locis publicis: *Nequid in loco publico facias, inve eum locum immittas, qua ex re quid illis damni detur, præterquam quod lege, S.C. edicto, decretove tibi concessum est. de eo quod factum erit, interdictum non dabo. Quo minus illi viam publicam, iterve publicum aperire, reficere liceat, dum ne ea via, idve iter deterius fiat, vim fieri veto. Nequid in flumine publico, ripave ejus facias, nequid in flumine publico, ripave ejus immittas, quo statio, iterve navigio deterior sit fiat*. Interdictum de adipiscenda possessione dabatur ei, cui bonorum possessio a prætore decreta erat, in hunc modum: *Quod bonorum ex edicto meo illi possessio data est, quod de his bonis pro herede, aut pro possessore possides, possideresve, si nihil usucaptum esset, quandoquidem dolo malo fecisti, uti desineres possidere, id illi restituas*. Ceterum pro herede possidebat, qui putabat, se heredem esse, atque eo animo possidebat: pro possessore, qui nullo jure rem hereditariam, vel etiam totam hereditatem sciens ad se non pertinere possideret. Erat autem utile hoc interdictum ei, qui tum primum conaretur adipisci rei possessionem. Itaque si adeptus amisisset, hoc nihil juvabatur. Retinendæ possessionis interdicta fuere duo, quæ tum usurpabantur, cum inter eos, qui de proprietate litigare volebant, non conveniebat, uter possideret. unum ad res immobiles pertinuit; alterum ad mobiles. primum fuit: *Uti eas ædes, quibus de agitur, nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero possidetis, quominus ita possideatis, vim fieri veto*. Hoc vincebat, qui interdicti tempore possidebat, si modo nec vi, nec clam, nec precario nactus erat ab adversario possessionem. Secundum: *Utrubi hic homo, quo de agitur, majore parte hujus anni fuit, quo minus eum ducas, vim fieri veto*. Hoc vincebat, qui majore parte anni sine vitio possederat. Interdictum recuperandæ possessionis reddebatur eis, qui vi dejecti essent de possessione fundi, vel ædium. neque enim dejectio est de rebus mobilibus, cum in eas actio sit vel furti, vel vi bonorum raptorum. Vis autem duplex fuit, vera, & simulata. Vera item duplex, armata, & sine armis. Interdictum de vi armata fuit: *Unde tu illum vi dejecisti, eo illum restituas jubeo*. Sine armis: *Unde tu vi illum dejecisti, cum abs te nec vi, nec clam, nec precario possideret, eo illum restituas, jubeo*. Simulata veram est imitata. eadem civilis, & quotidiana dicta, ut post dicemus. Jam vero interdictorum alia simplicia fuerunt, alia duplicia. Simplicia, in quibus alter actor, alter reus est, qualia fuerunt omnia restitutoria, aut exhibitoria. nam actor is est, qui desiderat aut exhiberi, aut restitui; reus autem is, a quo desideratur, ut restituat, aut exhibeat. Prohibitoria alia simplicia erant, alia duplicia. simplicia, veluti cum prætor prohibebat in loco sacro, vel in flumine publico, ripave ejus aliquid fieri. nam actor est, qui desiderat, ne quid fiat; reus, qui aliquid facere conatur. duplicia, veluti Uti possidetis, & Utrubi. ideo vero duplicia vocabantur, quia par utriusque litigatoris in his conditio est, nec quisquam præcipue reus, vel actor intelligitur, sed uterque tam rei, quam actoris partes sustinet. Usus autem interdictorum antiquus, cum ordinaria judicia essent, fuit, ut primum de possessione ageretur, & ad interdictum confugeretur, deinde dominii actio institueretur. Hæc ferme Justinianus in Institutionibus.

CAP. XVII.

De Actionibus.

Ex omnibus Legis actionis partibus extrema fuit actio, sive judicium, quæ ut ab actore postulabantur, sic a prætore dabantur. Verum quemadmodum actionis dationem præcedit postulatio, sic postulationem editio, editionem in jus vocatio. De quibus singulis dicam, si prius, quid sit actio, & quotuplex, dixero. Actionem definivit Justinianus *jus persequendi in judicio, quod sibi debetur*, id est, potestatem impetratam a prætore repetendæ rei, quæ sibi debetur, apud judices. Egregie illud quidem, ita tamen si intelligatur, non jus solum persequendi sed etiam ipsam persequutionem, Actionem appellari. Harum vero Actionum Justinianus, a quo hæc sumpsimus, septem veterum attulit divisiones, quibus incognitis antiqua judiciorum consuetudo cognosci non potest.

PRIMA DIVISIO. Actionum aliæ in rem intentæ sunt, aliæ in personam, aliæ in utrumque. In rem, cum egerunt cum eis, qui nullo sibi jure obligati erant, sed eis de aliqua re intulere litem. Ut in re corpus habente, si Titius servum, fundumve aliquem suum esse affirmasset, Marcus autem possessor dominum ejus se esse dixisset. Quod idem de rebus corpore carentibus intelligendum est, ut usufructu, & servitute prædiorum. In personam, cum egerunt cum eis, qui sibi obligati erant, vel ex contractu, vel ex maleficio, atque intenderunt, eos dare, facere sibi oportere. Ut si Titius empta aut locata domo dixisset, Marcum sibi dare, facere oportere quidquid empti, locative nomine dare, facere oporteret, aut alios contractus, & maleficia nominasset. In personam autem est dicta, quia non certam rem repetiverunt, neque enim dixerunt rem illam, aut illam sibi dari oportere, sed quidquid contractus alicujus nomine eum dare, facere oporteret, parum, unde nam ille satisfaceret, laborantes. Quorum verborum *dare* quidem ad dominii translationem contulerunt, *facere* vero ad simplex factum, ut navis ædificationem, ac traditionem. & utrumque quidem ad contractus; *dare* vero tantum ad maleficia accommodarunt. In utrumque autem intentæ sunt, quibus & rem certam petierunt, & præstationes personales ab adversario postularunt. Eæ vero fuerunt tres: Familiæ erciscundæ, communi dividundo, finium regundorum. Familiæ erciscundæ fuit, quæ inter coheredes hereditatis dividendæ caussa dabatur. neque enim solum postulabatur, ut hereditas divideretur, sed etiam ut, quod eo nomine alterum alteri dare facere oporteret, præstaretur. Communi dividundo fuit, quæ inter eos reddebatur, qui rem, quam ex alia, atque hereditatis caussa, communem haberent, dividi, simulque, quod alterum alteri præstari oporteret, dari fieri postulabant. Finium regundorum fuit, quæ inter confines dabatur, & ut fines agrorum vicinorum dirigerentur, & si quid alter ex alterius agro percepisset, restitueretur. Ex his actionibus primæ Vindicationes, secundæ Condictiones, tertiæ mistæ sunt appellatæ. Vindicatio dicta videtur a vi simulata, quam verbis petitor possessori dicis caussa faciebat, ut paulo post apparebit. Condictio vero ex eo, quia condicere erat diem, locumque communi consensu indicere, quo in judicium litigatores venirent. quod etiam si in Vindicatione quoque fiebat, tamen quia in rem actio proprium sibi nomen Vindicationis asciverat, in hac communi nomine Condictionis usi sunt. Mistarum nomen est notum.

SECUNDA DIVISIO. Actiones aliæ legitimæ dictæ, aliæ honorariæ. Legitimæ, quæ a legibus XII. tabularum proditæ sunt. Honorariæ, quæ a prætoribus in edictis propositæ sunt, ut legi deficienti

opem ferrent. Legitimæ fuere, quæ in rem, & in personam, & in utrumque sunt nominatæ. Prætoriæ quædam aliæ, quæ a nominibus prætorum appellantur, Publiciana, Paulina, Serviana, imperatoribus rerum potientibus, ut creditur, constitutæ, & quidem rem & ipsæ, personamque complexæ, quæ ex Institutionibus Justiniani peti possunt.

TERTIA DIVISIO. Actiones aliæ persequendæ rei caussa sunt institutæ, aliæ pœnæ, aliæ utriusque. Persequendæ rei fuere omnes in rem, & omnes in personam ex contractu natæ, ut ex mutuo, stipulatu, empto, vendito, locato, conducto, pro socio, fiduciæ, mandati, commodati, depositi. item quædam ex maleficiis, ut furtiva condictio, quæ una est ex prætoriis, quæ ex delicto nascuntur. Pœnæ, ut actio furti. sive enim de manifesto quadrupli ageretur, sive de nec manifesto dupli, de sola pœna agebatur. nam ipsam rem aut vindicatione, aut furtiva condictione dominus rei persequebatur. Item in actione injuriæ. Mistæ, quæ simul & rem, & personam persequebantur. ut actio vi bonorum raptorum, quæ rem raptam simul cum pœna tripli persequebatur. & actio damni injuria dati lege Aquilia, non solum si adversus inficiantem daretur, sed etiam, si quanti plurimi æstimatio peteretur.

QUARTA DIVISIO. Actiones aliæ in simplum conceptæ sunt, aliæ in duplum, aliæ in triplum, aliæ in quadruplum. In simplum, ex stipulatu, mutuo, empto, locato, vendito, conducto, mandato, & aliis. In duplum furti nec manifesti, damni injuria, depositi ex quibusdam caussis, servi corrupti. In triplum rapinæ. In quadruplum, furti manifesti, de eo, quod metus caussa, de pecunia data ad calumniandum. Actio vero damni injuria in inficiantem dabatur in duplum; in confitentem, in simplum.

QUINTA DIVISIO. Actionum aliis solidum, id est, totum id, quod debebatur, exigebatur, aliis pars sola. Ejusmodi fuit actio de peculio filii, de dote, quæ mulieri divortio facto ad dotem exigendam adversus maritum dabatur; item actiones, quæ adversus parentem, patronum, socium, & eum, qui quid donavit, concedebantur. nam omnes in id tantum, quod facere possent, damnabantur. item actio in debitorem, qui bonis cessisset, & postea mediocres fortunas adeptus esset.

SEXTA DIVISIO. Actiones quædam natæ sunt ex contractibus, & maleficiis dominorum, & patrum familias; quædam ex contractibus, & maleficiis servorum, & filiorum familias. De primis dictum est. De reliquis nunc dicendum. Ex contractibus servorum hoc modo. Servi aut consensu dominorum negotiati sunt, aut sine consensu eorum. si consensu, actiones quattuor emanarunt: Quod jussu, Exercitoria, Institoria, Tributoria. Quod jussu data est in eum, cujus servus cum aliquo jussu ipsius contraxit. Nam qui cum servo jussu domini contrahebat, non servi, sed ipsius domini sequi fidem videbatur. Exercitoria dabatur in exercitorem, qui servum navi præposuisset, de eo, quod cum eo servo illius rei caussa gestum fuisset. Exercitor autem erat, ad quem quotidianus navis quæstus redibat. Servus autem, quem navi præficiebat, magister dicebatur. Institoria dabatur in eum, qui servum institorem tabernæ præfecerat, de eo, quod cum eo servo ejus rei caussa gestum esset. Erat autem institor, qui alicui negotiationi præficiebatur. Tributoria dabatur in dominum, quo sciente una cum servo in merce peculiari contractum erat, nisi res æquabiliter inter creditores partitus esset, nimirum ut alia tributio fiat. Merx peculiaris erat, in qua servus suo nomine domini consensu ita negotiabatur, ut ejus quæstus ad ipsum pertineret. Sin autem sine consensu negotiati sunt, actiones duæ prodierunt,

A de in rem verso, & de peculio. Actio de in rem verso dabatur in dominum, sine cujus voluntate servus contraxit. ut quod in rem domini versum est, solidum præstet, reliquum ex peculii juribus dissolvat. In rem domini versum dicebatur, quodcunque domini facultates aliqua ex parte amplificarat, dum modo necessarius sumptus ille fuisset. Actio de peculio dabatur adversus dominum ex servi contractu, quatenus in peculio erat. In peculio id esse dicebatur, quod deductis iis, quæ domino familiæve debebantur, superaret. Eadem vero patrum & filiorum familias ratio fuit, atque dominorum, & servorum. Ex maleficiis porro servorum Noxales

B actiones natæ sunt, dictæ, quia delicta eorum Noxæ vocatæ. Noxalis autem actionis natura fuit, ut dominus ea damnatus vel litis æstimationem persolveret, vel si vellet, servum ipsum noxæ dederet. Servo autem noxæ dedito, dominium statim ab ipso domino in actorem transferebatur. Quod si post admissam noxam dominus mutaretur, noxa in novum dominum dabatur; si servus manumitteretur, in ipsum servum. Quod idem de noxis etiam filiorum familias est intelligendum. Quin etiam noxalis actio fuit de pauperie, id est, de damno dato a quadrupede. In his si damnum a quadrupede man-

C sueta erat, ut equo calcitroso, & bove cornupeta, noxalis actio dabatur lege XII. tabularum; si a fera, edicto ædilium cautum erat, ut ob vulnus homini libero illatum actio in bonum, & æquum daretur, ob cetera damna in duplum.

SEPTIMA DIVISIO. Actiones aliæ stricti juris fuerunt, aliæ bonæ fidei, aliæ arbitrariæ. Bonæ fidei, in quibus libera potestas permittebatur judici ex æquo, & bono æstimandi, quantum actori restitui oporteret. in quo & illud continebatur, ut si quid invicem præstare actorem oporteret, eo compensato in reliquum is, quo cum agebatur, con-

D demnaretur. Hæ vero fuerunt, empti, venditi, locati, conducti, mandati, fiduciæ, pro socio, negotiorum gestorum, tutelæ, familiæ erciscundæ, communi dividundo, depositi, commodati, pignoraticia, præscriptis verbis, tam quæ de æstimato, quam quæ de permutatione competebat, & rei uxoriæ actio: Arbitrariæ, quæ ex arbitrio judicis pendebant, in quibus nisi arbitrio judicis, is quo cum agebatur, actori satisfaceret, veluti rem restitueret, vel exhiberet, vel solveret, vel noxali caussa servum dederet, condemnabatur. & fuerunt tam in rem, quam in personam. In rem *quædam prætoriæ:* in personam: *Quod metus caussa; Quod do-*

E *lo malo factum; Cum id, quod certo loco promissum erat*, *petebatur*, & *Actio ad exhibendum*. In his enim omnibus permissum erat judici ex æquo, & bono secundum cujusque rei, de qua agebatur, naturam æstimare, quemadmodum actori satisfieri oporteret. Præter has reliquæ stricti juris dictæ.

HÆ fere antiquæ actiones fuere. Ex quibus qui jus sum persequi judicio voluerunt, aliquam necessario arripuerunt, eamque a prætore postularunt. Quoniam autem actio jus erat persequendi in judicio quod sibi debebatur, qui actionem postulavit, nihil aliud postulavit, quam jus persequendi in judicio quod sibi deberetur, aut quod suum esset. Id

F autem erat, judicium, aut judicem in eam rem, de qua lis erat, postulare, ut re cognita, & judicata jus uterque suum adipisceretur. Judicem autem dare præcipuum fuit jus dicentis officium. Unde scripsit Ulpianus: *Jus dicentis officium latissimum est. nam & bonorum possessionem dare potest, & in possessionem mittere, pupillis non habentibus tutores constituere, judices litigantibus dare*. & alio loco: *Jurisdictio est etiam judicis dandi licentia*. id est, qui jus dicit præter superiora jura etiam judices dandi jus habet. Hinc illa sunt prope translatitia in edictis prætorum: *De ea re judicium dabo, De ea re*

judicium non dabo. Cognitis actionibus deinceps, A ut proposuimus, dicamus de vocatione in jus, quæ editionem, & postulationem actionis præcessit.

CAP. XVIII.

De in jus vocatione.

Qui vero petere in animo habebat, aut alia ratione alicui litem, sive actionem intendere, antequam in jus adiret, per amicos intra parietes, quid proficere posset, experiebatur. Hujus rei auctor est Livius libro quarto: *Cum res peragi intra parietes nequivisset, ventum in jus est*. B & Cicero pro Quinctio: *Non ne si quid in controversiam veniret, aut intra parietes, aut summo jure experiretur?* & pro Cæcina: *Ea judicia, quæ distrahendarum controversiarum caussa reperta sunt, persæpe disceptatore domestico disceptantur*. Ubi vero res ita convenire non poterat, tum die postulationum petitor eum unde petebatur, in jus vocabat. Erat autem in jus vocare, ut Paulus definit, *in jus experiundi caussa vocare*. Non omnes tamen vocari poterant. Indicat edictum prætoris: *Parentem, patronum, patronam, liberos, parentesque patroni, & patronæ, in jus sine meo permissu ne quis vocet*. C Item: *Magistratus, pontifex, dum sacra facit, & qui uxorem ducunt, in jus vocari non possunt*. Vocabat autem hoc modo. Qui petebat, eum, unde petebatur, conveniebat, atque, ut se in jus sequeretur, admonebat. Si is sequi noluisset, eum in jus educebat, sive rapiebat. verum ne injuriam facere videretur, ante aliquem ejus actionis testem faciebat. capta scilicet hominis forte intervenientis, aut præsentis auricula rogabat eum his verbis: *Licet ne antestari?* id est, possum ne testem sumere? si respondebat, *Licet*, tum adversarium frustrantem, aut fugientem injecta manu ad prætorem trahebat, atque hoc faciebat auctoritate XII. tabularum. D Sic enim in iis erat: *Si in jus vocet, atque eat. Ni statim eat, encapito antestari. Si calvitur, pedemve struit, manum endo jacito*. Fragmenta hujus legis sunt apud Ciceronem in primo de legibus, apud Gellium libro X. & apud Porphyrionem, & Acronem, & Festum. In qua lege *atque eat*, significat statim eat. quia Gellius scribit: *Jubet lex, civem in jus vocatum illico nulla interposita mora vocantem sequi*. *Calvitur* autem est, frustratur. *Pedem struit*, aut retrorsus it, aut fugit, aut gradum auget, aut minuit. *Manum endo jacito*, est manum injicito, & per vim in jus rapito, ut exponit Festus, & alii. E Hanc autem consuetudinem expressit Plautus in Persa his verbis: *Age ambula in jus leno*. D. *Quid me in jus vocas?* S. *Illic dicam apud prætorem. Sed ego in jus voco*. D. *Non ne antestaris?* S. *Tua ne ego caussa carnifex cuiquam mortali libero aureis atteram?* & Horatius in Satyra IX.

– – – – – casu venit obvius illi
Adversarius, & Quo tu, turpissime? magna
Exclamat voce, & Licet antestari? ego vero
Oppono auriculam. rapit in jus.

Idem Acro, & Porphyrio hunc locum exponentes. F Hinc Livius libro III. *Marcus Virginiæ venienti in forum manum injecit. sequi se jubebat. vocabat in jus auctoribus, qui aderant, ut sequeretur*. Et Plinius in Panegyrico ad Trajanum: *Dicitur procuratori tuo: In jus veni, sequere ad tribunal*. Unde & in Edicto erat: *Qui retanda flumina publice habent, si quis eorum ad me eductus fuerit*. & Varro apud Gellium libro XIII. *M. Lævinus ædilis curulis a privato ad prætorem in jus eductus est*.

Neminem vero de domo sua in jus vocari licuisse, partim ex oratione pro domo, & pro Vatinio cognoscitur, partim etiam Cajus annotavit ad legem XII. tabularum, D. de in Jus vocando. *Plerique*, inquit, *putaverunt, nullum de domo sua in jus vocari licere, quia domus tutissimum cuique refugium, ac receptaculum sit, eumque qui inde in jus vocaret, vim videri inferre*. & Paulus: *Etsi qui domi est, interdum vocari in jus potest, tamen de domo sua nemo extrahi debet*.

Quod si ille, qui vocabatur, imbecilla valetudine esset, tum qui vocabat, jumentum, currumve dare cogebatur a lege in hunc modum loquente: *Si in jus vocato morbus, ævitasque vitium esset, qui in jus vocabit, jumentum dato; si nolet, arceram ne sternito*. Quæ verba exponens Gellius libro XX. inquit, *morbum* in hac lege non febriculosum, atque nimium gravem intelligi, sed vitium aliquod imbecillitatis, atque invalentiæ. *jumentum* porro significare non id solum, quod tum dicebatur, sed vectabulum etiam, quod adjunctis pecorib. trahebatur. *Arceram* autem vocatum plaustrum tectum undique & munitum, quasi arca quædam vestimentis instrata, qua nimis ægri, aut senes portari cubantes solebant. Hac de caussa in Rhetoricis ad Herennium scriptum est: *Ut major annis sexaginta, & cui morbus caussa esset, cognitorem daret*.

Quod si is, unde petebatur, latitaret ita, ut nullam secum agendi potestatem faceret, cum de domo extrahi non posset, actor prætoris auxilium implorabat, atque reum evocari jubebat edicto. Edictum vero ad ipsius latitantis ædes ponebatur cum solemni vicinorum testatione. Si autem evocationi primæ non pareret, neque defenderetur, prætor secundam decernens, in bona petitorem mittebat, & nisi evocatione tertia ad sui defensionem venisset, altero decreto bona ejus possideri, proscribi, ac distrahi jubebat. Itaque in Edicto prætorio erat: *Qui fraudationis caussa latitaverit, si boni viri arbitratu non defendetur, ejus bona possidere, vendique jubebo*. Venditio tamen non statim fiebat, sed postquam bona per triginta dies possessa essent, tum vero iterum qui se creditores esse dicebant, si plures essent, prætorem adibant, petebantque, ut sibi liceret unum ex corpore suo constituere, qui debitoris bona auctioni subjiceret. is constitutus dicebatur magister. & post id temporis proscriptio fiebat in celeberrimis totius urbis locis, ita: Ille debitor noster in ejusmodi caussa est, ut bona ejus divendi debeant. nos creditores patrimonium ejus distrahimus. quicunque emere volet, adesto. Inde post aliquot dies, tertium jam prætorem adibant, postulantes, ut sibi liceret, legem bonorum venditorum facere, atque inde ita proscribebant: Hæc quicunque emerit, creditoribus in dimidiam partem eorum, quæ ipsis debentur, respondere debet, sic ut cui aurei centum debentur, accipiat quinquaginta. Et certo tempore elapso emptori patrimonium addicebatur. Et vocabatur is, qui emerat, bonorum emptor, actionesque omnes a debitore in bonorum emptorem transferebantur, & conveniebatur non aliter, ac bonorum possessor. siquidem uterque successor prætorius erat. Hæc latissime Theophilus in tertio Institutionum, brevius Cicero in Quinctiana. Atque hæc quidem in XII. Edictum inde prætoris legem correxisse videtur, & cavisse, ut si quis in jus sequi nollet, satisdaret, fore, ut se in jure sisteret. Unde titulus est in Pandectis ex Edicto sumptus: *In jus vocatus aut eat, aut satisdet*.

CAP. XIX.

De editione actionis.

Ubi vero vocatus in jus venerat, actor impetrata loquendi potestate actionem ei edebat, qua adversus eum uti volebat. Erat enim ita compara-

paratum, ut qui peteret, non unam, sed multas actiones haberet, id est, multis modis jus suum persequi posset. Hoc multis verbis docet Cicero pro Cæcina dicens: *Si quis domum rediens ab armatis hominibus primo aditu, vestibuloque ædium suarum prohibitus sit, eum non solum injuriarum, sed etiam de vi litem intendere posse*. Scribit enim Theophilus Institutionum libro IV. dominum occisi servi & privato judicio agere posse ex lege Aquilia, & damnum sibi illatum persequi, & publici criminis reum facere ex lege Cornelia de sicariis. In iisdem etiam Institutionibus docet Justinianus, in furem triplicem actionem intendi potuisse, Vindicationis, Furtivæ condictionis, & Pœnæ. Possumus etiam addere, si quid per vim alteri sit ablatum, in eum, qui abstulerit, multas actiones futuras; Rapinæ, Damni, Injuriæ. Cum igitur ita esset, actor ex multis actionibus aliquam eligebat. *Non enim*, ut inquit ibi Cicero, *prætor, qui judicia dat, petitori præstituit, qua actione illum uti velit, sed actor ipse deligit*. Quam vero elegerat, eam in jus vocato reo edebat, prout ille significavit apud Plautum: *D. Cur me in jus vocas? S. Illic dicam apud prætorem*, itemque instrumenta, & rationes & omnino omnia, quæ ad judicem editurus esset. Hoc scripsit Ulpianus D. de edendo. *Qua quisque*, inquit, *ratione agere volet, eam edere debet. nam æquissimum videtur, eum, qui acturus est, edere actionem, ut proinde sciat reus, utrum cedere, an contendere ultra debeat, & si contendendum putat, veniat instructus ad agendum cognita actione, qua conveniatur. Edere est etiam copiam describendi facere, vel in libello complecti, & dare, vel dictare. Eum quoque edere Labeo ait, qui producat adversarium suum ad album, & demonstret, quod dictaturus est, vel id dicendo, quo uti velit. Editiones sine die & consule fieri debent, ne quid excogitetur e die & consule, & prælato die fiat. Diem autem, & consulem excepit prætor, quo instrumentum conscriptum est, non in quem solutio concepta est. nam dies solutionis, sicuti summa, pars est stipulationis*. In eodem etiam titulo de edendis rationibus, aliisque rebus ad actionem pertinentibus scriptum est, quæ, quia sunt in promptu, huc transferre non libet. Hujus editionis mentio est in Verrem quarta: *Apronius in jure apud Verrem prætorem Agyrinensibus in jus vocatis dixit, eos contra edictum prætoris fecisse: illi quæsiverunt, quid? ille respondit, se ad recuperatores dicturum. quæsiverunt rursus, Quæ in verba Verres daret recuperatores? Verres respondit: Si paret, adversus edictum fecisse, quæ in judicio dicturum esse dicebat Apronius*. Ea verba iniqua fuisse inquit Cicero. *Nam quantum Apronius dixisset deberi, tantum ex edicto dandum fuisse*.

CAP. XX.

De postulatione actionis sive judicii.

EDITA inde actione, qua usurus erat, actor postulabat eam a prætore, id est, petebat, ut sibi in adversarium liceret intendere. Hoc voluit Ulpianus D. de edendo, cum scripsit: *Postulare est desiderium suum in jure apud eum, qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. Prætor autem quosdam in totum prohibuit postulare; quibusdam pro se permisit; quibusdam & pro se, & pro certis personis. prohibuit infames; procuratores autem, & defensores, ut qui aliena negotia mandato domini administrarent, & actionem intendere, & suscipere passus est*. Itaque in edicto hæc erant: *Cujus nomine quis actionem sibi dari postulaverit, is eum boni viri arbitratu defendat*. Item: *Procuratorem ad litem suscipiendam datum, pro quo consentiente judicatum solvi dominus exposuit, judicium cogam accipere*. Item: *Qui lege, plebiscito, senatusconsulto, edicto, decreto nisi pro certis personis postulare prohibentur, hi pro alio, quam pro quo licebit, in jure apud me ne postulent, nempe parente, patrono, patrona, liberis, parentibusque patroni, & patronæ, liberis suis, fratre, sorore, uxore, socero, genero, nuru, vitrico, noverca, privigno, privigna, pupillo, pupilla, furioso, furiosa, fatuo, fatua*. Neque vero solum actor actionem postulavit, sed reus advocatum. Unde in eodem edicto fuit: *Si non habebunt advocatum, ego dabo*. Fuit autem advocatus, teste Asconio, Jurisconsultus, qui patrono jus suggessit, aut reo præsentiam suam commodavit.

Actione inde adversario edita, eaque a prætore post postulationem impetrata, tum actor certa verborum concepta formula vadabatur reum; id est, vades, sive sponsores petebat, fore, ut certo die, is plerumque perendinus erat, se in jure sisteret. Vas autem, teste Varrone, fuit, qui pro altero vadimonium promisit. Pro Quinctio: *Vadari vis, promittit*. Quamobrem, quæ ratio vadandi, & vadimonii fuerit, est agendum. In primis igitur de quocunque sponsore in universum illud erat scriptum in Lege: *Assiduo vindex assiduus esto. proletario civi cuicunque volet, vindex esto*. Ubi Gellius libro XVI. *assiduum* locupletem interpretatur. Nam *proletarius* erat, qui non amplius, quam mille quingentum æris in censum deferebat. *Vindex* autem pro sponsore erat positus. In edicto vero ita scriptum erat: *Si quis parentem, patronum, patronam liberos, aut parentes patronæ, liberosve suos, eumque, quem in potestate habebit, vel uxorem, vel nurum in judicium vocabit, qualiscunque fidejussor accipiatur, judicio sistendi caussa*. Vadimonium porro adhibito Jurisconsulto concipiebatur. Cicero ad fratrem: *Negat Cæsar, in tanta multitudine eorum, qui una essent, quenquam fuisse, qui vadimonium concipere posset*. Ut autem qui provocabat, vadari, sic qui provocabatur, vadimonium promittere dicebatur. Livius libro tricesimo tertio: *Prætores, quorum jurisdictio erat, tribunalia ad Piscinam publicam posuerunt, eoque vadimonia fieri jusserunt*. Plautus in Aulularia: *Homo ad prætorem plorabundus devenit. Ibi infit postulare plorans, ejulans, ut liceret Milvium vadarier*. Gellius libro septimo: *Rogavit quidam Scipionem de more, in quem diem, locumque vadimonium promitti juberet. Tum Scipio, Perendie, inquit, se sistant in illo loco*. Concepto inde vadimonio, & sponsoribus acceptis e jure discedebatur. Accidit autem, & quidem sæpe, ut prætores deinde ex voluntate litigatorum vadimonia in alios dies perendinos differrent. ostendit hoc Livius epitoma libri octuagesimi sexti: *Sylla ex fiducia jam certæ victoriæ litigatores, a quibus adibatur, vadimonium Romam differre jussit*. Cicero ad Atticum libro secundo: *Hominem ire cupiebam, non mehercule ut differrem cum illo vadimonium. nam mira sum alacritate ad litigandum*: & pro Quinctio: *Qui quo tempore rem male agere cœpit, differendis vadimoniis tempus omne consumpsit*. Juvenalis Satyra tertia: *Differt vadimonia prætor*.

Interea vero dum res in vadimonio fuit, reus cognita actione, aut actor sine judicio cessit, aut se ad contendendum paravit. Si cessit, rem aut pacto, aut transactione composuit. Auctor est Ulpianus D. de transactionibus: *Qui transigebat, inquit, de re dubia, atque incerta, neque finita transigebat. qui paciscebatur, donationis caussa rem certam, & indubitatam liberalitate remittebat*. Hinc Cicero pro Q. Roscio. *Cum de sua parte Roscius transegit cum Flavio, actionem sibi suam reliquit, an non?* & in Verrem III. *Cum Rabirio tutore, quod erat vix sester-*

tium sexaginta millium, transigunt sestertium ducentis millibus. Hinc erat in Edicto: *Pacta conventa, quæ neque dolo malo, neque adversus leges, plebiscita, senatusconsulta, edicta, decreta principum, neque quo fraus eorum cuiquam fiat, facta erunt, servabo*. Quod ad omnes pactiones, transactionesque traductum est.

CAP. XXI.

De intentione actionis, sive litis.

TERTIO inde die, qui dies cognitionibus erat dicatus, & comperendinus appellabatur, prætor actiones editas ac postulatas ex tabulis ordine recitari, atque actores, reosque citari per accensum jubebat, ut judicia actionibus eorum cognoscendis daret. Quorum illud Macrobius vocavit, *dicere vadimonia*, hoc *addicere judicia*, cum scripsit: *Comperendini dies fuerunt, quibus vadimonia dicere, & judicia addicere licebat*. Si vero litigatores ad vadimonium die constituto non occurrissent, litem amittebant. Suetonius in Caligula: *Comprehendit meritoria vehicula, adeo ut litigatorum plerique, quod occurrere absentes ad vadimonium non possent, caussa caderent*. & Horatius:

Ventum erat ad Vestæ, ------
------- *& casu tunc respondere vadato*
Debebat, quod ni fecisset, perdere litem.

Præcipue vero reus, si vadimonium deseruisset, quod promiserat, perdebat litem, quia prætor postulante actore, ex edicto bona ejus possideri jubebat, & si triginta dies possessa essent, neque ille se defendisset, vendi jubebat eo modo, quo supra demonstratum est. In Edicto enim sic scripserat: *In bona ejus qui judicii caussa fidejussores dederit, si neque potestatem sui faciat, neque defendatur, iri jubebo*. Scribit etiam Cicero, cum Quinctius vadimonium missum fecisset, prætorem ex edicto bona ejus possideri jussisse.

Si autem uterque occurrisset, tum se stitisse dicebantur. Cicero: *Testificantur isti, Quintium non stitisse, se stitisse*. Ac tum prior reus ita agebat: *Ubi tu es, qui me vadatus es? ubi tu es, qui me citasti? ecce me tibi sisto, tu contra & te mihi siste*. procedente autem actore rogabat, *Quid ais*? respondebat actor, *Ajo*, exempli gratia, *fundum, quem possides, meum esse; Ajo te mihi dare, facere oportere*, prout natura actionis postulabat, quam ille intendere volebat. Docet hoc Plautus in Curculione, ubi ita est: *Ubi tu es, qui me convadatus Veneriis vadimoniis? Ubi tu es, qui me libello Venerio citasti? Ecce me. Sisto ego tibi me, & te mihi contra ut sistas, suadeo*. Reliqua vero liquent ex solemni formula intentionis: *Ajo te*. Neque enim intendens dixisset, *Ajo te*, nisi rogatus esset, *Quid ais*? Ceterum responsio actoris ipsam complexa est intentionem actionis. Singulæ autem actionum intentiones propriis formulis inclusæ fuerunt. quæ a pontificibus scriptæ quondam, deinde a jurisperitis compositæ fuerant, a quibus qui recessit, caussa cecidit, ut Cicero significat in primo de oratore, ubi duorum advocatorum insignem in postulando juris irridet inscitiam. Unde dixit item pro Q. Roscio: *Sunt jura, sunt formulæ de omnibus rebus constitutæ, ne quis aut in genere injuriæ, aut in ratione actionis errare possit*. Has vero formulas in singulis actionibus, cujusmodi fuerint, demonstrare longum esset, & propter similitudinem ipsarum inter se molestum, ac prope putidum, in principibus autem præterire vix sine insigni hujus doctrinæ detrimento licet. Itaque initio ducto a Vindicatione, quid in paucis observatum sit, videamus.

ACTIO VINDICATIONIS fuit duplex, una posses-
A sionis, altera dominii. Possessio usum rei hoc loco significat, ut ædium, aut fundi, eaque proprie *Vindiciæ* nominatur. Qui vero litem de dominio rei intendere volebat, quæ dicebatur, ut scripsi, *Vindicatio*, si cujus vindiciæ, id est, possessio esse deberet, certum fuisset, is, qui possessione carebat, actionem statim possessori de dominio intendebat. Sin autem incertæ fuere vindiciæ, primum de vindiciis, deinde de dominio agebat. *Neque enim*, ut inquit Justinianus, *aliter institui, aut expediri lis de dominio potuit, quam si alter petitor, alter possessor esset. quia etiamsi ejus res non esset, qui possideret, si modo actor non posset suam esse probare,*
B *remanebat in suo loco possessio. aut quia ubi non constabat, uter possessor esset, actio a petitore de dominio institui non poterat. quia civilis, & naturalis ratio posceret, ut alius possideret, alius a possidente peteret*. Ostendamus autem primum, quo modo Vindiciæ postulatæ sint; deinde possessore constituto, qua ratione lis ei de dominio sit illata.

Cum ergo incerta esset possessio, ii, quorum intererat, postularunt a prætore interdictum de possessione, aut quasi possessione, nempe aut de adipiscenda possessione, aut de retinenda, aut de recuperanda. Interdictum de adipiscenda possessione red-
C debatur, ut scripsi, ei, cui bonorum possessio a prætore ex edicto data fuerat. Interdictum de retinenda eis, qui de proprietate litigaturi erant, neque uter possideret, inter eos conveniebat. De recuperanda iis, qui vi ex aliquo loco dejecti erant. Vis autem hæc fuit, ut dixi, duplex, vera, & simulata. Vera vis appellata, cum armatis, aut inermibus hominibus coactis aliquis ex loco dejectus erat. Vis simulata fuit veræ vis imitatio, quoties dicis caussa alter alteri in jure manum conserendo vim attulit, & verbis vindicavit, seu vindicias postulavit. In servo quidem manus consertio facta est in hunc modum. Qui servi possessionem petebat, tenens servum
D in jure apud prætorem ita vindicabat, id est, possessionem per simulatam vim postulabat. Quippe roganti reo: *Quid ais*? respondebat: *Hunc hominem ex jure Quiritium meum esse ajo, ejusque vindicias mihi dari postulo*. Si ille alter taceret, aut cederet, prætor servum addicebat vindicanti, id est, possessionem decernebat postulanti usque ad exitum judicii de dominio instituendi. Sin autem ille contra vindicaret, tum & ipse servum eundem corripiens, & quasi de manu vindicantis abstrahens dicebat: *Et ego hunc hominem meum esse ajo, ejusque vindicias mihi conservari postulo*. Tum prætor interdicebat: *Qui nec vi, nec clam, nec precario possidet, ei vin-*
E *dicias do*.

In fundo autem, aut domo manus consertio facta est in hunc modum. Stantes in jure litigatores petitor eum, unde petebatur, ex jure manu consertum vocabat, ita dicens: *Fundus, qui est in agro, qui Sabinus vocatur, meus est. eum ego ex jure Quiritium meum esse ajo. Inde ibi ego te ex jure manu consertum voco*. ille vero, nisi cessisset, respondebat: *Unde tu me ex jure manu consertum vocasti, inde ibi ego te revoco*: Tum prætor dicebat utrisque: *Superstitibus præsentibus: Istam viam dico. Inite viam*. Præsto aderat sapiens, qui inire viam
F doceret: *Redite viam*. Eodem duce redibant. In agro vero manum conserebant. Atque hæc quidem Cicero pro Murena. Unde etiam Festus: *Superstites testes significat, cujus rei testimonium est, quod superstitibus præsentibus ii, inter quos controversia est, vindicias sumere jubentur*. Hic Vindiciæ non possessio est, sed res, aut particula rei, cujus possessio postulabatur. Hoc vero totum exposuit Gellius libro xx. scribens: *Ex jure manu consertum verba sunt ex antiquis actionibus, quæ cum lege agitur, & vindiciæ contenduntur, dici nunc quoque apud prætorem solent, Manum conserere. Nam qua de re disceptabatur in re præ-*

senti, sive ager, sive aliud quid est, in ea re solemnibus verbis vindicia, id est, consertio manus in re, atque in loco præsenti apud prætorem ex XII. *tabulis fiebat. in quibus ita scriptum est: Si qui in jure manum conserunt. Sed postquam prætores propagatis Italiæ finibus datis jurisdictionibus occupati proficisci vindiciarum dicendarum caussa longinquas in res gravabantur, institutum est contra* XII. *tabulas tacito consensu, ut litigantes non in jure apud prætorem manum consererent, sed ex jure manu consertum vocarent. id est, alter alterum ex jure ad conserendam manum in rem, de qua ageretur, vocaret: atque profecti simul in agrum, de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, uti unam glebam ad prætorem deferrent, & in ea gleba tanquam in toto agro vindicarent.* Hæc Gellius. In eandem sententiam dixit Festus ex Cincio: *Vindiciæ olim dicebantur, quæ ex fundo sumptæ in jus allatæ erant.* His autem vindiciis, id est, hac gleba, sive festuca in jus allatis actor, qui dejectus erat, eas tenens dicebat: *Hunc fundum, sive hanc domum meam esse ajo ac jure Quiritium, eoque restitui, unde dejectus sum, postulo.* Tum prætor: *Unde tu illum dejecisti, cum nec vi, nec clam, nec precario possideret, eo illum restituas, jubeo.* Restituebat, si modo illum nec vi, nec clam, nec precario possedisse constaret. Gellius hanc vim civilem & festucariam vocat, quippe quæ verbo, non manu armata facta esset, & simulate ad possessorem constituendum suscepta esset. atque hæc quidem ex XII. tabulis sumpta est.

Altera vis simulata fuit, quæ non a lege, sed a moribus emanavit. Quippe qui possessionem recuperare volebat, possessori certum diem constituebat, quo in rem præsentem veniretur, ut in fundo, quo de agebatur, moribus vis, & deductio fieret. Hoc modo Cæcina apud Ciceronem agere cum Æbutio possessore voluit. verum ab eo in fundum ingredi vera vi, non moribus prohibitus Interdictum *unde vi* postulavit, ut ille, qui veram vim passus esset. Verba Ciceronis sunt hæc: *Placuit Cæcinæ de amicorum sententia constituere, quo die in rem præsentem veniretur, ut de fundo Cæcina moribus deduceretur. Colloquuntur. dies ex utriusque commodo sumitur. Cæcina cum amicis ad diem venit in castellum Axiam.* & post: *Cum Æbutius Cæcinæ malum minaretur, ibi tum Cæcina postulavit, ut moribus deductio fieret.* Item: *Cæcina ad eum fundum profectus est, ex quo ex convento vim fieri oportebat.* Item: *Cæcina cum ad constitutam diem, tempusque venisset, ut vis, & deductio moribus fieret, pulsus, prohibitusque est vi armatis hominibus.*

Huic accessit tertia ratio ineundæ possessionis, quæ neque a lege, neque a moribus, sed a Jure civili profecta est. Jus civile voco, quod Jurisconsulti fori disputatione collatis inter se capitibus constituerunt. Hæc non proprie vis fuit, sed usurpatio. Usurpatio vero, ut scribit Paulus D. de usurpationibus, fuit *interruptio usucapionis*. Hinc Venulejus D. de acquirenda possessione: *Species inducendi in possessionem alicujus rei est, prohibere ingredienti vim fieri. statim enim cedere adversarium, & vacuam relinquere possessionem jubet, quod multo plus est, quam restituere.* Hoc autem acto, ut reor, ille, qui inductus erat, usurpandi caussa surculum defringere consuevit, atque ita possessionem adversarii interrupit. Itaque huc alludens dixit Cicero in tertio de oratore de philosophis cum oratoribus contendentibus: *Etiam hac instituendo divisione utuntur, sed ita ut non jure, aut judicio, ut denique recuperare amissam possessionem, sed ut ex jure civili surculo defringendo usurpare videantur.* & Cajus D. de usurpationibus: *Naturaliter interrumpitur possessio, cum quis de possessione vi dejicitur, vel alicui res eripitur, quo casu non adversus eum tantum, qui eripit, interrumpitur possessio, sed adversus omnes. nec eo ca-*

A *su quidquam interest, is qui usurpaverit, dominus sit, nec ne.* Hos autem tres possessionis ineundæ modos, sunt, qui non inter se diversos, sed omnino eosdem esse scribant. quibus ego assentiri non possum. Est enim aliud recuperare possessionem jure & judicio, aliud usurpare ex Jure civili; ut significavit Cicero. Nam in recuperanda possessione, quoniam vis incidit, interdictum postulandum est, in usurpanda non ita. Ac vis quidem una fit ex lege allatis vindiciis ex fundo in jus, altera fit moribus in ipso fundo.

Constituto demum possessore, tum lis de dominio intendebatur possessori ab eo, qui possessione exclusus esset, aut qui omnino expers possessionis esset. B Siquidem, ut scriptum est D. de petitione hereditatis, *tenetur petitione hereditatis, qui vel jus pro possessore possidet, vel rem hereditariam, licet minimam.* Dominium autem petebatur eadem ratione, iisque prope verborum formulis, quibus possessio. unde errores multi in has actiones irrepserunt, quibus plerique impliciti adhuc se expedire non potuerunt. Ceterum petitor cum possessore ita egit, ut primum an auctor esset, id est, an talis esset, unde jus suum repetere posset, statueret, deinde vindicaret, tum satisdare juberet, tum sponsione provocaret. An auctor esset, ita quæsivit: *Quando te in jure conspicio, postulo an ne sies auctor?* Hoc scribit Cicero in oratione pro Cæcina: *Actio est in auctorem præsentem: Quando te in jure conspicio, postulo an ne sies auctor?* & Cajus significavit, cum scripsit D. de rei vindicatione: *Qui petitorio judicio utitur, ne frustra experiatur, requirere debet, an is, cum quo instituit actionem, possessor sit, vel dolo desiit possidere.* Si ille, qui rogabatur, taceret, lis ei æstimabatur, si negaret, tum prætor dicebat: *Quando negat sacramento quærito.* Erat autem sacramento quærere, ad certam spondendam pecuniam reum provocare, *Ni ita esset.* Itaque audito prætoris mandato petitor subjiciebat: *Quando negas, te sacramento quinquagenario provoco, spondes ne, te soluturum quinquaginta asses, si auctor sis?* id est, si probavero, te auctorem esse? Cui inficiator respondebat, *Spondeo quinquaginta asses, si auctor sim.* Inde restipulatur: *Tu vero spondes ne idem, ni sim?* Cui ille: *Et ego quoque Spondeo.* Quod si ille se auctorem esse profiteretur, tum eadem vindicandi ratio in dominio petendo observabatur, quæ adhibita fuerat in petenda possessione. Nam Vindicatio non magis erat possessionis postulatio, quam dominii. Itaque, ut maneamus in superioribus exemplis, si servus peteretur, petitor servum tenens ita vindicabat: *Quando ais, neque negas, te auctorem esse, hunc hominem ex jure Quiritium meum esse ajo.* Tum prætor possessorem interrogabat, an contra vindicaret. Si ille cederet, servum pariter vindicanti addicebat, id est, dominium decernebat. Sin contra vindicaret, sic respondebat: *Et ego eundem hominem meum esse ajo ex jure Quiritium. sed non ne tu dicis, qua caussa vindicaveris?* Tum petitor caussam exponebat. Sin autem fundus, aut domus peteretur, eadem ratione vindicabatur, id est, dominium petebatur, qua postulatum in servo fuerat. Quippe allatis in jus vindiciis dicebat petitor: *Hunc fundum ajo meum esse ex jure Quiritium.* & reliqua eodem modo, quo in servo. Hæ formulæ apud Ciceronem in oratione pro Murena, & apud Valerium Probum in libro de Notis antiquis reperiuntur. Cicero etiam huc allusit, cum dixit in primo de oratore: *Multis præesses, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex jure manu consertum vocarent, quod in alienas possessiones tam temere irruisses. Agerent enim lege tecum Pythagorei omnes, vindicarentque*, id est, litem de dominio intenderent.

De satisdationis postulatione ratio fuit ejusmodi:

Antequam petitor caussam redderet, cur vindicaret, postulabat a possessore, ut satisdaret, se nihil deterius in possessione facturum. Satisdabat autem possessor, aut litem amittebat. Paulus D. de petitione hereditatis: *Quoties hereditas petitur, satisdatio jure desideratur; &, si satisdatio non detur, in petitorem hereditas transfertur*. Asconius: *Prædes dicuntur satisdatores locupletes pro re, de qua apud judicem lis est, ne interea qui tenet, diffidens caussæ suæ possessionem deteriorem faciat, tecta dissipet, excidat arbores, & culta deserat.*

Sponsionis inde faciendæ ratio fuit hujusmodi: Petitor, ubi eum, unde petebatur, aut intentionem, aut rationem intentionis suæ inficiantem audivit, eum sponsione sacramenti provocavit: *Ni ita esset*. qua facta reus petitorem vicissim provocavit hoc modo. in intentione: *Quando negas, hunc servum meum esse, sacramento te quingenario provoco. Spondes ne quingentos, Si meus sit?* id est, si meum esse probavero. cui reus: *Spondeo, Si tuus sit*. & si sponsionem recusasset, litem amisisset. Inde restipulans rogabat: *Et tu spondes ne quingentos, Ni tuus sit?* id est, si probavero, tuum non esse. Cui petitor: *Spondeo, Ni meus sit*. atque hoc nisi fecisset, litem amisisset. In ratione intentionis hoc pacto. *Ajo, hunc servum meum esse, quia ex ancilla mea natus est*. Cui reus: *Nego tuum esse, quia ex ancilla tua natus non est*. Tum petitor: *Spondes ne quingentos, Si ex ancilla mea natus sit?* Reus: *Spondeo, Si ex ancilla tua natus sit. Et tu spondes ne quingentos, Nisi ex ancilla tua natus sit?* Petitor: *Spondeo, Nisi ex ancilla mea natus sit*. In hoc genere pecunia, quæ interponebatur, *Sacramentum*; Stipulatio, & restipulatio *Sponsio* dicebatur. Confirmemus hæc auctoritatibus. Varro libro v. de lingua Latina: *Quæ pecunia inter se contra sponsum rogata erat, dicta sponsio*. Paulus D. de petitione hereditatis: *Si petitor satisdare noluerit, penes possessorem possessio remanet. in pari enim caussa potior est possessor*. Si petitor satisdare noluerit, inquit, pro eo, quod est, si a possessore sponsione provocatus sponsionem facere noluerit. Item Cicero in tertia in Verrem: *Si quis testamento se heredem esse arbitraretur, quod tum non extaret, lege ageret in hereditatem, aut pro præde litis vindiciarum, cum satis accepisset, sponsionem faceret. ita de hereditate certaret*. In quem locum sic Asconius: *Experiretur jure, quemadmodum probaret, se heredem scriptum esse, & possessionem a prætore peteret. Itaque aut peteret, ut possessor esset, aut acciperet ab adversario satis pro præde litis vindiciarum, & ipse sponsionem faceret. Lis autem vindiciarum est, cum litigatur de ea re apud prætorem cujus incertum est, quis debeat esse possessor. & ideo qui eam tenet, satisdat pro præde litis vindiciarum adversario suo, quo illi satisfiat nihil se deterius in possessione facturum, de qua jurgium esset. Rursus sponsione ipse provocatur ab adversario certæ pecuniæ, aut æstimationis, quam amittat, Ni sua hereditas sit*. hic sponsionem facit petitor, sponsione provocat possessor, hoc modo. Petitor: *Ajo, hanc hereditatem meam esse*. Possessor: *nego*. Petitor: *Spondes ne certam pecuniam, Si mea sit?* Possessor: *Spondeo, Si tua sit. Et tu spondes ne idem, Ni tua sit?* Petitor: *Spondeo, Ni mea sit*. De sacramento sic Festus: *Sacramentum æs significat, quod pœnæ nomine penditur, sive eo quis interrogatur, sive contenditur. id in aliis rebus quinquaginta assium est, in aliis quingentorum inter eos, qui judicio inter se contendunt. Qua de re lege L. Papirii sancitum est his verbis: Quicunque prætor posthac factus erit, qui jus inter cives dicet, tres viros capitales populum rogato. iique triumviri capitales, quicunque ex hac lege facti erunt, sacramento exigunto, judicantoque. eodemque jure sunto, uti ex legibus, plebeive scitis esse oportet. Sacramenti autem nomine id æs dici cœptum est, quod & propter ærarii inopiam, & sacrorum publicorum multitudinem consumebatur in rebus divinis*. Item Varro libro quinto de lingua Latina: *Ea pecunia, quæ in judicium venit, in litibus sacramentum a sacro dicta. Qui petebat, & qui inficiabatur, de aliis rebus uterque quingenos æris ad pontificem deponebant, de aliis rebus item certum alium assium numerum. Qui judicio vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat, victi ad ærarium redibat*. Asconius: *Cum in rem aliquam agerent litigatores, & pœna se sacramenti peterent*. Valerius libro VII. *Æbutia Plætoriam filiam heredem reliquit, Afraniam sine caussa præteriit, filiis autem Afraniæ viginti millia nummum legavit. Afrania tamen cum sorore sua sacramento contendere noluit*. Cicero pro Milone: *Injustis vindiciis, & sacramentis alienos fundos petunt*. In primo de oratore: *Agerent tecum lege Pythagorei omnes, vindicarentque, quibuscum tibi justo sacramento contendere non liceret*. Arnobius: *Qui arbiter tantis cervicibus erit, qui inter personas ejusmodi aut vindicias justas dare, aut sacramenta conetur non justa pronunciare?* Cæterum sponsionis ratio hujusmodi fuit. Qui petebat, dicebatur sponsione & sacramento provocare, quia interrogabat, *Spondesne quingentos?* item sacramento rogare, quærere, & stipulari ob eandem caussam. Ille vero unde petebatur, dicebatur contendere ex provocatione, contendere sacramento, & restipulari. Contendere ex provocatione, quia provocatus non recusabat sponsionem; sacramento, quia pecuniam, quæ sacramentum dicebatur, &, ut inquit Isidorus libro quinto, *sponsionis pignus erat*, se soluturum spondebat; restipulari, quia & ipse ab actore vicissim stipulabatur, postquam ipse spoponderat, *Et tu spondes ne idem?* Uterque autem spondere, & sponsionem facere, & se inter se sponsione provocare dicebatur. Ceterum utraque sponsio his verbis concipiebatur, *Si*, & *Nisi*, sed modo hoc, modo illo pro natura negotii, & rei affirmatione, aut inficiatione. Nam semper contrarium rogabatur ejus, quod reus dixerat. Quippe negante reo se esse auctorem, rogabat petitor, ac stipulabatur: *Spondes ne quinquaginta, Si sis auctor?* Ajente autem fundum suum esse, quia testamentum extet, rogabat, ac stipulabatur: *Spondes ne quingentos, Ni tuus fundus sit, Ni testamentum extet?* Reus autem spondebat: *Spondeo quinquaginta, Si auctor sim. quingentos, Ni meus fundus sit, Ni testamentum extet*. Inde rogabat vicissim petitorem, & restipulabatur: *Et tu spondes ne quinquaginta, Ni auctor sim: Si meus fundus sit: Si testamentum extet*. cui ille: *Spondeo, Ni auctor sis, Si fundus tuus sit, Si testamentum extet*. Perpendamus exempla, unde hæc hausta sunt. Valerius libro secundo: *Pertinacius progressa contentione Valerius sponsione Lutatium provocavit: Ni suo ductu Punica classis oppressa esset. nec dubitavit restipulari Lutatius*. Petebat scilicet triumphum Valerius prætor, cum diceret ægrotante Lutatio consule Punicam classem ductu suo oppressam fuisse. Negabat tribuendum esse Lutatius, quia non ductu ejus Punica classis oppressa esset. Tum Valerius: *Spondes ne sacramentum, Si meo ductu classis oppressa fuit?* id est, si probavero meo ductu classem oppressam? Cui Lutatius, *Spondeo, Si tuo ductu classis oppressa fuit*. Inde restipulatus est: *Et tu spondes ne, Nisi tuo ductu classis oppressa fuit:* id est, si probavero, *non tuo ductu classem oppressam?* cui Valerius: *Spondeo, Ni meo ductu classis oppressa sit*. Macrobius: *Cleopatra sponsione provocavit Antonium, insumere se posse in unam cœnam sestertium centies. Nec moratus Antonius sponsione contendit*. Hoc loco dixerat Cleopatra, se in unam cœnam sestertium centies insumere posse. Negavit Antonius. Cleopatra sponsione provocavit eum dicens, *Spondes ne sacramentum, Si insumpse-*

ro? Inde restipulans, *Et tu spondes ne, Nisi insumpseris?* cui Cleopatra: *Spondeo, Ni insumpsero.* Cicero pro Quinctio: *Prætor jubet, P. Quinctium sponsionem facere cum Nævio, Si bona sua ex edicto prætoris possessa essent.* Hic Nævius provocavit Quinctium sponsione stipulans: *Spondes ne sacramentum, Si bona tua ex edicto prætoris triginta dies possessa sint?* id est, si probaro, quod negas, bona tua ex edicto prætoris triginta dies esse possessa? Cui Quinctius ex auctoritate prætoris. *Spondeo, Si bona mea ex edicto prætoris triginta dies possessa sunt.* Inde restipulans: *Et tu spondes ne idem, Nisi bona mea possessa sunt?* Cui Nævius: *Spondeo, Ni bona tua possessa sunt.* Idem ad Trebatium: *Cum ei dicerem, tibi videri, sponsionem illam nos sine periculo facere posse: Si bonorum Turpiliæ possessionem Q. Cæpio ex edicto suo mihi dedit.* Hic actor intendebat, prætorem dedisse possessionem bonorum Turpiliæ, reus negabat dedisse. Cui reus provocans, ac stipulans, *Spondes ne, Si dederit?* id est, si probavero dedisse. Cui reus, auctore Trebatio, *Spondeo, Si dederit.* inde rursus provocans, ac restipulans, *Et tu spondes ne, Ni dederit?* Cui ille, *Spondeo, Ni dederit.* In tertio de officiis: *Fimbria judex datus M. Lutatio, cum is sponsionem fecisset, Ni vir bonus esset.* A M. Lutatio petebatur pecunia, quam ipse se reddidisse sine testibus affirmanti credi volebat, quia vir bonus esset. Tum actor: *Spondes ne sacramentum, Ni vir bonus es?* id est, si probavero, te virum bonum non esse. Cui Lutatius: *Spondeo, Ni vir bonus sum.* Inde restipulans: *Et tu spondes ne, Si vir bonus sum? Spondeo, Si vir bonus es.* Livius libro XXXIX. *Cato Quinctio conditionem tulit, ut, si id factum negaret, sponsione se defenderet.* Hæc de ratione sponsionis dicta sint. De quingentis autem spondendis perpetuum non fuisse crediderim, sed sponsionem factam esse pro modo litis, & arbitrio provocantis. si quidem dixit Cicero in quinta Verrina: *Facta est sponsio sestertium quinque millibus.* & pro Q. Roscio: *Pecunia petita est certa, cum tertia parte sponsio facta est.*

His de auctoritate, satisdatione, sacramento, & sponsione perfectis redeo ad rem, de qua dicere instituteram. Cum petitor in hereditatem fundi ageret, ita dicebat: *Ajo, hunc fundum meum esse jure Quiritium.* Cui possessor inficians respondebat: *Et ego meum, non tuum esse ajo ex eodem jure Quiritium.* Tum petitor: *Satisda, te non deteriorem possessionem facturum.* possessor satisdabat. Tum petitor: *Spondes ne quingentos, Si meus hic fundus sit?* possessor: *Spondeo quingentos, Si tuus hic fundus sit.* Inde restipulans: *Et tu spondes ne totidem, Ni tuus hic fundus sit?* petitor: *Spondeo, Ni meus hic fundus sit.*

Est autem animadvertendum, si reus nihil ad inficiationem addidisset, puram defensionem dictam; si exceptionem adjecisset, conjunctam. Erat autem exceptio rei defensio, quæ non omnem actoris intentionem excludebat, ut inficiatio, sed ejus partem duntaxat. atque his verbis concipiebatur, *extra quam si*, vel *nisi si*. ut si reus dixisset: *immo hereditas mea est, non tua, nisi testamento prodatur, quo tibi relicta appareat.* aut aliquid tale. Cicero in Rhetoricis: *Lex est: In judicio privato præjudicium ne fiat publico. Cum ad vim quotidianam faciendam quidam armati venissent, armati contra præsto fuerunt. & cuidam equiti Romano quidam ex armatis resistenti gladio manum præciderunt. Agit is, cui manus præcisa est, injuriarum. Postulat is, qui cum agitur, a prætore exceptionem, Extra quam si in eum capitis præjudicium fiat,* id est, non excludit totam actionem injuriarum, sed ex ea tantum parte, Si in reum capitis præjudicium fiat. Ut autem in inficiationem actor, sic in exceptione reus sponsionem concepit. Et sponsio quidem cum infi-

A ciatione Pura dicebatur, cum exceptione vero Conjuncta, ut: *Spondes ne quingentos, ni hæreditas tua sit, ni testamentum prodatur? Spondeo. Tu vero spondes ne, si hæreditas mea sit, si testamentum prodatur? Spondeo.*

QUONIAM autem per exceptiones actio transferebatur, locus admonet, ut de translatione actionis deinceps dicamus. Transferebatur actio, cum petitor agens plus in intentione sua complectebatur, quam ad eum pertinebat. Quod si fecisset, caussa cadebat, id est, ut inquit Justinianus, litem amittebat, nec facile in integrum restituebatur a prætore, B nisi minor erat vigintiquinque annis. Plus autem quattuor modis petebatur, re, tempore, loco, & caussa. Re, veluti si quis pro decem aureis, qui ei debebantur, viginti peteret. aut si is, cujus ex parte res est, totam eam, vel majore ex parte suam esse intenderet. Tempore, veluti si quis ante diem, vel ante conditionem petisset. Loco, veluti cum quis id, quod certo loco sibi dari stipulatus est, alio loco petisset, sine commemoratione illius loci, in quo sibi dari stipulatus esset. verbi gratia, si is, qui ita stipulatus fuerat, *Ephesi dare spondes?* Romæ pure intendat dari sibi oportere. Caussa, ut si quis ita a te stipulatus esset: *Hominem Stichum, aut* C *decem aureos dare spondes?* deinde alterutrum petisset, veluti hominem tantum, aut decem aureos tantum. Ideo autem plus petere intelligitur, quia in eo genere stipulationis, promissoris est optio, utrum pecuniam, an hominem solvere malit. Qui vero pecuniam tantum, vel hominem tantum sibi dari oportere intendit, eripit optionem adversario, & eo modo suam quidem conditionem meliorem facit, adversarii vero sui deteriorem. Hac vero de re Cicero in Rhetoricis: *In nostra consuetudine multis de caussis fit, ut rarius incidant translationes. Nam & prætoriis exceptionibus multæ excluduntur actiones, & ita jus civile habemus constitutum, ut a caussa ca-* D *dat is, qui non, quemadmodum oportet, egerit. Quare in jure plerunque versantur. ibi enim & exceptiones postulantur, & quodammodo agendi potestas datur, & omnis conceptio privatorum judiciorum constituitur.* Quæ verba sic exponit Victorinus: *Apud prætorem cum litis ipsius forma componeretur, ibi partes aut excipiebant: aut simplicem actionem accipiebant. Unde in ipso jure, hoc est, apud prætorem tractabatur exceptio atque translatio.*

ATQUE hoc quidem modo in rebus corpore præditis litis concipiebatur intentio. Qua cognita facilis est cognitio reliquarum. Nam in rebus corpore vacantibus, ut in usufructu, & prædiorum servitu- E te eodem modo intendebatur, ac vindicabatur: *Ajo, usumfructum fundi tui, qui est in agro Sabino, esse meum. Ajo, jus eundi agendi per fundum tuum esse meum. Ajo, jus ex fundo tuo aquam ducendi, vel jus versus ædes tuas altius tollendi esse meum.* Hoc autem proprium in his fuit, quod non solum affirmanter intendi potuit, sed etiam neganter, hoc modo: *Ajo, usumfructum fundi mei non esse tuum. Ajo, jus eundi agendi per fundum meum non esse tuum.* atque ita in ceteris. Caussa vero dissimilitudinis fuit, quod in rebus corporeis is solum agere potuit, qui non possedit; nam ei, qui possedit, nulla erat prodita actio. neque enim intende- F re potuit, *Ajo fundum hunc tuum non esse.* neque enim si judicatum esset, non esse possessoris, propterea fiebat necessario, ut esset petitoris. In his autem non idem erat qui affirmative agebat, & qui negative. nam affirmanter intendebat qui se jus illud, de quo quærebatur, habere dicebat, veluti usumfructum, aut servitutem in alterius proprietate. neganter vero ipse dominus fundi, aut ædium, quia affirmabat illum alterum usumfructum, aut servitutem in fundo, aut ædibus suis non habere. In his autem sponsiones fuerunt hæ. Affirmative ita: *Ajo,*

usumfructum fundi tui esse meum . Ajo , usumfructum fundi mei non esse tuum . Spondes ne , si usufructus fundi tui sit meus ? Spondeo . si usufructus fundi mei sit tuus ? Spondeo . Et tu spondes ne , si usufructus fundi mei non sit tuus ? Spondeo . Si usufructus fundi tui non sit meus ? Spondeo : Negative ita : *Ajo , usumfructum fundi mei non esse tuum . Ajo , usumfructum fundi tui esse meum . Spondes ne , si usufructus fundi mei non sit tuus ? Spondeo . Si usufructus fundi tui non sit meus ? Spondeo . Et tu spondes ne , si usufructus fundi tui sit meus ? Spondeo . Si usufructus fundi mei sit tuus ? Spondeo ?* Eodem modo in ceteris. In actione etiam de servitute luminum fuit aliquid diversi a ceteris . In aliis enim qui intendebat , idem etiam sponsionem faciebat . Exempli gratia , si me habere dixissem jus fundo tuo utendi fruendi , neque tamen me uti frui sineres , vocassem te in jus , & intendissem apud prætorem , jus utendi tuo fundo meum esse , & a te provocatus sponsionem fecissem : *Ni meum jus sit* . At si altius ædes tollere incepissem , tu in jus me vocasses , & ita dixisses : *Nego tibi jus esse altius ædes tollendi versus me* , & rationem negatæ servitutis prætori exposuisses . Tum ego remissam esse servitutem ostendissem , & a te provocatus sponsionem fecissem : *Ni meum jus sit* . Itaque in hoc libertas vindicari ; in aliis servitus peti videbatur .

Fuerunt præterea actiones duæ in rem , una de libertate , altera de ventre cognoscendo , quæ propriam requirunt observationem . De his ita scribit Justinianus : *Præjudiciales actiones in rem esse videntur , quales sunt per quas quæritur , an aliquis liber , an libertus sit , vel de partu cognoscendo . ex quibus fere una illa legitimam caussam habet , per quam quæritur an aliquis liber sit . ceteræ ex ipsius prætoris jurisdictione substantiam capiunt* . Ex his autem caussa liberalis fuit duplex . aut enim e servitute in libertatem , aut e libertate in servitutem vindicabatur . Hæc vero privata omnino caussa non videtur , quia actio cuique e populo data est , qui se assertorem , & vindicem profiteretur . Erat autem lex XII. tabularum , ut inquit Dionysius , & Livius , ut *si quis aut ex libertate in servitutem , aut ex servitute in libertatem assereretur , possessionis jus maneret usque ad exitum judicii penes eum , qui in libertatem assereret , non qui in servitutem* . Item in eadem lege fuit : *Ut cui vindiciæ secundum libertatem a prætore addicerentur , is sponsores daret , hominem postea judicio sisti*. Legis verba videntur ejusmodi fuisse : *Si de cujus libertate ambigetur , prætor secundum eum , qui libertatem defendit , vindicias addicito . cui addictæ erunt , sponsores judicio sisti , dato* . verb postulantis vindicias sunt apud Terentium : *Hunc hominem ego liberum esse assero . postulo , ut mihi des vindicias secundum libertatem* . Item : *Hunc hominem servum meum esse assero . postulo , ut mihi des vindicias secundum servitutem* . Decretum prætoris : *Qui libertatem defendit , ei vindicias do* . Livius libro III. *Appius Marco clienti negotium dedit , ut virginem in servitutem assereret , neque cederet secundum libertatem postulantibus vindicias* . Item : *Postulat a Decemviro , ut lege ab ipso lata vindicias det secundum libertatem* . Item : *Cum instaret assertor puellæ , ut vindicaret , sponsoresque daret , manus tollere multitudo , & se quisque paratum ad spondendum ilico ostendere . ita vindicatur Virginia spondentibus propinquis* . Hic postulare vindicias , & vindicare est possessionem petere ; dare vindicias postulantibus est possessionem alteri postulanti concedere . Decreta igitur in hunc modum possessione tum alio die actio de libertate intendebatur , ita : *Hunc hominem ex jure Quiritium liberum esse assero* . sic enim Terentius in Adelphis : *Quid si ego illam tibi nolo vendere , Coges me ?* ÆS. *Minime* . S. *Nanque id metui* . ÆS. *Neque vendendam censeo quæ libera est . Nam ego illam liberali assero caussa manu* . Hoc dicto ille alter respondebat . *Hunc hominem servum esse , meumque ex jure Quiritium servum esse assero* . Inde sponsiones , ut supra : *Ni liber sit , Ni servus sit , & servus ejus sit* . Item in ceteris : *Ajo , me ingenuum esse ex jure Quiritium , neque justam servitutem servisse . Ajo hunc hominem , cum apud me justam servitutem serviret , a me manumissum , meumque libertum esse* . sponsio : *Ni ingenuus sit , Ni manumissus sit* . Hujus judicii illustre exemplum est apud Asconium in Cornelianam : *Metellus fecit reum Curionem , cumque interim quendam civem idem Metellus servum esse contendens vi arripuisset , ac verberibus affecisset , Curio assertorem ei comparavit . dein cum appareret , eum exitum illius judicii futurum , ut is liber judicaretur , quem Metellus verberibus affectum a se negare non poterat , inter Metellum , & Curionem facta pactio est , ut neque arbitrium de libertate urgeret in Metellum Curio , neque Metellus perstaret in accusatione Curionis* . De ventre vero ita intentum est : *Ajo mulierem hanc ex te prægnantem esse . Nego* . Sponsio : *Ni sit* . Ac de formulis quidem intentionis in actione Vindicationis hactenus .

Condictionis vero longe alia ratio fuit . Condictio vero fuit , ut diximus , qua non corpus aliquod petierunt , sed a persona certam præstationem postularunt , neque , unde satisfaceret , curarunt . Ea vero , ut dixi , fuit duplex ; una adversus eum , qui ex contractu , altera adversus eum , qui ex maleficio obligatus erat . Contractus nomina ferme , ut diximus , hæc fuerunt : Mutuum , Commodatum , Depositum , Pignus , Emptum , Locatum , Societas , Fiducia , Stipulatus , Negotium gestum , Præscriptis verbis . In his actor ferme sic intendit , *Ajo , te mihi mutui , aut commodati , aut depositi , aut aliorum contractuum nomine dare centum oportere* . Ille vero , unde petebatur , aut inficiabatur , aut excipiebat . Inficiabatur ita dicens : *Nego me tibi dare centum eo nomine debere* . Excipiebat partem actionis excludens , ita : *Nego me tibi ex stipulatu centum dare debere , Nisi quod metu aut dolo , aut errore adductus spopondi* , aut , *Ni minor annis* XXV. *sim* . Unde Plautus in Rudente : *Si Vidulum istum redegissem in potestatem ejus juratus mihi dare talentum magnum argenti* . LA. *Cedo qui cum habeam judicem : Ni dolo instipulatus sis , Nive etiam dum siem quinque & viginti annos natus* . Item : *Ajo , te mihi domum , aut navim ædificare , aut vestem polire oportere ex stipulatu . Nego* . Inde sponsio , *Ni facere debeat* , ut ante , nascebatur . aut : *Ni mutui , aut depositi nomine centum dare debeat* . Quo in loco *dare* videtur accipiendum esse pro reddere . non enim qui mutuo dedit , aut commodavit , aut deposuit , dominium amisit . Præscriptis verbis obligatio erat talis . Si qua nasceretur inusitata controversia , litigatores vel suo ingenio , vel Jurisconsulti sui actionis formulam certis verbis secundum pactum inter ipsos conventum concipiebant , in eaque verba sponsionem faciebant . exempli gratia , Mævius fulloni polienda vestimenta sua dedit ea mercede , de qua postea inter ipsos convenisset , atque ea polita accepit , neque fulloni satisfecit . Tum fullo sic intendet : *Ajo , te mihi mercedem , de qua inter nos conveniat , ob polita tua vestimenta dare oportere . Nego , me dare oportere* . sponsio . *Ni dare debeat* . Jam vero obligationes ex maleficiis fuerunt , ut diximus , ex furto , damno , rapina , injuria . In furto ejusmodi fuit intentio : *Ajo , vestem , quam nuper furto mihi abstulisti , meam esse , teque illam mihi dare oportere* . Hæc autem actio furtiva condictio vocabatur , odio furum a prætore instituta , ut furtum non solum vindicatione repeti posset , sed etiam condictione . Nam in vindicatione adversus possessorem tantum erat actio ,

hoc modo, *Ajo, hanc vestem meam esse*. neque furti mentio fiebat. in condictione vero adversus furem ipsum erat actio, & furti nomen exprimebatur, & illam rem eum *dare*, id est, reddere debere, intendebatur, ut Justinianus docuit. Eadem in ceteris maleficiis fuit ratio: *Ajo, te mihi pugnum, aut fustem infixisse aut convicium fecisse, teque mihi tantum quantum ego æstimavero, dare oportere: Nego*. Sponsio: *Ni fecerit*.

Postremo mistarum actionum intentiones ejusmodi fuerunt: *Ajo, te familiam dividere debere, & eo nomine centum te mihi dare oportere. Ajo, te res communes dividere debere, & eo nomine centum te mihi dare oportere. Ajo, fines agri nostri dirigi oportere, & quod ex agro meo percepisti, te mihi dare oportere*. Quibus intentionibus Inficiatio, Exceptio, Sponsio eodem modo subjicientur, quo in superioribus diximus.

His cognitis, quoniam in tertia divisione actiones maleficiorum triplices fuisse scripsimus, rei persequendæ, pœnæ persequendæ, & utriusque, deinceps quænam earum fotmulæ fuerint, ostendamus. In furto actio, quæ rem tantum persequitur, vindicatio, & furtiva condictio vocabatur, ut dictum est. per quas ubi res ablata recepta erat, remanebat tamen furti actio, quæ ad pœnæ persecutionem pertinebat. Cajus D. de furtiva condictione: *Cum furti actio ad pœnæ persecutionem pertineat, condictio vero, & vindicatio ad rei recuperationem; apparet, recepta re nihilominus salvam esse furti actionem, vindicationem vero & condictionem tolli*. In hac ergo intentio hæc erat: *Ajo, te centum mihi abstulisse, & manifesto deprehensum esse, & manifesti furti nomine quadringentos aureos mihi dare debere*. Rapinæ vero actio simul rem, & pœnam persequebatur. Sic enim scribit Justinianus: *Rapinæ actio in quadruplum, triplum pœnæ, simplum rei nomine persequitur. nam in quadruplo inest & rei persecutio*. Quamobrem formula erat: *Ajo, Mævium vi vestem mihi eripuisse, atque ejus nomine, eum quadruplum mihi dare oportere*. Quoniam enim nulla actio rapinæ prodita est, qua rem & personam separatim persequi liceret, propterea una, & eadem actione utrumque persecuti sunt. Actio damni lege Aquilia item & rem, & personam persequebatur. pœna adversus confitentem in triplum erat; adversus inficiantem in duplum. Itaque intentionis formula erat: *Ajo, Mævium Stichum servum meum interfecisse, factumque illud inficiatum esse, atque eo nomine duplum, quanti hoc anno servus plurimi fuit, mihi dare oportere*. Reus negabat, se interfecisse, aut inficiatum esse. sponsio nascebatur: *Ni interfecerit, Ni inficiatus sit*. Jam vero in servo corrupto ita intendebatur: *Ajo, Mævium Sticho servo meo persuasisse dolo malo, quo eum deteriorem faceret, atque hoc nomine, quanti hæc res fuit, mihi dare oportere*. De eo, quod metus caussa gestum est, quæ fuit prætoria actio, ita: *Ajo, Mævium terrore, ac minis vestem a me extorsisse, atque eo nomine quadruplum, quanti ea res fuit, mihi dare oportere*. De calumnia ita: *Ajo, Mævium calumniæ caussa pecuniam accepisse, ut mihi negotium facesseret, & eo nomine quadruplum mihi dare oportere*. Ceterum, ut inquit Justinianus, actio furti nec manifesti, & servi corrupti a ceteris differunt, quod omnino dupli sunt. at actio damni ex lege Aquilia, & de dolo malo inficiatione depositi duplicantur, in confitentem autem in simplum dantur. Item actio de eo, quod metus caussa factum est, a ceteris diversa est, quod ejus natura tacite continetur, ut qui judicis jussu ipsam rem actori restituit, absolvatur. in ceteris non erat ita, sed omni modo quisque in quadruplum condemnabatur.

Sequuntur actiones quintæ divisionis, quibus A non totum, sed pars petitur. in iis vero intentio sic concipiebatur, ut de peculio filii: *Ajo, me Servilio filio tuo centum aureos mutuo dedisse, teque quantum ex ejus peculio facere poteris, mihi dare oportere*. De dote: *Ajo, me tibi nomine dotis centum dedisse, teque mihi quantum facere poteris, dare oportere*. Item a parente, patrono, socioque non totum, sed quantum facere possent, petebatur. Eodem modo agebatur cum eo, qui creditoribus bonis suis cessit, si postea aliquid acquisisset.

De actionibus sextæ divisionis, nempe cum dominis caussa servorum, & cum patribus caussa filiorum, hæc habemus. B Ejus, quæ dicebatur, *Quod jussu*, talis fuit intentio: *Ajo, me Sticho Mævii servo, ipsius Mævii jussu centum aureos credidisse, & centum eo nomine Mævium mihi dare oportere*. In exercitorio sic intentum est: *Ajo, me Sticho servo, quem Mævius dominus ei navi, quam exercet, magistrum præfecerat, centum aureos ejus rei caussa, cui præfectus erat, credidisse, eumque ejus rei nomine centum mihi dare oportere*. In institoria sic: *Ajo, me Sticho Mævii servo, quem Mævius institorem suum fecerat, centum aureos credidisse, eumque ejus rei nomine centum aureos mihi* C *dare debere*. In tributoria ita: *Ajo, Mævium peculiares Stichi servi sui merces ex edicto non distribuisse, & quanto minus tributum sit quam debuerit, tantum mihi dare oportere*. Exempli gratia: duodecim sunt in mercibus servi peculiaribus, ex quibus domino quinque debentur, Valerio quinque, totidemque Servilio. si de peculio agatur, dominus integra quinque obtinebit: sin autem tributoria, quattuor tantum. ibi enim melior est domini conditio, hic vero par est omnino. De eo, quod in rem versum est, sic: *Ajo, me Sticho Mævii servo centum credidisse, ut Mævii domum cadentem fulciret, & Mævium quatenus, & in rem versum,* D *& in peculio Stichi esse constabit, dare mihi oportere*. Hinc probare opus erit, & in rem domini versum, & servum habere peculium. In noxali, ita: *Ajo, Stichum Mævii servum noxam mihi nocuisse, & Mævium aut solvere, aut Stichum noxæ dedere mihi debere*: quo in loco *noxæ dedere*, est noxæ nomine dedere. In pauperie hoc modo: *Ajo bovem Mævii me cornu petisse, & vulnerasse, eumque Mævium mihi noxæ dedere oportere: Ajo, versum Mævii mihi vulnus intulisse, & Mævium, quantum æquum esse videatur, mihi dare oportere: Ajo, ursum Mævii meam mihi vestem discidisse, &* E *duplum, quanti vestis est, mihi dare debere*. Atque hæ quidem actiones ferme ejus generis fuerunt, ut in iis & certa pecunia peteretur, & sponsio conciperetur, & ut ad certam formulam judex astringeretur, postularetur. Unde stricti juris actiones a Justiniano sunt dictæ.

Postrema divisione arbitrariæ positæ actiones fuere, in quibus neque certa pecunia est petita, neque sponsio facta, neque ad certam formulam judex astrictus. Hæ vero fuere duorum generum; unum earum, quæ dicebantur, Ex bona fide, alterum earum, quæ proprie Arbitrariæ appellatæ. Actionum Bonæ fidei tres formulæ fuerunt, una, F quæ contractibus bonæ fidei accommodabatur, cum his verbis, *Ex bona fide*; altera, quæ in fiduciis usurpabatur, cum his; *Ut inter bonos bene agier oportet, & sine fraudatione*; tertia rei uxoriæ propria, cum his, *Quantum æquius, melius*. Cicero in tertio de officiis: *Dolus malus legibus erat vindicatus, ut tutela* XII. *tabulis, circumscriptio adolescentium lege Lætoria, & sine lege, judiciis, in quibus additur, Ex fide bona. reliquorum autem judiciorum hæc verba maxime excellunt, in arbitrio rei uxoriæ, Melius æquius. in fiducia, Ut inter bonos bene agier oportet*. Item: *Arbitrium adegit*,

Quidquid sibi dare , facere oportet ex fide bona . Item : *Scævola summam vim esse dicebat in iis arbitriis , in quibus adderetur , Ex fide bona , fideique nomen æstimabat manare latissime , idque versari in tutelis , societatibus , fiduciis , mandatis , rebus emptis , venditis , conductis , locatis , quibus vitæ societas continetur . in his magni judicis esse statuere , quid quenque cuique præstare oporteat .* & in Topicis : *In omnibus iis judiciis , in quibus ex fide bona est additum , plurimus Jurisconsultorum est usus . Ubi vero etiam inter bonos bene agier oportet , in primisque in arbitrio rei uxoriæ , in quo est , Quid melius æquius , parati esse debent . Illi enim dolum malum , illi fidem bonam , illi æquum bonum , illi quid socium pro socio , quid eum , qui aliena negotia curasset , ei cujus ea negotia fuissent , quid eum , qui mandasset , eumve , cui mandatum esset , alterum alteri præstare oporteret , quid virum uxori , quid uxorem viro , tradiderunt .* Ceterum Arbitrariarum formula fuit . *Quantum æquius melius .* Cicero pro Q. Roscio : *Aliud est judicium , aliud arbitrium . Judicium est pecuniæ certæ , arbitrium incertæ . ad judicium hoc modo adimus , ut totam litem aut obtineamus , aut amittamus . ad arbitrium hoc modo venimus , ut neque nihil , neque tantum , quantum postulavimus , consequamur . ejus rei ipsa verba formulæ testimonio sunt . quid est in judicio? directum , asperum , simplex , Si paret sestertium ıↃↃↃ. dari . hic nisi planum facit , sestertium ıↃↃↃ. ad libellam sibi debere , caussam perdit . quid est in arbitrio? mite , moderatum , Quantum æquius melius sit dari .* Arbitrariæ vero quædam fuere prætoriæ in rem , ut Publiciana , & Serviana ; quædam in personam , ut eæ , quibus de eo agitur , quod aut metus caussa , aut dolo malo factum est : item cum id , quod certo loco promissum est , petitur . item actio ad exhibendum . Hinc formulæ intentionum natæ : *Ajo , Mævium metu me coegisse , ut aureos centum darem , eumque quantum æquius melius videbitur , mihi dare oportere . Ajo , Mævium mihi stipulanti spopondisse , se centum tritici modios Bononiæ daturum , eumque , quantum æquius melius videbitur , mihi dare oportere . Ajo , Mævium mihi vestem exhibere debere , & quantum æquius melius videbitur , mihi dare oportere .* In omnibus autem arbitrariis formulis subauditur , *Nisi ea res mihi restituatur .* quod post in formulis judicii dandi magis apparebit . Porro autem actiones ex fide bona fuerunt in personam hæ , empti , locati , pro socio , fiduciæ , rei uxoriæ , negotiorum gestorum , mandati , tutelæ , depositi , commodati , pignoris , præscriptis verbis ; & mistæ duæ , nempe familiæ erciscundæ , & communi dividundo . Harum autem intendendarum formulæ fuerunt hæ : *Ajo , te mihi domum vendidisse , aut locasse : teque mihi ex æquo , & bono dare , facere oportere , quidquid alterum alteri empti , sive locati nomine dare facere oportet ex fide bona .* Eadem ratione in ceteris , quæ nascuntur ex contractibus . Hoc vero præcipui fuit in fiducia , & re uxoria , quod in fiducia ita intentum est : *Ajo , te mihi domum illam , quam tibi mancipavi , ut mihi remancipares , ut inter bonos bene agi oportet , sine fraude remancipare oportere .* In re uxoria vero ita : *Ajo , me tibi præter dotem peculium , & patrimonium meum dedisse , teque mihi , quantum æquius melius sit , dare oportere .* Differt autem uxoria actio ab actione de dote , quod illa ad dotem tantum pertinet , hæc etiam ad peculium , & patrimonium uxoris .

Mistarum autem formulæ hæ fuerunt : *Ajo , te familiam dividere debere , & quod eo nomine alterum alteri ex æquo , & bono dare facere oportet , te mihi ex fide bona dare facere oportere . Ajo , te res communes dividere oportere , & quod alterum alteri ex æquo , & bono dare facere oportet , te mihi ex fide bona dare facere oportere .* Differunt autem bonæ fidei actiones ab arbitrariis , quod in iis restitutionis mentio fiat , in his non fiat . Ac quemadmodum quidem sive lis , sive actio intenderetur , atque acciperetur , hæc hactenus .

CAP. XXII.

De judicibus .

CONCEPTA , ut demonstravimus , actionis intentione , actor judicium , sive judicem in eam a prætore postulabat . Si judicem postulavit , aut eum , qui proprie judex appellatus est , aut arbitrum postulavit ; si judicium , aut recuperatores , aut centumviros . Dicamus autem de singulis , antequam de eis postulandis agamus .

JUDEX cognovit caussas omnes & juris , & facti , sed quæ essent , & leviores , & ad dijudicandum faciliores . ARBITER , quæ Bonæ fidei , & Arbitrariæ appellatæ . Unde Festus : *Arbiter est , qui totius rei arbitrium habet , & potestatem .*

RECUPERATORES dicti fuerunt , qui de rebus privatis recipiendis , reddendisque cognoscebant . Idem Festus : *Reciperatio , ut ait Gallus Ælius , est , cum inter populum , & reges , nationesque , & civitates peregrinas lex convenit , quomodo per reciperatores reddantur res , recipianturque , resque privatas inter se persequantur .* Horum mentio est apud Livium libro XXVIII. *Scipio tres recuperatores cum se daturum pronunciasset , qui caussa cognita , testibusque datis judicarent , uter prior in oppidum transcendisset , Lælio , & Sempronio advocatis partis utriusque P. Cornelium de medio adjecit . eosque tres recuperatores considere , & caussam cognoscere jussit .* & libro XLIII. *L. Canulejo prætori negotium datum est , ut in singulis , a quibus Hispani pecunias peterent , quinos recuperatores ex ordine senatorio daret .* & apud Gellium libro XX. *Prætores legem XII. tabularum , Si injuriam faxit , XXV. æris pœna sunto , abolescere censuerunt , injuriisque æstimandis recuperatores se daturos edixerunt .* & Cicero in Rhetoricis judicium injuriarum a prætore datum judicium recuperatorium vocat , dicens : *Non oportet in recuperatorio judicio ejus maleficii , de quo inter sicarios quæritur , præjudicium fieri .* & in veteribus legibus : *Consulis , prætoris , quicunque erit , de ea re jurisdictio , judicii , judicis , recuperatorumve datio est .* Animadvertere etiam licet , eundem pro Cæcina ad recuperatores agere a P. Dolabella prætore urbano datos , ut judicarent , an qui dejecisse dicebatur , restituisset . Quibus ex locis omnibus apparet , recuperatores tantum datos , cum de facto esset controversia .

CENTUMVIRI vero , teste Festo , judices fuerunt , ex singulis tribubus terni ad judicandum asciti , numero centum , & quinque . sed quo facilius appellarentur , Centumviri dicti . Judicia autem fere fecerunt de iis controversiis , in quibus non de facto , sed de æquitate , & jure certatum est , ut scribit in primo de oratore Cicero . *Volitare in foro , hærere in jure , ac prætorum tribunalibus , judicia privata magnarum rerum obire , in quibus sæpe non de facto , sed de æquitate , & jure certetur , jactare se in caussis centumviralibus , in quibus usucapionum , tutelarum , gentilitatum , agnationum , alluvionum , circunluvionum , nexorum , mancipiorum , parietum , luminum , stillicidiorum , testamentorum ruptorum , aut ratorum , ceterarumque rerum innumerabilia jura versentur , cum omnino quid suum , quid alienum , quare denique civis , an peregrinus , servus , an liber sit , ignoret , insignis est impudentiæ .* & post : *Nam quod maximas centumvirales caussas in jure*

jure positas protulisti. Item pro Cæcina: *L. Crassus judicio centumvirali hanc sententiam defendit, Curium, qui heres institutus esset, ita mortuo postumo filio, cum filius non modo non mortuus, sed ne natus quidem esset, heredem esse oportere*. & Quinctilianus libro IV. *Cum vel nulla expositio est, vel de re constat, de jure quæritur, ut apud centumviros, filius, an frater debeat esse intestato heres*. Testamenta item a centumviris confirmata, aut rescissa fuisse, ostendit pluribus exemplis Valerius. & eosdem de inofficioso testamento cognovisse, Scævola, & Paulus testes sunt D. de inofficioso testamento. De hereditatibus vero Cicero de lege agraria: *Primum populi Rom. hereditatem decemviri judicent, cum vos volueritis de privatis hereditatibus centumviros judicare?* Quin etiam iidem de caussis juris gravissimis, & obscurissimis judicasse dicuntur. De gravissimis a Tacito in dialogo de oratore: *Lege Pompeja olim omnia apud prætores gerebantur, apud quos quod majora olim negotia exerceri solita sint, quod majus argumentum est, quam quod caussæ centumvirales, quæ nunc primum obtinent locum, adeo splendore omnium judiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis, neque Cæsaris, neque Bruti, neque Cœlii, neque Calvi, non denique ullius magni oratoris liber apud centumviros dictus legatur exceptis orationibus Asinii Pollionis*. de obscurissimis indicat Seneca libro III. de beneficiis: *De quibusdam etiam imperitus judex dimittere tabellam potest, ubi fecisse, aut non fecisse pronunciandum est, ubi prolatis cautionibus controversia tollitur, ubi inter disputantes ratio jus dicit. ubi vero animi conjectura capienda est, ubi id, de quo sola sapientia decernit, in controversiam incidit, non potest ad hæc sumi judex ex ordine selectorum, quem census in album, & equestris hereditas misit*. Hoc autem præterea videtur significare, judices, & recuperatores lectos esse a prætoribus ex censu ex corpore selectorum. Unde dixit Gellius lib. XIV. *Quo primum tempore a prætoribus lectus in judices sum, ut privata judicia susciperem*. Centumviros autem scribit Festus ex singulis tribubus ternos lectos, Dio vero lib. LIV. a decemviris sorte eductos. Quin etiam iidem hasta posita judicarunt, ita ut Valerius de inofficioso testamento centumvirale judicium Hastæ judicium vocet.

CAP. XXIII.

De judice, & judicio postulando.

CONCEPTA igitur, ut eo redeam, unde digressus sum, actionis intentione litigatores pro natura actionis aut judicem, aut recuperatores, aut judicium a prætore postularunt. Hoc enim jus fuit magistratus ejus, cujus fuit jurisdictio, ut hæc dare postulantibus posset. Indicant leges veteres magistratuum: *Consulis, prætoris, censoris quicunque erit, de ea re jurisdictio, judicii, judicis, recuperatorumve datio esto*. item: *Magistratus, cujus de ea re jurisdictio erit, ad quem de ea re in jus aditum erit, ita de ea re jus dicito, judicia recuperationis dato, uti eos recuperare possint*. Agamus de singulis.

JUDICIS nomine ipsum sive judicem, sive arbitrum, cum unus postulabatur, significarunt. ea vero res in hunc modum est acta. Si res ageretur ejusmodi, ut lis de facto, aut de certo jure esset, & minime controverso, actor judicem adversario, quem ipsi commodum erat, ferebat in verba sponsionis: *Ni ita esset, multi privatim ferebant Volscio judicem*. item: *Se illi judicem ferre: Ni vindicias in servitutem ab libertate dederit*. Rogabat autem eum, ut eo contentus esset, & non alium posceret, his verbis, de quibus Festus: *Si alium procas, nive alium procas*. *Est enim poscere procare, quod dicitur in judice collocando*. Sin autem judex, quem actor ferebat, a reo probabatur, tum judex convenire dicebatur. Hoc ostendit Cicero pro Q. Roscio: *Quem si ferrem Judicem, refugere non deberet, quo modo testem productum reprehendere audebit?* & Valerius libro II. *Judex convenit Calatinus*. Verum multo clarius idem Cicero pro Cluentio: *Neminem voluerunt majores nostri non modo de existimatione cujusquam, sed ne de pecuniaria quidem re esse judicem, nisi qui inter adversarios convenisset*. Ubi vero judex convenerat, postulabatur a prætore, verbis simul sponsionis allatis, in quæ postulabatur. Asconius: *Cum in rem aliquam agerent litigatores, & pœna se sacramenti peterent, judicem poscebant*. Formula postulandi hæc erat: *Judicem, arbitrumve postulo, uti des in diem tertium, sive perendinum*. Unde dixit Cicero pro Murena: *Illud mihi mirum videri solet, tot homines, tam ingeniosos, per tot annos etiam nunc statuere non potuisse, utrum diem tertium, an perendinum, judicem, an arbitrum, rem, an litem dicere oporteret*. Cicero pro Cæcina: *Arbitrum familiæ erciscundæ postulavit*. Hinc etiam adigere arbitrum, & sumere arbitrum, dicebatur. Eadem ratio in postulando recuperatorio, & centumvirali judicio fuit. Cicero pro Cæcina: *Cœpit Scandilius recuperatores, aut judicem postulare*. Non postulabantur autem centumviri, nisi utrique litigatores in eos subscripsissent. Plinius epistolarum libro quinto: *Posthæc ille subscripsit centumvirale judicium, mecum non subscripsit*.

CAP. XXIV.

De judice, & judicio dando.

UBI judex, aut recuperatores, aut centumviri postulati sunt, in arbitrio prætoris fuit aut dare, aut non dare, prout in Edicto proposuerat. Unde Plautus in Bacchidibus: *Postquam quidem prætor recuperatores dedit, Damnatus demum vi coactus reddidit ducentos, & mille Philippum*. Si dedit, dedit eos, qui salva lege dari potuerunt. Siquidem scribit Paulus D. de judiciis: *Non omnes judices dari possunt ab iis, qui judicis dandi jus habent. quidam enim lege impediuntur, ne judices sint, quidam natura, quidam moribus. natura, ut surdus, & mutus, & perpetuo furiosus, & impubes, quia judicio carent; lege, qui senatu motus est; moribus, fœminæ, & servi, non quia non habent judicium, sed quia receptum est, ut civilibus officiis non fungantur*. Dedit etiam in ea verba, quibus sunt postulati. Hæc vero fuit formula quædam ab ipsa intentione actionis, & conceptione sponsionis accepta, & quidem hoc modo: *Esto judex, & si pareat, rem ita esse, pronuncia*. Unde scripsit Festus: *Parret, quod est in formulis, debuit non gemino R. scribi, ut fieret Paret, quod est inveniatur*. In plerisque autem actionibus jubebant, alterum litigatorum damnari. Ex quo scriptum est a Justiniano, omnia judicia fuisse absolutoria. Quemadmodum vero singulæ formulæ intentionum ad formulas judiciorum sint redactæ, breviter superioribus exemplis repetitis, demonstremus. In Vindicatione rei corpus habentis: *C. Aquilli judex esto: si paret, fundum Capenatem, de quo Servilius agit cum Catulo, Servilii esse ex jure Quiritium, neque is Servilio a Catulo restituatur, tum Catulum damnato*. Hinc reprehendit Verrem Cicero, qui in hæc verba judicem dedit: *C. Octavi judex esto: si paret, fundum Capenatem, ex jure Quiritium Publii Servilii esse, neque is fundus Quinto Catulo restituatur: cum debuisset dicere, neque is fundus Servilio restituatur*. Quod si exceptio interce-

deret, addebat: *Extra quam si testamentum prodatur, quo apparet, Catuli esse*. Sæpe tamen prætor reo iniquus exceptionem addere noluit. qua de caussa tribuni pl. appellari poterant. Quod ostendit Cicero in Lucullo: *Postulat, ut excipiantur hæc inexplicabilia. tribunum aliquem censeo adeant. a me istam exceptionem nunquam impetrabunt*. In Vindicatione rei corpore vacantis ita: *Si paret, usumfructum fundi Servilii esse Mævii, neque Servilius eum uti frui sinat, tum Servilium damnato. Si paret, jus eundi, agendi per fundum esse Mævii, neque Servilius eum ire agere sinat, tum Servilium damnato. Si paret, jus ex fundo Servilii, aquam ducendi, vel jus versus ædes Servilii altius tollendi esse Mævii, neque Servilius aquam ducere, aut altius tollere sinat, tum Servilium damnato*. Item in caussa libertatis, & ventris: *Si paret, Servilium liberum, aut ingenuum esse, liberum, aut ingenuum pronunciato. Si paret, Stichum servum, aut libertum Mævii esse, servum, aut libertum pronunciato*. Hanc autem fuisse formulam cognoscitur ex Digestis de caussa liberali. In Condictione vero ita: *Si paret, Servilium Mævio mutui aut depositi nomine centum dare oportere, neque eos restituerit, Servilium damnato. Si paret, Servilium domum, aut navim ædificare, aut vestem polire ex stipulatu oportere, neque satisfacerit, eum damnato. Si paret, Mævium Servilio mercedem, da quia inter eos conveniat, ob polita ejus vestimenta dare oportere, neque dederit, eum damnato. Si paret, vestem, quam Stichus Mævio furto abstulit, Mævii esse, neque Stichus eam restituerit, Stichum damnato*. In mistis ita: *C. Aquilli judex esto. itaque familiam hercifcitor, ut quod cuique ex heredibus adjudicandum esse videbitur, quodque Servilium Mævio dare facere oportet, judices*. Item: *Judex esto. itaque res communes Servilii, & Mævii dividito, ut quod cuique adjudicandum videtur, quodque Servilium Mævio dare, facere oportet, judices*. Item: *Judex esto. itaque fines agrorum dirigito, ut quod cuique adjudicandum esse videbitur, quodque Servilium Mævio dare facere oportet, judices*. In pœnalibus actionibus hoc modo: *Judex esto. Si paret, Mævium centum Servilio abstulisse, & manifesto deprehensum esse, Mævium in quadringentos damnato. Si paret, Mævium Servilio vestem eripuisse, atque ejus rei nomine eum in quadruplum Servilio dare oportere, Mævium in quadruplum damnato. Si paret, Mævium Stichum servum Servilii interfecisse, factumque illud inficiatum esse, Mævium in duplum, quanti ea res eo anno plurimi fuerit, damnato*. Item in ceteris, quæ sequuntur hujus generis. In iis vero, in quibus pars petitur, hoc pacto: *Si paret, Mævium Lucio Servilii filio centum mutuo dedisse, tum Lucius pater, quantum ex filii peculio facere poterit, damnetur. Si paret, Terentiam Tullio centum nomine dotis dedisse, tum Tullius, quantum facere poterit, damnetur*. In iis vero, in quibus cum dominis agitur caussa servorum, ita: *Si paret, Servilium Sticho Mævii servo jussu Mævii centum credidisse, neque Mævius Servilio satisfaciat, tum Mævius damnetur. Si paret, Mævium Sticho, quem Servilius ei navi, quam exercet, magistrum præfecerat, centum aureos ejus rei caussa, cui præfectus erat, credidisse, neque Servilius Mævio satisfecerit, tum Servilius damnetur. Si paret, Mævium peculiares Stichi servi sui merces ex edicto non distribuisse, tum quanto minus tributum sit, quam debuerit, tanti damnetur. Si paret, Servilium Sticho Mævii servo centum credidisse, ut Mævii domum labentem fulciret, tum Mævius quatenus & in rem versum, & in peculio Stichi esse constabit, damnetur. Si paret, Stichum Mævii servum Servilio noxam nocuisse, tum Mævius aut solvere, aut Stichum noxæ Servilio dedere, damnetur. Si paret, ursum Mævii aut vulnus Servilio intulisse, aut vestem lacerasse, tum Mævius aut quanti æquum esse videatur, aut duplum, quanti vestis est, damnetur*. In actionibus vere Bonæ fidei hoc modo: *Si paret, Mævium Servilio domum aut vendidisse, aut locasse, tum quantum Mævium Servilio ob eam rem dare ex fide bona oportet, tanti damnetur. Si paret, Mævium Servilio domum mancipasse ea lege, ut remanciparet, ut inter bonos viros bene agi oportet, tum quantum Servilium Mævio dare ob eam rem ex fide bona oportet, tantum damnato. Si paret, Terentiam Tullio præter dotem alia dedidisse, tum quantum æquius melius videbitur, Tullium damnato*. Item: *Familiam hercifcitor, & quod cuique ex heredibus ex æquo bono adjudicandum esse videbitur, quodque alterum alteri ex fide bona dare facere oportebit, arbitrator*. In arbitrariis ita: *Esto arbiter, & si paret, Mævium metu coegisse Servilium, ut centum daret, aut dolo malo iniquis ponderibus usum, ut eum fraudaret, aut eidem stipulanti spopondisse, se centum tritici modios Bononiæ daturum, neque arbitrio judicis ei satisfaciat, tum quantum Servilius in litem juraverit, tanti damnato. Si paret, Mævium vestem, quam Servilius exhiberi postulat, habere, neque is arbitrio judicis eam exhibeat, tum quanti in litem Servilius jurarit, tanti damnato*. Hoc autem ita esse confirmat etiam Seneca libro III. de beneficiis, inquiens: *Melior videtur conditio caussæ bonæ, si ad judicem, quam ab arbitrum mittitur. quia illa formula includit, & certos, quos non excedat, terminos ponit: hujus libera, & nullis astricta vinculis religio & detrahere aliquid potest, & adjicere, & sententiam suam non prout lex, aut justitia suadet, sed prout humanitas, aut misericordia impulit, regere*.

CAP. XXV.

De testibus.

UBI prætor judicem, ac judicium hoc modo dederat, tum deinceps numerum testium, quibus denunciaretur testimonium, præscribebat, qui plerunque decem fuerunt. Indicat hoc Edictum prætoris de recuperatorio judicio dando, cujus meminit Probus in libro de Notis: *Quanti ea res erit, tantæ pecuniæ judicium recuperatorium dabo, testibus publice duntaxat decem denunciandi potestatem faciam*. Indicat lex Manilia de limitibus per tempora belli Jugurthini lata, quæ est apud Frontinum in lib. de limitibus, cujus capite V. sic scriptum erat: *Cum curator hac lege non erit, tunc quicunque magistratus in nova colonia, municipio, præfectura, foro, conciliabulo juredicundo præerit, ejus magistratus de ea re jurisdictio, judicisque datio, addictioque esto. inque eam rem is, qui hac lege judicium dederit, testibus publice duntaxat in res singulas decem denunciandi potestatem facito*. Cum autem denunciandi potestatem dicebant, præcisa oratione denunciandi testimonii facultatem intelligebant. Sic enim Valerius est loquutus, ut post suo loco planum faciemus.

CAP. XXVI.

De appellatione tribunorum plebis.

INVENIO etiam, eum unde petebatur, dante prætore actori judicium, tribunos plebis appellasse, & judicium recusasse, ut C. Antonium, de quo Asconius in orationem in toga: *Antonius multos in Achaja spoliaverat. deinde Græci, quos spoliaverat, eduxerunt eum in jus ad M. Lucullum prætorem, qui jus inter peregrinos dicebat. & cum Lucullus*

id, quod Græci postulabant, decrevisset, appellavit tribunos pleb. Antonius, juravitque se ideo ejerare, quod æquo jure uti non posset. An vero hoc jure fecerit Antonius, haud immerito ambigi potest. siquidem post a censoribus senatu motus est, quod judicium recusarit. item in satisdatione, Cicero pro Quinctio: *Negas Alphenus æquum esse procuratorem satisdare, quod reus satisdare non deberet, si ipse adesset. appellantur tribuni. a quibus cum esset certum auxilium petitum, ita tamen disceditur, ut Idibus Septembris P. Quinctium sisti Sex. Alphenus promitteret*. & post de eadem re: *Cujus procurator non omnia judicia acceperit, quæ quisque in verba postulaverit, cuius procurator a prætore tribunos appellare ausus sit*. Qui vero appellatus erat, is intercedere auxilii caussa poterat. In Antonium: *Non venirem contra injuriam, quam iste intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit, non jure prætorio?*

CAP. XXVII.

De satisdationibus & contestatione litis.

DATO inde, acceptoque judicio satisdationes præstitæ sunt vel ab ipsis litigatoribus, vel ab eorum procuratoribus. Fuerunt vero satisdationes duæ, *judicatum solvi*, & *rem ratam haberi*. quorum alterum ad actorem, alterum ad procuratorem pertinebat. Ac si actio esset in personam debitoris, procuratores soli satisdabant; actorum quidem de rato; reorum vero, judicatum solvi. Itaque in Edicto ita fuit: *Cujus nomine quis actionem dari sibi postulaverit, ei, quo nomine agit, id ratum habere eum, ad quem ea res pertineret, boni viri arbitratu satisdet*. Cicero ad Atticum libro XVI. *Possumus, ut sponsores appellentur, procuratorem introducere: neque enim illi litem contestabuntur. quo facto non sum nescius, sponsores liberari. sed & illi turpe arbitror, eo nomine, quod satisdato debeat, procuratores ejus non dissolvere*. Pro Quinctio: *Iste postulat, ut judicatum solvi satisdaret*. Item: *A Dolabella prætore postulat, ut sibi Quinctius judicatum solvi satisdet ex formula*. Illud etiam præcipui moris fuit in caussis bonæ fidei, & arbitrariis, ut qui arbitrium adigerent, aliquando pecuniam deponerent, quæ compromissum dicebatur. Cicero pro Q. Roscio: *Quæro abs te, quid ita de hac pecunia compromissum feceris, arbitrium sumpseris, quantum æquius melius sit dari, repromittique, si pateret*. De compromisso autem sic Paulus D. de recept. & qui arbitr. *Compromissum ad similitudinem judiciorum redigitur*. & Proculus D. pro socio: *Arbitrorum duo genera, unum hujusmodi, ut sive æquum, sive iniquum esset, ei parere necessum foret. quod tunc observabatur, cum ex compromisso ad arbitrum isset: alterum ejusmodi, ut ad boni viri arbitrium deberet redigi*.

His vero rebus omnibus absolutis litem contestabantur. Contestari autem litem tum dicebantur, inquit Festus, *cum ordinato judicio utraque pars dicebat, Testes estote*. Unde alio loco: *Reus est, qui cum altero litem contestatam habet, sive is egit, sive cum eo actum est*. Cicero pro Q. Roscio: *Lite contestata, judicio damni constituto, tu sine me cum Flavio decidisti*. Atque his demum rebus perfectis uterque litigator sibi denunciabat in perendinum diem. nam in eum judex datus fuerat. Unde ea denunciatio Comperendinatio, & Condictio dicta. Festus: *Res comperendinata significat judicium in diem tertium constitutum*. Asconius: *Comperendinatio est, ab utrisque litigatoribus invicem sibi denunciatio in perendinum diem. namque cum in rem aliquam agerent litigatores, & pœna se sacramenti peterent, poscebant judicem, qui da-*

A *batur post tertium diem. quo dato deinde inter se in perendinum diem, ut ad judicium venirent, denunciabant*. Festus: *Condictio est in diem tertium ejus rei, quæ agitur, denunciatio*. Quod si cum peregrino res esset, ille dies status dicebatur. Macrobius: *Stati dies, qui judicii caussa cum peregrino instituuntur: ut Plautus in Curculione: Status condictus cum hoste dies. Hostis nunc more vetere significat peregrinum*. Apud Probum etiam illæ notæ I. D. T. S. P. in actionibus exponuntur: *In diem tertium, sive perendinum*.

Est autem illud intelligendum, universam judicii privati formam sive legibus, sive moribus fuisse B contentam, quousque Augustus imperator, cum remp. constitueret, legem Juliam tulit, qua diligentius hæc omnia sanxit. Meminit ejus legis Gellius libro XIV. inquiens: *Atque in rerum quidem diffisionibus, comperendinationibus, & aliis quibusdam legitimis in rebus ex ipsa lege Julia, & ex Sabini Massurii, & ex quorundam aliorum Jurisperitorum commentariis commoniti, & adminiculati sumus*. Meminit item ejus Ulpianus D. de receptis: *Si quis judex sit, arbitrium recipere ejus rei, de qua judex est, inve se compromitti jubere prohibetur lege Julia. & si sententiam dixerit, non est danda pœnæ persecutio*. C item Callistratus: *Cum lege Julia cautum sit, ne minor annis viginti judicare cogatur, nemini licere, minorem viginti annis compromissarium judicem eligere*.

CAP. XXVIII.

De judicio faciendo.

UBI vero dies tertius accessit, tum judicium factum est: nisi aut judex, aut alter litigatorum absuit. Quod si caussa absentiæ fuit D morbus, dies judicii prolatus est. sic enim erat scriptum in XII. *Si judex, alterve ex litigatoribus morbo sontico impediatur, judicii dies diffisus esto*. Hinc Paulus D. de judiciis: *Judex datus in eodem officio permanet, licet furere cœperit, quia recte ab initio judex addictus est. sed judicandi necessitatem morbus sonticus remittit*. Sonticum autem morbum in XII. Festus ex Ælii Stilonis sententia ait significare certum cum justa caussa. Julianus D. de re judicata: *Morbus sonticus etiam invitis litigatoribus, ac judicibus diem differt. Sonticus autem existimandus est, qui cujusque rei agendæ impedimento est*. Gellius libro XX. *Morbum vehementiorem* E *vim graviter nocendi habentem XII. tabularum scriptores non per se morbum, sed morbum sonticum appellarunt*. Venulejus D. de ædilicio edicto: *Quotiens morbus sonticus nominatur, eum significari Cassius ait, qui noceat. nocere autem intelligi, qui perpetuus est, non qui tempore finiatur. sed morbum sonticum eum videri, qui inciderit in hominem, postquam is natus sit. sontes enim nocentes dici*. Diem autem diffindere est, proferre, & in aliud tempus rejicere. Gellius libro septimo: *In rerum diffisionibus, & comperendinationibus*: Livius libro IX. *Et legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem* F *diffidit*.

Postquam autem judex venit, extemplo ad jurandum accessit, se ex lege judicaturum. Arbiter enim non juravit. Formula jurisjurandi solemnis fuit: *Ex animi sententia*. locus in comitio ad aram, quæ puteal Libonis dicebatur. De formula scribit Cicero in Lucullo: *Majores nostri ex animi sui sententia jurare quenque voluerunt; deinde ita teneri, si sciens falleret. quod inscitia multa versaretur in vita*. & Justinianus: *Cui non cognitum est, antiquos judices non aliter judicialem calculum accepisse, nisi prius sacramentum præstitissent, omni*

modo se cum veritate, & legum observatione judicium esse deposituros. Solemne autem jusjurandum erat jurare Jovem lapidem. quale est apud Plautum in ipsius Aulularia: *Si te ego sciens fallo, ita me ejiciat Diespiter bonis, salva urbe, & arce, ut ego hunc lapidem*.

De comitio idem in Curculione: *Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium*. In comitio vero fuisse puteal ostendit Cicero de Divinatione: *Cotem illam, & novaculam defossam in comitio, supraque impositum puteal accepimus*. Idem autem fuisse puteal Libonis docet Sex. Rufus in libro de regionibus urbis, in foro Roman. describendo: *Senaculum aureum, puteal Libonis, comitium*. Puteal vero Libonis ara fuit. indicant nummi argentei veteres, in quibus est imago aræ cum his verbis: *Puteal Scribonii*. Scriboniorum vero cognomen fuit Libo. Hinc Horatius libro primo Epistolarum:

---- *forum, putealque Libonis*
Mandabo siccis.

& libro II. Sermonum: *Ante secundam Roscius orabat, sibi adesset ad puteal cras*. Videtur autem de advocato loqui, qui ab amico rogabatur, ut ad puteal sibi adesset. Atque eodem etiam respexisse videtur Persius Satyra IV. de eo, qui ad puteal pejeraret:

Si puteal multa cautus vibice flagellas.

Jurasse autem aram tenentes, ostendit Cicero pro Flacco: *Ergo is, cui si aram tenens juraret, crederet nemo, per epistolam quod volet injuratus probabit?*

Quod si judex venit, litigatorum autem alter non venit, neque morbum excusavit, tum prætor peremptorium edictum in eum edidit. De quo sic Ulpianus D. de judiciis: *Ad peremptorium judicium hoc ordine venitur, ut primo quis petat post absentiam adversarii edictum primum, mox alterum, & tertium. Quibus propositis tunc peremptorium impetret, quod inde hoc nomen sumpsit, quod perimeret disceptationem, hoc est, ultra non pateretur adversarium tergiversari. In peremptorio autem comminatur is, qui edictum dedit, etiam absente diversa parte cogniturum se, & pronunciaturum. Nonnunquam hoc edictum post tot numero edicta quæ præcesserint, datur; nonnunquam post unum, vel alterum; nonnunquam statim, quod appellatur unum pro omnibus. Hæc autem æstimare oportet eum, qui jus dicit, &, pro conditione caussæ, vel personæ, vel temporis, ita ordinem edictorum, vel compendium moderari*.

Ubi vero uterque litigator advenit, judex utrumque jurare jussit. Id jusjurandum calumniæ juramentum appellarunt. Nam actor quidem juravit, se non calumniæ caussa litem intendere, reus vero, se non calumniæ caussa inficiari. Cicero pro Milone: *Qui calumnia litium alienos fundos petebat*. Idem pro Q. Roscio significat, actorem jurasse in litem. *Pro dii immortales*, inquit, *esse ne quenquam tanta audacia præditum, qui quod nomen referre in tabulas timeat, id petere audeat? quod in codicem juratus referre noluit, id jurare in litem non dubitet?* Id autem interpretantur Jurisconsulti, actorem jurasse se litem ex æquo, & bono æstimaturum. cujus rei rationem affert Marcellus D. de in litem jurando: *Quod cum dominus rem suam vendere cogatur, hæc tamen ei potestas relinquenda est, ut rem non precio, id est, quanti est, sed quanti interest, ea carere, arbitrio suo definiat*.

Atque unus quidem judex si fuit, is unum, aut duos judicii socios jurisperitos sibi adjunxit. Unde Gellius libro XII. *Cur hoc non rogas aliquem ex jurisperitis istis, quos adhibere in consilium judicaturi soletis?* Ita in caussa Quinctii judex datus a prætore C. Aquillius tres Jurisconsultos L. Lucullum, P. Quinctilium, & M. Marcellum in consilium advocavit. ipse sedit juratus, alii injurati. non enim judicarunt, sed consilium communicarunt. Unde illa:

A *Non eo dico, C. Aquilli, quo mihi veniat in dubium tua fides, & constantia, aut quo non in iis, quos tibi advocasti, viris electissimis civitatis spem summam habere P. Quinctius debeat*. Item in caussa Q. Roscii C. Piso judex a prætore datus fuit, Pisoni vero M. Perperna in consilio affuit. Hic autem judex sæpe stans judicavit, sed, ut verisimile videtur, de re parva. Unde dixit Cicero in Bruto: *In comitium veniunt, ad stantem judicem dicunt*. Quemadmodum autem tales judices cognoscerent, paucis exponit Titius in oratione apud Macrobium libro III. loquens de judicibus sui temporis: *Veniunt in comitium tristes, jubent dicere. quorum negotium est, narrant. Judex testes poscit. ipsus it minctum. ubi redit, ait, se omnia audivisse, tabulas poscit, litteras inspicit. vix præ vino sustinet palpebras*.

B

Cum autem litigatores, sive patroni eorum jussi essent dicere, tum vero duobus modis dixerunt, uno paucis, altero pluribus verbis. Brevem expositionem appellarunt caussæ conjectionem. De qua sic Asconius: *Cum litigatores ad judicem venissent, antequam caussa ad judicem ageretur, quasi per indicem rem exposuerunt. atque id ipsum dictum est caussæ conjectio, quasi caussæ suæ in breve coactio*. Hinc lex XII. tabularum: *Ante meridiem caussam conjicito, cum ambo perorant præsentes*. testis est Gellius libro XVII. apud quem tamen legitur, *conscito*. Idem libro V. *Cum ad judices conjiciendæ, consistendæque caussæ gratia venisset*. Afranius apud Nonium: *Caussam conjicere apud te volo. ambon adestis. profuturos arbitror*. Longioris expositionis exemplo sint caussæ a Cicerone defensæ P. Quinctii, & Q. Roscii. Caussa vero acta ita est, ut testibus, litteris, & argumentis ex ipsa re, qua de agebatur, depromptis utrinque certatum sit. Ejus rei conficiendæ, ac status excogitandi, atque eo probationes omnes conferendi artificium in libris oratoriis multis verbis est

C

D demonstratum: neque enim in aliis præceptis antiqui rhetores tam Græci, quam Latini plus studii, aut operæ consumpserunt. De testibus, & tabulis, si qua ad hunc locum pertinent, tum afferemus, cum de publicis judiciis differemus.

Quæ adhuc de judice, & illius cognitione diximus, ea fere pro rei natura accommodari quoque ad recuperatores & centumviros possunt, quorum mentio est infrequentior. ac recuperatorii quidem judicii exemplum sit caussa Cæcinæ a Cicerone defensa. Centumviralis nulla extat memoria. Quoniam autem ejus longe alia ratio fuit, quam judicis, & recuperatorum, placet de eo pluribus disputare.

E Ad centumviros, ut dixi, caussas detulere prætores perplexi juris controversiam continentes. non tamen ipsi eis judiciis præfuere, credo muneribus aliis occupati, verum eas decemviris stlitibus judicandis attribuere, quos supra scripsi, ex consilio prætorio extitisse. Hi vero centumviros non solum sortiti sunt, sed etiam coegerunt, atque eis præfuerunt, & litigatores citarunt, & omnino hasta posita totum judicium pro suo arbitrio moderati sunt, non in foro, sed in basilicis, id est, in aulis, quæ ejus officii caussa constructæ erant, quarum illustres fuere Porcia, & Julia. Ipsa vero centumviralia judicia in plu-

F ra consilia distributa erant. & cognitio caussarum centumviralium in orbem per ea consilia circumducebatur, perinde atque hodie fit in Italia in judicialibus, quæ appellantur, Rotis. Quin etiam aliquot caussæ ejusmodi fuerunt, ut primum a decemviris, deinde a centumviris judicatæ sint, eæque præjudiciales appellantur. præjudicium nimirum ipsum decemvirum judicium, quod ante centumvirale factum est, nominatum. Præclara quidem, & ferme nova hæc omnia, sed sine certa veterum auctoritate infirma, Quare quæ invenimus, afferemus. Decemviros centumvirale judicium esse sortitos, docuit Dio

libro LIV. eorundem consilium coegisse, Suetonius, cum scripsit: *Augustum sanxisse, ut decemviri centumviralem hastam cogerent, quam quæstorii cogere consueverant*. eidem præfuisse, Pomponius, cum scripsit: *Decemviros institutos esse, ut hastæ præessent*. Sive enim ea sit hasta prætoria, sive decemviralis, sive centumviralis, parum refert, cum hasta pro privato judicio accipiatur. Mihi vero una, eademque omnium hasta videtur, nempe prætoria, quam decemviri & centumviri posuerint, ut judicium prætorium esse demonstraretur. Eosdem inde citasse litigatores, ostendit Ovidius scribens ad Pisonem:

Seu trepidos ad jura decem citat hasta virorum,
Et firmare jubet centeno judice caussas.

Itaque cum scripsit Suetonius in Domitiano: *Ambitiosas centumvirum sententias rescidit, recuperatores, ne se persuasoriis assertionibus accommodarent, identidem admonuit, nummarios judices cum suo quenque consilio notavit;* nescio an decemviros intellexerit, qui consiliis centumviralibus præsidebant, an eos judices, qui jurisperitos in consilium advocabant. Ceterum centumviralia judicia aucto numero judicum procedente tempore in quattuor consilia fuere tributa. Ostendit id aperte Plinius, & si regrediamur, ac tempora Plinio antiquiora consideremus, idem etiam Quinctiliani tempore, id est, Domitiano imperante observatum apud ipsum Quinctilianum reperiemus. &, quod multo insigniusest, Valerium idem significasse, prioribus etiam observatum temporibus inveniemus. Plinius ita loquitur epistolarum libro VI. *Fœmina splendide nata nupta prætorio viro, exheredata ab octogenario patre intra undecim dies quam ille novercam ei amore captus induxerat, quadruplici judicio bona paterna repetebat. sedebant judices centum & octoginta (tot enim quattuor consiliis conscribuntur) ingens utrinque advocatorum, & numerosa subsellia præstantium corona, latissimum judicium multiplici circulo ambibat.* & libro IV. *Cum apud centumviros dixissem, subiit recordatio, egisse me juvenem æque in quadruplici judicio.* Quinctilianus libro XII. *Trachalum, cum in basilica Julia diceret primo tribunali, quattuor autem judicia, ut moris est, cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent, & auditum & intellectum, quod agentibus ceteris contumeliosum fuit, laudatum quoque ex quattuor tribunalibus, memini*. Valerius libro septimo: *Cum improbissimis heredibus de paternis bonis apud centumviros omnibus non solum consiliis, sed etiam sententiis superior discessit*. Hic videmus quattuor consilia, & quattuor tribunalia primum nominari. ergo Valerius, cum *omnibus consiliis* dixit, centumviralibus intellexit. De basilica Julia idem Plinius in epistolis: *Descenderam in basilicam Juliam auditurus, quibus proxima comperendinatione respondere debebam.*

Fuerunt porro quædam caussæ, quæ & a decemviris, & a centumviris cognitæ sunt, ut de libertate, quæ duplex assertio dicta, & de ventre agnoscendo, & aliæ. Judicasse decemviros de libertate, docet Cicero pro Cæcina, his verbis: *Cum Arretinæ mulieris libertatem defenderem, & Cotta decemviris religionem injecisset, decemviri prima actione non judicarunt*. & pro domo: *Si decemviri sacramentum in libertatem non judicassent, tamen, quotiescunque vellet quis, in hoc genere se rem judicatam referre posse voluerunt*. Itaque libet suspicari, quæ apud Jurisconsultos præjudicia in caussis privatis dicuntur, ea decemvirum fuisse; judicia inde subsequuta centumvirum. Satis enim constat, Justinianum in libro de Actionibus, *præjudiciales actiones* vocare de libertate, & ventre cognoscendo. de libertate autem cognitum esse & a decemviris, & a centumviris ex testimonio Ciceronis est demonstratum. ex quo intelligitur, judicium decemvirum ratione subsequentis judicii centumviralis fuisse præjudicium. Atque in hanc quidem sententiam verba Ulpiani mihi videntur esse accipienda D. de in jus vocando: *Vel si qui præjudicio pronuncietur esse libertus, cum non fuerit*. Item D. de liberali caussa: *Si ea persona desit cognitioni, quæ alicui status controversiam faciebat, amittit suam caussam, nec ea res ingenuum facit eum, qui non fuit. nec enim pecunia adversarii ingenuitatem solet tribuere. Recte atque ordine judices puto facturos, si hanc formam fuerint consequuti, ut ubi deest is, qui in servitutem petit, electionem adversario deferant, utrum malit cognitionem circumduci, an audita caussa sententiam proferri. & si cognoverint, pronunciare debebunt, servum illius non videri*. Scilicet significat, ut ego opinor, optionem esse dandam ei, cujus de libertate agitur, an cognitionem caussæ suæ malit per centumviralia judicia circumduci, an audita a decemviris caussa non præjudicium, sed sententiam proferri. Ceterum judicium decemvirum præjudicium appellari, elici mihi quoque aperte videtur posse ex eodem Ulpiano D. si ingenuus esse judicetur. *Quoties*, inquit, *de hoc contenditur, an quis libertus sit, sive operæ petantur, sive obsequium desideretur, sive etiam famosa actio intendatur, sive in jus vocetur, qui se patronum dicit, sive nulla caussa interveniat, redditur præjudicium. sed & quoties quis libertinum quidem se confitetur, libertum autem C. Seii se negat, idem præjudicium datur, redditur autem alterutro desiderante*. Ex quibus verbis illud colligi præterea potest, si decemviri præjudicium caussis centumviralibus fecerunt, non omnibus tamen fecisse. Hinc Quinctilianus libro quinto scripsit: *Præjudicia etiam dicuntur, cum de eadem caussa pronunciatum est. ut in reis deportatis, & assertione secunda. & in partibus centumviralium, quæ in duas hastas divisæ sunt*. & libro XI. *Succurret etiam si apud alios judices agetur, ut in secunda assertione, aut in centumviralibus judiciis duplicibus, parte victa*. Quippe assertionem secundam appellasse videtur secundum judicium de libertate a centumviris factum, cum primum decemviri fecerint; partes centumviralium caussarum caussas aliquot, quæ duplicia sunt nactæ judicia, unum decemvirum, alterum centumvirum; itemque hastas duas, unam decemvirum, centumvirum alteram. ex quo factum est, ut ex duobus de eadem re judiciis factis primum præjudicium, secundum judicium dictum sit. Centumviralium porro caussarum quanquam nullæ extant neque apud Ciceronem, neque apud alium quenquam orationes, cum inter privatas essent gravissimæ, exempla tamen similium judiciorum multa attulit Valerius loquens de testamentis. Has autem caussas egere oratores eodem, quo superiores, artificio. cujus rei testimonio verba Ciceronis sunt in Rhetoricis: *Quidam pupillum heredem fecit. pupillus autem ante mortuus est, quam in suam tutelam veniret. De hereditate illa, quæ pupillo venit, inter illos, qui patris pupilli heredes sunt, & inter agnatos pupilli controversia est. possessio heredibus secundis a prætore secundum tabulas data est. Intentio agnatorum erit: Nostra pecunia est, de qua is, cujus agnati sumus, testatus non est. Depulsio: Immo nostra, quia heredes secundi testamento patris sumus. Quæstio, utrorum sit? Ratio. Pater enim & sibi, & filio testamentum scripsit, & secundum heredem non filio, sed sibi jussit esse. Quare, præterquam quod ipsius fuit, in testamento ullius vestrum esse non potest. Judicatio. Possit ne quisquam de filii pupillive re testari. An heredes secundi ipsius patrisfamilias, non filii quoque, ejus pupilli heredes sint*. Huc igitur omnia oratorum ex utraque parte argumenta intenta sunt. Oratorum autem dixi, quia Asconius ita scribit: *Qui defendit alterum in judicio aut patronus dicitur, si orator est; aut advocatus, si aut jus suggerit, aut præsentiam suam commodat amico; aut procurator,*

ſi abſentis negotium ſuſcipit; aut cognitor, ſi præſentis cauſſam novit, & ſic tuetur, ut ſuam. unde Cicero pro Murena loquens ad Ser. Sulpicium Juriſconſultum: *Si turpe exiſtimas, te advocato illum ipſum, quem contra veneris, cauſſa cadere.*

Hoc loco quemadmodum ſe gerere judicem oporteret, Cicero tertio de officiis declaravit his verbis: *At neque contra rempubl. neque contra jusjurandum, ac fidem amici ſui cauſſa vir bonus faciet, nec ſi judex quidem erit de ipſo amico. Ponit enim perſonam amici, cum induit judicis. tantum dabit amicitiæ, ut veram amici cauſſam eſſe malit, ut perorandæ litis tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Cum vero jurato dicenda ſententia ſit, meminerit Deum ſe adhibere teſtem, id eſt, ut ego arbitror, mentem ſuam, qua nihil homini dedit ipſe Deus divinius. Itaque præclarum accepimus a majoribus morem rogandi judicis, ſi eum teneremus, quæ ſalva fide facere poſſit.*

CAP. XXIX.

De ſententiæ latione.

CAUSSA demum utrinque perorata poſt meridiem ad ferendam ſententiam, quodcunque fuerit judicium, ventum eſt. Sic enim ſcriptum erat in lege: *Poſt meridiem præſenti litem addicito, ſi ambo præſentes. Sol occaſus ſuprema tempeſtas eſto.* Supremam autem nominat, quia poſt ſupremam jus dici, aut cauſſa cognoſci non poterat. Quod ſi judices cauſſam non intellexiſſent, dixerunt, *ſibi non liquere.* atque inde ſecunda actio inſtituta eſt. Gellius libro XIV. *Ut abſolveram, inducere animum non quivi. juravi mihi non liquere. atque ita judicatu illo ſolutus ſum.* Cicero pro Cæcina: *Utrum recuperatores his teſtibus non credidiſtis, cum, quid liqueret, non habuiſtis?* & in eadem: *Decemviri prima actione non judicaverunt.* Si vero in cauſſa nihil obſcuritatis habuerunt, ſententiam tulerunt.

Sententiæ porro ferendæ non una omnium judicum, neque in omnibus cauſſis ratio fuit. In nonnullis enim cauſſis, ut de libertate, & de ventre cognoſcendo pronunciarunt, *ſibi videri hominem aut liberum, aut ingenuum, aut ſervum, aut libertum, aut filium ejus eſſe, aut non.* Sic enim ſcribit Ulpianus D. de liberali cauſſa: *Pronunciare debebunt judices, ſervum illius non videri.* Item: *Cum non ingenuus pronunciatur, ſed ſervus non videri.* In actione vero injuriarum pronunciarunt, aut *Jure feciſſe*, aut *Non jure feciſſe videri*. Hoc eſt apud Juſtinianum titulo de injuriis. *Injuria*, inquit, *eſt ἀδικία, id eſt, iniquitas. Itaque cum prætor, vel judex, Non jure, contra quem pronunciat, injuriam accepiſſe dicitur.* Hinc nota illa vox eſt Cincinnati dictatoris, *ſe Mælium jure cæſum, pronunciare.* & Scipionis, *ſibi Gracchum jure occiſum videri.* & Tacitus libro XIV. *Pronunciemus ultro dominum occiſum videri.* Hoc cum ita ſit, tamen ſummi Juriſconſulti hanc ex verbis Juſtiniani ſententiam adhuc elicere non potuerunt. ſiquidem *Non jure pronunciare*, interpretantur injuſtam ſententiam ferre; locumque corrigunt ita, ut pro injuriam accepiſſe reponant injuriam feciſſe, hoc ſenſu: Cum judex inique pronunciat, injuriam ei feciſſe dicitur, contra quem pronunciat. cum potius hic ſit: Cum judex, *Non jure videri feciſſe*, pronunciat contra quem, tum demum qui paſſus eſt injuriam, accepiſſe dicitur, id eſt, tum demum eſt injuria, cum judex judicavit, *non jure factum eſſe*. Item in cauſſa exheredationis. Plinius libro quinto epiſtolarum: *Ego ex conſilii ſententia, Videtur, inquam, Curiane, mater tua juſtas habuiſſe cauſſas iraſcendi tibi.* In aliis cauſſis alterum condemnabant, alterum abſolvebant. Dicebant au-

A tem aut *Condemno*, aut *Ille debet*, aut *Solve*, aut *Redde*. Macer D. Quæ ſentent. *Si judex ita pronunciaverit: Cum conſtet, Titium Sejo ex illa ſpecie quinquaginta, item ex illa viginti quinque debere, idcirco Titium Sejo centum condemno.* Ulpianus D. de re judicata: *Si is, qui petit, ſummam expreſſerit, & judex ait, Solve quod petitum eſt, vel Quantum petitum eſt, valet ſententia.* Plautus in Rudente: *Quis me eſt mortalium miſerior, qui vivit alter hodie? Quem modo damnavit ad recuperatores Pleuſidippus. Abjudicata a me eſt Palæſtra. perditus ſum.* Cicero in II. de finibus: *Privatarum litium judices ſumus. nihil enim poſſumus judicare, niſi quod*
B *eſt noſtri judicii, in quo fruſtra judices ſolent addere, ſi quid eſt noſtri judicii.* & ad fratrem in epiſtolis: *Prætor judicare ſolet deberi.* Abſolvendi vero formula fuit: *Secundum illum litem do.* Cicero pro Q. Roſcio: *Quo minus ſecundum eos lis detur, non recuſamus.* Seneca controverſiarum libro ſeptimo: *Centumviri dixerunt, dare ipſos ſecundum adverſarium Albutii, ſi juraret.* Neque vero illud præteriri oportet, quod eſt apud Juſtinianum, omnia judicia fuiſſe abſolutoria, quia ſi ante rem judicatam reus ſatisfaceret actori, officio judicis conveniebat, eum abſolvere, licet in ea cauſſa fuiſſet judicii acci-
C piendi tempore, ut damnari deberet. Hinc Cicero in eadem: *Veniſti domum Roſcii. ſatisfeciſti. quod temere commiſiſſes, in judicium ut denunciares, rogaſti, ut ignoſceret. te affirmaturum negaſti: deberi tibi ex ſocietate nihil clamitaſti. judici hic denunciavit. abſolutus eſt.* Non tamen omnia judicia fuiſſe talia exiſtimaverim. Etenim in iis, quibus non res, ſed pœna repetebatur, reſtituta re non tamen abſolvebantur. ut Venulejus oſtendit, D. Quæ in fraudem creditorum. *Hæc actio*, inquit, *rei reſtituendæ gratia, non pœnæ nomine datur, ideoque abſolvi debet reus ſi reſtituerit.*

In arbitriis præcipua aliqua obſervatio fuit. Ar-
D bitri primum pronunciarunt arbitrium. deinde, niſi reus arbitrio paruiſſet, ſententiam protulerunt, eumque condemnarunt. Arbitrium autem pronunciarunt ita: *Arbitror, te hoc modo ſatisfacere actori debere.* Sententiam vero pronunciarunt hoc modo, ut ſcribit Pomponius D. de arbitris: *Quantum ei debes, redde. Diviſioni veſtræ ſtari placet. pro ea parte, quam ſolviſti creditoribus, accipe.* Paulus D. de dolo malo: *Arbitrio judicis in hac quoque actione reſtitutio comprehenditur, &, niſi fiat reſtitutio, ſequitur condemnatio, quanti ea res eſt.* Quod ſi reus arbitrio judicis non parebat. tum arbiter actori jus-
E jurandum in litem deferebat, id eſt, jubebat illum jurare, quanti litem æſtimaret, ut reum non modo damnaret, quanti ea res erat, ſed etiam quanti actor æſtimaret. Ulpianus D. de rei vendicatione: *Qui reſtituere juſſus judici non paret, contendens non poſſe reſtituere, ſiquidem habeat rem, manu militari officio judicis ab eo poſſeſſio transfertur. ſiquidem dolo fecit, quo minus poſſit, is quantum adverſarius in litem ſine ulla taxatione in infinitum juraverit, damnandus eſt. Si vero non poteſt reſtituere, nec dolo fecit, quominus poſſit, non pluris, quam quanti res eſt, id eſt, quanti adverſarii intereſt, condemnandus eſt. Hæc ſententia generalis eſt, & ad omnia*
F *ſive interdicta, ſive actiones in rem, ſive in perſonam ſunt, ex quibus arbitratu judicis quid reſtituitur, locum habet.* Eſt porro intelligendum, judicem in arbitriis liberiorem fuiſſe, quam in iis, quæ ſtricti juris ſunt. quod in iis, neque pluris, neque minoris damnare poterat, quam quantum petebatur: in his quantum actori reſtitui oporteret, æſtimabat. in iis exquirebatur tantum, quod lingua nuncupatum eſſet: in his non tam quod in contrahendo dictum erat, quam quod bonæ fidei ratio exigebat. in iis compenſationis rationem habere non licebat, in his licebat. ut ſi quis peteret decem, & deberet quin-

que, judex in illis debitorem damnabat decem, in his quinque. Arbitros tamen prætoris & ipsos imperio fuisse subjectos, docet Ulpianus D. de receptis arbitris scribens: *Tamen etsi neminem prætor cogat arbitrium recipere, quoniam hæc res libera, ac soluta est, & extra necessitudinem jurisdictionis posita, attamen, ubi semel quis in se receperit arbitrium, ad curam & solicitudinem suam hanc rem pertinere prætor putat, non tantum, quod studeret, lites finiri, verum quoniam non deberet decipi, qui eum quasi virum bonum disceptatorem inter se elegerunt. Fingi enim post caussam jam semel, atque iterum tractatum, post nudata utriusque intima, & secreta negotii aperta arbitrum vel gratiæ dantem, vel sordibus corruptum, vel aliqua de caussa nolle dicere, quisquam ne potest negare, æquissimum fore, prætorem interponere se debuisse, ut officium, quod in se recepit, impleret?* Notavit etiam Asconius in caussis levioribus singulos judices sententiam de tabula pronunciasse.

CAP. XXX.

De in integrum restitutionibus.

JUDICIO caussæ perfecto sequuta sunt tria illa judicia, unum de reo, alterum de petitore, tertium de judice. Rei judicium fuit duplex, unum pro reo, *Restitutio in integrum* appellata; alterum contra reum, *Addictio*. Petitoris autem judicium *Calumniæ*; judicis, *Falsi* judicium est vocatum. Dicamus de singulis. Restitutio in integrum fuit hujusmodi. Quoniam fieri poterat, ut aliquis in actione vel recusanda, vel accipienda multis modis lapsus esset, post sententiam semel latam dabatur damnato potestas litis retractandæ, atque ea dicebatur Restitutio in integrum. Cujus rei monumenta extant multa D. de in integrum restitutionibus: quorum aliquot huc afferam. Paulus: *Integri restitutio est redintegrandæ rei, vel caussæ actio*. Item: *Integri restitutio est actio prætoria, qua rem certam, aut jus, aliamve quamlibet caussam redintegrari postulamus, cum quia per metum, vel dolum, vel status permutationem, vel justum errorem, vel necessariam absentiam, vel ætatis infirmitatem gestum est*. Ulpianus: *Utilitas hujus tituli non eget commendatione. ipsa enim se ostendit. Nam sub hoc titulo plurifariam prætor hominibus vel lapsis, vel circumscriptis subvenit, sive metu, sive calliditate, sive ætate, sive absentia inciderunt in captionem, sive, ut addit Paulus, per status mutationem, aut justum errorem*. Itaque in edicto fuit: *Quod metus caussa gestum erit, ratum non habeo*. ubi notat Ulpianus, idem olim ita edici consuevisse. *Quod vi, metusve caussa: sed postea detractam esse vis mentionem, ideo quia quodcunque vi atroci fit, id metu quoque fieri videtur*. Item in eodem: *Quæ dolo malo facta esse dicuntur, si de his rebus alia actio non erit, & justa caussa esse videbitur, judicium dabo*. Item: *Quodcunque a minore vigintiquinque annis gestum esse dicetur, uti quæque res erit, animadvertam*. De quo Ulpianus: *Hoc edictum prætor naturalem æquitatem secutus proposuit, quo tutelam minorum suscepit. nam cum inter omnes constet, fragile esse, & infirmum ejus ætatis consilium, & multis captionibus suppositum, multorum insidiis expositum, auxilium eis prætor hoc edicto pollicitus est, & adversus captiones opitulationem*. Item: *Qui, quæve postea quam quid cum his actum, contractumve sit, capite diminuti, diminutæ dicentur, in eos, in easve, perinde quasi id factum non sit, judicium dabo*. In quod Ulpianus: *Pertinet hoc edictum ad eas capitis diminutiones, quæ salva civitate contingunt. ceterum sive libertatis, sive civitatis amissione contingat capitis diminutio, cessabit edictum. neque possunt hi penitus conveniri. dabitur plane actio in eos, ad quos bona pervenerint*. Item: *Si cujus quid de bonis diminutum erit, cum is, metu, aut sine dolo malo reipubl. caussa abesset, sive in vinculis, servituteve esset, hostiumque esset potestate, sive cujus actionis eorum dies exisse dicetur*. Item: *Si quid usu suum fecisset, aut quod non utendo amisit, est consecutus, actioneve qua solutus est, ob id, quod dies exierit, cum absens non defenderetur, sive in vinculis esset, secumve agendi potestatem non faceret, aut cum eum invitum in jus vocare non liceret, neque defenderetur, cumve magistratus de ea re appellatus esset, sive cui per magistratum sine dolo ipsius actio exempta diceretur, earum rerum actionem intra annum, quo primum de ea re experiundi potestas erit, dabo. item si qua alia mihi justa caussa esse videbitur, in integrum restituam, quoad eis per leges, plebiscita, senatus consulta, edicta, decreta principum licebit*. Seneca Epistolarum libro VI. *Quid aliud agitis, cum eum, quem interrogatis, scientes in fraudem inducitis, quam ut formula cecidisse videatur? sed quemadmodum illum prætor, sic hos philosophia, in integrum restituit.*

CAP. XXXI.

De addictione.

ADDICTIO inde, quæ fuit judicium contra rem hujus fuit generis. Post triginta dies, quam quis debere judicatus fuerat, iterum in jus rapiebatur, &, ni judicatum faceret, id est, pecuniam debitam solveret, a prætore creditori nexus addicebatur, nisi sponsorem dedisset. atque a creditore abductus privatum in carcerem condebatur, donec aut pecunia, aut opera satisfecisset. Cicero pro Flacco: *Iste cum judicatum non faceret, addictus Hermippo, & ab hoc ductus est*. Gellius libro XX. *Confessi æris ac debiti judicatis XXX. dies sunt dati conquirendæ pecuniæ caussa, quam dissolverent, eosque dies decemviri justos appellaverunt, veluti quoddam justitium, id est, juris inter eos quasi interstitionem quandam, & cessationem, quibus diebus nihil cum his agi jure posset. post deinde nisi dissolverant, ad prætorem vocabantur, & ab eo, quibus erant judicati, addicebantur. nervo quoque aut compedibus vinciebantur. sic enim sunt, opinor, verba legis: Æris confessi, rebusque jure judicatis XXX. dies justi sunto. Post deinde manus injectio esto. in jus ducito: ni judicatum facit, aut quis pro eo endo jure vindex sit, secum ducito, vincito, aut nervo, aut compedibus XV. pondo ne minore, aut, si volet, majore, vincito. Si volet, suo vivito. Ni suo vivit, qui eum vinctum habebit, libras farris in dies dato. si volet, plus dato. Erat autem jus interea paciscendi. Ac nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies LX. Inter eos dies trinis nundinis continuis ad prætorem in comitium producebantur, quantæque pæcuniæ judicati essent, prædicabatur. tertiis autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant. sed capitis pœnam sanciendæ fidei gratia horrificam atrocitatis ostentu, novisque terroribus metuendam reddiderunt. Nam si plures forent, quibus reus esset judicatus, secare si vellent, atque partiri corpus addicti sibi hominis permiserunt. Et quidem verba ipsa legis dicam, ne existimes, me invidiam istam forte formidare. Tertiis nundinis, inquit, partes secanto. si plus, minusve secuerunt, sine fraude esto. Nihilo profecto immitius, nihil immanius, nisi, ut re ipsa apparet, eo consilio tanta immanitas pœnæ denunciata est, ne ad eam unquam perveniretur. Addici namque nunc, & vinciri multos videmus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. dissectum esse antiquitus neminem equidem neque legi, neque audivi, quoniam sævitia justa pœnæ contemni non quita est*. Hinc Livius libro sexto: *An placere fœnore circumventam*

plebem, ni potius, quam sortem, creditum solvat, corpus in nervum & supplicium dare, & gregatim quotidie de foro addictos duci? & repleri vinctis nobilium domos? & ubicunque patricius habitet, ibi carcerem privatum esse? Hi vero addicti, & nexi vocati; addicti propter judicium prætoris, nexi propter vincula credictoris. Addictus est autem, ut inquit Quinctilianus, *quem lex servire, donec solverit, jubet.* Nexus, teste Varrone, *liber, qui suas operas in servitute pro pecunia, quam debet, dum solveret, dat.* De quibus pluribus diximus in primo libro de jure Civium Romanorum, unde hæc repetenda fuerunt.

CAP. XXXII.

De judicio calumniæ.

JUDICIUM vero in petitorem fuit, si calumniatus fuisse argueretur. Erant autem calumniatores, qui accepta pecunia litem falso intenderant, aut prætermiserant. De iis Ulpianus D. de calumniatoribus: *In eum, qui ut calumniæ caussa negotium facesseret, vel non facesseret pecuniam accepisse dicetur, intra annum in quadruplum ejus pecuniæ, quam accepisse dicetur, post annum simpli in factum actio competit.* Item: *Hoc edicto tenetur, qui non depectus est. Depectus autem dicitur turpiter pactus.* Cicero pro Milone: *Qui calumnia litium fundos alienos petebat.* Gellius libro XII. *Is cum suis patronis clamitabat, probari apud judicem debere, pecuniam datam consuetis modis, expensi latione, mensæ rationibus, chirographi exhibitione, tabularum obsignatione, testium intercessione: ex quibus omnibus si nulla re probaretur, dimitti jam sane oportere, & adversarium de calumnia damnari.*

CAP. XXXIII.

De judicio falsi.

ULTIMUM judicium fuit in judicem: si ob judicandum pecuniam accepisset, de quo in XII. tabulis scriptum fuit. Unde Gellius libro XX. *Nisi duram esse legem putes, quæ judicem arbitrumve datum, qui ob rem judicandam pecuniam accepisse convictus est, capite punit.* Qui vero judex sciens dolo malo injuste judicabat, is litem suam facere dicebatur. Ulpianus D. de judiciis: *Judex tunc litem suam facere intelligitur, cum dolo malo in fraudem legis sententiam dixerit. dolo autem malo videtur hoc facere, si evidens arguatur ejus vel gratia, vel inimicitia, vel etiam sordes, ut veram æstimationem litis præstare cogatur.* Is etiam videtur litem suam fecisse, qui ad constitutum tempus in judicium non venit. Macrobius in oratione Titii de judicibus: *Inde ad comitium vadunt, ne litem suam faciant.* Abrogata inde lege XII. tabularum, lege repetundarum de hoc crimine quæsitum est, quemadmodum, qui falsum testimonium dixerunt, lege de falso postulanti pœnas dederunt, ut mox ostendemus. Ac de privatorum quidem judiciorum consuetudine hæc hactenus.

CAROLUS SIGONIUS
DE
JUDICIIS.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

Quæ publica judicia fuerint.



SEQUITUR deinceps, ut de judiciis publicis agendum esse videatur. Judiciorum vero publicorum longe alia ratio fuit, quam privatorum: *Neque enim*, ut inquit Justinianus, *per actiones ordinata sunt, neque omnino simile quidquam cum privatis judiciis habuerunt, magnaque diversitas eorum fuit, & in instituendo, & in intendendo.* Publica vero dicta sunt, quod cuivis e populo actio permitteretur. Ceterum judicia publica fuerunt decreta, quæ de criminibus, quæstore aliquo judicium exercente, judices ab eo dati fecerunt, prout leges de singulis criminibus cognoscendis latæ jusserunt. Quo constituto sequitur, judiciorum publicorum perfectam haberi notitiam non posse, nisi & quæ crimina, & qui quæsitores, & qui judices, & quæ exercendæ quæstionis ratio, ac demum quæ de quoque crimine leges fuerint, cognoscamus. Quamobrem agamus primum de criminibus, deinde de quæsitoribus, tum de judicibus, inde de quæstionum exercitionibus, atque ad extremum de legibus.

CAP. II.

De criminibus.

CRIMINA maleficia fuerunt, quæ aut adversus remp. commissa sunt, aut populus Roman. adversus remp. commissa existimavit, atque judicio legibus constituto pœna vindicanda putavit. Itaque non solum injuriæ factæ senatui, aut populo, aut magistratibus, sed etiam nonnullæ privatis illatæ publicorum judiciorum legibus comprehensæ sunt. Reipub. directo factæ dicuntur, ut si quis majestatem populi Rom. aut magistratuum ejus minuisset, publicam sacramve pecuniam avertisset, populi suffragia honoris adipiscendi gratia corrupisset, socios spoliasset, aut pecuniam ob judicandum cepisset, armis magistratum, aut privatum, coegisset, quæ crimina appellarunt majestatis, peculatus, ambitus, repetundarum, & vis publicæ. Privatis factas ad se pertinere populus existimavit, si quis hominem telo occidisset, si veneno necasset, si parentibus manum intulisset, si falsum testamentum, falsumve nummum fecisset, si uxorem alterius corrupisset, si servum alienum aut celasset, aut vinxisset, aut emisset sciens insciente domino. unde hæc crimina nomen acceperunt, inter sicarios, veneficii, parricidii, falsi, adulterii, plagii. Quin etiam quæcunque cum privatos attingerent, de iis quæstionem publicam

blicam constitui lege aliqua voluerunt, ea pro criminibus habita sunt, ut circumscriptio pupillorum lege Lætoria. de qua Cicero de natura deorum: *Inde judicium publicum rei privatæ lege Lætoria*. Ut autem non omnia rerum privatarum judicia privata fuerunt, sic non omnia in quibus crimen versatum est, fuerunt publica, sed ea demum, quæ legibus publicarum quæstionum sunt constituta. Sic enim scribit Macer libro primo de Judiciis publicis: *Non omnia judicia, in quibus crimen vertitur, & publica sunt, sed ea tantum, quæ ex legibus judiciorum publicorum veniunt. ut Julia majestatis, Julia de adulteriis, Cornelia de sicariis & veneficis, Pompeja parricidii, Julia peculatus, Cornelia de testamentis, Julia de vi privata & publica, ambitus, repetundarum, annonæ*. Quoniam autem caussæ publicæ crimen ferme complexæ sunt, hinc nomen etiam criminalium invenerunt.

CAP. III.

De pœnis.

CRIMINIBUS ipsis adjungi debet disputatio de pœnis, quibus ipsa crimina vindicata sunt. Ceterum pœnarum genera ex auctoritate Tullii octo prodidit Isidorus, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, servitutem, & mortem. quarum aliæ bona læserunt, ut damnum; aliæ corpus, ut vincula, verbera, & talio; aliæ jus, ut ignominia, exilium, & servitus; aliæ vitam, ut mors.

DAMNUM alio nomine mulcta est dicta. Hæc Sabinum vocabulum fuit, eaque in ovibus & bubus æstimandis constitit, quibus primis temporibus Italia abundavit. Itaque, ut scribit lib. XI. Gellius, *suprema mulcta erat duarum ovium, & triginta boum, pro copia scilicet boum, & penuria ovium. Sed cum ejusmodi mulcta pecoris, armentique a magistratibus dicta erat, adigebantur boves, ovesque alias precii parvi, alias majoris. eaque res faciebat inæqualem mulctæ punitionem. idcirco postea lege Ateria constituti sunt in oves singulas æris deni, in boves æris centeni. minima vero mulcta fuit ovis unius. Quando autem a magistratibus Populi Romani more majorum mulcta dicebatur vel minima, vel suprema, observari solebat, ut oves genere virili appellarentur. atque ita M. Varro hæc legitima verba, quibus minima mulcta diceretur, concepit: M. Terentio, quando citatus neque respondit, neque excusatus est, ego ei unum ovem mulctam dico. ac nisi eo genere diceretur, negaverunt, istam videri mulctam*. Hæc, ut dixi, ex Varrone Gellius. Festus autem ita: *Mulctam Osci dici putant pœnam quandam. M. Varro ait, pœnam esse, sed pecuniariam, de qua in primo libro epistolicarum quæstionum refert. Maximam mulctam dixerunt trium millium, & viginti assium, quia non licebat quondam pluribus triginta bobus, & duabus ovibus quenquam mulctare. æstimabaturque bos centussibus, ovis decussibus*. Quam autem legem Ateriam vocavit Gellius, eam Tarpejam nominat Festus in voce *Peculatus*, quod Aterius cum Tarpejo consul eam tulerit. Pro mulcta vero sæpe pecuniam dixerunt.

Vinculorum nomine complexi sunt compedes, pedicas, manicas, cathenas, nervos, bojam, & carcerem. Plautus in Asinaria: *Qui adversum stimulos, laminas, crucesque, compedesque, nervos, cathenas, carceres, numellas, pedicas, bojas*. De ceteris Nonius scripsit, & Festus. Carcerem ædificatum fuisse ab Anco rege scribit Livius imminentem foro ad terrorem crescentis audaciæ. omnia ad coercendos, & constringendos homines comparata. Unde illa Ciceronis in VII. in Verrem: *Quæret, quamobrem fasces prætoribus præferantur, cur secures datæ, cur carcer ædificatus, cur tot supplicia more majorum in improbos constituta?* Ceterum reorum custodia duplex fuit, carcer, & privata domus. Ante confessionem in liberas custodias tradere consueverunt. Liberæ autem custodiæ dicebantur, cum apud magistratus domi, aut apud privatos nobiles ponebantur custodiendi, quemadmodum de indice Bacchanalium scripsit Livius, & de conjuratis Sallustius. Post confessionem vero in vincula publica conjiciebantur. Venulejus D. de custodia reorum: *Reus confessus, donec de eo pronunciaretur, in publica vincula conjiciendus*. item Scævola: *Reus confessus ob solam confessionem conjici in vincula consuevit*. Fuit autem custos quidam carceris, quem *commentariensem* vocat Plinius libro VII. cap. XXXVIII. qui triumviro capitali, cujus summa carceris, & animadversionis cura fuit, parebat. ostendit Valerius libro V. scribens, custodem carceris pietatem filiæ, quæ in carcere matrem lacte sustentavit, ad triumvirum detulisse.

Verbera inflicta sunt virgis, & fustibus. Virgis usi sunt magistratus, cum expeditis fascibus lictores animadverterunt in terga: præcessit autem verberatio extremum mortis supplicium. Fustigationem in castris adhibuerunt. ut in lib. de Jure civium Rom. ostendimus, & privatim. Valerius libro VI. *Metellus uxorem, quod vinum bibisset, fustim interemit*.

De talione sic Isidorus: *Talio est similitudo vindictæ, ut taliter quis puniatur, ut fecit. hoc enim & natura, & lege est institutum, ut lædentem similis vindicta sequatur. unde & illud est legis: Oculum pro oculo, dentem pro dente*. item Festus citat hæc verba legis: *Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto. Permittit autem*, inquit, *lex parem vindictam*. Hinc Justinianus scripsit: *Pœna injuriarum per membrum ruptum talio erat*. Gellius autem libro XI. cap. I. addit, *reum habuisse facultatem paciscendi, & non necesse habuisse pati talionem, nisi eam elegisset*.

Ignominia fuit infamia. Cicero libro IV. de rep. teste Nonio: *Censoris judicium nihil fere damnato affert, nisi ruborem. Itaque quod omnis ea judicatio versatur tantummodo in nomine, animadversio ista ignominia dicta est*. Infames autem lege & edicto prætorio factos, & quare, apparet ex Digestis de iis, qui notantur infamia. Ceterum infamia jus munerum, honorumque civilium ferme ademit.

Exilium intellexerunt, cum aqua & igni interdixerunt. siquidem consuetudo loquendi obtinuit, ut omnes, quibus aqua & igni interdictum esset, quoniam exilii caussa solum vertere cogebantur, exules appellarentur, ut est in Rhetoricis ad Herennium libro II. Exilium autem non nominabatur in irrogatione pœnæ, sed aquæ & ignis interdictio, quam necessario sequebatur exilium. neque enim sine aquæ & ignis usu esse quisquam in urbe poterat. quod docet Cicero pro Cæcina: *Exilium non est supplicium, sed perfugium, portusque supplicii. nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere aut calamitatem, eo solum vertunt, hoc est, locum ac sedem mutant. Itaque nulla in lege nostra reperietur, ut apud ceteras civitates, maleficium ullum exilio esse mulctatum. sed cum homines vincula, neces, ignominiasque vitant, quæ sunt legibus constitutæ, confugiunt quasi ad aram in exilium. qui si in civitate legis vim subire vellent, non prius civitatem, quam vitam amitterent*. Exilio autem cives jure civitatis nudati sunt. Relegati autem dicti, teste Festo, *quibus ignominiæ, aut pœnæ caussa necesse fuit, ab urbe Roma, aliove quo loco abesse, lege senatusque consulto, aut edicto magistratus*. De servitute autem, qua jus libertatis est violatum, & extremo supplicio, quo vita adempta, ut quæ horum judiciorum non sint,

post alio loco magis idoneo differam. Quoniam autem has penas omnes duobus nominibus incluserunt, pecuniæ, & capitis, ob id factum est, ut judicia publica alia capitalia fuerint, alia non fuerint. Quod etiam scripsit Paulus ad edictum Principis, his verbis: *Publicorum judiciorum quædam capitalia sunt, quædam non capitalia. capitalia sunt, ex quibus pœna mors, aut exilium est, hoc est, aquæ & ignis interdictio. per has enim pœnas eximitur caput de civitate. nam cetera non exilia, sed relegationes proprie dicuntur. tunc enim civitas retinetur. Non capitalia sunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coercitio pœna est.* Ut autem non omnes caussæ criminales capitales fuerunt, veluti si majestatis reus mulctatus esset pecunia, sic non omnes capitales crimen continuerunt. ut caussa Quinctii, quæ a Cicerone capitalis dicitur, (cum tamen sit sine crimine) quia infamiam afferebat. Quinctius autem vadimonium deseruisse dicebatur. Modestinus D. de verborum significatione: *Licet capitalis Latine loquentibus omnis caussa existimationis videatur, tamen appellatio capitalis mortis, vel amissionis civitatis intelligenda est.* Cicero pro Q. Roscio: *Si qua sunt privata judicia summæ existimationis, & prope dicam capitis, tria hæc sunt fiduciæ, tutelæ, societatis.*

CAP. IV.

De prætoribus quæsitoribus.

CRIMINIBUS explicatis transeamus ad quæsitores. quæsitores dicti, qui judicium publicum exercuerunt, quam quæstionem vocarunt. Huic autem rei operam dederunt primum reges, deinde consules, post magistratus ii, quos ei muneri senatus, aut populus præfecit. De regibus auctor est Dionysius, qui Romulum regem delicta maxima cognovisse, minora senatoribus permisisse scribit. & Livius, qui cum Superbum regem scribat, ut metum populo incuteret, *cognitiones capitalium rerum, sine consiliis per se solum exercuisse, propterque eam caussam occidere, in exilium agere, bonis mulctare potuisse*, non obscure, quid ceteri superiores reges servarint, ostendit. De consulibus ex eo elicere possumus, quod in regum locum successerunt. & quod Brutus primus consul de conjuratis ultimum supplicium caussa ipsa cognita sumpsit. Verum eodem anno id jus lege Valeria de provocatione lata est imminutum. cautumque in posterum, ne consul de capite civis Rom. injussu populi quæreret, verum ii demum, quos populus quæstionibus publicis præfecisset. qui inde Quæsitores parricidii sunt appellati. quos non multo post reges exactos institutos esse, ex eo perspicitur, quod eorum in lege XII. tabularum mentio fiebat. Sic enim scribit Pomponius D. de origine juris: *Quoniam de capite civis Rom. injussu populi Rom. non erat permissum lege consulibus jus dicere, propterea quæstores constituebantur a populo, qui capitalibus præessent, & appellabantur Quæstores parricidii, quorum meminit lex XII. tabularum.* Unde Festus scribit, *Quæstores parricidii appellatos, quos solebant creare causa rerum capitalium.* Horum autem apud Livium sæpius memoria celebratur, ut Cosso & Medullino Consulibus anno CCCXL. *Senatusconsultum factum, ut de quæstione Postumianæ cædis tribuni pl. primo quoque tempore ad plebem ferrent. plebesque præficeret quæstioni, quem vellet. a plebe consensu populi consulibus negocium mandatur.* item anno CCCXLIX. *Cum omnia infida Romanis essent, Capuæ quoque occultæ principum conjurationes factæ, de quibus cum ad senatum relatum esset, dictatorem quæstionibus exercendis dici placuit. C. Mævius dictus.* Anno DLXVI. *Petillii tribuni pl. rogationem ad plebem tulerunt: Velitis, jubeatis, ut quæratur, quæ pecunia capta, ablata, coacta ab rege Antiocho, quod æs publicum relatum non est, uti de ea Ser. Sulpicius prætor urbanus ad senatum referat, quem eam rem senatus velit quærere, de iis, qui prætores nunc sunt. omnes tribus, Uti rogasset, jusserunt. Ser. Sulpicio deinde referente, quem rogatione Petillii quærere vellent, Q. Terentium Culleonem patres jusserunt. Ad hunc reus L. Scipio factus. & recepta nomina legatorum ejus, & quæstoris. Damnato Scipione, & nullo vestigio pecuniæ regiæ in bonis ejus invento, invidia vertit in prætorem, & consilium ejus, & accusatores.* Atque in hunc quidem modum usque ad annum DCIV. quæstiones publicæ exercitæ sunt, ut quotiescunque res posceret, aut consules, aut dictator, aut prætor senatusconsulto, aut lege quærere juberetur.

Anno autem ipso DCIV. perpetuæ quæstiones esse, ac proprium quæsitorem habere cœperunt. Legem enim L. Piso tribunus pl. tulit, qua quæstionem repetundarum perpetuam fecit, ut scribit Cicero in Bruto his verbis: *Carbone forum tenente plura judicia fieri cœperunt. nam & quæstiones perpetuæ hoc adolescente constitutæ sunt, quæ nullæ ante fuerant. L. enim Piso trib. pl. legem primus de pecuniis repetundis Censorino & Manilio Coss. tulit.* ii vero eo anno, quo dixi, consules fuerunt. Quæstio vero perpetua facta intelligitur, cum prætori in singulos annos mandatur. mandatur vero, cum hæc verba in lege de aliquo vindicando crimine lata ponuntur: *De ea re prætoris quæstio esto.* item: *Prætor, qui ex hac lege quæret, facito ut.* Post quæstionem de repetundis quæstio inde de peculatu, de majestate, & de ambitu perpetua facta est. cumque sex tum crearentur in urbe prætores, mutata est tota ratio sortitionis prætoriæ. Ante enim prætores bini singulas domi jurisdictiones, ex S. C. sortiebantur, urbanam, & peregrinam: reliqui quattuor provincias foris gubernandas. Ab hoc vero tempore duæ jurisdictiones, & quattuor quæstiones in sortem ex S. C. a prætoribus sex conjici cœptæ. prætura vero Romæ acta provincias sortiti sunt, in easque pro prætore profecti sunt. Demum L. Cornelius Sylla dictator, ut inquit Pomponius, *quæstiones alias quattuor publicas tulit, de sicariis, veneficis, falso & parricidio;* & propterea prætores quoque quattuor, ut de iis quærerent, addidit. Sic enim exponit Cicero in Verrem: *Lex Cornelia testamentaria, nummaria* (hæc est, quæ quæstionem de falso continet) *ceteræ complures, in quibus non jus aliquod novum in populum constituitur, sed sancitur, ut quod semper malum facinus fuerit, ejus quæstio ad prætorem pertineret ex certo tempore.* Quoniam autem numerus prætorum, & ratio cognitionum earum jam inde ab initio permissa erant arbitrio senatus, ob id factum est, ut raro, aut fortasse nunquam, nisi octo prætores, quotannis sint creati, ita ut cum essent octo prætores, & decem cognitiones, in iis deferendis pro voluntate senatus variatum sit. Ut enim ante aliquando binæ jurisdictiones, & binæ provinciæ singulis sunt tributæ, sic posthac & binæ jurisdictiones, & binæ quæstiones singulis, & jurisdictio cum quæstione uni, & una quæstio duobus ex S. C. commissa est. Nam Catulo, Lepidoque Coss. L. Cornelius Sisenna utramque jurisdictionem, & C. Verres prætor urbanam jurisdictionem cum veneficii quæstione, & M. Fannius inter sicarios & parricidii, & M. Lætorius ac C. Flaminius quæstionem inter sicarios, prætores omnes cum essent, sortiti sunt. Ita Crasso & Pompejo primum Coss. ut Cicero scribit in Verrinis, cum prætores designati sortirentur, M. Metello prætori obtigit, ut de pecuniis repetundis; Lepido vero & Tullo coss. Q. Nasoni, ut de veneno quæstionem exerceret. M. vero Plætorius & C. Flaminius inter sicarios sortiti sunt: C. Orchinius peculatus, M. Cicero de repetundis, C. Aquillius

de ambitu: Etenim cum in Cluentiana dixisset, Q. Nasonem quæstionem de veneno gubernare, addidit: *Quid ergo est? Hæc quæstio sola ita gubernatur? quid M. Plætorii, & C. Flaminii inter sicarios? quid C. Orchinii de peculatu? quid mea de pecuniis repetundis? quid C. Aquillii de ambitu? quid reliquæ quæstiones?* Reliquarum autem quæstionum nomine intellexit quæstionem de majestate, quam P. Cassium prætorem eodem anno exercuisse in Cornelianam scribit Asconius; & quæstionem de falso, quam, ut verisimile est, prætor urbanus, aut peregrinus sortitus est C. Antonius. is enim in eum annum præturam gessit. Nam Q. Nasonem præter veneficii quæstionem alteram etiam jurisdictionum sortitum esse, conjectura ducor ad suspicandum. siquidem paucis etiam ante annis C. Verres prætor urbanus quæstionem de veneno exercuerat, ut Cicero scribit. Parricidii autem quæstio cum quæstione de sicariis a M. Fannio prætore tractata est, ut idem docet in Rosciana. Cotta vero & Torquato coss. L. Murena prætor urbanam jurisdictionem, Ser. Sulpicius quæstionem peculatus est sortitus, eodem teste in oratione pro Murena.

Quanquam autem post annum DCIV. prætores primum quattuor, deinde sex perpetui singularum quæstionum quæsitores sunt constituti, ut eas quotannis sortirentur, non tamen omnia judicia publica ab ordinariis illis quæsitoribus facta sunt. verum extra ordinem multæ quæstiones, aut S. C. aut plebiscito, ut ante, aut consulibus, aut aliis magistratibus, aut etiam privatis hominibus mandatæ sunt. sive quia nulla dum lex de iis constituendis erat lata, sive quod lata erat illa quidem, sed pro rei atrocitate extra ordinem quærendum esse videbatur. Nam anno DCXI. P. Scævola tribunus pl. tulit ad plebem, Vellentne quæri de L. Tubulo, qui prætor cum quæstionem inter sicarios exerceret, ob rem judicandam pecuniam ceperat. eoque plebiscito quæstio Cn. Cæpioni cos. decreta est, ut inquit Cicero in II. de finibus. Anno inde DCXV. D. Brutus, & P. Scipio coss. ex S. C. quæstionem de cæde facta in sylva Scantia exercuerunt, ut idem scribit in Bruto. at vero anno DCXXXIX. eodem teste, Sex. Peduceus criminatus est L. Metellum pontificem maximum, totumque collegium pontificum male judicasse de incestu virginum Vestalium, quod unam modo Æmiliam damnaverat, absolverat duas, Muciam & Liciniam. Populus L. Cassium creavit, qui iisdem de virginibus quæreret. isque omnes damnavit. Post annos quinque C. Mamilius Limitanus legem tulit, ut quæreretur in eos, qui cum Jugurtha pactiones fecissent, & ut tres quæsitores constituerentur. quod Sallustius in Jugurthina, & Cicero in Bruto prodidere. Inde post aliquot annos consules Piso, & Messala ex S. C. rogationem promulgarunt de quæstione in Clodium constituenda de pollutis cæremoniis, ut Cicero scribit ad Atticum. & post Cn. Pompejus consul tertium anno DCCL. tulit, ut quæreretur de cæde facta in via Appia, & quæsitor ex consularibus crearetur. suffragio populi creatus est L. Domitius. itaque quæstionem de cæde P. Clodii exercuit, teste Asconio; *cum tamen*, ut inquit Cicero, *veteres essent leges vel de cæde, vel de vi*.

Ac quæsitorum quidem, sive ordinarii, sive extraordinarii essent, quanquam potestas ab ea lege, qua creati erant, tota manavit, tamen omnium in his rebus collocata fuit, ut in foro, atque in tribunali, & in sella curuli sedentes, judice quæstionis aliquo operam fidemque navante, gladio, ut dixi, posito judicium exercerent, cum eis judicibus, qui ei obvenissent, sedentibus in suis subselliis; scribis vero, accensis, præconibus, lictoribus, aliisque apparitoribus assistentibus. Unde Cicero in oratione pro Cluentio: *Quid sibi illi scribæ, quid lictores, quid ceteri, quos apparere huic quæstioni video, volunt?* & in Bruto: *Volo hoc oratori contingat, ut cum auditum sit, eum esse dicturum, locus in subselliis occupetur, compleatur tribunal, gratiosi scribæ sint in dando, & cedendo loco.*

Ceterum quæstio eversa rep. merum est imperium appellata. sunt enim tria magistratuum imperia celebrata, merum, non merum, & mistum. merum fuit cognitio rerum capitalium; non merum privatarum, quod proprie jurisdictio est appellata; mistum utrarumque. Indicat Ulpianus, cum scribit D. de jurisdictione: *Imperium aut merum est, aut mistum. merum est imperium habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines. mistum est imperium, cui etiam jurisdictio inest, quod in danda bonorum possessione consistit. jurisdictio est etiam judicis dandi licentia.* id est, merum imperium continet caussarum capitalium cognitionem; mistum non solum cognitionem rerum capitalium, sed etiam jurisdictionem, id est, privatarum cognitionem, quæ cum multis aliis in rebus versetur, tum vel maxime in danda bonorum possessione, & dando judicio posita est, ut supra ostendimus. & Paulus de officio ejus, cui mandata est jurisdictio: *Mandata jurisdictione etiam imperium, quod non est merum, videtur mandari.* Gladius autem, de quo dictum est, insigne, opinor, fuit magistratus publicum judicium exercentis. de quo supra diximus, cum prætores urbanos hasta, quæsitores gladio usos esse ostendimus. Itaque D. de officio proconsulis dixit Ulpianus: *Qui universas provincias regunt, jus gladii habent, & in metallum dandi potestas eis permissa est.*

Præterea vero hanc quæstionem, sive hoc merum imperium, publicive judicii cognitionem, aut exercitionem mandari alteri non potuisse, satis constat. nisi fortasse eadem lex, quæ de quæstione erat lata, quæstionem illam transmitti licuisse, sanciverit. atque hoc est, quod scripsit Papinianus D. de officio ejus, ut supra etiam diximus: *Quæcunque specialiter lege, vel senatusconsulto tribuuntur, mandata jurisdictione non transferuntur. quæ vero jure magistratus competunt, mandari possunt. & ideo videntur errare magistratus, qui cum publici judicii habent exercitionem lege, vel S. C. delegatam, veluti legis Juliæ de adulteriis, & si quæ sunt aliæ similes, jurisdictionem suam mandant. Hujus rei fortissimum argumentum, quod lege Julia de vi nominatim cavetur, ut is, cui obtigerit exercitio, possit eam, si proficiscatur, mandare. non aliter itaque mandare poterit, quam si abesse cœperit, cum alias jurisdictio etiam a præsente mandetur. Et si a familia dominus occisus esse dicetur, cognitionem prætor, quam ex S. C. habet, mandare non poterit. Qui mandatam jurisdictionem suscepit, proprium nihil habet, sed & ejus, qui mandavit, jurisdictione utitur. verius est enim more majorum jurisdictionem quidem transferri, sed merum imperium quod lege datur, non posse transire. quare nemo dicit, animadversionem legatum proconsulis habere mandata jurisdictione.*

CAP. V.

De judicibus quæstionum.

EXCEPTIS prætoribus, quos summos quæsitores fuisse diximus, erant etiam judices quæstionum. de quibus diversas eorum, qui hac ætate scripserunt, invenio fuisse sententias. Alii enim judicem quæstionis eundem, ac prætorem fuisse putarunt, alii non solum non prætorem, sed hominem omnino privatum. Neutra opinio mihi probatur. Non fuisse prætorem hæc argumento sunt. primum, quod

in iisdem caussis, in quibus judex quæstionis versatus esse dicitur, in iis etiam prætor præfuisse invenitur. ut in caussa Oppianici prætor Verres, judex quæstionis C. Junius; in caussa Verris prætor MP. Glabrio, judex quæstionis Q. Curtius; & in caussa Cluentii prætor Q. Naso, judex quæstionis Q. Voconius. deinde, quod in legibus de judiciis publicis hæc verba fuerunt. *Magistratus, quique cum judicio publico præesset*. Item: *Magistratus, judexve quæstionis*. scilicet nomine magistratus prætorem intelligendo, atque a judice quæstionis apertissime secernendo. item in aliis: *Prætor, qui ex hac lege quæret. judex, qui eam rem quæsiverit. quive judex ex hac lege factus erit*. postremo, quod Quinctilianus scribit, prætorem occupatum fuisse in iis, quæ essent imperii; judicem quæstionis in iis, quæ essent cognitionis. Non fuisse autem privatum, hæc ostendere possunt. primum, quod judex quæstionis in Legibus *quæsisse*, & ab Asconio *quæsitor fuisse*, & *quæstionem exercuisse* dicitur. deinde, quod in lege Cornelia de veneficiis erat: *Judex quæstionis cum iis judicibus, qui ei obvenerint, de ejus capite quærito, qui venenum fecerit*. & Cicero, atque Asconius judicem quæstionis sortitioni judicum operam dedisse aperte scribunt. quæstionem vero qui habuit, & judicum sortitionem exercuit, is privatus omnino esse non potuit. est enim quæstio rei capitalis cognitio. Cum autem judex quæstionis a lege cognitionem accipiat, non a magistratu, magistratus est, ut apparet ex D. de officio ejus, cui mandata est jurisdictio. His adde, quod idem fuit in judicio publico judex quæstionis, atque in privato decemvir litibus judicandis. at decemvir fuit magistratus. ergo multo magis judex quæstionis. Qui vero privatum esse dicunt, ii judicem faciunt. quod esse non potuit. Judex enim sorte obvenit quæsitori. at judici quæstionis sorte judices obvenerunt, ex locis commmemoratis. Si ergo ipse sortitus est judices, profecto non ut judex sorte lectus, sed ut magistratus suffragio creatus quæsivit. Ego vero censeo, judicem quæstionis neque prætorem fuisse, neque omnino privatum, sed tamen cum potestate. eum vero magistratum captum esse post ædilitatem, ut post quæsturam capiebatur decemviratus litibus judicandis. Hoc apparet ex C. Visellio, quem scribit Cicero in Bruto, cum post ædilitatem curulem judex quæstionis esset, mortuum esse. & ex vetere monumento C. Octavii, in quo ipse item post ædilitatem, & ante præturam judex quæstionum vocatur:

C. OCTAVIUS C. F. C. N. C. PRON.
PATER AUGUSTI
TR. MIL. BIS. Q. ÆDIL. PL. CUM TORANIO
JUDEX QUÆSTIONUM
PR. PRO COS. IMPERATOR APPELLATUS
EX PROVINCIA MACEDONIA,

His adde Cluentianam, in qua Cicero *C. Junium judicem quæstionis, hominem ædilitium jam prætorem opinionibus hominum constitutum* scribit; & Roscianam, in qua sic loquitur ad M. Fannium prætorem judicium tum inter sicarios exercentem: *Te quæso, M. Fanni, ut qualem te antea populo Roman. præbuisti, cum huic eidem quæstioni præesses, talem te hoc tempore impertias*. Quando enim ante alias M. Fannius, qui tum prætor erat, præesse quæstioni inter sicarios potuit, nisi cum judex quæstionis fuit? Adde Suetonium, qui Cæsarem iter ædilitatem & præturam quæstionem inter sicarios exercuisse scribit, & eundem, cum esset prætor urbanus, Novium quæsitorem in carcerem duci jussisse; *quod ipsum prætorem apud se compellari passus esset, majorem scilicet potestatem a minore*. ubi aperte Novium quæsitorem cum potestate, sed minore fuisse ostendit, non ita dicturus, si Novius prætor id judicium (erat autem de majestate) exercuisset. Cum ergo prætores omnibus prætoriis actionibus, quæ multæ erant, interesse non possent, judices quæstionum constituti sunt, qui partes prætorum implerent etiam prætoribus absentibus. Unde dixit Cicero in Vatinium: *Disturbato judicio judices quæstionum de proximis subselliis esse depulsos*, graviore sine dubio verbo *prætorum* usurus, si prætores in tribunalibus tum fuissent. At Asconius eum *principem judicum* vocat. recte. Judex enim quæstionis respectu majestatis & imperii prætorii prope vim habuit judicis. at respectu judicum, cum & ipse judex vocaretur, magistratus, ut princeps judicum existimaretur. Nam prætor dabat actionem & negabat, cogebat judices & dimittebat; judex quæstionis datam actionem exercebat, judices sortiebatur, testes audiebat, quæstiones habebat, tabulas inspiciebat. quæ prætor fere propter occupationes, aut propter dignitatis fastigium non curabat.

CAP. VI.

De judicibus.

POSTREMI ad cognoscendum sunt judices. Judices vero dicti sunt, qui ex lege ad judicandum adhibiti sunt. quorumque sententiam prætor ipse pro tribunali pronunciavit. Horum autem legendorum diligens admodum ratio fuit. Primum enim cautum est, ex quibus ordinibus essent legendi, deinde quo numero in singulos annos, inde qua conditione, & qua ætate. De ordinibus si quærimus, ut in libris de jure civium Rom. ostendimus, primum lecti sunt ex ordine senatorio, antiquo ac regio instituto. deinde ex equestri lege Sempronia C. Gracchi, tum ex utroque lege Servilia Cæpionis. deinde ex equestri lege Servilia Glauciæ. deinde iterum ex senatorio tantum lege Livia Drusi, tum ex tribus ordinibus, senatu, equestri ordine, plebe, lege Plautia Silvani. tum ad senatores solos res traducta lege Cornelia Syllæ. inde ad tres ordines, senatum, equites, tribunos ærarios (hi enim erant e plebe) lege Aurelia Cottæ. postremo redacta ad senatores & equites lege Julia Cæsaris. Numerus autem eorum a legibus ipsis præscribebatur. ut a lege Servilia Glauciæ quadringentorum quinquaginta. itaque non idem semper fuit. Ætatis item non eadem ab omnibus habita fuit ratio. Nam lege Servilia Glauciæ cautum est, ne minor annis triginta, major sexaginta legeretur. Cum autem aliis legibus triginta quinque præscripti essent, Augustus ad triginta redegit. Siquidem Suetonius ita scribit: *Judices Augustus a tricesimo ætatis anno allegit, id est, quinquennio maturius, quam solebat*. Ea vero lectio per prætorem urbanum, aut peregrinum juratum celebrabatur, prout lege sancitum fuerat, iique selecti judices appellati. De urbano agitur in lege Cornelia, ubi est: *Prætores urbani, qui juratos optimum quenque in selectos judices referre debent*. De peregrino in lege Servilia Glauciæ, in qua est: *Prætor, qui jus dicet inter peregrinos, CDL. viros legat, dum ne quem legat, qui in magistratu sit aut fuerit, aut senator sit aut fuerit, eosque in concione pronunciet, juretque se eos dolo malo scientem non legisse*. Quotannis autem lectos indicat Cicero in Verrem: *Nunc judicem ex Kal. Januariis non habebimus*. Munera vero judicum fuerunt, ut in legem jurarent, citati a prætore judicium exercente adessent, in subselliis, quæ subjecta tribunali erant, ex lege sederent, ne inter se disputarent, postremo jurati sententias ferrent.

CAP. VII.

De exercitione actionis, sive de actione instituenda.

CRIMINIBUS, quæstionibus, & judicibus cognitis, deinceps de exercitione quæstionis, sive de instituenda actione, atque tota apud prætorem agendi ratione differendum est. Ordo vero agendi talis fuit. Privatus civis, qui privati nomen deferre in animo habuit, eum in jus vocavit; & prætorem in foro adiens, qui de crimine illo cognoscebat, quod ipse deferre volebat, dicendi potestate accepta, postulavit, ut sibi nomen ejus deferre liceret: qua re impetrata nomen detulit. Nomine recepto, atque a scribis jussu prætoris in tabulas relato, ille reus est dictus. Ita primum præcessit in jus vocatio, deinde postulatio, tum nominis delatio, ad extremum inde sequuta est accusatio. His de rebus in universum agendis præter antiqui moris observationem duæ leges celebrantur, vetustior una Memmia, quam volunt eandem esse cum ea, quæ in Pandectis Remnia dicitur, quam commemorat Valerius: altera recentior Julia Augusti, quæ in Pandectis Julia publicorum Judiciorum vocatur. Agamus ordinatim de singulis.

CAP. VIII.

De in jus vocatione.

CETERUM in jus vocatio ita locum habuit, si ille, cui negotium parabatur, in urbe fuit. habuit enim, ut puto, prehensionem, & eductionem perinde, atque in privato judicio. Quod ostendit Seneca libro IV. controversiarum: *Subinde nactus eum, in jus ad prætorem voco, & postulavi, ut prætor nomen ejus reciperet, lege inscripti maleficii. ad alterum prætorem eduxi & Ingrati postulavi.* Item in Ludo: *Ducit illum ante tribunal Æaci. is lege Cornelia, quæ de sicariis est, quærebat.* Indicat etiam Macer D. de accusationibus, cum scribit, *qui sunt in magistratu, accusari non posse, quia sine fraude in jus evocari non possunt.* In ipsa vero vocatione eadem observata esse in judicio publico, quæ in privato servata sunt, videtur verisimile.

CAP. XIX.

De postulatione.

UT autem in judicio privato adversario in jus vocato postulabatur a prætore, ut sibi liceret actionem intendere, sic in publico postulabatur, ut sibi liceret nomen deferre. Testis est Cœlius ad Ciceronem: *Illud mihi occurrit, quod inter postulationem, & nominis delationem uxor a Dolabella discessit.* & Cicero in Divinatione: *L. Piso delationem nominis in P. Gabinium postulavit, & contra Cæcilius petiit.* & ad fratrem: *Cum de ambitu Gabinium vellet postulare, neque prætores diebus aliquot adiri possent, vel potestatem sui facerent, in concionem ascendit.* Item Seneca in Ludo: *Ducit illum ante tribunal Æaci. is lege Cornelia, quæ de sicariis est, quærebat. postulat nomen ejus recipi.* Postulatio vero fiebat non solum præsente, sed etiam absente illo, in quem fiebat. ut Cicero ostendit scribens ad fratrem, cum Gabinium, postquam accessit ad urbem, nec dum ingressum, a Lentulis de majestate postulatum nunciat. item Cœlius ad Ciceronem: *Appius a Dolabella reus factus, sane quam non ea, qua existimaveram, invidia. neque enim stulte Appius, qui simul atque Dolabella accessit ad tribunal, introierat in urbem, triumphique*

A *postulationem abjecerat.* Item M. Antonium Valerius libro III. postulatum scribit, cum esset Brundusii.

Neque vero leges potestatem temere concesserunt. ut quicunque postulare, aut quicunque postulari possent. Scribit Macer D. de accusationibus: *Qui accusare possunt, intelligemus, si scierimus, qui non possunt. Itaque prohibentur accusare alii propter sexum, vel ætatem, ut mulier, ut pupillus; alii propter sacramentum, ut qui stipendium merent; alii propter magistratum, potestatemve, in qua agentes sine fraude in jus evocari non possunt; alii propter* B *delictum proprium, ut infames; alii propter turpem quæstum, ut qui duo judicia adversus duos reos subscripta habent, nummosque ob accusandum vel non accusandum acceperint; alii propter conditionem suam, ut libertini contra patronos.* Quod autem scriptum est de muliere, idem tradidit eodem titulo Pomponius, sed cum aliqua exceptione: *Non est permissum mulieri publico judicio quenquam reum facere, nisi scilicet parentum, liberorumque, & patroni, & patronæ, & eorum filii, filiæ, nepotis mortem exequatur.* Item de pupillis Papinianus: *Pupillis ex consilio tutorum patris mortem, item pupillæ avi sui mortem exequi concessum est.*

C Quæ vero de iis, qui accusare non potuerunt, a Jurisconsultis scripta sunt, ea ex legibus singulis de quoque crimine sumpta sunt. Neque vero solum leges præscripsisse videntur, qui postulare non possent, sed etiam ipsi prætores pro potestate multos a postulatione videntur repulisse. ut quæstores, ne prætorum suorum nomina deferrent, propter necessitudinem, quæ inter illos intercedebat. siquidem dixit Cicero in Divinatione: *L. Philoni in C. Servilium nominis deferendi potestas non est data, neque Scauro in Flaccum, neque Pompejo in Albutium; ne libido violandæ necessitudinis auctoritate judicum comprobaretur.* Eadem ratione non omnes D postulari poterant. primum non magistratus; deinde non ii, qui reip. caussa absunt. De magistratibus notum est illud libro XLV. apud Livium, ubi Servilius reprehendit Galbam, quod si nocere Paulo voluit, non postridie, quam triumphavit, cum primum eum privatum visurus esset, legibus interrogarit. De iis, qui reip. caussa abessent, lex Memmia sanxit, cujus Valerius libro tertio meminit: *M. Antonius quæstor proficiscens in Asiam Brundusium jam pervenerat, ubi litteris certior factus incesti se postulatum apud L. Cassium prætorem, cum id vitare beneficio legis Memmiæ liceret, quæ eorum, qui reip. causa abessent, recipi nomina vetabat, in* E *urbem tamen recurrit.*

Satis etiam constat, apud Romanos accusationis munus probro fuisse. laudem tamen attulisse iis, qui, ut inquit Cicero in secundo de officiis, aut reipub. caussa, aut patrocinii gratia, aut paternarum, aut propriarum inimicitiarum caussa ad accusationem accederent. eamque rem summo honori adolescentibus fuisse. quod etiam in Lucullo scripsit Plutarchus.

Jam vero in caussa repetundarum illud præcipue observatum est, ut populi, qui repeterent pecuniam, ac spoliatos se per legatos quererentur, patronos F quoque nominandi potestatem postularent. Livius libro XLIII. *Anno* DCLXXIII. *L. Canulejo prætori, qui Hispaniam sortitus erat, negocium datum est, ut in singulos, a quibus Hispani pecunias peterent, quinos recuperatores ex ordine senatorio daret, patronosque, quos vellent, sumendi potestatem faceret. Vocatis in curiam legatis recitatum est S. C. jussique nominare patronos, quattuor nominaverunt.* Et Cicero in primo de oratore: *Ut ille Siculus, cui Scipio prætor dabat patronum caussæ hospitem suum.* Itaque in legibus de pecuniis repetundis præcipue sanctum est de patronis dandis, & repudiandis. Hi

vero, qui sociorum patroni fuerunt, reorum accusatores extiterunt.

Saepe etiam evenit, ut duo, aut plures non solum in caussa repetundarum, sed etiam ambitus, & aliorum criminum accusationem sibi deposcerent. Quod cum accidit, tum judicium factum est, uter deberet nomen deferre. Quod Ulpianus ostendit D. de accusationibus: *Si plures existant*, inquit, *qui in judiciis publicis accusare volunt, judex eligere debet eum, qui accuset. caussa scilicet cognita, aestimatis accusatorum personis, vel de dignitate, vel ex eo, quod interest, vel aetate, vel moribus, vel alia justa de caussa*. Hoc autem judicium *Divinationem* dixerunt. Divinatio porro dicta est, teste Asconio, *quia non de facto quaeritur, sed de futuro, uter debeat accusare. alii putant divinationem dici, quod injurati judices in hac caussa sedeant, & quod velint praesentire de utroque possint. alii, quod res agatur sine testibus, & sine tabulis, & his remotis argumenta sola sequantur judices, & quasi divinent*. Gellius autem libro II. ita scribit: *Cum de constituendo accusatore quaeritur, judiciumque super ea redditum, cuinam potissimum ex duobus pluribusve accusatio, subscriptiove in reum permittatur, ea res atque judicum cognitio Divinatio appellatur. Bassus, Divinatio, inquit, judicium appellatur, quoniam divinare quodammodo judicem oporteat, quam sententiam sese ferre par sit*. & quae sequuntur. Quale autem hoc judicium fuerit, facile ipsa Ciceronis in Verrem Divinatio, in qua cum Caecilio disputat, potest docere. Meminit item Divinationis Asconius in Milonianam: *Divinatio de ambitu accusatorum facta est quaesitore A. Torquato*.

Ex multis autem accusatoribus, qui primas egit, is Accusator est dictus; qui secundas, & tertias, Subscriptor. Hic vero, ut inquit Asconius, *accusatorem adjuvare est solitus*. Horum autem meminit Nepos in vita Attici: *Neminem neque suo nomine, neque subscribens accusavit*. Asconius in Cornelianam: *Cornelium reum duo fratres Cominii lege Cornelia de majestate fecerunt. detulit nomen Publius, subscripsit Cajus*. item in Scaurianam: *M. Scaurus a P. Valerio postulatus est apud M. Catonem praetorem repetundarum. subscripserunt Triario in Scaurum L. Marius, & Pacuvii fratres*. Cicero in Verrem: *Ei, qui istius quaestor fuisset, non modo deferendi nominis, sed ne subscribendi quidem, cum id postularet, fecerunt potestatem*. Item: *Quartum subscriptorem quem sit habiturus, non video, nisi quem forte ex illo grege oratorum, qui subscriptionem sibi postularunt, cuicunque vos delationem dedissetis*. Plutarchus etiam in Catone majore scribit, legem fuisse, ut reus accusatori daret custodem ad observandam accusationem ejus. Tamen cum Cicero dixisset de Caecilio, *Custodem Tullio me apponite*, Asconius interpretatus est, *custodem* accusationis subscriptorem.

CAP. X.

De nominis delatione.

DIE inde constituta venerunt in jus accusator, & is, cui accusatio parabatur, ac praesente praetore delatio nominis facta est. Primum autem accusator calumniam juravit, deinde nomen detulit. Jurare calumniam fuit, solemne jusjurandum concipere, se non calumniandi causa nomen delaturum esse. Livius libro XLIV. *Si velut accusatores calumniam in eum jurarent, nomenque deferrent*. Coelius: *De divinatione Appius, cum calumniam jurasset, contendere ausus non est, Pilioque cessit*. Asconius in Cornelianam: *Metellus bis juravit, Curionem accusaturum, semel adactus a patre,*

A *iterum lege, tum cum calumniam juravit*. Hoc in lege Servilia *dejurare calumniam* dicitur.

Quoniam autem idem est Delatio nominis in judicio publico, quod in privato Intentio litis, verisimile est, easdem formulas actionum, quoad res passa est, observatas. Nempe qui vadimonium promiserat, dixit: *Ecce me, sisto me, & tu siste te. quid ais?* cui accusator respondit: *Ajo, te peccasse contra legem hanc vel illam*. Hoc innuit Livius libro IV. *Vocat te*, inquit, *dictator. Cum ille quaereret, quid vellet? Servilius caussam ei dicendam esse proposuit, crimenque a Minucio delatum diluendum*. Formula vero intentionis eadem fere in omnibus criminibus fuit. In crimine certe repetundarum talis fuit: *Ajo, te in praetura spoliasse Siculos contra legem Corneliam, atque eo nomine sestertium millies a te repeto*. sic enim inquit Cicero: *Sicilia tota, si una voce loqueretur, hoc diceret: Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, sedibus, delubris fuit, quod jus in unaquaque re beneficio senatus populique Romani habui, id mihi tu C. Verres eripuisti, atque abstulisti. quo nomine abs te sestertium millies ex lege repeto. quoniam id non potest, harum rerum actorem, quem idoneum esse arbitrata est, ipsa delegit*. In peculatu ita: *Ajo te pecuniam publicam cum quaestor esses avertisse, & falsas rationes ad aerarium rettulisse. atque eo nomine sestertium quingenties a te repeto*. In ambitu ita: *Ajo te in petendo consulatu pecuniam dedisse tribubus, prandia, locum gladiatoribus contra legem Tulliam, atque poenam quae lege continetur, a te repeto*. Quod si ille aut tacuisset, aut confessus esset, tum in repetundarum crimine lis aestimabatur, ut victo, aut poena repetebatur: si inficiatus esset, postulabatur, ut nomen inter reos reciperetur, ac delatio nominis scribebatur, & tempus inquirendi postulabatur. Qui vero hoc faciebat, is dicebatur, *reum facere*, & *legibus interrogare*. Asconius, *reum fieri*, inquit, *est apud praetorem legibus interrogari. cum in jus ventum esset, dicebat accusator apud praetorem reo: Ajo, te Siculos spoliasse. si tacuisset, lis ei aestimabatur, ut victo; si negasset, petebatur a magistratu dies inquirendorum ejus criminum, & instituebatur accusatio*. Cicero pro domo: *Qui me unquam ulla lege interrogavit? quis postulavit?* & Sallustius: *Autronius, & Sylla legibus ambitus interrogati sunt*. Item: *ipse Plautia lege interrogatus erat ab L. Paulo*. & Livius libro XLV. *Cur non postero die, quam triumphasset, cum privatum eum visurus esset, nomen deferret, & legibus interrogaret?* Ut autem in judicio privato *petere*, & *repetere pecuniam* dicebatur actor, sic in publico *petere*, & *repetere mulctam*, & *poenam* accusator. Cicero pro Cluentio: *Uno judice mulcta petita est, quod judex ex lege non sedisset*. & in III. in Verrem: *Petita mulcta est apud istum praetorem a Q. Opimio, quod, cum esset tribunus pleb. intercessisset contra legem Corneliam*. Itaque intentio tum his verbis formari potuit: *Ajo, te, cum esses tribunus pleb. intercessisse contra legem Corneliam, & eo nomine a te mulctam talem peto*. In libris etiam de Inventione dixit *poenas ab reo petere*, & in legibus: *Plus poenarum habui, quam petivi*. Inde fluxit, ut repetere poenas ab inimicis dicamus, cum eos ulciscimur, translatione e judicio derivata. Ubi vero voce res peracta erat, tum vero ad scriptum veniebatur, ac crimen, quod objiciebatur, libello subscriptum relinquebatur. Subscriptionem autem libelli ita conceptam docet Ulp. D. de accusatoribus: *Si cui crimen objiciatur, praecedere debet in crimen subscriptio. quae res ad id inventa est, ne facile quis prosiliat ad accusationem, cum sciat inultam sibi accusationem non futuram. caveant itaque singuli, quod crimen objiciant*. Item Paulus: *Consul, & dies apud illum praetorem. L. Titius professus est, se Maeviam lege Julia de adul-*

teriis deferre, quod dicat eam cum C. Sejo in civitate A *illa, domo illius, mense illo, consulibus illis adulterium commisisse.* Hinc Asconius in Milonianam: *Apud Considium quæstorem lege Plautia de vi accusarat subscriptione ea, quod loca occupasset, & cum telo fuisset antesignanus operarum Milonis.* & Cicero pro Cluentio: *In compluribus reis, quos contra leges pecunias accepisse subscriptum est.* Ex quibus intelligitur, accusatorem & voce, & libello omnia, & singula, quibus reus legem illam, quam nominasset, transgressus esset, esse complexum. ut in pecuniis repetundis, abstulisse, inique judicasse, supplicia de civibus Rom. sumpsisse, aut alia, quæ se probare adversus illum posse confideret. B

Ubi vero nomen ejus hoc modo detulerat, postulabat, ut reciperetur, id est, ut in tabulas inter reos referretur. Prætor enim hoc jus habebat, ut recipere, & non recipere posset. Seneca in ludo: *Postulat nomen recipi, edit subscriptionem, occisos senatores triginta.* Cœlius ad Ciceronem: *Nec Laterensis prætor postulante Pausania, quo ea pecunia pervenisset, nomen recipere voluit.* Erant autem crimina quædam, quæ propter atrocitatem ac magnitudinem suam extra ordinem accipiebantur, ut parricidii, & de vi. Cicero in Rhetoricis: *Cum venefici cujusdam nomen esset delatum, & quia parricidii caussa subscripta esset, extra ordinem esset acceptum.* C & pro Cœlio inquit: *Legem Plautiam de vi quæri quotidie voluisse.* Ex quo apparet, nomen etiam rei de vi extra ordinem acceptum esse. Unde dixit Cœlius: *Tuccius Rufum accusatorem suum post ludos Romanos reum fecit lege Plotia de vi, hoc consilio, quod videbatur, si extra ordinarius nemo reus accessisset, sibi hoc anno caussam esse dicendam,* id est, ne caussam diceret hoc anno, quo reus erat factus, accusavit de vi accusatorem suum, id est, ejus criminis fecit reum, quod quamvis post se esset delatum, tamen quia extra ordinem esset acceptum, etiam extra ordinem, nimirum ante suum judi- D cium, esset cognoscendum.

Recepto autem vel ordine, vel extra ordinem rei nomine prætor certam diem, qua accusator, & reus ad judicium adessent, constituebat. Is dies in aliis legibus decimus, in aliis tricesimus fuit. Asconius in Cornelianam: *Detulit nomen Publius, subscripsit Cajus. &, cum L. Cassius prætor decimo die, ut mos est, adesse jussisset.* Cicero in Vatinium: *Quæro de te, postulatus ne sis lege Licinia, Junia? edixerit ne C. Memmius prætor ex ea lege, ut adesses die tricesimo?* In crimine autem repetundarum accusator diem longiorem ad inquirendum poposcit. E Unde Asconius: *Cicero caussa Verris ad se traducta inquisitionis adversus Verrem tempus postulavit dies centum decem.* Item: *Pacuvii accusatores in Scaurum inquisitionem in Sardiniam, itemque in Corsicam insulas dies tricenos acceperunt.* Item: *Scaurus Cæpionem contra reum detulit, & breviore die inquisitionis accepta effecit, ut ille prior caussam diceret.*

His rebus actis reus vestem mutavit, & patronos conquisivit. De veste hæc ratio fuit. Toga alba deposita atram induit, & barbam, capillumque promisit, squalloremque contraxit. Narrat Gellius libro III. *Scipionem Æmilianum, cum esset reus, neque barbam desiisse radi, neque non candida veste* F *uti, neque fuisse solito cultu reorum.* Plutarchus idem scribit, Macrum, cum se putaret absolutum, vestem resumpsisse, & caput rasisse. Valerius libro VI. Rutilium reum ait, neque obsoletam vestem induisse, nec insignia senatoris deposuisse, nec supplices ad genua judicum manus tetendisse.

De patronis hæc accepimus. Scribit Asconius, ante bellum civile Cæsaris raro quenquam pluribus, quam quattuor patronis esse usum. post bella vero civilia ante legem Juliam usque ad duodenos patronos esse perventum. Defensorum porro idem, ut supra diximus, quattuor genera facit, quorum patronum eum vocat, qui orator esset, & voce caussam orandam susciperet, & sese accusatori opponeret. In his judiciis non licuisse tribunos plebis appellare, significat Cicero in Vatiniana: *Quæro, postulatus ne sis lege Licinia, & Junia? edixerit ne C. Memmius prætor ex ea lege, ut adesses die tricesimo? cum is dies venisset, feceris ne, quod in hac repub. non modo factum ante nunquam, sed in omni memoria sit inauditum? appellaris ne tribunos pleb. ne caussam diceres?*

CAP. XI.

De citando accusatore & reo.

QUONIAM autem sæpe accidit, ut perficiendi judicii caussa accusator, & reus citandus fuerit, deinceps antequam ad alia veniamus, quid in ea re observatum sit, videamus. Quoties igitur dies constituta alicui actioni a prætore accessit, si prætor adesse non potuit, rem in alium diem differendi jus habuit. Asconius: *Cum Cassius prætor decimo die, ut mos est, adesse jussisset accusatores, eoque die ipse non affuisset, seu avocatus propter frumenti publici curam, seu gratificans reo, circumventi sunt accusatores ante tribunal ejus.* Si affuit, accusatores, & reum, & patronos citari per præconem jussit. Tum vero, si accusatores non affuerunt, nomen rei ex reis exemptum est; si reus non accessit, absens damnatus est. Asconius eodem in loco: *Postero die, cum Cassius assedisset, & citati accusatores non adessent, exemptum est nomen de reis Cornelii.* Cicero in Verrem: *Omnis mea festinatio fuit ob eam caussam, ne tu ex reis eximerere, si ego ad diem non affuissem.* Asconius in Milonianam: *Milo postero die factus reus ambitus apud Torquatum absens damnatus est.*

Etiam illa caussa cognitionis differendæ fuit, si extraordinarius aliquis reus esset delatus. de qua paulo ante diximus. Item si qua caussa cum ea, quæ agebatur, conjuncta in judicium esset adducta. nam propter conjunctionem, & quasi affinitatem eam ante ordinarias peragi voluerunt. ut Cicero pro Cluentio: *Fabricium statim reum fecit, atque ut ei locus primus constitueretur propter caussæ conjunctionem, impetravit.*

CAP. XII.

De judicibus legendis.

UBI vero prætor assederat, & accusatores, reus, & patroni prodierant, de judicibus legendis agebatur, quod munus plerunque judici quæstionis assignabatur. Numerus autem judicum legebatur, qui a lege erat præscriptus, qua judicium illud exercebatur, & quo modo erat præscriptum. Modus autem fuit duplex, sortitio, & editio. Sortitio fuit ejusmodi. Prætor, aut judex quæstionis in urnam conjiciebat omnes judices selectos, id est, qui ad judicia ejus anni a prætoribus ex lege fuerant delecti; ac sorte eum numerum educebat, quem lex ipsa præscribebat. Quo facto dabatur potestas reo, & accusatori rejiciendi, quos parum sibi putarent idoneos. in locum vero rejectorum alios sive prætor, sive judex quæstionis subsortiebatur. Quem morem his verbis exponit Asconius: *Cum multi judices in consilio cum prætore suo judicaturi essent, qui quæsitor fuisset in caussa publica, necesse fuerat, eos primum de curia senatoria conscribi, cum senatus judicaret; deinde in urnam mitti, ut de pluribus necessarius numerus sortito confici posset;*

tertio permitti accusatori, & reo, ut ex illo numero rejiciant, quos putaverint, sibi aut inimicos, aut ex aliqua re incommodos fore. Rejectione celebrata in eorum locum, qui rejecti fuerant, subsortiebatur prætor alios, quibus ille judicum numerus legitimus compleretur. & alibi: *Sortitus erat judices prætor Verres in eorum locum, ut mos est, alios.* Quibus verbis ostendit, hanc lectionem multarum adeo legum, ac quæstionum fuisse, ut more facta dicatur. In hac tamen re variatum esse vi legum satis postea apparebit. Rejectionis item meminit Cicero pro Sylla: *Vos re interposita nihil suspicantibus nobis repentini in nos judices consedistis ab accusatoribus delecti ad spem acerbitatis.* Item: *Vestræ virtutis est, declarare, non esse eos nos, ad quos potissimum interposita rejectione devenire convenerit.* Sed de rejectione Cicero plura in tertia in Verrem. De editione mentio fit in lege Servilia Glaucia, qua jubetur, ut actor ex CDL. judicibus centum edat, reus ex centum edat quinquaginta. sic autem scriptum est: *Prætor, ad quem nomen delatum erit, facito, ut is die vicesimo ex eo die, quo cujusque quisque nomen detulerit, centumviros ex eis, qui ex hac lege quadringenti quinquaginta viri in eum annum lecti erunt, legat, edatve. Quo is centumviros ex hac lege ediderit, de eis ita facito: juret palam apud se coram, se eos scientem dolo malo non legisse. ubi is ita centumviros ediderit, juraritque, tum eis facito, ut is unde petetur, die vicesimo, postquam nomen ejus delatum erit, quos centum is, qui petet, ex hac lege ediderit, de eis judices quinquaginta legat, edatve.* Eadem ratione lex Licinia de sodalitiis potestatem dedit accusatori edendi judices reo, verum non ex delectis ad judicandum, sed ex universo populo. Qua de re conqueritur Cicero pro Plancio: *Nos neque ex delectis judicibus ad judicandum, sed ex omni populo, neque editos ad rejiciendum, sed ab accusatore constitutos judices ita feremus, ut neminem rejiciamus?*

Hac re transacta judices lecti citabantur, quique adesse non poterat, excusationem afferebat. Cicero in v. Philippica: *Quæro, si Lysiades citatus judex non responderit, accipiet ne excusationem is, qui quæstioni præerit?* Qui vero accedebant, & judicium accipiebant, ii jusjurandum suscipiebant, atque eorum nomina inscripta in arcis reponebantur. Ex quo scripsit Asconius: *Subscriptione perfecta jurabant in leges judices, ut obstricti religione judicarent. Cum jurassent omnes præter ipsum prætorem, nomina eorum libellis consignabantur, ne pro selectis judicibus, ut fit in multitudine, aliqui suppositi corruptissime judicarent.* Addit vero alibi: *Facile vero pro veris judicibus improbi supponi poterant volente hoc judice quæstionis, & illis patientibus, qui non veri judices erant, quia nisi citati non considebant. & grave onus erat, & incommodum judicare.* Jurasse autem eo modo, quo judices privatarum caussarum, facile existimaverim.

CAP. XIII.

De prima actione.

His actis inde cognoscendæ caussæ opera dari est cœpta. Cognitio vero ferme omnis in duas actiones divisa fuit, primam, & secundam; quarum secunda a comperendinatione manavit in iis caussis, in quibus comperendinatio est permissa. utraque vero actio accusationem, & defensionem complexa est. Quoniam autem accusatio testimoniis maxime nitebatur, propterea prius de testimoniorum ratione, deinde de accusatione, agamus.

Testimoniorum nomine omnes probationes extrinsecus sumptæ sunt appellatæ, quæ etiam expertes artis ab iis, qui de artificio oratorio scripserunt, sunt dictæ. Hæc vero in tres potissimum partes tributa sunt, quæstiones, testes, & tabulas. De quibus singulis separatim est disputandum. Nam in his maxime studium accusatoris fuit collocatum. atque earum & ejusmodi rerum parandarum gratia dies aliquot post nominis delationem ad inquirendum sumpserunt. quod maxime in lege repetundarum est observatum. Quanquam non omnia crimina iisdem testimoniis confirmata sunt. Nam cædes quæstionibus & testibus probata est, tabularum fidem non desideravit. repetundæ & peculatus testes & tabulas poposcerunt, quæstiones repudiarunt. majestas autem & ambitus solis etiam testibus fuit contenta.

CAP. XIV.

De quæstionibus.

Quæstiones fuerunt testimonia servorum vi tormentorum expressa. Itaque propria accusatoris fuerunt, ut reum ex dictis servorum convinceret. Itaque accusator, ubi primum quæsitor cum judicib. assedit, servos rei in quæstionem postulare consuevit, & ab eo datos in tormentis habere. Asconius: *Domitius quæsitor Milonem de vi reum adesse jussit apud Domitium. Appius accusator postulavit a Milone servos exhiberi numero LIV. & cum ille negaret, eos, qui nominabantur, in sua potestate esse, Domitius ex sententia judicum pronunciavit, ut ex servorum eorum numero accusator, quot vellet, ederet.* Ceterum servi contra dominos torqueri non poterant, excepta caussa incestus, & conjurationis. Cicero pro Dejotaro: *Cum more majorum de servo in dominum ne tormentis quidem quæri liceat, exortus est servus, qui quem in eculeo appellare non posset, eum accuset solutus.* & in Partitionibus: *Nostri majores cum de servis in dominos quæri noluissent, de incestu tamen, & conjuratione, quæ facta me consule est, quærendum putarunt.* Ob eam caussam Minucia virgo Vestalis probri insimulata, teste Livio libro VIII. decreto pontificis jussa est, *sacris abstinere familiamque in potestate habere.* nimirum, quod in caussa incestus servi torqueri in caput domini possent. Ceterum ratio quærendi qualis fuerit, pro Cluentio Cicero ostendit: *De Stratone, inquit, & de assecla quodam servo suo quæsiturum se dixit. præterea servum illum Nicostratum ab Oppianico in quæstionem postulavit. hic, cum esset illo tempore puer, nihil ausus est recusare. advocantur amici Oppianici, & ipsius mulieris. tormentis omnibus vehementissime quæritur. cum essent animi servorum, & spe, & metu tentati, ut aliquid in quæstione dicerent, tamen auctoritate advocatorum, & vi tormentorum adducti in veritate manserunt, nec se quidquam scire dixerunt. quæstio illo die de amicorum sententia dimissa est. satis longo intervallo jam iterum advocatur. habetur de integro quæstio. nulla vis tormentorum acerrimorum prætermittitur. aversari advocati, & jam vix ferre posse. cum jam tortor atque ipsa essent tormenta defessa, quidam ex advocatis intelligere se dixit, non id agi, ut verum inveniretur, sed ut aliquid falsi dicere cogerentur. hoc postquam ceteri comprobarunt, ex omnium sententia constitutum est, satis videri esse quæsitum.* Item pro Milone: *Sed quæstiones urgent Milonem, quæ sunt habitæ in atrio Libertatis. quibusnam de servis? rogas? de P. Clodii. quis eos postulavit? Appius. quis produxit? Appius. unde? ab Appio. dii boni, quid potest agi severius? age vero, quæ erat, aut qualis quæstio? heus ubi Ruscio, ubi Casca? Clodius insidias fecit Miloni? fecit, certa crux. nullas fecit, sperata libertas. quid hac quæstione certius? subito arrepti in quæstionem tamen separan-*

parantur a ceteris, & in arcas conjiciuntur, ne quis cum eis colloqui posset. hi centum dies penes accusatorem cum fuissent, ab eo ipso accusatore producti sunt. quid hac quæstione dici potest integrius? Quæstione habita, & in tabulas relata, tabulæ obsignabantur, ut ibidem dixit Cicero: *Nam tabellæ quæstionis plures proferuntur, quæ recitatæ, vobisque editæ sunt illæ ipsæ, quas tum obsignatas esse dixi.* Quæstio autem habita est in eculeo. de quo post dicam.

CAP. XV.

De testibus.

QUÆSTIONIBUS cognitis testes sunt attingendi. Hi liberi homines fuerunt, qui testimonium extra tormenta dixerunt. Quoniam autem non omnibus dicere testimonium licuit, propterea ante de testium conditione quærendum est. Callistratus D. de testibus: *Testium fides diligenter examinanda est. ideoque in persona eorum exploranda erunt in primis conditio cujusque, utrum quis decurio, an plebejus sit, & an honestæ, & inculpatæ vitæ, an vero notatus, & reprehensibilis, an locuples, vel egens sit, ut lucri caussa quid facile admittat, vel an inimicus ei sit, adversus quem testimonium fert, vel amicus ei sit, pro quo testimonium dat. nam si careat suspicione testimonium, vel propter personam, a qua fertur, quod honesta sit, vel propter caussam, quod neque lucri, neque gratiæ, neque inimicitiæ caussa, dimittendus est.* Arcadius ibidem: *Testimoniorum usus frequens, ac necessarius est, & ab iis præcipue exigendus, quorum fides non vacillat. Adhiberi quoque testes possunt non solum in criminalibus caussis, sed etiam in pecuniariis litibus, sicuti res postulat, & ii, quibus non interdicitur testimonium, nec ulla lege a dicendo testimonio excusantur.* item Papinianus: *Quæsitum scio, an in publicis judiciis calumniæ damnati testimonium perhibere possint. sed neque lege Remnia prohibentur, & lex Julia de vi, repetundarum, & peculatus eos homines testimonium dicere non vetuerunt.* De iis, qui testimonium dicere non potuerunt, lex XII. tabularum loquuta est. verba quædam sunt apud Gellium libro XV. cap. XIII. *Quæ si testatior erit, libripensve fuerit, ne testimonium feriatur, improbus, intestabilisque esto.* quorum verborum prima adeo lacera sunt, ut sanari non possint. sunt qui ita emendent: *Qui se scierit testarier, libripensve fuerit, ni testimonium fteratur, improbus, intestabilisque esto.* quo loco *testari* volunt esse testem adhiberi. posteriora vero declarantur ab eodem libro VI. cap. VII. *Tarratiam*, inquit, *virginem Vestæ fuisse, lex Horatia testis est, quæ super ea ad populum lata. qua lege ei plurimi honores fiunt, inter quos jus quoque testimonii dicendi tribuitur. testabilisque una omnium fœminarum ut sit, datur. id verbum est ipsius legis Horatiæ. Contrarium est in XII. tabulis scriptum. Improbus, intestabilisque esto.* Intestabilis autem est, ut inquit Cajus, & qui lege jubetur, ne ejus testimonium recipiatur; neve ipsi dicatur testimonium: Testium porro illa divisio fuit, ut alii testimonium sponte dicerent, alii inviti: his lex jubebat, ut testimonium denunciaretur ab accusatore, qui uti eorum testimonio cupiebat. quam intellexit Valerius libro octavo: *Scaurus*, inquit, *adeo perditam defensionem in judicium attulit, ut accusator diceret, lege sibi centum atque viginti hominibus denunciare testimonium licere.* & Cicero in Verrem: *Non putasti, me in hanc rem tuis familiarissimis testimonia denunciaturum.* Paulus D. de testibus: *Lege Julia judiciorum publicorum cavetur, ne invito denuncietur, ut testimonium dicat adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrino natum, eosque qui propiore gradu sunt, item ne liberto ipsius, liberorum ejus, parentum, viri, uxoris, item patroni, patronæ, & ne patroni, patronæ adversus libertos, neque liberti adversus patronum cogantur testimonium dicere.* Papinianus D. de accusationibus: *Certis de caussis concessa est mulieribus publica accusatio, veluti si mortem exequantur eorum, earumque, in quos lege publicorum testimonium invitæ non dicunt.* De his testibus, si testimonium dicere respuissent, sic scriptum erat in XII. *Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito.* id est, si quis, cui testimonium denunciatum sit, ipsum testimonium deseruerit, tum ad ædes ejus ad dicendum convicium ito. *Portus* enim ibi est domus, *obvagulare* convicium dicere, teste Festo. Quoniam vero testes protulit, & accusator, & defensor, invitos quidem accusator, voluntarios uterque, diligenter, quemadmodum eos interrogarent, animadvertere debuerunt. fuit enim in interrogando teste summa industriæ oratoriæ laus posita. Itaque Quinctilianus sic scripsit, ubi agit de testibus: *Quoniam duo genera sunt testium, unum voluntariorum, alterum eorum, quibus judex in publicis judiciis lege denunciare solet: quorum altero utraque pars utitur, alterum accusatoribus tantum concessum est; qui voluntarium producit, scire, quid is dicturus sit, potest, ideoque faciliorem videtur habere in rogando rationem, Sed hæc quoque pars acumen & vigilantiam poscit, providendumque, ne timidus, ne inconstans, ne imprudens sit testis; turbantur enim, & a patronis diversæ partis inducuntur in laqueum.* & post multa: *At in eo, qui verum invitus dicturus est, prima felicitas interrogantis est, extorquere quod is noluerit. Hoc non alio modo fieri potest, quam longius interrogatione repetita. respondebit enim quæ nocere caussæ non arbitrabitur.* ibique de tota ratione interrogandorum ab utraque parte testium pluribus, ac subtilius agit. In eandem vero etiam sententiam hæc scripta sunt ab Asconio: *Tenere debemus interrogationes testium & accusatoris & defensoris, fuisse, & ejus, qui producit, & ejus, contra quem producuntur.* Item a Cicerone pro Flacco: *An quisquam esse testis potest, quem accusator sine cura interroget, nec metuat, ne sibi aliquid, quod ipse nolit, respondeat? ubi est igitur illa laus oratoris, quæ vel in accusatore antea, vel in patrono spectari solebat? Bene testem interrogavit, callide accessit, reprehendit, quo voluit, adduxit, convicit & elinguem reddidit?* Item: *Invidisti ingenio subscriptoris tui, quod ornabat facile locum, quem prehenderat. & acute testes interrogabat. Formula vero interrogandi testis fuit: Quæro de te, arbitreris ne?* Livius: *Sexte Tempani, quæro de te, arbitreris ne, C. Sempronium consulem in tempore pugnam inisse?* Ipsi vero testes respondebant jurati, respondentesque dicebant: *Arbitror.* Asconius: *Religione adducti testes a Cicerone dicuntur, quia jurati testes produci solent, non solum ne falsa dicant, verum etiam, ne quæ vera sint, taceant.* Cicero in Lucullo: *Majores nostri voluerunt, ut qui testimonium diceret, arbitrari se diceret etiam, quod ipse vidisset.* & pro Fontejo: *Primum illud verbum considératissimum nostræ consuetudinis, Arbitror, quo nos etiam tunc utimur, cum ea dicimus jurati, quæ comperta habemus, quæ ipsi vidimus, ex toto testimonio sustulit.* Cæterum interrogatio testium ipsam accusationem præcessit. id quod cum aliis legibus cautum est, tum Pompeja de vi. de qua Asconius in Milonianam: *Apud Domitium quæsitorem de vi Appius accusator postulavit a Milone servos exhiberi numero quattuor & quinquaginta. & cum ille negaret, eos, qui nominabantur, in sua potestate esse, Domitius ex sententia judicum pronunciavit, ut ex servorum eorum numero accusator, quot vellet, ederet. citati deinde testes secundum legem, quæ jubebat, ut prius, quam caussa ageretur, testes per triduum audirentur, dicta eorum judices consignarent, quarta die adesse omnes in posterum juberentur. primo die datus erat in Milonem testis Cassinius. quem cum inter-*

rogare M. Marcellus cœpisset, tumultu Clodianæ multitudinis exterritus est. testimonium aliis diebus dixere alii. dimissum judicium est. Aliæ leges post caussam actam testes dari voluerunt, ut lege Cornelia de repetundis in Verrem Cicero. Addit Quinctilianus, testimonia aut a præsentibus dicta, aut per tabulas: simpliciorem fuisse contra tabulas pugnam. *Nam & minus videtur*, inquit, *obstitisse pudor inter paucos signatores, & pro diffidentia premitur absentia. si reprehensionem non capit ipsa persona, infamare signatores licet.* Adjicit illud etiam, sæpe contigisse, ut testes laudare opus esset. cujus rei ratio ex artificio oratorio repetenda fuit. Non omittendum est illud etiam, quod est apud Isidorum de testibus alligatis: *Testes sunt*, inquit, *a quibus quæritur veritas in judicio, quos quisque ante judicium sibi placitis alligat, ne cui sit postea liberum, aut dissimulare, aut subtrahere se, & alligati appellantur.* Itaque Cicero scripsit ad Fratrem: *Nerius judex edidit ad alligatos, Cn. Lentulum & C. Cornelium.*

CAP. XVI.

De tabulis.

TABULARUM vero nomine omne genus scripturarum appellabant, quo caussam confirmare suam possent. In primis autem erant tabulæ dati & expensi, quas accusator a reo postulabat in certis caussis, ut repetundarum, & peculatus. de quibus sic Asconius: *Moris fuit, unumquenque domesticam rationem sibi totius vitæ suæ per dies singulos scribere, ex qua appareret, quid quisque de reditibus suis, quid de arte, fœnore, lucrove seposuisset quoque die; & quid item sumptus, damnive fecisset. sed postquam obsignandis litteris reorum ex suis quisque tabulis damnari cœpit, ad nostram memoriam tota hæc consuetudo cessavit. Dicit igitur Tullius, habere se & patris ejus tabulas, quoad vixit, & ipsius Verris, quoad confecisse dixit. ex quibus proditur, quam multæ tabulæ pictæ, quot signa apud eum nulla emptionis origine furto capta noscantur.* Hinc Cicero: *Cum ab eo tabulas postularemus, usque ad M. Terentium, & C. Cassium consules, respondit confecisse, postea destitisse.* Item: *Negabat opus in acceptum referre posse, & caussam in me conferebat, quod tum codicem obsignassem.* & pro Balbo: *Cum Q. Metellus caussam de pecuniis repetundis diceret, & ipsius tabulæ circumferrentur inspiciendi nominis caussa, audivi fuisse judicem ex illis equitibus Roman. qui removeret oculos, & se totum averteret, ne forte quod ille in tabulas publicas rettulisset, dubitasse quisquam, verumne, an falsum esset, videretur.* Fuerunt etiam tabulæ auctionariæ, in quibus argentarii, quarum rerum auctio futura esset, perscripserant. Cicero in Catalinam: *Meo beneficio tabulæ novæ proferuntur, sed auctionariæ.* Quinctilianus libro XI. *Hortensius auctione dimissa, quod cuique vendidissent, testibus argentariorum tabulis reddidit.* Fuere etiam pactionales, in quas obsignatas pacta referebantur. Cicero in primo de oratore: *Tu mihi cum in circulo decipiare adversarii stipulatiuncula, & cum obsignes tabellas clientis tui, quibus in tabellis illud sit scriptum quo ille capiatur, ego tibi ullam caussam majorem committendam putem?* Quin etiam litteræ, & syngraphæ omnes uno tabularum nomine comprehenduntur, eæque ab accusatore inquisitæ, & obsignatæ, ne corrumperentur ad prætorem delatæ sunt, ut scribit Cicero pro Flacco. & in Tusculana V. *Tu quidem obsignatis tabellis agis mecum, & testificaris, quod dixerim aliquando, aut scripserim.* Item tabulæ rationum relatarum, de quibus Festus: *R. R. duobus in compluribus orationibus, cum de actis disseritur, perscribi solet, id est, rationum relatarum. quod iis tabulis docentur judices, quæ publice data, atque accepta sint.*

CAP. XVII.

De accusatione.

QUÆSTIONIBUS, testibus, tabulisque, quæ ad accusationem afferebantur, explicitis, deinceps ipsam accusationem aggrediamur. Cum igitur die cognitionis prætor consilium advocasset, atque citatus accusator, & reus adesset, tum accusator dicendi potestate accepta actionem instituit. quippe primis diebus crimina singula exposuit, atque ad extremum ea producendis testibus confirmavit. itaque tota illa interrupta oratio fuit. Deinde productis testibus alteram alio die orationem habuit, quæ perpetua fuit. Priorem orationem Cicero in Verrem dixit, sed ad singula crimina testes produxit, atque interrogavit. sic enim inquit: *Faciam hoc non novum, sed ab iis, qui nunc principes civitatis sunt, ante factum, ut testibus utar statim. illud a me novum judices, cognoscetis, quod ita testes constituam, ut crimen totum explicem. ubi id argumentis & ratione firmavero, tum testes interrogando ad crimen accommodem. ut nihil inter illam usitatam accusationem, atque hanc novam intersit, nisi quod in illa tunc, cum omnia dicta sunt, testes dantur, hic in singulas res dabuntur, ut illis quoque eadem interrogandi facultas, argumentandi, dicendique sit. si quis erit, qui perpetuam orationem accusationemque desideret, altera actione audiet.* atque hanc orationem ille testium interrogationem vocavit, est autem ea, quæ proxime Divinationem sequitur. Posteriorem vero, qua alio die accusator eandem caussam retractabat, ac perpetua oratione declamatorio more reum insequebatur, criminaque testimoniis confirmata oratorie amplificabat, Cicero prætermisit, quod Verres, & patronus ejus Hortensius testium multitudine territi defensionem sui reliquissent. Asconius: *Cicero, cum videretur id agi, ut a Glabrione prætore, & ab iis judicibus, qui tunc erant, ad alium annum aliumque prætorem res tota transiret, eriperetur que sibi reus patrocinio Hortensii ac Metelli, qui tunc consules futuri erant, hoc commentus est rationis, ut orationem longam prætermitteret, neque in criminibus declamatione cumulandis tempus absumeret, sed tantummodo citaret testes ad unumquodque crimen expositum, & eos Hortensio interrogandos daret. qua arte ita est fatigatus Hortensius, ut nihil contra, quod diceret, inveniret: ipse etiam Verres desperato patrocinio sua sponte discederet in exilium.* Hæc igitur & longa, & perpetua oratio accusatio dicta est. de qua pro Cœlio: *Accusatio crimen desiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teste confirmet.* quam non unus accusator peregit, sed partitis inter se muneribus multi. Eadem proœmia habuit ad odium, & invidiam inflammandam composita. Narratio inde, si incidebat (neque enim omne crimen, ut ambitus, narrationem admisit) ad Confirmationem fuit apposita. utraque vero, ut ad eum, qui jam rem teneret, accommodabatur. Contentio non crimen illud solum, quod intendebatur, sed totius præteritæ vitæ criminationem complexa est. Itaque non solum testimonia adhibuerunt, sed etiam argumenta, id est, ex ipsa re, & vita rei superiore sumptas conjecturas, suspiciones, & signa. omnemque eo industriam suam intenderunt, ut factum fuisse, quod intendebatur, ostenderent. id enim erat, in quo lex violata objiciebatur. contentioni inde Peroratio gravis, & vehemens erat subjecta. Itaque accusatio omnino nihil aliud fuit, quam perpetua oratio ad crimina inferenda, atque augenda artificiose composita. Dixit autem accusator, quæ voluit, & per

quot dies legis permissu voluit. Cicero pro Cluentio: *Quo jure Actius*, nempe accusator, *quæ voluit, dixit? opinor, lege*. Asconius etiam viginti dies datos ad accusandum, & viginti ad defendendum lege, opinor, Cornelia scripsit.

A

CAP. XVIII.

De defensione.

ACCUSATIONE perfecta patroni defensionem aggrediebantur, eo die, qui esset ex lege a prætore concessus. ut pro Cluentio: *Citatur reus, agitur caussa, paucis verbis accusat ut de re judicata Canutius. incipit respondere Canusius*. Ceterum ut accusatores crimina inferenda, sic patroni diluenda partitis inter se muneribus susceperunt. & quoniam tres erant defensionis arces, aut factum negare, aut nomen facti, aut jure factum probare; si, quod firmius videbatur, factum negassent, ferme testes non dabant, sed orationem adhibebant, qua aut testes tabulasque poscebant, aut qui producti erant, refutabant. Hoc docet Asconius, cum inquit: *Testes tabulæque facti dari solent. ergo nihil prosunt a parte defensoris. quid ergo fuit pro defensore? oratio scilicet. cujus potestatem non habuit Hortensius tacente accusatore*. Cicero pro Fontejo: *Flagito testes. plus ego in hac caussa laboris consumo in poscendis testibus, quam cæteri defensores in refutandis*. item: *cur eorum tabulæ nullæ proferuntur?* Quin etiam contra testes dixit in eadem, & pro Flacco, & pro Cornelio; & pro testibus contra tabulas pro Archia; contra quæstiones pro Milone. quanquam locus erat communis, atque anceps. extat etiam oratio in Vatinium, qua testem Vatinium ut inconstantem & levem insectatus est in caussa Sextii; quæ interrogatio dicta est. Ut autem accusatori testimonia, sic defensori argumenta aptiora fuerunt, quæ rhetores in verisimilia, & signa distribuerunt. cujus rei clarissimum exemplum Miloniana suppeditabit. quod si de nomine facti, aut de jure controversia fuit, tum aut subtilibus definitionibus, aut eruditis de jure sive absoluto, sive assumptivo disputationibus negocium confecerunt. Erant autem quædam caussæ, quæ commodissime inficiatione defendebantur, ut repetundarum, & ambitus; aliæ quæ definitione, ut majestatis; quædam jure, ut cædes, primarum exemplum erit defensio Fonteii, Flacci, Murenæ, & Plancii, secundarum Cornelii, tertiarum Miloniana. quin etiam Gracchi & Saturninus jure cæsi fuisse defensi sunt. Principia adhibebant ea, quibus incendium odii ab accusatore conflati restinguerent, & amorem judicum reo reconciliarent. narrationes, cum inciderent, ad defensionis rationes accommodabant, easque futuræ fidei seminarium statuebant. In contentione aut vitam rei, si probriis affecta fuisset, purgabant, aut si hominum opinione probata fuisset, pro argumento innocentiæ proponebant. atque inde partibus accusationis singulis occurrebant, & vulnera ab accusatore facta sanabant. Perorationes vero ejusmodi adhibebant, ut iis misericordiam commovere contenderent. Cum autem multi dicerent, caussa non uno die peragi poterat, sed ad multos traducebatur. Cicero quidem scribit, se per tres amplius dies Verrem accusasse: eundem vero Cornelium per quatriduum defendisse, tradit Asconius. Erant autem dies epilogorum, in quibus ad concitandam misericordiam parvuli etiam filii reorum producebantur. unde scripsit Asconius: *Reprehendunt homines stultissimi Tullium, quod in filio Verris innoxiam lædat ætatem. ignorantes illum accusatoria arte providere, ne in epilogis productus ab Hortensio conciliet misericordiam judicum patri*. De productione vero infantium in epilogis plura Quinctilianus egregie.

B

C

D

E

F

CAP. XIX.

De laudatione.

MORIS etiam fuit, ut rei præter patronos laudatores etiam adhiberent. Hi fuere aut cives summa auctoritate viri, qui in periculo capitis vitam rei in judicio laudarunt; aut municipes rei, quos municipia suo publico nomine ejus officii caussa Romam miserunt; aut homines provinciales, quos singulæ provinciarum civitates ab eo administratæ cum publica laudatione ad sublevandum rei periculum miserunt. Hi minimum decem dati dicuntur. Unde Cicero in Verrem: *Quis est vestrum, judices, qui non intelligat, ut in judiciis, qui decem laudatores dare non potest, honestius est ei, nullum dare, quam illum quasi legitimum numerum consuetudinis non explere*. & in secundo de oratore: *Nostræ laudationes, quibus in foro utimur, testimonii brevitatem habent nudam*. Hæc autem laudatio aliquando defensioni præposita est, aliquando in ea inserta, nonunquam etiam ipsam est defensionem subsequuta. præcessit, ut pro Flacco. sic enim defendens Flaccum inquit Cicero: *Idem laudationem, quam nos ab Æmonensibus Flacco datam proferebamus, falsam esse dicebat*. intexta est in defensione Cluentii: *Municipes Larinates eum verbis publice laudant, ut non solum testimonium suum, judiciumque significent, verum etiam curam animi ac dolorem. quæ dum laudatio recitatur, vos quæso, qui eam detulistis, assurgite*. post defensionem, ut de Scauro Asconius: *Laudaverunt Scaurum consulares novem, inter quos Pompejus quoque. unus præterea adolescens laudavit Faustus Cornelius. is in laudatione multa humiliter loquutus non minus audientes permovit, quam Scaurus ipse permoverat*. & pro Cœlio: *Puteolani municipes equites Rom. cum legatione ad hoc judicium, & cum gravissima atque ornatissima laudatione miserunt*.

His actis, si judicibus sententiæ latio permissa esset, ii primo cœtu, & primo judicasse dicti sunt. ad Herennium: *Vos veriti estis, si primo cœtu condemnassetis, ne crudeles existimaremini*. tertia in Verrem: *Glaucia primus tulit ut comperendinaretur reus. antea vel judicari primo poterat, vel amplius pronunciari*. & mox: *Ut etiamsi lex ampliandi faciat potestatem, tamen isti turpe sibi existiment, non primo judicare*.

CAP. XX.

De secunda actione, quæ comperendinatio dicta est.

QUOD si lex comperendinationem haberet, prima actione perfecta post tertium diem secunda est instituta, quæ comperendinatio dicta est. Comperendinatio vero dicta est, quod perendino die ageretur. Hanc Asconius definivit *partis utriusque recitationem*, id est, ut ego interpretor, novam accusatoris & rei citationem. In hac vero actione contra factum est, atque in superiore. Ibi enim accusator priore loco dixit, defensor posteriore; hic contra prius defensor, posterius vero iterum actor. Cicero in Verrem: *Adimo comperendinatum, quod habet in se lex molestissimum, bis ut caussa dicatur. Comperendinatio propter accusatorem magis, quam propter defensorem est instituta, aut non magis propter illum, quam propter hunc. si enim numerum dicendi consideres, ex æquo res est. si ordinem, accusator est prior, & ultimus. nam simul atque accusator dixerit, respondet prima actione defensor, & defensionem tanquam duplicem in medio positam obruit ultimus accusator*. & alibi: *Ergo cum prima actione accusatus sit, ac defensus Verres, nunc vel*

ut defensus iterum (sic enim mos erat in altera actione) accusatur ad ultimum rursus oratione perpetua . Cum igitur in comperendinatione defensio præcederet accusationem , sane intelligendum est, in ceteris eandem fuisse rationem , atque superiorum fuit , probationum atque argumentationum . Accusationis hujus secundæ exemplo sint quinque libri in Verrem , quorum unus de prætura urbana inscribitur , alter de jurisdictione Siciliensi , tertius de re frumentaria , quartus de signis , quintus de suppliciis .

CAP. XXI.

De officio quæsitoris , dum caussa agebatur .

HÆC autem omnia quæsitoris prudentia regebantur . siquidem scriptum est in Rhetoricis ad Herennium : *Accusatoris officium esse inferre crimina , defensoris diluere , testis dicere quæ scierit , quæsitoris unumquenque eorum in officio continere* . Interim vero dum caussa agebatur , quæsitor , & dimittere judices , & invitos retinere pro potestate potuit . Cicero in Bruto : *Intelligens dicendi existimator videt judicem oscitantem , loquentem cum altero , mittentem ad horas , quæsitorem ut dimittat rogantem* . & libro primo de Oratore : *Adolescentulus sic initio accusationis exanimatus sum , ut hoc summum beneficium Q. Maximo debuerim , quod continuo consilium dimiserit , simul ac me fractum metu viderit* . & pro Murena de quæsitore peculatus : *Cogendi judices , inviti retinendi* . Custodiebat etiam urnas in tribunali paratas sive ad sortes ducendas , sive ad sententias judicum , quæ in tabellis scriptæ erant , recipiendas . in Vatinium : *Quæro de te , num quis reus in tribunal sui quæsitoris ascenderit , eumque vi deturbarit , subsellia dissiparit , urnas dejecerit , eas denique omnes res in judicio disturbando commiserit , quarum rerum caussa judicia sunt constituta*? Itaque huc alludens Virgilius dixit :

Quæsitor Minos urnam movet . ille silentum
Conciliumque vocat , vitasque & crimina discit .

CAP. XXII.

De latione sententiæ .

POSTQUAM autem aut prima , aut secunda actio perfecta fuit , tum uterque orator se dixisse significavit . quo audito præco eos dixisse pronunciavit . prætor vero judicibus tabellas dedit , & ut sententias ferrent , in consilium misit . Prioris moris meminit Asconius . *Moris* , inquit , *fuit veterum , cum satis visum esset fluxisse verborum hanc sibi necessitatem finiendæ orationis imponere , ut dicerent ad ultimum , Dixi, quod ab utraque parte oratione consumpta , ut judices in consilium mitterentur , præco soleret pronunciare , Dixerunt* . & alio loco : *Præco Dixisse pronunciat* . & pro Flacco : *Cum tabella vobis , judices , de Flacco dabitur* . Mittere autem , aut dimittere in consilium judices erat jubere illos ad urnas ire , atque in eas tabellas sententiam continentes conjicere . Hoc docet Asconius , inquiens : *Mittere judices in consilium , est , dimittere judices ad sententiam dicendam , ubi allegatis omnibus argumentis orator dixerit , Dixi* . Cœlius : *Mittit in consilium eosdem illos , qui litem æstimarant , judices* . Tum vero consurgentes judices in consilium ibant . pro Cluentio : *Consurgitur in consilium* . item cum Cicero dixisset in Divinatione : *Non singulos judices ferre sententiam , sed universos constituere* , exposuit Asconius , *singulos sententiam de tabula pronunciasse in levioribus causis . & ob id neque nota , neque custode opus fuisse : constituere autem fuisse tabulas in cista ponere* . rursus pro Cluentio : *Cum in consilium iri oportet , quæsivit ab eo quæsitor ex lege Cornelia , clam an palam de se sententiam ferri vellet . responsum est , clam velle ferri . itum est in consilium . omnibus sententiis Scamander condemnatus est* . item : *Magni hominis est & sapientis , cum illam judicandi caussa tabellam sumpserit , non se putare esse solum , neque sibi quodcunque concupiverit , licere , sed habere in consilio legem , religionem , æquitatem , fidem* . Scribit autem Plutarchus in Cicerone , *euntibus ad tabellam judicibus Macrum reum domum se recepisse , cum se pro certo absolutum putaret , ac vestem albam resumpsisse* . Urnæ vero sive cistæ tot fuerunt , quot judicum ordines , qui judicarunt . tres quidem , cum omnes adhibiti sunt , una senatorum , altera equitum , tertia tribunorum ærariorum . Tabellæ vero , quæ datæ erant judicibus , quarum unam in urnam mitterent , erant tres , una absolutionis , altera condemnationis , tertia ampliationis , eæque ceratæ erant .

Ampliatio vero , in quibus caussis adhibebatur , (neque enim omnes eam leges admiserunt) erat , quoties judices significabant , rem sibi non liquere , & secundam actionem instituendam esse . & prætor ex consilii sententia pronunciabat , *Amplius cognoscendum esse* . Itaque ut nota absolutionis in tabula fuit A. condemnationis C. sic ampliationis N. L. id est : *Non liquere* . Harum rerum hæc testimonia habemus . Asconius : *Mos veterum hic fuerat , ut si absolvendus quis esset , statim absolveretur ; si damnandus , statim damnaretur ; si caussa non esset idonea ad damnationem , absolvi tamen non posset , Amplius pronunciaretur* . item : *Ante legem Glauciæ de comperendinatione in repetundarum judicio aut statim sententia dicebatur , aut Amplius pronunciabatur , cum dixissent judices , Non liquet , hoc est , obscura caussa est . Itaque ea pars interposita dilatione dicebat , in cujus peroratione videbatur obscuritas* . Cicero in Verrem : *Testibus editis ita mittam in consilium , ut etiamsi lex ampliandi faciat potestatem , tamen isti turpe sibi existiment , non primo judicare* . pro Cæcina : *In eum quid dicam , nisi id , quod ipse negare non possit , venisse in consilium publicæ quæstionis , cum ejus consilii judex non esset , & in eo consilio cum caussam non audisset , & potestas esset ampliandi , dixisse sibi liquere . dum incognita re judicare voluisset , maluisse condemnare , quam absolvere* . pro Cluentio : *In consilium erant ituri judices triginta duo . sententiis decem & sex absolutio confici poterat . Homines sapientes , qui neque absolvere hominem nocentissimum possent , neque re incognita primo condemnare vellent , Non liquere dixerunt* . & ad fratrem : *Senatorum urna copiose absolvit , equitum adæquavit , tribuni ærarii condemnarunt* . ad Herennium: *Quid fuit , judices , quare in sententiis ferendis dubitaveritis ? aut istum hominem nefarium ampliaveritis? non apertissime res erant crimini datæ ? non omnes hæ testibus comprobatæ ? non contra tenuiter & negatorie responsum ? hoc vos veriti estis , si primo cœtu condemnassetis , ne crudeles existimaremini* ? Livius libro XLIII. *Bis ampliatus , tertio absolutus est reus* . item : *Gravissimis criminibus accusati ambo , cum dicenda de integro caussa esset , excusati exilii caussa solum vertisse , Furius Præneste , Matienus Tibur exulatum abire* . Valerius : *Scipio L. Cottam ad prætorem accusavit . cujus caussa quanquam gravissimis criminibus erat confossa , septies ampliata , & ad ultimum octavo judicio absoluta est* . Hoc loco prætor gratificari potuit reo , ut C. Licinius M. Popillio . de quo Livius libro XLII. *M. Popillius apud C. Licinium prætorem bis caussam dixit : tertio prætor precibus victus Idibus Martiis adesse reum jussit . quo die novi magistratus inituri erant honorem , ne diceret jus , qui privatus futurus esset* . Moris autem

fuit, ut dum judices sententiam ferrent, rei ad pedes eorum se projicerent. Asconius in orationem pro Scauro. *Ad genua judicum, cum sententiæ ferrentur, bifariam se diviserunt, qui pro eo rogabantur.* Valerius de judiciis publicis: *Per id tempus, quo tristes de Pisone sententiæ ferebantur, repentina vis nimbi incidit: cumque prostratus humi pedes judicum oscularetur, os suum cœno replevit.* Conjectæ inde in urnas tabellæ promiscue dirimi solebant, ut numerus absolventium, & condemnantium, & ampliantium judicium conciperetur. Cicero in Pisonem: *An ego expectem, dum de te quinque & septuaginta tabellæ dirimantur, de quo jam pridem omnes mortales omnium generum, ætatum, ordinum judicaverunt?* & ad Fratrem: *Cato diremptis tabellis de circulo se subduxit.* Postquam autem diremptis tabellis prætor judicium cognovit judicum, tum id pronunciavit. Moris autem fuit, ut si condemnatum pronunciaturus esset, prætextam poneret, ut inquit Plutarchus in Cicerone.

Formula vero pronunciandæ condemnationis fuit: *Videtur fecisse*, aut, *Non jure videtur fecisse*. absolutionis: *Non videtur fecisse*, aut *Jure videtur fecisse*. ampliationis: *Amplius cognoscendum*. Festus: *Patravisse videri pronunciat magistratus, cum de consilii sententia aliquem capitis condemnaturus est.* Cicero in Lucullo: *Majores, quæ jurati judices cognovissent, voluerunt, ut ea non esse facta, sed ut videri pronunciarent.* in Verrem: *Fecisse videri pronunciant.* libro IV. ad Atticum: *Drusus, Scaurus Non fecisse videntur*, id est, absolvuntur; In Verrem: *Verres prætor pronunciat, Sthenium litteras publicas corrupisse videri.* in Pisonem: *Tum tu ipse de te Fecisse videri, pronunciasti.* Livius libro IV. *Cincinnatus dictator Sp. Mælium jure cæsum pronunciat.* Addo illud, in formula condemnationis non solum crimen commissum, sed etiam pœnam sumendam comprehensam esse. exempli gratia: *Videtur vim fecisse, atque eo nomine aqua & igni illi interdico. Videtur provinciam spoliasse, atque eo nomine litem ei æstimandam esse.* Siquidem D. de Interdictis, Pomponius sic scribit: *Iis, qui relegantur, dies excedendi dari a præsidibus solet. etenim moris est, ita pronunciari: Illum provincia illa relego.* Fieri tamen etiam potuit, ut de pœna reticuerit, & ad legem rem rejecerit. Marcianus D. ad S. C. Turpilianum scribit: *Si pronunciavit, Calumniatus es, condemnavit eum. & quamvis de pœna nihil subjecerit, tamen legis potestas adversus eum exercebitur.* de ampliatione Cicero in Bruto: *Cum consules re audita Amplius de consilii sententia pronunciassent, paucis interpositis diebus iterum dixit Lælius, iterumque eodem modo a consulibus res est prolata.*

Diversa vero fuit ampliatio a comperendinatione. quod comperendinatio facta est, etiamsi judices primo cœtu non judicassent; ampliatio vero ex incerta judicum sententia nata est. ampliatio ex arbitratu prætoris quocunque die, comperendinatio ex præscripto legis tertio die. Ex caussa comperendinationis bis tantum caussa dicta est, ex caussa ampliationis sæpissime dici potuit. In comperendinatione potuit esse ampliatio, in ampliatione nequaquam comperendinatio. In comperendinatione defensor primum dixit, deinde accusator; in ampliatione primum accusator, deinde defensor. si autem per ampliationem iterum acta est, non minus secunda actio dicta est, quam si per comperendinationem, ut scribit Asconius. His actis prætor reum aut absolutum, aut condemnatum referebat in tabulas. Cœlius: *Mittit in consilium eosdem illos, qui lites æstimarant, judices. cum æquo numero sententiæ fuissent, Laterensis prætor leges ignorans pronunciavit, quid singuli ordines judicassent. & ad extremum, ut solet, ait, Referam. Postquam discessit, & pro absoluto Servilius haberi cœptus, legisque unum & centesimum ca-*

A *put legit, in quo ita erat: Quod eorum judicum major pars judicavit, id jus ratumque esto, in tabulas absolutum non rettulit, ordinum judicia perscripsit.* Jus autem, ratumque id erat, quia ab his judiciis provocatio non erat. Declaravit lex Antonii, qui, teste in Philippicis Cicerone, ad extremum tulit, ut damnatis de majestate & de vi esset provocatio ad populum.

CAP. XXIII.

De æstimatione litis.

B CONDEMNATUM inde reum duæ res sequebantur, æstimatio litis, & animadversio. Æstimatio litis præcipue erat in caussa repetundarum, & peculatus. Erat autem judicium, quo lis ei æstimabatur, id est, furtorum omnium ratio inibatur, atque inde pecunia reddebatur cui erepta dicebatur. Asconius: *Lis æstimata, est pecunia, de qua lis fuit, propter quam condemnatus est, in summam redacta, quæ de rei rebus exigatur. duæ enim res consequebantur* (nempe lege Cornelia) *damnationem; altera redditio pecuniæ iis, ad quos pertinebat, in quo vel simpli, vel dupli, vel quadrupli ratio ducebatur; altera exilii.* C Item: *Repetundarum caussa ita se habet, ut si convictus reus sit, atque damnatus, pecuniam reddat æstimata lite, hoc est, in precium redactis omnibus furtis. quam summam pecuniæ proscriptis ejus bonis sectores curabant.* Cicero pro Cluentio: *Hic profertur id quod judicium appellari non oportet, P. Septimio litem eo nomine esse æstimatam. nunquam enim ea diligentia quæ solet adhiberi in cæteris judiciis, eadem reo damnato adbibita est. In litibus æstimandis fere judices aut quod sibi eum, quem semel condemnarunt, inimicum putent esse, si qua in eum lis capitis illata est, non admittunt, aut quod se perfunctos jam esse arbitrantur,* D *cum de reo judicarunt, negligentius attendunt cetera. Itaque & majestatis absoluti sunt permulti, quibus damnatis de pecuniis repetundis lites essent æstimatæ, & hoc quotidie fieri videmus, ut reo damnato de pecuniis repetundis, ad quos pecunias pervenisse in litibus æstimandis statutum sit, eos illi judices absolvant. quod cum fit, non judicia rescinduntur, sed hoc statuitur, æstimationem litium non esse judicium.* in Verrem: *P. Septimio senatori damnato Q. Hortensio prætore de pecuniis repetundis lis æstimata est eo nomine, quod ille ob rem judicandam pecuniam accepisset.* & pro Postumio: *Lites, quo ea pecunia pervenerit, non suis propriis judiciis, sed in reum factis conde-* E *mnari solent.*

CAP. XXIV.

De animadversione.

ANIMADVERSIO vero fuit mulctæ, pœnæve legitimæ persecutio, quæ prætoriæ curæ mandata est.

In mulcta sic acta res est. Pecunia per magistratum exigebatur. quod si ille solvendo non esset, bona auctioni subjiciebantur. ea qui emissent, sectores F vocati sunt. Livius libro II. *Pecunia a parte Cæsonis exacta crudeliter.* & libro XXXVIII. *In bona Scipionis possessum publice quæstores prætor misit, neque in iis non modo vestigium ullum comparuit pecuniæ regiæ, sed nec tantum redactum est, quantæ summæ damnatus fuerat.* Asconius in Verrinas: *Repetundarum caussa ita se habet, ut si convictus reus sit, atque damnatus, pecuniam reddat æstimata lite, hoc est, in precium redactis omnibus furtis. quam summam pecuniæ proscriptis ejus bonis sectores curabant. Sectores autem dicti sunt, qui spem lucri sui sequuti bona con-*

demnatorum simul auctionabantur, pro iisque pecunias pensitabant singulis, ac postea pro compendio suo singulas quasque res pecunia populo venditabant. & alibi: *Quæsitoris cura est, ut sociis omnia rapta reddantur. Quæstor est, ad quem rediguntur pecuniæ ex proscripti bonis, & a quo sociis annumerantur. Sector autem est æstimator, redemptorque bonorum damnati atque proscripti. qui spem sectatus lucri sui, id est, secutus spem æstimationis suæ bona omnia auctione vendit, & simul infert pecuniam vel ærario, vel sociis.* Cicero in Verrem: *Cum viderent, te jam non contra accusatorem tuum, sed contra quæstorem, sectoremque pugnare*, id est, in te jam damnatum animadverti.

Verberatio, coercitio, & talio per lictores magistratus ejus sunt facta, cujus fuit illa judicatio. Plautus in Amphitryone: *Quid faciam nunc, si Tresviri me in carcerem compegerint. Inde cras e promptuaria cella depromar ad flagrum. Ita quasi incudem me miserum homines octo validi cædant.* In Asinaria: *Ubi caussam sæpe dixeris pen 'ens adversus octo astutos audaces viros, valentes virgatores.* Scribit etiam Asconius, fures, & servos nequam apud Triumviros capitales ad columnam Mæniam puniri solitos.

Infamium cura mandata fuit censoribus, ne eos paterentur in rep. munera illa quibus per infamiæ notam privati erant, obire.

Exilii obeundi exemplum fit Marcius Coriolanus, de quo sic libro VII. Dionysius: *Marcius damnatus cum multorum lacrymis domum reductus est. ipse ad eum casum nec gemitum, nec dictum, gestumve ullum magnanimo viro indignum edidit. Ingressus autem ædes cum videret uxorem, matremque lugentes, & ut in carissimorum digressu vociferantes, nihil permotus valere eas dixit, ac filiis commendatis ne viatico quidem sumpto ad portam contendit.*

CAP. XXV.

De judicio calumniæ, & prævaricationis.

REO vero absoluto duo relinquebantur judicia, contra accusatorem ambo instituta, unum calumniæ, alterum prævaricationis: calumniæ, si falsum crimen intulisse constaret; prævaricationis, si c m defensore colluuisset, & vera crimina occultasset. De calumniatore sic Marcianus titulo ad S. C. Turpilianum: *Calumniari est falsa crimina intendere. Calumniatoribus pœna lege Remnia irrogatur, sed non utique qui non probat, quod intendit, protinus calumniari videtur. nam ejus rei inquisitio arbitrio cognoscentis permittitur, qui reo absoluto de accusatoris incipit consilio quærere, qua mente ductus ad accusationem processit. & siquidem justum ejus errorem repererit, absolvit eum. si vero in evidenti calumnia eum deprehenderit, legitimam pœnam ei irrogat. quorum alterutrum ipsis verbis pronunciationis manifestatur. nam siquidem ita pronunciaverit, Non probasti, pepercit ei; sin autem pronunciavit, Calumniatus es, condemnavit eum; & quamvis de pœna nihil subjecerit, tamen legis potestas adversus eum exercebitur.* Hinc Asconius in Scaurianam: *Cato prætor cum absoluto Scauro vellet de accusatoribus in consilium mittere, multique e populo manus in accusatores intenderent, cessit imperitæ multitudini, ac postero die in consilium de calumnia accusatorum misit. C. Triarius nullam gravem sententiam habuit, subscriptores ejus Pacuvii denas, & Marius tres graves habuerunt.* Cicero pro Cluentio: *Nec elabi alio accusatore poterat Albius, nec sine ignominia calumniæ relinquere accusationem Cluentius.* Cœlius ad Ciceronem: *C. Sempronius calumniam maximo plausu tulit, cum M. Tuccium accusatorem suum reum lege Plotia de vi fecisset.* In declamatione contra Sallustium: *Est quædam calumnia, quam unusquisque nostrum testante animo suo*

A *fert de eo, qui falsum crimen bonis objectat.* Pœnam calumniæ frontis inustionem & notam fuisse, significat Plinius in Panegyrico, cum scribit: *Neque, ut antea, exanguem illam & ferream frontem nequicquam convulnerandam præbeant punctis, & notas suas rideant, sed spectent paria damno præmia.* quod intellexisse quoque videtur Cicero, cum in Rosciana calumniatores dixit litteram calumniæ ita odisse, ut omnes litteras oderint. eamque litteram judices ad caput affixuros: *Sed si hos judices bene novi, litteram illam, cui vos usque eo inimici estis, ut etiam alias omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent*, B *ut postea neminem alium nisi fortunas vestras accusare possitis.* Papinianus D. de testibus: *Calumniæ damnatis judicio publico testimonium dicere licet.* Hæc de calumnia.

Quid vero prævaricatio fuerit, docet idem Marcianus eodem loco: *Prævaricari*, inquit, *est vera crimina abscondere. Prævaricator est, qui colludit cum reo, & translatitio munere accusandi defungitur. & qui proprias rationes dissimularet, falsas vero rei excusationes admitteret.* item Ulpianus de verborum significatione: *Prævaricatores eos appellamus, qui caussam adversariis suis donant, & ex parte actoris in partem rei concedunt.* Ceterum ut de ca- C lumnia, sic de prævaricatione judicium constitutum fuisse, ostendit Cicero in Partitionibus, in exemplo prævaricatoris præcepta locorum oratoriorum exercens: *Defensor testatur consuetudinem sermonis, verbique vim ex contrario reperiet quasi ex vero accusatore, cui contrarium est nomen prævaricatoris. ex consequentibus quod ea littera de accusatore soleat dari judici. ex nomine ipso, quod significat eum, in contrariis caussis quasi varie esse positus videatur.* Plinius libro III. epistolarum: *Lege cautum erat, ut reus ante perageretur, postremo de prævaricatore quæreretur, videlicet, quia optime ex accusatione ipsa accusatoris fides æstimatur.* D & post: *In dubiis, atque incertis quoque probationibus accusator prævaricari potest. reus vero non aliis quam certis, & manifestis argumentis condemnari debet, præterea ut de aliquo pronuncietur, Videri hunc prævaricatum esse, sufficere, si doceatur, instrumenta corrupisse, quæ ad accusationem pertinebant; sed reus contra peragi non potest, nisi quid omnino instrumentis his, aut testimoniis corruptis contineretur, liquido appareat.* demum Cicero ad fratrem: *Quo die hæc scripsi, Drusus de prævaricatione a tribunis ærariis absolutus in summa quattuor sententiis, cum senatores & equites damnassent.* & de aruspicum responsis: *Clodius a Catilina pecuniam* E *accepit, ut turpissime prævaricaretur.* Asconius: *Hoc judicio absolutus est Catilina infamia judicum, ut & Clodius infamis fuerit, quippe qui prævaricatus est. nam & rejectio judicum ad arbitrium rei videbatur esse facta.*

CAP. XXVI.

De legibus judiciorum publicorum.

F ATQUE hæc quidem in universum de judiciis publicis disputata sint. Quoniam autem in singulis præcipua quædam ratio agendi, quærendi, cognoscendique servata est, eaque tota a legibus quæ de quoque judicio, ac maleficio latæ sunt, ut diximus, est profecta; sequitur, ut quænam hæc fuerit, ex veteribus cujusque legibus eruamus. Caussa vero legum de uno crimine sæpius ferendarum fuit, quod aut primæ vetustate obsolescerent, aut pœnæ levitate negligerentur, aut aliqua ex parte gliscente hominum libidine & ipsæ essent augendæ. Primis autem legibus crimen tantum, ac pœna videtur esse comprehensa. de ratione exercendæ quæstionis nihil

præcipue videtur esse cautum, cum id aut legibus de quæstionibus singulis pro re nata constituendis, aut more ipso majorum fieret. Itaque in iis legibus, hæc tum, ut puto, inerant verba: *Uti quæsitor a populo, aut a senatu lectus cum consilio, quod ei obtigisset, quæreret*. Post quæstiones autem perpetuas institutas, id est, post annum DCIV. hæc fuerunt: *Uti prætor, sive judex quæstionis, cui ea obtigisset, aut qui in eum annum judex factus ex ea lege esset, quæreret, hoc aut illo modo*. quod ostendit Cicero in Cluentiana de lege Cornelia Veneficiorum loquens: *Jubet ea lex, qua lege hæc quæstio est constituta, judicem quæstionis cum iis judicibus, qui ei obvenerint, quærere de veneno*. item: *est sapientis judicis animadvertere, qua lege reus citetur, de quo reo cognoscat, quæ res in quæstione versetur*. item in aliis hæc verba sæpe repetita: *Prætor, qui ex hac lege quæret, facito, uti*. Neque vero solum criminum capita singula, ac pœnarum comprehendebantur, sed etiam actionis partes singulæ, de patronis dandis, judicibus legendis, testibus audiendis atque citandis, de comperendinando, aut ampliando reo. quin etiam de prævaricatione ac calumnia accusatorum, quid præcipue in quoque exercendo judicio servari oporteret, præscribebatur. quanquam multa ex una in alteram legem iisdem verbis transferebantur, unde etiam translatitia dicta sunt. Postremæ autem omnium leges fuere Corneliæ, Pompejæ, & Juliæ. Cornelias tulit L. Cornelius Sylla in dictatura, Pompejas Cn. Pompejus, maxime in tertio consulatu; Julias alias C. Julius Cæsar & dictator, alias C. Cæsar Octavianus Imperator. Quæ caussa est, ut harum tantummodo in Pandectarum libris memoria celebretur, quod reliquæ superiores his unis observatis oblitteratæ essent. neque enim post Cæsarem Octavianum leges ullæ sunt latæ, cum comitia populi ad senatum traducta sint.

CAP. XXVII.

De legibus de pecuniis repetundis.

DISPUTATURI autem de singulis legibus judiciorum agemus primum de pecuniis repetundis, quod hæc quæstio prima perpetua facta sit, & prætorem certum habuerit. Repetundæ pecuniæ dictæ sunt, quas sive socii, sive cives privati a magistratibus, aut judicibus, aut publicis curatoribus judicio repetiverunt. quas illi aut in provincia, aut in urbe, aut ob jus dicendum, aut ob judicandum, aut ob aliud aliquid publice curandum cepissent. Quod genus furti cum exprimere vellent, *pecuniam ablatam, captam, coactam, conciliatam, aversam* dixerunt. quas voces cum Cicero in accusatione Verris repetundarum rei, tum legum veterum fragmenta celebrant. Ac repetundarum quidem quæstio primum constituta videtur sociorum & provinciarum caussa adversus prætores, quæstores, legatos, ceterosque, qui in provinciis cum imperio, aut potestate versarentur; deinde ad urbanos etiam magistratus, judices, curatoresque translata, qui aliquid pecuniæ a privatis cepissent. Video enim legem repetundarum *legem socialem* a Cicerone vocari in Verrem. *Civibus*, inquit, *cum sunt ereptæ pecuniæ, civili fere actione, & privato jure repetuntur. lex repetundarum socialis est*. Primus autem, quod comperim, M. Porcius Cato, cum ex prætura Sardiniam obtineret, sumptus provincialium in prætores coercuit, anno quingentesimo sexto. de quo Livius: *Sardiniam M. Porcius Cato obtinebat. fugati ex insula fœneratores, & sumptus, quos in cultum prætorum socii facere soliti erant, circumcisi aut sublati*. In vetere etiam plebiscito de Thermensibus supra prolato nominatur lex Porcia, qua juberetur,

A quid quenque dare præbere oporteret. quæ nescio an ad hunc Porcium pertineat: *Nei quis magistratus, prove magistratu, legatus, neu quis alius facito; neive imperato, quo quid magis ii dent, præbeant ab iisve auferatur. nisi quod ed. S. ex lege Porcia dare præbere oporteret, oportebit*. Per ea vero tempora, cum nullis adhuc legibus hoc crimen vindicatum esset, hæc caussa privata fuit, & extra ordinem ex senatusconsulto a recuperatoribus cognita est. ut anno DLXXXIII. quemadmodum narrat Livius libro XLIII. *Hispaniæ utriusque legati aliquot populorum in senatum introducti. Hi de magistratuum Romanorum avaritia superbiaque conquesti, nixi genibus ab senatu petierunt, ne se socios fœdius spoliari vexarique, quam hostes, patiantur, cum & alia indigna quererentur, manifestum autem esset, pecunias captas, L. Canulejo prætori qui Hispaniam sortitus erat, negotium datum est, ut in singulos, a quibus Hispani pecunias peterent, quinos recuperatores ex ordine senatorio daret, patronosque, quos vellent, sumendi potestatem faceret. vocatis in curiam legatis recitatum est S. C. jussique nominare patronos. quattuor nominaverunt, M. Catonem, P. Scipionem, L. Paulum, C. Gallum. Cum M. Titinio primum, qui prætor M. Manlio, M. Junio consulibus in citeriore Hispania fuerat, recuperatores sumpserunt. bis ampliatus, tertio absolutus est reus. dissensio inter duarum provinciarum legatos est orta. Citerioris Hispaniæ populi Catonem & Scipionem, ulterioris Paulum & Gallum patronos sumpserunt. ad recuperatores adducti a citerioribus populis P. Furius Philus, ab ulterioribus M. Matienus. Gravissimis criminibus accusati ambo, ampliatique cum dicenda de integro caussa esset, excusati exilii caussa solum vertisse, Furius Præneste, Matienus Tibur exulatum abierunt*. Narrat idem Livius, ante L. Postumium Albinum consulem, qui ante triennium fuerat, neminem unquam sociis in ulla re oneri, aut sumptui fuisse. *Ideo magistratus*, inquit, *mulis, tabernaculisque, & omni alio instrumento militari ornabantur. ne quid tale imperarent sociis. privata hospitia habebant. ea benigne comiterque colebant. domusque eorum Romæ hospitibus patebant, apud quos ipsis diverti mos esset. Legatis, qui repente aliquo mitterentur, singula jumenta per oppida, iter qua faciendum erat, imperabant. aliam impensam socii in magistratus Romanos non faciebant*. Huc autem pertinent illa, quæ Cicero in sexta in Verrem de cultu eorum, qui in provincias cum imperio aut potestate mitterentur a majoribus, antequam peccari cœptum esset, constituta scribit: *Videte majorum diligentiam, qui nihil dum etiam istiusmodi suspicabantur; veruntamen ea, quæ parvulis in rebus accidere poterant, providebant. neminem qui cum potestate, aut legatione in provinciam esset profectus, tam amentem fore putarunt, ut emeret argentum; dabatur enim de publico: ut vestem; præbebatur enim legibus. mancipium putaverunt quo & omnes utimur, & non præbetur a populo; sanxerunt, ne quis emeret mancipium, nisi in demortui locum*.

LEX CALPURNIA. His autem ita constitutis, crescente in dies magis magistratuum in provinciis libidine, L. Calpurnius Piso tribunus plebis anno, ut dixi DCIV. Manilio & Censorino coss. extitit, qui legem tulit, qua non solum pœna graviore, ut verisimile est, hoc crimen vindicandum sanxit, sed etiam, ut certum hæc quæstio posthac haberet prætorem, instituit, ita ut nova lege opus non esset sociis, sed certum, ad quem confugerent, prætorem haberent, Hoc autem docet Cicero in II. de officiis, his verbis: *Caput in omni procuratioue negotii, & muneris publici, ut avaritiæ tollatur etiam minima suspicio. modo hoc malum in remp. invasit. nondum centum & decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata lex est, nulla cum antea*

fuisset. at vero postea tot leges, & proximæ quæque duriores, tot rei, tot damnati, tanta sublatis legibus, judiciisque expilatio, direptioque sociorum, ut imbecillitate aliorum, non virtute nostra valeamus. & in Bruto: *C. Carbone forum tenente plura judicia fieri cœperunt. nam & quæstiones perpetuæ hoc adolescente constitutæ sunt, quæ ante nullæ fuerunt. L. enim Piso tribunus pl. legem primus de pecuniis repetundis tulit Censorino & Manilio Consulibus.* Eodem autem tempore nominatur a Valerio lex Cæcilia libro v. cum scribit: *L. Lentulus consularis lege Cæcilia repetundarum crimine oppressus censor cum L. Censorino creatus est.* Etenim, cum Lentulus, ut est in fastis, censor fuerit anno ipso DCVI. id est, biennio, quam Piso legem tulit, fit, ut anno ipso DCV. sit damnatus. ut mirer, quo modo lege nova tam cito opus fuerit. Itaque aut Cæciliam eandem esse cum Calpurnia velim, ut a duobus tribunis lata modo hoc, modo illo nomine appelletur, aut apud Valerium Calpurniam pro Cæcilia oportere legi. Neque enim Calpurniæ Cæcilia, sed Junia est substituta. hac autem lege litis æstimationem, non item aquæ, & ignis interdictionem, id est, exilium esse propositum, apparet ex eo, quod Lentulus damnatus altero anno censor sit factus. Neque vero hæc lex ad urbanos magistratus, judicesque, qui pecuniam ob judicandum cepissent, videtur pertinuisse. quia anno DCXII. quæstio pecuniarum ob judicandum captarum consuli extra ordinem a senatu commissa, non autem a prætore, qui ex ea lege quæreret, cognita sit. ut Cicero in II. de finibus demonstravit, cum ait: *L. Tubulus, cum prætor quæstionem inter sicarios exercuisset, ita aperte cepit pecunias ob rem judicandam, ut anno proximo P. Scævola tribunus pl. ferret ad plebem, vellent ne de ea re quæri. quo plebiscito quæstio decreta a senatu est Cn. Cæpioni consuli.* Quin etiam eodem anno, quantum ex epitoma Livianorum quinquagesima quarta intelligi potest, socialis caussa ad senatum, non ad prætorem est delata. sic enim ibi scriptum est: *Cum Macedonum legati conquestum venissent de Junio Silano prætore, quod acceptis pecuniis provinciam spoliasset, ac senatus de querelis eorum vellet cognoscere, T. Manlius Torquatus Silani pater petiit, impetravitque, ut sibi ejusmodi cognitio mandaretur. & domi caussa cognita filium condemnavit.* & in primo de finibus apud Ciceronem: *T. Torquatus illam severitatem in filio adhibuit, quem in adoptionem D. Silano emancipaverat, ut eum, Macedonum legatis accusantibus, quod pecunias prætorem in provincia cepisse arguerent, caussam apud se dicere juberet, reque ex utraque parte audita, pronunciaret, eum non talem videri fuisse in imperio, quales ejus majores fuissent.* Eodemque tempore P. Scipio Æmilianus, postquam Numantiam delevit, teste pro Murena Cicerone, L. Cottam virum consularem ad prætorem accusavit, cujus caussa, ut scribit Valerius libro VIII. *quanquam gravissimis criminibus erat confossa, septies ampliata, & ad ultimum octavo judicio absoluta est.*

LEX JUNIA. Legem Calpurniam subsequuta est Junia, quam tulit, ut arbitror, M. Junius Pennus, qui tribunus pl. teste in Bruto Cicerone, fuit Lepido & Oreste Consulibus, anno DCXXVII. hac autem lege præter litis æstimationem exilium etiam damnato est irrogatum. Itaque C. Cato, qui consul fuit anno DCXXXIX. ea, ut puto, lege Macedonibus accusantibus utraque pœna mulctatus est. de quo sic Vellejus libro II. *Mandetur memoriæ severitas judiciorum. quippe Cato consularis repetundarum ex Macedonia damnatus est, cum lis ei IV. millia æstimaretur.* & Cicero in Verrem: *C. Catone consulari damnato, tum cum severa judicia fiebant, sestertium quinque millia lis æstimata est.* Eundem autem exulasse Tarracone, scribit idem in oratione pro Balbo. Hanc autem legem ego Juniam esse puto, quod in

A sequenti lege Servilia repetundarum mentio fiat Calpurniæ, & Juniæ legis, ut earum, quæ se inter se consequutæ sint. verba legis Serviliæ sunt hæc; *Aut quod lege Calpurnia, aut lege Junia sacramento actum siet. aut quod hac lege nomen delatum siet.* Calpurnia certe lege damnari Cato non potuit, quod exilium nullum damnato irrogavit.

LEX SERVILIA. Post annos inde XXIV. lex Servilia lata est, a C. Servilio Glaucia prætore C. Mario sextum consule anno DCLXIII. Cujus fragmentum ego, cum Patavii profiterer, reperi in nobilissimo Petri Bembi Cardinalis musæo in æneis tabulis vetustissimis incisum. quod a me magno multis in
B locis propter exesas, consumptasque litteras cum labore lectum, atque descriptum in hunc librum esse putavi conjiciendum, additis, ne fructus ejus inanis esset, supplementis, quæ ego ad eliciendam sententiam minoribus, ut internoscerentur, litteris effingenda curavi. Quorum pleraque ex altero ejusdem legis fragmento item æneo sumpsi. Hanc autem Serviliam legem esse Glauciæ, non levibus ad suspicandum conjecturis adducor, primum quod cum legi Calpurniæ, & legi Juniæ hæc lex subjecta proxime sit, neque Juniæ alia, quam Servilia, subjecta reperiatur, deinde quod judices CDL. viros in perpe-
C tuum legi statuit, qui in senatu non essent, neque fuissent. Diximus autem Servilia lege Glauciæ judicia solis equitibus data. His adde, quod capita, quæ legis Serviliæ apud scriptores extant, eadem in hac etiam lege, quanquam valde debilitata, visuntur. sunt autem hæc:

Qui prætor ea hac lege quæret, de iis quærito, qui consules, prætores, dictatores, magistri equitum, aut in alio magistratu pecuniam ab aliquo privato abstulerint, ceperint, coegerint, conciliarint, averterint. Judicum, qui ex hac lege facti erunt, judicatio, litisque æstimatio esto.

D *De hisce, dum magistratum, aut imperium habebunt, eorum nomen deferri non liceat.*

Prætor, qui ex hac lege quæret ei, qui petit, patronos sumendi, & repudiandi dato.

Prætor, qui jus inter peregrinos dicet, CDL. *viros in perpetuum legito, qui in hac civitate judicent. Idem facito, uti* CDL. *viros legat, qui quotannis de pecuniis repetundis judicent.*

Qui ex hac lege pecuniam petet, ad eum prætorem, qui ex hac lege factus erit, eum unde petet, in jus educito, nomenque deferto.

Prætor, qui ex hac lege quæret, facito, ut is, qui nomen detulerit, die vicesimo ex CDL. *viris, qui in*
E *eum annum facti erunt, centum adversario suo legat, edatve. Quos vero is ediderit, ex iis is unde petetur, quinquaginta edito, legitove, qui judicent.*

Prætor, qui ex hac lege quæret, facito, ut judicum, & patronorum nomina in tabulis scripta habeat.

Prætor, qui ex hac lege quæret, facito, ut qui ita lecti erunt judices in eam rem, ejus perpetuo judices sint.

Si is, unde petetur, prius urbe cesserit, & in exilium abierit, quam ea res judicata erit; prætor ab iis item quærito, ad quos eam rem pervenisse constiterit.

Prætor, qui ex hac lege quæret, facito, uti testes
F *audiantur, ac citati omnes adsint testimonio dicendo.*

Prætor, qui ex hac lege quæret, facito, uti testes interroget, judices pronunciet. nequis judex disputet.

Prætori, qui ex hac lege quæret, judicium in alium diem proferre jus sit.

Si prætor, qui eam rem quæret ex hac lege, caussam non noverit, ei Amplius pronunciare jus sit.

Prætor, qui ex hac lege quæret, caussam semel a reo dictam in tertiam diem differto.

Legis autem verba, unde hæc summatim hausimus, hæc cum supplementis sunt.

LEGIS

3 LEGIS SERVILIÆ FRAGMENTUM ALTERUM.

deque. eo. homine. d
ejus. esto. Pr. quei. ex. H. L. q
x. eo. Mag. Imperioque. abierit. quomin.
neiquem. eorum. det. sciens. D. M. quoiei. is. q
quæstione. joudiciove. publico. condemnatu.
um. Pr. quei. ex. H. L. quæret. alium. patronum. eiei. quem.
rum. A. D. A. siet. fueritve. queive. in. senatu. siet. fueritve. eiei. quei.
e. erit. quos. legerit. eos. patrem. tribum. cognomenque. joudicet. q
x. H. L. CDLviros. legerit. facito. recitentur. in. contione. juratoque. sese.
que. eorum. eum. mag. coiperit. facito. utei. CDLviros ita. legat. quei. ha
unos. LX. gnatus. siet. queive. in. urbe. Romæ. propiusve. ubem. Rom.
em. Tribum. cognomenque tributimque. discriptos. habeto. eosque. propositos. suo
De. nomine. deferundo. judicibusque. legundeis. Quei. ex. H. L. pequuniam. ab. a
rit. de. CDLvireis. quei. in. eum. annum. ex. H. L. lectei. erunt. advorsario. edat. eos. om
non. attingeret. scientem. D. M. itaque. is. edito. couratoque. ubei. is. ita. ediderit. tum. in. ea.
ex. siet. quoi. is. queique. quei. petet. gener. socer. vitricus privignusve. siet. queive. ei. sobrinu
aberit. queive. trans. mare. erit. neive. amplius. de. una. familia. unum. neive. eum.
necessitudine. attingat. quæ. supra. scripta. sient. Q. unde. petitum. erit. quom.
en. ex. H. L. delatum. erit. L. judices. ex. hac. lege. non. legerit. edideritve. seive.
em. legat. quei. ita. lectei. erunt. eis. in. eam. rem joudices. sunto. eorumque. eju
vei. petiverit. et. unde. petitum. erit. quei. eorum. volet. ex. taboleis. popli
vei. pequuniam. ex. . . eum. ob. eam. rem. quod. pequuniam. ex. H. L. ceper
rit. aut. in. exilium. abierit. Quoium. nomen. ex. H. L. delatum. erit.
nomen. ex. H. L. ad se. delatum. erit. facito. utei. joudicum. P
conquæri. in. terra. Italia. in. oppedeis. foreis. concilia
audierit. quod. ejus. rei. quærundæ. censeant. referre. et. c
um. ejus. fide. quærat. queive. in. fide. ejus. siet. majoresv
it. secumve. duxerit. dum. taxat. homines. IIL. earum. rerum.
ive. de. ea. re. volet. apud. Pr. is. prætor. moram. ne. facito
m. rem. judices. erunt. antequam. primum. caussa. d
let. utei. testium. quei. eam. rem. erunt. verba. audiat.
ecitentur. proscripta. propositaque. palam. apud. forum.
e. judicium. adesse. possit. de. ea. re. Pr. quei. ex. H. L.
let. quoius. ex. H. L. nominis. delatio. erit. ei. ejus. rei. pe
quei. eam. rem. quæret. ex. H. L. caussam. non. nover
judicium. fieri. oportebit. ter.
te. quam. ibunt. facito. jurent. sese.
aturum. esse. judice.
satione. primo. quo.

QUOIVE. IN. ARBITRATU. DICIONE.POTESTATE.AMICITIA.VE.POPULEI.ROMANEI.CONSTITUTO..PEQUNIÆ.QUOD.SIET.AMPLIUS.ÆUREORUM.CENTUM.ABSTULERIT.DE.EA.RE.EJUS.PETITIO.NOMINISQUE.DELATIO.ESTO.PR.QUÆSTIO.ESTO.
quoius. erit. quoius. pater. ſenator. ſiet. in. annos. ſingolos. pequniæ. quod. ſiet. ampl*ius. aureorum. centum. dono. munere. ab. aliquo. privato. accepert. quodque.*
captum. coactum. conciliatum. averſumve. ſiet. de. ea. re. ejus. petitio. nominiſque. delatio. eſto. Pr. quæſtio. eſto. *joudicium. joudicatio. litiſque. æſtmatio. queiquomque. judicum.*
delatio. eſto. Pr. quæſtio. eſto. judicium. joudicatio. litiſque. æſtimario. queiquomque. judic*um. ex. H. L. erunt. eorum. H. L. eſto.*
delatum. erit. aut. quoium. nomen. ex. H. L. ex. reis. exemptum. erit. ſei. quis. ejus. nomen. a*pud Pr. detulerit. ejus. nomen. Pr. recipito.* *qudque.*
æſtumatio. queiquomque. judicum. ex. H. L. erunt. eorum. H. L. eſto. is. eum. unde. petet. in. jous. ed*ucito. nomenque. deferto.*
fuerint. delatum. erit. quei. eorum. eo. joudicio. condemnatus. erit. quanti. ejus. rei. slis. *æſtumata. fuerit. tanti. reddere. damnas. eſto.*
hiſce. dum. Mag. aut. Inperium. habebunt. joudicium. non. fiet. Dic. coſ. Pr. Mag. Eq. *Cenſ. Æd. Tr. Pl. Q. III. vir. A. D. A. Tr. L. IV. Primis.*
H. L. ante. K. Sept. petitio. erit. ſei. eis. volet. ſibei. patronos. in. eam. rem. darei. Pr. ad. quem. *ejus. nomen. delatum. erit. facito. utei. det. dum. nquem. eorum. det.*
queive. in. eodem. conlegio. ſiet. quoiave. in. fide. is. erit. majoreſve. in. majorum. fide. fu*erint. neive. quei. quæſtione. judicioque. publico. condemndus. ſiet.*
patronus. erit. De. patrono. repudiando. Quei. ex. H. L. patronus. datus. erit. ſei. is. mori*etur. Pr. quei. ex. H. L. quæret. alium. patronum. eiei. quem. petierit. dato.*
in. diebus. X. proxum. quibus. H. L. populus. plebeſve. jouſerit. facito. utei. CDLviros. legat. quei. in. hac. civit*ate. judicent. dum. nequem. eorum legat. ſciens. dolo.*
queive. minor. anneis. XXX. majorve. annos. LX. gnatus. ſiet. queive. in. urbe. Roma propiuſve. *urbem. Romam. V. mill. paſſ. non. habitet. queve. Tr. Pl. Q. III. vir. Cap. III. vir. A. D. A.*
in. albo. atramento. ſcriptos. patrem. tribum. cognomenque. tributimque. deſcriptos. hab*eto. eoſque. propoſitos. ſuo.*
legerit. is. Pr. omnis. in. taboleis. publiceis. ſcriptos. in. perpetuo. habeto. De CDL vireis. quotannis. *legundeis.* *Pr. quei. poſt. hac. nter. peregrinos. jous. dicet.*
D. A. Tr. Mil. L. IV. primis. aliqua. earum. Triumvir. A. D. A. ſiet. fueritve. queive. in. Senatu. ſiet. fueritve. queive. merc*ator. ſiet. fueritve.*
queive. trans. mare. erit. quos. legerit. eos. patrem. tribum. cognomenque. joudices. queive. ex. H. *L. in. eum. annum. ſient. in. tabuleis. publiceis. ſcriptos. habeat.*
ex. H. L. CDLviros. legerit. facito. in. contione. recitentur. jouratoque. ſeſe. eos. ex. H. L. legiſſe. de. quibus. ſibei. conſul. *De. nomine. deferundo.*
L. factus. erit in. jous. educito. nomenque. ejus. deferto. ſi. dejuraverit. calumniæ. cauſa. non. po*ſtulare.* *De. nomine. recipiendo.* *Pr. ad. quem. in. jous. aditum. erit. facito. ne. cujus.*
tione. attingat. queive. ei. ſodalis. ſiet. queive. in. eodem. conlegio. ſiet. facitoque. coram. apu*d. ſe. juret. palam. ſe. calumniæ. cauſſa. nomen. eju. non. deferre.*
que. nomen. detolerit. C. viros. ex. eis. quei. ex. H. L. CDLvirei. in. eum. annum. lectei. erunt. quei. vivant. legat. *edatve. dum. nequem. eorum legat. edatve. quei. judex. ſiet. queique. ei. quei. petet. gener.*
IV. primis. *aliqua. ea*rum. ſiet. fueritve. queive. in. ſenatu. ſiet. fueritve. queive. mercator. ſiet. fuer*itve. queique. urbe. aberit. queive. trans. mare erit. neive. amplius. de. una. familia. unum. neive. quei.*
delatum. ſiet. quos. is. C. viros. ex. H. L. ediderit. de. eis. ita. facito. jouret. palam. apud. ſe. cor*am. ſe. eos. ſcientem. D. M. non legiſſe.*
die. XX. *poſtquam.* ejus. nomen. delatum. erit. quos. C. is. quei. petet. ex. H. L. ediderit. de. eis. judices. *L. legat. edatve. dum. nequem. eorum. lgat. edatve. quei. ſibei. ſocer. gener. vitricus. privignuſve.*
. . .eum. Pr. advorſariuſve. mora. non. erit. quo. minus. *legantur. edanturve. ſi. is. quei. nomen. ex H. L. detulerit. C. viros. H. L. non. legerit. ediderit ve. ſeive. ejus. quoium. nomen. ex. H. L. delatum. erit. L. judices. H. L. non. legerit. ediderit ve.*
quæret. facito. utei. L. viros. quos. is. quei. petet. ei. unde. petetur. ex. H. l. legerint. ediderint. eoſque. patronos. *quos. quei. petiverit. et. unde. petitum. erit. quei. eorum. volet. ex. tabuleis. publicis. deſcriptos. habeat.*
ab. eis. ita. lectei. erunt. quam. in. rem. eis. judices. lectei. erunt. *in. eam. in. perpetuum. judices. ſunto.*
eſto. . . . . . . ſcripta. ſient. Pr. quei. ex. H. L. *quæret. facito. utei.*
delatum. erit. eam. rem. ab. eis. item. quærito. *ad. quos. pequniam. perveniſſe. conſtiterit.* *Pr. utei. joudicium. exerceat.* *Pr. quei. ex H. L. quæret. quoium. nomen. ex. H. L. ad. ſe. delatum. erit. facito. utei. joudicium. pulicum. exerceat.*
actionem. ſecundam. neive. poſt. H. L. rog.
agatur. Pr. quei. ex. H. L. quæret. *facito. utei.*
facito. utei. omnes. adſient. teſtimon*io. deicendo. et. utei. teſtium. quei. in eam. rem. erunt. verba. audiat. ubei. audierit. quod. ejus. rei. quærendæ. cauſſa. conſeant. referre.*
quus. affiniſve. ſiet De. *tabuleis. proferendis.*
Rom. producere. proferriq*ue. oportuerit.*
facito. utei.
ientur.

diem. placuerit. ei. proferre. jous. ſiet.

pronuntiare. jus. ſiet.

1 LEGIS SERVILIÆ

C.SERVEILIUS..F.PR. POPULUM.JURE.ROG. POPULUSQUE. JURE. SCIVIT.TRIBUS.. PRINCIPIUM.FUIT. PRO.TRIBU.. PRIMUS.SCIVIT. DIC.COS.PR. MAG.EQ. CENS.QUEI.QUOI.CEIVI.RO. SOCIUMVE. NOMINISVE. LATINI. EXTERARUMVE. NATIONUM.
judicium.judicatio.litisque.æstimatio.queiquomque.joudicum.ex.H.L.erunt.eorum.H.L.esto. *Quei.T.R.P.L.Q.III.vir.Cap.III.A.D.A.T.R.* Mil.I.IV.primis.aliqua.earum.fuerit.queive.filius.eorum.
. . . . *pequniæ.ab.aliquo.horum.privato.alicui.parentive.ejus.filiove.ejus.quoi*ve.ipse.parenteve.suos.filiusve.suos.heres.fiet.ablatum.
ex. H. L. erunt. eorum. H. L. esto. quod. que.pecuniæ. m.esse.utei.peteret.de.ea.re.ejus.petitio.nominisque.
*Quoius.ea.res.abjudi*cata.erit.aut.quoius.nomen.prævaricationis.caussa.
. . . . *de.ea.re.ejus.petitio.nominis.delatio.esto.*quæstio.ejus.Pr.esto.joudiciumve.joudicatio.litisque.
*Q*uoivis.eorum.ita.nomen.ex.H.L.post.K.Sept.quæ.eo.anno.
*Pr.quei.ex.H.L.quæret.facito.quod.judicat*um.erit.id.utei.privato.solvatur.quei.eorum.petet. De.
De.bis.in.jus.non.educitor.ast.ubei.magistratu.imperioque.abierit.quominus.educi.liceat.nihil.impedimento.esto *De.patroneis.dandeis.* *Quei.ex.H.L.*pequniam.petet.nomenque.detulerit.quoius.eorum.ex.
*sciens.dolo.malo.quoi.eu.quei.petet.gener.socer.vitricus.privignusve.fiet.queive.ei.sobrinus.fiet.propi*usve.eum ea.cognatione.attingat.queive.eiei.sodalis.fiet.
Quei.ex.H.L.joudex.in.eam.rem.erit.neive.eum.quei.ex.H.L.
. . . . *De.*CDL.*vireis.in.eum.ann*um.legundis. Pr.quei.inter.peregrinos.jous.deicet.is.
malo. quei. . . . . *neive.quei.quæstione.judiciove.publico.conde*mnatus.fiet.quod.circa.eum.in.senatum.legei.non.liceat.
*Tr.Mil.L.IV.primis.aliqua.earum.III.vir.A.D.A.fiet.fueritve.in senatu.fiet.fueritve.queive.mercator.fiet.fueritve.quei.ex.*H.L.CDL.vireis.in.eum.annum lectei.erunt.ea.nomina.omnia.
*quos.*judices.exæstumaverit.esse.eosque.CDL.viros.quos.ex.H.L.
*Ut.quisque.eorum.mag.coiperit.facito.*CDL.*viros.ita.legat.quei.in.hac.civitate.judicent.d*um.nequem.eorum.legat.quei.Tr.Pl. Q.III.Vir.Cap.III.vir.A.
. . . . queive ejus.quei.in.senatu.fiet.fueritve.pater.frater.filiusve.fiet.
habeto. *jous.potestate*mque.scribundi.quei.volet.facito.Pr.quei.legerit.eos. quos.
. . . . *quei pequniam.ab.altero.petet.is.eum.unde.petet.ex.prætorib.quei.in.e*um.annum.lectei.erunt.ad.judicem.in.eum.annum.quei.ex.H.
*nomen.recipiat.eorum.quei.ei.quei.petet.patronus.socer.gener.vitricus.pri*vignusve.fiet.queive.ei.sobrinus.fiet.propiusve.eum.ea.cogna
. . . . *De.judicibus.in.eam.rem.legundis.* *Pr.ad.quem.nomen.delatum.e*rit.facito.utei.is.die.vicensimo.ex.eo.die.quo.quoiusque.quis
*socer.vitricus privignusve.fiet.queiquei.ei.sobrinus.propiusve.eum.cognatione.attingat.queive.e*i.sodalis.fiet.queive.Tr.Pl.Q.III.vir.Cap.III. A.D.A. Tribun.Mil.L.
cum.aliqua.necessitudine.attingat.quæ.supra.scripta.sunt.unde.petitum.erit.quom. . . . . *quod.aut.lege.Calpur*nia.aut.lege.Junia.sacramento.actum.fiet.aut.quod.H.L. nomen.
*ubei.is.ita.C.*viros.ediderit.jurar itque.tum.eis.Pr.facito.utei.is.unde.petetur.
*fiet.queique.sobrinus.propiusve.eum.ea.cognatione.queive.*sodalitate.attingat.queive.in.eodem.conlegio.fiet.ex. H.L. non. E.
. . . . *Pr.quei.ex.H.L. quæret.judices.legat.Quei.ita.lectei. erunt.eis.in.eam.rem.judices.sunto.eorumque judices.sunto.*uti. scripta.in.taboleis.habeantur. Pr. quei. ex. H. L.
Utei. eisdem. joudices. unius. rei. in. perpetuom. fient. Quei judices.
*Censeor. neive. tribu. m*oveto. neive. equom. adimito. neive. quid. ei. ejus. eam. rem. fraudei
. . . . *Si.quoium.nomen.ex.H.L.delatum.erit.prius.urbe.cesserit.aut.in.exili*um abierit.quam. ea.res. judicata. erit. Pr.ad.quem.ejus.nomen.
quod. recte. factum. esse. volet.dum.neiquid. advorsus. H. L. fiat.aut.
. . . . *jubeatque.conquæri.in.terra.Italia.in oppidis.con*ciliaboleis.ubei.joure.deicundo.præesse.solent.in.quibus.diebus.
De. testibus. citandeis. *Pr.qui. ex. Hac.Lege. quæret. in.singulas.res. testimonium. denunciar*e. jubeto.et. Quom.ei. res.agetur. quam.in.rem.quisque.testis.erit.
causam. deicet. tum. taxat. unum. queive. ejus. parentisve. ejus. *propin*
. . . . quai. ita. conqæsiverit. et. seiquas. tabulas. libros. leiterasve. Pop.
at. Prætor. utei. interroget. Pr. quei. ex. H. L. *quæret.*
De. pronuntiandeis. judicibus. *Pr. quei. ex. H.L. quæret. facito.utei.* judices.quei in.eam.rem. erunt.omnes.pro rostreis. in. forum. *pronunt*
. . . . eam. rem. minus. judicet. neisei. seiquæ. causa erit. quæ. eie.
quei. ex. eis. C. joudices. L. lectei. erunt. Joudex. neiquis. disputet.
. . . . *De. deferendo. vadim*onio. Quam. rem. Pr. ex. H. L. egerit. sei. eam. rem. proferre. *in alium.*
*f*acito. ut. eis. ad. sese. veniat. aut. adferatur. coram. quei. *petit.*
De. que. ea. re. Hace. Lege. Joudicium. litisque.æstumatio. *esto.*
. . . . *die*bus. in. contione. pro. rostris. senten
De. ampliando. reo. *Si. Pr. quei. eam. rem.* quæret. ex. H.L. causam. *non. noverit. ei. amplius.*
quo. quis. suæ. aliter.
. . . . *Si. Pr. quei. eam. rem.* quæret. causam.
. . . . nsilium

V. 11. Omissum est *datus.* leg. ex F. Vrs. & Grutero : *patronus datus erit.*
V. 14. Omissum est *in tabula*, sic enim Fulv. & Grut. *in tabula*, *in albo*. Dein L delendum, quod apud illos non est. Apud eosdem in eod. versu est A. D. R. non A. D. A.
V. 16. *Haec* III. *Vir* A. D. A. non habentur apud F. Vrsinum & Gruterum.
V. 17. F. Vrs. & Grut. *Neive* pro quo Sigon. *Queive*,
V. 19. *Legerit is eos*. F. Vrs. & Grut. Sigon. non habet *is*.
V. 21. *Ex eis quei* non est in F. Vrs. & Grut.
V. 22. Haec verba *queive mercator fiet fueritve*, non sunt apud Fulvium & Gruterum, sed pro iis legitur tantum : *queivi. queive. in senatu. fiet. fueritve. queive.* . . . . L. RVBR.
V. 25. *Adversariumve*. F. Vrsin. & Grut. pro *adversariusve*. Ibid. F. Vrs. & Grut. *legat edatve* pro *legantur edanturve*.
V. 26. Vtei L Viros quos is. F. Vrs. & Grut. non habent *utei L Virosqu*, dein iidem & *unde petetur* pro *ei unde petetur*.
V. 31. Secundam. neive. post. H. L. rog. Pro his Vrs. & Grut. ejus . . . vo. fiet . . . . . de t . . . . .

LEGIS SERVILIÆ FRAGMENTA DUO EX A ÆNEIS TABULIS PROPE VETUSTATE CONSUMPTIS EXSCRIPTA, ET SUPPLETA. **

NEQUE vero dubium est, quin multo plura capita in his legibus fuerint, quam, quæ ego indicavi, quorum partim vestigia æneis in tabulis extant, partim non extant. Sed ea conjectu difficillima sunt, nisi si divinatione potius, quam conjectura stare velimus. Hac vero lege interpretatur Cicero solos senatores alligatos, quia dicat: *Qui dictator, consul, prætor, magister equitum.* sic enim inquit pro Postumo: B *Glaucia solebat populum monere, ut cum lex aliqua recitaretur, primum versum attenderet. si esset dictator, consul, prætor, magister equitum, ne laboraret, sciret, nihil ad se pertinere; sin autem, Quicunque posthac legem, videret, ne qua nova quæstione alligaretur.* Non solum autem litis æstimationem, sed etiam exilium lege Servilia esse irrogatum, ostendit idem in oratione pro Balbo, & Livius in epitoma LXX. de quo illud est in lege: *Si prius urbe cesserit, aut in exilium abierit.* De persequendis autem pecuniis ab iis, ad quos pervenerint, Cicero pro Postumo: *Jubet lex Julia persequi ab iis, ad quos ea pecunia, quam is* C *ceperit, qui damnatus sit, pervenerit. quod totidem verbis translatum caput est non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Servilia.* Quod autem scriptum est, petitorem die vicesimo, postquam nomen detulerit, judices edere adversario debere, & reum die vicesimo suos, idem scribit diserte Asconius, *Viginti dies accusatori ad agendum, totidemque reo ad defendendum datos.* De comperendinatione rei idem est apud Ciceronem in tertia in Verrem: *Verum, ut opinor,* inquit, *Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus, antea vel judicari primo poterat, vel Amplius pronunciari.*

Ceterum hac lege postulatos esse MP. Aquillium D consularem, P. Rutilium quæstorem, M. Scaurum consularem, & Q. Metellum Numidicum invenio. De Aquillio sic in epitoma LXX. MP. *Aquillius cum de pecuniis repetundis caussam diceret, ipse rogare judices noluit. Antonius, qui pro eo perorabat, tunicam a pectore ejus discidit, ut honestas cicatrices ostenderet. quibus conspectis indubitanter absolutus est.* Unde Cicero in II. de oratore Antonium ita fecit dicentem: *Nolite existimare, cum mihi MP. Aquillius in civitate retinendus esset, quæ in illa caussa peroranda fecerim, sine magno dolore fecisse.* De P. Rutilio ita in eadem epitoma: *P. Rutilius, qui legatus Q. Mucii procos. a publicanorum injuriis A-* E *siam defenderat, repetundarum damnatus in exilium missus est.* Cicero in Verrem: *Q. Mucii Scævolæ quæstor Rutilius damnatus, quod cum prætore consenserit suo, ne publicani aliquid agerent in provincia sua.* eundem Smyrnæ exulasse scribit item pro Balbo. De M. Scauro sic ille idem pro Scauro: *M. Scaurus pater reus factus est a Q. Servilio Cæpione lege Servilia, cum P. Rutilio damnato nemo tam innocens videretur, ut non timeret.* & in eo verba Asconius: *Q. Servilius Cæpio ob legationis Asiaticæ invidiam, & pecuniarum contra leges captarum reum fecit lege repetundarum, quam tulit Servilius Glau-* F *cia.* de Metello pro Balbo: *Q. Metello caussam de pecuniis repetundis dicente, cum ipsius tabulæ circumferrentur inspiciendi nominis caussa, fuit judex ex illis equitibus Romanis nemo, quin removeret oculos.*

LEX ACILIA. Deinde post Serviliam legem lata est Acilia a MP. Acilio Glabrione, in qua illud fuit novi: *Ut neque ampliari neque comperendinari reus posset.* Cujus meminit Cicero in Verrem loquens ad MP. Acilium Glabrionem prætorem repetundarum ejus filium, qui legem Aciliam tulerat: *Fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mentem, qua lege populus Rom. de pecuniis repetundis optimis judiciis severissimisque judicibus usus est.* & in eam Asconius: *Acilius Glabrio legem Aciliam tulit de pecuniis repetundis severissimam, ut qua ne comperendinari quidem reum liceret.* & alibi Cicero: *Ego tibi illam Aciliam legem restituo, qua lege multi accusati semel dicta caussa, semel auditis testibus condemnati sunt.* & ibi Asconius: *Acilia lex Glabrionis patris hujusce prætoris neque comperendinationem, neque ampliationem habet.*

LEX CORNEL. Aciliam inde Cornelia subsequuta est a L. Cornelio Sylla dictatore lata. qua lege judicia omnia de repetundis usque ad primum Cæsaris consulatum peracta sunt, ut Cn. Dolabellæ, Cn. Pisonis, C. Verris, quem ædilis accusavit Cicero, C. Macri, quem damnavit prætor, M. Fonteii, & L. Flacci, quos prætorius, & consularis defendit. capita vero legis hæc fuisse videntur, quantum intelligi ex monumentis scriptorum licet:

Qui prætor ex hac lege quæret, de eo quærito, qui dictator, consul, prætor, magister equitum pecuniam dono ceperit, abstulerit, coegerit, conciliarit, averterit, nec solum avare, sed etiam libidinose, superbe, crudeliter se in provincia gesserit.

Item de eo, qui judex non suæ decuriæ munere functus erit, aut non perpetuo sederit, aut ob judicandum pecuniam ceperit.

Item de eis, ad quos ea pecunia pervenerit.

Facitoque uti viginti dies accusatori det, totidemque defensori. Item de eis, qui pro cos. rationes ad ærarium non rettulerint. aut qui pro cos. privatim aliquo profecti fuerint, aut transmarinas res accersiverint.

Prætor, qui ex hac lege quæret, judices ex senatoribus sortiatur, reo & accusatori rejectionem permittat, atque in eorum locum subsortiatur. Item facito, uti accusatori viginti dies, totidemque reo concedat.

Si caussam non noverit, ei comperendinare, & ampliare reum, jus sit.

Prætor, qui ex hac lege quæret, facito, ut reo damnato lis æstimetur, & aqua & igni interdicatur. Qui in reatu decesserit, ei ne lis æstimetur.

Atque hæc quidem, quæ dixi, hac lege esse judicata, una Verris accusatio testis esse potest, quem Cicero pecunias ob jus dicendum ita Siculis eripuisse arguit, ut omnia genera furtorum persequutus sit: *pecuniæ captæ, coactæ, ablatæ, conciliatæ, aversæ* in quarta; in quinta frumenta; in sexta signa surrepta; in septima supplicia iniqua ostenderit. item Sallustius, qui dixit: *Cn. Piso propter Transpadani injustum supplicium de repetundis accusatus est.* De quæstione autem eorum, ad quos pecunia pervenisset, quod etiam in Servilia lege fuit, sic Cicero pro Cluentio: *Hoc quotidie fieri videmus, ut damnato de pecuniis repetundis, ad quos pervenisse pecunias in litibus æstimandis statutum sit, eos illi judices absolvant. quod cum sit, non judicia rescinduntur, sed hoc statuitur, æstimationem litium non esse judicium.* De itinere privato proconsulum, & rebus in provincia emendis idem ita in septima in Verrem: *Privatim nec proficisci quoquam potes, nec accersere res transmarinas ex iis locis, in quibus tibi habere, mercari nihil licet. deinde cur quidquam contra leges parasti?* De judice, qui non suo officio functus sit, elicitur ex Cluentiana. *C. Fidiculanius judex*, inquit, *caussam dixit, & bis dixit. uno judicio mulcta ab eo est petita, quod non suæ decuriæ munere, neque ex lege sedisset. prima actione facillime est absolutus. non numero hanc absolutionem. nihilo minus enim potest, ut illam mulctam non commiserit, accepisse tamen ob rem judicandam pecuniam, quam captam nusquam Stalenus eadem lege dixit, proprium crimen illius quæstionis non fuit. Fidiculanius quid fecisse dicebatur? accepisse a Cluentio sestertium* CCCC. *cujus erat ordinis? senatorii. qua lege in eo*

A *genere a senatore ratio repeti solet de pecuniis repetundis, ea lege accusatus, honestissime est absolutus. adducti judices sunt, non modo potuisse honeste ab eo reum condemnari, quod non perpetuo sedisset, sed si aliud is judex nihil scisset, nisi quæ præjudicia de eo facta esse constaret, audire præterea nihil debuisse.* De sortitione judicum, rejectione, & subsortitione auctor est Asconius in Verrinas. Neque vero Cornelia lex edi judices ab accusatore, & reo, ut Servilia, voluit, sed rem sorti permitti. quod ex eo apparet, cum in caussa Verris ita factitatum sit, quæ lege Cornelia agebatur. Asconius autem ita: *Cum multi judices in consilio cum prætore suo judi-*
B *caturi essent, qui quæsitor constitutus fuisset in caussa publica, verbi gratia repetundarum, ambitus, majestatis, necesse fuerat eos primum de curia senatoria conscribi, cum senatus judicaret; deinde in urnam mitti, ut de pluribus necessarius numerus sortito confici posset; tertio permitti accusatori ac reo, ut ex illo numero rejiciant, quos putaverint sibi aut iniquos, aut ex aliqua re incommodos fore. rejectione celebrata in eorum locum, qui rejecti fuerant, subsortiebatur prætor alios, quibus ille judicum legitimus numerus compararetur. his perfectis jurabant in leges judices, ut obstricti religione judicarent. cum jurassent omnes præter ipsum præto-*
C *rem, nomina eorum libellis consignabantur, & ubique habebantur, ne pro selectis judicibus aliqui suppositi corruptissime judicarent.* De comperendinatione, & ampliatione restituta Cicero in Verrem tertia, cum defensores Verris Corneliam legem, quæ comperendinatum dabat, accusatori Ciceroni utilem esse jactarent, sic respondit: *Adimo comperendinatum quod habet lex in se molestissimum, ut bis caussa dicatur. ego tibi illam Aciliam legem restituo. qua lege multi semel accusati, semel dicta caussa, semel auditis testibus condemnati sunt. putate, non hac tam atroci* (nempe Cornelia) *sedilla mitissima,* (nimirum Acilia)
D *caussam dicere. accusabo, respondebis. testibus editis ita mittam inconsilium, ut etiamsi lex ampliandi faciat potestatem, tamen isti turpe sibi existiment, non primo judicare.* Quo in loco Aciliam mitissimam, Corneliam atrocem non suo, sed ex adversariorum judicio vocat. seque Acilia caussam acturum libentius profitetur, comperendinatione, & ampliatione sublata; quam Cornelia, quæ utriusque rei dat potestatem. Hinc est, quod Fontejum repetundarum reum lege Cornelia duabus actionibus accusatum scribit. *M. Fontejus,* inquit, *ita duabus actionibus accusatus est, ut objectum nihil sit, quo significari vestigium libidinis, petulantiæ, crudelitatis, audaciæ*
E *possit.* & in III. in Verrem dixit de Dolabella repetundarum reo: *Quid ego nunc in altera actione Cn. Dolabellæ spiritus proferam?* Postremo de iis, qui in reatu decessissent, Valerius ita: *C. Licinius Macer repetundarum reus, dum sententiæ dicerentur, in Mænianum conscendit, deinde M. Ciceronem, qui in judicium cogebat, prætextam ponentem cum vidisset, misit ad eum, qui diceret, se non damnatum, sed reum periisse, nec sua bona hastæ posse subjici. ac protinus sudario, quod forte in manu habebat, ore, & faucibus coarctatis incluso spiritu pœnam morte præcurrit. qua cognita re Cicero de eo nihil pronunciavit.*

F LEX JULIA. Postremo C. Julius Cæsar legem de pecuniis repetundis tulit, quæ usque ad extremum servata etiamnum in Pandectis celebratur. latam autem esse in primo consulatu ejus, colligitur ex oratione Ciceronis in Vatinium, qui Cæsare consule tribunatum plebis gessit: *Quæro ex te, sis ne ex pauperrimo dives factus illo ipso anno, quo lex lata est de pecuniis repetundis acerrima; ut omnes intelligere possent, amicissimi tui legem esse contemptam?* & ex oratione pro Sextio, cum in Clodium ita agit: *Etiam ne ejus, quem sua lege, suo beneficio ornatum, munitum, armatum solet gloriari, C. Cæsaris de pecuniis repetundis legem non putat esse legem.* Hujus legis hæc capita reperiuntur:

Prætor, qui ex hac lege quæret, de eo quærito, qui cum aliquam potestatem haberet, pecuniam ob judicandum, decernendumve acceperit, vel quo magis aut minus quid ex officio suo faceret. Item de eo, qui comes judicum pecuniam ceperit. Qui ob denunciandum, vel non denunciandum testimonium pecuniam acceperit, cui damnato testimonium publice dicere, aut judex esse, postulareve non liceat. Item de eo, qui ob militem legendum, mittendumve æs acceperit, quive ob sententiam in senatu, consiliove publico dicendam pecuniam acceperit, vel ob accusandum, vel non accusandum. Item de iis qui magistratus urbani plus doni muneris in anno acceperint, quam quod sit aureorum centum. Item de eo, qui ob judicem arbitrumve dandum, mutandum, jubendumve, ut judicet; quive ob non dandum, non mutandum, jubendumve, ut judicet; quive ob hominem in vincula publica conjiciendum, vinciendum, vincirive jubendum, exve vinculis dimittendum; quive ob hominem condemnandum, absolvendumve; quive ob litem æstimandam, judiciumve capitis, pecuniæve faciendum, vel non faciendum aliquid acceperit. Qui in acceptum tulerit opus publicum faciendum, frumentum publice dandum, præbendum, sarta tecta tuenda, antequam perfecta, probata, præstita lege erunt. Quod contra hanc legem proconsuli, vel prætori donatum erit, non liceat usucapi. Venditiones, locationes ejus rei caussa pluris, minorisve factæ irritæ sunto, neque usucapio esto prius quam in potestatem ejus, a quo profecta res sit, heredisve ejus veniat. Item de eis, qui munus publice mandatum accepta pecunia ruperunt. Item de eo, qui ob negotium faciendum, aut non faciendum per calumniam pecuniam accepit. Atque hæc quidem sunt in Pandectis D. ad legem Juliam de repetundis, & D. de calumniatoribus. Apud Ciceronem vero, & alios hæc præterea inveniuntur:

Prætor, qui ex hac lege quæret, de eo quærito, qui pro cos. aut pro pr. cædes, adulteria, & stupra in provincia fecerit. Qui jus in liberos populos de pecuniis creditis dixerit. Qui de provincia exierit, aut exercitum eduxerit, & sua sponte bellum gesserit. Qui modum in imperato, & æstimato frumento exigendo excesserit. Qui libertatem sociis non conservaverit. Qui aurum coronarium aut imperaverit, aut acceperit sine senatus consulto. Qui quidquam a sociis præter fœnum, & quattuor lectos, & ligna acceperit. Qui rationes in provincia apud duas civitates non reliquerit, & easdem totidem verbis ad ærarium non rettulerit, & ultra triginta dies comites in beneficiis dettulerit. Ut prætor quærat ab iis, ad quos pecunia pervenerit. Quod eorum judicum major pars judicarit, id jus, ratumque esto. Horum criminum pleraque objecit Pisoni Macedoniæ proconsuli Cicero in oratione in eum habita: *Notata nobis sunt,* inquit, *prima illa scelera in adventu, cum accepta pecunia a Dyrrachinis ob necem hospitis tui Platoris ejus ipsius domum evertisti, & Pleuratum comitem ejus necavisti. A te Jovis Velsuri fanum sanctissimum direptum est. Non ne sestertium centies & octogies, ex ærario tibi attributum Romæ in quæstu reliquisti? nonne cum CC. talenta tibi Apolloniatæ Romæ dedissent, ne pecunias creditas solverent, ultro Fufidium equitem Rom. debitoribus suis addixisti? non ne cum hyberna legato, præfectoque tradidisses, evertisti miseras funditus civitates? Qui modus tibi fuit frumenti æstimati? qui honorarii? si quidem potest vi, & metu extortum honorarium nominari. Quid ego rerum capitalium quæstiones, reorum pactiones, redemptiones. acerbissimas damna-*

tiones, libidinosissimas liberationes, proferam? quid A *vectigalem provinciam singulis rebus, quæcunque venirent, certo portorio imposito serv's tuis publicanis a te factam esse non meministi? quid centuriatus palam venditos, quid per tuum servulum ordines assignatos? quid stipendium militibus per omnes annos a civitatibus mensis propositis numeratum? omitto aurum coronarium. lex enim generi tui* (Cæsarem significat) *& decerni, & accipere vetabat, nisi decreto triumpho. mitto diplomata tota in provincia passim data. mitto numerum navium, summamque prædæ. mitto rationem exacti, imperatique frumenti. mitto ereptam libertatem populis, ac singulis, qui erant affecti præmiis nominatim. quorum nihil est, quod non sit in le-* B *ge Julia, ne fieri liceat, sancitum diligenter. exercitum dimisisti, neque ullam pœnam, quæ tanto facinori deberetur, non maluisti subire, quam numerum tuorum militum, reliquiasque cognoscere*. Et in eadem de Gabinio Syriæ proconsule loquens: *Eduxit exercitum e Syria. qui licuit extra provinciam: tribuit se mercenarium comitem regi Alexandrino. quid hoc turpius? Hic si sanæ mentis esset, ausus esset, mitto exire de provincia, educere exercitum, bellum sua sponte gerere, in regnum injussu populi, aut senatus accedere? quæ cum plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia majestatis, Julia de pecuniis repetundis planissime vetant*. Item Ciliciæ proconsul scribit ad C Atticum: *De me scire fortasse mavis. hæc sunt. Adhuc sumptus nec in me aut publice, aut privatim, nec in quenquam comitum nihil accipitur lege Julia*. Item: *Levantur miseræ civitates, quod nullus sumptus fit in nos, neque in legatos, neque in quæstorem, neque in quenquam. Scito non modo non fœnum, aut quod dari lege Julia solet, nos accipere, sed ne ligna quidem. nec præter quattuor lectos, & tectum quenquam accipere quidquam*. & alibi: *Cave putes, quidquam homines magis unquam esse miratos, quam nullum teruncium, me obtinente provinciam, sumptus esse factum nec in me, nec in quen-* D *quam meorum*. De rationibus referendis, & comitibus deferendis scribit ad Rufum libro quinto epistolarum. De pecunia persequenda ab iis, ad quos pervenerit, in oratione pro Postumo: *Jubet lex Julia persequi ab iis, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus sit, pervenerit. si hoc est novum in lege Julia, sicut multa sunt severius scripta, quam in antiquis legibus, & sanctius judicata, sane etiam consuetudo hujus generis judiciorum nova. sin hoc totidem verbis translatum caput est, quod fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in Servilia, quem hunc morem novorum judiciorum in remp. in-* E *ducimus?* & Cœlius: *Postquam legis unum, & centesimum caput legit, in quo ita erat: Quod eorum judicum major pars judicarit, id jus, ratumque esto, in tabulas absolutum non rettulit, ordinum judicia perscripsit*.

CAP. XXVIII.

De legibus peculatus, pecuniarum residuarum, & sacrilegii.

PECULATUS dictus est furtum pecuniæ publicæ; F & peculator, qui furtum pecuniæ publicæ fecit, teste Asconio. Nomen autem accepit, ut scribit Festus, a pecore, quia ab eo initium ejus fraudis esse cœpit. siquidem ante æs, aut argentum signatum ob delicta pœna gravissima erat duarum ovium, & triginta boum. Ut autem ceteræ quæstiones, sic etiam peculatus primis temporibus certum prætorem, aut quæsitorem non habuit, sed lege, prout usus incidebat, prætoribus, aut etiam consulibus mandabatur. Sit exemplo judicium L. Scipionis Africani fratris factum anno DLXVI. de quo in hunc modum Livius: *Q. Petellius tribunus pl. ad plebem tulit, Velitis, jubeatis, quæratur, quæ pecunia capta, ablata, coacta ab rege Antiocho est, quique sub ejus imperio fuerunt, quod ejus in publicum relatum non est, uti de ea Ser. Sulpicius prætor urbanus ad senatum referat, quem eam rem velit senatus quærere de iis, qui prætores nunc sunt. omnes tribus, Uti rogas jusserunt. Ser. Sulpicio deinde referente, quem rogatione Petillia quærere vellent, Q. Terentium Cullionem patres jusserunt. ad hunc prætorem reus extemplo factus L. Scipio. simul & delata, & recepta nomina legatorum ejus, & quæstoris, & ut omnia contacta societate peculatus viderentur, scribæ quoque duo, & accensus*. Ut autem intelligatur, quæ jam tum fuerit hujus judicii, & quæstionis forma, paucis agamus. Crimen objectum est L. Scipioni proconsuli, quod quo commodior pax Antiocho daretur, ipse sex millia pondo auri, quadringenta octoginta argenti plus accepisset, quam in ærarium rettulisset; A Hostilius legatus octoginta pondo auri, argenti quadringenta tria; Furius quæstor auri centum triginta, argenti viginti pondo. Accusati autem prædes dabant, aut in carcerem trudebantur, lis æstimabatur, in bona damnatorum quæstores mittebantur. siquidem inquit Livius: *Judiciis a prætore perfectis Hostilius, & Furius damnati prædes eodem die quæstoribus urbanis dederunt. Scipio cum contenderet, omnem, quam accepisset, pecuniam in ærario esse, nec se quidquam publici habere, in vincula duci cœptus est. In bona L. Scipionis possessum publice quæstores præ-tor misit*.

LEX VETUS PECULATUS. Postquam autem quæstio repetundarum perpetua constituta proprium prætorem est nacta, tum vero quæstio etiam peculatus præcipuo prætori eodem modo mandata est. id vero ante dictaturam L. Syllæ, id est, ante annum DCLXXI. Qua tamen lege acceperit, adhuc invenire non potui. A Sylla vero non accepisse, apparet, quia Pomponius D. de origine juris scribit, Syllam tulisse tantum de sicariis, veneficiis, parricidio, & falso, & propterea quattuor prætores adjecisse, non prætermissurus crimen peculatus, si a Sylla ad certum prætorem esset redactum. Post Syllam vero habuisse, multa sunt argumento, sed maxime insignia tria; unum, quod Cicero M. Crasso, Cn. Pompejo consulibus anno DCLXXXIII. minatur Verri, quem de pecuniis repetundis reum agebat, judicium peculatus; & quod Cluentium defendens Lepido & Tullo consulibus anno DCLXXXVII. inquit, se prætorem de pecuniis repetundis quærere, C. Orchinium de peculatu; & sequenti anno in defensione Murenæ, L. Murenam prætorem urbanam jurisdictionem esse sortitum, Ser. Sulpicium quæstionem peculatus. Quæ autem in lege peculatus hac fuerint, qua Verri judicium comminatur, operæ precium est ex ipsius verbis accipere: *Reperiemus*, inquit, *quibus probemus, istum in quæstura pecuniam publicam Cn. Carboni consuli datam avertisse, istum alieno nomine a quæstoribus urbanis pecuniam abstulisse. erunt qui & in eo quoque audaciam ejus reprehendant, quod aliquot nominibus de capite frumenti decumani detraxerit. erit etiam fortasse, judices, qui illum ejus peculatum vel acerrime vindicandum putent, quod iste M. Marcelli & P. Africani monumenta, quæ nomine illorum, re vera populi Rom. erant, ex fanis sociorum abstulerit*. Item de ratione judicii ex oratione pro Murena: *Ser. Sulpicii sors tristis, atrox, quæstio peculatus. ex altera parte lacrymarum & squalloris, ex altera plena catenarum & judicum. cogendi judices inviti, retinendi contra voluntatem. scriba damnatus. ordo totus alienus. Syllana gratificatio reprehensa, multi viri fortes, ac major pars civitatis offensa est. lites severe æstimatæ*.

Ad quæſtionem porro peculatus adjuncta eſt quæſtio de pecuniis reſiduis. De quibus ſic Aſconius in Cornelianam: *Quia defuerat ſuperioribus temporibus in ærario pecunia publica, multa & ſæpe ejus rei remedia erant quæſita, in quibus hoc quoque ut pecuniæ publicæ, quæ reſiduæ apud quenque eſſent, exigerentur. id autem maxime pertinebat ad Cornelium Fauſtum dictatoris filium, quia Sylla per multos annos, quibus exercitibus præfuerat, & remp. tenuerat, ſumpſerat pecunias ex vectigalibus, & ex ærario populi Rom. eaque res ſæpe erat agitata, ſæpe omiſſa; partim propter Syllanarum partium potentiam; partim, quod iniquum videbatur, poſt tot annos quam quiſque pecuniam acceperat, ejus reddere rationem.* Videtur autem de ea re C. Cornelius trib. pl. legem tuliſſe, cum dicat in defenſione ejus Cicero: *Idem, niſi hæc ipſa lex, quam C. Cornelius tulit, obſtitiſſet, decreviſſem ſenatui non placere, id judicium de Syllæ bonis fieri.* & pro Cluentio: *Nuper apud C. Orchinium collegam meum peculatus quæſitorem locus ab judicibus Fauſto Syllæ de pecuniis reſiduis non eſt conſtitutus. non quod illi aut ex legem eſſe Syllam, aut cauſſam pecunæ publicæ contemptam putarent, ſed quod accuſante tribuno plebis conditione æqua diſceptari poſſe non putaverunt.*

LEX JULIA. Poſtremo C. Julius legem tulit, qua peculatum, ſacrilegium, & reſiduas pecunias eſt complexus. Ejus legis capita in Digeſtis hæc extant:

Prætor, qui ex hac lege quæret, de eo quærito, qui ex pecunia ſacra, religioſa abſtulerit, interceperit, in ſuam rem verterit, aut quo quis auferat, intercipiat, vel in rem ſuam vertat, fecerit. Qui in aurum, argentum, æs publicum quid indiderit, immiſcuerit, aut quo quid indatur, immiſceatur, fecerit dolo malo, quo id pejus fiat. Quique tabulam æream legis, formamve agrorum, aut quid aliud continentem refixerit, vel quid inde immutaverit, ei aqua, & igni interdicatur. atque pecunia ab herede repetatur. Quique publicam pecuniam delegatam in uſum aliquem retinuerit, neque in eam rem conſumpſerit. Item de eo, apud quem ex locatione, emptione, alimentaria ratione ex pecunia, quam accepit, aliave qua pecunia reſedit, is damnatus amplius tertia parte, quam debeat, ſolvat.

CAP. XXIX.

De legibus majeſtatis.

OMNIUM criminum graviſſimum, atque antiquiſſimum fuit, cum populi Rom. eſt imminuta majeſtas. Itaque Ulpian. Majeſtatem ſic definivit: *Majeſtas eſt crimen illud, quod adverſus populum Rom. aut ſecuritatem ejus committitur.* id eſt, in quo læditur aut dignitas, aut ſecuritas ejus. De dignitate idem quoque expreſſit Cicero in Rhetoricis, cum dixit: *Majeſtatem minuere eſſe de dignitate, aut amplitudine, aut poteſtate populi, aut eorum, quibus populus poteſtatem dedit, aliquid derogare.* De ſecuritate ex iis, quæ dicentur, facile cognoſcetur. His ergo conſtitutis ſequitur, ut quæcunque aut populo, aut magiſtratibus ejus directo injuriæ factæ ſint, ad majeſtatis crimen pertineant.

LEX XII. TABULARUM. De majeſtate vero primus Romulus tulit tum cum legem de proditione ſanxit, cujus Dionyſius meminit. Neque vero aut ipſum, aut ceteros, qui conſequuti ſunt, reges ulli rei prius conſuluiſſe, veriſimile eſt, quam ei, quæ regiam ipſam rationem, & totius populi, ac reip. contineret. L. autem Brutus judicium majeſtatis tum exercuit, cum filios, qui adverſus patriam conjuraverant, & de ea regibus prodenda conſilia agitaverant, ultimo ſupplicio affecit. In XII. etiam tabulis ſancta majeſtas videtur. ſiquidem Marcianus ad le-A gem Juliam majeſtatis ſcribit, *legem XII. tabularum juſſiſſe, eum, qui hoſtem concitaſſet, quique civem hoſti tradidiſſet, capite puniri.* In declamatione quoque Latronis contra Catilinam ſic ſcriptum eſt: *Primum XII. tabulis cautum eſſe cognoſcimus, ne quis in urbe cœtus nocturnos agitaret.* Ex quo apparet, cœtus nocturnos qui celebrarunt, eos majeſtatem, id eſt, ſecuritatem populi imminuiſſe.

LEX GABINIA. Ex legibus autem poſt XII. tabulas, quibus defenſa majeſtas ſit, vetuſtiſſima Gabinia fuit, ne quis coitiones clandeſtinas conflaret; qui feciſſet, capitali ſupplicio plecteretur. Cujus in B eadem declamatione mentio eſt: *Primum XII. tabulis cautum eſſe cognoſcimus, ne quis in urbe cœtus nocturnos agitaret. deinde lege Gabinia promulgatum, qui coitiones ullas clandeſtinas in urbe conflaviſſet, more majorum capitali ſupplicio mulctaretur.* Hæc autem judicia ſero proprium prætorem adepta ſunt, ſed a populo huic aut illi pro re nata commiſſa ſunt. Livius libro IX. *Capuæ multæ principum conjurationes patefactæ, de quibus cum ad ſenatum relatum eſſet, quæſtiones decretæ, dictatoremque quæſtionibus exercendis dici placuit. C. Mænius dictus. Ut quæſtioni Campanæ materia deceſſit, verſa Romam interpretando res. non nominatim qui Capuæ, ſed in u-C niverſum, qui uſquam coiiſſent, conjuraſſentve adverſus populum Rom. quæri ſenatum juſſiſſe. & coitiones honorum adipiſcendorum cauſſa factas adverſus remp. eſſe.* Ibidem libro XXXIX. prodidit, extra ordinem de iis, qui ſacrorum cauſſa coiiſſent, a conſulibus eſſe quæſitum. Poſt annum inde DCIV. leges quattuor de majeſtate latæ, Appuleja, Varia, Cornelia, & Julia.

LEX APPULEJA. Appulejam tulit, ut opinor, L. Appulejus Saturninus, qui tribunatum geſſit anno DCLI. C. Mario quintum conſule, eumque in inſequentem annum continuavit, in quo eſt interfectus. Hac lege C. Norbanus eſt poſtulatus. quem D M. Antonius cenſorius defendit, ut in II. de oratore ſcribit Cicero. Antonius autem cenſuram biennio poſt geſſit. Ea vero lege vim in urbe ac ſeditionem vindicatam eſſe, apparet ex verbis Antonii apud Ciceronem de oratore, quem ita cum Sulpicio accuſatore loquentem inducit: *Habueras tu omnia in cauſſa ſuperiora. vim, fugam, lapidationem, crudelitatem tribuniciam in Cæpionis gravi, miſerabilique caſu in judicium vocabas. deinde principem & ſenatus, & civitatis M. Æmilium lapide percuſſum eſſe conſtabat. vi pulſum ex templo L. Cottam, & T. Didium, cum intercedere vellent rogatio-E ni, nemo poterat negare.* & addit: *In illa omni defenſione, quod eſſe in arte poſitum videbatur, ut de lege Appuleja dicerem, ut quid eſſet minuere majeſtatem, explicarem, perquam breviter perſtrinxi.* Atque hac quidem lege ego quæſtionem de majeſtate perpetuam conſtitutam putarim.

LEX VARIA. Legem Variam Q. Varius tribunus pl. tulit anno DCLXII. de qua ſic Valerius: *Q. Varius propter obſcurum jus civitatis Hybrida cognominatus, tribunus pl. legem adverſus interceſſionem collegarum perrogavit. qua jubebat quæri, quorum dolo malo ſocii ad arma ire coacti eſſent.* & Aſconius in Scaurianam; *Italico bello exacto cum ob ſociis ne-F gatam civitatem nobilitas in invidia eſſet, Q. Varius tribunus pl. legem tulit, ut quæreretur de iis, quorum opera conſiliove ſocii contra populum Rom. arma ſumpſiſſent.* Scribit autem in Cornelianam lege Varia multos damnatos. quod innuit etiam Cicero in Bruto, cum ait: *Exercebatur una lege judicium Varia.* & pro C. Cornelio: *Memoria teneo, cum primum ſenatores cum equitibus Romanis lege Plotia judicarent, Cn. Pompejum cauſſam lege Varia de majeſtate dixiſſe.*

LEX CORNELIA. Non multis inde poſt annis L. Sylla dictator legem de majeſtate rettulit, qua

populus Rom. usque ad Cæsarem dictatorem est usus. Hujus legis hæc capita apud scriptores dispersa leguntur.

Prætor, qui ex hac lege quæret, de eo quærito, qui intercessionem sustulerit, aut magistratui, quominus munere suo fungatur, impedimento fuerit. Qui exercitum e provincia eduxerit, aut sua sponte bellum gesserit. Qui ducibus hostium captis ignoverit, aut pecunia liberarit. Qui ducibus prædonum captis ignoverit. Qui potestatem suam in administrando non defenderit. Qui civis Romanus apud regem externum versatus fuerit. Mulieris testimonium accipiatur. Calumniatoribus nulla pœna sit. His damnatis pœna aquæ & ignis interdictio sit.

Hæc autem capita ex his, quæ proferam, locis sumpta sunt. Cicero in Pisonem loquens de Gabinio Syriæ proconsule: *Exercitum eduxit e Syria. qui licuit extra provinciam? tribuit se mercenarium comitem regi Alexandrino, in Ægyptum venit, signa contulit. hic si mentis sanæ esset, ausus esset, mitto exire de provincia, educere exercitum, bellum sua sponte gerere, in regnum injussu populi, aut senatus accedere. quæ cum plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia majestatis, Juliæ de pecuniis repetundis planissime vetant.* & in oratione pro Cluentio, quam caussam egit multis post Syllæ dictaturam annis: *At Bulbus est condemnatus. adde majestatis. legionem ab eo solicitatam in Illyrico, multorum testimoniis planum factum est. quod crimen erat proprium illius quæstionis, & quæ res lege majestatis tenebatur.* Scribit porro Asconius, C. Cornelium lege Corneliana majestatis eodem tempore reum factum, quod cum legem tribunus plebis ferret, contra collegarum intercessionem legis codicem recitarat, atque intercessionem sustulerat. & Cicero, cum majestatis judicium intentat Verri, sic loquitur: *Meditetur de ducibus hostium, quos accepta pecunia liberavit. videat, quid de illis respondeat, quos in eorum locum subditos domi suæ reservavit. meminerit, se confessum esse, duces a se prædonum securi non esse percussos. fateatur, se privatum hominem prædonum duces vivos, atque incolumes domi suæ tenuisse. hoc in illo majestatis judicio si sibi licuisse ostenderit, ego oportuisse concedam.* Asconius in III. in Verrem. *Qui potestatem suam in administrando non defenderit, imminuti magistratus, veluti majestatis læsæ, reus est.* Suetonius in Claudio: *Quendam, quod comes regis in provincia fuisset, damnavit, referens majorum temporibus Rabirio Postumo Ptolemæum Alexandriam crediti servandi caussa sequuto majestatis crimen apud judices motum.* Quin etiam mulieris testimonium in conjuratione Catilinæ ex lege Cornelia de majestate valuisse, scriptum est D. ad legem Juliam majestatis. Omnino autem Sylla pœnam calumniatoribus, in hoc crimine deferendo nullam proposuisse videtur. Siquidem Cicero scribit ad Appium majestatis reum: *Majestas est, ut Sylla voluit, ut in quemvis impune declamari liceret.* Hoc crimine accusatus est Gabinius. unde idem in III. ad fratrem: *Hodie Gabinius, cum hora octava edicto C. Alfii de majestate adesse oporteret, concursu magno populi pene afflictus est.* & post: *Gabinius absolutus est. omnino nihil illo accusatore Lentulo, subscriptoribusque ejus infantius. nihil illo consilio sordidius. quid plura de judicibus? duo prætorii sederunt. Domitius Calvinus, is aperte absolvit, ut omnes viderent; & Cato, is diremptis tabellis de circulo se subduxit.*

Lex Julia Cæsaris. Legem Corneliam sequuta est Julia a C. Julio Cæsare item dictatore lata. cujus mentio est apud Ciceronem in prima in Antonium. Nam cum Antonius consul post mortem Cæsaris legem promulgasset, ut de vi ac de majestate damnatis ad populum provocatio non esset, dixit Cicero legibus Cæsaris obrogari, qui tulerat, ut

A de vi, & de majestate damnatis aqua, & igni interdiceretur.

Lex Julia Augusti. Ad extremum C. Julius Cæsar Augustus alteram Juliam tulit. cujus hæc capita extant apud Ulpianum, Marcianum, Scævolam, Venulejum, Modestinum, Papinianum, Hermogenianum D. ad legem Juliam majestatis:

Prætor, qui ex hac lege quæret, de eo quærito, Cujus opera, dolo malo consilium initum erit, quo obsides injussu principis interciderent, quo armati homines cum telis lapidibusve in urbe sint, conveniantve adversus remp. locave occupentur, vel templa,
B *quove cœtus, conventus fiat, hominesve ad seditionem convocentur, cujusve opera, consilio, dolo malo consilium initum erit, quo quis magistratus populi Roman. quive imperium, potestatemve habet, occidatur, quove quis contra remp. arma ferat, quive hostibus populi Rom. nuncium, litterasve miserit, signumve dederit, feceritve dolo malo, quo hostes populi Rom. juventur adversus remp. quive milites solicitaverit, concitaveritve, quo seditio, tumultusve adversus remp. fiat.*

Item de eo, qui in bellis cesserit, aut arcem non tenuerit, aut castra concesserit.

Qui injussu principis bellum gesserit, delectumve habuerit, exercitum comparaverit, quive, cum ei in
C *provincia successum esset, exercitum successori non tradidit, quive imperium, exercitumve populi Rom. deseruerit, quive privatus pro potestate, magistratuve quid sciens dolo malo gesserit, quive quid eorum, quæ supra scripta sunt, facere curaverit. Cujusve dolo malo jurejurando quis adactus est, quo adversus remp. faciat, cujusve dolo malo exercitus populi Rom. in insidias deductus, hostibusve proditus erit, factumve dolo malo cujus dicitur, quo minus hostes in potestate populi Rom. veniant, cujusque opera dolo malo hostes populi Rom. commeatu, armis, telis,*
D *equis, pecunia, aliave qua re adjuti erunt, ut ne ex amicis hostes populi Rom. fiant, cujusve dolo malo factum erit, quo rex exteræ nationis populo Rom. minus obtemperet, cujusque opera dolo malo factum erit, quo magis obsides, pecunia, juramenta hostibus populi Rom. dentur adversus rempubl.*

Item de eo quærito, qui confessum in judicio reum, & propter hoc in vincula conjectum emiserit. item cujus ope, consilio, dolo malo provincia, vel civitas hostibus prodita est. Qui statuas, aut imagines imperatoris jam consecratas conflaverint, aliudve quid simile admiserint. Qui famosos libellos scripserint. Famosi qui jus accusandi non habent, ad hanc accusationem admittantur, itemque milites. Servi deferen-
E *tes audiantur, & quidem dominos suos, & liberti patronos. Itemque mulieres accipiantur. Qui in reatu majestatis decesserit, nisi a successoribus purgetur, hereditas fisco vindicetur. Qui ex alia caussa legis Juliæ majestatis reus est, quam perduellionis, mortis crimine liberetur, qui perduellionis, capite puniatur.*

Perduellionis autem reum Ulpianus interpretatur, hostili animo adversus remp. vel principem animatum. ita ut perduellionis crimen gravissimum inter majestatis crimina videatur, & perduellio nunc non pœna gravissima, sed crimen gravissimum sit. Atque ex his quidem omnia sunt apud eos, quos
F dixi, Jurisconsultos. de famosis autem libellis apud Tacitum libro primo: *Primus*, inquit, *Augustus cognitionem de famosis libellis specie legis de majestate tractavit, commotus Cassii Severi libidine, qua viros fœminasque illustres procacibus dictis diffamaverat. mox Tiberius consultante Pompejo Macro prætore, an judicia majestatis redderentur, exercendas leges esse respondit.* Item: *Legem Tiberius majestatis reduxit. cui nomen apud veteres idem, sed alia in judicium veniebant. si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, denique male gesta re majestatem populi Rom. minuisset. facta arguebantur, dicta im-*

fune erant. Item Suetonius: *Sub idem tempus Tiberius consulente prætore, an judicia majestatis cogi juberet, exercendas esse leges respondit, & atrocissime exercuit. Statuæ quidam Augusti caput dempserat, ut alterius imponeret. acta res in senatu, & quia ambigebatur, per tormenta quæsitum est. damnato reo paulatim hoc genus calumniæ eo processit, ut hæc quoque capitalia essent, circa Augusti simulachrum servum cecidisse, vestem mutasse, nummo, vel annulo effigiem impressam latrinæ, aut lupanari intulisse. dictum ullum, factumve ejus existimatione aliqua læsisse. Periit denique & is, qui honores in colonia sua eodem die decerni sibi passus est, quo decreti & Augusto olim erant.*

CAP. XXX.

De legibus ambitus.

AMBITUM autem appellarunt crimen illud, quo quis se in ambiendo magistratu obstrinxit. Ambire vero erat petere, verum studiosius impensiusque, quam mores legesque civitatis ferebant. Quoniam autem multis modis ambitus committi, legesque in petendo magistratu poterant violari, propterea videtur faciendum, ut antequam leges latas de ambitu exponamus, partes ipsius ambitus exquiramus, easque distinguere contendamus.

DE PARTIBUS ambitus. Est igitur intelligendum, omnem petitionis rationem positam fuisse in amicorum, & populi voluntate concilianda. Amicorum nomen latius in hoc genere patuit, quam in reliquæ vitæ consuetudine. nam & propinqui, & necessarii, & omnino, qui aliquid voluntatis ostenderunt, inter amicos habiti sunt. popularis autem ratio quattuor habuit partes, nomenclationem, assiduitatem, blanditiam, & benignitatem. Utrumque est apud Q. Ciceronem in libro de petitione consulatus: *Petitio magistratuum, inquit, divisa est in duarum rationum diligentiam, quarum altera in amicorum studiis, altera in populari voluntate ponenda est. Hoc nomen amicorum in petitione latius patet, quam in reliqua vita. quisquis est enim, qui ostendat in te aliquid voluntatis, qui colat, qui domum ventitet, is in amicorum numero est habendus. sed tamen qui sunt amici ex caussa honestiore cognationis, aut affinitatis, aut sodalitatis, aut alicuju necessitudinis, his carum, & jucundum esse maxime oportet.* & post: *Popularis autem ratio desiderat nomenclationem, blanditiam, assiduitatem, & benignitatem.* de quibus singulis exponamus. AMICOS igitur primum in petitione colendos existimat. amicos autem vocat propinquos, necessarios, & qui aliquid ostendunt voluntatis. Propinqui fuere, qui aut cognatione, aut affinitate conjuncti fuere. Necessarii, quos non sanguis, sed consuetudo vitæ conjunxit, ut familiares, vicini, tribules, clientes, municipes, ejusdem sodalitatis, collegii, societatis, & ordinis. Ac qui ceteri quidem fuerint, liquet. Sodalitates autem fuerunt, de quibus Cato apud Ciceronem loquitur: *Primum habui semper sodales. Sodalitates autem me quæstore constitutæ sunt sacris Idæis Magnæ matris acceptis. Epulabar igitur cum sodalibus omnino modice.* Collegia vero opificum, artificumque sodalitia dicta sunt. quæ Numa rex instituit, ut in libris de jure civium Rom. est demonstratum. Quin etiam collegia fuerunt augurum, & pontificum, & ejusmodi sacerdotum. Societas autem cœtus publicanorum fuerunt, qui in societates divisi vectigalia populi Rom. conduxerunt. Ordines autem fuere senatorius, equester, & plebis. Horum autem omnium studia plurimum ad petitionem valuisse sæpissime Cicero docuit. Qui vero aliquid voluntatis ostenderunt, ii ferme aut salutatores, aut

A deductores, aut sectatores, aut suffragatores fuerunt. De quibus item Quinctus hoc modo: *Assectationis tres partes sunt, una salutatorum, cum domum veniunt, altera deductorum, tertia sectatorum. In salutatoribus hoc efficiendum est, ut hoc ipsum minimum officium eorum tibi gratissimum esse videatur. Deductorum autem officium, quod majus est, quam salutatorum, hoc gratius tibi esse significato, & quoad ejus fieri possit, certis temporibus descendito. magnam affert opinionem, magnam dignitatem quotidiana in deducendo frequentia. Tertia est ex hoc genere assidua sectatorum copia. in ea, quos voluntarios habebis, cura, ut intelligant, te sibi in perpetuum summo beneficio obligari. qui autem tibi debent, ab iis plane hoc munus exige, qui per ætatem ac negotium poterunt, ipsi tecum ut assidui sint. qui si sectari non poterunt, necessarios suos in hoc munere constituant.* Quibus ex verbis apparet, salutatores fuisse, qui prima hora domum petitoris venirent, ut salute dicta inde discederent; deductores, qui præterea tantisper expectarent, dum illum domo exeuntem in forum deducerent, qui etiam observare dicebantur, sectatores, qui assidui cum eo omnibus horis essent, ejusque latera stiparent. Ac petitorum quidem morem fuisse, ut summo mane domi inambularent, ac sui copiam salutatoribus facerent, significat Cicero in sexto epistolarum ad Atticum, cum inquit: *Aditus ad me minime provinciales, nihil per cubicularium. ante lucem inambulabam domi, ut olim candidatus.* Sectatores autem homines obscuros ac tenues fuisse, indicat idem in oratione pro Murena disputans contra Catonem: *Noli, inquit, eripere hunc inferiori generi hominum fructum officii Cato. sine eos, qui omnia a nobis sperant, habere ipsos quoque aliquid, quod nobis tribuere possint. ipsi, ut solent loqui, non dicere pro nobis, non spondere, non vocare domum suam possunt. atque hæc a nobis petunt omnia. neque ulla alia re, quæ a nobis consequuntur, nisi opera sua compensari putant posse. Itaque legi Fabiæ, quæ est de numero sectatorum, restiterunt.*

NOMENCLATIO vero, quæ præcipua popularis rationis pars fuit, eam habuit vim, ut petitor suo quenque civem nomine appellaret, ac salutaret. Unde Quinctus scripsit: *Primum ut homines noris, significat, ut appareat, & auge, ut quotidie melius fiat.* Fuit ergo illud in primis petitori elaborandum, ut singulos cives nosset, eorumque nomina teneret. si quidem qui aut non tenet, aut oblitus est nomen alterius, is parum ejus rationem videtur ducere, teste in Rhetoricis Aristotele. Quare cum Ap. Claudius Scipioni Æmiliano suo in censura competitori objiceret, quod is neminem civium nosset, respondit Scipio, non mirandum id videri. se enim dedisse operam, ut a civibus suis cognosceretur, non ut ipse eos cognosceret. Unde dixit Quinctus: *Quin incipiat Antonius homines adjungere, atque invitare ad amicitiam, quos per se suo nomine appellare non possit? mihi quidem stultius nihil videtur, quam existimare, eum studiosum tui, quem non noris.* Sed quoniam in tanto populo, & tantis vitæ occupationibus fieri non poterat, ut æque omnes cogniti essent, hinc ministrum instituerunt, qui petitori nomina civium, ut quisque occurrebat, suggereret, eumque nomenclatorem vocarunt. Eundem vero Cicero pro Murena monitorem appellat. *Quid quod habes, inquit, Cato nomenclatorem? in eo quidem fallis, ac decipis. nam si nomine appellari abs te cives tuos, honestum est, turpe est, eos notiores esse servo, quam tibi. Sin, si etiam noris, tamen per monitorem appellandi sunt, cur non ante petis quam insusurravit? aut quid cum admoneris, tamen quasi tute noris, ita salutas?* Festus autem fartorem dictum tradit, quia clam veluti inferciret in aures candidati nomina salutandorum civium. Ceterum hunc his verbis descripsit Horatius:

Si fortunatum species, & gratia spectat,
Mercemur servum, qui dictet nomina, lævum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere. hic multum in Fabia valet, ille Velina.
Cuilibet hic fasces dabit, eripietque curule
Cuilibet importunus ebur.

Suadet igitur, ut qui honoribus studet, paret servum, qui dictet civium nomina, & lævo latere fodiendo admoneat petitorem officii sui; nimirum cogat trans pondera dextram porrigere, id est, trans togam, quam scimus brachium cohibuisse, teste in Vatinium Cicerone. Dum enim irent lentius, dextris pondere togæ gravatis, admonebat eos nomenclator, ut dextra e toga exerta prensarent. quod cum aliquo incommodo faciebant.

Jam vero quam BLANDITIAM in petitione desiderat Quinctus, idem ipse declarat, cum ita præcipit fratri: *Deinde, quod natura non habes, induc in animum, ita simulandum esse, ut natura facere videare. opus est magnopere blanditia, quæ etiamsi vitiosa est, & turpis in cetera vita, tamen in petitione necessaria. tibi enim cum deteriorem aliquem assentando facit, improba est, cum amiciorem, non tam vituperanda. petitori vero necessaria est, cujus & frons, & vultus, & sermo ad eorum, quoscunque convenerit, sensum & voluntatem commutandus est.* Blande autem appellare est non proprio nomine, sed honestiore salutare, ut patrem, aut fratrem, aut patronum. quod loco superiore declaravit Horatius addens:

Frater, pater, adde,
Ut cuique est ætas, ita quenque facetus adopta.

Hinc Ausonius ad Gratianum de consulatu ab eo accepto: *Consul ego, Imperator Auguste, munere tuo non prensavi manus, non cum salutantium confusus occursu aut sua amicis nomina reddidi, aut aliena imposui, tribus non circui, centurias non adulavi.*

ASSIDUITATIS inde vis qualis fuerit, declarat idem Quinctus, cum subjicit: *Assiduitatis nullum præceptum est, verbumque ipsum docet, quæ res sit. prodest quidem vehementer nunquam deesse. Sed tamen hic fructus est assiduitatis, non solum esse Romæ, atque in foro, sed assidue petere, sæpe eosdem appellare. non committere, ut quisquam possit dicere, quod ejus sit, consequi possis, si abs te non sit rogatum, ac valde ac diligenter rogatum.* Ex quo apparet, ad assiduitatem pertinere ambire, prensare, ac rogare. Ambire erat circuire. unde ambitio, & ambitus nata sunt, quod petitores, ut inquit Festus, *circum forum irent.* unde scripsit Valerius capite de verecundia: *Consulatum petens L. Crassus cum omnium candidatorum more circum forum supplex populo ire cogeretur.* Neque vero Romæ solum, & in foro ambibant, sed etiam in conciliabulis Italiæ, in quibus cives multi negotiandi caussa versari solebant. Prensare autem erat rogandi caussa singulorum dextram prehendere. quod ostendit idem, qui scripsit, Scipionem Nasicam ædilitatis repulsam tulisse, quod cum rustici cujusdam manum rustico opere duratam prehendisset, quæsiverit, an manibus ambularet. & Plutarchus, qui in Coriolano prodidit, morem fuisse magistratum petentibus δεξιῶσθαι τοὺς πολίτας, id est, dextram civium attingere. & Crassus apud Ciceronem: *Equidem cum peterem magistratus, solebam in prensando dimittere a me Scævolam, cum ei ita dicerem, me velle esse ineptum. id quod erat petere blandius. quod nisi inepte non fieret, bene non posset fieri.* Hinc Livius de Tarquinio Superbo rege cum peteret regnum, *circuisse, prensasse minorum maxime gentium patres.* & de Decemviris: *Tanta exarsit ambitio, ut primores quoque civitatis prensarent homines honorem suppliciter petentes.* Rogare porro erat precibus petere, ac beneficium reposcere.

A De precibus testis est Cicero pro Plancio: *Si populus tecum congrediatur, hæc dicat: Ego tibi, Laterensis, Plancium non anteposui. sed cum essetis æque boni viri, meum beneficium potius ad eum detuli, qui a me contenderat, quam ad eum, qui mihi minus summisse supplicarat. semper se dicet rogari voluisse.* De commemoratione beneficii Livius, qui inquit, Superbum regnum petentem *patres admonuisse paterni beneficii.* Atque in hoc quidem munere supplicationis, aut admonitionis aut ipsi versabantur, aut alios claros viros adhibebant, qui vices suas sustinerent, qui suffragatores dicti sunt. Hi vero cum virtutes petitorum populo commemorabant, tum vero

B beneficia accepta exponebant. quod indicat Cicero pro Murena: *In consule declarando multum apud universum populum Rom. auctoritatis habet suffragatio militaris. quare gravis est illa oratio, me saucium recreavit, me præda donavit, hoc duce castra cepimus, signa contulimus.* & pro Plancio, cum se ei petenti affuisse scribit: *Aliquid præterea non opibus, non invidiosa gratia, sed commemoratione beneficii, sed precibus aliquid attulimus etiam nos. appellavi populum. tribubus summisi me, & supplicavi. ultro mehercules se mihi etiam offerentes, ultro pollicentes rogavi. valuit caussa rogandi, non gratia. ne-*

C *que ego sic rogabam, ut petere viderer, quia familiaris esset meus, quia vicinus, quia parente ejus semper plurimum essem usus, sed ut quasi parenti, & custodi meo.* Sic accepimus a Livio, Ap. Claudium consularem rogasse pro P. Claudio fratre, L. Flamininum pro Tito, P. Nasicam pro Africano patruele, Catonem pro Flacco censore competitore. apud Plutarchum vero legimus P. Scipionem pro C. Lælio, C. Gracchum pro C. Fannio; apud Ciceronem Q. Metellum Pium pro Q. Callidio. Idem scribit Valerius. *Cicerejus,* inquit, *ut vidit omnibus se centuriis Scipioni anteferri, templo descendit, abjectaque candida toga competitoris sui suffragatorem agere cœpit.*

D Attulit etiam aliquid ad hanc rationem TOGA CANDIDA, quam induisse petitores perspicuum est, unde ipsi candidati vocati. Docet hoc præter cæteros Macrobius: *Mos fuit,* inquit, *petitoribus, ut sumpta candida toga nundinis in comitium venirent, & in colle considerent, unde coram possent ab universis videri.* Narrat etiam Plutarchus in Coriolano, petitores, cum in campum descenderunt, tunicam deposuisse, sive, quemadmodum idem inquit in Quæstionibus, ne in sinu pecuniam gestare possent, qua suffragia emerent, sive ut cicatrices adverso pectore acceptas commodius possent ostendere o-

E mnibus, qui occurrerent, aut quemadmodum prensationibus, & supplicationibus, sic etiam habitu & nudatione corporis se deprimerent.

Sequitur BENIGNITAS, quæ posita fuit in conciliando populo, congiariis dandis, prandiis præbendis, gladiatoribus exhibendis, locis parandis, & pecuniis dividendis. De congiariis testis est Livius, ubi loquitur de comitiis censoris M. Acilii Glabrionis: *In hunc maxime, quod multa congiaria habuerat, quibus magnam partem hominum obligarat, favor se populi inclinarat.* De conviviis sic Quinctus: *Benignitas late patet, & est in re familiari, quæ quanquam ad multitudinem pervenire non potest, ta-*

F *men ab amicis laudatur, & multitudini grata est; est in conviviis, quæ facete abs te & amicis tuis concelebrentur, & passim, & tributim.* De muneribus gladiatorum extat testimonium in oratione pro Muræna, in qua orator gladiatores datos populo a Muræna, a Sulpicio neglectos plurimum Murænæ ad consulatum profuisse, Sulpicio obfuisse contendit. Quin etiam in iis muneribus dandis multos consumpsisse patrimonia constat, ut de Milone, & Q. Gallo scribit Asconius. Fuisse etiam multos, qui locis tribulibus suis, cum gladiatores darentur, in foro commodandis gratiam eorum quæsiverint, post

apparebit. Quin etiam postremis temporibus consuetudo obtinuit, ut præsenti pecunia populi suffragia emerentur, ad eamque rem ministri adhiberentur, nempe interpretes, sequestres, & divisores. Interpretes, teste Asconio, erant, per quos pactio inducebatur; sequestres, apud quos pecunia deponebatur; divisores, qui singulis nummos distribuebant. Unde dixit Quinctus: *Si sequestribus metum injicimus, divisores ratione aliqua coercemus, perfici potest, ut largitio nulla fiat*. & Marcus contra Verrem: *Unum illud ex hominibus certis reperiebam, fiscos complures cum pecunia Siciliensi a quodam senatore ad equitem Rom. esse translatos. ex his quasi decem ad senatorem illum relictos esse comitiorum meorum nomine, divisores omnium tribuum noctu ad istum vocatos. ex quibus quidam, qui se omnia mea caussa debere arbitrabatur, eadem illa nocte ad me venit. demonstrat qua oratione iste usus esset: commemorasse istum, quam liberaliter eos tractasset, etiam ante cum iste præturam petiisset, & proximis consularibus prætoriisque comitiis. deinde esse pollicitum, quantum vellet pecuniæ, si me ædilitate dejecissent. hoc alios negasse audere; alios respondisse, non putare id perfici posse. inventum tamen esse fortem amicum ex eadem familia Q. Verrem Romilia, ex optima divisorum disciplina, patris istius discipulum, qui sestertium quingentis millibus depositis id se perfecturum polliceretur*. & Antonius ad Gratianum de consulatu suo: *Nihil cum sequestre deposui, cum distributore nihil pepigi*.

Præter profusam benignitatem adhibita est in comitiis, ultimis præsertim reipub. temporibus, quasi vis quædam, quæ quia sodalibus contractis adhibebatur, proprio nomine SODALITIORUM est appellata. Sodales autem hoc in loco erant quasi ejusdem factionis & coitionis. Si quis autem tribules decuriasset & conscripsisset, ut corrumperet populum, quoniam multitudine cogere videbatur, vis videbatur; quoniam pecunia contendebat, ad ambitum pertinebat. erant tamen sodalitia ab ambitu diversa. nam in sodalitiis per sodales decuriatos & conscriptos res agebatur, in ambitu per sequestres & divisores. Itaque scriptum est apud Asconium, Milonem eodem tempore de ambitu, & de sodalitiis apud diversos quæsitores, & a diversis accusatoribus esse postulatum. & Mamertinus dixit ad Julianum imperatorem: *An vero si centuriatis comitiis consul creatus essem, gloriosius mihi universi populi suffragiis declaratus viderer? minime. siquidem etiam illis priscis temporibus multorum ambitu fuit campus infamis. nota divisorum flagitia, notæ libellorum præstigiæ, tum operarum ad vim, & seditionem manus emptæ*. Sodalitates etiam ad ambitum pertinere, ostendit Cicero pro Plancio, cum inquit: *Hoc igitur sensimus, cujuscunque tribus largitor esset, & per consensionem magistrorum, quam quisque tribum turpi largitione corrumperet, eum maxime iis hominibus, qui ejus tribus essent, esse notum*. magistros autem vocat divisores, quos Plautus, teste Asconio, magistros curiarum vocavit. ad vim autem spectasse, cum addit: *Decuriatio tribulium, descriptio populi, suffragia largitione devincta severitatem senatus, & bonorum omnium vim ac dolorem excitarunt. doce decuriasse Plancium, conscripsisse, sequestrem fuisse, pronunciasse, divisisse*. præclare. decuriatio enim, & descriptio populi ad vim adhiberi solebat. ut pro Sextio: *Homines vocatim describere, ac decuriare*. & pro domo: *Cum desperatis ducibus decuriatos, & descriptos haberes exercitus perditorum*. & in II. Philippica: *Cujus etiam familiares de vi condemnati sunt, quod tui nimis studiosi fuissent*. & pro Plancio: *Ego Plancium habuisse in petitione multos cupidos sui gratiosos dico, quos tu si sodales vocas, officiosam amicitiam nomine inquinas criminoso. Jam, ut ego doceo, gratiosum esse tribulibus Plancium, sic tu do-*

A *ce, sequestrem fuisse, largitum esse, conscripsisse, tribules decuriavisse*. Ac de ambitu quidem, & partibus ejus hactenus.

LEX DE AMBITU VETUS. Leges autem, quibus ejusmodi crimen est vindicatum, multæ fuerunt. Primæ legis, quæ ad ambitum pertineret, mentio est apud Livium libro IV. L. Pinario, L. Furio tribunis militum consulari potestate anno CCCXXI. qua togæ candidæ usus est interdictus: *Placuit*, inquit, *senatui tollendæ ambitionis caussa tribunos legem promulgare, ne cui album investimentum addere petitionis caussa liceret. vicerunt tribuni, ut legem perferrent*. Hanc tamen legem observatam non esse, satis constat.
B

LEX POETELIA. Livius tamen de ambitu primum latum esse C. Fabio, & C. Plautio coss. scribit anno CCXCVIII. adversus eos, qui nundinas, & conciliabula prensandi caussa obirent: *De ambitu*, inquit, *a C. Pœtelio tribuno pl. auctoribus patribus tum primum latum ad populum est. eaque rogatione novorum maxime hominum ambitionem, qui nundinas & conciliabula obire soliti erant, compressam credebant*. Verum & hanc legem tacito post consensu abrogatam existimare possumus, quippe cum petitores magistratuum etiam in provincias ad colo-
C niarum & municipiorum gratiam colligendam, accurrisse constet. anno inde CCCCXXXIX. C. Mævium dictatorem quæstiones exercuisse scribit adversus eos, qui magistratuum petendorum caussa coitiones fecissent, quod adversus remp. essent.

LEX BÆBIA, ÆMILIA. Post autem anno DLXXI. lex de ambitu lata est a M. Bæbio, L. Æmilio coss. ut scribit Livius. verum cujus sententiæ eæ fuerint, neque ipse addit, neque ego affirmare possum. Fieri autem potest, ut Æmilius tulerit legem adversus suffragationes, & coitiones. Nam triennio ante Ap. Claudius consul suffragatorem se Publio fratri novo exemplo addiderat, & postero anno magnæ in cen-
D suræ petitione contentiones & coitiones exarserant. Lex autem Bæbia præcipue adversus largitores videtur lata. siquidem Cato in ea oratione, qua legem Bæbiam defendit, teste Nonio, sic dixit: *Pecuniam inlargibo tibi*. & Festus: *Cato in dissuasione ne lex Bæbia derogaretur: Hoc potius agam, quod hic rogat*.

LEX CORNELIA, FULVIA. Anno inde DXCIV. lex de ambitu lata est consulibus Cn. Cornelio Dolabella, & M. Fulvio Nobiliore, teste Livio in epitomis. Puto vero hac primum lege capitali pœna cautum esse, ne suffragia donis, ac pecunia emeren-
E tur. Scribit tamen Plutarchus in Coriolano, se nescire, quis primus populum largitione corruperit; sero tamen largitionem factitatam, satis constare. Itaque ad eadem tempora illud pertinet Polybii, qui scribit ætate sua ambitum capitalem fuisse, id est, exilii pœna vindicatum esse. & quod est apud Plinium libro XXXV. Q. Coponium ambitus damnatum, quod vini amphoram dedisset ei, cui suffragii latio erat.

LEGES ALIÆ INCERTÆ. Postquam autem populus in mandandis magistratibus uti tabella cœpit, quod lege Gabinia fieri cœptum esse anno DCXIV. alio loco docuimus, tum leges illæ latæ sunt, qua-
F rum Cicero meminit in tertio de legibus: *Ne quis tabellam inspiceret, ne rogaret, ne appellaret. quibus legibus studia suffragatorum sublata esse*, inquit, qui eam sedulitatem in campum afferebant, ut quos rogarent, eorum etiam tabellam, ne forte deciperentur, vellent inspicere.

LEX MARIA. C. inde Marium tribunum plebis legem tulisse de ambitu anno DCXXXIV. ex Plutarcho elicitur. Ea lex, ut ibidem scribit Cicero, pontes in comitiis fecit angustos, nempe ne cui suffragatori ad rogandum locus in iis pateret. Ceterum qua lege quæstio ambitus perpetua constituta, & pre-

proprium prætorem adepta sit, est obscurum. Latum autem per hæc tempora facile crediderim. Siquidem ann. DCXXXIX. cum una petiissent consulatum P. Rutilius, & M. Scaurus, ut est in Bruto, non Rutilius solum, qui repulsam tulerat, accusavit ambitus designatum competitorem, sed Scaurus etiam absolutus Rutilium. Nec multo post C. Marius, ut addit Plutarchus, cum in præturæ petitione repulsus esset, accusatus est de ambitu, quia Cassius Sabaconis amici servus intra septa conspectus esset inter eos, qui suffragium ferrent. Marius autem excusavit, se frigidam, cum æstuaret, ab eo petiisse, bibendi caussa. Quin etiam idem narrat, sextum ab eo consulatum pecunia esse emptum, & L. Syllam in prætura repulsam passum, post corruptis pecunia tribubus, eam esse adeptum.

LEX FABIA. Per hæc etiam tempora lex Fabia promulgata est de numero sectatorum, eaque a populo repudiata. Itaque Cicero pro Murena dixit: *Tenuiores legi Fabiæ de numero sectatorum restiterunt*.

LEX ACILIA, CALPURNIA. Anno inde DCXCVII. M. Acilio Glabrione & C. Calpurnio Pisone coss. lex alia est lata. de qua sic scribit Dio: *Lex ab Acilio Glabrione promulgata est de ambitu, ut qui ejus damnati essent, iis neque magistratum capere, neque in senatum legi liceret, & pecunia multarentur. nam post tribuniciam potestatem restitutam, cum multi senatu moti a censoribus eum ordinem recuperare cuperent, de omnibus magistratibus varias coitiones & conspirationes faciebant. legem autem promulgarunt consules, non quod ab ambitu alieni essent, siquidem & ipsi alieno studio & magna contentione magistratum eum adepti erant, & Piso ambitus accusatus vix evaserat; sed a senatu coacti, quia C. Cornelius tribunus pl. acerbissimas ambitus reis pœnas constituere cogitarat, idque maxime populo approbante. Senatus autem intelligebat, immodicarum pœnarum denunciatione hominibus terrorem injici, sed neque qui accusarent, neque qui condemnarent, repertum iri. modicis autem pœnis propositis neque accusatores, neque judices defuturos. Itaque cum ante comitia lex nulla ferri posset, atque interea candidati multa facinora perpetrassent, ut ne a cædibus quidem abstinerent, decreverunt, ut contra hos etiam lex ferretur. denique tanta cura caverunt, nequis largitionibus se corrumpi sineret, ut præter pœnas alias, quas damnatis constituebant, accusatoribus etiam honores proponerent*. Hæc Dio. quæ etiam confirmantur ab aliis. nam Cicero defendens Cornelium, inquit: *Cum ambitum videret populus Rom. & a tribunis pl. doceretur, nisi pœna accessisset in divisores, extingui nullo modo posse, legem hanc Cornelii flagitavit, illam, quæ ex S. C. ferebatur, repudiavit*. & alio loco: *At enim extremi, ac difficillimi temporis vocem illam, C. Corneli, consulem mittere coegisti, qui remp. salvam esse vellent, ut ad legem accipiendam adessent*. Quæ verba exponens Asconius inquit: *C. Piso, qui consul eodem anno fuit, quo Cornelius tribunus pl. erat, cum legem de ambitu ex S. C. graviorem, quam antea, ferret, & propter multitudinem divisorum, qui per vim adversabantur, e foro ejectus esset, edixerat, id quod Cicero significat, & majore manu stipatus ad legem perferendam accesserat*. & alibi: *Legem tulit C. Calpurnius Piso consul, in qua præter alias pœnas pecuniaria quoque erat adjecta*. & pro Murena: *Legem ambitus flagitasti, quæ tibi non deerat. erat enim severissime scripta Calpurnia*. Honores autem, quos accusatoribus constitutos scribit Dio, hi sunt. primum ille, de quo Cicero in Cluentiana, quam habuit anno sequenti: *P. Popillius, & T. Gutta, qui caussam de ambitu dixerunt, qui accusati sunt ab iis, qui erant ipsi ambitus condemnati. quos ego non icciRco esse arbitror in integrum restitutos, quod*

A *planum fecerint, illos ob rem judicandam pecuniam accepisse; sed quod judicibus probarint, quod in eodem genere, in quo ipsi offendissent, alios reprehendissent, se ad præmia legis venire oportere*. & ibidem: *Deinde si tanta vis fuit istius criminis, ut qua quisque lege ex illis judicibus reus factus esset, tamen hac plaga periret, cur in tanta multitudine accusatorum, tantis præmiis ceteri rei facti non sunt?* Deinde alter ille in Corneliana Balbi: *Objectum est etiam, quod in tribum Crustuminam pervenerit. quod hic assecutus est legis de ambitu præmio*. Neque vero accusatores hujus legis præmio magistratum eorum, quos damnassent, adepti sunt. exemplo sunt Tor-
B quatus, & Cotta, qui in Autronii, & Syllæ consulum designatorum locum facti sunt, cum illi de ambitu essent damnati. non enim T. Torquatus, qui consul factus est, accusavit, sed filius ejus Lucius. sic enim scribit Cicero de finibus II. *L. Torquatus adolescentulus eripuit P. Syllæ consulatum, eumque ad patrem suum rettulit*. Hac ergo Calpurnia lege damnatus fuit P. Sylla Lepido, & Tullo coss. ut Cicero pro Sylla docuit: *Abfuit ab oculis vestris, & cum lege retineretur, ipse se exilio pæne multavit*.

LEX TULLIA. Deinde L. Cæsare, C. Figulo coss.
C cum in dies licentia ambitus augeretur propter præcipuam Catilinæ & Antonii audaciam, censuit senatus, ut lex ambitus etiam cum pœna ferretur, eique rei Q. Mucius Orestinus tribunus pl. intercessit, auctore Asconio in orationem in toga. Quod nescio an senserit Cicero, cum pro Muræna dixit: *Itaque tenuiores & legi Bæbiæ, quæ est de numero sectatorum, & S. C. quod est L. Cæsare consule factum, restiterunt*. Cicerone inde, Antonioque consulibus commemoratur S. C. & lex Tullia lata de ambitu. S. C. in oratione pro Muræna: *Dixisti, senatusconsultum me referente esse factum, si mercede conducti obviam candidatis issent, si conducti se-
D ctarentur, si gladiatoribus vulgo locus tributus, & item prandia si vulgo essent data, contra legem Calpurniam factum videri*. Lex vero in oratione in Vatinium: *Cum mea lex dilucide vetet, biennio, quo quis petat, petiturusve sit, gladiatores dare, nisi ex testamento præstituta die, quæ tanta in te est amentia, ut in ipsa petitione gladiatores audeas dare?* Hac vero lege damnatis etiam exilium fuit intentatum, ut scribit Dio inquiens: *Cum Catilina consulatum peteret, ejusque assequendi caussa nihil intentatum relinqueret, ex auctoritate senatus latum, ut qui de ambitu condemnarentur, ii præter aliam pœnam decennali exilio multarentur*, Cicerone consule
E auctore. Itaque Cicero ipse contra Sulpicium dixit: *Legem ambitus flagitasti, quæ tibi non deerat. erat enim severissime scripta Calpurnia. mos est gestus dignitati & voluntati tuæ. pœna gravior in plebem tua voce efflagitata est, exilium in nostrum ordinem. concessit senatus postulationi tuæ, morbi excusationi pœna addita est. voluntas offensa multorum quibus aut contra valetudinis commodum laborandum est, aut incommodo morbi etiam reliquæ vitæ fructus relinquendi*. Eadem vero in lege continebantur etiam divisorum indicia, pecuniæ deprehensæ, sectatorum multitudo, prandia data, centuriæ descriptæ, locus
F gladiatoribus datus. quandoquidem hæc ut Murænæ ambitus reo objecta purgat Cicero. sic enim inquit: *Senatus num obviam prodire crimen putat? non, sed mercede. num sectari multos? non, sed conductos. num locum ad spectandum dare? aut ad prandium invitare? minime. sed vulgo passim. quid est vulgo? universos. Non igitur si L. Natta in equitum centuriis voluit esse gratiosus, idem erit ejus vitrico fraudi, aut crimini; aut si virgo Vestalis hujus propinqua locum suum gladiatorum concessit huic, non & illa pie fecit, & hic a culpa remotus est?*

LEX AUFIDIA. Biennio inde post Messalla &

Pisone coss. lex ab Aufidio Lurcone tribuno pl. promulgata est, severior etiam, quam Tullia. Ejus meminit Cicero in epistolis ad Atticum, de Afranio loquens, cui Pompejus consulatum emerat, teste in Catone minore Plutarcho: *Nunc est expectatio comitiorum, in quæ omnibus invitis trudit noster Magnus Afranium, atque in eo neque auctoritate, neque gratia pugnat, sed quibus Philippus omnia castella expugnari posse dicebat, in quæ modo asellus onustus auro posset ascendere. consul autem suscepisse negotium dicitur, & domi divisores habere. quod ego non credo, sed senatus consulta jam duo facta sunt odiosa, quod in consulem facta putantur, Catone & Domitio postulante, unum, ut apud magistratus inquiri liceret; alterum, qui domi divisores haberent, adversus remp. videri facere. Lurco autem tribunus pl. solutus est Ælia & Fusia, ut legem de ambitu ferret, quam ille promulgavit. novi est in lege hoc, ut qui nummos in tribu pronunciaverit, si non dedit, impune sit; sin dederit, ut quoad vivat, singulis tribubus sestertium* XXX. *debeat*. Sequenti tamen anno Afranio, & Metello coss. C. *Cæsar*, ut inquit Suetonius, *e duobus consulatus competitoribus L. Lucejo, Marcoque Bibulo Luccejum sibi adjunxit, pactus ut is, quoniam inferior gratia esset, pecuniaque polleret, nummos de suo communi nomine pronunciaret. qua re cognita optimates, quos metus ceperat, nihil non ausurum eum in summo magistratu, & consentiente collega, auctores Bibulo fuerunt tantundem pollicendi, ac plerique pecunias contulerunt, ne Catone quidem abnuente, eam largitionem e rep. fieri*.

LEX LICINIA. Lex inde lata est Licinia de sodalitiis Cn. Pompejo, & M. Licinio Crasso consulibus anno DCXCVII. Hanc autem rem his ego conjecturis elicio. Priore anno, nempe Philippo, & Marcellino consulibus, Cicero sic scribit ad fratrem: IV. *Idus Februarias Sextius ab indice Cn. Nerio de ambitu postulatus, & a quodam M. Tullio de vi. eo die S. C. factum, ut sodalitates, decuriatique discederent, lexque de iis ferretur, ut qui non discessissent, ea pœna, quæ est de vi, tenerentur*. Sequenti vero anno Cn. Pompejus, & M. Licinius Crassus, ut scribit Dio, pœnam graviorem constituerunt adversus eos, qui largitionem fecissent. quasi vero ipsi minus deliquissent, quod non pecunia, sed vi magistratum adepti essent. Hac lege causam dixit postero anno L. Plancius. Itaque cum in defensione ejus dixit Cicero: *Comitia Plancii ædilitatem petentis primum habere cœpit consul harum ipsarum legum ambitus auctor*, consulem legum ambitus auctorem intelligit M. Licinium Crassum. Post Plancium inde M. Cœlius, de quo in oratione: *Haud scio an de ambitu, an de criminibus istius sodalium ac sequestrium similiter respondendum putem*. & sequenti anno Milo, de quo Asconius: *Milo de ambitu ab Appiis, de vi a L. Cornificio, de sodalitiis a Fulvio postulatus est. erat autem postulatus de sodalitiis & ambitu ea spe, quod primum judicium de vi futurum apparebat, quo eum damnatum iri confidebat, nec postea responsurum*. sodalitia vero supra diximus tribules decuriatos, populum descriptum, & sodales ad vim faciendam paratos esse complexa. quin etiam coitionem cum petitoribus comprehendisse, ostendit Cicero pro Plancio, cum inquit: *Dubitabitis, quin coitio facta sit, cum tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius?* & nummorum divisionem, cum addit: *Illud vero crimen de nummis, quos in circo Flaminio deprehensos esse dixisti, caluit re recenti, nunc in caussa refrixit. neque enim qui illi nummi fuerint, nec quæ tribus nec qui divisor, ostenderis*. & exilii pœnam, cum addit: *Nunc postulatur a vobis, ut ejus exilio, qui creatus sit, judicium populi Rom. reprehendatis*. Quin etiam eadem lex ipsos judices edi ab accusatore A sine rejectione voluit. sic enim idem agit: *Veniamus ad caussam, in qua tu nomine legis Liciniæ, quæ est de sodalitiis, omnes ambitus legis complexus es. neque enim quidquam aliud in hac lege, nisi editios judices es sequutus. quod genus judiciorum, si est æquum, nulla in re, nisi hac tribuaria, non intelligo, quamobrem senatus hoc uno in genere tribus edi voluerit ab accusatore, neque eandem editionem transtulerit in ceteras caussas. de ipso denique ambitu, rejectione fieri voluerit judicium alternorum. cumque nullum genus acerbitatis prætermitteret, hoc tamen unum prætereundum putarit*. Quorum verborum hæc videtur sententia: Lex Licinia in eos erat B lata, qui sodalitia, & qui ambitum commisissent: de sodalitiis judices edi ab accusatore voluerat sine rejectione, de ambitu judices sorte legi rejectione reo & accusatori permissa. Inquit ergo: Tu nomine legis Liciniæ de sodalitiis complecteris omnes ambitus, qui in lege Licinia continentur; nec de sodalitiis quidquam attingis, nisi editios judices, qui editii judices si non conveniunt, nisi cum tribus corruptæ sunt, non intelligo, cur magis judices edi voluerit senatus, cum corruptæ sunt a sodalibus, quam cum corrumpuntur a divisoribus, & cur in sodalitiis rejici judices noluerit, in ambitu vero C de rejectione judicum fieri voluerit alternorum, id est, accusatoris & rei, & cum nullum genus acerbitatis permitteret, quo ambitum castigaret, hoc tamen prætermiserit? Itaque paulo post ita invehitur: *Tu deligas ex omni populo aut amicos tuos aut inimicos meos. deinde effundas repente, ut ante consessum eorum videam, quam potuerim, qui essent futuri, suspicari, apud eosque me ne quinque quidem rejectis, quod in proximo reo de consilii sententia constitutum est, cogas caussam de fortunis omnibus dicere? an vero nuper clarissimi cives nomen editi judicis non tulerunt, cum ex centum viginti quinque judicibus principibus equestris ordinis, quinque & septuaginta reus rejiceret* D, *quinquaginta referret, omniaque potius permiscuerunt, quam ei legi, conditionique parerent, nos neque ex delectis judicibus, sed ex omni populo, neque editos ad rejiciendum, sed ab accusatore constitutos judices ita feremus, ut neminem rejiciamus?*

LEX POMPEJA. Verum ne lex quidem Licinia profuisse quidquam ad coercendum ambitum videtur. Siquidem Domitio & Claudio coss. id est, proximo secundum Crassum, & Pompejum consules anno, scribit Cicero ad fratrem: *Ambitus redit immanis. numquam fuit par. Idibus Quinctilis fœnus fuit ZZ ex Z coitione Memmii quam Domitio habuit*, & quæ sequuntur. & post: *De ambitu postu*E*lati sunt omnes, qui consulatum petunt, a Memmio Domitius, a Q. Curtio Memmius, a Q. Pompeio Messalla, a Triario Scaurus. magna res in motu est, propterea quod aut hominum, aut legum interitus ostenditur; opera datur, ut judicia ne fiant*. Satis etiam constat, postero anno magnam inter consulatus competitores Scipionem, Hypsæum, & Milonem contentionem fuisse, cum non solum largitione profusa, sed etiam factionibus armatorum succincti peterent, ut inquit Asconius. Quo anno comitiis extractis, cum Kal. Januariis nulli essent consules, inde v. Calendas Martias per interregem F Cn. Pompejus solus consul creatus statim iniit, & post diem tertium de legibus novis ferendis retulit. duas ex senatusconsulto promulgavit, unam de vi, alteram de ambitu; pœnam graviorem, & formam judiciorum breviorem. utraque enim lex testes prius dari, deinde uno die atque eodem ab accusatore, & ab reo perorari jubebat, ita ut duæ horæ accusatori, tres reo darentur. Addit præterea Dio, Pompejum legisse omnes homines, ex quibus judices sorte ducendi essent, & certum patronorum numerum statuisse utrique parti, & laudatores sustulisse; adversus autem eos, qui ambitum fecisse ar-

gerentur, eos quoque qui simili de caussa postulati fuerant, accusatores constituisse magno præmio proposito. nam quicunque duos reos fecissent, atque unum damnassent, ei impunitatem dedisse. Unde scripsit Asconius: *Milo factus reus ambitus apud Torquatum absens damnatus est. illa quoque lege accusator fuit Ap. Claudius, & cum ei præmium lege daretur, negavit. post paucos quoque dies Milo apud Favonium quæstorem de sodalitiis damnatus est, accusatore P. Fulvio, cujus lege præmium datum est.* Plutarchus item latum a Pompejo scribit, ne laudatores darentur, & numerum judicum centum sexaginta. At Asconius inquit, Pompejum trecentos sexaginta ex amplissimo censu legisse, ex quibus sorte ducendi erant in quaque quæstione. Eodem anno ob eam caussam S. C. factum narrat Dio, ne quis consularis, aut prætorius provincias obtineret, nisi post quinquennium, quam magistratum gessisset.

LEX JULIA CÆSARIS. C. inde Julius Cæsar dictator ambitus flammam restrinxit, cum comitia magistratuum alia sibi reservasset, alia populo concessisset. siquidem scribit Suetonius: *Cæsar comitia cum populo partitus est, ut exceptis consulatus competitoribus de cetero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronunciaretur, pro altera parte, quos ipse dedisset. & edebat per libellos circum tribus missos, scriptura brevi. Cæsar dictator illi tribui. Commendo vobis illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneat.* Eodem tempore, cum viveret, M. Varro scripsit in libris de vita populi Rom. teste Nonio: *Tanta invasit honorum cupiditas plerisque, ut vel cælum ruere, dum modo magistratum adipiscantur, exoptent.* de lingua vero Latina: *Qui populum candidatus circumit, ambit. qui aliter facit, ex ambitu causam dicit.* Huc etiam pertinent illa ex declamatione contra Sallustium: *Sed si fuerim in honoribus petendis nimis ambitiosus, non hanc dico popularem ambitionem, cujus me principem confiteor, sed illam perniciosam contra leges, cujus primos ordines Sallustius duxit.*

LEX JULIA AUGUSTI. Postremo C. Julius Augustus comitiorum jus pristinum reduxit, ac multiplici pœna coercito ambitu Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum, ne quid a quoquam candidato desiderarent, singula millia nummum a se divisit, ut Suetonius prodidit. Adjicit Dio libro LIV. Augustum statuisse, ut qui largitionibus magistratum petissent, quinquennio vacarent. Deinde vero cum Tiberii tempore comitia ad senatum & a senatu ad principem essent translata, ambitus omnis cessavit. atque ita lex Julia, de qua scriptum est in Pandectis, teste Modestino, necessaria non fuit.

CAP. XXXI.

De legibus inter sicarios, & veneficii, & parricidii.

NULLUM est crimen, quod aut legibus, aut judiciis vetustioribus vindicatum sit, quam cædes hominis. Id vero maleficii genus primo parricidium dictum. testis est Plutarchus, qui scribit, Numam regem *homicidium quodcunque nomine parricidii esse complexum*. item Festus, qui parricidam vocatum esse ait a Numa rege, quicumque hominem occidisset. *Parricida*, inquit, *non utique is, qui patrem occidisset, dicebatur, sed qualemcunque hominem. Id autem fuisse indicat lex Numæ Pompilii regis his composita verbis: si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, parricida esto.*

Postremo autem si cædes facta esset ferro, aut telo, crimen illud inter sicarios dictum est; si veneno, veneficium; si parentibus, aut propinquis nex allata, proprie parricidium. Sicarii a sica dicti. Si-

A cam ferreum cultrum fuisse, scribit Justinianus lib. IV. Institutionum. Qualis vero gladius fuerit, describit Josephus antiquitatum Judaicarum libro XX. *Sicarii*, inquit, *latrones sunt cultellis utentes magnitudine similibus acinacibus Persicis, recurvis, & similibus iis, quæ a Romanis sicæ dicuntur. unde & qui latrocinantur nomen sumpserunt. Hi gladii breves erant, ita ut occultari sinu vestis possent, & facile nec opinantes confodi, & maxime in turba possent.* Itaque odio hominibus erant, & nomen homicidio dederunt. ut idem in secundo de bello Judaico scripsit. Antiquis porro legibus cultrum habere non licuisse, apparet ex Aulularia Plauti: *Ad*
B *tresviros jam ego deferam tuum nomen. C. quamobrem? E. quia cultrum habes. C. coquum decet.* Itaque qui cultrum habebat non occidendi hominis caussa, ejus nomen tempore Plauti ad triumviros capitales deferebatur.

LEX INCERTA INTER SICARIOS, ET VENEFICII. Quæstionis vero inter sicarios meminit Cicero in II. de finibus, quæ exercita est extra ordinem post annum DCIV. sic enim inquit: *L. Tubulus prætor cum quæstionem inter sicarios exerceret, aperte cepit pecunias ob rem judicandam.* Item in Bruto: *De cæde facta in sylva Scantia senatus decrevit, ut con-*
C *sules quærerent, P. Scipio, & D. Brutus.* Hi vero anno DCXV. consulatum gesserunt.

DE VENEFICIIS vero sæpe quæsitum superioribus temporibus esse, docet Livius libro VIII. & lib. XL. & XLVIII. semper de mulieribus, quæ viros suos necaverant. in epitoma etiam libri LXVIII. *De veneficiis quæsitum. Poblicia & Licinia nobiles fœminæ, quæ viros suos consulares necasse insimulabantur, cognita caussa cum prætori prædes vadesque dedissent, cognatorum decreto necatæ sunt.* Verum hoc ante annum sexcentesimum quartum, id est, antequam quæstiones publicæ instituerentur.

LEX CORNELIA. Sylla vero dictator an. DCLXXI.
D ut diximus, de sicariis, veneficiis, parricidio, & falso tulit, & propterea quatuor prætores adjecit, easque perpetuas posthac esse quæstiones voluit. docet, ut jam sæpe scripsi, Cicero in Verrem: *Lex testamentaria, nummaria, ceteræ complures, in quibus non jus aliquod novum in populum constituitur, sed sancitur, ut quod semper malum facinus fuerit, ejus quæstio ad prætorem pertineat ex certo tempore.* ceterum capita legis Corneliæ de sicariis & veneficis, quæ extant, hæc sunt:

Judex quæstionis cum iis judicibus, qui ei obvenerint, de ejus capite quærito, qui hominem occiderit, cujusve dolo malo incendium factum erit, quique ho-
E *minis occidendi, furtive faciendi caussa cum telo ambulaverit.*

Judex quæstionis cum iis judicibus, qui ei obvenerint, de ejus capite quærito, qui venenum malum hominis necandi caussa fecit, fecerit, vendiderit, emerit, habuerit, dederit. Deque ejus capite quærito, qui tribunus militum legionibus quattuor primis, quive quæstor, tribunus pl. triumvir capitalis, triumvir agris dandis, assignandis, consul, dictator, prætor, magister equitum, quive magistratum habuerit, quive in senatu sententiam dixit, dixerit. qui eorum coit, coierit, convenit, convenerit, consensit,
F *consenserit, quo quis falsum judicium profiteretur, ut quis innocens conveniretur, judicio publico condemnaretur. Deque ejus capite quærito, qui testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico judicio rei capitalis damnaretur, quive magistratus, judexque quæstionis ob capitalem caussam pecuniam acceperit, ut publica lege reus fieret. Qui contra hanc legem fecerit, is in insulam deportetur, & bonis omnibus spolietur.*

Capita, quæ sunt de cæde hominis, de ambulatione cum telo, de falso testimonio, de pecunia ob rem capitalem accepta, extant apud Marcianum D. ad

legem Corneliam de sicariis; & apud Theophilum, qui scripsit, dominum occisi servi lege Cornelia de sicariis agere potuisse. Reliqua de veneno & de coitionibus sunt & apud illum, & apud Ciceronem in Cluentiana. Sic autem scribit Cicero: *Jubet lex ea, qua lege hæc est quæstio constituta, judicem quæstionis cum iis judicibus, qui ei obvenerint, quærere de veneno in eum, quicunque fecerit, vendiderit, emerit, habuerit, dederit.* & statim adjungit: *Deque ejus capite quærito, qui tribunus militum legionibus* IV. *primis, quive quæstor, tribunus plebis, deinceps omnes magistratus nominavit, quive magistratum habuerit, quive in senatu sententiam dixit, dixerit, qui eorum coit, coierit, convenit, convenerit, quo quis judicio publico condemnaretur.* & post: *Hanc ipsam legem, ne quis judicio circumveniretur, C. Gracchus tulit. eam legem pro plebe, non in plebem tulit. postea L. Sylla domo a populi caussa remotissimus, tamen cum ejus rei quæstionem hac ipsa lege constitueret, populum Rom. alligare novo quæstionis genere ausus non est.* & post: *Video, quam infinita quæstio tentetur ab accusatoribus, cum eam legem, quæ in nostrum ordinem scripta sit, in populum Romanum transferre conentur. Quæ in lege est: Qui coierit. quod quam late pateat, videtis. convenerit. æque infinitum, tum obscurum, & occultum est. falsumve testimonium dixerit. quis de plebe Rom. falsum testimonium dixit unquam?* In hac lege notandum est, quod hæc quæstio judici quæstionis mandatur, non quod prætor excludatur, sed ut in universum quicunque perpetuus quæsitor notetur. Unde Cicero de veneficio egit pro Cluentio apud Q. Nasonem judicem quæstionis. Quod ait lex, *cum iis judicibus, qui ei obvenerint*, eos sorte duci, non edi oportere significat. *Adjectio autem veneni mali*, ut inquit Marcianus, *ostendit esse quædam & non mala venena. ergo nomen medium est, & tam id, quod ad sanandum, quam quod id quod ad occidendum paratum est, continet. sed & id, quod amatorium appellatur. Sed hoc solum notatur in lege, quod hominis necandi caussa habet.* Post legem Syllæ Cicero Varenum de cæde reum defendit. quem Quinctilianus reum factum scribit lege de sicariis. Scribit etiam Suetonius, Cæsarem ædilem in exercenda de sicariis quæstione eos quoque in numerum sicariorum habuisse, qui proscriptione ob relata civium capita pecunias ex ærario acceperunt, quanquam exceptos Corneliis legibus. Refert etiam Cicero in oratione pro Cluentio, se prætore de pecuniis repetundis quærente C. Orchinium, & C. Flaminium de sicariis quæstionem exercuisse. & Asconius, Cæsare & Figulo consulibus post effecta comitia consularia & Catilinæ repulsam, Catilinam reum inter sicarios factum a L. Lucullo. & Cicero in Antonium: *Cupio scire, quemadmodum eos inter sicarios sis defensurus.*

LEX VETUS PARRICIDII. Parricidii nomine Romulus, ut inquit Plutarchus, cujuscunque hominis cædem est complexus. de cæde parentum præcipue nihil tulit, quod neminem tam nefarium esse arbitraretur, qui tanto scelere se obstringeret. Quinetiam sero admodum Romæ tale facinus est patratum, siquidem primus L. Hostius patrem interfecit post bellum Annibalis.

Tum vero admoniti flagitii novitate Romani aliquid ad deterrendos ceteros tulisse videntur. Lex autem fuisse videtur ejusmodi: *Si quis parentes occiderit, aut verberaverit, ei damnato obvolvatur os folliculo lupino, soleæ ligneæ pedibus inducantur, & in carcerem ductus ibi sit tantisper dum paretur culleus, in quem conjectus in profluentem præcipitetur.* Itaque cum bello Cimbrico anno DCXL. Poblicius Malleolus matrem necasse judicatus est, hoc supplicio affectus est. Sic enim de eo scriptum est in epitoma libri LXVIII. Liviani: *Poblicius Malleolus ma-*

A *tre interempta primus omnium insutus culleo in mare præcipitatus est.* & in Rhetoricis ad Herennium: *Malleolus judicatus est, matrem necasse. ei damnato statim folliculo lupino os obvolutum est, dum culleus, in quem conjectus in profluentem deferretur, compararetur.* Plautus Vidularia, teste Nonio: *Jube hunc insui culleo, atque in altum deportari, si vis annonam bonam.*

LEX CORNELIA. Cum autem hæc quæstio proprium non haberet quæstorem, Sylla eam legem rettulit, ac certum, & perpetuum habere prætorem voluit. atque ea de caussa numerum prætorum, ut
B dixi, adauxit. Est tamen propter affinitatem quæstio parricidii conjuncta cum quæstione de sicariis, easque modo unus, modo duo prætores sortiti sunt. siquidem ipso vivente Sylla M. Fannius prætor idem de sicariis, & de parricidis quæsivit. & Cicerone prætore M. Plætorius & C. Flaminius ambo inter sicarios quæsiverunt. Sylla vero nihil ad veterem legem addidisse videtur. tantum, ut significat Cicero, eam prætori certo commisisse existimatur. Itaque cum apud M. Fannium defenderet Sex. Roscium lege Cornelia parricidii reum, de pœna eadem, quæ supra dicta sunt, rettulit. *Quid est*, inquit, *tam commune, quam spiritus vivis, terra mor-*
C *tuis, mare fluctuantibus, littus ejectis? ita vivunt, dum possunt, ut ducere animum de cœlo non queant; ita moriuntur, ut eorum ossa terram non tangant; ita jactantur fluctibus, ut nunquam alluantur; ita postremo ejiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant.*

LEX POMPEJA. Post Syllam inde Cn. Pompejus consul legem Pompejam tulit de parricidis talem:

Prætor, qui ex hac lege quæret, de ejus capite quærito, qui patrem, matrem, avum, aviam, fratrem, sororem, patruelem, matruelem, patruum, avunculum, amitam, (materteram,) consobrinum,
D *consobrinam, uxorem, virum, generum, socrum, vitricum, (novercam,) privignum, privignam, patronum, patronam, occiderit, cujusve dolo malo id factum erit, sive conscius fuerit. deque ejus matris capite quærito, quæ filium, filiamve occiderit, & avi ejus, qui nepotem occiderit, ejusque, qui emit venenum, ut patri daret, quamvis non potuerit dare. is si confessus erit, virgis sanguineis verberatus, deinde culleo insuatur cum cane, gallo gallinaceo, & vipera, & simia, deinde in mare profundum culleus jactetur.* Quod autem Marcianus ait, qui hoc commiserint, pœna ea teneri, quæ est lege Corne-
E lia de sicariis; Modestinus vero culleum, gallum, viperam, & simiam nominat, id videtur exponi a Justiniano: cujus de lege Pompeja parricidii hæc verba sunt lib. IV. Institutionum: *Lege Pompeja de parricidio cavetur, ut siquis parentis, aut filii, aut omnino affinitatis ejus, quæ nuncupatione parentum continetur, fata præparaverit, sive clam, sive palam id ausus fuerit, nec non is, cujus dolo malo id factum est, vel conscius criminis extitit, licet extraneus sit, pœna parricidii puniatur, & neque gladio, neque ignibus, neque ulli alii solemni pœnæ subjiciatur, sed insutus culleo cum cane, & gallo gallinaceo, vipera, & simia, & inter eas ferales angustias*
F *comprehensus, secundum quod regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur. si quis autem alius cognatione, vel affinitate conjunctas personas necaverit, pœnam legis Corneliæ de sicariis sustinebit.* Addit Venulejus, D. de accusationibus: *Lex Pompeja parricidii servis non convenit. quoniam caput primum eos adprehendit, qui parentes, cognatos, aut patronos occiderint. quæ in servos, quantum ad verba pertinet, non cadunt: sed cum natura est communis, similiter & in eos animadvertetur.* Suetonius: *Augustus manifesti parricidii reum, ne culleo insueretur, quod non nisi confessi*

A *afficiebantur hac pœna, ita fertur interrogasse: Certe patrem tuum non occidisti?* Seneca libro de clementia primo: *Augustus non culleum, non serpentes, non carcerem decrevit.*

CAP. XXXII.

De legibus falsi.

CRIMEN Falsi latissime patuit. nam omnia quæ falso dicta, aut scripta, aut facta in alterius damnum essent, hoc nomine complexi sunt. B De falso antiquæ fuere leges, sed certos non habuere prætores.

LEX CORNELIA. Sylla relatis legibus certum etiam prætorem ei crimini addidit. Docet hoc, ut dixi, Cicero, cum inquit: *Lex Cornelia testamentaria, nummaria, ceteræ complures, in quibus non jus aliquod novum populo constituitur, sed sancitur, ut quod semper malum facinus fuerit, ejus quæstio ad prætorem pertineat ex certo tempore.* Testamentariam vero, nummariam vocat, quia præcipue de falsis testamentis, nummisque statuit. ut ex D. ad legem Corneliam de falso intelligitur, unde hæc C præcipue capita hausimus:

Prætor qui ex hac lege quæret, de ejus capite quærito, qui testamentum amoverit, celaverit, eripuerit, deleverit, interleverit, subjecerit, resignaverit, quique testamentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit dolo malo, cujusve dolo malo id factum erit. Qui sibi legatum fideicommissumque ascripserit. Qui nomine prætoris litteras falsas reddiderit, edictumque falsum proposuerit. Deque ejus capite quærito, qui ob falsas testationes faciendas, testimoniave falsa invicem dicenda dolo malo coierit, quique judicem corruperit, corrumpendumque curarit.

Deque ejus capite quærito, qui nummos aureos partim D *raserit, partim tinxerit, vel finxerit, qui in aurum vitii quid indiderit, qui argenteos nummos adulterinos flaverit, qui cum prohibere tale quid posset, non prohibuit. Qui nummos stanneos, plumbeos emerit, vendiderit dolo malo. eique damnato aqua, & igni interdicito.*

Meminit etiam hujus legis Cicero de natura deorum tertio: *Tum hæc quotidiana*, inquit, *sicæ, venena, peculatus, testamentorum lege nova quæstiones.* Meminit quoque Suetonius; *Augustus, cum de falso testamento ageretur, omnesque senatores lege Cornelia tenerentur, non tantum duas tabulas damnatoriam, & absolutoriam simul cognoscentibus de*E*dit, sed tertiam quoque, qua ignoscebatur iis, quos fraude ad signandum, vel errore inductos constitisset.*

CAP. XXXIII.

De legibus de vi.

JUDICIUM de vi legibus antiquis constitutum fuisse, probabile conjectura est. neque enim quidquam sæpius in civitate factum est, quam vis si F ve in urbe, sive in agro, sive armatis hominibus, sive inermibus. Tamen, si quæras, non solum nullam legem latam, sed nullam etiam quæstionem exercitam invenias. Ferme enim quæ post ad vim translata sunt, ea legibus de majestate, & de sicariis comprehensa erant. Ultimis autem temporibus tres leges latæ sunt, Plautia, Julia Cæsaris, & Julia Augusti.

LEX PLAUTIA. Lex Plautia Catulo & Lepido consulibus lata est. cum enim mortuo eo anno Sylla, Lepidus Marianarum partium assertor cum Catulo Syllano de actis Syllæ contendere cœpisset, ingens seditio concitata est, victorque pulso urbe, & in Sardinia interfecto Lepido Catulus hanc legem tulit una cum P. Plautio tribuno pl. unde etiam nomen accepit, ut in oratione pro Sextio dixit Cicero: *De vi quæritis, quam legem Q. Catulus armata dissensione civium, reip. pœne extremis temporibus tulit.* & Gellius lib. XIII. una cum Suetonio narrat, Cæsarem legem Plotiam suasisse, cum ex Cilicia Syllæ morte comperta redisset. Hac autem lege judicia de vi omnia facta sunt usque ad Cæsarem dictatorem, eaque multa capita legis de sicariis, & de majestate comprehensa sunt. & mandata quæstio videtur in hunc modum:

Is, cujus hæc quæstio erit, de ejus capite quærito, qui adversus remp. conjurarit, insidias senatui fecerit, magistratibus vim attulerit, qui cum telo in publico fuerit, aut seditionis caussa loca superiora occuparit, alienasve ædes saxis, ignibus, aut ferro occuparit. deque iis quotidie quærito. Itemque de ejus capite quærito, qui possessorem e fundo hominibus armatis dejecerit dolo malo, aut armatis objectis, ut inde profugeret, caussam attulerit, prohibetoque, ne prædium unde dejectus possessor sit, usucapiatur. eis damnatis aqua, & igni interdicito.

Judicia porro, quæ deinceps hac lege facta sunt, unde legis sententia colligi potest, hæc fuerunt. Suetonius: Cæsar victo Sertorio in consulatu primo Pompeii, *L. Cinnæ uxoris fratri, & qui cum eo civili discordia post necem Lepidi ad Sertorium confugerant, reditum in civitatem lege Plotia confecit, habuitque & ipse super ea re concionem.* nimirum significat, Cæsarem docuisse legem Plotiam adversus Lepidianos non esse scriptam, sed pro Lepidianis, quanquam seditionis caussa ad Sertorium post Lepidi necem confugissent. Narrat item Sallustius, Catilinam patefacta conjuratione a L. Paulo lege Plautia interrogatum. idque judicium de vi vocat Dio libro XXXVII. Quin etiam reliquos ejus conjurationis socios eadem lege postulatos, elicitur ex oratione Sallustii in Ciceronem: *Sed, ut opinor, illa te magis extollent, quæ post consulatum cum Terentia uxore de rep. consuluisti, cum legis Plautiæ judicia domi faciebatis. ex conjuratis alios pecunia condemnabas, cum tibi alius Tusculanam, alius Pompejanam villam ædificabat, alius domum emebat. qui vero nihil poterat, is erat calumniæ proximus. is aut domum tuam oppugnatum venerat, insidias senatui fecerat.* Cicero etiam pro Sextio inquit, hanc legem fumantes reliquias conjurationis suæ extinxisse. Addo etiam, Milonem hac lege de vi Clodium postulasse. Ejus judicii meminit Dio libro XXXIX. *Lentulo, & Metello consulibus P. Clodius ædilitatem petebat, tanquam judicium de vi declinaturus. nam ipsum Milo reum fecerat, sed non peregerat: neque enim quæstores, per quos sortitionem judicum fieri opus erat, designati fuerant, & Metellus consul prætori interdixerat, ne cujus nomen acciperet, antequam judicum sortitio facta esset. opus autem erat, ædiles ante quæstores creari.* Item Cicero ad fratrem: *Marcellinus cum graviter de Clodianis incendiis, trucidationibus, lapidationibus questus esset, sententiam dixit, ut ipse judices prætor urbanus sortiretur. judicum sortitione facta comitia haberentur.* & pro Milone: *Clodius dum vixit, reus Milonis de vi lege Plotia fuit.* Clodius autem domum Ciceronis oppugnarat. Item de aruspicum responsis: *Decrevit senatus, ut qui vastitatem meis ædibus intulissent, lege de vi, quæ est in eos, qui remp. oppugnassent, teneri.* Eodem etiam tempore P. Sextius, qui pro Cicerone restituendo cum armatis contra Clodium steterat, de vi accusatus est. Cum autem Cicero dicat, *lege, quam Q. Catulus tulit*, mihi interpretandum videtur, lege Plocia ex auctoritate consulis Catuli lata. siquidem supra dictum est, lege Plotia in conjuratos vindicatum esse,

& legem Catuli fumantis conjurationis reliquias extinxisse. & ipse in epistolarum ad Atticum quarto, de judicio Sextiano loquens inquit: *Non puto, te de judiciis, quæ Plautia lege fiunt, quærere*. Hac vero lege quotidie quæri potuisse, significat in oratione pro Cœlio, cum ait: *Lex est, quæ de seditiosis, consceleratisque civibus, qui armati senatum obsederint, magistratibus vim attulerint, remp. oppugnarint, quotidie quæri jubet*.

Cn. inde Pompejus in tertio consulatu legem tulit de vi, qua nominatim cædem in Appia via factam, & incendium curiæ, & domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit, & pœnam graviorem, & formam judicii breviorem. quam legem, quia non in universum lata erat, sed nominatim certum crimen continebat, in hunc numerum non debemus referre. Quod reprehendit Cicero pro Milone orans: *Erant veteres quæstiones vel de cæde, vel de vi, nec erat necesse, ut nova quæstio constitueretur*. & in Antonium: *Quid attinebat nova lege quærere de eo, qui hominem occidisset, cum esset legibus quæstio constituta?* Lege autem Pompeja quæsitor a populo creatus est extra ordinem, qui de vi in Appia via facta quæreret. Itaque lex etiam Plautia eodemmet anno in eodem reo est observata. Nam Milo idem, qui apud Domitium quæsitorem reus factus est de vi lege Pompeja, factus est etiam apud L. Fabium quæstorem lege Plautia de vi, & M. Saufejus socius ejus apud Considium quæstorem lege Plautia de vi, subscriptione ea, quod loca occupasset, & cum telo fuisset antesignanus operarum Milonis. Hos vero quæstores credo eosdem fuisse, ac judices quæstionum. Quoniam enim sæpe his temporibus contra hanc legem peccabatur, propterea præter prætorem multis aliis quæsitoribus erat opus. Quod si alicui prætori aliarum quæstionum quæsitori hæc quæstio commissa esset, tum vero eam vim habebat, ut cogeret, illum propriam quæstionem relinquere, & hanc subito cognoscere. siquidem quotidie lex quæri volebat, ne diebus quidem festis omissis. tumque is reus extraordinarius dicebatur. Cœlius: *Rufus M. Tutium accusatorem suum post ludos Rom. reum lege Plotia de vi fecit. quia videbat, si nemo extraordinarius reus accessisset, caussam sibi eo anno esse dicendam*. Exilium porro ea lege indictum, ex caussis superioribus omnibus intelligitur. Quæ vero dixi de dejectione e fundo armatis hominibus dolo malo, ea eliciuntur ex oratione pro M. Tullio, quæ est de vi: in qua hæc verba sunt: *Dico vim factam a Fabii familia. adversarii non negant. damnum datum esse M. Tullio, concedunt. vici unam rem. vi, hominibus armatis. non negans. vici alteram. dolo malo. factum negas. de hoc judicium est*. item ex Juliano D. de usucapionibus: *Si dominus fundi homines armatos venientes existimaverit, atque ita profugerit, quamvis nemo eorum fundum ingressus sit, vi dejectus videtur. Sed nihilominus id prædium etiam, antequam in potestatem domini redeat, a bonæ fidei possessore usucapitur. quia lex Plautia, & Julia ea demum vetuit longa possessione capi, quæ vi possessa fuissent, non etiam ex quibus vi quis dejectus fuisset*.

LEX JULIA CÆSARIS. Post legem Plautiam Julia lata est a Cæsare dictatore. cujus tenuis memoria extat. unus enim tantum meminit Cicero; qui in prima in Antonium inquit, lege, quam Antonius consul post mortem Cæsaris promulgarat, ut de vi damnati ad populum provocarent, obrogari legi Cæsaris, quæ jubet, ei, qui de vi damnatus sit, aqua, & igni interdici. quam pœnam non a Cæsare primum irrogatam esse constat. Neque vero lex Antonii inter leges est referenda, quia tantum fit promulgata, non lata. Postero autem anno Q. Pedius cum C. Octavio consul legem tulit nominatim de Cæsaris interfectorib. quæ sive de vi, sive de sicariis, sive de majestate dicatur, pro lege non est habenda, cum neque in universum, neque in futurum sit lata. Hujus meminit Vellejus lib. II. *Lege Pedia, quam consul Pedius collega Cæsaris tulerat, omnibus, qui Cæsarem patrem interfecerant, aqua ignique damnatis interdictum est*.

LEX JULIA AUGUSTI. Demum C. Cæsar Augustus leges tulit de vi publica, & de vi privata: publicam appellans, ut inquit Justinianus, quæ armis; privatam, quæ sine armis esset facta. Prioris legis hæc capita fuerunt:

Qui arma, tela domi suæ, agrove in villa præter usum venationis, vel itineris, vel navigationis coegerit, præter ea quæ quis promercii caussa habuerit, hereditateve ei obvenerint. Qui turbæ seditionisve faciendæ consilium inierint, servosque ac liberos homines in armis habuerint. Qui pubes cum telo in publico fuerit. Qui pessimo exemplo convocatu, seditione villas expugnaverint, & cum telis, & armis bona rapuerint. Qui ex incendio rapuerit aliquid præter materiam. Qui puerum, vel fœminam, vel quenquam per vim stupraverit. Qui in incendio cum gladio, aut telo rapiendi caussa fuit, vel prohibendi dominum res suas servare. Qui hominibus armatis possessorem domo, agrove suo, aut navi sua dejecerit, expugnaverit concursu, utque id staret, homines commodaverit. Qui cœtu, concursu, turba, seditione incendium fecerit, quique hominem dolo malo incluserit, obsederit, quive fecerit, quo magis funus diripiatur, distrahatur, quive per vim sibi obligaverit. Qui cum imperium, potestatemve haberet, civem Rom. adversus provocationem necaverit, verberaverit, jusseritque quid fieri, aut quid in collum injecerit, ut torqueatur. si legatorum, oratorum, comitumque quem pulsaverit, sive injuriam fecerit. Qui reum vinxerit, impedieritve, quo minus intra certum tempus adsit. Qui dolo malo fecerit, quo minus judicia tuto exerceantur, aut judices, ut oportet, judicent. vel is, qui potestatem, imperiumve habebit, quam ei jus erit, decernat, imperet, faciat. Qui ludos, pecuniamve ab aliquo invito publice privatimve per injuriam exegerit. Qui cum telo dolo malo in concione fuerit, aut ubi judicium publice exercebitur, præter eum qui propter venationem habeat homines, qui cum bestiis pugnent. Qui convocatis hominibus vim fecerit, quo quis verberetur, & pulsetur, neque occisus homo sit. Qui ædes alienas, aut villas expilaverit, effregerit, expugnaverit, siquidem in turba cum telo fecerit. Qui nova vectigalia exercuerint. Prætori, cui exercitio hac lege obvenerit, eam, si proficiscatur, mandare liceto. Damnatis de vi publica aquæ, & ignis interdictio esto.

Hæc autem capita omnia sunt in Digestis ad legem Juliam de vi publica, ex Marciano, Scævola, Ulpiano, Mæciano, & Paulo. Addit Paulus, armatos non utique eos intelligendos esse, qui tela habuerunt, sed etiam, qui quid aliud, quod nocere potest; & telorum appellatione omnia, ex quibus singuli homines nocere possunt, accipi. Ceterum qui telum tutandæ salutis suæ caussa gerunt, non videri hominis occidendi causa portare. Justinianus autem in quarto Institutionum, pœnam hac lege fuisse deportationem interpretatur, quod in locum interdictionis successerit. De mandanda vero quæstione est in titulo de officio ejus, cui mandata est jurisdictio: *Lege Julia de vi nominatim cavetur, ut is, cui obtigerit exercitio, possit mandare, si proficiscatur. non aliter itaque mandare poterit, quam si abesse cœperit, cum alias etiam jurisdictio a præsente mandetur*.

Capita vero legis de vi privata hæc fuerunt: *Qui cœtum, & concursum fecerit, quo minus quis in jus producatur, quive quæstionem de alterius servo habuerit. Qui quem ex agro suo hominibus congregatis sine armis dejecerit. Qui creditor sine auctoritate*

A *judicis res debitoris occuparit. His damnatis tertia pars bonorum publicetur, neque senator, neque decurio sit, aut ullum honorem capiat, neve in eum ordinem sedeat, neve judex sit.* Hæc ex Scævola, Paulo, Ulpiano, Modestino Digestis ad legem Juliam de vi privata. Atque hæc quidem de judiciis publicis dicta sint. Nunc ut totum negotium judiciale conficiamus, de judiciis populi, quæ invenerimus, afferamus.

CAROLUS SIGONIUS
DE
JUDICIIS.

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

Quæ fuerint judicia populi.



EXPLICATIS judiciis, quæ jussu populi a magistratibus exercita, & a judicibus disceptata sunt, sequitur, ut de iis agamus, in quibus populus ipse disceptator, & judex fuit. Hæc autem non aliter, ac superiora, & privata, & publica fuerunt. Privata dico, quæ de controversiis aut ad res, aut ad personas, aut ad obligationes pertinentibus constituta sunt; publica, quæ de criminibus. Privatorum unicum est exemplum, plurima publicorum. Livius lib. III. *Victoriam honestam ex hostibus partam turpe domi de finibus sociorum judicium populi deformavit. Aricini, atque Ardeates de ambiguo agro cum sæpe bello certassent, ad Romanos se contulerunt. consilio populi a magistratibus dato magna contentione actum, jamque editis testibus cum tribus vocari, & populum inire suffragia oporteret, consurgit P. Scaptius, &, Si licet, inquit, consules de rep. dicere, errare ego populum in hac caussa non patiar. data dicendi potestate, dixit, agrum, de quo ambigebatur, finium Coriolanorum fuisse, captisque Coriolis jure belli publicum populo Rom. factum. Consules, cum Scaptium non silentio modo, sed cum assensu etiam audiri, animadvertissent, deos hominesque testantes flagitium ingens fieri, patrum primores accersunt. cum his circumire tribunos, orare, ne pessimum facinus pejore exemplo admitterent, judices in suam rem litem vertendo. Vocatæ tribus judicaverunt, agrum publicum populi Romani esse. Nec abnuitur ita fuisse, si ad judices alios itum foret.*

De publicis vero, quæ subtilior est disputatio, hæc accepimus. Populus Rom. judicandi potestatem jam inde a Romulo rege acceptam usque ad Augustum imperatorem retinuit. verum non iisdem semper comitiis. nam curiatis quidem tantum sub regibus, centuriatis autem, & tributis rep. dominatu regio liberata. Judicavit autem de criminibus, & pœnis criminum omnibus, quæ ad se a magistratu essent delata. Neque enim, quod in judiciis prætoriis evenit, de iis tantum criminibus cognovit populus, quæ aliqua lege continerentur, sed de omnibus, quæ magistratus ad se detulisset, & de omnibus pœnis, quas ille irrogasset, sed tamen ea forma actionis, quæ legibus & moribus contineretur. neque enim ut illa duo arbitrio & juri magistratuum, sic etiam agendi ratio fuit permissa. Quamobrem judicia populi publica tractaturi primum de criminibus, deinde de pœnis, tum de forma actionis, postremo de animadversione dicemus. siquidem hæc tria magistratui ad populum data sunt, cognitio, irrogatio, animadversio. Unde queritur Cicero, dari decemviris agrariis a Rullo cognitionem sine consilio, pœnam sine provocatione, animadversionem sine auxilio.

CAP. II.

De criminibus.

CRIMINA, ut dixi, maleficia fuerunt. Quæ vero maleficia ad populi judicium a magistratibus adducta sunt, ea potissimum duo fuerunt, majestas, & peculatus. quorum in illo dignitas, in hoc fortunæ reip. actæ sunt. Ad majestatem autem pertinere existimatum est, si quis tyrannidis, aut regni occupandi consilia habuisset; si adversus remp. conjurasset; si hostes ad bellum reip. faciendum concitasset, aut juvisset; si magistratum populi Romani in ordinem coegisset; si sacra imminuisset; cives Roman. aut carcere, aut morte indicta caussa affecisset; male sua culpa pugnasset; plebis commodis adversatus esset; populo Roman. maledixisset. Quorum quæ prodita litteris fuerunt, hæc fere, ut quidque deinceps actum est, exempla sunt. Nam Coriolano dies dicta est, quod plebis commodis restitisset; Sp. Cassio, quod tyrannidem affectasset; T. Menenio, quod Cremeræ præsidium amisisset; Sp. Servilio, quod male cum Tuscis pugnasset; Ap. Claudio, quod legem agrariam oppugnasset; Cæsoni Quinctio, quod legi agrariæ resistens tribunos pl. de foro pepulisset; M. Postumio, quod cum Vejentibus male pugnasset; MP. Sergio, quia ad Vejos fugisset; P. Virginio, quia collegam prodidisset; M. Manlio ob affectati regni suspicionem; P. Manlio Imperioso, ob acerbitatem in delectu adhibitam; Tusculanis, quod ipsorum consilio atque ope Veliterni populo Roman. bellum fecissent; Claudiæ, quod pressa in turba dixisset, *Utinam P. Claudius frater meus viveret, atque iterum classem duceret*; Cn. Fulvio, quod male bello Punico secundo pugnasset; C. Claudio, & Ti. Sempronio censoribus, quod concionem a tribuno plebis avocassent; Ser. Galbæ, quod Lusitanos contra fidem datam trucidasset; P. Popillio Lænati, quod indicta caussa cives Roman. necasset; L. Opimio, quod eosdem in carcerem conjecisset; M. Scauro, quod ejus opera sacra multa populi Romani essent diminuta; M. Junio Silano, quod bellum cum Cimbris injussu populi gessisset; Metello Numidico, quod in legem Saturnini agrariam jurare noluisset; P. Furio, quod Numidici restitutioni obstitisset; M. Ciceroni, quod falsum senatusconsultum de civibus indicta caussa necandis retulisset. Quæ omnia judicia de majestate fuerunt,

quanquam majestatis imminutæ nomen nullum reis objectum sit, præterquam Claudiæ, auctore Suetonio in Tiberio. Peculatus autem exempla sunt judicium M. Camilli propter prædam Vejentanam, MP. Curii propter interversam Samnitium pecuniam, M. Livii Salinatoris propter Illyricam prædam non æqualiter militibus divisam, P. Africani propter Antiochinam, M. Postumii propter ementitum cum detrimento populi Roman. naufragium, Catuli propter Capitolii restitutionem. Quin etiam cædis, falsi, repetundarum, adulterii, tentatæ pudicitiæ, & vis illatæ crimina in judicium populi esse vocata invenio. Siquidem P. Horatius de cæde sororis populi judicium subiit; P. Sestius, quod apud eum effossum cadaver esset; Ap. Claudius, quod vindicias in servitutem ab libertate contra leges dedisset; C. Lucretius, quod provinciam spoliasset; C. Scantinius, quod puerum de stupro appellasset; Cn. Sergius Silus, quod matri familias nummos promisisset; T. Milo, quod vim armatam fecisset. Ex quibus apparet, omnia crimina, quæ aut directo, aut non directo rempublicam ipsam attigerunt, ad populi judicium pro magistratus arbitrio esse adducta, aut ab ipso cognita & damnata, post per provocationem ad populum esse translata.

CAP. III.

De pœnis.

POENARUM autem genera in his judiciis fuerunt damnum, exilium, servitus, & mors. Hæc vero in duo nomina diviserunt, mulctam, & caput. Quos enim damno affecerunt, id est, pecunia condemnarunt, in iis mulctæ nomen usurparunt. unde illa, *pecunia judicare*, *pecunia anquirere*, *mulctam dicere*, & *mulctam irrogare*, sunt nata. quem exilio, servitute, morteve affecerunt, in eo nomen capitis factitarunt. Ex quo illa profecta *diem rei capitalis dicere*, *capitis judicare*, aut *anquirere*, *rei capitalis accusare*. pro quibus etiam *perduellionem judicare*, & *perduellionis actionem intendere* posuerunt. atque ipsi mulctæ ut capitis, sic perduellionis nomen tanquam idem valens opposuerunt. ut Livius: *Bis pecunia anquisitum est. tertio cum capitis se anquirere diceret, tribuni plebis permiserunt, ut aut capitis, aut pecuniæ judicaret privato. ille perduellionem judicavit.* item Cicero: *Diem, credo, dixerat, mulctam irrogarat, actionem perduellionis intenderat.* Nomen vero perduellionis & crimen & pœnam significavit. si crimen, quod erat gravissimum inter crimina, nempe imminutæ majestatis; si pœnam, quæ erat acerbissima, nempe mortis. ut in P. Horatio, Sp. Cassio, M. Manlio, C. Rabirio. quorum Horatio, & Rabirio crux, Cassio & Manlio saxum fuit propositum. Livius tamen etiam, cum de judicio M. Postumii, Cn. Fulvii, Gracchi, & Claudii, quibus aqua, & igni interdicebatur, agit, nomen perduellionis usurpavit. Ceterum de mulcta, & exilio supra dictum est.

Pœna servitutis lege Ser. Tullii regis, teste Livio, & Dionysio, proposita fuit iis, qui nomen suum in censum non detulissent, itemque, qui citati nomen in militiam non detulissent. Nam Cicero in oratione pro Cæcina de hac re loquens captiose potius, quam vere ita dixit: *Populus cum vendit eum, qui miles factus non est, non adimit ei libertatem, sed judicat, non esse eum libertum, qui ut liber sit, adire periculum noluit. cum autem incensum vendit, hoc judicat, cum ii, qui in justa servitute fuerint, censu liberentur, eum, qui cum liber esset, censeri noluerit, ipsum sibi libertatem abjudicavisse.*

Mortem autem attulerunt, aut securi percutiendo, aut arbori infelici suspendendo, id est, in crucem agendo. quorum utrumque verberatio præcessit, aut de Saxo Tarpejo, aut de Robore præcipitando, aut in culleo insutum in profluentem projiciendo, aut denique laqueo gulam frangendo. de quibus suppliciis post agam pluribus, cum de animadversione disputabo.

Atque de his quidem criminibus magistratus ad populum privatos homines accusarunt, atque has pœnas pro arbitrio irrogarunt. aut certe mulcta pœnave prius pro jure magistratus indicta, cum parem, majoremve potestatem appellassent, & ad populum provocassent, eos reos ad populum peregerunt. populus autem mulctam, pœnamveaut jussit, aut remisit; sed, ut dixi, sub regibus comitiis curiatis, post exactos reges centuriatis, & tributis.

CAP. IV.

De judiciis curiatis.

CETERUM de ratione judiciorum curiatorum vix habemus, quid dicamus, quod unicum tantum extet P. Horatii judicium curiatis comitiis factum. id quod primum, ut inquit pro Milone Cicero, Romæ capitis judicium fuit. P. autem Horatius tum de parricidio interrogatus est lege Numæ, quæ fuit: *Si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, parricida esto.* parricidam scilicet vocavit, auctore Festo, non qui parentem occidisse diceretur, sed qualemcunque hominem. atque hac lege interrogatum eum tradunt Festus, & Dionysius, & Cicero, cum dixit pro Milone: *Romana civitas primum judicium de capite vidit P. Horatii, qui nondum libera civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus, cum sua manu sororem interfectam esse fateretur.* Actio tamen instituta est ex lege, quam tum rex Tullus tulit. qua lege creati duumviri sunt, ut perduellionem, id est, rem capitalem, & mortis pœnam, judicarent, &, si reus ad populum provocasset, ad eum de provocatione certaretur. Verba legis, teste Livio, hæc fuerunt: *Duumviri perduellionem judicent. si a duumviris provocarit, provocatione certato, si vincet, caput obnubito, infelici arbori suspendito, verberato vel intra pomœrium, vel extra pomœrium.* Res autem acta sic est. Rex, concilio populi advocato, *duumviros, qui P. Horatio perduellionem judicent*, inquit, *facio secundum legem.* Duumviris creatis tum alter ex his inquit: *P. Horati, perduellionem tibi judico. Lictor colliga manus.* accessit lictor, injecitque laqueum. tum Horatius, auctore rege, *Provoco*, inquit. Ita de provocatione certatum ad populum est. populus absolvit. Ex quibus apparet, crimen in hoc judicio fuisse parricidium, id est, cædem sororis; pœnam perduellionem, id est, mortem in cruce; duumviros creatos primum judicasse, deinde de eorum judicio certatum, ac populum eorum judicium infirmasse. Atque hoc quidem modo curiatis judicatum comitiis est.

CAP. V.

Quorum judiciis tributis & centuriatis actio fuerit.

EXACTIS autem regibus idem populus, cum jam jus centuriatim conveniendi, ac sciscendi lege Ser. Tullii regis haberet, judiciorum potestatem adeptus est multis legibus. Nam & anno primo a P. Valerio consule, teste Dionysio, latum est, ut populus consulum decretum irritum facere posset, siquis a consulibus damnatus ad populum provocasset. & sextodecimo post anno senatusconsultum in

MP.

A MP. Valerii sententiam est factum, ut populus judiciorum potestatem haberet, & maxime si quis remp. læsisse aut seditione conflanda, aut tyrannide paranda, aut civitate hostibus prodenda, aut aliquo ejusmodi facinore patrando argueretur. atque hæc judicia comitiis centuriatis facta esse intelligendum est, cum nondum essent tributa. nam judicium Coriolani, quod tributis comitiis per ea tempora factum est, extraordinarium fuit. quippe cum nulla lege, aut more tum primum plebs tributis comitiis judicarit. Sacratis autem legibus, quæ anno ab exactis regibus sextodecimo latæ sunt, & XII. tabularum, quæ post annum quinquagesimum sextum promulgatæ sunt, scitum est, ne de capite civis Romani nisi centuriatis comitiis agi posset. B quod Cicero in oratione pro Sextio, & in secundo Legum scriptum reliquit. Unde in tertio addidit, *vere L. Cottam dixisse, nihil omnino actum esse de se a Clodio, quia tributis comitiis de capite suo egisset, quæ rata esse non possent*. Quocirca post ea tempora de mulcta civis Romani semper actum est tributis, de capite centuriatis. Quam legem fortasse obsolescentem rettulit C. Gracchus anno DCXXX. siquidem scribit Cicero pro Rabirio: *C. Gracchus legem tulit, ne de capite civium Roman. injussu vestro judicaretur*. Nam *injussu vestro* cum dixit, populi, C non plebis intellexit. etenim Cicero tum agebat ad populum centuriatim convocatum in judicio perduellionis. Tributis autem comitiis soli minores magistratus egerunt, ut tribuni pl. ædiles curules, & ædiles pl. De tribunis omnes loquuntur. De ædilibus curulibus docet Valerius capite de pudicitia, cum inquit, *M. Marcellum ædilem curulem C. Scantinio tribuno pleb. diem ad populum dixisse, quod filium suum de stupro appellasset*, & P. Clodium ædilem curulem Miloni de vi ad populum diem dixisse, Cicero testis est. De ædilibus plebis Livius libro II. qui Veturio, postquam consulatu abiit, ab C. Alieno ædili plebis diem dictam, D eumque decem millibus æris damnatum scribit. & Gellius, qui *Claudiæ a C. Fundanio, & Ti. Sempronio ædilibus pl. mulctam æris gravis* XXV. *millium dictam* ex Capitone refert. Comitiis autem centuriatis egerunt consules, prætores, & quæstores. De primis nota res est. De quæstoribus auctor est Livius, quos diem dixisse Sp. Cassio ob affectatam tyrannidem scribit libro secundo. Quin etiam idem libro sexto auctor est, tribunos pl. accusasse T. Manlium populo centuriatim in campo citato. verum intelligendum est, petita a consulibus potestate. quemadmodum idem libro XXVI. aperte explicuit.

E Atque ordine quidem privati tantum in judicium adducti sunt. Itaque T. Menenius, Sp. Servilius, Ap. Claudius, C. Sempronius, postquam consulatu, aut decemviratu abiissent, judicio a tribunis pl. oppugnati sunt; extra ordinem autem etiam magistratus tentati, ut Scantinius tribunus pl. a Marcello ædili curuli apud Valerium; & L. Flacco ædili curuli Decianus trib. pl. diem dixit apud Ciceronem in oratione pro Flacco; & Claudio, Gracchoque censoribus tribuni pl. apud Livium libro XLV. Ex quo declaratur, hoc arbitrio magistratus permissum, ut privatum, & magistratum apud populum accusarent. F

CAP. VI.

Quo ordine comitiis centuriatis, aut tributis actum sit.

CETERUM ordo agendi sive tributis, sive centuriatis comitiis legibus, aut moribus constitutus hic fuit. Magistratus qui reum facere, aut accusare voluit, in Rostra ascendit, & populo per præconem advocato diem ei, quem reum facere cogitaverat, ad accusationem audiendam prædixit. Ubi vero prædicta dies venit, item e Rostris reum per præconem citavit, atque accusationem instituit, eamque ter intermissa die peregit. Ubi vero ter accusavit, tum rogationem per trinas nundinas promulgatam habuit, in qua crimen, & pœnam criminis comprehendit, ac tertiis nundinis quartam accusationem intulit, ac reo caussæ dicendæ potestatem fecit. atque inde diem prædixit, qua die ad populum de pœna certandum erat. Quod si qua res illum diem aut auspiciis, aut excusatione sustulisset, judicium sublatum erat. Qui citati ad diem non affuissent, neque excusati essent, iis exilium jubebatur. Inde rogatio ad populum ferebatur, deque ea populo suffragium permittebatur. Hæc fere Dionysius libro VII. scribit observata esse in judicio Marcii Coriolani. Quæ vera esse etiam Ciceronis testimonio in oratione pro domo cognoscitur, in qua ita est: *Moderata populi judicia a majoribus sunt constituta. primum ne pœna capitis cum pecunia conjungatur. deinde ne nisi prædicta die quis accusetur. ut ter ante magistratus accuset intermissa die, quam mulctam irroget, aut judicet. quarto sit accusatio trinum nundinum prodita die, qua die judicium sit futurum. multa etiam ad placandum, atque ad misericordiam reis concessa sunt. deinde exorabilis populus, facilis suffragatio pro salute. denique etiam si qua res illum diem aut auspiciis, aut excusatione sustulit, tota caussa, judiciumque sublatum est.* His summatim expositis nunc separatim dicamus de partibus singulis.

CAP. VII.

De die accusationi dicenda.

QUICUNQUE igitur magistratus alterum reum ad populum facere cogitavit, in Rostra, ut dixi, ascendit. ac concione advocata palam testatus est, se certa, quam nominabat, die, de certo, quod nominabat, crimine, certum, quem nominabat, hominem accusaturum esse, ac proinde ei, ut ad audiendam sui accusationem adesset, denunciavit. Hæc autem actio diei dictio, & qui ita agebat, diem dicere dicebatur. Hinc Livius libro XXXVII. *Gracchus, & Rutilius tribuni pl. MP. Acilio Glabrioni diem dixerunt, quod pecuniæ regiæ, prædæque aliquantum captæ in Antiochi castris, neque in triumpho tulisset, neque in ærarium detulisset*: & libro XLIII. *Tribunus pl. Claudio diem dixit, quod concionem a se avocasset*. & libro II. *A. Virginius tribunus pl. Cæsoni diem capitis dixit*; id est, se certo die illum accusaturum esse de crimine capitali denunciavit. & paulo post: *Cui rei capitalis dies dicta sit, & de quo futurum propediem judicium, indicta caussa non debere violari*. Item: *Appio in carcerem conjecto tribunus pl. Virginius ei diem prædixit. priusquam dies prædicta adesset, Appius sibi mortem conscivit*. & alibi: *Tribuni plebis omissa mulctæ certatione rei capitalis diem M. Postumio dixerunt*. Videtur autem diei dicendæ formula hæc fuisse: *Ap. Claudi, huc ad me Nonis Septembris adesto, ut te accusari audias, quod vindicias contra libertatem dederis*.

Dicta in hunc modum die in rebus capitalibus vades, in mulcta prædes ab reis poscebant. Hi erant locupletes sponsores rei in judicio ad diem dictam sistendi, aut mulctam, qua damnatus esset, solvendi. Qui si dati non essent, reos in carcerem conjiciebant, atque ibi eos usque ad diem judicii asservabant. De vadibus scribit Livius libro II. *Virginius tribunus pl. arripi jubet Cæsonem, cui diem capitis dixerat, & in vincula duci. pater clamitabat, cui reo dies rei capitalis sit dicta, & de quo futurum*

propedium judicium, cum indemnatum indicta caussa A *non debere violari. tribunus negat supplicium sumpturum de indemnato, servaturum tamen in vinculis esse usque ad judicii diem, ut qui hominem necaverit, de eo supplicii sumendi copia populo Rom. fiat. appellati tribuni medio decreto jus auxilii sui expediunt, in vincula conjici vetant. Sisti reum, pecuniamque nisi sistatur, populo promitti placere pronunciant. Vades dare senatui placuit. vadem unum tribus millibus obligarunt. quot darentur, permissum tribunis est. decem finierunt. tot vadibus accusator vadatus est reum. ac primus vades publicos dedit.* & de M. Postumio: *Tribuni pl. omissa mulctæ certatione rei capitalis diem Postumio dixerunt; ac, ni vades daret,* B *prehendi a viatore, atque in carcerem duci jusserunt. Postumius vadibus datis non affuit.* De prædibus Gellius libro VII. ex vetere historia ita scribit: *L. Scipioni M. Minucius Augurinus tribunus pl. multam irrogavit, eamque ob caussam prædes poposcit.* & post: *Augurinus tribunus pleb. Scipionem prædes non dantem prehendi, & in carcerem duci jussit.*

CAP. VIII.

De citatione rei.

POSTQUAM autem dies dicta venit, accusator in Rostra ascendens reum per præconem ex Rostris citavit. Hoc ostendit Livius, ubi de judicio P. Scipionis agit. *Ubi dies*, inquit, *dicta venit, tribuni in Rostris prima luce consederunt. citatus reus.* & paulo post: *Scribæ viatoresque tribunos reliquerunt, nec cum iis præter servilem comitatum, & præconem, qui reum ex Rostris citabat, quisquam fuit.* Potuit autem aut major, aut par magistratus intercedere ne citaretur. & si absens fuit, potuit excusari. Quod si citatus, neque excusatus non affuisset, pro arbitrio magistratus potuit ei pœna irrogari. D Varro: *M. Terentio, quando citatus neque respondit, neque excusatus est, ego ei unum ovem mulctam dico.* Asconius: *Q. Varius trib. pleb. belli concitati crimine adesse apud se Scaurum jussit. ille per viatorem accersitus, processit in forum.*

CAP. IX.

De triplici accusatione.

UBI vero primum adesse jussus, deinde secunda actione citatus affuit, tum vero accusari est E cœptus. Cicero pro domo, ubi agit de judicio suo: *Hæc cum ita sint in re, ubi crimen est? ubi testes? quid indignius, quam qui neque adesse sit jussus, neque citatus, neque accusatus, de ejus capite, liberis, fortunis omnibus suffragium ferre?* Accusatio vero triplex fuit. siquidem intermissis diebus ter est habita. Ea vero eodem artificio confecta est, quo superiores, de quibus disseruimus. quippe accusator crimen certum attulit, idque testibus, & argumentis probavit. unde dixit paulo ante Cicero: *Ubi crimen est, ubi accusator, ubi testes?* Et de testibus quidem insignis est locus in VII. in Verrem, ubi se accusaturum Verrem ad populum de majestate minatur. *Mihi credite*, inquit, *arctioribus ad populum laqueis tenebitur. credet iis equitibus Rom. populus Rom. qui ad vos antea producti testes ipsis inspectantibus ab isto civem Roman. sublatum in crucem esse dixerunt. credent omnes quinque & triginta tribus M. Annio, qui se præsente civem Rom. securi percussum dixit.* & alter apud Livium libro XXXVII. *M. Cato testis, quæ vasa aurea, atque argentea captis castris inter aliam prædam vidisset, ea se in triumpho negabat vidisse.*

CAP. X.

De anquisitione.

CUM autem ter accusaret, in singulis accusationibus perorandis mulctam, pœnamve pro arbitratu dicebat, eaque Anquisitio dicebatur. Erat autem ejus hæc formula: *Quando igitur hæc, & illa, quæ dixi, fecisti, ob eas res ego mulctam tibi hanc dico, vel pecuniam hanc, sive perduellionem tibi judico.* Livius libro primo: *P. Horati, perduellionem tibi judico.* Varro: *M. Terentio, quando citatus non affuit, unum ovem mulctam dico.* Cicero pro Scauro: *Subiit etiam judicium populi anquirente Cn. Domitio tribuno pleb.* Dionysius libro septimo: *In extremo accusationis posuit, se Marcio mortem* καταψηφίζεσθαι, id est, capitalem pœnam dicere, *quod ædiles prehendere jussos violasset.* Sæpe autem evenit, ut cum in prioribus accusationibus pecuniæ judicassent, in tertia capitis anquirerent, aut cum in primis capitis anquisissent, in tertia pecuniæ judicarent. Livius de judicio Cn. Fulvii: *Sempronius*, inquit, *tribunus pl. die dicta Cn. Fulvium ob exercitum in Apulia amissum in concionibus vexabat, multa temeritate atque inscitia eum exercitum in locum* C *præcipitem produxisse dictitans. Reus ab se culpam in milites transferebat. Bis est accusatus. pecuniaque anquisitum. tertio testibus datis, cum jurati permulti dicerent, fugæ initium a prætore ortum, tanta ira accensa est, ut capite anquirendum concio acclamaret.* Item de eodem: *Cum Sempronius tribunus pl. bis pecunia anquisisset, tertio capitis se anquirere diceret, trib. pl. appellati, cum collegæ negarent, se in mora esse, quo minus quod ei more majorum permissum esset, seu legibus, seu moribus mallet, anquireret, quoad capitis vel pecuniæ judicasset privato, tum Sempronius perduellionis se judicare Cn. Fulvio dixit.* & de T. Mænonio: *In mulcta temperarunt tribuni. cum capitis anquisissent, duo millia æris damnato mulctam dixerunt.* Item: *Mulcta duumviro dicta a pontifice, deque ea, cum provocasset, certatum ad populum.* Item: *Tribuni pl. ducentum millium æris mulctam M. Postumio dixerunt.* Dum autem accusator agebat, reus sub Rostris abjectus adolescentum conviciis expositus stabat. Livius: *Gracchus tribunus pl. decrevit, se Scipionem absentem accusari non passurum, & si affuerit, & se appellet, auxilio ei futurum, ne caussam dicat. P. Scipionem sub Rostris stare, & præbere aures adolescentum conviciis, populo Rom. magis deforme, quam ipsi esse.* Ex quo apparet, magistratus non minus accusationi, quam citationi rei intercedere potuisse.

CAP. XI.

De mulctæ pœnæve irrogatione.

POSTQUAM autem accusator tertiam accusationem perfecerat, tum rogationem scriptam promulgabat, in qua crimen & pœnam, mulctamve comprehendebat. Erat autem lege vetitum, ut inquit Cicero pro domo, *ne pœna capitis cum pecunia* F *conjungeretur*, duabus, ut puto, de caussis; una, quod de capite centuriatis comitiis agebatur, de mulcta tributis; altera, ne populo necessitas imponeretur, ut aut utramque juberet, aut utramque repudiaret. Rogatio vero per trinas nundinas promulgata manebat, ut populo nota fieret, antequam de ea judicaret. Hæc actio accusatoris, mulctæ pœnæve irrogatio; judicatio populi, mulctæ pœnæve certatio dicta est. Cicero libro III. de legibus: *Cum magistratus judicasset, irrogassitve, per populum mulctæ pœnæ certatio esto.* Suetonius in Tiberio: *Salinator tribus Romanas in censura notavit, quod cum se*

post priorem consulatum mulcta irrogata condemnassent, consulem iterum fecerant. Asconius: *Diem ei dixit ad populum, mulctamque irrogavit, quod ejus opera multa sacra populi Roman. diminuta esse diceret*. pro Milone: *Diem mihi credo dixerat, mulctam irrogarat, actionem perduellionis intenderat*. pro Rabirio: *Quid ego ad id longam orationem comparem, quod est in eadem mulctæ irrogatione perscriptum, hunc nec suæ neque alienæ pudicitiæ pepercisse*. Rogatio autem dicebatur, quod de ea rogandus erat populus; irrogatio, quod adversus reum conscripta esset. Unde Cicero pro domo: *Privilegium pertimui, ne mihi præsenti si mulcta irrogaretur, nemo intercederet*. Idem autem etiam erat dicere mulctam. Livius de M. Postumio: *Tribuni pl. ducentum millium æris mulctam M. Postumio dixerunt. cujus certandæ cum dies advenisset*. Cicero in Antonium: *Crassus consul Flacco collegæ mulctam dixit, quam mulctam populus Rom. remisit*. Erat autem formula irrogationis eadem, atque anquisitionis. nam utraque & crimen, & pœna comprehendebantur. sed in anquisitione res verbo peragebatur, in irrogatione scripto.

CAP. XII.

De quarta accusatione, & defensione.

Cum igitur irrogatio per tres nundinas promulgata mansisset, tum tertiis ipsis nundinis accusator rursus in Rostra conscendit, ac rursus citato reo quartam accusationem instituit. quam Cicero pro domo quartam accusationem trinum nundinum appellavit. eaque perfecta potestatem reo ad caussam dicendam fecit. Unde Dionysius scripsit: *Dies a tribuno pl. Marcio reo ad caussam dicendam tertiæ nundinæ præfinitæ*. Ubi vero reus caussam dicturus, atque accusationi responsurus erat, tum aut ipse, aut patronus ejus permissu accusantis magistratus in Rostra ascendebat, atque inde agebat. Ex quo memorabile illud in Cæsare prætore, de quo Cicero ad Atticum: *Cæsar, qui olim, prætor cum esset, Q. Catulum ex inferiore loco jusserat dicere, Vectium in Rostra produxit*. Reus autem, aut rei patronus non solum crimina diluere oratorio artificio contendit, sed etiam caussam suam populo virtutibus suis commemorandis commendavit. Eliciuntur hæc ex judicio M. Manlii, & P. Scipionis apud Livium: *Cum dies venit*, inquit, *quæ præter cœtus multitudinis, seditiosasque voces, & largitionem, & fallax indicium pertinentia proprie ad regium crimen ab accusatoribus objecta sunt reo, apud neminem auctorem invenio. Manlius homines prope quadringentos produxisse dicitur, quibus sine fœnore expensas pecunias tulisset. quorum bona venire, quos duci addictos prohibuisset. ad hæc decora quoque belli non commemorasse tantum, sed etiam protulisse conspicienda spolia hostium cæsorum ad triginta, dona imperatorum ad triginta*, & quæ sequuntur. Item: *Ubi dies dicendæ caussæ venit, Scipio jussus dicere caussam sine ulla criminum mentione orationem magnificam de rebus a se gestis est exorsus. tribuni pl. vetera luxuriæ crimina Syracusanorum hibernorum, & Locris Pleminianum tumultum cum ad fidem præsentium criminum rettulissent, suspicionibus magis, quam argumentis pecuniæ captæ reum accusarunt*. Eodem modo Cicero in secundo de oratore C. Carbonem consulem caussam L. Opimii defendisse scribit, ac jure C. Gracchum cæsum contendisse. Extat præterea oratio, qua idem C. Rabirium perduellionis reum defendit, ex qua quæ ratio defensionem ad populum fuerit, elucescit. Asconius: *Q. Varius tribunus pl. belli concitati crimine adesse apud se Scaurum jussit anno* LXXII. *ille per viatorem accersitus processit in forum. deinde accepto respondendi loco dixit: Q. Varius Hispanus M. Scaurum principem senatus socios in arma ait concitasse. M. Scaurus princeps senatus negat. testis nemo est. utri vos Quirites convenit credere? qua voce ita omnium commutavit animos, ut ab ipso etiam tribuno dimitteretur*.

CAP. XIII.

De die judicio indicenda & auxiliis reorum.

Quarta inde accusatione absoluta magistratus accusator diem comitiis edixit, quibus rogationem, quam per tres nundinas promulgatam habuerat, ferret. Ea vero res acta est in hunc modum. Si tribuni pleb. mulctam irrogarant, diem comitiis tributis dicebant, quod ipsi pro potestate poterant; si perduellionem, diem centuriatis comitiis a prætore urbano poscebant. Unde Cicero pro domo: *Cæso ille Quinctius, & M. Furius Camillus, & C. Servilius Ahala damnati comitiis centuriatis, cum in exilium profugissent, ab eodem populo in suam pristinam dignitatem sunt restituti*. Hos vero satis constat, reos a tribunis pleb. esse factos. Livius libro XLIII. *Tribunus pl. utrique censori perduellionem se judicare pronunciavit. diemque comitiis a C. Sulpicio prætore urbano petiit*. & Antias libro XLV. teste Gellio libro VI. *Licinius tribunus pl. perduellionis ei diem dixit, & comitiis diem a Q. Marcio prætore poposcit*. Sin autem consul, atque prætor mulctam irrogarunt, tributa comitia; si perduellionem, centuriata indixerunt: quanquam harum actionum rara exempla sunt.

Interea vero dum hæc ad rei exitium parabantur, multa auxilia ipse sibi quærere poterat. quorum unum a magistratibus, alterum a populo, tertium a lege, quartum ab ipso accusatore profectum est. A magistratibus auxilium latum est, si tribuni pl. aut collegæ accusatori, aut alteri magistratui intercessissent, ne reum citaret, ne in carcerem duceret, ne accusaret, ne pœnam irrogaret, ne comitia ei judicio haberet, aut si ei diem accusationis, & judicii produxissent. hæc enim omnia facere pro arbitratu potuerunt. Livius de Scipione: *Tribuni pl. appellati ita decreverunt, ut si morbi caussa excusaretur, sibi placere, accipi eam caussam, diemque a collega produci. Gracchus tribunus pl. decrevit, se Scipionem absentem accusari non passurum, & si affuerit, & se appellet, auxilio ei futurum, ne caussam dicat*. & de Fulvio: *Tribuni pl. appellati, cum collegæ negarent, se in mora esse quominus, quod ei more majorum permissum esset, seu legibus, seu moribus mallet, anquireret*. & Cicero pro domo: *Pertimui, ne mihi præsenti, si mulcta irrogaretur, nemo intercederet*. Decretum Gracchi, cujus meminit Livius, est apud Gellium libro VII. hoc modo: *P. Scipio Africanus postulavit pro L. Scipione Asiatico fratre, cum contra leges, contraque morem majorum tribunus pl. hominibus accitis per vim inauspicato sententiam de eo tulerit, mulctamque nullo exemplo irrogaverit, prædesque eum ob eam rem dare cogat, aut si non det, in vincula duci jubeat, ut eum a collegæ vi prohibeamus*. & *Quod contra collega postulavit, ne sibi intercedamus, quominus suapte potestate uti liceat, de ea re nostrum sententia omnium data est. Si L. Cornelius Scipio Asiaticus collegæ arbitratu prædes dabit collegæ, ne eum in vincula ducat, intercedemus. Cum autem Augurinus tribunus pleb. L. Scipionem prædes non dantem prehendi, & in carcerem duci jussisset, tum Gracchus ita decrevit: Cum L. Cornelius Scipio Asiaticus triumphans hostium duces in carcerem conjectaverit, alienum videtur esse a dignitate populi Rom. in eum locum Imperatorem populi Rom. duci, in quem locum ab eo conjecti sunt duces*

hostium. itaque L. Cornelium Scipionem Asiaticum a collegæ vi probibeo.

Populare autem auxilium significavit Cicero, cum dixit, *multas res ad placandum, atque ad misericordiam esse concessas, exorabilem populum, facilem pro salute supplicationem fuisse.* significat autem humiles reorum preces, atque cognatorum, amicorumque pro iis supplicationes, & prensationes. Etenim cum ipsi die sibi dicta mutata veste sordidati, ac barba, & capillo promisso prensarunt populum, tum nobiles etiam, qui idem pro se facerent, habuerunt. Livius: *App. Claudio tribuni pl. diem dixerunt. nunquam antea tam invisus plebi reus ad judicium vocatus populi est. senatus eum perpellere non potuit, ut vestem mutaret, ac supplex prensaret.* item: *Virginius tribunus pleb. Appio diem dixit. C. Claudius patruus cum gentilibus, clientibusque in foro prensabat singulos.* item: *Tribuni pleb. diem Manlio dicunt. commota plebs est utique postquam sordidatum reum viderunt. nec cum eo non modo patrum quemquam, sed ne cognatos quidem, aut affines, postremo ne fratres quidem, quod ad eam diem nunquam usu venisset, ut in tanto discrimine non etiam proximi vestem mutarent.* Gellius libro III. *Scipioni Æmiliano dies dicta est ad populum a Claudio Asello tribuno pleb. is cum esset reus, neque barbam desiit radi, neque non candida veste uti, neque fuit solito cultu reorum.* Recte. tum enim vulgo barbam radebant, & quotidiana toga alba fuit. quare in reatu atram induebant. Ceterum, ut inquit Festus, *cum reus populum comitiis oraverat per deos, ut eo periculo liberaretur, jubebat magistratus eum resecrare, id est, populum religione absolvere. ut ita demum populus religione teneretur, si is, qui per deos oraverat, insons, innocensque esset.*

Tertium vero auxilium, quod a lege præbitum est, fuit duplex, auspicia, & excusatio. Unde Cicero dixit: *Si qua res diem judicii aut auspiciis, aut excusatione sustulisset, totam caussam judiciumque sublatum esse.* Quod autem auspiciis inquit judicium discussum esse, comprobatur exemplo P. Clodii, qui, ut inquit Valerius, objectus populo cum effugere debitam pœnam non posset, subito coorti imbris beneficio tutus fuit a damnatione. *discussa enim quæstione aliam, velut diis interpellantibus, deintegro instaurari non placuit.* & Livius libro XL. *De mulcta certatum ad populum. Cum plures jam tribus introvocatæ dicto esse audientem pontifici duumvirum juberent, mulctamque remitti, si magistratu se abdicasset, vitium de cælo, quod comitia turbaret, intervenit.* Excusationis autem ratio fuit hujusmodi. Citato reo licuit non adesse, si excusaretur. Excusatio vero aut morbi fuit, aut exilii voluntarii, aut funeris curandi; morbi, ut in P. Scipione, de quo Livius: *P. Scipio die longiore producta in Liternum concessit certo consilio, ne ad caussam dicendam adesset. major animus & natura erat, ac majori fortunæ assuetus, quam ut reus esse sciret, & submittere se in humilitatem caussam dicentium. ubi dies venit, citarique absens cœptus est, L. Scipio fratri morbum caussam esse, cur abesset, excusabat. quam excusationem qui diem dixerant, cum non acciperent, tribuni pl. appellati ab L. Scipione ita decreverunt: ut si morbi caussa excusaretur, sibi placere accipi eam caussam, diemque a collegis produci. Gracchus cum vetuisset, nomen suum decreto collegarum ascribi, ita decrevit: Cum L. Scipio excuset morbum esse caussam fratri, satis id sibi videri, se P. Scipionem, priusquam domum redisset, accusari non passurum.* Exilii, ut Cæsoni Quinctio: de quo idem: *Judicii die cum excusaretur solum vertisse exilii caussa, nihilominus Virginio comitia habente collegæ appellati dimisere concilium.* Funeris, ut Cicero pro Rabirio perduellionis reo: *Cum ad judicii moram familiaris funeris excusatio quæretur.*

Quartum præsidium ab accusatore petitum est. id autem fuit, quoties accusator accepta excusatione, aliave de caussa aut diem produxit, aut omnino incœpto destitit, ut de Appio Livius: *Appius adeo constantia sua tribunos obstupefecit, ut diem ipsi sua voluntate producerent.* & de Scipione: *Orationibus in noctem perductis dies producta est.* & de P. Manlio: *Filius tribunum jurare mortem intentans coegit, se patris sui accusandi caussa concilium pleb. nunquam habiturum juravit, & præ se deinde tulit, ea vi subactum incœpto destitisse.* & de Acilio: *Centum millium æris mulcta Acilio irrogata erat. bis de ea certatum est, tertio, cum de petitione destitisset reus, nec populus de mulcta ferre suffragium voluit. & tribuni eo negocio destiterunt.* item de Milonis judicio intentato a Clodio Cicero ad fratrem: *Ante diem tertium Nonas Milo affuit. ei Pompejus advocatus venit. dixit Marcellus a me rogatus. honeste discessimus, producta dies est in VIII. Idus. Ante diem VIII. Idus Milo affuit. dixit Pompejus, sive voluit. nam, ut surrexit, operæ Clodianæ clamorem sustulerunt. idque ei perpetua oratione contigit, non modo ut acclamatione, sed ut convicio, & maledictis impediretur. surrexit Clodius. ei tantus clamor a nostris, ut neque mente, neque lingua, neque ore consisteret. res in posterum dilata est. Clodius in Quirinalia produxit diem.* Ceterum formula dimittendi rei fuit: *Non moror.* Livius libro IV. *Tum Hortensius, Non videbit, inquit, plebs Romana sordidatos tribunos suos. C. Sempronium nihil moror.*

CAP. XIV.

De evocando reo.

QUOD si reus per præconem ex Rostris citatus ab accusatore non affuisset, in arcem, & ante fores per cornicinem evocabatur. Scriptum hoc est, licet obscure, apud Varronem libro V. de lingua Latina: *Indicat*, inquit, *commentarium vetus anquisitionis M. Sergii Manii filii quæstoris, qui capitis anquisivit Trogum. in quo sic est: Auspicio orando sede in templo auspicii, dum aut ad prætorem, aut ad consulem mittas auspicium petitum cum eat, præco reum vocet ad se, & eum de mœris vocet. præconi id imperare oportet. cornicinem ad privati januam, & in arcem mittat, ubi canat classicum T. Trogo, & comitia edicat e Rostris. argentarii tabernas occludant, patres censeant, exquiras, & adesse jubeas.* & paulo post: *Qui de censoribus classicum ad comitia centuriata redemptum habent, uti curent eo die, quo die comitia erunt, in arce classicum canat, tum circumque mœros, & ante privati hujusce T. Quinctii Trogi scelerosi hominis ostium canat, & ut in campo prima luce adsit.* Item Plutarchus in Gracchis: *Moris est Romanis, si quis capitis anquisitus non adsit, cornicinem summo mane ad fores ejus venientem classico evocare, neque prius de eo judices sententias ferre.* Tacitus lib. II. *In P. Marcium consules extra portam Esquilinam, cum classicum canere jussissent, more prisco animadvertere.* Inde, si ne ita quidem affuisset reus, exilium ei sciscebatur. aut si exilii caussa solum vertisset, ei justum id esse exilium jubebatur. Livius de Postumio: *Postumius vadibus dabis non affuit, tribuni vocaverunt plebem, quæ ita scivit: Si M. Postumius ante Kalendas Majas non prodisset, citatusque eo die non respondisset, neque excusatus esset, videri eum in exilio esse.* & de Fulvio: *Priusquam dies comitiorum aderat, Cn. Fulvius Tarquinios abiit. id ei justum exilium esse scivit plebs.* Quo loco notandum est, quicunque citati non affuissent, iis exilium esse jussum tributis comitiis, non centuriatis, quamvis centuriatis tantum de capite ageretur, ut diximus; si præsentes fuissent, cen-

turiatis opus fuisse. Quare ne hac quidem ratione defendi Clodius potuit, qui Ciceronem neque citatum, neque excusatum, & absentem tributis in exilium pepulit, ut ipse pro domo queritur.

CAP. XV.

De rogatione ferenda, & judicio faciendo.

UBI vero summus judicii dies est constitutus, tum magistratus, qui accusaverat, & propterea comitia indixerat, reum per præconem rursus citavit, ac populum advocavit. Reque agi cœpta populum in tribus, aut in centurias discedere jussit, omnibus rebus observatis, quæ in habendis comitiis solennes erant. quæ repetere non est hoc loco necesse. Inde Rogationem per scribam recitari populo jussit, de qua suffragia populum ferre oportuit. ac demum populum, num eam acciperet, rogavit. Formula rogandi fuit: *Rogo vos, Velitis jubeatis ne, ut M. Tullio aqua & igni interdicatur, quod falsum senatusconsultum rettulerit, quod cives Rom. indicta caussa necandos curarit.* sic enim & pœna, & crimen, quæ erat pœnæ caussa, rogabatur. Cicero pro domo: *Quæro quid sit aliud proscribere, Velitis, jubeatis, ut M. Tullius in civitate ne sit, bonaque ejus ut mea sint. ita enim fecit, etsi aliis verbis tulit.* & paulo post: *At quid tulit legum scriptor peritus? ut M. Tullio aqua & igni interdictum sit; non tulit, ut interdicatur. quid ergo? ut interdictum sit. Quid si his verbis scripta est ista proscriptio, ut se ipsa dissolvat? est enim: Quod M. Tullius falsum S.C. rettulerit.* Item: *Tulisti de me ne reciperer, non ut exirem. ubi cavisti, ne meo loco censor in senatum legeret? quod de omnibus etiam, quibus damnatis interdictum est, scriptum est in legibus.* & post: *In me, cui dies dicta nunquam est, qui reus non fui, qui nunquam sum a tribuno pl. citatus, damnati pœna esse potuit ea præsertim, quæ ne ipsa quidem rogatione perscripta est?* Recitata rogatione, & rogato populo populus in suffragia mittebatur ab eodem illo, qui rogator comitiorum erat, eo modo, qui in legibus ferendis, & magistratibus creandis observabatur. scilicet ut per pontes in septa transirent. & ad pontes tabellas sententiæ suæ indices custodibus comitiorum darent. Asconius in Cornelianam: *Domitius tribunus pleb. Silanum ad populum accusavit, criminatus bellum cum Cimbris injussu populi gessisse. ac de eo tabellam quoque dedit.* Est autem repetendum, primis temporibus suffragia in judiciis ferri voce solita. Anno vero DCXVI. L. Cassius tribunus pleb. legem tulit, ut in omnibus judiciis præterquam perduellionis populus tabella suffragium ferret. neque ita multo post Cœlius idem etiam in perduellione servari voluit, ut in libris de jure civium Rom. diximus. cum autem populus legem accipiebat, rogatus nihil aliud respondebat, nisi *Volo, Jubeo, uti rogas*; aut tabellam dabat, in qua scriptum erat, *Uti rogas*: quo facto condemnasse dicebatur, aut se rogationem antiquare significabat, quo pacto pœnam remittere, & absolvere demonstrabat. Cicero pro domo: *Tu jure munitam civitatem, & libertatem nostram putas esse oportere, ut si tribuno pl. rogante, Velitis, jubeatisve, Seduli centum, se velle, & jubere dixerint, possit unusquisque nostrum amittere civitatem?* Livius libro XLIII. *C. Lucretium, ubi dies, quæ dicta erat, venit, tribuni ad plebem accusarunt, mulctam decies centum millium æris dixerunt. comitiis habitis omnes quinque & triginta tribus eum condemnarunt.* Item: *Prior Claudius caussam dixit. & cum ex decem & octo centuriis equitum octo condemnassent, multæque aliæ primæ classis, extemplo principes civitatis in conspectu populi annulis aureis positis vestem mutarunt, ut supplices plebem circumirent. maxime tamen sententiam mutasse dicitur Ti. Gracchus, quod clamor undique plebis esset, periculum Graccho non esse, conceptis verbis juravit, si collega damnatus esset, non expectato de se judicio comitem exilii ejus futurum. adeo tamen ad extremum spei venit, ut octo centuriæ ad damnationem defuerint.* Asconius: *Scaurus ita absolutus est, ut a tribus tribubus damnaretur, a triginta duabus absolveretur, & in eis pauca puncta inter damnationem, & absolutionem interessent.*

Illud etiam post reges exactos in perduellione, id est, in mortis pœna retentum est, ut duumviri crearentur, qui perduellionem judicarent. resque inde per provocationem ad populum transferretur. Meminit hujus consuetudinis Livius in judicio Manlii ita scribens libro VI. *Sunt qui duumviros, qui de perduellione anquirerent, creatos auctores sint.* & Dio in consulatu Ciceronis: *Tulit*, inquit, *T. Labienus tribunus pleb. ut duumviri crearentur, qui Rabirio perduellionem judicarent, quod Saturninum tribunum pleb. in tumultu civitatis occiderat. atque duumviri tum a prætore urbano, non, ut moris erat, a populo Cajus, & Lucius Cæsares constituti perduellionem ei judicarunt. verum cum provocasset ad populum, a Cicerone consule oratione, quæ extat, defensus evasit, consilio Metelli Celeris prætoris, & auguris, qui vexillo e Janiculo remoto populi scitum, qui in campo centuriatim judicabat, irritum fecit. nec Labienus eam quæstionem instaurare alio die curavit.* Hanc autem judicii formam vetustate obsoletam se consule a Labieno tribuno pl. relatam contendit Cicero in oratione ipsa pro Rabirio: *De perduellionis judicio, quod a me sublatum criminari soles, meum crimen est, non Rabirii. Quod utinam, Quirites, ego id aut primus, aut solus ex hac rep. sustulissem. utinam quod ille crimen esse vult, proprium testimonium meæ laudis esset. quid enim optari potest, quod ego mallem, quam me in consulatu meo carnificem de foro, crucem de campo sustulisse? sed ista laus est propria majorum nostrorum, qui expulsis regibus nullum in libero populo vestigium crudelitatis regiæ retinuerunt. deinde multorum virorum fortium, qui vestram libertatem non acerbitate suppliciorum infectam, sed lenitate legum munitam esse voluerunt.* & post: *Namque hæc tua, I lictor, colliga manus, ista sunt cruciatus carmina, quæ libentissime commemoras, Caput obnubito, arbori infelici suspendito. quæ verba, Quirites, jampridem in hac rep. non solum tenebris vetustatis, verum etiam luce libertatis oppressa sunt.* Atque hæc quidem, sive de mulcta, sive de capite, sive de perduellione tributis, aut centuriatis comitiis ageretur, hoc modo acta sunt.

CAP. XVI.

De animadversione.

JUDICIO facto suscepta est animadversio. Hæc in cæteris pœnarum generibus eodem modo in populi judicio facta est, atque in prætorio. De quibus supra satis dictum esse videtur. Nunc, quod reliquum est, de servitute, & nece dicamus.

Servitus, ut diximus, per venditionem inducta est. Venditio vero, quæ & auctio dicta est, sub hasta est facta, magistratu ei, qui pluris licitatus esset, hominem addicente. Varro, teste Nonio: *Manius Curius consul in Capitolio cum delectum haberet, nec citatus in tribu civis respondisset, vendidit tenebrionem.* Idem scribit, & multo clarius Valerius: *Curius conjectis omnibus in sortem tribubus primum nomen urna extractum citari jussit. neque eo respondente bona adolescentis hastæ subjecit. Quod ut illi nunciatum est, ad consulis tribunal concurrit, collegiumque tribunorum appellavit. Tum Curius & bona ejus, & ipsum vendidi:*

Necis autem genera hoc modo suscepta sunt. Percussio securi facta est per lictorem prægressa verberatione, quæ virgis adhibebatur. Livius libro secundo: *Stabant deligati ad palum nobilissimi juvenes. consules in sedem processere suam, missique lictores ad sumendum supplicium nudatos virgis cædunt, securique feriunt*. Eadem ratio servata in aliis, ut in Campanis, libro XXVI. *Producti omnes virgisque cæsi, ac securi percussi. inde citato equo Cales proconsul percurrit. ubi cum in tribunali consedisset, productique Campani deligarentur ad palum, præconi imperat, ut lege agere juberet. Ita de iis quoque sumptum supplicium*.

B Jam vero strangulatio, quæ laqueo fiebat, & præcipitatio, quæ de Robore, ambæ suscipiebantur in carcere. Carceris vero duæ præcipue fuere partes, Tullianum & Robur. Tullianum a Ser. Tullio rege est additum. de quo Sallustius: *Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur, ubi paulatim ascenderis ad lævam, circiter XII. pedes humi depressus. eum muniunt undique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus juncta, sed inculta tenebris, odore fœda, atque terribilis ejus facies est*. de Robore sic Festus: *Robur dictus est in carcere is locus, quo præcipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robusteis includebatur*. C Carceris vero cura triumviris erat commissa, ut eorum interventu supplicium sumeretur. Pomponius D. de origine juris: *Triumviri capitales constituti, qui carceris custodiam haberent, &, cum animadverti oporteret, interventu eorum fieret*. Unde Cicero quoque sanxit in Legibus: *Vincula sontium servanto, capitalia vindicanto*. & in Catilinam dixit: *Carcerem vindicem nefariorum, ac manifestorum scelerum majores nostri esse voluerunt*. His cognitis, dico strangulationem factam esse in Tulliano, præcipitationem vero de Robore, utrumque autem per carnificem jussu triumviri capitalis. Audimus Sallustium: *In Tullianum postquam demissus est Lentulus, judices reum capitalium, quibus præceptum erat, laqueo gulam fregerunt*. D & Ciceronem in Vatinium: *Quæro, fregeris ne in carcere cervices illi ipsi Vectio, ne quod judicium corrupti judicii extaret?* Valerius autem de præcipitatione testis est, lib. VII. *Quin etiam familiares Gracchorum, ne quis reipubl. inimicus amicus esse vellet, de Robore præcipitati sunt*. Livius libro XXXVIII. *Ut in carcere vir clarissimus inter fures, & latrones includatur, & in Robore, ac tenebris expiret*. & libro VI. *Eum pati vinctum in carcere in tenebris obnoxiam carnificis arbitrio ducere animam*. Plautus in Curculione: *At ego faciam vos ambo in Robusto carcere ut pereatis*. E De triumviro quoque illud est apud Valerium libro sexto: *Mulierem damnatam prætor triumviro necandam in carcere tradidit. quam receptam is, qui custodiæ præerat, misericordia motus non protinus strangulavit, aditum etiam filiæ dedit, sed diligenter excussæ, nequid cibi inferret, existimans futurum, ut inedia consumeretur. cum vero animadvertisset, filiam lactis sui præsidio sustentantem, rem ad triumvirum, triumvir ad prætorem, prætor ad consilium judicum pertulit, & remissionem pœnæ mulieri impetravit*. Dejectio item e rupe, sive e saxo Tarpejo per carnificem facta est, prægressa verberatione jussu magistratus, eoque supplicio liberi homines affecti, ut scribit libro tertio Civilium Appianus. F Gellius tamen libro decimo cap. XVIII. posuit: *Decemviri servos manifesti furti prehensos verberibus affici, & de saxo præcipitari jusserunt*. Livius libro sexto: *Manlium tribuni de Saxo præcipitarunt*. id est, præcipitari jusserunt. Ut autem liberi de Saxo dejiciebantur, sic servi in crucem agebantur. Cicero decimo tertio ad Atticum: *O mirificum Dolabellam meum. magnam ἀναθεώρησιν res habet. de Saxo. in crucem*. & in prima in Antonium: *Talis animadversio fuit Dolabellæ, cum in audaces sceleratosque servos, tum in* A *impuros nefariosque liberos*. nimirum servos in crucem actos significans, liberos de Saxo præcipitatos. Hoc etiam supplicium interventu triumviri per carnificem sumptum est. Valerius libro octavo: *Fannii servus Alexander, cum in summam venisset suspicionem C. Flavii equitis Romani occisi, septies tortus pernegavit ei se culpæ affinem esse; sed perinde atque confessus, & a judicibus damnatus, & a L. Calpurnio triumviro in crucem actus est*. Opera vero carnificis triumvirum id fecisse crediderim, siquidem Cicero in oratione pro Rabirio gloriatur, se carnificem de foro, crucem de campo sustulisse. De verberatione testatur idem in primo de Divinatione: *Servus per circum cum virgis cæderetur furcam ferens ductus est*. Verberatio vero fiebat per lictorem. Unde erant illa solemnia: *I lictor, colliga manus, verberato, caput obnubito, arbori infelici suspendito*. Erant autem crux, patibulum, & arbori infelici suspensio idem. Sallustius, teste Nonio: *Notissimus quisque aut malo dependens verberabatur, aut immutilato corpore improbi patibulo eminens affigebatur*. Isidorus libro quinto: *Patibulum vulgo furca appellatur: sed patibuli minor pœna, quam crucis. nam patibulum appensos statim exanimat, crux autem affixos diu excruciat*.

De culleo, & profluente satis supra dictum est. Aliquando etiam contumeliæ caussa cadavera in Tiberim, aut in scalas Gemonias projecta. cujus rei exempla non desunt. His de extremo supplicio explicatis, quoniam supra de tormentis egimus, hic de torquendi instrumento, quod Eculeum dixerunt, nonnulla subjiciemus.

CAP. XVII.

De tormentis in eculeo.

QUIS vero, aut qualis eculeus fuerit, qui inter antiqua tormentorum genera numeratur, nemo adhuc litteris prodidit. Quantum autem ex veterum non levissimis elici monumentis potest, eculeus catasta fuit lignea, cochleata, ad intendendum ac remittendum apta, atque ad torquendos homines, ut facti veritas eliceretur, instituta. Tormenti vero genus erat hujusmodi: Ubi catastæ huic brachia, pedesque ejus, qui torquendus erat, nervis quibusdam, quæ fidiculæ dicebantur, alligaverant, tum catasta intenta, atque in altum erecta, ut ex eo quasi ex cruce quadam miser ille penderet, primum compagem ipsam ossium illius divellebant, deinde candentibus ejusdem corpori laminis admotis, atque bisulcis ungulis ferreis lateribus laniatis doloris acerbitatem augebant.

Ac catastam quidem ligneam, atque in altum erigi solitam fuisse, ostendunt aperte Sozomenus Hist. Ecclesiasticæ libro v. & Prudentius in hymno D. Vincentii martyris, quorum ille eculeum *lignum tortorium*, hic *stipitem noxialem* appellat. Siquidem inquit Sozomenus: Καὶ προσαγων πρὸς τὸ βασανιστήριον ξύλον αἰωρεῖσθαι προσέτταξεν· id est, *Et cum ad tortorium lignum adduxisset, in sublime tolli jussit*. & Eusebius Hist. Eccl. lib. v. τὰς ἐν τῷ ξύλῳ διατάσεις τῶν ποδῶν· id est, *Pedum extensiones in ligno*. Prudentius autem:

Incensus hic Asclepiades jusserat
Eviscerandum corpus eculeo eminus
Pendere.

& paulo post:

Jubet amoveri noxialem stipitem,
Plebeja clarum pœna ne damnet virum.

At paulo post, qui in eculeum esset conjectus, ex eo, quasi ex alto ligno pependisse, ostendit multo apertius, cum eundem martyrem ex eculeo ita vociferantem inducit:

Audite cuncti, clamo, ac prædico,
Emitto vocem de catasta celsior.

Eandem autem machinam cochleatam fuisse, ex versu veteris poetæ Pomponii elicitur, qui a Nonio Marcello profertur:

Et ubi insilui in cochleatum eculeum,
Ibi tolutim tortor: id est, torqueor.

Quod autem brachiis, pedibusque eculeo fidiculis alligatis eculeus distentus ossium commissuras cum dolore distraxerit, ex multis locis cognoscitur, primum ex eodem hymno, ubi ita tyrannus imperat:

Vinctum retortis brachiis
Sursum ac deorsum extendite,
Compago donec ossium
Divulsa membratim crepet.

deinde ex hymno D. Romani martyris, in quo martyr ipse ita ex eculeo loquitur:

Miserum putatis, quod retortis pendeo
Extentus ulnis, quod revelluntur pedes,
Compago nervis quod sonat crepantibus.

& Asconio: *De servo Alicore quæstio ita habita, ut is articulatim consecaretur.*

Quibus verbis satis, quæ figura fuerit ejus, qui in eculeo torqueretur, ostenditur, cum se pendere brachiis, pedibusque retortis extentum ait, nervis scilicet, quibus devincta membra erant, propter summam intentionem crepantibus: His autem addere possumus etiam Suetonium de Tiberio ita scribentem: *Excogitaverat inter genera cruciatus etiam, ut larga meri potione per fallaciam oneratos repente veretris deligatis, fidicularum simul, urinæque tormento distenderet.* Ex quibus apparet, nullum alium cruciatum a fidiculis, quibus membra eculeo adhærebant, nisi distensionis esse profectum. Unde Isidorus non omnino malus auctor antiquitatis jure suo, eculeum dictum, *quod extenderet*, scripsit. Eusebius autem summe distentum ait, cum ad quintum foramen pervenisset. inquit enim libro v. *τὰς ἐν τῷ ξύλῳ διατάσεις τῶν ποδῶν ἐπὶ πέμπτον διατεινομένων τρύπημα.*

Ut autem incitandi doloris caussa eculeus, aut fidiculæ tendebantur, sic ejusdem remittendi eadem laxabantur. Quocirca Valerius de patientia ita scriptum reliquit: *Zeno cum a Nearcho tyranno torqueretur, esse dixit, quod secreto audire eum maxime expediret, laxatoque eculeo aurem ejus morsu corripuit; atque abscidit. In Theodoro autem Hieronymus tyrannus tortorum manus frustra fatigavit; rupit enim verbera, fidiculas laxavit, solvit eculeum, laminasque extinxit prius, quam efficeret, ut tyrannici odii conscios indicaret.* & Quinctilianus declamatione ultima ita: *An quæstionem illam fuisse credis, qualis vernilibus corporibus adhibetur. Ideo enim eculeum movebam artifex senex, tenebam fidiculas ratione sævitiæ, ut leniter sedibus suis remota compago per singulos artus membra laxaret*, Ex quibus verbis, qui in laxando eculeo leniter fidiculas remisisset, eum aliqua ex parte doloris acerbitati consuluisse apparet.

Postremo vero laminarum candentium, & ungularum effodientium ita multa testimonia extant, ut ea referre putidum magis, quam necessarium esse videatur. Cyprianus ad Donat. *Hasta illic, & gladius, & carnifex præsto est. ungula effodiens latera, & deradens, eculeus extendens, ignis exurens, hominis corpus unum, supplicia plura quam membra.* & de laude martyrii: *Hoc vero quod eculeo corpus extensum candentes stridet ad laminas, non exempti sanguinis, sed tentationis est caussa.* & Prudentius in hymno D. Vincentii:

Extorque, si potes, fidem;
Tormenta, carcer, ungulæ,
Stridensque flammis lamina,
Atque ipsa pœnarum ultima
Mors Christianis ludus est.

& post:

A *Ridebat hæc miles Dei*
Manus cruentas increpans,
Quod fixa non profundius
Intraret artus ungula.

& in hymno D. Romani:

Amor coronæ penæ prævenit trucem
Lictoris artem, sponte nudas offerens
Costas bisulcis execandas ungulis.

& post:

Non ungularum tanta vis latus fodit
Mucrone, quanta dira pulsat pleuresis,
Nec inusta laminis ardet cutis,
Ut febris atro felle venas exedit.

B Et Cicero in Verrem: *Quid cum ardentes laminæ, ceterique cruciatus admovebantur.* Et Seneca libro III. de Ira: *Torserat per omnia, quæ in rerum natura tristissima sunt, fidiculis, tribularibus, & eculeo, igne, vultu suo.* & in Antonium: *Ponite ante oculos vincula, verbera, eculeum, carnificem, tortoremque Samarium.*

Extorquendæ autem de servis veritatis caussa, eculeum adhibitum fuisse, & supra significavimus, cum de quæstionibus diximus, & docet Cicero pro Dejotaro, cum ait: *Cum more majorum de servo in dominum ne tormentis quidem quæri liceat, in qua* C *quæstione dolor veram vocem elicere possit etiam ab invito, exortus est servus, qui quem in eculeo appellare non posset, eum accuset solutus.* pro Milone: *Sed quæstiones urgent Milonem. quibusnam de servis?* item: *Facti quæstio in eculeo, juris in judicio.* Translatus est inde eculeus ad cruciandos homines, & acerbiore supplicio afficiendos. quod in Christianis martyribus patuit.

CAP. XVIII.

De toga.

D Ac de judiciis quidem Romanorum hæc hactenus. Nunc, quoniam dum superiora jura tractavimus, vestitus sæpe, cultusque Romani meminimus, neque satis is nobis locus præsertim alio properantibus est purgatus, pauca hoc loco de toga, tunicaque Romanorum subjicere placet. quæ adeo variatæ sunt, ut cives a peregrinis, viros a pueris, equites a senatoribus, privatos a magistratibus, magistratus ab imperatoribus, separarint.

Toga amictus fuit exterior, a tegendo, ut scribit Varro, corpore appellata. Hæc fuit lanea, semicir-
E cularis, tunica superior, ad talos fluens, eademque aperta. Laneam fuisse, ostendit multis in locis Martialis. Itemque Varro, cum inquit: *Læna quod de lana multa. duarum enim togarum instar.* Semicircularem, docet Dionysius in Prisco, cum scribit, *togam pictam amictum fuisse, non ut Lydorum, quadratum, sed semicircularem, eamque a Romanis togam, a Græcis τήβεννον appellatam.* & Isidorus libro XIX. scribens, *togam pallium esse purum forma rotunda. mensuram vero togæ justæ esse sex ulnas.* Contra vero quadratum fuisse innuit Athenæus libro quinto, cum inquit: *Romani in Asia ut vim Mithridatis effugerent, ad templa confugerunt, & qua-*
F *dratis vestimentis abjectis pallia sumpserunt.* togas autem eas fuisse, Cicero indicat in oratione pro Postumo: *P. Rutilium*, inquit, *facilius certe necessitatis excusatio defendet, qui cum a Mithridate Mitylenis oppressus esset, crudelitatem regis in togatos vestitus mutatione vitavit. ergo ille P. Rutilius, qui documentum fuit hominibus nostris virtutis, antiquitatis, prudentiæ, consularis homo soccos habuit, & pallium.* Tunicæ porro superinjectam, omnia testimonio sunt, præcipue autem quod, ut scribit Gellius libro septimo, antiquitus sine tunicis sola toga amicti fuerunt. &, ut Asconius scripsit in Scauria-

nam: *Cato prætor judicium, quia æstate agebatur, sine tunica exercuit, campestri sub toga cinctus. in forum quoque sic descenderat, jusque dicebat. idque repetierat ex vetere consuetudine, secundum quam & Romuli ætatis statuæ in Capitolio, & in Rostris Camilli fuerunt togatæ sine tunicis.* & quod Plutarchus scribit, Tiberium Gracchum fugientem togam dimisisse, atque in tunica cecidisse. Fluxisse autem eam ad talos, elicitur ex verbis Ciceronis de toga prætexta Quinctii tribuni pleb. loquentis in Cluentiana: *Facite ut non solum mores ejus, & arrogantiam, sed etiam vultum, atque amictum, atque illam usque ad talos demissam purpuram recordemus.* Apertam fuisse, cognoscitur ex Valerio de Nasica loquente libro tertio: *Lævam manum apertæ togæ circumdedit.* & ex eo, quod toga dicebantur amiciri, ipsaque amictus, & amiculum vocabatur. unde idem libro secundo: *Jussit, eum toga laciniis abscissis amictum, discinctaque tunica indutum nudis pedibus adesse.* & Gellius libro XI. *obtentu togæ tanquam se amiciens.*

Hujus porro togæ partes quodammodo fuerunt lacinia & sinus. Laciniæ partes apertæ togæ fuerunt, sinus præcinctæ. Laciniæ meminit Vellejus: *Scipio Nasica circumdata lævo brachio togæ lacinia in Gracchum irruit.* id quod Valerius dixit: *Lævam manum aperta toga circumdedit.* & libro II. *Jussit eum toga laciniis abscissis amictum adesse.*

Cinctura vero, unde sinus profluit, fuit triplex, laxior, astrictior, & cinctus Gabinus. laxior fuit, qua togæ lacinia trahebatur. de qua Macrobius libro II. *Cæsar ita toga præcingebatur, ut trahendo laciniam, velut mollis incederet, ut Sylla tanquam providus dixerit Pompejo, Cave tibi illum puerum male præcinctum.* & de eodem Suetonius: *Cæsarem fuisse cultu notabilem ferunt: usum enim lato clavo ad manus fimbriato. nec ut unquam aliter, quam ut super eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura. unde emanasse Syllæ dictum constat, optimates sæpius admonentis, ut male præcinctum puerum caverent.* & Horatius primo sermonum:

- - - - - Rideri possit eo, quod
Rusticius tonso toga defluit.

Astrictior fuit, qua sinus togæ in anteriori parte conficiebatur. nec toga ad pedes devenire permittebatur. unde alte præcincti pro expeditis dicti. Suetonius de eodem Cæsare jam sene: *Cæsar, cum interficeretur, toga caput obvolvit, sinum sinistra manu ad ima crura deduxit, quo honestius caderet.* & Macrobius: *Hortensius ad speculum se intuens togam corpori sic applicabat, ut rugas non forte, sed industria locatas artifex nodus astringeret, & sinus ex composito defluens lateris modum ambiret.* Frontinus libro quarto: *Piso Titium præfectum cohortis, quod loco fugitivis cesserat, cincto togæ præciso, soluta tunica, nudis pedibus, in principiis quotidie stare jussit.*

De cinctu Gabino sic Isidorus: *Cinctus Gabinus dicitur, cum ita imponitur toga, ut togæ lacinia, quæ post rejicitur, attraheretur ad pectus, ita ut ex utroque latere penderet. ut sacerdotes pingebantur.* Item Servius exponens versum illum:

Ipse Quirinali trabea, cinctuque Gabino
Insignis reserat stridentia limina consul,

inquit: *Gabinus cinctus est toga sic in tergum rejecta, ut una ejus lacinia a tergo revocata hominem cingat. hoc autem vestimenti genere utebatur consul bella indicturus: ideo quia cum Gabii Campaniæ civitas sacris operaretur, bellum subito venit. tum cives accincti togis suis ab agris ad bella profecti sunt, & adepti victoriam. unde hic est ortus mos.* Livius libro VIII. de Decio consule se devovente: *Pontifex eum togam prætextam sumere jussit, & velato capite manu subter togam ad mentum exerta super telum subjectum pedibus stantem dicere.* Mox: *Ipse incinctus cinctu Gabino armatus in equum insiluit, & se in medios hostes immisit.* Item Valerius de religione: *Fabius Gabino cinctu cinctus manibus, humerisque sacra gerens ex Capitolio descendit.* Ex his apparet, quemadmodum sinus præcinctæ togæ pars fuerit. Quin etiam sinus togæ gremium fuit. Unde illud Livii de Fabio legato in senatu Carthaginis: *Sinu ex toga facto.* item: *Sinu effuso.* quod dixit Florus: *Excusso togæ gremio.*

Usus autem togæ proprius Romanorum fuit, ut Græcorum pallium. Itaque Togati pro Romanis dicti, ut Palliati pro Græcis. & fabulæ Togatæ fuerunt, in quibus Romani inducebantur; ut Palliatæ, in quibus Græci. & Galli, atque Hispani, teste Strabone Togati vocati, qui victum, cultumque Romanorum asciverunt. Quare Suetonius: *Augustus*, inquit, *inter varia munuscula togas insuper, & pallia distribuit lege proposita, ut Romani Græco, Græci Romano habitu uterentur.* Cicero pro Rabirio, objectum dixit Rabirio, quod Alexandriæ palliatus fuisset; & Scipioni objectum inquit Livius, quod cum pallio, crepidisque inambulasset in gymnasio. Cicero etiam objecit Verri, quod *steterit soleatus prætor cum pallio purpureo muliercula nixus in littore.* & in Antonium dixit de judice Græco Romæ judicante: *Judex modo palliatus, modo togatus.*

Eadem toga pacis fuit insigne, ut sagum belli: unde togati sagatis oppositi. Etenim in tumultu privati togas, magistratus prætextas ponebant, & saga militaria sumebant. ut idem ostendit eodem in loco. His in universum de toga cognitis, nunc de generibus ejus agamus. fuerunt autem hæc, pura, candida, pulla, prætexta, paludamentum, picta, trabea.

TOGA PURA fuit communis toga hominum privatorum, eorumque virorum. Itaque etiam virilis est appellata. Ac pura quidem dicta, quod albi coloris esset, nulla admista purpura; virilis vero, quia pueris virilem ætatem ingredientibus dabatur. Albam fuisse ostendit Pollux, τήβεννον λευκὸν & ὁλόλευκον appellans. item Martialis, cum ait:

Et toga non tactas vincere jussa nives.

& Papinius:

Nec saltem teneris ostrum juvenile lacertis
Exuit, albentique humeros induxit amictu.

& Gellius qui scribit: *Ssipionem Æmilianum reum ad populum factum candida veste, non autem solito reorum cultu fuisse.* & pura quidem etiam dicta respectu prætextæ, quæ admistam habebat purpuram. itaque a Plutarcho in Bruto dicitur ἀπόρφυρος, id est, expers purpuræ.

Prætexta vero utebantur pueri usque ad annum XVI. qui annus tyrocinii dicebatur, tum vero togam virilem, puramve sumebant in Capitolio. Valerius libro V. *Cotta ipso die, quo togam sumpsit virilem, protinus ut e Capitolio descendit, C. Carbonem accusavit.* Plinius libro VIII. *Tirones recta tunica simul cum toga pura induebantur.* Cicero ad Atticum: *Ego meo Ciceroni Arpini potissimum togam puram dedi.* Suetonius: *Augustus duodecimum annum agens aviam Juliam defunctam pro concione laudavit: quadriennio post virili toga sumpta militaribus donis triumpho C. Cæsaris Africano donatus est.* Seneca primo epistolarum: *Tenes utique memoria, quantum senseris gaudium, cum prætexta posita, sumpsisti virilem togam.* Hæc autem ita totum corpus amicivit, & ita quodammodo impedivit, ut etiam brachium utrumque cohibuerit. Unde loquens Cicero de pueris virilem sumentibus dixit pro Cœlio: *Nobis olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga constitutus.* & Horatius loquens de petitoribus honorum, emere eos debere monuit servum,

- - - - - Lævum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere.

nimi-

nimirum pondus intelligens togæ, quæ brachium manumque cohibebat.

Ceterum cum communis, & quotidiana toga esset alba, tum vero, si petendi honores erant, induebant candidam, eaque signum erat petitionis. Erat autem candida, ut inquit Isidorus, *cui intendendæ albedinis caussa cretam addiderant*. Est enim plus candidum, quam album. Macrobius libro primo: *Mos fuit petitoribus, ut sumpta candida toga nundinis in comitium venirent, & in colle considerent, unde coram possent ab universis videri*. Hinc candidati vocati, de quibus alio loco satis.

Toga vero pulla fuit atri coloris, quam induebant luctus, & reatus caussa. tumque dicebantur veste mutata. In luctu autem atrati, in reatu sordidati appellabantur. De luctu Cicero in Vatinium: *Qua mente fecisti, ut in epulo Q. Arrii cum toga pulla accumberes?* item: *Quis in funere familiari cœnavit cum toga pulla?* item: *Quis unquam cœnavit atratus, cum ipse epuli dominus Q. Arrius albatus esset?* De reatu Livius libro VI. *Tribuni pleb. diem Manlio dicunt. conversa plebs est, utique postquam sordidatum reum viderunt. nec cum eo non modo patrum quenquam, sed ne cognatos quidem aut affines, quod ad eam diem nunquam usu venisset, ut in tanto discrimine non & proximi vestem mutarent*.

Toga vero PRÆTEXTA (hæc enim sequitur) fuit toga alba illa quidem, *sed cui purpura*, ut inquit Macrobius, *erat prætexta*, id est, quæ in ora habebat purpuram, unde eam Græci scriptores *περιπόρφυρον* vocant, id est, circumquaque purpuram habentem. Hæc vero fuit puerorum, magistratuum, sacerdotum, & eorum, qui publicum munus curarent. Hoc ostendit Valerius tribunus pleb. apud Livium libro XXXIV. *Purpura viri utemur prætextati in magistratibus, in sacerdotiis, liberi quoque nostri prætextis purpura togis utuntur; magistratibus in coloniis municipiisque, hic Romæ infimo genere magistris vicorum togæ prætextæ habendæ jus permittemus, nec id ut vivi solum habeant tantum insigne, sed etiam ut cum eo crementur mortui, fœminis duntaxat purpureo usu interdicemus? & cum tibi viro liceat purpura in veste stragula uti, matremfamilias tuam purpureum amictum habere non sines? & equus tuus speciosius instratus erit, quam uxor vestita?* De eadem re sic Macrobius in primo: *Tullus Hostilius rex Romanorum tertius debellatis Etruscis sellam curulem, lictoresque, & togam pictam, atque prætextam, quæ insignia magistratuum Etruscorum erant, primus ut Romæ haberentur, instituit. Sed prætextam illo seculo puerilis non usurpabat ætas. erat enim, ut cetera, quæ enumeravi, honoris habitus. sed postea Tarquinius Priscus rex quintus de Sabinis egit triumphum. quo bello filium suum annos quatuordecim natum, quod hostem manu percusserat, & pro concione laudavit, & bulla aurea, prætextaque donavit, insigniens puerum ultra annos fortem præmiis virilitatis, & honoris. nam sicut prætexta magistratuum, ita bulla gestamen erat triumphantium. Hinc deductus mos, ut prætexta, & bulla in usum puerorum nobilium usurparentur ad omen, & vota conciliandæ virtutis ei similis, cui primis in annis munera ista cesserunt. Alii putant, eundem Priscum, cum is statum civium solertia providi principis ordinaret, cultum quoque ingenuorum puerorum inter præcipua duxisse, instituisseque, ut patricii bulla aurea cum toga, cui purpura prætexeretur, uterentur, sed usque ad eos, quorum parentes equo stipendia justa meruissent. Libertinis vero nullo jure uti prætexta licebat, ac multo minus peregrinis, quibus nulla esset cum Romanis necessitudo. Sed postea libertinorum quoque filiis prætexta concessa est bello Punico secundo. Alii a Romulo hoc institutum rettulerunt, qui primum filium ex Sabinis mulieribus procreatum bulla aurea, ac prætexta insignibus decoraverit. Nonnulli credunt, ingenuis togam prætextam additam, ut ex purpuræ rubore ingenuitatis pudore regerentur*. Valerius cap. de indole: *Statua bullata, & incincta prætexta S.C. puero posita est*. De prætexta magistratuum non est opus pluribus exemplis, quam quæ supra prolata sunt. Hinc prætextati dicti, & qui in ætate essent prætextata, id est, puerili, & qui in magistratu.

Jam vero paludamentum fuit toga imperatoria, non solum purpura, sed cocco etiam, auroque distincta, ut scripsit Isidorus. Plutarchus purpuream, Silius coccineam, ut supra diximus, appellavit. unde Plinius scripsit libro XXVII. *Coccum imperatoriis paludamentis fuisse dicatum*. de eo satis etiam supra est disputatum. Hæc Græco vocabulo chlamys, teste Nonio, appellata. de qua Isidorus: *Chlamys est, quæ ex una parte induitur, neque consuitur, sed fibula infrenatur*. & Valerius libro III. *L. Scipionis statuam chlamydatam, & crepidatam in Capitolio cernimus. quo habitu quia aliquando usus erat, effigiem suam formatam poni voluit. L. quoque Sylla cum imperator esset, chlamydato sibi ac crepidato ambulare deforme non duxit*. Quod si chlamys Græcis non omnino idem, ac paludamentum Romanis fuit, certe tamen & ipsa vestis imperatoria fuit.

Toga vero picta primum purpurea, deinde picta, item palmata, ac triumphalis appellata: purpurea quod tota coloris esset purpurei; picta, quod in ea imagines aliquot acu depictæ essent; palmata, quod victorias cum palmis intextas haberet; triumphalis, quia ea triumphantes ornarentur. Dionysius de Prisco rege loquens *περιβόλαιον πορφυροῦν ποικίλον* vocat, id est, amictum purpureum varium. Plutarchus in Æmilio *ἁλουργίδα χρυσόπαστον*, id est, vestem purpuream auro intextam. Festus: *Picta, quæ nunc toga dicitur, purpurea antea vocitata est, eaque erat sine pictura*. Isidorus lib. XIX. *Toga palmata dicebatur, quam merebantur ii, qui reportabant de hostibus palmas, quæ vocabatur & toga picta, eo quod victorias cum palmis intextas haberet*. Livius lib. XXXI. *Dona ampla data, quæ ferret rex, toga purpurea, & toga prætexta*. Cicero in Antonio: *Cæsar sedebat in Rostris amictus toga purpurea in sella aurea coronatus*. Plutarchus: *Cæsar sedit in foro in tribunali triumphali veste ornatus*. Ausonius in Panegyrico ad Gratianum: *Palmatam, inquis, tibi misi, in qua Divus Constantius parens noster intextus est*.

Præter has omnes erat trabea. hanc etiam ut prætextam quoque, & togam pictam ab Etruscis ad Romanos translatam scribit Florus. *Trabearum*, inquit Servius, *tria genera: unum, quod diis sacratur, & est totum purpureum: alterum, quod est regum, quod est purpureum, sed habet aliquid albi: tertium augurale, & purpura, & cocco mixtum*. De regia trabea sic Isidorus lib. XIX. *Trabea togæ species ex purpura, cocco. qua operti Romanorum reges initio incedebant. hanc primum Romulus invenisse fertur ad discretionem regii habitus*. Dionysius in secundo: *Trabea toga fuit, quæ fibula astringebatur*. ubi vero de Saliis loquitur, trabeas vocat togas *περιπορφύρους*, id est, prætextas punico colore. Plinius lib. VIII. *Trabeis usos reges accepimus*. & libro IX. *Romulus purpura usus est in trabea*. & Plutarchus: *Romulus sedit ἁλουργίδι, id est purpurea veste, ornatus*. Præter reges etiam consules trabeam usurparunt. Virgilius libro VII.

Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis reserat stridentia limina consul.

Claudianus in Panegyrico secundo:

Quo tandem flexus trabeas auctore rogantes
Induerit, fastisque suum concesserit annum.

Livius lib. XXXII. *Consul vere primo in continentem trabeatus ad hostem pergit*. Item equites. Valerius de institutis: *Equites trabeati Idibus Quinctilis transvehi soliti*. Tacitus lib. III. *In funere Germanici atrata plebs, trabeati equites fuerunt*. Hæc de togis, & ea

rum generibus. præter has vero fuit læna, palla, lacerna, & penula.

Læna fuit toga pinguior hiberno tempori apta. Unde Martialis de læna loquens dixit:

Tempore brumali non multum levia prosunt,
Calfaciunt villi pallia vestra mei.

unde proverbium natum est; *Æstate lænam teris.* De hac Varro ita: *Læna quod de lana multa. duarum enim togarum instar. ut antiquissimum mulierum recinium, sic hoc duplex virorum.* Festus: *Læna vestimenti genus, habitus duplicis. quidam appellatam existimant Tusce, quidam Græce, quam χλαίναν dicunt.* Nonius: *Læna vestimentum militare, quod supra omnia vestimenta sumitur.* Virgilius;

Tyrioque ardebat murice læna.

Ibi Servius: *Læna genus vestis est. autem proprie toga duplex, amictus auguralis.* Cicero in Bruto: *M. Popillius cum consul esset, eodemque tempore sacrificium cum læna faceret, quod erat flamen Carmentalis.* Plutarchus in Numa: *Quas ferebant reges lænas, Juba inquit χλαίνας esse.*

Palla toga scenica fuit. Cicero in Antonium: *Tuditanus insanus cum palla & cothurnis nummos populo de rostris spargere solebat.* Suetonius: *Caligula tres consulares super pulpitum collocavit, deinde repente magno tibiarum, & scabellorum crepitu cum palla tunicaque talari prosiluit, ac desaltato cantico abiit.*

Lacerna vero, ut inquit Festus, dicta, *quod capitio sit minor. Hæc utrinque indui potuit, & utrinque rejici*, & fere togæ superjecta est. diversorum vero colorum fuit, nimirum aut albi, aut atri, aut purpurei; usuque varii. nam & imbris caussa, & frigoris adhibita est, ut in circo ludorum caussa, & in castris. Hæc quæ dixi, proximæ probant auctoritates. Martialis libro XIV.

Amphitheatrales nos commendamur ad usus,
Cum tegit algentes nostra lacerna togas.

& in VIII.

O quantos risus pariter spectata movebit
Trita Palatina nostra lacerna toga.

Juvenalis satyra IX.

----- Pingues aliquando lacernas
Munimenta togæ duri crassique coloris.

Item Horatius in quarto:

Spectabat modo solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis,
Cum plebs, & minor ordo, maximusque
Sancto cum duce candidus sederet.

Item;

Quæque Tyron toties epotavere lacernæ.

Plinius libro XVIII. *Virgiliæ nubilo occasu pluviosam hiemem denunciant, statimque augentur lacernarum precia.* Valerius libro II. scribit, Octavium in bello lacernatum fuisse. & Isidorus togatos pro urbanis, lacernatos pro militibus usurpatos scribit. Cicero vero objecit Antonio, quod lacernatus in urbem rediisset, non togatus. *Quod quærebas*, inquit, *quemadmodum redissem, primum luce, non tenebris, deinde cum calceis, & toga, nullis nec Gallicis, nec lacerna.* Quin etiam lacernas pro togis in urbe usurpatas aliquando apparet. Indicat Suetonius cum scribit: *Augustus visa pro concione pullatorum turba negotium dedit ædilibus, ne quem postbac paterentur in foro, circove nisi positis lacernis togatum consistere.* & apud Gellium lib. XIII. Castritius Hadriano imperante quosdam senatores reprehendit, *tunicis, & lacernis indutos, ac Gallicis calciatos, non togatos.*

Extremum præceptum sit de penula. Hæc ex lana alba, aut ex gausape fuit confecta, pluviæ, atque itineris caussa, non togæ, ut lacerna, sed tunicæ superimposita. Lampridius: *Alexander imp. penulis intra urbem frigoris caussa ut senes uterentur, permisit. cum vestimenti genus semper itinerarium, aut pluviæ fuisset.* Nonius: *Penula vestis, quam su-*

A *pra tunicam accipimus.* Varro virgula divina: *Non quærenda est homini, qui habet virtutem, penula in imbri.* Quinctilianus: *Galba penulam roganti respondit, Si non pluit, non est opus tibi; si pluit, ipse utar.* Horatius in epistolis:

Rhodos, aut Mitylenæ pulchra facit, quod
Penula solstitio, campestre nivalibus auris.

Spartianus: *Tribunus pleb. factus Hadrianus ad perpetuam tribuniciam potestatem omen sibi factum asserit, quod penulas amiserit, quibus uti tribuni plebis pluviæ tempore solebant.* De penula gausapina sic Martialis;

B *Is mihi candor inest, villorum gratia tanta,*
Ut me vel media sumere messe velis.

Ac de toga quidem, ejusque generibus, quod ad hunc locum mihi pertinere visum est, hactenus.

CAP. XIX.

De tunica.

TOGÆ vero suppositæ tunicæ plures fuerunt. sed quæ togam proxime attigit, ea proprio nomine TUNICA dicta est. Hæc angustior, & brevior, quam toga, fuit, ac primum sine manicis, C deinde manicata, ac cinctura constricta est. De modo tunicæ Quinctilianus libro XI. *Cui lati clavi jus non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paululum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant. nam infra mulierum est, supra centurionum.* Hinc talares tunicæ, id est, usque ad talos demissæ, semper probro objectæ sunt. De manicis Gellius libro VII. *Tunicis uti virum prolixis ultra brachia, & usque in primores manus, ac prope in digitos Romæ atque omni in Latio indecorum fuit. eas tunicas Græco vocabulo nostri χειροδύτας appellaverunt. fœminisque solis vestem longe lateque diffusam decere existimaverunt ad ulnas cruraque adversus o-* D *culos protegenda. Viri autem Romani primo quidem sine tunicis toga sola amicti fuerunt, postea substrictas, & breves tunicas citra humerum desinentes habebant. quod genus Græci dicunt ἐξωμίδας. Hac antiquitate inductus P. Africanus Pauli filius P. Sulpicio Gallo homini delicato inter pleraque alia, quæ objectabat, id quoque probro dedit, quod tunicis uteretur manus totas operientibus: Qui cum chirodota tunica inferior accubuerit.* Item Cicero in Catilinam: *Quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut barbatos videtis manicatis, & talaribus tunicis, velis amictos, non togis.* Scribit porro Plutarchus, Catonem majorem *per hiemem tunica exomide sumpta, per* E *æstatem nudum opus in agro perfecisse.* Juvenes tunicatos in campo se exercuisse, scriptum est apud Ciceronem in Cluentiana; plebeculam vero Romanam tunicatam incessisse, significavit Horatius, cum popellum eam tunicatum vocavit.

Cum ergo cives omnes Romani tunica uterentur, factum est, ut tunica ordines distinxerint. nam senatores, & equites tunicam clavatam induerunt, plebs rectam, & sine clavis. Clavata tunica fuit, quæ clavos purpureos intextos habuit, aut latos, aut angustos. fuerunt autem clavi, quasi flores panno intexti. unde Martialis dixit:

----- lato mapalia clavo.

F Festus clavata vestimenta scribit fuisse clavis intertexta. Varro in octavo addit: *Si quis tunicam in usu ita consuit, ut altera plagula sit angustis clavis, altera latis, utraque pars in suo genere caret analogia.* Plinius libro IX. *Toga prætexta, & latiore clavo e regibus primum usum, Etruscis devictis, Tullum Hostilium satis constat.* Silius:

Sacrificum lato vestem distinguere clavo.

Varro Modio, teste Nonio: *Istorum vitreæ togæ ostentant tunicæ clavos.* Ceterum tunica latos clavos purpureos intextos habens, quæ & latus clavus, & tu-

nica lati clavi dicta est, propria fuit senatorum, atque amplissimi ordinis insigne. Indicat Suetonius, ut ante dictum est, loquens de Augusto: *Sumenti virilem togam tunica lati clavi resuta ex utraque parte ad pedes decidit. fuerunt qui interpretarentur, non aliud significare, quam quod is ordo, cujus insigne id esset, quandoque ei subjiceretur*. Item: *Liberis senatorum, quo celerius reip. assuescerent, protinus a virili toga latum clavum induere, & curiae interesse permisit*. & de Tiberio: *Senatori latum clavum ademit*. & de Cajo: *Latum clavum, quanquam initio affirmasset, non lecturum senatorem, nisi civis Rom. abnepotem, etiam libertini filio tradidit*. Ut autem latus clavus fuit senatorum, sic angustus clavus equitum Romanorum. ostendit Paterculus de Maecenate scribens, qui equestri dignitate contentus erat: *Maecenas non minus Agrippa Caesari carus, sed minus honoratus. quippe vixit angusto clavo paene contentus*. Lampridius item in Alexandro: *Tum satis esse constituit, ut equites Romani a senatoribus clavi qualitate discernerentur*. Eademque ratione Papinius:

----- Non sanguine cretus
Turmali, trabeaque Remi, & paupere clavo
Augustam sedem, & Latii penetrale senatus
Advena pulsasti.
Primaque patricia clausit vestigia luna,
Mox Tyrios ex more sinus, tunicamque potentem
Agnovere humeri.

Quippe turmalem sanguinem, trabeam Remi, & pauperem clavum vocat locum equestrem. nam equitum erant turmae, trabea, & angustus clavus. sed trabeis utebantur, cum transvehebantur Idibus Quinctilis. Item Ovidius in quarto Tristium:

Curia restabat, clavi mensura coacta est.

id est, postquam egressus sum e pueris, restabat ordo senatorius, ut latum clavum continuarem. at clavi mensura coacta est, & angustum sumpsi cum virili toga. Hinc senatores laticlavii, equites Romani angusticlavii dicti, quorum Suetonius meminit in Augusto: *Ac ne expers castrorum esset, binos plerumque laticlavios praeposuit singulis alis*. In Othone etiam angusticlavii meminit.

Recta vero tunica erat, ut arbitror sine clavis. siquidem scribit Plinius lib. VIII. *Tanaquil primo rectam tunicam texuit, qua cum toga pura induebantur tirones, & novae nuptae*.

Ut autem tunica recta togae purae, clavata praetextae, sic palmata togae pictae respondit. Festus: *Tunica palmata a latitudine clavorum dicebatur, quae nunc a genere picturae palmata appellatur*: id est, tunica, quae ante a latitudine clavorum dicebatur, nunc palmata vocatur a genere picturae. Ut enim toga picta olim purpurea, post picta fuit, sic tunica socia pictae togae olim latus clavus, post palmata a genere picturae vocata, & simul cum toga picta triumphantibus data. Livius libro X. *Quos vos sellis curulibus, toga praetexta, tunica palmata, toga picta, corona triumphali, & laurea honoratis*. & libro XXX. *Toga picta, & palmata tunica donat*. Florus addit, ab Etruscis trabeam, praetextam, togam pictam & tunicam palmatam fluxisse. Idem scribit Dionysius libro tertio. ubi tunicam palmatam vocat tunicam purpuream auro signatam. & ubi loquitur de Saliis, vocat *tunicam variam*, id est, pictam. sic enim quoque togam pictam nuncupat. Eodemque modo Livius in primo dixit, *tunicam pictam Saliorum*. Tunicam porro multi & privati, & in magistratu omiserunt. testis est Acro, qui rationem reddens, cur Horatius *Cethegos cinctutos* dixerit, sic inquit: *Cinctuti Cethegi tunicas non gerebant, sed pro tunica cinctum, vel campestre ab umbilico ad pedes, reliquo corpore exerto, & nudo nisi toga tegeretur*. Unde Lucanus:

Exertique manus vaesana Cethegi.

Porphyrio vero cinctutos vocatos scribit *a cinctu, qui tunicae aptatus esset infra pectus*, sed eo cinctu videntur, tanquam subligaculo, pudenda etiam velata fuisse. Hinc Luperci cinctuti. Ovidius:

Semicaper, coleris cinctutis, Faune, Lupercis.

quod subligaculis essent vincti. Unde Plutarchus scripsit, *Lupercos nudos in subligaculis discurrere*. Idem etiam candidatos sine tunica cum toga candida prensasse scripsit in Coriolano. Paedianus Catonem jus dixisse, cum esset praetor, sine tunica, campestri sub toga cinctum, notavit, eumque morem repetiisse ex statuis Romuli, & Camilli aetate factis. Ejusdem campestris meminit Isidorus: *Cincto juvenes in exercitatione campestri verecunda velabant. unde & campestre dicebatur*. Cicero item pro Cluentio: *Nobis olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga constitutus, & ut exercitatione, ludoque campestri tunicati uteremur*. & Horatius:

----- Facit quod
Penula solstitio, campestre nivalibus auris.

Scio multa de tunicarum interiorum generibus adjici posse. Verum ego, quae jus distinguere civium Romanorum potuerunt, mihi tantummodo attingenda putavi. Quamobrem nonnihil de calceis quoque senatorum subjiciam.

CAP. XX.

De calceis.

CALCIAMENTORUM porro genera duo fuerunt, calceus, & solea. calceus totum pedem texit, solea plantam tantum: pars enim superior habenis devincta fuit. sed & calceorum, & solearum multa genera. Ceterum calceus astrinxit magis pedem, quam solea: unde illud Pauli Aemilii, de quo Plutarchus: *Nonne hic calceus pulcher est? at nescis qua ex parte pedem meum torqueat*. Cicero in Rhetoricis: *Si multus erat in calceis pulvis, ex itinere eum venire oportebat*. Horatius Satyra tertia:

----- Et male laxus
In pede calceus haeret.

Suetonius: *Augustus forensia, & calceos nunquam non intra cubiculum habuit ad subitos, repentinosque casus parata*. Erant praeterea calcei senatorum a calceis aliorum diversi. Docent hoc multi. in primis Zonaras. *Patricii*, inquit, *gestabant in urbe calceos urbanos forma litterae Rho, ut a centum senatoribus trahere originem viderentur. aut quod prima esset littera Romanorum*. Isidorus calceos lunatos senatorum vocat, additque, *Romulum calceos patricios reperisse, assuta Luna. Luna vero non syderis in eis formam, sed notam centenarii numeri significabant, quod initio patricii centum fuerint*. Hinc Cicero in Philippicis: *Asinius quidam senator voluntarius, lectus ipse a se, apertam curiam vidit post Caesaris mortem. mutavit calceos. repente pater conscriptus factus est*. Suetonius: *Caesar veste laxiore, & calceo alto, & rubro usus est secundum reges Albanos, ad quos referebat genus propter Julum*. Item: *Augustus calciamentis altiusculis usus est, ut procerior, quam erat, videretur*.

De soleis sic Gellius libro XIII. *Omnia id genus, quibus plantarum calces tantum infime teguntur, cetera prope nuda, & teretibus habenis juncta sunt, soleas dixerunt, nonnunquam voce Graeca crepidulas. Gallicas autem opinor esse verbum non diu ante aetatem M. Ciceronis usurpari coeptum. itaque ab eo ipso posito in secunda Antonianarum. Cum Gallicis, inquit, & lacerna cucurristi*. Idem in Verrem: *Stetit soleatus praetor populi Romani cum pallio purpureo, tunicaque talari, muliercula nixus in littore*. & in Pisonem: *Cum ad te quinta ferme*

hora cum C. Pisone venissem, memini nescio quo e gurgustio te prodire involuto capite soleatum. & in Antonium: *Redivi cum calceis, & toga, nullis nec Gallicis, nec lucerna*.

HÆC SUNT fere, quæ de antiquo jure populi Rom. diuturnis quæsita laboribus ego potui reperire. Quod opus cum ego Venetiis, libris duobus de Civitate Rom. editis, jam ante annos quindecim inchoassem, ac continuo Patavii tribus de Italia additis, provexissem, ad extremum Bononiæ, (his enim omnibus in locis hæc mihi profiteri studia contigit,) Provinciis, Judicisque attextis, anno salutis MDLXXIV. perfeci. Quod admonuisse volui, ne quis hæc præcepta perinde mihi ad colligendum, digerendumve facilia, atque sibi ad legendum, cognoscendumque proclivia existimaret. verum quæ a me de singulis hujus juris partibus constituta sunt, ea sciret longiore animi consulatione confecta. Quod si quis nostram multis in locis diligentiam, aut perspicaciam quærat, is scito, non nostram illum tam industriam, quam rerum ipsarum, quas tractavimus, naturam arguere. quæ quoniam ab hominum voluntate, ac temporum inclinatione totæ manarunt, solidam nullam tueri constantiam potuerunt: & propter scriptorum inopiam conjecturis interdum, ac suspicionibus potius, quam certis veteris consuetudinis auctoritatibus nixæ fuerunt. Quod in vetere jure populi Rom. enucleando elaboravi, idem in ATHENIENSIUM quoque rep. libris quattuor Bononiæ quoque editis præstiti; atque ad extremum REGNUM etiam Italiæ memoriæ consecrare ingressus rem libris xv. ad annum usque salutis nostræ millesimum ducentesimumque, sed alia scribendi ratione, perduxi. Ex quibus, aliisque item ejusmodi generis lucubrationibus plurimis facile intelligere homines poterunt, ad hæc sublevanda studia non voluntatem mihi, aut industriam, verum aut nervos defuisse, aut fortunam.

F I N I S.

SIBRANDUS SICCAMA
BOLS. FRISIUS
DE
CENTUMVIRALI JUDICIO.

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

Laus & fructus studii Antiquitatum. Roma vera, ubi Pandectarum laus. Præfationum utilitas.



MAGNAM, hercule, juris civilis scientia veterum rerum memoriam desiderat, & haut facile a quopiam, nisi qui rempublicam Romanam, qua leges, qua magistratus, ad unguem noverit, pro dignitate illustrari, describi, explicari potest. Hoc adeo verum est,

Ut quisquis contra sentiat, nil sentiat.

Quod si inficias non eant, omnes jurisprudentiæ nostræ rivos ex immenso legum Romanarum & rituum flumine deductos, quod certe facere non possunt, quis neget eum, qui in veterum ICrum libris cum fructu, cum voluptate versari, & *rempublicam in partibus ejus credendam sibi gubernare* volet, totum Romanæ reip. statum, tanquam in Apellæa tabula depictum, in animo atque oculis circumferre debere? Ite vos calidi & feroces animi Romam per mille discrimina, & humentibus illic oculis legite paulisper dispersa in salebrosis lustris ossa DOMINÆ quondam TERRARUM, cujus reliquias, & cineres dissipatos a Crono, Vulcano, & Marte tribus potentibus diis, manum ori admoventes, adoratis. Non illic nunc ROMA, sed AMOR Scantinii; non Catones, Scipiones, Fabii, Marcelli, sed ab inferis reversus imperii conditor Romulus, fratricida, latro, virginum raptor, ursæ alumnus.

ROMA CAPUT MUNDI *quondam* FUIT *inclyta*, *sed* NUNC
Inventrix scelerum EST, *&* DÆMONIS *impia* NUTRIX.

Romam quæritis, & topographiam ejus? Marlianum, Lipsii tabulam, & Blondi Romam triumphantem inspicite. Theatra? legite Lipsii Saturnalia & Amphitheatrum, ibi vere commissa gladiatorum paria, & ordine ludos spectantem populum videbitis. Magnifica ædificia? Vitruvium adite: is vos media Roma florente sistet. Comitia? Nicolaum Gruchium consulite, qui vos mediis comitiis per candidatorum turbas, & suffragiorum pontes deducet. Magistratus? Sigonius Manutiusque consules & prætores in sellis curulibus considentes, præcurrentibus lictoribus, exhibebunt. Rem militarem? Vegetium inspicite, in quo integras legiones armis, telisque instructas cernetis. Sacra & sacrificia? L. Giraldus hostiam victimamque cum sacrifico & popa præ oculis ponet. Judicia? Sigonius vos ad forum, rostra, & tribunal prætoris inter medias litigantium turbas locabit. Leges? Ant. Augustinus & Manutius omnem legum ferendarum rationem, ipsasque leges explicabit. Legum & juris Romani scientiam? Adite Papyrii Justi, & Salvii Juliani, Neratii Prisci, Julii Africani, Herennii Modestini,

A Ulpiani, Jaboleni, atque aliorum veterum libros, quorum fragmenta etiam nunc sarta tecta in libris Pandectarum servata supersunt.

Scilicet annorum series, nec flamma, nec ensis
Æternum potuit hoc abolere decus.

Hæc ipsa ruta & cæsa spirant adhuc florentem Romam, & velut scintillas emittunt prisci splendoris. Ex horum ruderibus, restituerunt pene nobis veterem jurisprudentiam, Antonius Augustinus, Lipsius, Cujacius, Brissonius, Faber, Hotomannus Ræyardus, aliaque nostri ævi lumina. Quorum ego vestigiis licet longo intervallo insistens, ut probem
B me eandem viam ad veterem Romam & jurisprudentiam inire, conscripsi nupere, hybernis lucubrationibus, quibus a repub. fui vacuus, paginas aliquot de illustri & magnifico centumvirali judicio. In quo si quid laude dignum præstitum, deuncem ascribo iis qui mihi in hoc judicio quasi a consiliis fuerunt; unciam mihi vendico, quod primus hoc stadium serio curram; præter Rævardum, qui ita cucurrit, ut aliis lampadem non neget: nam nec omnia dicit, (quanquam nec ego) nec quæ dicit ad palatum omnium. ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις. Si quid erratum, culpa careo, quod in tanta antiquitatis caligine vix quisquam
C multis in locis, non dico facem, sed nec radium lucis prætulerit, multaque conjecturis fuerint fulcienda, quibus nonnunquam aliquid tribuere ingenui & liberalis animi est. Collegi omnia quæ scivi, potuique, nec nego quædam esse, in quibus aqua mihi hæret. Verum ne illotis, quod ajunt, pedibus in hoc magnificum judicium irrumpamus, pauca præfabor de veterum judiciorum formis & differentiis. Etenim *præfationes istæ libentius nos ad materiam interpretationis perducunt, &, cum ibi venerimus, evidentiorem præstant intellectum*: & demonstrabimus eo, centumvirale judicium cujus formæ, quibusque terminis fuerit circumscriptum.

D

CAP. II.

Judiciorum Divisio. Cognitio prætoria. Cognitionis quæ fuerint. Ubi, & qumodo prætor cognosceret.

JUDICIA apud Romanos alia erant extraordinarii, alia ordinarii juris. Extraordinarii juris erant cum magistratus ipse, nullo dato judice, causas leviores cognosceret, & cognitiones proprie dicebantur, differentiæ causa a jurisdictione, quæ ordinarii juris
E erat. Sueton. Claudio cap. XV. *Alium interpellatum de propria lite, negantemque cognitionis rem, sed ordinarii juris esse, agere causam confestim apud se coegit*. apertius idem Nerone cap. XV. *In jurisdictione postulatoribus, nisi sequenti die, ac per libellos, non temere respondit. In cognoscendo eum morem tenuit, ut continuis actionibus omissis singula quæque per vices ageret*. Ubi liquide distincta *jurisdictio a cognitione*. Cognoscebat autem prætor pro tribunali, cum assessoribus, & consiliariis causas leviores, & quæ

voluntariæ jurisdictionis & proprii imperii erant. Julianus in l. *minor.* 39. π. de Evict. *Justam rem Sejus postulat: nam si ei fundus prætoria cognitione ablatus fuerit, æquum erit per eundem prætorem, & evictionem restitui.* Ulpianus in l. 1. π. de rei vendicat. *Petuntur autem aut præjudiciis, aut interdictis, aut cognitione prætoria.* Nec aliter accipio Ulpianum in l. 12. π. de Minor. cum scribit minorem posse *desiderare interdum adversus possessorem restitui, ne rem suam perdat, vel re sua careat, & hoc vel cognitione prætoria, vel rescissa alienatione, dato in rem judicio.* Ecce discernit aperte cognitionem prætoriam a dato judicio. Etenim ordinario judicio judices privati dabantur, qui causam dijudicarent, ut cap. IV. docebimus: tum judex datus, aut judicium datum dicebatur, acceptumque l. 46. l. 34. π. de jud. Cognoscebat itaque prætor vel, cum, intendente litem actore, reus nihil contradiceret: ut si a Sejo exigerem decem, is debitum fateatur, dabitur illi cognitione prætoria dies cum competenti cautela ad solvendum, l. 21. π. de judiciis: vel, cum præsente quidem reo causam ipse cum consilio expendebat & exequebatur, ut possessionis bonorum datio, quod postulationum die fiebat, ut eleganter Rævardus docet ex l. 49. π. Quis ordo. aliisque multis in causis, de quibus vide legem, l. 3. π. de lib. exhibend. l. 43. π. de minoribus, l. 2. si advers. rem jud. l. 1. π. ut in possess. legat. & *causa cognita fieri* dicebatur. Fiebat autem non nisi pro tribunali, l. 3. ult. π. de bon. possess. *Si causa cognita bonorum possessio detur, non alibi dabitur quam pro tribunali: quia neque decretum de plano interponi, neque causa cognita bonorum possessio alibi quam pro tribunali dari potest.* Atque hæc de cognitione prætoria.

CAP. III.

De cognitione planaria. Tribunal quale. Planum, aliaque ad hanc rem.

SED & de plano subinde prætor jus reddebat postulantibus, hoc est, cum animi vel negotii causa ambulans, vel ad theatrum iens & balnea, sella posita eo in loco, *ubi salva majestate imperii sui, salvoque more majorum* jus reddere poterat, controversias extra ordinem disceptabat, sed quæ levioris momenti erant. *De plano* quidem fieri dicebatur quod non in tribunali, sed in plano, & inferiori loco peragebatur. Paulus l. 18. π. de quæst. *Custodiæ non solum pro tribunali, sed de plano audiri possunt & damnari.* Suet. Tiberio cap. XXXIII. *Et si quem reorum elabi gratia rumor esset, subitus aderat, judicesque aut de plano, aut e quæsitoris tribunali legum, & religionis, & noxæ, de qua cognoscerent, admonebat.* Eodem traho Senecæ illud, ad Lucill. epist. CVI. *Itaque dubitavi, utrum differrem te, an donec suus isti rei veniret locus, jus tibi extra ordinem dicerem.* Extra ordinem enim fit, quod de plano fit, quo Senecam allusisse non dubito. de utroque igitur breviter dicamus. Tribunal erat in excelsiori loco positum, Livius lib. VIII. *Tum silentio facto præco Q. Fabium magistrum equitum citavit, qui simul ex inferiori loco tribunal accessit.* Isidorus lib. XV. *Tribunal est locus in sublimi constitutus, unde universa exaudiri possunt.* Alludit Quintil. lib. XI. *Multa ex his quæ præcipimus, mutari necesse est, ab iis qui dicunt ad tribunalia: nam & vultus erectior, ut eum, apud quem dicitur, spectet; & gestus, ut ad eum tendens, elatior sit, necesse est.* Et Seneca lib. I. de Clementia. *Hæc tamen magnanimitas in bona fortuna laxiorem locum habet, meliusque in tribunali quam in plano cognoscitur.* hoc est, melius in magistratibus quam in plebe. Spaciosum quoque erat, & multorum hominum capax, curvatum paululum, ut conciperet quasi in circuitu astantes. Vitruvius de Architectura lib. V. *Item tribunal est in ea æde hemicycli schemate minore curvatura formatum. Ejus autem hemicycli in fronte est intervallum pedum XLVI. introrsus curvatura pedum XV. uti eos, qui apud magistratus starent negociantes in basilica ne impedirent.* In eo tribunali prætor jus dicturus, sellam curulem ponebat. Val. Max. lib. 3. cap. 5. *Quanquam quidquid interfuit, utrum repulsam, an sic adeptam præturam domum referret? quam cum propinqui ab eo pollui animadverterent, id egerunt, ne aut sellam ponere, aut jus dicere auderet.* Quint. l. VI. cap. III. *M. Cælius Prætor cum sellam ejus curulem consul Isauricus fregisset aliam posuit.* Planum vero erat locus in plano & inferiori loco. Unde leges edictaque prætorum statui olim jubebantur, U. D. P. R. L. P. id est. *Unde de plano recte legi possunt.* Expressit idem Seneca in Nat. Quæst.. *Nos interim tentemus*, inquit, *alias probationes, quæ de plano legi possunt.* Ulpianus l. 11. π. de Instit. act. *Proscribere palam sic accipimus, claris litteris, unde de plano recte legi possit, ante tabernam scilicet vel eum locum, in quo negotiatio exercetur: non in loco remoto, sed in evidenti.* Addo fragmentum æneæ Tabulæ in quo sic: EX EA DIE QUA TRIBUTUS FACTUS ERIT, APUD FORUM PALAM UBEI DE PLANO RECTE LEGI POSITUR, PROSCRIB....... Et Ausonium gratiarum actione ad Gratianum: *Has ego literas tuas si in omnibus pilis atque porticibus, unde de plano recte legi possunt, instar edicti pendere mandavero.* *Sella* vero *posita* fieri dictum fuit, quod sella prætoris in eo plano loco poneretur. Moris enim erat, ut post prætorem per regiones vicosque urbis ambulantem sella veheretur, quæ, cum adessent qui prætoris opera indigebant, in plano loco ponebatur, ut ita non stans, sed sedens prætor in tanta populi multitudine jus redderet. Differebat autem hæc planaria cognitio, a superiori cognitione prætoria, quod illa pro tribunali, hæc in plano loco; illa sollennibus sessionum diebus, hæc etiam feriis fieri solebat, argum. l. *miles.* 11. §. *sexaginta.* π. ad l. Juliam de adult. l. 12. π. de prisc. jud. & l. *actus.* C. de feriis. Dixi prætores leviores causas de plano cognovisse, id ex legibus manifestum est. Poterant enim levia crimina cognoscere, l. *levia* 6. π. de accusat. custodias de plano audire & damnare, l. 1. §. π. de quæst. parentibus & patronis obsequium exhiberi jubere, l. 9. §. 3. π. de off. procons. servos manumittere, l. 7. π. de manumiss. bonorum possessiones dare, l. 2. §. 1. Quis ordo in bon. possess. breviter de plano expedire licuit, quæcunque parti adversæ non facerent præjudicium.

CAP. IV.

De judiciis privatis. Judices privati qui, & quomodo dabantur. Album prætoris duplex. Formulæ actionum, sententiarum, sententiæ quomodo & a quo recitabantur.

ORDINARIA judicia erant, quæ consueto juris ordine peragebantur. Eorum alia erant privata, alia publica, alia centumviralia. *Privata judicia erant decreta seu sententiæ, quæ judices privati, a prætore ex albo judicum dati, de controversiis privatis, secundum jus civile, & propositam actionis formulam, ferebant, & pronunciabant.* Dico *judices privati*, loquor enim de mere privatis, quæ non ideo solum privatæ dicebantur, quod causæ privatæ iis ventilarentur, sed quod homo privatus iis judicandis daretur: nec qui cum imperio, aut potestate erant, dari poterant, ut ex Verrina II. constat. Ideoque graviter fallitur Torrentius qui privatos judices interpretatus est prætores & centumviros, cum

maxime inter se differant judex privatus & centumvir. Judex privatus est homo privatus, qui causas privatas & civiles dijudicat; prætor est, qui sententiam ejus exequitur. ipsumque refutant Suetonii verba Claudio cap. XIV. quæ interpretatus est: *Nam & iis qui apud privatos judices plus petendo formula excidissent, restitui actiones*. Apud privatos enim judices ad formulam contendebant, qui a prætore dabantur. Dico *a prætore*. Prætor enim judices dabat, postquam ab eo postulassent. Postulabant autem judices, litigatores ipsi in hæc verba: PRÆTOR JUDICEM ARBITRUMVE POSTULO UT DES. quæ singularibus hisce literis P. J. A. V. P. U. D. scribebantur. Asconius: *Cum in rem aliquam agerent litigatores, & pœna se sacramenti peterent, judicem poscebant*. Cicero pro Cecinna: *Cœpit Scandilius recuperatores aut judicem postulare*. Prætor vero dabat judicem l. *imperium* π. de jurisd. om. jud. l. 1. §. *si quis* π. de appellat. l. *a divo Pio* π. de re jud. & Modestinus in l. ult. π. Qui & a quo appel. Dabat certe in hæc verba: SI PARET FUNDUM Q. D. A. P. TITII EX JURE QUIRITIUM ESSE, NEQUE IS FUNDUS EI A MÆVIO RESTITUETUR, SEMPRONIUS JUDEX ESTO. Dico *ex albo*, habebat enim prætor album propositum in quo nomina eorum proponebantur, quos judices prætor ad causas disceptandas selegerat. Agell. lib. XIII. cap. VIII. *Quo primum tempore a prætore lectus in judices sum, ut judicia quæ appellantur privata, susciperem*. Suet. Claudio cap. XVI. *Splendidum virum Græciæque provinciæ principem, verum Latini sermonis ignarum non modo judicum albo erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit*. Seneca de Beneficiis lib. III. *Non potest ad hæc judex sumi ex turba selectorum, quem census in album, & equestris hæreditas misit*. Alludit Horatius in sermonibus:

Unum ex judicibus selectis objiciebat.

Et Plinius in præfatione: *Quid te judicem facis? Cum hanc operam condicerem, non eras in hoc albo*. Coras. Miscel. lib. 4. cap. 6. Turneb. lib. 24. Adversar. cap. 16. l. Rævar. Vario. lib. 3. cap. 1. Cujac. lib. 21. Observat. Eam privati judicis dandi consuetudinem quasi a Romanis per manus traditam etiam nunc observant prætores Transisulaniæ, & Hasselensis urbis, cui ego nunc a secretis sum, qui existente libello in statu, ut ajunt, sententiæ, aut alias de quavis parte judicii cognituri, hominem privatum ex circumstantium corona evocant, quem *Ordelwyser* vocant, qui deinde pro controversiæ difficultate JCtos in consilium adhibet, ex quorum consilio sententiam pronunciat, prætor exequitur. Dico de *controversiis privatis*. Quia apud privatos judices non nisi privatarum rerum lites de contractibus, tutelis, servitutibus, testamentis, aliisque negotiis disceptabatur. Dico *propositam actionis formulam*. Erat enim album prætoris, in quo omnium actionum formulæ erant perscriptæ. Quint. lib. XII. cap. III. *Quorum alii se ad album ac rubricas contulerunt*. Plaut. Persa, act. 1. Sc. 2.

Si id fiat, næ isti faxim nusquam appareant,
Qui hic albo pariete aliena oppugnant bona.

adde l. 10. §. *eodem*. π. de orig. juris. l. 7. & 9. π. de jurisd. l. 1. C. de interd. l. 1. §. 1. vers. *eum quoque*. π. de edendo. Ad eas formulas litigatores stricte agebant. Cicero pro Q. Roscio Comœdo: *Quid est in judicio? directum, asperum, simplex. Si pateret H-SIƆƆƆ. dari oportere, hic nisi planum facit H-SIƆƆƆ. sibi deberi, causam perdit*. Idem de Inventione lib. II. *Ita jus civile habemus constitutum, ut causa cadat is, qui non, ut oportet, egerit*. Et pro Roscio Comœdo: *Qua de causa sunt jura, sunt formulæ de omnibus rebus constitutæ, ne quis, aut in genere injuriæ, aut in ratione actionis errare possit*. Ea formula qui cadebat, causa cadebat. Seneca Epist. XLIX. *Quid n. aliud agitis, cum eum quem interrogatis, scientes in fraudem inducitis, quam ut formula ceci-*

A *disse videatur? Sed quemadmodum illum prætor, sic hos philosophia in integrum restituit*. Quatuor vero ex causis formula quis cecidisse videbatur. Quintil. lib. III. cap. VIII. *In omnibus fere causis in quibus cecidisse quis formula dicitur, hæ sunt quæstiones, an huic, an cum hoc, an hac lege, an apud hunc, an hoc tempore liceat agere*. Iis formulis judices dati astricti erant, quas prætor præscripserat, nec latum unguem habet discedere. Quintil. lib. III. cap. XI. *Privata quoque judicia sæpe unum judicem multis & diversis formulis solent habere*. Dico *ferebant & pronunciabant*. Judex enim de qua re cognoverat, de ea quoque sententiam ferebat, Julianus in l. 74. π.
B de judiciis, eamque prætor pronunciabat ex tabella, de quo vide latissime Rævardum lib. protrib. cap. ult. cujus scrinia non compilabo.

C A P. V.

De publicis judiciis. Crimina publica quæ. Quæsitor. Judicum ordines tres secundum leges, &c.

PUblica judicia erant decreta & sententiæ, quæ de criminibus, ad rempublicam pertinentibus, quæsitore aliquo judicium exercente, judices ex
C tribus ordinum decuriis secundum leges a populo latas, ordinaria judicandi via faciebant. Dico *de criminibus ad remp. per*. Erant enim quædam crimina, quæ directe in rempublicam commissa erant, quædam quæ S. P. Q. R. in rempublicam esse commissa existimavit. In rempub. directe facta dicuntur, si quis majestatem populi Romani, aut ejus magistratum minuisset, publicam sacramve pecuniam avertisset, populi suffragia honoris adipiscendi gratia corrupisset, socios spoliasset, pecuniam ob judicandum accepisset, armis magistratum, aut privatum cocgisset. Quæ S. P. Q. R. ad se pertinere existima-
D vit, erant privatis quidem illata, sed quæ ad civis Romani interitum, injuriam, ac proinde universo populo facta censebantur, ut si quis hominem telo occidisset, si veneno necasset, si parentibus manum intulisset, si falsum testamentum, falsumve nummum fecisset, si uxorem alterius corrupisset, si servum alienum, aut celasset, aut vinxisset, aut emisset sciens dolo malo. Dico *quæsitore aliquo judicium exercente*. Priscis enim temporibus reges ipsi cognitiones capitalium causarum exercebant. Livius lib. 1. Dionys. lib. 3. deinde cum crimen publica quæstione dignum incidisset, aut consules, aut dictator, aut prætor SCto aut lege quærere jubebantur,
E ut ex Livio & Cicerone constat, & indicat Festus, scribens: *Paricidi quæstores appellantur, qui solebant creari causa rerum capitalium quærendarum*: & quæ sequuntur. Postremo A. U. C. DCIV. Censorino & Manilio coss. quæstiones perpetuæ constitutæ sunt. Cicero in Brut. *Carbone forum tenente, plura judicia fieri cœperunt. nam & quæstiones perpetuæ hoc adolescente constitutæ sunt, quæ nullæ antea fuerant. L. enim Piso trib. pl. legem primus de pecuniis repetundis, Censorino & Manilio coss. tulit*. Quæsitorum vero munus erat, ut in foro atque in tribunali, & in sella curuli considentes, judice aliquo quæstionum
F operam fidemque navante, gladio posito judicium exercerent. Judex autem quæstionis, qui & judicum princeps appellatur ab Asconio, quem magistratum quoque fuisse existimat Sigonius, actionem, postquam a quæsitore data erat, exercebat, judices sortiebatur, testes audiebat, quæstiones habebat, tabulas inspiciebat, quæ prætor propter imperii dignitatem non curabat. Dico *judices ex tribus ordinum decuriis*. Erant enim judices qui ex lege ad judicandum adhibebantur, quorum sententiam prætor pro tribunali pronunciabat, iique primum, regio instituto, ex ordine senatorio, deinde ex equestri, lege

Sempronia lata A. U. C. DCXXII. CN. Domitio Ahenobarbo, C. Fannio nepote coss. a Sempronio Graccho lecti sunt: postrem A. U. C. DCLXXXIV. M. Crasso divite, CN. Pompejo Magno coss. quo L. Aurelius Cotta prætor, populum rogavit, populusque jure scivit, ut tres ordines senatores, equites, tribunique ærarii (erant autem tribuni ærarii, ut scribit Varro, quibus attributa erat pecunia, ut militi reddant) simul judicarent. Ea vero lectio per prætorem urbanum aut peregrinum juratum fiebat, iique judices selecti dicebantur. Cicero in lege Cornelia: *Prætores urbani, qui juratos optimum quemque in selectos judices referre debent*. Ubi vero judicium erat constitutum, selecti illi judices legebantur, primum sortitione, cum judex aut prætor nomina eorum in urnam conjiciebat, ac sorte numerum lege præscriptum educebat, quo facto dabatur accusatori, & reo potestas rejiciendi, quos parum sibi idoneos existimabant, in quorum locum prætor aut judex deinde alios subsortiebatur. Dico *secundum leges a populo latas*. Sic enim scribit Macer libro primo de judiciis publicis: *Non omnia judicia in quibus crimen vertitur, publica sunt, sed tantum, quæ ex legibus judiciorum publicorum veniunt, ut Julia majestatis, Julia de adulteriis, &c.* l. 1. π. de jud. pub. Quibus legibus non solum pœna criminis præscribebatur, verum etiam, actionis partes singulæ, de patronis dandis, de judicibus legendis, testibus audiendis & citandis, de ampliando, comperendinando, aliaque multa cavebantur. Dico *ordinaria judicandi via*. Fiebant enim certo ordine, & forma, quem vide latissime apud Sigonium lib. sing. de Publicis judiciis, & breviter, sed clare Brissonium Antiquit. lib. II. cap. I. Atque hæc de publicis privatisque judiciis sufficiant: restat, ut ad lineam redeamus, quod dicitur, & gradum.

CAP. VI.

Centumviralia judicia quæ sint, & qualia, breviter definitum, probatumque non esse eadem cum privatis judiciis, contra Sigonium.

C*Entumviralia judicia* (definitio) *decreta seu sententias quæ centumviri ex* XXXV. P. R. *tribubus a decemviris litibus judicandis sortiti & coacti, inque diversis tribunalibus divisi, hasta posita & prætore solenniter præsidente, in basilicis, certisque sessionum diebus, de controversiis privatis, præcipue vero de hereditatis petitionibus faciebant*. Ex qua definitione lippis, & tonsoribus clarum fiet centumvirale judicium, multis modis a publicis, privatisque judiciis differre. Quod cum multis non fiat verisimile, atque alii formam eorum ad publica, alii ad privata judicia spectare contendant, amborum breviter est refellendus error, auctoritate veterum scriptorum, tum etiam rationibus quæ maximam semper probandi vim habent: ac primum eorum qui privati judicii formam habuisse existimant, inter quos Sigonius in lib. sing. de Privatis judiciis. Principio Plinius, qui centumvirale judicium arenam suam appellat, ubi sæpissime cum maximo judicum applausu causas actitavit, atque ob id formam ejus optime novit, aperte a privato judicio discernit lib. VI. epist. penult. *Intervenit acribus illis & erectis, frequens necessitas computandi, ac pæne tabulam calculosque poscendi, ut repente in privati judicii formam centumvirale vertatur*. Quem suffragio juvat Quintilianus lib. V. cap. X. *Proprium illud est causæ quod Amphictyones judicant, ut alia apud centumviros, alia apud judicem privatum, in iisdem quæstionibus ratio sit.*

Secundo. Judex privatus postquam semel sententiam dixit, judex esse desinit, l. 55. π. de re jud. centumviri vero de pluribus causis & ad certum tempus judicabant, ut cap. octavo docebimus.

Tertio. Privati judices in subselliis judicatum sedebant. Agellius lib. XIV. cap. II. ubi cum se judicem rei pecuniariæ datum scripserat: *Jussi igitur*, inquit, *diem diffindi, atque inde a subselliis pergo ire ad Phavorinum philosophum, quem meo tempore plurimum sectabar*. Centumviri vero in tribunalibus, quod Plinius infinitis locis, præcipue vero indicat lib. IV. epist. XVI. *Adhuc honor studiis durat. proxime cum dicturus apud centumviros essem, adeundi mihi locus nisi a tribunali, nisi per ipsos judices non fuit. tanta stipatione cætera tenebantur*. Papinianus lib. VII. Responsorum in l. 76. π. de legatis II. *Cum filius*, inquit, *divisis tribunalibus actionem inofficiosi testamenti pertulisset, atque ita variæ judicum sententiæ extitissent*. ubi procul dubio centumvirorum tribunalia intelligit, cum apud centumviros de inofficioso agebatur.

Quarto. Privata judicia differri poterant, l. 36. π. de judiciis l. 10. π. de feriis. l. 27. π. de recept. arb. l. 3. C. de dilationibus, & passim in jure. Centumviralia judicia nequaquam differri poterant, ut ex Plinio Cujacius docet, lib. X. cap. XX. idque propter auctoritatem judicii, cum populare esset, & quasi consilium populi. Qua ratione & posteris temporibus, qui in consistorio principis causas agebant, nullas dilationes impetrabant, l. 5. C. de dilationibus, & l. 1. C. de relat. Princeps enim in locum, & potestatem populi successit.

Quinto. Judices privati ut plurimum de controversiis facti, & iis quæ perspicui & scripti juris erant, ut ex Pandectarum libris manifestum est, judicabant; centumviri vero de causis intricati juris, & quæ in æquitatis & juris quæstione sitæ sunt, quod Seneca indicat de beneficiis lib. III. *De quibusdam etiam imperitus judex dimittere tabellam potest, ubi fecisse aut non fecisse pronunciandum est. ubi prolatis cautionibus controversia tollitur, ubi inter disputantes ratio jus dicit. Ubi vero animi conjectura capienda est, ubi id, de quo sola sapientia discernit, in controversiam incidit, non potest ad hæc sumi judex ex ordine selectorum, quem census in album, & equestris hæreditas misit*. hoc est, in privatis causis, quæ facti, & juris aperti sunt, judicem privatum dari posse; in iis vero in quibus quid jure, quid injuria fiat, quid æquum, quid iniquum sit, quæritur, non posse judicem privatum dari, sed cum consilio vel a centumviris debere disceptari. quod liquido declarat Quintil. lib. IV. cap. II. *Id accidit aliquando utrique parti, cum vel nulla expositio est, vel de re constat, de jure quæritur, ut apud centumviros, filius an frater debeat intestato hæres esse*. Cicero lib. I. de orat. *Nam quod maximas centumvirales causas in jure positas protulisti*: aliisque multis locis.

Sexto. Privatis judiciis omnibus præjudicium fieri poterat, l. *fundi*. 18. π. de exceptionib. l. 16. π. eodem l. fin. π. si ingenuus esse dic. l. 1. π. fam. her. Centumvirali vero judicio nullum præjudicium fieri poterat, sed omnia integra erant servanda, donec centumviri de hæreditate judicaverint. Ulp. l. 5. π. de hæred. pet. *Horum judiciorum quæ de hæreditatis petitione sunt* (ea vero erant centumviralia) *ea auctoritas est, ut nihil in præjudicium ejus judicii fieri debeat*. Et Justin. imp. l. ult. π. C. eodem. *Cum hæreditatis petitioni locus fuerat, exceptio adsumebatur, quæ tuebatur hæreditatis petitionem, ne fieret ei præjudicium. Magnitudo n. & auctoritas centumviralis judicii non patiebatur per alios tramites viam hæreditatis petitionis infringi*.

Septimo. Ab omnibus datis judicibus, etiamsi ex auctoritate principis, licet nominatim declarantis, dati fuerint, ipsi magistratus appellari poterant, l. 3. π. Quis, & a quo appell. Verum a centumviris ad alios magistratus non erat provocatio, quia magnificum & populare quodammodo erat consilium, ut postea dicemus, & quemadmodum nec a consistorio prin-

Principis, qui populi vicem tenet, ita neque a centumviris, qui auctoritate populi judicabant, appellare jus fuit. Nec dissentit Sueton. Vespasiano cap. x. *Sorte elegit per quos rapta bello restituerentur, quique judicia centumviralia, quibus peragendis vix suffectura ætas litigatorum videbatur, extra ordinem judicarent, redigerentque ad brevissimum numerum.* Quod Vespasianum non modo fecisse suspicor, ut illi centumvirales causas extra ordinem judicarent, quod ordinarius cognitionum dies dudum a centumviris nullus esset habitus, ut interpretatur Rævardus, verum magis quod infinitæ causæ ad judicium centumvirale penderent, quæ cum solorum centumvirorum essent, atque illi multitudine eorum obruerentur, forte quosdam electos, qui eas dijudicarent, arbitroque soli principi jus fuisse centumvirorum sententias rescindere, ex Suetonii Domitiano cap. VIII. *Plerumque & in foro pro tribunali extra ordinem ambitiosas centumvirorum sententias rescidit. Extra ordinem* accipio; quod ordinarie non licuerit. *Ambitiosas* vero, quod non ea qua decet libertate, sed favore & gratia fierent. Ulpian. l. 4. π. de decr. ab ord. fac.

CAP. VII.

Centumvirale non habuisse formam publici judicii.

Qui centumvirale judicium publici judicii formam habuisse existimat, insignis, & acutissimi ingenii JCtus est Jacobus Rævardus pro tribun. lib. cap. xx. ubi id se probare putat argumentis adeo levibus & ficulneis, ut tanti JCti auctoritatem vix mereantur. Nam, præter hoc quod nusquam aperiat, qua in re cum publicis judiciis conveniat, ac quod Plinii locum adferat ex epist. ubi centumvirale judicium a privatis discernit, exque eo concludit necessario publicum esse, quod privatum non est, quod in jure nostro semper verum esse non potest. illud præcipuum ejus argumentum est, quod Quint. lib. v. cap. x. scribit: *Quibusdam in judiciis maximeque capitalibus, ut apud centumviros, ipsi judices exigunt sollicitas, & accuratas actiones.* Primum, si ex eo probare velit centumvirale judicium, ad publicorum formam spectasse, quod scribat, *capitalibus ut apud centumviros*, quasi centumviralia judicia capitis pœnam irrogaverint, qua ratione vere publica fuissent, præter scripturæ mendum (nam *ut & apud centumviros* legendum est) respondeo etiam, capitales causas privatæ quæstionis judicium fuisse, nec eas solas esse capitales cum de mortis pœna quæritur, quemadmodum nec publica judicia omnia eo modo capitalia sunt, sed & cum de existimatione hominis dicitur, capitales causas appellari. Cicero pro Q. Roscio: *Si qua sunt privata judicia summæ existimationis, & pæne dicam capitis, tria hæc sunt, tutelæ, fiduciæ, societatis.* Et in orat. pro Quinctio, quæ rei privatæ fuit: *Horribile est causam capitis dicere, horribilius priore loco dicere.* adde l. 103. π. de verb. signif. & Quintil. qui alibi docet, capitales causas dici, cum de hominis libertate quæritur. Similiter quod Plinius scribit lib. v. epist. I. etsi Rævardus ejus, magni alioqui in sententiam ejus momenti, non meminerit: *Cohæredes mei componere, & transigere cupiebant, non diffidentia causæ, sed metu temporum. verebantur quod vidissent multis accidisse, ne ex centumvirali judicio capitis rei exirent.* Non ita capiendum est, quod centumvirali judicio rei capitis judicarentur, sic enim interpretor, verum ne quod illis ab Aufidio Curiano, iisque quos advocaverat, objiceretur, quod deinde capitis pœnam irrogaret. Quod ipsum sequentibus verbis Plinius confirmat, nimirum, inter cohæredes ejus fuisse, quibus Rustici & Gratillæ, cujus ex testamento Plinius cum cæteris legatum acceperat, objici amicitia posset, &, ut ego conjicio, propter infamiam periculosa. Deinde

A si ob id quod centumviri *sollicitas & accuratas actiones exigerent*: sane illud ejusdem pretii argumentum est, cujus hoc quod sequitur, nempe, eam ob causam centumvirale judicium publicum fuisse, quod Justinianus dicat: *Magnitudo & auctoritas centumviralis judicii non patiebatur per alios tramites viam hæreditatis petitionis infringi.* Nam quod ad primum argumentum, quid mirum centumviros *sollicitas & accuratas actiones exegisse*, qui plerumque omnes eloquentia ipsi, & juris scientia erant insignes, & obscurissimas controversi juris, non facti, causas, deciderent, quod cap. præcedenti probavimus. Quod autem magnitudinem & auctoritatem centumviralis judicii objiciat, B illud non solum ad magnificum & reverendum tot splendidissimorum hominum consessum pertinet (quamquam quid magnificentius spectari potuit, quam tot homines clarissimos in excelso & spacioso tribunali, in splendidissima basilica, eloquentissimis viris causas agentibus, & astante multiplici ordine numerosa civium Romanorum corona, controversias plenas dignitatis, & spei summa cum auctoritate decidere?) verum hoc magis significari existimó, quod modo dictum est, centumvirale judicium tantæ fuisse auctoritatis, ut alio judicio ei præjudicium adferri non potuerit. quod etiam confirmare C videtur Ulpianus in l. 7. π. de hæredit. petitione: *Et per minorem causam majori cognitioni præjudicium fieri non oportet. major enim quæstio minorem ad se trahit.* Paulus in l. 54. π. de judiciis. Quemadmodum & post subscriptum centumvirale judicium dilatio nulla ut in privatis judiciis, dari poterat. Præterea certum est centumvirali judicio causas privatas fuisse disceptatas, ut lib. II. docebimus. Nulla quoque hic judicum sortitio, aut aliud quidquam, quod ad publica judicia pertinere videtur. Dicimus itaque centumvirale judicium nec privatum, nec publicum fuisse, sed populare, & quodammodo universi populi Romani consilium, ad privatas controversias disceptandas co-D actum, cui prætor solenniter præsidebat: restat itaque, ut nunc de eo dicamus.

CAP. VIII.

De origine centumviralis judicii, & centumvirorum electione.

Quæ de centumvirali judicio dicenda sunt, ut ordine proponantur, primum de personis agendum est quæ illud constituebant; illi erant, centumviri, decemviri litib. judicandis, aut quæsto-E res, prætores, & advocati. prius itaque de centumviris, eorumque origine investigemus, cujus non simplex erit, sed multiplex variaque quæstio. Quærendum est enim, quo anno sint instituti, qua lege introducti, quo auctore, qua ratione, quibus comitiis, an magistratus fuerint, quomodo ad conventum coacti, & similia, quæ singula hoc capite exponemus. Quod si non pro dignitate tam magnifici & illustris judicii præstiterimus, veniam apud æquos judices merebimur, quod in tanta antiquitatis caligine, multa erunt conjecturis fulcienda, quibus in rebus obscuris nonnunquam aliquid F auctoritatis tribuere, ingenui & liberalis animi est: faciendumque sit sæpissime quod boni oratores solent, qui cum veris testibus rem probare non possunt, argumentando fidem faciunt. Principio examinanda sunt verba Agellii lib. x. cap. x. *Ego vero*, inquit, *dicere atque interpretari deberem, si jus Faunorum atque Aboriginum didicissem. Sed enim cum proletarii, & assidui, & sanates, & vades, & subvades, & xxv. asses, & taliones, furtorumque quæstiones cum lance & licio, evanuerint, omnisque illa XII. tab. antiquitas, nisi in legis actionibus centumviralium causarum lege Æbutia lata consopita sit.*

Quibus ex verbis Antonius Augustinus splendor Italiæ, lumen jurisprudentiæ, atque omnium historiarum & antiquitatum peritissimus centumviralia judicia lege Æbutia constituta esse existimat. quod etsi verba ipsa non exprimant, putat tamen utrumque, & de centumvirali judicio instituendo, & de legis actionibus XII. tab. nisi earum causarum quæ apud centumviros essent agendæ, abrogandis fuisse cautum. Contra Manutius, qui de LL. Romanis acutissime disputavit, Agellianum locum de solis XII. tab. corrigendis interpretatur, cui suffragatorium calculum addit Hotomannus in lib. de legibus, qui Æbutium tribunum pl. de tollendis legum actionibus XII. tab legem rogasse scribit. In qua scriptorum differentia equidem magis assentior Antonio Augustino, faceremque illud lubentius, si tempus addidisset legis latæ, & auctorem qui tulerit. Etenim eo tempore, quo consentaneum est centumviros esse institutos, Liviana historia temporum injuria periit, Halicarnasseus eo non pervenit, cæteri, quos ego quidem legerim, ne verbo meminerunt. Illud vero constat, Æbutiorum familiam eo tempore, & postea diu præturam, tribunatum, quæsturam, pontificatum, legationes, aliosque magistratus gessisse. Itaque Æbutius is qui legem de centumviris rogavit, (fortean tribunus pl. fuit, nam popularis lex fuit, & procul dubio plebi gratissima) meo judicio populum de eo rogavit A. U. C. DXIII. Q. Lutatio Cercone, A. Manlio coss. aut paulo post. Primum, centumviri ex XXXV. tribubus electi sunt, ut docet Festus, cujus auctoritas apud me semper fuit maxima. Tribuum vero numerus eo ipso anno quem modo signavi, ad XXXV. pervenit, ut docet Florus epit. XIX. igitur non ante, sed circa, aut ipso anno DXIII. centumviri sunt electi. Deinde prætor peregrinus creatus est A. U. C. DX. A. Manlio Torquato, C. Sempronio Blæso coss. epit. XIX. propter maximam peregrinorum turbam, qui quotidie in urbem confluebant, ut is inter cives & peregrinos jus diceret, sufficiente vix prætore urbano civium negotiis. ii peregrini triennio post in tribus relati sunt, anno, ut dixi DXIII. Quo facto cum civium Romanorum multitudo mirum in modum cresceret, ideo quod prætor urbanus civium negotiis omnibus solus cum privatis judicibus non sufficeret, incidentibus quotidie multis intricati juris controversiis, credibile est centumvirale judicium esse institutum. Tertio conjecturam meam confirmat Pomponius in 2. §. 29. π. de orig. juris: *Deinde* (id est mox post præturam peregrinam) *cum esset necessarius magistratus qui hastæ præesset* (centumviralem intelligo) *decemviri litibus judicandis sunt instituti*. qui sane mox post prætorem peregrinum creati sunt, ut ait Pomponius, & mox post centumviros, forte eodem anno, scilicet ut essent qui hastam centumviralem cogerent. Postremo, nusquam apud historiarum & antiquitatum scriptores, Livium dico, Ciceronem, Valerium, Senecam, Tacitum, Quinctilianum, aliosque invenio, centumvirale judicium ante eum annum fuisse frequentatum, plurima vero paulo ante Ciceronis & Augusti ætatem. De tempore itaque certum est. putamus enim manifestum esse, centumviros institutos A. U. C. DXIII. Q. Lutatio Cercone, A. Manlio Torquato coss. aut certe non ita multo post. Nunc quomodo creati sint, videamus. id plane explicat Festus sic: *Centumviralia judicia a centumviris sunt dicta. Nam cum essent Romæ* XXXV. *tribus, terni ex singulis tribubus sunt electi ad judicandum, qui centumviri sunt appellati, & licet quinque amplius quam centum fuerint, tamen quo facilius nominarentur, centumviri sunt dicti*. Quibus ex verbis constat id quod modo dicebamus, centumviros non ante eum annum quo tribuum numerus ad XXXV. pervenit, fuisse institutos. Is autem fuit A. U. C DXIII. Simulque manifestum est, centumviros comitiis tri-

A butis creatos esse, quod minimi magistratus essent, & minima quæque ad populum spectantia, tributis comitiis fierent. Cicero ad Quirites: *Curiata, quæ non initis, confirmavit. tributa. quæ vestra sunt, sustulit*. Mansit ea eligendi ratio ad lapsam rempublicam, nec plures quam centum & quinque, unoque judicio & tribunali conscribebantur. Primum illud ex eo colligo, quod ante ea tempora centumviralia judicia aliorum judiciorum splendore obruebantur, nec magnæ essent auctoritatis. Quintil. in dialog. de oratore: *Quod majus argumentum est quam quod centumvirales causæ, quæ nunc primum obtinent*
B *locum, adeo splendore aliorum judiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis, neque Cæsaris, neque Bruti, neque Cælii, neque Calvi, non denique ullius magni oratoris liber apud centumviros dictus legatur, exceptis orationibus Asinii Pollionis, quæ pro heredibus Urbiniæ inscribuntur, ab ipso tamen Pollione mediis D. Augusti temporibus habitæ*. Deinde quod Cicero nusquam majoris numeri nec divisorum tribunalium meminerit, quod certe fecisset, si suo tempore divisis tribunalibus judicasset. Illud quoque animadvertendum est, decemviros litibus judicandis statim post primam centumvirorum creationem jus habuisse centumviros cogendi. quod indicat Suetonius Au-
C gust. cap. XXXV. instituisse Augustum, *ut centumviralem hastam, quam quæstura functi consueverant cogere, decemviri cogerent*: nec cogerent modo, verum sortirentur & conscriberent non strictim & uno numero, sed etiam majori, ad CLXXX. post Augusti ætatem scilicet, qui in quatuor consilia distribuebantur. Utrumque manifestum est ex Plinio libr. v. epist. ultim. *Sedebant judices centum & octoginta: tot enim quatuor consiliis conscribuntur*. quod confirmat Dion lib. LIV. scribens decemviros iis judiciis præfuisse, quæ ad centumviros sorte ductos deferebantur, atque innuit Ovid. in Ponti lib. II. ad Cottam, se quoque inter centumviros sorte ductum fre-
D quenter Cottam declamantem audivisse, cum inquit:

Utque fui solitus, sedissem forsitan unus
De centum judex in tua verba viris.

Verum morem C. & LXXX. centumviros conscribendi, & in quatuor consilia distribuendi post Augusti ætatem, cum centumviralis judicii propter gravissimas quæstiones, quæ eo disceptabantur, auctoritas cresceret, obtinuisse tandem verisimile est, comprobatque Valer. Max. lib. VII. c. VII. *Cum improbissimis hæredibus de paternis bonis apud centumviros contendit, omnibusque non solum consilii, sed etiam senten-*
E *tiis superior discessit*. & Quinctil. lib. v. de Trachallo loquens: *Certe in basilica Julia cum diceret primo tribunali, & quatuor consilia, ut moris est, cogerentur*. Quod si ita est, decisa est omnino quæstio, an centumviri magistratus fuerint, quod quidam in dubium vocant, propter Ciceronis locum lib. II. de LL. ubi eos qui lites judicabant, hoc est; centumviros, vel certe decemviros in minorum magistratuum ordinem refert. Certe si a decemviris sint conscripti, a decemviris coacti, nec ipsi, sed prætor eorum sententias exequebatur, certe magistratus non fuerunt. Atque hæc de centumviris mihi dicta sunt, ita tamen, quod sententiam mutare non gravabor, si in posterum a-
F pud majores judices de quæstione amplius liqueat.

CAP. IX.

De decemviris litibus judicandis qui & quales fuerint, & quando instituti, contra Jacobum Rævardum.

DECEMVIROS litibus judicandis centumviros coegisse, ex Pomponii & Sueton. locis, quos supra citavimus, satis patet, & aperte eloquitur Plinius libr. v. Epist. ult. *Sedebant judices, venere de-*

A *cemviri*, per judices haut dubie centumviros intelligens, quamobrem de decemviris ipsis nunc agendum est. decemviri primum creati sunt A. U C. DXIII. aut certe non multo post eum annum, ut ex Pomponio modo probavimus, l. 2. §. 29. π. de orig. juris, nec soli quidem fuere, sed XX. Viratus pars. Dion lib. LIV. Nam quod Pomponius ait: *eodem tempore & quatuorviri, qui curam viarum gererent, & triumviri monetales, æris, argenti, auri flatores, & triumviri capitales, qui carceris custodiam haberent, ut cum animadverti oporteret, interventu eorum fieret*; ita intelligo, eosdem omnes una rogatione, unis comitiis creatos, unumque magistratum fuisse. B nec obstat quod Pomponius modo XX. enumerat: nam duo illi, qui vias extra urbem curabant, & quatuor, qui in Campaniam mittebantur, jam erant abrogati. Utrumque ex Dionis libr. LIV. manifestum est. *Et hi XXviri* (inquit) *facti fuerunt ex illis* XXVI. *viris, in quibus erant tres viri rerum capitalium, & alii tres signandæ pecuniæ negotium gerentes, quatuor viarum urbanarum curatores, & decem ad judicium centumvirale delecti*. Sequitur mox: *Duo enim qui vias extra urbem curabant, & quatuor qui in Campaniam mittebantur, jam erant abrogati*. Itaque mala manu notavit Torrentius ad Suetonii Augusti. cap. XXXVI. decemviros C fuisse ex centumvirorum corpore, quod multis argumentis præter hunc Dionis locum refelli possit. Porro XX. viri hi cum primum tributis comitiis, ut Cicero docet, plebisque suffragiis, ideoque ex plebe potissimum crearentur, demum A. U. C. DCCXLI. C. Tiberio, Quintilio Varo coss. SCto. ex equitibus electi sunt, atque adeo inter minores magistratus fuere, ut nemo ex iis in senatum allegeretur, nisi alium quoque magistratum gessisset, cujus ratione senator posset fieri. Utrumque affirmat Dion lib. LIV. *Itaque absente*, inquit, *adhuc ab urbe Augusto SCtum fuerat factum, ut* XXviri (*magistratus hoc nomen est*) D *ex equitibus constituerentur, quorum deinde nullus in senatum est allectus, nisi quem etiam alium magistratum, cujus ratione senator posset fieri, gessisset*. Etenim præter eos qui revera senatores, & in lib. repub. a censoribus in senatum allecti erant, in senatum quoque aditus patebat iis, qui magistratum quidem gerebant, etsi curulis non esset, ut tribuni & ædiles pl. iis vero qui gesserant, si curulis fuisset, ut consules, prætores, ædiles curules. His omnibus in senatu sententiam licebat dicere, senatores tamen non erant, neque in edicto consulis senatum vocantis dicebantur, sed ita citabantur, *quibusque in senatu sententiam dicere licet*. ut latissime E disputat Manutius lib. sing. de senatu, cap. I. Postetis vero temporibus ex senatoribus simul & equitibus constituti sunt. Ulpian. in fragm. *In consilium adhibentur Romæ, quinque senatores, quinque equites Romani*. quod cap. sequenti probabimus. Illud quoque ex Tacito videor observasse, XXviratum primum ad cæteros honores, eumque necessarium gradum ante quæsturam, tribunatum, aliosque minores magistratus, fuisse. ita n. scribit de Tiberio, Annal. III. *Per idem tempus Neronem e liberis Germanici, jam ingressum juventam, commendavit patribus, utque munere capescendi xxviratus solveretur, & quinquennio maturius quam per leges liceret, quæsturam peteret, non* F *sine inrisu audientium postulavit*. Unde colligo XXviratum tanquam inter minores magistratus minimum, ante quæsturam fuisse gerendum, ideoque in veteribus inscriptionibus ante quæsturam ponitur XVIR. ut in hoc: SCÆVA QUÆSTOR, DECEMVIR STLITIBUS JUDICANDIS, TR. PL. Quæsturæ autem annus legitimus cum esset XXIV. exactus, ut notat Lipsius ad Tacitum, & solvi Neronem legibus petierit Tiberius, ne XXviratum caperet, sed quæsturam quinquennio maturius quam liceret, existimo sane XXviratus capiendi annum fuisse legitimum XX. sed existimo tantum, non affirmo. XXviratus mentio adhuc Romæ in veteri quodam marmore sic: L. CÆSONIUS C. F. QUIRINA, LUCILIUS, MACER RUFIANUS COS. FR. ARVALIS. FR. URB. ELECT. AD COGNOSCENDAS VICE CÆSARIS COG. PROCOS. AFRIC. INTER XXVIROS EX SCTO. Atque hæc ita se habere, quæ de decemviris dicta sunt, firmissimis historicorum testimoniis probavimus; dissentit tamen CL. JCtus Jacobus Rævardus, existimatque decemviros creatos esse circa A. U. C. CDLXVII. Q. Marcio, P. Cornelio coss. Argumenta, quibus hoc probatum ivit, sunt: primum, quod Pomponius scribit d. l. 2. decemviros litibus judicandis creatos esse, quo triumviri capitales sunt instituti, illi vero circa eum annum, ut ex Flori Epitome XI. constat; ergo etiam decemviri eo tempore creati sunt. Deinde ratio scribendi evincit, eos longe antiquiores esse, quam ego scripsi, quod *xviri stlit. judic.* dicantur prisco more, qui *stlocum*, *stlatum*, *stlembum*, *stlitem*, pro *locum*, *latum*, *lembum*, *litem* dicebant, ut scribit Festus. Nugas agis, mi Rævarde, & fluctus in simpuvio excitas. Primum, quod ais, ideo videri tibi decemviros A. U. C. CDLXVII. creatos esse, quod Pomponius dicat, eodem tempore triumviros capitales esse institutos, qui creati sunt eo anno, id sane a me negatur, cum ex iis quæ supra diximus manifestum sit centumviros post A. U. C. DXII. creatos esse, iisque præfectos decemviros litib. jud. eamque ob causam ante centumviros non fuisse, sit verisimile. Verum Pomponium ita interpretor, nempe, institutis decemviris, viarum curatorib. quatuor, cæterisque quos enumerat Dion, ex omnibus illis minimis magistratibus XXviratum institutum fuisse, omnesque uno XXviratus magistratu complexos, quod sane non improbat Dion, quem modo citavimus; cumque Pomponii ævo iidem quos enumerat, etiam tunc XXviratus nomine continerentur, existimasse, omnes illos minores magistratus uno eodemque tempore creatos fuisse: nova quidem interpretatione, sed quæ clarissimi JCti auctoritatem quæ facile convelli non debet, tueatur, tum etiam verbis ejus & Dionis historiæ maxime conveniat. Quod secundo loco dicis eam ob causam antiquiores esse, quod prisca lingua *decemviri stlitibus judicandis* sint appellati, pugnant sane contra te non modo vetustissima legum Romanarum fragmenta, post A. U. C. DXIII. latarum, sed veterum quoque poetarum scripta, Ennii, Pacuvii, Nævii, Accii, Lucilii, Plauti, in quibus sane non minus antiqua verba, & tunc temporis in ore totius populi Romani, ut ex legum tabulis & scriptis eorum liquet, reperiuntur, ut cuique obvia sunt. Vides quam parvo nisu arcem tuorum argumentorum oppugnavi, & expugnavi. Teneamus itaque decemviros institutos & creatos esse post centumviros, aut si libet cum centumviris, circa A. U. C. DXIII. Nunc quæ de decemviris dicenda sunt, persequamur.

CAP. X.

De judicibus decemviralibus, prætoris consilio, & de munere decemvirorum in judicio centumvirali.

SCRIBIT Cicero in libro de oratore: *Plane duumvirorum judicium, aut triumvirorum capitalium, aut decemvirorum stlitibus judicandis dico nunquam*. Quibus ex verbis apparet decemviros quoque judicia exercuisse, nec illud solum, verum etiam solennibus cognitionum diebus prætori de quacunque graviori causa cognituro non tanquam assessores, aut consiliarios, sed judices adsuisse, docet Ulpianus in l. 16. π. de Manumis. vindicta. Quamobrem dicendum nobis erit. primum quomodo prætori in causæ cognitione adfuerint, deinde quomodo, & quæ judicia ipsi exercuerint, postremo, quid potestatis & officii habu-

erint in judicio centumvirali. Prætor urbanus præbiturus conſilium, decem ſenatores, totidemque equites Romanos in conſilium adhibebat. Ulpianus in fragm. *In conſilium adhibentur Romæ quinque ſenatores, & quinque equites Romani.* Theophilus Inſtit. quib. ex cauſ. manumit. *Habebatur & Romæ conſilium, aliquo die conventus prætore pro tribunali ſedente, & aſſidentibus ei quinque ſenatoribus, & quinque equitibus Romanis.* Qui ſane ſenatores equitesque dicebantur non aſſeſſores, non conſiliarii, ſed judices. Ulpianus l. 16. π. de Manumiſ. vind. *Illud in cauſis probandis meminiſſe judices oportet, ut non ex luxuria, ſed ex affectu deſcendentes cauſas probent.* Et Imp. Antoninus in l. 1. C. d. vind & apud conſ. manumiſ. *Eorum qui apud conſilium manumittuntur, poſt cauſam a judicibus probatam, non ſolet ſtatus in dubium revocari, ſi dicantur falſa demonſtratione liberati.* Illud quoque addendum eſt judices illos non repentinos, ſed certos & continuos fuiſſe, quod ex eo probatur quod iidem fuerint cum XX. recuperatoribus qui præſidi in provinciis in conſilio aderant. illi vero continui erant, quod indicat Ciceronis locus in Verrina quarta: *In conſilio habebat homines honeſtos, e conventu Syracuſano, qui ſacerdotis quoque in conſilio fuerant.* Idem paulo poſt: *Illud negabis, aut nunc negabis, te conſilio tuo dimiſſo, viris primariis, qui in conſilio ſacerdotis fuerant, tibi eſſe ſolebant, remotis, de re judicata judicaſſe?* Quamobrem tantæ quoque fuere auctoritatis, ut, cum ei, cui mandata eſt juriſdictio a prætore urbano, vel præſide provinciæ, adſeſſores & amicos in conſilium adhibere licuerit, l. 3. & 5. π. de aſſeſſoribus tamen conſilium exercere, id eſt, decemviros illos convocare non liceret, Ulp. in l. 2. π. De off. ejus cui man. juriſd. *Mandata juriſdictione a præſide, conſilium non poteſt exercere is, cui mandatur.* Itaque cum tantæ fuerint dignitatis judices, nec alio nomine apud ICtos appellentur, credibile eſt eoſdem fuiſſe cum decemviris litibus judicandis, eaque appellatione fuiſſe ornatos præcipui honoris & prætorii judicii gratia, quemadmodum XX. illi qui a præſide in conſilium vocabantur, honoris gratia *peregrini recuperatores* dicti ſunt. Atque ita ſentit de decemviris Jacobus Rævardus Protribunal. cap. XVIII. De judiciis vero decemvirorum ſi dicendum ſit, credibile eſt illos non modo a prætore in conſilium vocatos, verum etiam propria quaſi juriſdictione judicaſſe. Pomponius enim in l. 2. §. 29. eos magiſtratus eſſe affirmat hiſce verbis: *Deinde cum neceſſarius eſſet magiſtratus, qui haſtæ præeſſet, decemviri litibus judicandis ſunt conſtituti.* quod confirmat Cicero in libro de Oratore: *Plane duumvirorum judicium, aut triumvirorum capitalium, aut decemvirorum litibus judicandis dico nunquam.* Duumviri magiſtratus erant, & de crimine perduellionis ſpecialiter judicabant. Dion in conſ. Ciceronis lib. XXXVIII. *Tulit T. Labienus tribunus pl. ut duumviri crearentur, qui Rabirium perduellionem judicarent, quod Saturninum tribunum pl. in tumultu civitatis occiderat.* Cicero pro Rabirio, & Livius l. 1. decad. 1. Triumviri capitales magiſtratus erant, & de ſervorum, infimæque plebis criminibus judicabant, propria juriſdictione ad columnam Mœniam conſidentes, Valerius Maximus lib. VIII. cap. IIII. *Contra Fannii ſervus Alexander, cum in hanc ſuſpicionem C. Flavii equitis Romani occiſi veniſſet, ſepties tortus pernegavit ei ſe culpæ affinem fuiſſe, ſed perinde atque confeſſus & a judicibus damnatus, & a L. Calpurnio triumviro in crucem actus eſt.* Itaque & decemviros litibus judicandis, cum magiſtratus fuerint, etiam propria quaſi juriſdictione judicaſſe, certo mihi perſuadeo. Verum quibus de cauſis & controverſiis? Hic mihi aqua hæret, nec tabula in manibus eſt, qua ſuffragium feram. Manifeſtum quidem eſt ex Cicerone de libertate eos judicaſſe, ex ejus oratione pro Cæcinna his verbis: *Cum Arretinæ mulieris libertatem de-*

A *fenderem, & Cotta decemviris religionem injeciſſet, decemviri prima actione non judicaverunt.* Idem pro domo ſua: *Si decemviri ſacramentum in libertatem injuſtum judicaſſent, tamen quotieſcunque vellet quis, hoc in genere ſolo, rem judicatam referre poſſe voluerunt.* Et Paulus in l. *non diſtinguemus*, 32. §. *liberali.* π. de arbitr. *Favor libertatis eſt, ut majores judices habere debeat.* Majores autem judices procul dubio decemviri litibus judicandis ſunt. Verum de ſola libertate? Nemo hactenus fuit ex ordine antiquario, qui hunc nodum ſecuit. Itaque ſi quis me ſententiam roget, Ego decemviros litibus judicandis, de cauſis præjudicialibus judicaſſe CENSEO, id eſt,
B cum de ſtatu & conditione civis Romani quærebatur, veluti, Utrum aliquis liber ſit, an ſervus; libertus, an ingenuus; filius, an non filius; utrum aliqua prægnans ſit ex viro, an non; uxor illius fuerit, an non fuerit, & ſimilibus: idque rationibus & argumentis me defendere poſſe arbitror. Primum, quemadmodum centumviri non de ſimplicis facti, ſed intricati juris controverſiis hæreditariis, tanquam majores judices, judicabant, ita decemviros litibus judicandis, de præjudicialibus cauſis, quæ in juris diſputatione verſabantur, judicaſſe, veriſimile eſt. Deinde, præjudicia aperte ab actionibus privatis di-
C ſtinguuntur, in l. 35. §. 2. π. de procurat. Quod ſi præjudicium non ſit privata actio, publica eſt; quod ſi publica, non a privatis judicibus diſceptari potuit, ſed a majoribus judicibus, quales decemviri erant. Poſtremo, ſcribit Ulpianus in l. 2. π. Ne de ſtat. defunct. libertatem, publicam tutelam mereri. Quod ſi libertas, cur etiam non cætera præjudicia? cum etiam jam tam in iis, quam in cauſa libertatis de ſtatu civium quæratur. Quod ſi ita ſit, quis non videat decemviros publicos judices & magiſtratus, de præjudiciis publicam tutelam merentibus, judicaſſe? Si tamen cui contra ſentire libeat, licet.

Nunc quid muneris in centumvirali judicio de-
D cemviri obierint, explicabo, quod divinare, quam aſſerere facilius eſt. tamen cum Sigonius in libro de privatis judiciis cap. XXVI. exiſtimet decemviros in centumvirali judicio, præſtitiſſe, quod judex quæſtionis in publicis, dicam ego quæ ſentio. Itaque lite ordinata, & actione ſubſcripta, prætor urbanus decemvirorum magiſtro (erat enim magiſter decemvirorum inter eos primæ auctoritatis, quod ex hac veteri inſcriptione manifeſtum eſt. C. FABIUS RUMINALI: MAG. XVIRUM) diem denunciabat, quo centumvirale judicium eſſet exercendum, ille collegas convocabat, haſtas promebat. Conſidente præ-
E tore cum centumviris, illi ſingulis tribunalibus aſſidebant, capita conferre jubebant, ſuffragia colligebant, teſtes cum judicibus audiebant, omnia denique peragebant, quæ in judicio centumvirali erant peragenda, centumviris oratoribus aures præbentibus.

CAP. XI.

De quæſtoribus qui cogebant centumviros.

ORigo *quæſtoribus creandis*, (ait l. unic. π. de quæſt.) *antiquiſſima eſt, & pæne ante omnes magiſtratus.* Et quemadmodum dubium eſt,
F an, & quando quæſtores ſub regum imperio fuerint, ita ex Livio manifeſtum eſt conſulum imperio primos quæſtores eſſe creatos, A. U. C. CCXLIV. L. Junio Bruto, P. Valerio Poplicola coſſ. Plutarch. in Poplicola: *Conceſſit autem populo ut quæſtores duos creare poſſet, creatique ſunt primi P. Veturius, M. Minucius.* Zonaras Tomo II. *Poplicola pecuniæ tractationem aliis mandavit, ne conſulum per eam poteſtas augeretur, tum primum quæſtoribus deſignatis.* Nam quod alii putent ante A. U. C. CCLXIX. quæſtores non eſſe creatos, quod Livius ante eum an-

A num quæstorum non meminerit, sane ridiculum est, cum etiam tunc tantæ fuerint authoritatis, ut Cassio perduellionis reo diem ad populum dixerint. Deinde duo adjecti sunt A. U. C. CCCXXXIII. quo inter patres & plebem *dissensio exorta est, cœpta ab duplicando quæstorum numero. Quam rem, ut præter duos urbanos quæstores, duo coss. ad ministeria belli præsto essent, a coss. relatam, cum & patres summa ope comprobassent, coss. tribuni pl. certamen intulerunt; ut pars quæstorum (nam ad id tempus patritii erant) ex plebe fieret*. Et paulo post: *anno sequenti patres patiendo tribunos militum pro coss. fieri, tribunis pl. non intercedendo quo minus quatuor quæstores* B *promiscue, de plebe ac patribus, libero suffragio populi fierent, concordiam copularunt*. Livius lib. IV. Is quæstorum numerus permansit ad A. U. C. CDLXXXVIII. Livii epitome XV. quæstorum numerus ampliatus est, ut octo essent, & auctus non est ante Syllanam dictaturam, Tacit. Annal. XI. Post legem Syllæ XX. quæstores creati, supplendo senatui cui judicia tradiderat, quod contigit A. U. C. DCLXXII. C. Mario, Cn. Carbone coss. Postremo Julius Cæsar ad XL. numerum ampliavit A. U. C. DCCIX. Q. Fabio, C. Trebonio coss. Dion. lib. XLIV. *Numerus autem magistratuum in reliquis idem, qui ante observabatur,* C *sed prætores XIV. quæstores XL. facti sunt*. Dicti vero sunt quæstores, ut scribit Varro, *a quærendo qui conquirerent publicas pecunias*. Ex his duo tantum in urbe manebant ærario præfecti, qui ejus pecunias acceptas & expensas in tabulas referebant, & quæstores urbani dicebantur. Cæteri omnes provinciales erant dicti, a provinciis in quas mitti solebant, ut rei pecuniariæ, scilicet vectigalium publicorum reddituumque populi Romani in provinciis curam haberent, quas sortito accipiebant, ut ex Cicerone liquet. Primis vero temporibus quæstores a coss. eligebantur. Tacit. Annal. XI. *Mansitque consulibus potestas deligendi* (de quæstoribus agit) D *donec eum quoque honorem populus mandaret, creatique primum Valerius Potitus, Æmilius Mamercus*. Non est autem dubium, quin ante tributa comitia curiatis comitiis crearentur, eodem modo quo tribuni ædilesque plebis, ante legem publicam. At postquam curiata comitia cœperunt velut auspiciorum causa in urbe retineri, ut Cicero in Rullum scribit, certe tributis comitiis velut cæteri minores magistratus creati sunt. Cicero lib. VII. Epist. ad Curium: *In campo certe non fuisti hora secunda, cum comitiis quæstoriis institutis, sella Q. Maximi, quem illi consulem esse dicebant, posita esset. quo mortuo nunciato sella sublata est. Ille autem qui tributis comitiis* E *auspicatus esset, centuriata habuit*. Magistratus autem minimi erant, ideoque comitiis tributis creati. *Quæstoris n.* (ut scribit Asconius) *prima erat senatori administratio, post quæsturam ædilitas, deinde tribunatus pl. post prætura, & demum consulatus peti solebant*. Atque adeo inter minores magistratus erant, ut neque vocationem, neque prehensionem haberent, atque ad prætorem in jus vocari poterant. Agell. lib. XIII. cap. XIII. quod ipsum confirmat Asconius in divinat. *Subsellia sunt triumvirorum, tribunorum, quæstorum, & hujusmodi, minora judicia exercentium, qui non in sellis curulibus, nec* F *tribunalibus, sed in subselliis considebant*. Quibus ex verbis manifestum est, quæstores quoque licet jurisdictionem non habuerint, quod multis probari video, etsi nondum liqueat, tamen de minoribus causis, a majori magistratu ad ipsos delatis, judicium habuisse existimo, quemadmodum & illis, qui in provincias mittebantur, a præside nonnunquam jurisdictio mandabatur. Sueton. Julio: *Cæsari quæstori Hispania ulterior obvenit, ubi cum mandato prætoris juri dicundo conventus circumiret*. Et in divinat. in Cælium: *Quæstor ad se Agonidem vocari jubet, judicium dat statim, Si pateret, &c.* Illis quæstoribus cum quæstura abiissent si non omnibus, saltem quibusdam, aut solummodo urbanis duobus (illud en. affirmare non possum) judicii centumviralis potestas cogendi data fuit, sed quo anno, nondum invenire potui; illud tamen credibile est, decemviris primum illam potestatem obtinentibus, ademptam fuisse, propter frequentissima prætoris consilia, quibus adesse cogebantur, tamen illis restituta, & quæstura functis adempta est, A. U. C. DCCXXV. Cæsare V. S. Apulejo, Sexti filio, coss. Suetonius Aug. cap. XXXVI. ubi narrat Augustum authorem fuisse, *ut centumviralem hastam, quam quæstura functi consueverant cogere, decemviri cogerent*.

CAP. XII.

De prætore urbano qui præsidebat centumviris.

ERAT prætor qui magnifico huic centumvirali judicio præsidebat, quod tum ratio ipsa evincit, centumviri n. ipsi nec magistratus erant, nec legis actionem habebant, tum etiam comprobatur testimonio Plinii lib. Epist. ult. ad Rufum: *Hoc facto Nepotis commotus prætor qui centumviralibus præsidebat, deliberaturus, an sequeretur exemplum, inopinatum nobis otium dedit*. Is vero prætor urbanus erat, ut dilucide indicat Valerius Maximus lib. VII. cap. VII. *Egregia quoque C. Calpurnii Pisonis prætoris urbani constitutio. Cum enim ad eum Terentius ex octo filiis quos in adolescentiam perduxerat, ab uno in adoptionem dato exhæredatum se querelam detulisset, bonorum adolescentis possessionem ei dedit, hæredesque lege agere passus non est*. & paulo post: *Multo Q. Metellus prætorem urbanum severiorem egit, quam Orestes gesserat, qui Vetilio Lenoni juveni, bonorum possessionem secundum tabulas testamenti non dedit*. Quod si in prætoris urbani potestate fuit querelam inofficiosi testamenti, bonorumque possessiones dare, vel negare, quæ apud centumviros petebantur, certe probabile est centumvirali judicio quoque præfuisse: itaque de prætore urbano pauca dicamus. Prætor urbanus erat qui in urbe, & inter cives Romanos de controversiis rerum privatarum jus dicebat, & major vel maximus dictus erat. Festus: *Majorem consulem L. Cæsar putat dici vel eum, penes quem fasces sint, vel is qui prior factus est. Prætor autem major urbanus, minores cæteri*. Dictus est autem prætor (ut scribit Varro) *quod præiret juri, & exercitui. juri in urbe, exercitui in provinciis & castris. urbanus* vero quod in urbe solum, & inter cives Romanos jus diceret. Erat enim prætoris urbani a prætoris peregrini jurisdictio distincta, & sortito utrique obveniebat. Livius lib. XXII. *Romæ juris dicendi urbana sors Pomponio, inter cives Romanos & peregrinos P. Philoni obvenit*. Idem lib. XXXIII. *Prætores deinde provincias sortiti L. Apustius Fullo urbanam jurisdictionem, M. Acilius Glabrio inter cives & peregrinos*. Primus prætor urbanus fuit Camillus, creatusque A. U. C. CCCLXXXVIII. L. Sextio Laterano, L. Æmilio Mamerco coss. Livius lib. VII. *Annus hic fuit insignis novi hominis consulatu, insignis novis duob. magistratib. prætura & curuli ædilitate. Hos sibi patritii quæsivere honores, pro concesso plebi altero consulatu: patres præturam SP. Furio M. F. Camillo, ædilitatem CN. Quinctio Capitolino & P. Cornelio Scipioni suarum gentium viris dederunt*, Peregrinus vero A. U. C. DX. ut suo loco probavimus. Porro prætoris urbani jurisdictio omnis, hisce tribus verbis continebatur, DO, DICO, ADDICO. Varro lib. V. de LL. *Dies fasti, per quos prætorib. omnia verba sine piaculo licet fari. Contrarii horum vocantur dies nefasti, per quos dies nefas fari prætorem* DO, DICO, ADDICO. *Itaque non potest agi. Necesse est aliquo eorum uti verbo, cum lege quid peragitur*. DABAT bonorum possessiones,

vindicias, actiones, judices, & judicia. DICEBAT, cum aliquem liberum esse decerneret, cum interdiceret, aliisque in similibus causis. ADDICEBAT in jure cessione, emancipatione, adoptione, aliisque legum actionibus. Hic itaque prætor urbanus, ut modo probavimus, centumviris præsidebat, & sententiam exequebatur. Sedebat vero, ut existimat Rævardus Protrib. cap. XX. medius inter centumvirorum consilia quatuor, sic ut a dextra parte duo posita essent diversa tribunalia, & totidem a parte sinistra, quod voluisse videtur Quintilianus cum scribit lib. v. cap. II. partes centumviralium in duas hastas divisas esse. Quod sic videtur intelligendum, ut hastæ singulæ singulis duplicibus consiliis essent præfixæ, eæque non altera centumviralis, altera prætoria, vel decemviralis, ut existimat Rævardus, sed ambæ centumvirales, ut lib. II. cap. I. docebimus. Opinionem illam confirmat Ulpianus in l. 10. π. Inoff. testam. *Si pars judicantium, de inofficioso testamento contra testamentum, pars secundum id sententiam dederit, quod interdum fieri solet, humanius erit sequi ejus partis sententiam, quæ secundum testamentum pronunciavit.* Quod ita interpretor, si pars una centumviralium (id est, duo consilia) contra testamentum, pars altera (id est, alia duo consilia) secundum testamentum pronunciaverint, quia pares sententiæ sunt, sequendam esse ejus partis sententiam quæ testamentum ratum habuit. Quod si ita sit, credibile est, prætorem ita sedisse, ut ab utroque latere, unam partem duobus consiliis constantem haberet. Atque ita judicio ordinato, advocati, & patroni causarum ad causas agendas prodibant, de quibus ut nunc agamus ordo postulat.

CAP. XIII.

De advocatis & patronis causarum in judicio centumvirali.

NON dubium est, quin ut in omnibus judiciis, ita etiam in hoc magnifico centumvirali judicio, omnibus, qui legibus non vetabantur, causas agere licuisse. plerumque tamen juvenes, qui eloquentiæ & juri civili operam dabant, causarum patrocinium apud centumviros auspicabantur. Plinius lib. II. Epist. XIV. *Atque etiam magna ex parte adolescentuli obscuri ad declamandum huc transeunt, tam irreverenter & temere, ut mihi Attilius noster expresse dixisse videatur, sic in foro pueros a centumviralibus causis auspicari, ut ab Homero in scholis.* Etenim sæpissime causæ exiles, & levis momenti apud centumviros ventilabantur, quibus perorandis ætas & peritia adolescentum sufficiebat, ipsique in tam magnifico judicum consilio & frequentissima populi corona constituti, maxima laude excitabantur. Plinius, eadem Epist. *Verum, opinaris, distringor centumviralibus causis, quæ me exercent magis quam delectant. Sunt enim pleræque parvæ, & exiles. Raro incidit vel personarum claritate vel negotii magnitudine insignis.* Verum cum vix cuiquam statim tam clarum sit ingenium, ut possit emergere, nisi illi materia, occasio, fautor etiam, commendatorque contingat, moris olim erat, ut a consulari vel prætorio viro in judicium producerentur. Plinius eadem epist. *At hercule ante memoriam meam, ita majores natu solebant dicere, nec nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi consulari aliquo producente: tanta veneratione celeberrimum opus celebrabatur.* Atque ita Plinius ipse a C. Cæcilio consule designato ad honores petendos & gerendos adolescentulus in forum deductus est, & ipse rursum Cremutium Rufonem deduxit, ut scribit lib. VI. Epist. XXII. *Peto atque paciscor, ut simul agat Cremutius Ruso. solitum boc mihi & jam in pluribus claris adolescenti-*

A *bus factitatum. Nam mire concupisco bonos juvenes ostendere foro, assignare famæ.* Agebant vero causas, aut in duplici, aut in quadruplici judicio. In duplici judicio, cum causas leviores ad priora duo consilia, quæ ab uno latere prætoris erant, causam orabant, qui, si non ad placitum utriusque partis pronunciassent, ab iis causa circumducebatur ad alia duo consilia, quæ ab altero latere prætoris erant. hoc est quod Quintil. ait lib. v. cap. II. *Aut cum de eadem causa pronunciatum est, ut in reis deportatis, & assertione secunda, & de partibus centumviralium qui in duas hastas divisæ sunt.* Agit enim de præjudiciis, dicitque ea in tribus generibus versari, rebus,
B quæ aliquando ex paribus causis sunt judicatæ, judiciis, ad ipsam causam pertinentibus, aut cum de eadem causa pronunciatum est, videlicet, altero partium in duplicibus judiciis victo. Et deinde lib. XI. cap. VIII. *Succurret etiam si apud alios judices agetur, ut in secunda assertione, aut in centumviralibus judiciis duplicibus parte victa.* Quamobrem sæpissime ad utramque hastam & ab utroque prætoris latere uno eodemque momento, diversæ causæ apud centumviros agebantur, ut Plinius indicare videtur lib. II. epist. XIV. *Assectabar Domitium Afrum cum apud centumviros diceret graviter, & lente: hoc enim*
C *illi actionis genus erat. audit ex proximo immodicum, insolitumque clamorem: admiratus reticuit. ubi silentium factum est, repetit, quod abruperat. Iterum clamor, iterum reticuit, & post silentium, cœpit iterum tertio. Novissime quis diceret, quæsivit, responsum est: Licinius. Tum intermissa causa: Centumviri, inquit, hoc artificium perit.* Quod ita interpretor, Licinium ad unam hastam vel duo consilia, & Domitium ad alteram & reliqua consilia, uno eodemque tempore de diversis causis perorasse, quod confirmant verba, *ex proximo*. In quadruplici vero judicio agebant, cum gravissimæ causæ, in quibus de jure & æquitate erat disputandum, quæ magnæ e-
D rant auctoritatis, inciderent. tum ad omnia tribunalia dicebant, omnesque simul centumviri collatis hastis de controversia pronunciabant. Plinius lib. I. Ep. XVIII. *Et eram acturus adolescentulus adhuc, eram in quadruplici judicio, eram contra potentissimos civitatis atque etiam Cæsaris amicos.* Et lib. IV. Epist. XXIV. *Proxime cum apud centumviros quadruplici judicio dixissem, subiit recordatio, egisse me juvenem æque in quadruplici.* aliisque multis locis, & Quintil. l. XII. cap. v. de Trachallo loquens: *Certe cum in basilica Julia diceret primo tribunali, quatuor autem judicia, ut moris est, cogerentur.* Porro illud certum
E est, apud centumviros etiam, ut & in aliis judiciis, causarum patronis certum dicendi spacium fuisse præfixum, quem morem primus Pompejus magnus tertio suo cons. A. U. C. DCCII. induxit. Quintilianus in Dialogo de oratore: *Primus tertio cons. CN. Pompejus astrinxit, imposuitque veluti frenos eloquentiæ,* & quæ sequuntur. de centumviris autem probat Plinius alibi cum dicit, apud centumviros quatuor clepsydras poposcisse, & lib. I. Epist. XIV. & lib. VI. Epist. II. Item lib. IV. cap. XVI. *Ad hoc quidam ornatus adolescens scissis tunicis, ut in frequentia solet, sola velatus toga perstitit, & quidem horis septem: nam tamdiu dixi, magno cum labore, sed majore cum*
F *fructu.* Erat autem clepsydra vasculum quoddam plenum aqua, ex qua per fistulam guttatim stillabat, eoque spacium dicendi metiebantur, describitque illud egregie Apulejus de Aureo Asino lib. III. *Sic rursum præconis amplo boatu citatus accusator quidam senior exurgit, & ad dicendi spacium vasculo quodam in vicem coli graciliter fistulato, ac per hoc guttatim defluo, infusa aqua populum sic adorat.* Centumviri quoque cum multi essent eloquentes ipsi, & juris scientia insignes, non modo ad causas, sed orationes etiam ipsas, sollicitas aures accommodabant, & curam in dicendo exigebant, quod scribit

Quintil. lib. IV. cap. I. *Quia jam quibusdam in judiciis maximeque capitalibus, ut & apud centumviros, ipsi judices exigunt sollicitas & accuratas actiones, contemnique se, nisi in dicendo etiam diligentia appareat, credunt, nec doceri tantum, sed etiam delectari volunt*. Idem in dialogo de Oratore, & Plinius lib. VI. epist. penult. gloriatur, se summa cum gloria, apud centumviros causam Acciæ Variolæ dixisse. Quod si summa cum gravitate & eloquentia perorarent, aut media oratione cum substitissent, aut finita oratione, a centumviris exurgentibus laudabantur. Quintil. lib. XII. c. V. de Trachallo loquens: *Certe cum in basilica Julia diceret primo tribunali, quatuor autem judicia, ut moris est, cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent, & auditum eum & intellectum, &, quod agentibus cæteris contumeliosum fuit, laudatum quoque ex quatuor tribunalibus memini*. Plinius lib. IX. Epist. XXIII. *Frequenter agenti mihi evenit, ut centumviri, cum diu se intra judicum auctoritatem gravitatemque tenuissent, omnes repente quasi victi coactique consurgerent, & laudarent*. Nec a centumviris modo, verum etiam a circumstante populi corona illis acclamabatur. Quintil. lib. II. Epist. XIV. *Si quando transibis per basilicam & voles scire, quomodo quisque dicat, non est quod tribunal ascendas. facilis divinatio. Scito pessime dicere, qui*

A *laudabitur maxime*. Nec illi quidem sponte laudabant, sed præmiis & sportulis conducebantur. Plinius eadem: *Sequuntur auditores actoribus similes, conducti, & redempti mancipes. Convenitur in media basilica, ubi tam palam sportulæ, quam in triclinio dantur, ex judicio in judicium pari mercede transitur*. & quæ sequuntur plurima. Formulæ autem acclamandi erant, EUGE, BELLE. O HOMINEM LITERATUM. ΦΕΥ ΣΟΦΩΣ, ut eleganter probat Nicolaus Faber ad Senecæ Controvers. lib. IX. & confirmat Tertullianus contra Valentinianos. *In scholis Carthaginensibus* (inquit) *fuit rigidissimus orator Latinus Phosporus nomine: cum virum fortem perorаret, Venio, inquit, ad vos, optimi cives, de prælio*
B *cum victoria mea, cum felicitate vestra, ampliatus, gloriosus, fortunatus, maximus, triumphalis, & Scholastici statim familiæ Phosphori φεῦ acclamant*. Aderat etiam in judiciis centumviralibus quidam μεσόχορος dictus, qui in superiori loco supra cæteros eminens, ubi occasio acclamandi, & laudandi advenerat cæteris, qui propter frequentiam populi audire non poterat, signum dabat, acclamandi tempus esse. Plinius lib. II. Epist. XIV. *Hoc pretio quamlibet numerosa subsellia implentur, hoc ingens corona colligitur, hoc infiniti clamores commoventur, cum μεσόχορος dedit signum*.

SIBRANDUS SICCAMA
BOLS. FRISIUS
DE
CENTUMVIRALI JUDICIO.
LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

Dierum feriatorum, judiciariorumque divisio, quibusque centumviri conveniebant.



QUÆ superiori libro a nobis disputata sunt, eo pertinebant ut probarem, centumvirale judicium non esse publicum, nec privatum, sed celeberrimum quodammodo totius populi Romani consilium, explicaremque quæ personæ ad judicium hoc magnificum constituendum requirebantur; hic vero posterior liber in forma, modoque procedendi centumviralis judicii explicando totus erit, & quidem ante omnia quibus diebus centumvirale judicium cogeretur, excutiamus. quod ut fiat dilucidius, dies Romani, quales lapsa republica fuerint, in genera nobis sunt dividendi. Dierum, quos in foro Romano observabant, alii erant judiciarii, seu sessionales, alii feriati. Judiciarii & sessionales erant, quibus judicia exerceri poterant, & prætor sui copiam pro tribunali faciebat. Eorum alii erant postulatorii, alii cognitionales. Postulatorii erant quibus prætor pro tribunali postulationibus vacabat. Ulpianus lege 2. π. Quis ordin. *In bonorum possessione quæ pro tribunali datur, illud quæritur, si se dedit quidem pro tribunali prætor, sed postulationibus non dedit*. Quid vero postulationum die fieret, explicabo, si prius, quid sit in jure postulare, planum fecerim. *Postulare autem hoc proprie dicimus, pro tribunali pe-*

C *tere, non alibi*, Ulpianus l. 4. π. de dam. infer. generaliter vero definitur: *Postulare est desiderium suum, vel amici sui in jure apud eum qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere*, l. 1. §. *Postulare*. π. de postul. & in l. 9. π. de pœnis: *Potest & ita interdici cui, ne apud tribunal præsidis postulet*. Quibus ex verbis illud manifestum est, postulationes non nisi pro tribunali fieri solitas. Postulabant autem cum actor litem suam intenderet, & reus desiderio actoris vel contradiceret, vel diem ad sui defensionem postularet, & tunc actio edita in actis postulationum inserebatur, quod scri-
D barum munus erat, l. 32. π. Ex quib. caus. majores. Itaque & postulationum die in jus vocabant, & vadimonium dicebant, causaque apud prætorem dicebatur, quod indicat Cicero pro Quint. *Postulat a prætore Burrieno Nævius, sibi bona ex edicto possidere liceat*. & paulo post: *Ilicone ad prætorem ire convenit? continuone verum fuit postulare ex edicto, ut bona possidere liceret*. & paulo post: *A Cn. Dolabella denique prætore postulat, ut sibi Quintius judicatum solvi satisdet*. Julian. in l. 75. π. de procurat. *Qui absentem emptorem fundi defendebat, postulabat a venditore fundi, ut ab eo defenderetur. Venditor deside-*
E *rabat caveri sibi ratam eam rem dominum habiturum*. Julianus lib. 4. digest. in l. 15. π. de oblig. & act. *Emancipato omittente bonorum possessionem, non inique postulabit creditor, restitui sibi actionem adversus scriptum hæredem*. Postulabant etiam in jure, ut de suspectis tutoribus cognosceretur. Ulpianus in l. 1. π. eodem: *Hæc clausula & frequens & pernecessaria est: quotidie en. suspecti tutores postulantur*. Postulabant etiam prima litis intentione, an auctores fierent: *Quan-*

do te in jure conspicio, postulo an fias auctor? item: *Judicem arbitrumve postulo des*. Quibus omnibus videre licet, quid postulationum dieb. apud prætorem fieret. Cognitionales dies sunt quibus prætor cum consilio de controversiis decretum interponit, qui & dies decreti appellantur. Ulpianus in l. 73. π. de judiciis. *Quod si is qui edictum peremptorium impetravit, absit die cognitionis, is vero adversus quem impetratum est, adsit, tum circumducendum erit edictum peremptorium, neque causa cognoscetur, neque secundum præsentem pronunciabitur*. Papinianus in l. 28. π. de excusat. *Tutor petitus ante decreti diem, si aliquod privilegium quærit, recte petitionem institutam excludere non poterit*. Et alludit Tertullianus lib. de habitu muliebri: *Qua constantia tribunal illud ascendimus, decreturi adversus eos quorum munera appetimus*. & confirmat Ulpianus in l. 2. §. ult. π. de bon. possess. *Si causa cognita bonorum possessio detur, non alibi dabitur quam pro tribunali, quia neque decretum de plano interponi, neque causa cognita bonorum possessio alibi quam pro tribunali dari potest*. hisce cognitionum diebus prætor, aut exercebat consilium, aut præbebat consilium, aut conventum indicebat. Exercebat consilium, cum decemviris, quinque senatoribus, totidemque equitibus Romanis in consilium adhibitis, de causis cognosceret. Ulp. in l. 2. π. de off. ejus cui mand. jurisd. *Mandata jurisdictione a præside consilium non potest exercere is, cui mandatur*. Præbebat consilium, cum minori manumittere volenti, & aliis omnibus, qui quid sine consilii sententia prohibentur facere, quique in integrum desiderant restitui, consilium præberet, l. 4. §. 2. π. de manumiss. vind. *Minor annis viginti lege Ælia Sentia manumittere sine consilio prohibetur*. aliisque multis locis. Indicebat conventum, cum quæstio inter partes non simplicis facti, sed controversi juris incideret. quod optime omnium indicat Seneca de beneficiis lib. III. *De quibusdam*, inquit, *etiam imperitus judex dimittere tabellam potest, ubi fecisse aut non fecisse probandum est, ubi prolatis cautionibus controversia tollitur, ubi inter disputantes ratio jus dicit. Ubi vero animi conjectura capienda est, ubi id de quo sola sapientia discernit, in controversiam incidit, non potest ad hæc sumi judex ex ordine selectorum, quem census in album, & equestris hæreditas misit*. Quæ ita recte interpretatur Rævardus lib. Protrib. cap. XI. in judiciis privatis quæ facti solam inquisitionem continent, judicem privatum dari posse; in iis vero, in quibus quid jure vel injuria factum sit, quærendum est, non posse judicem dari, sed solenni conventu dirimi debere. *Conventus* vero *fit*, ut definit Festus, *cum a magistratibus judicii causa populus congregatur*. Illud vero fiebat in centumvirali judicio. Idem Festus: *Centumviralia judicia a centumviris sunt dicta. Nam cum essent Romæ* XXXV. *tribus, terni ex singulis tribubus sunt electi ad judicandum, qui centumviri appellati sunt*. Eum vero conventum diebus cognitionalibus edici solitum probat Rævardus Protrib. cap. IX. Ergo manifestum est, centumvirale judicium diebus cognitionalibus edictum fuisse, sed iis diebus tantum, cum consilium prætor nec præberet, nec exerceret. Feriati dies erant cum forum Romanum judiciis vacaret, resque prolatæ dicebantur. Tacitus II. Annal. *Res eo anno prolatas haud referrem, ni pretium foret Cn. Pisonis & Asinii Galli super eo negocio, diversas sententias nosse*. Plautus Captivis: *Prolatis rebus parasiti venatici sumus*. Auctor ad Pisonem:

Huc etiam tota concurrit ab urbe juventus,
Auditura virum, siquando judice fesso
Turbida prolatis tacuerunt jurgia rebus.

Feriarum vero aliæ sunt solennes, aliæ repentinæ, imperiales seu indictivæ. Solennes sunt aut festorum dierum, aut messis, aut vindemiæ. Feriæ festorum sunt quæ cultui divino dedicatæ sunt, quæ olim in sacra, epulas, ludos, & ferias dividebantur, adde l. 11. de feriis. Messis feriæ sunt, cum fruges in horrea conduntur. Statius lib. 4. Sylvarum ad Marcel.

----- *Messesque reversæ*
Dimisere forum, nec jam tibi turba reorum
Vestibulo, querulique rogant exire clientes.
Cessat centeni moderatrix judicis hasta.

ubi expresse quoque de centumviris. Incipiebant autem ab VIII. Kal. Julii ad Kalend. Augusti. Vindemiales feriæ erant quæ maturis uvis celebrabantur, a x. Kalend. Septembris ad eidus Octobris, l. 2. C. eodem. de iis Minucius Fælix in Octavio: *Ad vindemiam feriæ judiciariam curam relaxaverant*. D. Cyprianus ad Donatum: *Et reddendæ tempestivum prorsus hoc tempus est, quo, indulgente vindemia, solutus animus in quietem, solennes ac statutas anni fatigantis inducias sortitur*. Et quemadmodum feriis res *prolatæ*, ita feriis exactis *rediisse* dicebantur. Plautus Captivis:

Prolatis rebus parasiti venatici
Sumus: quando res redierunt, molossici.

Repentinæ feriæ erant quæ ob res prospere gestas a solo imperatore indicuntur, & imperiales vocantur, l. *sed etsi* §. *feriæ* π. Ex quib. caus. majo. l. 1. & 4. C. hoc. tit. Quibus explicatis, videmus centumviros feriis non convenisse, nec postulatoriis diebus, sed cognitionalibus duntaxat, nec iis omnibus, sed cum prætor consilium nec exerceret, nec præberet. Reliquum est ut, ubi celeberrimus ille conventus ageretur, dispiciamus.

C A P. II.

Ubi convenirent centumviri, & quædam de basilicis dicta.

CERTUM fuisse locum in quo celeberrimum hoc centumvirorum judicium perageretur, dubium non est. etenim singulæ rerum actiones Romæ certis locis ita erant distributæ, ut in vastissima urbe, & totius ferme terrarum orbis mercatu, inter tot hominum millia scirent, non advenæ modo, sed & cives ipsi, ubi eos, quorum opera indigebant, convenirent. Siquidem Jurisperiti omnes, atque illi qui causas agebant ad ædem Apollinis frequentes erant, non illam quæ extra portam Carmentalem, de qua sæpe Livius, sed quam Augustus extruxit ad Palatium, in qua & bibliothecam juris dedicavit, de qua Horatius:

----- *Fit undique clamor,*
Undique concursus, sic me servavit Apollo.

Orationes & judicia plerumque habebantur in foro Romano & ad rostra. Martialis:

Atque erat in triplici par mihi nemo foro.

Triumviri capitales ad columnam Mœniam jus dicebant de infimæ plebis & servorum flagitiis. Cicero in divinatione: *Vobis autem tanta inopia reorum est, ut mihi causam præripere conemini potius, quam aliquos a columna Mœnia vestri ordinis reos reperiatis*. Fœneratores ad Puteal Libonis Licinii, quod in porticu Julia, ad arcum Fabianum, consistebant. Horat.

Putealque Libonis Mandabo siccis.

agit enim de fœneratoribus. Et Ovidius;

Qui Puteal Janumque timent, celeresque calendas.

Mercatores autem ad Janum geminum stabant. Horat.

O Cives, cives, quærenda pecunia primum,
Virtus post nummus. Hæc Janus summus ab imo
Perdocet, hæc referunt juvenes dictata senesque.

Argentarii in foro ad tabernas argentarias. Ita centumviri quoque priori quidem sæculo in foro, postea vero in basilicis conveniebant. Quintilianus lib. XII. cap. V. *Certe cum in basilica Julia diceret primo tribunali*,

nali, quatuor autem judicia, ut moris est, cogerentur. agit enim de centumviris. & Plinius lib. v. epist. ult. *Descenderam in basilicam Juliam, auditurus quibus proxima comperendinatione respondere debebam. Sedebant judices, venere decemviri*. Et lib. II. epist. XIV. *Si quando transibis per basilicam, & voles scire quomodo quisque dicat, nihil est quod tribunal ascendas*. quibus locis omnibus de centumvirali judicio agitur. In basilicis itaque convenere. Erant autem basilicæ ædificia templis similia, ambulationibus amplissimis instructa, ad quas multi tota urbe, alii causas agendi, alii JCtos consultandi, alii aliud agendi causa, confluebant. Non enim soli centumviri in iis conveniebant, sed aliæ diversæ causarum cognitiones peragebantur, imo & tribuni pl. ibi jus dicebant, ut scribit Plutarchus in Catone: *Erat*, inquit, *basilica quædam Porcia, quam magnus Cato in censura condiderat; ejus basilicæ tribuni plebis, quoniam in illa jus dicere consueverant, columnam, quæ sellas eorum impedire videbatur, decreverant tollere*. Unde quidam quod principes ad eas olim juris dicendi causa venirent, basilicas dicti esse existimant, *ἀπὸ τῦ βασιλέως* quo nomine Græci, & regem, & judicem intelligunt. Hesiodus *περὶ ἔργων καὶ ἡμερῶν*:

> ---- *ἄλλά τε πολλὰ*
> Αρπάζων ἐφόρεις, μεγα κυδαίνων βασιλῆας
> Δωροφάγυς,

ubi contra omnes interpretes, Budæus, & post eum clarissimus, doctissimus, & non modo Græcæ linguæ, sed omnis politioris literaturæ, historiarum, & antiquitatum vere peritissimus D. Joannes Fungerus, Jurium & Medicinæ Doctor, Scholæ Leoverdianæ Rector vigilantissimus, cui ego, propter fidelissimam institutionem (nam integro septennio ipso præceptore Bolsverdiæ & Leoverdiæ simul usus sum) immortales gratias debeo, pro regibus, judices interpretatus est, cum aliquando nobis Hesiodi opera & dies explicaret. Verum ad rem. Negotiatores quoque in basilicis cum judicibus prostabant, l. 32. §. 4. π. de aur. & argent. leg. Sed quomodo centumviri in basilicis inque ipsis tribunalibus considerent, quomodo advocati causas agerent, & populus eos audiret, spectaretque, eleganter scribit Plinius lib. VI. epist. XXXIII. quem locum integrum describam: *Sedebant judices centum & octoginta, (tot enim quatuor consiliis conscribuntur) ingens utrimque advocatio & numerosa subsellia, præterea densa circumstantium corona latissimum judicium multiplici circulo ambibat. Ad hoc stipatum tribunal, atque etiam ex superiore basilicæ parte, qua fœminæ, qua viri, & audiendi, quod erat difficile, & quod facile, visendi studio imminebant. Magna expectatio patrum, magna filiarum, magna etiam novercarum. Secutus est varius eventus: nam duobus consiliis vicimus, totidem victi sumus*. In basilicis vero (quæ Romæ erant amplissimæ & spaciosissimæ, ut Julia, Porcia, Sempronia, Æmilia, Antonina, Caii & Lucii, aliæque quas Marlianus enumerat) centumviri conveniebant, tum quod ad forum essent positæ, ubi semper maximus concursus populi Romani & negociantium fuit, tum etiam quod extrinsecus, licet essent spaciosissimæ, patulæ porticus erant extructæ, cum transversa ambulatione, quam *causidicam* vocabant, quod causarum actores & advocati cum suis clientibus ibi commode & frequenter ambularent & versarentur. Ita centumviri cum statis temporibus a decemviris sortiti in basilicam convenissent, hasta futuri centumviralis judicii signum pro tribunalibus ponebatur, de qua ut nunc breviter dicamus, ordo postulat.

CAP. III.

De hasta centumvirali, & diversis hastarum solennitatibus & differentiis.

HASTAM dictam esse, ait Varro, quod *astans* ferri solet, & cum aspiratione scribitur, differentiæ causa ab imperativo verbi *asto*. Hastatum vero origo apud Hetruscos fuit, qui hastam *corim* vocabant & Sabini *quirim*, unde Romulus *Quirinus* dictus est, Ovid. primo Fast.

> *Sive quod hasta quiris priscis est dicta Sabinis,*
> *Bellicus a telo venit in astra Deus.*

Reges vero suos vocabant *Coritos*, id est, Joves hastatos. *Itis* enim Jupiter, vel Jovis fiducia dictus erat, & hasta cum diademate erant Hetruscorum regum insignia, ut probat Joannes Aonius in historia Hetrusca. Hastam itaque (ut omnem hastarum solennitatem explicemus) faciemus quadruplicem, sacram, militarem, publicam, centumviralem. Hasta sacra erat, quæ Deorum immortalium statuis apponebatur. Lucanus:

> *Fulminibus manes radiis ornabit & hastis.*

Significantes Deos bellorum præsides esse, eorumque auspiciis gubernari. Sed an omnium deorum statuæ hastis fuerint ornatæ, affirmare non audeo; certe Lanuvii ad Junonis statuam hasta erat, quæ mota sæpe prodigio fuit. Martis quoque statua in Numæ sacrario ambabus manibus hastam ferebat, quæ cum moveretur, hostiis majoribus a pontifice maximo prodigium illud expiabatur. Agell. lib. IV. cap. VI. Militaris hasta duplex erat, fæcialis & cruenta. fæcialis erat, quam pater patratus bellum nomine populi Romani genti alicui indicturus, post solennes precationes factas in eorum regionem projiciebat, quod latissime tradit Fenestella & Brissonius de formul. lib. V. Posteris temporibus cum propter imperii magnitudinem pater patratus mitti ad fines hostium non posset, consul qui imperator belli futurus erat, ex columna ad ædem Bellonæ, prope portam Carmentalem hastam mittebat, eam partem versus, in quam ituri erant. Ovid. in fastis:

> *Hinc solet hasta manu belli prænuncia mitti*
> *In regnum & gentem cum placet arma capi.*

Cruenta hasta erat rubei coloris, quæ in castris editiore loco ponebatur, cum civitas aliqua vi subacta, hostili furore diripienda esset, quæ designabat militibus licentiam esse, in bona fortunasque victorum impune grassari. Cæsar lib. II. de bello Gal. *Postridie ejus diei refractis portis, quum jam defenderet nemo, atque intromissis militibus nostris, sectionem ejus oppidi universam Cæsar vendidit*. Per *sectionem* (opinor) intelligens publicam venditionem seu direptionem bonorum. Cicero de off. lib. II. *Dum homines perditi hastam illam cruentam, & meminerint, & sperabunt, quam Publius Sylla cum vibrasset, dictatore propinquo suo, idem XXXVI. anno post a sceleratiore hasta non recessit*. agit enim de bonis proscriptorum venditis. Publica hasta alia erat censoria seu locationis, alia prætoria seu venditionis, alia fiscalis, alia salutis seu frumentaria. Censoria seu locationis erat, quam censores, vectigalia & tributa publica locaturi in foro figebant, quod auctoritate publica S.P.Q.R. fieret. Livius lib. XXXIX. *Censores edicto, submotis ab hasta qui ludificati priorem locationem erant, omnia eadem paululum imminutis preciis locaverunt*. Columella præfat. lib. I. de re rust. *Ubi dii cultus agrorum progeniem suam docuerant, ibi nunc ad hastam locamus*. Tertullianus in Apolog. *Sub eadem voce præconis, sub eadem annotatione quæstoris, divinitas addicta conducitur*. Hasta prætoria erat, quæ ponebatur, cum ex prætoris decreto bona rei essent publice vendenda: alioquin enim prætorem hastam non posuisse existimo, quod nusquam illud probari possit, sed tunc poni solitam, cum

Hhh

aut reo contumaciter emanente, aut parente quidem, sed causa cadente, prætor adversæ parti bona ejus addiceret. Quo sensu Seneca dixit in lib. de brevitate vitæ: *Quos hasta prætoris infamibus beat lucris*. Per *infamia lucra*, eam haud dubie bonorum proscriptionem intelligens (ita enim cum Rævardo interpretor) quæ missionem in bona decretalem post diem XXX. sequebatur. Festus: *Hastæ subjiciebantur quæ publice venum dabant, quia signum præcipuum est, hasta*. Seneca lib. I. de Ira cap. II. *Videbis capita principum sub civili hasta venalia*. & Juvenalis:

Et præbere caput domina venale sub hasta.

Hinc hasta fiscalis, qua posita ea vendebantur, quæ ad fiscum pertinebant, quæ venditio sine hasta peracta, rata non habebatur, l. I. & 2. C. de & jure & fide has. fis. nam auctoritate principis & ejus qui principis nomine ei præerat, facta non esse videbatur. Hasta salutis erat, cum in summa annonæ caritate frumentum publicum ad hastam vendebatur. Seneca: *Sed si semel ponis hastam salutis, & redemptores vitæ admittis, melius vendes*. Centumviralis hasta erat, quæ posita significabat centumviros esse cogendos & centumvirale judicium quasi publicum populi Romani conventum esse exercendum. Sunt qui existimant hastam illam non centumviralem modo, sed eandem cum decemvirali & prætoria fuisse. Sigonius sibi ipsi non constat, nam lib. de judiciis capite VIII. & XXVIII. modo prætoriam, decemviralem, & centumviralem hastam eandem esse putat, modo decemviralem a centumvirali discernit, auctoritate Quintiliani, qui lib. V. cap. II. scribit: *Præjudicia etiam dicuntur, cum de eadem causa pronunciatum est, ut in reis deportatis, & in assertione secunda, & in partibus centumviralium, quæ in duas hastas divisæ sunt*. Assertionem secundam vocans secundum judicium de libertate a centumviris factum, partes vero centumviralium quæ duplicia nactæ sunt judicia, unum decemvirum, alterum centumvirum, itemque duas hastas, unam decemvirum, alteram centumvirum. Quæ opinio cum supra lib. I. cap. XIII. satis refutata sit, hic solum mihi probandum erit unam centumviralem hastam fuisse, diversam a prætoria, quam paulo ante descripsimus, nec decemviros proprie ullam hastam habuisse. Primum ubicumque centumviralis judicii mentio est, frequenter hasta centumviralis nominatur. Suetonius Aug. cap. XXXII. *Ut centumviralem hastam, quam quæstura functi consueverant cogere, decemviri cogerent*. Martialis:

Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum.

Statius in Sylvis ad Marcel.

Cessat centeni moderatrix judicis hasta.

Imo & Valerius Maximus centumvirale judicium appellat κατ' ἐξοχὴν, lib. VII. cap. VIII. *Testamento filium instituit hæredem, quod T. Longus sanguine ei proximus hastæ judicio subvertere frustra conatus est*. Et paulo post: *Quod ad hastæ judicium attinuit, cineres fratris sui quietos esse passus est*. Deinde cum supra probatum sit, hastam signum fuisse publicæ & supremæ potestatis, verisimile est, hastam centumviris fuisse præfixam, ut indicaret summum & populare esse judicium, cum ex universo populo Romano ad hoc judicium sortiti essent; & supremam illis judicandi potestatem fuisse commissam, cum provocari ab illis non licuerit. quod non modo ex Suetonii loco, quem lib. I. cap. VI. adduximus, clarum est, verum etiam quod intricati juris, & difficillimas non facti, sed de æquitate & jure controversias ad ipsos deferrent, quod absurdum fuisset, si ab illis ad alios provocare licuisset. Quod vero decemviri hastam non habuerint, omnino verum est, quia nusquam hastæ decemviralis mentio fit, nisi apud auctorem carminis ad Pisonem:

Seu trepidos ad jura decem citat hasta virorum.

Ubi sane non vult decemviros propria jurisdictione hastam habuisse, sed eam qua centumviros cogerent, ut mox ipse interpretatur sequenti versiculo:

Et firmare jubet centeno judice causas.

Quæ si ita sunt, ut hactenus a nobis disputata sunt, ut esse quidem mihi certo persuadeo, eversa sunt, quæcumque Rævardus Protribunal. cap. XX. de hac materia contra nos crocitat, quæ omnia refutare sigillatim nostri non est propositi, satisque erunt eversa, si cum iis quæ hoc capite diximus, a lectore conferantur. Quamobrem ratio nunc exigit, ut, quæ hactenus de centumvirali dicta sunt judicio, breviter recolligentes, formam ejus modumque sedendi & judicandi proponamus.

CAP. IV.

De subscriptione & forma judicii centumviralis.

QUÆ superiori libro cap. XII. dicta sunt, hic repetenda omnino videntur, nempe, prætorem urbanum centumviris præsedisse. Itaque si quis centumvirali judicio agere vellet, plane necessarium erat, a prætore urbano veniam agendi impetrare, ut indicat Valerius Maximus li. VII. cap. VII. *Egregia quoque C. Calphurnii Pisonis prætoris urbani constitutio. Cum enim ad eum Terentius ex octo filiis quos in adolescentiam perduxerat, ab uno in adoptionem dato exhæredatum se querelam detulisset, bonorum adolescentis possessionem ei dedit, hæredesque lege agere passus non est*. post vero impetratam actionem, non solum qui impetraverat, sed etiam is qui cum agendum erat, judicium centumvirale subscribebat & attestabatur, consentire se ut de proposita actione centumvirale judicium exerceretur. Plin. lib. IV. Epistola I. *Posthac ille cum cæteris subscripsit centumvirale judicium, mecum non subscripsit*. Eaque mutua subscriptio intra biennium fiebat, alioquin is, qui petebat, excludebatur, & bonorum possessor seu hæres scriptus usucepisse dicebatur. Plinius eadem Epist. *Scis te non subscripsisse mecum, & jam biennium transisse, omniaque me usucepisse*, ut cap. VI. latius dicam. Subscriptione facta prætor decemviros litibus judicandis convocabat, significans esse qui centumvirale judicium subscripsissent. illi in diem ascriptum, centum & octoginta viros ex populo Romano sortiebantur, & ad statutum diem certo loco adesse jubebant. Postquam dies advenisset, aderat prætor cum decemviris & centumviris ad basilicam quandam, in qua frequentissime conveniebant; prætor tribunal sellamque prætoriam ascendebat, centumviri se in quatuor tribunalia diffundebant, decemviri singuli singulis tribunalibus, tanquam judices quæstionis, & suffragia collaturi, assidebant, hasta centumviralis judicii indice, singulis consiliis affixa. Judicio ita ornato & disposito, populus multiplici corona tribunalia omnia circumstabat, advocati summa eloquentia causas orabant; quæ singula cum superiori libro uberius explicata sint, & variis auctorum testimoniis comprobata, restat nunc, ut discutiamus, quæ causæ apud centumviros agerentur.

CAP. V.

Quibus de causis & quæstionibus centumviri judicabant.

QUIBUS de controversiis, causisque priscis temporibus centumviri judicaverint, eleganter explicat Cicero libr. I. de Oratore, hisce verbis: *Nam volitare in foro, hærere in jure, ac prætorum tribunalibus, judicia privata magnarum rerum obire, in quibus sæpe non de facto, sed de æquitate ac jure certetur, jactare se in causis centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum,*

A *agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum aut ratorum, cæterarumque rerum innumerabilium jura versentur, cum omnino quid suum, quid alienum, quare denique civis, an peregrinus, servus an liber quisquam sit, ignoret, insignis est impudentiæ*. Atque ita quidem obtinuisse arbitror, ut nempe super omnium illorum, quæ enumerat Cicero, quæstionibus centumvirale judicium exerceretur, cum centumviri primum essent instituti, tum quod omnes istæ controversiæ in juris & æquitatis quæstione quoque sint positæ, tum quod hæreditariæ quæstiones nondum essent adeo frequentes. B Posterioribus vero temporibus, probabile videri potest, centumviros de solis hæreditariis controversiis, sive ex testamento, sive ab intestato obvenirent, judicasse, quod tribus argumentis probari, confirmarique potest. Primum, quod apud nullos juris, antiquitatum, & historiarum scriptores, nec apud quemquam qui centumviralis judicii meminerit, legatur, centumviros de ejusmodi controversiis, quales Cicero enumerat, judicasse. Secundo, quod apud diversos juris, antiquitatum, & historiarum scriptores legatur, centumviros de hæreditariis quæstionibus judicasse: & ne mihi quisquam simpliciter asserenti fidem adhibeat, quibusdam bonæ notæ scri- C ptoribus testimonium denunciabo, ac primum Ciceroni ipsi, eodemque libro, quo ita testatur: *Quæ potuit igitur causa esse major quam illius militis, de cujus morte, cum domum falsus ab exercitu nuntius venisset, & pater ejus, re credita, testamentum mutasset, &, quem ei visum esset, fecisset hæredem, essetque ipse mortuus, res delata est ad centumviros, cum ipse domum revenisset, egissetque lege in hæreditatem paternam testamento exhæres filius?* Et paulo post: *Quid? Qua de re inter Marcellos & Claudios patritios centumviri judicarunt, cum Marcelli ab liberti filio stirpe; Claudii patritii, ejusdem hominis* D *hæreditatem gente ad se rediisse dicerent*. Testatur idem Plinius lib. VI. Epist. XXXII. *Nam fœmina splendide nata nupta prætorio viro, exhæredata ab octogenario patre, intra XI. dies quam ille novercam ei amore captus induxerat, quadruplici judicio bona paterna repetebat. Sedebant judices centum, & octoginta, &c.* Item Quintilian. lib. IV. cap. II. *Id accidit aliquando utrique parti, cum vel nulla expositio est, vel de re constat, de jure quæritur, ut apud centumviros, filius, an frater debeat intestato hæres esse*. Et Justinianus Imperator in l. ult. C. de petit. hæred. *Cum hæreditatis petitioni locus fuerat, exceptio adsumebatur, quæ tuebatur hæreditatis petitio-* E *nem, ne fieret ei præjudicium. Magnitudo enim & auctoritas centumviralis judicii non patiebatur, per alios tramites viam hæreditatis petitionis infringi*. aliisque multis locis innumeris, quæ omnia hic congerere, putidum esset, & tædiosum. Tertio, quod quævis hæreditatis petitio absolute vocetur centumvirale judicium, ut in d. l. ult. C. de Petit. hæred. & l. 13. π. de Inoff. ubi sic: *Si soror centumvirali judicio obtinuerit, quæsitum est, an fidei commissa ex capita supra scripto debeantur*. Quæ licet ita sint, ut hactenus probavimus, sæpissime tamen, & frequentius inofficiosi testamenti querela apud centumviros instituebatur, ut ex toto titulo Pandectarum de inof- F ficioso testamento manifestum est, & comprobatur l. ult. C. de lib. Præt. multisque aliis locis apud Ciceronem, Quintilianum, Plinium, & Senecam, idque eam ob causam, quod inofficiosi testamenti querela extraordinarii juris sit. Nam cum olim jure civili parentibus liceret filios suos in potestate positos absque ulla causa exhæredare, cæteros vero præterire, nec ullum remedium, vel civili, vel jure prætorio relictum erat, quo ad bona inhumani patris testamento ejus solenniter facto, & subsistente (alioquin enim alia ratione testamentum nullum erat) pervenirent, deque ea tandem maximæ querelæ ad populum ferrentur, populus Romanus, ad quem suprema erat provocatio, per centumviros, qui erant legitimus P. R. conventus, extra ordinem jussit subvenire, *non enim consentiendum erat parentibus qui injuriam adversus liberos suos testamento inducunt*. l. 4. π. de Inoff. Test. Cujus æquitatem considerantes Consules, Prætores, atque ipsi Principes, adeo eorum legibus, edictis, & decretis confirmarunt hanc querelam, quod tandem in ordinariam jurisdictionem abierit. Quamobrem operæ pretium erit, quæ de inofficiosi querela dici possunt, hic ex diversis auctoribus colligere, & explicare.

CAP. VI.

De querela inofficiosi testamenti, quomodo & quando competebat, deque lege Glicia & ejus origine.

QUerela inofficiosi testamenti, *est imploratio officii judicis, lege Glicia introducta, qua quis accusat scriptum testamentum validum, quia in eo se contra officium pietatis, & sine justa causa exhæredatum dicit, petitque illud, ut injustum, rescindi, certo tempore modoque circumscripta*.

QUERELA. Querelam vocarunt duabus potissimum de causis. Primo, quod proprie non sit actio, cum non persequatur jus agentis, nec accusatio, quod non persequatur pœnam, sed simpliciter conqueritur, se inique exhæredatum, petitque testamentum rescindi, l. 5. π. eodem. Deinde, quod nudum actionis nomen non satis esset efficax ad infirmandum testamentum, quod nisi probata patris iniquitate, fieri non poterat. Accusationis vero verbum acerbius erat, quam pietas & reverentia patris ferret, cum patrem quoque accusare non liceret, ut legibus constitutum est. Quamobrem ita temperarunt, ut neque molliorem appellationem, quam pro judicii gravitate, neque acerbiorem, quam ipsa parentum pietas exigit, accommodarent.

INOFFICIOSI. De inofficiosi testamento Cicero in Verrem libro I. *P. Annius fecerat non inofficiosum, non improbum, non inhumanum. quod si ita fecisset, tamen post illius mortem, nihil de testamento illius novi juris constitui oporteret*. Est autem improbum testamentum contra leges, inhumanum contra pietatem, inofficiosum contra merita factum. Dictum vero inofficiosum, quasi contra merita, & officium pietatis, id est, quod testator contra officium suum, quod alteri debebat, fecit, Et cum eo modo omnia fere testamenta inofficiosa dici possent, tandem κατ' ἐξοχὴν ea inofficiosa dicta sunt, quæ debitum liberis, parentibus, fratribus, sororibusque officium non præstant: nam qui erga illos inofficiosus & inhumanus est, erga seipsum talis esse existimatur. Apud Romanos vero summi officii & honoris loco erat, ex aliorum testamentis aliquid accipere. Ulpianus l. 3. §. 1. π. de leg. præs. *Hoc autem solum debetur, quod ipsis parentibus relictum est, & liberis. Cæterum si servo eorum fuerit ascriptum, vel subjectæ eorum juri personæ, non debetur. Nec enim quæritur cui acquiratur, sed cui honos habitus sit*. Cicero pro Quinctio: *Moritur in Gallia & moritur repentino, hæredem testamento reliquit hunc Quinctium, ut ad quem summus mæror morte veniebat, ad eundem summus honor quoque perveniret*. Quintil. in Declamat. *Institutus es primo loco hæres, non facito tibi istius honoris controversiam*. aliisque locis multis. Idque non solum propter bona quæ relinquebantur, verum etiam quod in nomen familiæ asciscebantur. Cicero Off. lib. III. *Sed cum Basilius Satyrium sororis filium nomen suum ferre voluisset, eumque hæredem fecisset*. Cicero ad Atticum lib. VII. Epist. VIII. *Dolabellam video Liviæ testamento cum duobus cohæredibus esse in trien-*

te, sed juberi mutare nomen. Est politicum scemma; rectumne sit nobili adolescenti mutare nomen, mulieris testamento.

IMPLORATIO. Etenim non aliqua actione, sed tantum miserationis querela centumvirorum opem implorabant, ut illi testamentum contra merita factum rescinderent, eoque facto illis injuste exhæredatis bona restituerent, ut postea probabimus.

LEGE GLICIA. Ad quam Cajus singularem librum scripsit, ejusque una sententia adhuc superest in l. 4. π. eodem. Tulit eam M. Claudius Glicia dictator, qui dictaturam gessit A.U.C. DV. C. Claudio Pulchro, L. Junio coss. qui mox coactus est se dictatura abdicare, ut putat Jacobus Cujacius Observat. lib. II. cap. XXI. & lib. XIV. cap. XIV. qui hic omnino videndus est.

ACCUSAT. Tanquam inofficiosum, inhumanum & contra officium pietatis scriptum, eo colore, quasi testator tempore facti testamenti non fuerit sanæ mentis, sed furiosus. Marcianus in l. 2. π. eodem. *Hoc colore de inofficioso testamento agitur, quasi non sanæ mentis fuerint, ut testamentum ordinarent. & hoc dicitur, non quasi vere furiosus vel demens testatus sit, sed recte quidem fecerit testamentum, sed non ex officio pietatis: nam si vere furiosus esset vel demens, nullum esset testamentum.* Apulejus Apologia II. *Lege potius testamentum, si quid quasi insana scripsit. Hic reperies & quidem mox a principio, Sicinius pudens filius meus mihi hæres esto.* Eamque ob causam scribit Paulus in l. *Qui repudiantis*. 17. π. eodem. *Cum contra testamentum, ut inofficiosum judicatur, testamenti factionem defunctus habuisse non creditur.* Et Scævola in l. *Nec fideicommissa*. 36. π. de legat. III. *Nihil ex ejus testamento, quod inofficiosum judicatum esset, idcirco valere, quia crederetur quasi furiosus testamentum facere non potuisse.* Quid ita? Quia cum lege naturæ filiis paterna hæreditas debeatur, l. ult. π. de bon. damnat. qui naturam, humanitatemque violat, qui suis liberis, & quodammodo sibi ipsi injurius est, non satis integræ mentis videtur fuisse.

CONTRA MERITA. Marcellus in l. 3. π. eodem, dicit inofficiosum testamentum dicere, esse, allegare quare exhæredari vel præteriri non debuerit; quod plerumque accidit, cum falso parentes instimulati liberos suos, vel exhæredant vel prætereunt. & l. 5. *Hujus autem verbi* DE INOFFICIOSO, *vis illa (ut dixi) est, docere, se immerentem, & ideo indigne præteritum, vel etiam exhæredatione summotum.* Qua forma filius exhæredatus apud Quinctilianum declamatione 125. exclamat, *Quo meo merito pater me exheredavit?* Ulpianus in l. 3. §. *Si emancipatus*, π. de bon. poss. contra tab. *Nec enim minus in hoc nepote, is qui de inofficioso cogniturus est, merita nepotis, quam patris delicta perpendet.*

SINE JUSTA CAUSA. Nam si justam ob causam exhæredati sint, querela non competit, siquidem jure civili, filii in potestate positi exhæredari, cæteri præteriri possunt.

VALIDUM. Quia si jure civili non esset validum, non opus erat ad odiosum hoc & extraordinarium auxilium confugere, sed eo ipso, quod jure testamentum non sit validum, ad hæreditatem admittentur.

INJUSTUM RESCINDI. Ulpianus in l. 8. §. 16. π. eodem: *Si ex causa de inofficioso cognoverit judex, & pronunciaverit contra testamentum, nec fuerit provocatum, ipso jure rescissum est. & suus hæres erit secundum quem judicatum est.* Rescisso enim testamento, is qui de inofficioso agit, hæres est, totumque testamentum corruit, adeo ut neque libertates, neque legata debeantur, l. 8. §. 16. π. eodem, quod postea tamen correctum est. Is quoque qui querelam obtinuit, solus ad hæreditatem admittitur, tum auctoritate centumviralis judicii, quasi illum solum,

A cum intestatum aliquem faceret, in vivis fuisse existimarent, l. 17. π. eodem, tum etiam quasi in remunerationem laborum, querelarum, expensarum, & periculi. nam si non obtinuisset querela, etiam id quod testamento acceperat, perdebat, Ulpianus lege 8. §. 14. *Meminisse autem oportebit eum, qui testamentum inofficiosum improbe dixit, & non obtinuit, id quod testamento accepit perdere, & id fisco vindicari, quasi indigno ablatum. Sed ei demum aufertur, quod testamento datum est, qui usque ad sententiam judicum in lite improba perseveraverit.*

TEMPORE. *Priscis enim temporibus* intra biennium necesse erat querelam inofficiosi testamenti instituere
B apud centumviros, alioquin is qui bona ex testamento possidebat, ea usucepisse dicebatur, Plinius lib. V. Epist. I. *Post hæc ille cum cæteris subscripsit centumvirale judicium, mecum non subscripsit.* Et paulo post, *scis te non subscripsisse mecum & jam biennium transisse, omniaque me usucepisse.* Postea vero ad quinquennium extensum est, l. *Si quis filium*. C. eodem.

MODOQUE. Ut enim si quadrans bonorum testamento sit relicta, cessat omnino querela, l. 8. §. 8. π. eodem. & Plinius lib. V. Epist. I. *Ibi ego. Si mater, inquam, te ex parte quarta scripsisset hæredem, num queri posses? Quid si heredem quidem in-*
C *stituisset ex asse, sed legatis ita exhausisset, ut non amplius apud te quam quarta remaneret?* Quibus vero, & adversus quos, an, & quomodo hodie competat querela, an ad hæredem transeat, & similia, vide latissime in ipso LL. textu, apud Wesenbecium Hotomannum, Mynsingerum, & præcipue Frisiæ nostræ lumen Vigilium Swichemum, qui hæc omnia uberrime explicarunt. Ego tantum hic querelæ inofficiosi testamenti meminisse velim, atque ad cætera propero.

D

CAP. VII.

Quæ præcipue centumviri in judicando observarunt.

IN confirmandis, rescindendisve testamentis, de quibus querela instituebatur, observasse centumviros quædam notatu dignissima, legendo animadverti, de quibus nunc breviter dicam. Principio patet ex l. 10. π. eodem. *Si pars judicantium de inofficioso testamento* (centumviros puta) *contra testamentum, pars secundum id sententiam dederit, quod humanius erit, sequi ejus partis sententiam, quæ se-*
E *cundum testamentum pronunciavit.* hoc est si duo consilia testamentum confirmassent, duo rescidissent, sequebantur eorum sententiam qui confirmabant. Confirmati quoque testamenti exemplum habemus apud Valerium Maximum lib. VII. cap. VIII. his verbis: *Quam certæ, quam etiam notæ insaniæ Tuditanus? utpote qui populo nummos sparserit, togamque veluti tragicam vestem in foro trahens, maximo cum hominum risu conspectus fuerit, ac multa his consentanea fecerit. Testamento is filium instituit hæredem, quod T. Longus sanguine ei proximus hastæ judicio subvertere frustra conatus est. Magis e-*
F *nim centumviri quod scriptum esset in tabulis, quam quis eas scripsisset, considerandum existimaverunt.* Quod factum ab illis fuit prudentissime. Primum, quod testamenta quæ publici juris sunt, facile convelli non debent; deinde, quod voluntates testantium semper secundum id, quod æquissimum & benignissimum est, sint interpretandæ, l. *In testamentis* π. de reg. Juris. Benignius autem erat testamento patris furiosi confirmato, filio hæreditatem paternam dare, cum filius ejus quasi dominus sit, quam proximo cognato, quem filius alioquin etiam exclusisset. Quod si vero contra omne jus, & æquitatem scripta esse

testamenta comperissent, nempe, aut parentes filios, aut filios parentes, turbato ordine mortalitatis, exhæredasse, aut præteriisse, ea rescindebant & annihilabant. Ejus exemplum habemus apud Valerium Max. lib. VII. cap. VII. *Item M. Ancii Carseolani splendidissimi equitis Romani filius, a Suffenate avunculo suo adoptatus, testamentum naturalis patris, quo præteritus erat, apud centumviros rescidit, cum in eo Tullianus, Pompeii magni familiaris, ipso quidem Pompejo signatore hæres scriptus esset*. Et apud Plinium lib. v. epist. 33. in causa Acciæ Variolæ, de qua sic scribit: *nam fœmina splendide nata, nupta prætorio viro, exhæredata ab octogenario patre, intra undecim dies quam ille novercam ei, amore captus, induxerat, quadruplici judicio bona paterna repetebat*. Et paulo post: *Secutus est varius eventus. nam duobus consiliis vicimus, totidem victi sumus. Victa est noverca ipsa hæres ex parte sexta. Victus Suburranus, qui exhæredatus a patre*. Idque non minus prudenter factum intelligi debet. Primum, quod consentiendum non sit parentibus, qui injuriam adversus liberos suos testamento inducunt, quod plerumque faciunt, maligne circa sanguinem suum inferentes judicium, novercalibus delinimentis instigationibusque corrupti, l. 4. π. eodem. Deinde quod dignitatem & merita hæredum, & conquerentium ponderarent, ut Quinctilianus libr. IV. cap. II. significat & confirmat Ulpianus in l. 3. §. *si emancipatus*. π. de Bon. pos. cont. tab. *Nec enim minus in hoc nepote, is qui de inofficioso cogniturus est, merita nepotis quam patris delicta perpendet*. Is vero qui ita obtinuerat, si alii essent qui itidem inofficiosi querelam habebant, partem non faciebat iis, qui non cum illo egerat, sed solus retinebat: *sed utebatur rei judicatæ auctoritate, quasi hunc solum centumviri filium in rebus humanis esse tunc, cum facerent intestatum, crediderint*. l. *qui repudiantis*, 17. π. eodem. Et Papinianus in l. 16. π. eodem: *Filio, qui de inofficioso matris testamento contra fratrem institutum, pro parte ante egit, & obtinuit, filia quæ non egit, aut non obtinuit, in hæreditatem legitimam fratri non concurrit*. Postremo, eveniebat aliquando contra expressam regulam juris, ut quis pro parte intestatus decederet, quod tunc fiebat, cum plurib. querela conventis, diversæ sententiæ latæ sunt, quarum altera laudabat, altera rescindebat testamentum, tanquam inofficiosum. Papinianus in l. 15. π. eodem: *Filius qui de inofficiosi actione adversus duos hæredes expertus, diversas sententias judicum tulit, & unum vicit, ab altero superatus est, & debitores convenire, & ipse a creditoribus pro parte conveniri potest*. Et paulo post: *Et ideo pars hæreditatis in testamento remansit, nec absurdum videtur pro parte intestatum videri*. Et Ulpianus l. 24. π. eodem: *Circa inofficiosi querelam plerumque evenire assolet, ut in una atque eadem causa diversæ sententiæ proferantur. quid enim, si, fratre agente, hæredes scripti diversi juris fuerunt? quod si fuerit pro parte testatus, pro parte intestatus decessisse videbitur*. adde & l. 19. π. eodem, & l. 13. C. eodem. In centumvirorum vero, quemadmodum & in aliorum judicum sententiis, illud observatum fuisse animadverti, ut pronunciarent VIDERI illum, aut illum bene, aut male exhæredatum vel præteritum, ut ex Plinio liquet lib. v. Epist. I. ubi sic inquit: *Deinde secessi, & ex consilii sententia, Videtur, inquam, Curiane, mater tua justas habuisse causas irascendi tibi*. ubi formam sententiæ centumvirorum imitatus est. Et Seneca in declamationibus, cujus locus, nec verba mihi nunc succurrunt.

A

CAP. VIII.

Controversiarum aliquot enumeratio, quæ olim apud centumviros fuerunt actæ.

EXPLICATIS iis quæ de origine, successu, ordine, forma, causisque magnifici centumviralis judicii, ex diversis scriptoribus, si non eo, quo deceret, judicio, indefesso tamen labore collecta, dicenda habui, subjiciam hoc ultimo capite coronidis vice, causarum quarundam constitutionem, quæ olim ab eloquentissimis oratoribus & advocatis B apud centumviros fuerunt actæ, tum ut confirmem, quod cap v. probare conatus fui, centumviros potissimum de quæstionibus hæreditariis judicasse, deinde juris & antiquitatum studiosos qui in hunc libellum inciderint & legerint, excitem, ut quemadmodum juvenes & juris tyrones hasce difficillimas hæreditarias causas apud amplissimum judicium olim actitarunt, ita exemplo eorum causas easdem retexant, & non solum in juris lectione, sed praxi forensi jurisprudentiæ laudes & fructus sitas esse existiment. Ac quidem primum occurrit judicium Curianum, a multis scriptoribus celebratum, cujus ita meminit Cicero lib. I. de oratore C hisce verbis: *Quid vero clarissima M. Curii causa & M. Coponii, nuper apud centumviros, quo concursu hominum, qua expectatione defensa est? Cum Quintus Scævola, æqualis & collega meus, homo omnium & disciplina juris eruditissimus, & ingenio prudentiaque acutissimus, & oratione maxime limatus & subtilis, atque, ut ego soleo dicere, jurisperitorum eloquentissimus & eloquentium jurisperitissimus, ex scripto testamentorum jura defenderet, negaretque, nisi posthumus & natus & antequam in suam tutelam venisset, mortuus esset, hæredem eum esse non posse, qui esset secundum posthumum, & natum, & mortuum, hæres institutus; ego autem defenderem,* D *hac eum mente fuisse qui testamentum fecisset, ut si filius non esset, qui in tutelam veniret, M. Curius hæres esset*.

Causæ Constitutio.

P. Rutilius (ita enim, ut magis dilucida sit quæstio nominibus distinctis, nomina Romana affingam, ubi nomina non extant) P. inquam Rutilius testamentum fecit in quo ita scripsit: *Quicumque post mortem meam ex me natus erit, hæres esto. Si is qui ex me natus erit antequam in suam tutelam veniat, decesserit, M. Curius hæres esto*. Mortuus est Rutilius. Scævola pro Coponio agnato & bonorum possessore contendit, Curium hæredem E esse non posse, nisi post mortem Rutilii posthumus natus esset, & antequam in tutelam suam venisset, mortuus. Crassus e contrario sustinuit mentem Rutilii testatoris fuisse, ut, si filius non esset, qui in tutelam veniret, Curius hæres esset.

Quæstio.

An qui posthumo, si is impubes moriatur, substituit, eo etiam non nato substitutionem valere voluisse videatur. Apud centumviros acta est.

II. *Judicium*. Cicero lib. I. de Oratore.

Quæ potuit igitur esse causa major quam illius militis, de cujus morte cum domum falsus ab exercitu F *nuncius venisset, & pater ejus re credita testamentum mutasset, & quem ei visum esset, fecisset hæredem, essetque ipse mortuus; res delata est ad centumviros, cum miles domum revenisset, egissetque lege in hæreditatem paternam testamento exhæres filius*.

Causæ Constitutio.

C. Fabius miles in Hispania agens falso mortuus esse dicebatur. M. Fabius pater, filii mortem audiens, testamentum fecit, in quo P. Quinctium hæredem instituit. M. Fabius pater moritur. C. Fabius filius post mortem patris intra biennium re-

diens, hæreditatem paternam postulat. Quinctius hæres institutus & bonorum possessor, eum hæredem esse negat.

Quæstio.

An filius paternæ hæreditatis exhæres esset, quem pater testamento, neque hæredem neque exhæredem scripsisset nominatim, sed simpliciter præteriisset.

III. *Judicium*. Cicero lib. I. de Oratore.

Quid? quod usu memoria patrum venit, ut paterfamilias qui ex Hispania Romam venisset, cum uxorem prægnantem in provincia reliquisset, Romæque alteram duxisset, mortuusque esset intestato, & ex utraque filius natus esset, mediocris ne res in controversiam adducta est, cum quæreretur, de duobus civium capitibus & de puero, qui ex posteriore natus erat, & de ejus matre, quæ, si judicaretur certis quibusdam verbis, non novis nuptiis fieri cum superiore divortium, in concubinæ locum duceretur.

Causæ Constitutio.

Cæcilius ex Hispania Romam veniens Claudiam uxorem prægnantem reliquit, Romæ Pulvillam duxit antequam Claudiæ nuncium remisisset, mortuusque est intestato, Tullio ex Claudia, Valerio ex Pulvilla filiis relictis. Tullius hæreditatem patris petit a Valerio, ex non legitimo matrimonio nato, quod pater matri Claudiæ non solenniter nuncium remisisset, ideoque Pulvillam matrem Valerii concubinæ loco habendam. Valerius Tullium hæredem esse negat, quod pater Cæcilius relicta Claudia & repudiata, Pulvillam superduxerat, ideoque se esse legitimum hæredem.

Quæstio.

An Pulvilla a Cæcilio Romæ in uxorem ducta, antequam Claudiæ solenniter, præscriptis verbis, & testibus præsentibus nuncium remisisset, legitimæ uxoris, an concubinæ loco sit habenda. quod si fiat, Valerius hæres esse nequit.

IV. *Judicium*. Cicero lib. I. de Oratore.

Quid? quod item in centumvirali judicio certatum esse accepimus? Qui Romam in exilium venisset, cum Romæ exulare jus esset, si se ad aliquem quasi patronum applicuisset, intestatoque esset mortuus, nonne in ea causa jus applicationis obscurum sane & ignotum, patefactum in judicio, atque illustratum est a patrono?

Causæ Constitutio.

Petronius Capua Romam in exilium missus venerat, deditque se in patrocinium CN. Pompeii. Romæ mortuus est intestato. Agnati proximi dixerant se Petronii hæredes esse ab intestato, tanquam agnati. Pompejus hæreditaem Petronii tanquam clientis, & liberti sibi vendicavit.

Quæstio.

An qui alibi in exilium missus, & se ad aliquem quasi patronum applicans hæreditatem suam ab intestato deferat, patrono suo jure applicationis, an agnatis proximis.

V. *Judicium*. Valerius Max. lib. VII. cap. VII.

Item M. Ancii Carseolani splendidissimi equitis Romani filius, a Suffenate avunculo suo adoptatus testamentum naturalis patris, quo præteritus erat, apud centumviros rescidit, cum in eo Tullianus Pompeii magni familiaris, ipso quidem Pompejo signatore hæres scriptus esset.

Causæ Constitutio.

M. Ancius Carseolanus testamentum fecit, in quo Tullianum amicum suum hæredem scripsit, filium Julium præteriit, a Suffenate avunculo adoptatum. Julius, tanquam immerito a patre in testamento præteritus, hæreditatem paternam a Tulliano scripto hærede sibi restitui postulat. Tullianus sibi ex testamento hæreditatem Carseolani competere dicit.

Quæstio.

An filius avunculo in adoptionem datus, & a patre in testamento præteritus, testamentum patris tanquam inofficiosum possit rescindere, & contra scriptum hæredem hæres debeat declarari.

VI. *Judicium*. Valerius Max. lib. VII. cap. VIII.

Quam certæ, quam etiam notæ insaniæ Tuditanus? utpote qui populo nummos sparserit, togamque velut tragicam vestem in foro trahens, maximo cum hominum risu conspectus fuerit, ac multa his consentanea fecerit, testamento filium instituit hæredem, quod L. Longus sanguine ei proximus hastæ judicio subvertere frustra conatus est. magis enim centumviri quod scriptum esset in tabulis, quam quis eas scripsisset considerandum existimarunt.

Causæ Constitutio.

Tuditanus homo insanus & furiosus testamentum fecit, in quo filium Cornelium hæredem instituit, post mortem ejus T. Longus sanguine ei proximus, testamentum Tuditani velut furiosi, rescindere voluit, ut filius exhæredaretur, ipse contra tabulas testamenti hæres declararetur: filius a patre institutus hæredem se esse contendit.

Quæstio.

An testamentum hominis furiosi, in quo filium hæredem instituit, a proximo agnato debuerit rescindi.

VII. *Judicium*. Plinius lib. VI. epist. penult.

Est hæc pro Accia Variola, & dignitate personæ, & exempli raritate, & judicii magnitudine insignis. nam fœmina splendide nata nupta prætorio viro, exhæredata ab octogenario patre, intra undecim dies quam ille novercam ei amore captus induxerat, quadruplici judicio bona paterna repetebat.

Causæ Constitutio.

P. Virginius senex Tertullam uxorem duxit, eamque exhæredata filia Accia Variola hæredem testamento instituit. Accia testamentum patris tanquam inofficiosum, & contra merita factum rescindi, seque hæredem paternorum bonorum declarari petiit. Tertulla noverca, testamentum viri sui ratum haberi, sibique hæreditatem dari debere contendit.

Quæstio.

An ejus testamentum, qui filiam suam exhæredavit, & uxorem secundam, hæredem testamento scripsit, tanquam inofficiosum, & contra merita factum debeat rescindi.

Hæc sunt quæ de magnifico centumvirali judicio a me dici potuerunt, cujus splendor, & auctoritas meruisset, ut scriptis Oratorum, qui olim summa cum eloquentia & fructu, coram eo causas actitaverint, æternam memoriam invenisset. Quod cum rerum vicissitudo negaverit, collegi ego sparsim rudera & fragmenta tam celebris judicii, ut ex iis splendorem & magnificentiam disjecti corporis oculi nostri speculentur. Floruit hoc judicium centumvirale annis plus minus DLXXII. nam institutum est A. U. C. DXIII. perstititque ad tempora Constantini, quo ille imperium, omnemque potestatem Roma Constantinopolim transtulit, & in posterum summa judiciorum potestas apud Consistorium Principis permansit, omnisque juris & fori antiquitas cum ipsa Roma eversa est.

F I N I S.

F. H. Jc.

D E

MAGISTRATIBUS ROMANORUM

EORUMQUE INSTITUTIONE.

LIBER PRIMUS.



DILES plebis duo primum creati sunt ann. CCLXI. auctore Dionys. Halic. lib. 6. Curules vero anno CCCLXXXVIII. ut Livius in fine lib. 6. testatur. Utrique magistratum Kalend. Januar. inibant, ut Cicer. Verr. 2. est auctor. Curulium autem triplex fuit procuratio. primum ut ludos facerent: deinde ut ædes sacras publicasque, item vias publicas tuerentur: postremo ut ne in mancipiorum venditione & mensuris fraus admitteretur. quod ex Verrina 7. & edicto curulium intelligitur, quod exstat lib. Pand. 21. His ergo de rebus quemadmodum anno suo jus dicturi essent, prætorum exemplo edicebant. deinde in sella curuli considentes, ex edicto suo jus reddebant. nam sellam curulem eos habuisse, idem Ciceronis locus ostendit. Plebejorum autem quadripartitam Dionysius Halic. procurationem facit in lib. 6. Ut essent tribunorum pleb. administri, cum res postularet: de rebus ad se ab illis delatis judicarent: loca sacra & publica tuerentur: annonæ curam susciperent. Cum autem curulibus Cicero sacrarum & publicarum ædium procurationem adtribuat, arbitror distinctam postea eorum curam ita fuisse, ut curules ludos omnes præter plebejos, hi plebejos solos curarent: illi ædes sacras & publicas, itemque vias, hi privatas & cloacas tuerentur: illi mancipiorum venditionibus, hi annone præessent. Tullius autem in lib. de legib. 3. hæc omnia permiscet, nec singula singulis attribuit. *Suntoque ædiles*, ait, *curatores urbis, annonæ, ludorumque solennium*. Cum autem ædiles plebis tribunorum administri tantum essent, nec propriam jurisdictionem haberent, sed de rebus tantum ad se tribunorum arbitrio delatis cognoscerent, edictum eos nullum proposuisse verisimile est. Nunc veterum scriptorum auctoritates, ex quibus adolescentes de hujusce magistratus vi ac potestate æstimare possint, subjiciemus. Varro libro de lingua Lat. IV. *Ædilis, qui ædes sacras & privatas procuraret*. Cicero Verrina VII. *Nunc sum designatus ædilis: habeo rationem quid a populo Rom. acceperim: mihi ludos sanctissimos maxima cum ceremonia Cereri, Libero, Liberæque faciendos: mihi Floram matrem populi Rom. plebique Rom. ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate ac religione Jovi, Junoni, Minervæque esse faciundos: mihi sacrarum ædium procurationem: mihi totam urbem tuendam esse commissam*. Livius in fin. lib. VI. de curulibus: *Recusantibus ferias Latinas curare ædilibus plebeiis, conclamatum a patriciis est juvenibus se id honoris Deum immortalium caussa libenter acturos, ut ædiles fierent. quibus cum ab universis gratiæ actæ essent, factum*

A *S. C. ut duos viros ædiles ex patribus dictator populum rogaret, patres auctores omnibus ejus anni comitiis fierent*. Ædiles idem scribit lib. XXX. & viatores & scribas habuisse. Pomp. l. II. de orig. jur. *Itemque ut essent qui ædib. præessent, in quibus omnia scita sua plebs deferebat, duos ex plebe constituerunt, qui etiam Ædiles appellati sunt*. idem: *Tunc ut aliquo pluris patres haberentur, placuit duos ex numero patrum constitui. ita facti sunt Ædiles curules*. Zonaras libro secundo: *οὕτω μὲν οὖν ἡ τῶν δημάρχων δυναστεία συνέστη. οἷς καὶ ἀγορανόμους δύο προσείλοντο, οἷον ὑπηρέτας σφίσιν ἐσομένους πρὸς γράμματα.*
B *πάντα γὰρ τά τε παρὰ τῷ πλήθει καὶ τὰ παρὰ τῷ δήμῳ καὶ τῇ βουλῇ γραφόμενα λαμβάνοντες, ὥστε μηδὲν σφᾶς τῶν πραττομένων λανθάνειν, ἐφύλαττον. τὸ μὲν οὖν ἀρχαῖον ἐπὶ τούτῳ ᾑροῦντο, καὶ ἐπὶ τῷ δικάζειν, ὕστερον δὲ καὶ ἀλλάττα, καὶ τὴν τῶν ὠνίων ἀγορὰν ἐπετράπησαν, ὅθεν καὶ ἀγορανόμοι τοῖς Ἑλληνίζουσιν ὠνομάσθησαν*. id est: *Atque hoc quidem modo tribunorum potestas constituta est. quibus duo etiam ædiles adjuncti sunt, quorum ministerio atque opera in literis ac tabulis publicis uterentur. Omnia enim plebiscita, & leges & senatusconsulta in literas relata, ædiles accipiebant, ac ne quid illos eorum, quæ in republ. gerebantur,*
C *latere posset, asservabant. His igitur de caussis ædiles a principio creati sunt, itemque ut jus dicerent. Postea vero cum alia nonnulla, tum etiam rerum venalium forum eis commiserunt. qua de caussa ἀγορανόμοι a Græcis nominati sunt*. Reperio præterea ædiles de stuprorum licentia quam mulieres profitebantur, decrevisse. Tacitus libro secundo: *Eodem anno gravibus senatus decretis libido fœminarum coercita, cautumque ne quæstum corpore faceret, cui avus, aut pater, aut maritus eques R. fuisset. nam Vestilia prætoria familia genita licentiam stupri apud ædiles*
D *vulgaverat, more inter veteres recepto, quo satis pœnarum adversus impudicas in ipsa professione flagitii credebant*. Suetonius in Tiberio: *Fœminæ famosæ ut ad evitandas legum pœnas jure ac dignitate matronali exolverentur, lenocinium profiteri cœperunt: & ex juventute utriusque ordinis profligatissimus quisque famosam judicii notam sponte subibant*.

Iidem præterea quæ iter in publica via impediebant, frangere atque conscindere poterant: ut intelligitur ex l. 12. D. de peric. & comm. mensuras item iniquas confringere, l. 13. §. 8. D. locat. qua de re Juvenalis sic:

E *Et de mensura vis dicere, vasa minora*
Frangere pannosus vacuis ædilis Ulubris.

item in venalitios animadvertere, l. 12. D. de decurionib. Scribit etiam Tacitus lib. 13. ædiles pignora cepisse, & multam irrogasse: *Cohibita*, inquit, *arctius & ædilitia potestas. statutumque quantum curules, & quantum plebeii pignoris caperent*. Dio lib. 53. in fin. ann. DCCXXXI. *Ædili cuidam plebis mortuo C. Calpurnius, qui tamen ante ædilis curulis*

fuerat, successit, quod alias factum fuisse, memoriæ proditum nusquam est. Festus Pomp. *Ædilis initio dictus est magistratus, qui ædium non tantum sacrarum, sed etiam privatarum curam gerebat. Postea hoc nomen & ad magistratus translatum est. Dictus est autem ædilis, quod facilis ad eum plebi aditus esset. Sed & ædilatus dicebatur eadem dignitas, sicut pontificatus.*

Gellius lib. 13. cap. 14. *Qui potestatem neque vocationis populi viritim habent, neque prehensionis, eos magistratus a privato in jus quoque vocari est potestas. M. Lepidus ædilis curulis, a privato ad prætorem in jus est eductus: nunc stipati servis publicis non modo prehendi non possunt, sed etiam ultro summovent populum.* Plutarchus in Mario: *Post tribunatum majorem ædilitatem petivit. Duo enim erant ordines ædilium: alter in quo ipsi ædiles in jure dicendo sellis incurvos pedes habentibus utebantur: & hic nomen magistratus retinebat. alterum plebejum magistratum appellabant.* Quibus ex verbis intelligitur quod etiam ex Verrina 7. patet, ædiles curules sellam curulem habuisse. quod etiam Livius lib. 7. confirmat, ubi & de prætexta toga loquitur: *Non parentibus*, inquit, *tribunis, quod pro consule uno plebejo tres patricios magistratus curulibus sellis prætextatos tanquam consules sedentes nobilitas sumsisset.* Eodem die de utroque comitia fiebant. Livius lib. 3. *Institutum est etiam ab iisdem consulibus, ut senatusconsulta in ædem Cereris ad ædiles pleb. deferrentur, quæ ante arbitrio consulum supprimebantur, vitiabanturque.*

ÆDILES CEREALES. Pompon. l. 2. de orig. jur. *Deinde C. Julius Cæsar duos ædiles creavit, qui frumento præessent, & a Cerere Cereales constituit.* Dio lib. XLIV. in fin. *Anno ab* U. C. DCCX. *primum sex ædiles sunt constituti, duo patricii qui Cereris ædiles dicerentur, quattuor plebeii: isque mos ad nostram usque ætatem perductus est.*

CENSORES.

CENSORES duo primum creati sunt, Papirius & Sempronius, anno CCCX. auctor Livius lib. LV. & lib. 10. Varro lib. de ling. IV. *Censor, ad cujus censionem, id est, arbitrium, censeretur populus.* Festus lib. III. *Censores dicti, quod rem suam quisque tanti æstimare solitus sit, quantum illi censuerint.* Livius libro IV. *Censores dicti, quod censui agendo præessent.* Cicero de legib. III. *Censores populi ævitates, soboles, familias, pecuniasque censento. urbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor: populique partes in tribus distribuunto, exin pecunias, ævitates ordines partiuntor. equitum peditumque prolem describunto. cœlibes esse prohibento. mores populo regunto. bini sunto. magistratum quinquennem habento, eaque potestas semper esto.* Pedianus in Divinat. Cic. *Regendis moribus civitatis censores quinto quoque anno creari solebant. hi prorsus cives sic notabant, ut qui senator esset, ejiceretur senatu; qui eques Romanus, equum publicum perderet; qui plebejus, in Cæritum tabulas referretur, & ærarius fieret, ac per hoc non esset in albo centuriæ suæ, sed ad hoc esset civis tantum, ut pro capite suo tributi nomine æra penderet. iidem completo quinquennio urbem lustrabant, & suovetaurilia sacrificia, de sue, ove, tauro, faciebant. eorum notam successores plerumque solvebant.* Zonaras lib. II. Κεχειροτόνηντο δὲ ὅτι οἱ ὕπατοι ἀδύνατοι ἐπὶ πάντας διὰ τὸ πλῆθος ἐξαρκεῖν ἦσαν. τὰ γὰρ τοῖς τιμηταῖς ἀπονεμηθέντα προνόμια ἐκεῖνοι μέχρι τότε ἐποίουν. δύο τε ἦσαν οἱ τιμηταὶ ἐξ ἀρχῆς, καὶ ἐκ τῶν εὐπατριδῶν. ἦρχον δὲ τὰ μὲν πρῶτα καὶ τὰ τελευταῖα ἐπὶ πενταετίαν. ἐν δὲ τῷ μέσῳ χρόνῳ ἐπὶ τρεῖς ἑξαμήνους, καὶ ἐγένοντο τῶν ὑπάτων μείζους, καίτοι μέρος τῆς ἐκείνων λαβόντες ἀρχῆς. ἐξῆν δὲ αὐτοῖς τὰς δὲ προσόδους τὰς κοινὰς ἐκμισθοῦν, καὶ τῶν ὁδῶν, καὶ τῶν δημοσίων οἰκοδομημάτων ἐπιμελεῖσθαι, καὶ τὰς ἀπογραφὰς τῆς ἑκάστου εὐπορίας διατελεῖν, καὶ τὸν βίον τῶν πολιτῶν ἐπισκοπεῖν τε καὶ ἐξετάζειν, καὶ τοὺς μὲν ἀξίους ἐπαίνου ἐς τὰς φυλὰς καὶ ἐς τὴν ἱππάδα καὶ τὴν γερουσίαν ἐγγράφειν, καθὼς ἑκάστοις προσήκειν ἐνομίζετο. τοὺς δὲ οὐκ εὖ βιοῦντας ἁπανταχόθεν ὁμοίως ἐπαλείφειν, ὃ μεῖζον πάντων ἦν τῶν τοῖς ὑπάτοις καταλειφθέντων. πίστεις δ' ἐνόρκους ἐφ' ἑκάστῳ πεποίηντο, ὡς οὔτε πρὸς χάριν, οὔτε πρὸς ἔχθραν τι ποιοῦσι, ἀλλ' ἐξ ὀρθῆς γνώμης τὰ συμφέροντα τῷ κοινῷ καὶ σκοποῦσι καὶ πράττουσι. καὶ τὸν δῆμον ἐπί τε νόμων εἰσφοραῖς καὶ τοῖς ἄλλοις συνήθροιζον, καὶ τῷ τῶν μειζόνων ἀρχῶν κόσμῳ πλὴν ῥαβδούχων ἐχρῶντο. id est: *Creati autem propterea censores fuerunt, quia consules rebus omnibus propter earum multitudinem sufficere non poterant. nam consules omnem illam quæ tum censoribus adtributa est, præfecturam ad illud usque tempus gesserant. Sunt autem a principio duo, iique ex patriciis, creati: qui & primis & postremis temporibus magistratum illum quinquennium obtinuerunt. interjecto vero tempore, sesquiannum. quinetiam potestatem consulibus majorem obtinuerunt, tametsi partem duntaxat eorum magistratus adepti essent. Munus autem illorum erat, vectigalia publica locare, viarum publicarumque ædium curationem suscipere, civis cujusque facultates censere, mores notare atque animadvertere: laude dignos cives in trib. in equestrem ordinem, in senatum, pro cujusque dignitate adscribere: qui minus honeste viverent, omni ordine ac tribu movere. quæ potestas major erat omni ea, quæ consulibus erat relicta. Jusjurandum autem de unoquoque dabant, se neque gratia, neque odio quicquam gesturos, sed ex animi sui sententia quæ reipub. utilia essent, re quæsita & deliberata facturos. Præterea populum ad legum & aliarum rerum comitia evocabant, majorumque magistratuum insignia præter lictores habebant.* Cic. de Offic. III. *Nulla de re diligentius quam de jurejurando censores judicabant.* Liv. lib. XL. *Comitiis perfectis censores in campo ad aram Martis in sellis curulib. consederunt.* Eorum autem officium erat, legere senatum, recensere equites, agere censum, lustrum condere. In omnibus precationib. hæc verba nuncupabant, *Ut ea res mihi collegæque meo bene & feliciter eveniat.* Censori autem defuncto nunquam aliquis sufficitur. auctor idem Livius lib. IV. V. VI. IX. & Plutarch. in Vitis. Liv. item lib. IV. & IX. censuram primo quinquennem fuisse scribit. deinde Mam. Æmilium dictatorem legem tulisse, ut censura, quæ antea quinquennalis fuerat, annua & semestris esset. Plutarch. in Pompejo: *Mos erat Romanis, ut equites qui per legitimum tempus militassent, equum per medium forum coram censoribus ducerent, & apud illos imperatores sub quib. stipendia meruissent, nominarent.* Vide præterea Gellium lib. XIII. cap. XIV. Plutarchum in Flaminio, & in Catone Majore. Livium lib. XXIX. qui curam publicarum tabularum censorum propriam fuisse scribit, & jus sartorum tectorum exigendorum ad eosdem pertinuisse. quod idem Pedianus in Verr. III. confirmat. Et de nota censoria Val. Max. item Cic. in Cluentiana. Liv. lib. XXXIX. *Censores Marcus Porcius & Lucius Valerius metu mixta expectatione senatum legerunt: septem moverunt senatu, ex quibus unum insignem & nobilitate & honoribus L. Quintium Flaminium consularem. Patrum memoria institutum fertur, ut censores motis e senatu adscriberent notas. Catonis & aliæ quidem acerbæ orationes exstant in eos quos aut senatorio loco movit, aut quibus equos ademit. Longe gravissima in L. Quintium oratio est, quasi accusator ante notam, non censor post notam usus esset, retinere Quintium in senatu, ne frater quidem Titus Quintius, si tum censor esset, potuisset.*

CENTUMVIRI.

CENTUMVIRI magistratus quidem non erant, sed cum

cum a Cic. lib. de legibus III. ii qui lites contractas judicabant, hoc est vel centumviri, vel certe decemviri, in minorum magistratuum ordinem referantur, de iis quoque hoc loco dici posse, non incommode judicavimus. Festus lib. III. *Centumviralia judicia a centumviris sunt dicta. nam cum essent Romæ XXXV. tribus quæ & curiæ sunt dictæ, terni ex singulis tribubus sunt electi ad judicandum, qui centumviri appellati sunt. & licet quinque amplius quam centum fuerint, tamen quo facilius nominarentur, centumviri sunt dicti*. Cicer. lib. de Orat. I. *Nam volitare in foro, hærere in jure, ac prætorum tribunalibus, judicia privata magnarum rerum obire, in quibus sæpe non de facto, sed æquitate & jure certetur, jactare se in caussis centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum aut ratorum, ceterarumque rerum innumerabilium, jura versentur, &c.* Eosdem de inoffic. test. cognovisse, patet ex l. XIII. & XVII. D. de inoffic. test. Ovid. lib. de Ponto III.

Utque fui solitus, sedissem forsitan unus
De centum judex in tua verba viris.

Posterioribus autem temporibus eorum jurisdictio multum crevit, quemadmodum ex iis quæ subjiciam, quivis sua sponte intelliget. Fab. lib. 4. cap. I. *Quibusdam in judiciis, maximeque capitalibus, ut apud centumviros, ipsi judices exigunt solicitas & accuratas actiones: contemnique se, nisi in dicendo etiam diligentia appareat, credunt: nec doceri solum, sed etiam delectari volunt*. Quo in loco capitalia dici putarem, non publica, sed ea in quibus de capite civis Rom. agitur: ut in caussis liberalibus. Idem lib. V. cap. II. *Præjudicia etiam versantur in judiciis, cum de caussa pronuntiatum est, ut in assertione secunda, & partibus centumviralium, quæ in duas hastas divisæ sunt*. Idem lib. XI. capite I. *Etiam si apud alios judices agetur, ut in secunda assertione, aut in centumviralibus judiciis duplicibus parte victa*. Corn. Tacitus in lib. de Oratore: *Lege Pompeja omnia apud prætores gerebantur, apud quos quod majora olim negocia exerceri solita sunt, quod majus argumentum est, quam quod caussæ centumvirales, quæ nunc primum obtinent locum, adeo splendore aliorum judiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis, neque Cæsaris, neque Bruti, neque Cælii, neque Calvi, non denique ullius magni oratoris liber apud centumviros dictus legitur, exceptis orationibus Asinii*. Plinius lib. II. Epist. XIV. *Distringor centumviralibus caussis, quæ me exercent magis quam delectant. sunt enim pleræque parvæ, & exiles. Raro incidit vel personarum claritate, vel negotii magnitudine insignis. ad hoc perpauci, cum quibus juvet dicere. cæteri audaces, atque etiam magna ex parte adolescentuli obscuri declamatum huc transeunt, tam irreverenter & temere, ut mihi Attilius noster expresse dixisse videatur, Sic in foro pueros a centumviralibus caussis auspicari, ut ab Homero in scholis*. Auctus est autem postea centumvirorum numerus, manente tamen semper nomine, divisusque in quatuor consilia. Plin. lib. VI. Epist. *Fœmina splendide nata, nupta prætorio viro, exhæredata ab octogenario patre intra undecim dies, quam ille novercam ei amore captus induxerat, quadruplici judicio bona paterna repetebat. Sedebant judices centum & octoginta. tot enim quattuor consiliis conscribuntur*. His autem præerat prætor, quemadmodum idem libro quinto significat his verbis: *Hoc facto Nepotis commotus prætor, qui centumviralibus præsidet, deliberaturus an sequeretur exemplum, inopinatum nobis otium dedit*. Erant autem centumvirorum consilia quattuor, in quadam basilica inter se usque adeo proxima, ut actiones unius tribunalis ab alio exaudiri possent, ut ex eodem Plinio libro secundo intelligimus. Quintilianus libro duodecimo, de Trachallo loquens: *Certe*, inquit, *cum in Julia basilica diceret primo tribunali, quattuor autem judicia (ut moris est) cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent, & auditum eum & intellectum, & quod agentibus cæteris contumeliosum fuit, laudatum quoque ex quattuor tribunalibus memini*.

CONSULES.

CONSULES exactis Regibus duo creari cœpere Anno CCXLV. ut Livius in fine libri I. tradit: & lib. II. *Omnia jura*, inquit, *omnia insignia primi Consules tenuere. id modo cautum est, ne si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur*. Varro libro IV. *Consul nominatus, quod consulere populum, & senatum debet: nisi illinc potius, unde Actius in Bruto, qui recte consulat, consul fiat*. Cicero de Legibus III. *Regio imperio duo sunto: iique præeundo, judicando, consulendo, prætores, judices, consules appellantor. militiæ summum jus habento, nemini parento. Ollis salus populi suprema lex esto*. Jus autem consules dixisse, vel ex II. Livii intelligi potest: ubi scribit Appium consulem quam asperrime jus de creditis pecuniis dixisse. Pomponius l. 2. §. 8. de orig. jur. *Consules ab eo dicti sunt, quod plurimum reipub. consulerent. Lege lata summum jus eis delatum est. provocatio ab iis populo concessa. probibitum eisdem ne possent in caput civis Rom. animadvertere injussu populi. solum relictum est illis, ut coercere possent, & in vincula publica duci juberent*. Nonius Marcellus: *Consulum & prætorum proprietas, quod consulant, & præeant populis, auctoritate Varronis ostenditur de vita populi Rom. lib. II. Quod idem dicebantur consules & prætores: quod præirent populo, prætores: quod consulerent senatui, consules*. Polybius lib. VI. *Consules antequam ex urbe legiones educant, urbanarum rerum omnium jus atque imperium habent. His etenim cæteri omnes magistratus, prætor, tribunus pleb. parent ac subjecti sunt. hi legationes in curiam introducunt: quæ celeriter statuenda sunt, decernunt: quæ & deliberanda sunt, ad senatum referunt. quæ vero a senatu decreta sunt, ea ut perficiantur, ipsorum officium est perpendere, ac diligenter examinare: concionem quoties opus est, advocare: senatusconsulta ad populum referre: quidquid major pars jusserit, exequi. Quin etiam in his quæ ad belli apparatum, & castrensem disciplinam pertinent, hi summum imperium habent. His jus est sociis, quidquid visum fuerit, imperare. Tribunos militum creare, delectum habere. ad hæc de iis qui sub imperium eorum sunt, in castris arbitratu suo supplicium sumere. His præterea licet, eos comitante quæstore, ac sedulo imperata faciente, publici æris quantum res ipsa tulerit, impendere*. Hæc Polyb. Constat autem ex Cicerone Philipp. quinta, legitimum consulatus annum fuisse XLIII. ex Muræniana, & libro epist. septimo: & Livii libro I. centuriatis comitiis eos creari consuevisse. ex Pediano in Verrin. II. diem comitiorum consularium fuisse VI. Kalend. Sextil. ex Philip. II. & Plutarcho in Cicer. Consules capitis pignoribus senatores qui nec aderant, & quibus caussa non erat, coercuisse. ex Livii lib. XLII. cum ad bellum proficiscerentur, votis in Capitolio nuncupatis paludatos ex urbe exisse, omnibus ordinibus eos comitantibus. ex Verrina III. designatos in comitiis consules domum a multitudine deduci solitos. ex locis innumeris, eosdem Kalend. Januariis magistratum inisse, pompamque insignem adhibitam fuisse. qua de re versus Ovidii pulcherrimos ex libro quarto de Ponto subscribemus:

Ergo ubi, Jane biceps, longum reseraveris annum,
Pulsus & a sacro mense December erit:
Purpura Pompejum summi velabit honoris,
Ne titulis quicquam debeat ille suis.
Cernere jam videor rumpi pæne atria turba,
Et populum lædi deficiente loco:

Templaque Tarpejæ primum tibi sedis adiri,
Et fieri faciles in tua vota Deos:
Colla boves niveos certæ præbere securi,
Quos aluit campis herba Phalisca suis.
Curia te excipiet, patresque ex more vocati
Intendent aures ad tua verba suas.
Inde domum repetes toto comitante senatu,
Officium populi vix capiente domo.

Item Elegia IX.

Dumque latus cingit sancti tibi turba senatus,
Consulis ante pedes ire juberer eques.
Et quamquam cuperem semper tibi proximus esse,
Gauderem lateri non habuisse locum:
Nec querulus, turba quamvis eliderer, essem,
Sed foret a populo tum mihi dulce premi:
Prospicerem gaudens, quantus foret agminis ordo,
Densaque quam longum turba teneret iter.
Quoque magis noris, quam me vulgaria tangant,
Spectarem qualis purpura te tegeret.
Signa quoque in sella nossem formata curuli,
Et totum Numidæ sculptile dentis opus.
At cum Tarpejas esses deductus in arces,
Dum caderet jussu victima sacra tuo:
Me quoque secreto grates sibi magnus agentem
Audisset, media qui sedet æde Deus.

Idem etiam Elegia sequenti de extraordinaria consulis potestate nonnulla scribit, quæ quia nusquam alibi me legisse memini, subjiciam.

Aut reget ille suos dicendo jura Quirites,
Conspicuum signis cum premet altus ebur:
Aut populi reditus positam componet ad hastam,
Et minui magnæ non sinet urbis opes:
Aut ut erunt patres in Julia templa vocati,
De tanto dignis consule rebus aget:
Aut feret Augusto solitam natoque salutem,
Deque parum noto consulet officio.

Item Elegia IX.

Hæc modo te populo reddentem jura videbit,
Et se secretis finget adesse tuis.
Nunc longi reditus hastæ supponere lustri
Credet, & exacta cuncta locare fide.
Nunc facere in medio facundum verba senatu,
Publica quærentem quid petat utilitas.
Nunc pro Cæsaribus, superis decernere grates,
Albave opimorum colla ferire boum.

DECEMVIRI.

DECEMVIRI reip. administrandæ primum creati sunt, mortuo Romulo: *Patres enim centum* a Romulo creati *rem inter se decem decuriis factis, singulisque in singulas decurias creatis, qui summæ rerum præessent, consociant. Decem imperitabant: unus cum insignibus imperii, & lictoribus erat. quinque dierum spatio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat.* Hæc Livius libro primo. Dionysius autem lib. II. scribit, ducentos patres fuisse, & imperium decuriis factis uni eodem modo commisisse.

DECEMVIRI Reipubl. administrandæ secundo creati sunt anno CCCII. hac de caussa. Plebs de nimio consulum imperio querebatur, qui jus non e certis legibus, sed arbitrio suo dicerent. Petitis igitur e Græcia legibus, senatusconsulto, & plebiscito confirmatum est, ut omnibus abrogatis magistratibus, decemviri cum summo imperio crearentur: qui decimo die jus populo singuli redderent, & eo die penes præfectum juris fasces XII. essent: collegis novem singuli accensi apparerent. Livius lib. III. Dionys. lib. X. Pomponius in l. II. §. XXIV. de orig. jur. *Et cum placuisset leges quoque ferri, latum est ad populum; uti omnes magistratu se abdicarent. quo decemviri constituti anno uno cum magistratum prorogarent sibi, & cum injuriose tractarent, neque vellent deinceps sufficere magistratibus, ut ipsi, & factio sua perpetuo remp. occupatam retinerent: nimia atque aspera dominatione eo rem perduxerunt, ut exercitus a repub. secederet.*

DECEMVIRI litibus sive stlitibus (ut olim loquebantur) judicandis quo tempore creati fuerint, non reperio. Lites autem eos caussasque privatas judicasse, in quibus de jure controversia erat, multis ex locis constat. Ovidius ad Pisonem:

Seu trepidos ad jura decem citat hasta virorum,
Et firmare jubet centeno judice caussas.

Pomponius l. secunda, §. 16. de orig. jur. *Deinde cum esset necessarius magistratus, qui hastæ præesset, decemviri stlitibus judicandis sunt constituti.* Suetonius Augusto: *Auctor fuit, ut centumviralem hastam, quam quæstura functi consueverant cogere, decemviri cogerent.* Cicero pro Cæcina: *Cum Arretinæ mulieris libertatem defenderem, & Cotta decemviris religionem injecisset, decemviri prima actione non judicaverunt.* Idem pro domo: *Si decemviri sacramentum in libertatem injustum judicassent, tamen quotiescunque vellet quis, hoc in genere se rem judicatam referre posse voluerunt.* Dio præterea libro LIV. scribit decemviros iis judiciis, quæ ad centumviros forte deferebantur, præfuisse. Cicero in Oratore: *Plane duorumvirorum judicium, aut triumvirorum capitalium, aut decemvirorum litibus judicandis, dico nunquam.*

DICTATOR.

DICTATOR inde nomen invenit, quod, ut inquit Varro, a consule dicebatur, cui dicto audientes omnes essent. nam (ut Dionys. lib. V. Plutarchus in Marcello, & Livius lib. IX. XXII. & XXIII. tradunt) non a populo in comitiis, ut ceteri magistratus: sed a consule captatis auspiciis, nocte, ac silentio dicebatur. Seneca lib. epist. XIX. epist. CIX. Præterea notat, eum quem nos dictatorem dicimus, & in historiis ita nominari legimus, apud antiquos magistrum populi vocatum. hodieque id exstat in auguralibus libris, & testimonium est, quod qui ab illo nominatur, magister equitum est. Plutarch. Dictator non a populo, aut a patribus creari potest, sed alter consulum, quem vult, dictatorem dicit. unde quia ita dictus sit, dictator appellatur. Dionysius autem senatusconf. factum scribit, ut consules qui tum erant, magistratusque reliqui se abdicarent, unusque vir, quem senatus nominaret, populus scisceret, haud amplius quam per sex mensium spatium sine provocatione, & majore quam consules potestate, imperaret. Caussam creandi Cicero de legibus III. sic explicat: *Ast quando duellum gravius, discordiæve civium poscunt, dictator esto, ne amplius sex menses, si senatus creverit. idem juris quod duo consules, teneto. Isque ave sinistra dictus, populi magister esto.* Dionysius ejus imperium lib. quinto sic exponit: οὗτος πρῶτος ἐν Ῥώμῃ μόναρχος ἀπεδείχθη πολέμου τε καὶ εἰρήνης, καὶ παντὸς ἄλλου πράγματος αὐτοκράτωρ. ὄνομα δ' αὐτῷ τίθενται δικτάτωρα, εἴτε διὰ τὴν ἐξουσίαν τοῦ κελεύειν καὶ διατάττειν ὅ, τι θέλει, τά τε δίκαια καὶ τὰ καλὰ τοῖς ἄλλοις, ὡς ἂν αὐτῷ δοκῇ. *Iste primus creatus est, qui solus bellum pacemque & omnia negotia administraret. Vocarunt illum dictatorem sive a potestate imperandi & edicendi quidlibet, tum aliis æqua & justa pro suo arbitrio præscribendi.* Pomp. l. 2. §. 10. D. de orig. jur. *Populo deinde aucto cum crebra orirentur bella, & quædam acriora a finitimis inferrentur, interdum re exigente placuit majoris potestatis magistratum constitui. Itaque dictatores proditi sunt, a quibus nec provocandi jus fuit, & quibus etiam capitis animadversio data est. Hunc magistratum, quoniam summam potestatem habebat, non erat fas ultra sextum mensem retinere.* Festus: *Optima lege cum dicebatur in magistro populi faciendo, qui vulgo dictator dicitur, quam plenissimum posset jus, significabatur.* Præter superiores

caussas, quibus dictator creabatur, nimirum rei gerendæ & seditionis sedandæ, invenio creatum etiam fuisse clavi in pestilentia figendi caussa, de quo Livius lib. VII. commemorat. Item comitiorum habendorum, eodem auctore lib. VII. & IX. Quæstionis exercendæ, ut apud eundem libro IX. Ludorum faciendorum, senatus legendi, feriarum Latinarum ut passim apud eundem legimus. Tantum autem illius erat imperium, ut eo creato magistratus omnes præter tribunos pl. imperio sese abdicarent, auctore Plutarch. in Fabio. Duo vero esse dictatores non poterant, ac ne dictator quidem sine magistro equitum: auctore Dionys. lib. v. & Livio XXIII. neque extra Romanum agrum, hoc est, Italiam, dici poterat, ut idem libro XXVII. scribit. Nonnunquam & senatus populum rogari decernebat, ut quem vellet dictatorem juberet, qui deinde a consule diceretur. cujus rei exemplum exstat apud Livium libr. XXVII. Quin & L. Cornelius Sylla dictator a L. Valerio Flacco interrege dictus est: auctore Appian. libro de bell. civil. I. Cajum autem Julium Cæsarem senatus dictatorem creavit: ut Plutarchus in ejus vita scribit.

DUUMVIRI.

DUUMVIRI capitales dicebantur, qui de perduellionis crimine judicabant. Livius libro I. de Tullo rege loquens: *Duumviros*, inquit, *qui Horatio perduellionem judicent secundum legem, facio. Lex horrendi carminis erat: Duumviri perduellionem judicent. si a duumviris provocarit, provocatione certato. si vincet, caput obnubito: infelici arbore reste suspendito: verberato, vel intra pomœrium, vel extra pomœrium.* Idem lib. sexto: *Sunt qui duumviros, qui de perduellione anquirerent, creatos auctores sint.* Loquitur de M. Manlio, de quo Plutarchus idem in Vitis scribit. Duravit hic mos stante semper repub. Itaque C. Rabirius a Julio Cæsare, & L. Cæsare duumviris perduellionis damnatus est, sed ad populum provocavit: ut ex Ciceronis Oratione pro eo, & Suetonio, & Dionis lib. XXXVII. notum est omnibus. Cicero in Oratore. *Plane duumvirorum judicium, aut triumvirorum capitalium dico unquam.*

DUUMVIRI navales lege Decia, quam M. Decius tribun. pleb. tulit, creati sunt: ut classis ornandæ reficiendæque curam haberent. Livius lib. IX.

DUUMVIRI sacerdotes ad institutum nostrum non pertinent.

DUUMVIRI curatores viarum, quæ extra urbem essent, nominantur a Dione lib. IV. in eorum XXVI. virorum numero, unde alii quoque magistratus minores erant.

DUUMVIRI municipales, vide Duumviri, sub litera D.

INTERREX.

INTERREGNUM primum institutum est mortuo Romulo: ut Livius & Dionys. & Plutarch. scribunt. *Patres enim decem decuriis factis, singulisque in singulas decurias creatis, qui summæ rerum præessent, inter se consociarunt. decem imperitabant, unus cum insignibus imperii & lictoribus erat: quinque dierum spatio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat, annuumque intervallum regni fuit. id ab re, quod nunc quoque tenet nomen, interregnum appellatum.* Hæc ille. inde autem mox fluxit, ut cum sine summo imperio civitas esset, tum & patricius & a patriciis interrex proderetur, qui dies duntaxat quinque imperium obtineret, a quo alius deinde creabatur in dies alteros quinque, itemque alius atque alius eodem modo, dum consules creari possent: ut ex Ciceronis Orat. pro domo, Asconio in Milon. & Livii locis innumeris intelligitur: qui etiam libro VII. scribit ad undecimum perventum esse, dum per dies quinquaginta quinque sine summo imperio civitas esset: *Infestam*, inquit, *patribus plebem interreges cum accepissent, ad undecimum interregem seditionibus certatum est.*

JURIDICUS ALEXANDRIÆ.

JURIDICUS Alexandriæ dicebatur, qui Alexandriæ juri dicundo tam præerat, quam prætor urbanus Romæ. nam Ulpia. in l. I. D. de offic. jurid. Alexan. scribit ei legis actionem datam fuisse: &, uti quæcunque lege agi possent, agere apud eum liceret. Spartianus in Severo: *Deinde*, inquit, *Alexandrinis jus Bouleutarum* (id est, senatorum) *dedit, qui sine publico consilio, ita ut sub regibus ante vivebant, uno judice contenti, quem Cæsar dedisset.* Strabo lib. XVII. de Ægypto loquens, quam cum provinciam & vectigalem populi Rom. dixisset esse, ad eamque regendam mitti cum summo imperio præfectum, qui principis locum obtineret, *ὑπ' αὐτῷ δὲ* inquit, *ἐστὶν ὁ δικαιοδότης, ὁ τῶν πολλῶν κρίσεων κύριος.* id est: *Sub eo est juridicus, penes quem juris dicundi potestas est.*

MAGISTER EQUITUM.

MAGISTER *equitum dicebatur*, inquit Varro, *quod summa potestas hujus in equites, & adcensos, ut est summa in populum Roman. dictatoris: unde is quoque magister populi appellatus est.* Moris autem erat, ut a dictatore diceretur noctu, simul atque creatus dictator fuerat. Livius libro IV. *Dictator a consule dicitur: ipse deinde C. Cervilium Ahalam magistrum equitum dicit.* item: *Et senatus dictatorem dici Mamercum Æmilium jussit. Is magistrum equitum L. Quintium Cincinnatum dixit.* item: *Virginius dum collegam consuleret, moratus, permittente eo, nocte dictatorem dixit. Is sibi magistrum equitum Postumium dixit.* Pomponius l. II. de origine: *Et his dictatoribus magistri equitum jungebantur, sic quo modo regibus tribuni celerum. quod officium fere tale erat, quale hodie præfectorum prætorio.* Aurelius l. I. D. de offic. præf. prætor: *Cum apud veteres dictatoribus ad tempus summa potestas crederetur, & magistros equitum sibi eligerent, qui associati participes curæ militiæ gratia secundam post eos potestatem gererent.*

PRÆFECTI ÆRARII.

PRÆFECTI ærarii primum ab Augusto instituti sunt, ut scribit Dio lib. LV. Cum enim ærarium conficiendi ratio excogitari non posset, ipse certum ac proprium ære suo constituit, quod militare appellavit; ejusque administrationem tribus prætoriis sorte lectis ad triennium mandavit, qui binis lictoribus, aliisque ministris uterentur; post cum neque ipsius pecunia, neque ea quæ a regibus & populis mittebatur, satis locupletari ærarium posset, constituit, ut pars hereditatum ac legatorum vicesima eo referretur: præterquam quæ proximis cognatis, aut pauperibus relinquerentur. Postremis autem temporibus eosdem præfectos a principe deligi, & sine lictoribus creari solitos, eodem loco scribit. Ulpianus l. 8. §. 2. D. de transact. *Apud procuratorem Cæsaris transigi de alimentis potest. scilicet si a fisco petantur alimenta. Secundum quæ & apud præfectos ærarii transigi poterit.* Sueton. in Augusto: *Utque perpetuo ac sine difficultate sumptus ad tuendos eos prosequendosque suppeteret, ærarium militare cum vectigalibus novis constituit.* Quod autem ad hoc ærarium Dio prætorios refert, id Suetonius alteri attribuere videtur: *Auctor fuit se-*

natui, inquit, *ut cura ærarii a quæstoribus urbanis ad prætorios & prætoresve transiret* . nisi forte in utroque hoc factum sit, cum Dio lib. XLIII. scribat, publicæ pecuniæ administrationem, quæ Fabio, Caninio coss. ad ædiles translata fuerat, postea quæstoribus redditam non esse, sed prætoriis viris commissam. quod ipsum etiam ex Agellii lib. XIII. cap. XXIII. intelleximus: *Quod autem*, inquit, *per quæstorem dixi pecuniam ex prædæ venditione contrahi, intelligi nunc oportet præfectum ærario significari; nam cura ærarii a quæstore ad præfectum translata est*.

PRÆFECTUS URBI.

PRÆFECTURÆ urbis triplicem video rationem fuisse: aliam enim regum, aliam imperatorum, aliam mediis temporibus ejus magistratus procurationem fuisse animadverto. nam primis temporibus præfectus urbi a regibus creabatur. Livius lib. I. *L. Brutus imperium in urbe Lucretio præfecto urbis jam ante a rege instituto, reliquit*. & paulo post: *Duo consules inde comitiis centuriatis a præfecto urbis ex commentariis Ser. Tullii creati sunt*. Tacitus lib. V. *Sed præcipua ex eo gloria, quod præfectus urbi recens, continuam potestatem, & insolentia pari graviorem, mire temperavit. namque antea profectis domo regibus, ac mox magistratibus; ne urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur, qui jus redderet, ac subitis mederetur. feruntque a Romulo Dentrem Romulium, post a Tullo Hostilio Numam Martium, & a Tarquinio Superbo Sp. Lucretium impositos. Dein consules mandabant. Duratque simulacrum, quoties ob ferias Latinas præficitur, qui consulare munus usurpet*. Hæc Tacitus: ex quibus secunda hujusce magistratus forma intelligitur, de qua loquitur Gell. libro XIV. c. ult. *Præfectum urbi*, inquit, *Latinarum caussa relictum senatum habere posse, negat Mutius: quoniam ne senator quidem sit, neque jus habeat sententiæ dicendæ, cum ex ea ætate præfectus fiat, quæ non sit senatoria. M. autem Varro & Attejus Capito jus esse præfecto senatus habendi dicunt*. Deque ea assensum esse Capitonem Tuberoni, contra sententiam Mutii, refert Pompo. l. 2. §. 33. D. de orig. jur. *Quoties*, inquit, *proficiscuntur extra rempub. magistratus, unus relinquitur qui jus dicat. is vocatur præfectus urbi. qui præfectus olim constituebatur: postea vero Latinarum feriarum caussa introductus est, & quotannis observatur*. Latinæ autem feriæ dicebantur, quæ quotannis in Albano monte a quinquaginta Latinis civitatibus, Romanisque magistratibus quatriduano sacrificio Jovi Latiali celebrabantur. unde sacrificium *Latiar* dicebatur: in eoque Latini a Romanis carnem petebant. Macrobius lib. I. *Conceptivæ feriæ sunt, quæ quotannis a magistratibus, vel sacerdotibus concipiuntur in dies certos, vel incertos, ut sunt Latinæ, Sementinæ*. item: *Quare nec Latinarum tempore, quo publicæ quondam induciæ inter Romanum populum Latinosque firmatæ sunt, inchoari bellum decebat*. Dionys. autem libro sexto tradit has per unum diem celebratas a Superbo rege fuisse: exactis autem regibus per biduum: tandemque post secessionem in sacrum montem, per triduum. Plutarchus autem in Camillo propter patrum & plebis concordiam diem quartum additum fuisse testatur. Verum hæc quidem hactenus de præfectura urbis, quæ stante republica usurpata est. Postremis vero temporibus immutata ejus ratio est multis in rebus, videturque magistratus hic ab Augusto primum renovatus. Sueton enim sic scribit: *Quoque plures partem administrandæ reip. caperent, nova officia excogitavit, curam operum publicorum, viarum & aquarum, alvei Tiberis, frumenti populo dividendi, præfecturam urbis*. Ego has fere video ab Ulpia. partes ipsius procurationi attributas esse. Ut servorum de dominis querelas, vicissimque horum in illos criminationes audiret. Ut patronis de libertis ingratis querentibus jus diceret. Ut de tutorum curatorumve criminibus cognosceret. Ut numulariorum argentariorumque fraudes coerceret. Ut carnis curam gereret. Ut quietem in populo procuraret, illicitaque collegia coerceret. Ut spectaculorum disciplinæ præesset. Denique quicquid non modo intra urbem, verum etiam intra centesimum ab urbe lapidem commissum esset, animadverteret: sic ut & urbe & Italia interdicendi potestatem haberet, itemque in insulam deportandi. l. 6. D. de interd. & releg. l. *Rei capitalis*. §. *Constat*, D. de pœn. Quod autem Ulpianus de carnis cura scribit, invenio in epigrammatis urbis Romæ confirmatum, in edicto Aproniani præf. urbi, de carne occisi pecoris appendenda & vendenda. Quod de criminibus, video etiam ad publica pertinere. l. 1. §. *Generaliter*. D. de pœn. Prætores & præfecti vigilum, si quis graviore supplicio plectendus esset, eum ad illum remittebant. l. *Nam salutem*. & l. ult. de offic. præf. vigil. Dio vero lib. LII. *πολίαρχον* eum appellat, & Mecœnatem suadentem Augusto facit, ut eum e primariis viris deligat, qui omnes magistratus priores gesserit, ut eas caussas in quibus provocatio fuerit, & nonnullas etiam publicas & capitales disceptet, non modo in urbe, verum etiam *μέχρι πεντήκοντα ϗ ἑξακοσίων ϛαδίων*: quod ille pro centum passuum millibus posuit, ut patet ex l. 1. D. de offic. præf. urb.

PRÆFECTUS ANNONÆ.

PRÆFECTUS annonæ magistratus fuit extraordinarius, utilitatis caussa constitutus, uti scribit Pomponius l. 2. §. 17. de orig jur. Livius lib. IV. L. Minutium nominat, quem præfectum urbi a plebe creatum fuisse scribit. Constat ejus munus fuisse, ut videret, ne plebs annonæ inopia & caritate laboraret. Itaque si quid ad annonam pertinens commissum erat, ipse cognoscebat Marcianus l. 13. D. de accusat. *Mulierum*, inquit, *propter publicam utilitatem ad annonam pertinentem audiri a præfecto annonæ deferentem, divus Severus & Antoninus rescripserunt*.

PRÆFECTUS PRÆTORIO.

PRÆFECTUS prætorio translata in unius dominatum repub. exemplo magistrorum equitum ab imperatore creari solebat: eique dari plenior (ut Arcadius scribit) licentia ad disciplinæ publicæ emendationem. quibus initiis adeo is magistratus crevit, ut appellari a præfectis prætorio non possit. credidit enim princeps, eos qui ob singularem industriam explorata eorum fide & gravitate ad hujus officii magnitudinem adhiberentur, non aliter judicaturos esse pro sapientia ac luce dignitatis suæ, quam ipse foret judicaturus, l. 1. D. de offic. præf. præt. Unde autem dictus sit, demiror esse qui ambigant, cum Asconii extet auctoritas: *Veteres*, inquit, *omnem magistratum cui pareret exercitus, prætorem appellaverunt. Unde & prætorium tabernaculum ejus dicitur, & in castris porta prætoria, & hodie quoque præfectus prætorio*. Quibus ex verbis perspicuum est, præfectum prætorio dici eum, qui militibus iis præerat, quos imperatores in sui custodiam allegerant. quod institutum primum ab Augusto fluxisse Suetonius in ejus vita, & Dio libro LV. testantur. Dio quidem, ubi scribit eorum decem millia fuisse, legionemque illam suos habuisse fasces. Constat autem ex plerisque omnibus solitum ab imperatore cingulum una cum gladio dari præfecto prætorio. & memorabilis vox Trajani literis mandata est, qui cum præfectum suum cingulo donaret, ita dixisse traditur: *Accipe hunc ensem, & si quidem recte atque e republica imperavero, pro me*:

A *sin secus, in me utere*. Quam, ut ego mihi persuadeo, vocem suam in Panegyrico Plinii significans, ita loquitur: *Ego quidem in me si omnium utilitas ita posceret, etiam præfecti manum armavi*. Suetonius & Plinius hanc præfecturam equitibus Romanis mandari solitam scribunt. Ille his verbis: *Vespasianus*, inquit, *præfecturam quoque prætorii suscipit nunquam ad id tempus, nisi ab equite Romano administratam*. Plinius autem Titum alloquens: *Et quod bis nobilius fecisti, dum illud patri pariter & equestri ordini præstas, præfectus prætorio ejus*. Hæc autem potestas usque eo posteriorum Cæsarum beneficiis crevit, ut etiam postremis temporibus ad provincias regendas cum summo imperio missi sint. B Itaque quattuor eorum genera Constantinopolitani imperii tempore memorantur in lib. Cod. præfectus prætorio per Orientem, per Illyricum, per Italiam, per Gallias. de quibus licet cognoscere ex libro, qui inscribitur Notitia Rom. Imperii. Cassiodorus etiam epist. lib. VI. *Potestati præfecti prætorio*, inquit, *nulla dignitas est æqualis. vice sacra judicat. nullus ei miles fori auctoritate præscribit, excepto officiali magistri militum. Curiales enim etiam verberat. in officio suo jus retinet singulare. & talibus tantisque noscitur jubere, quos etiam provinciarum non auderent judices in qualibet parte contemnere*. C *Militia perfunctis, tribunorum & notariorum honorem tribuit, & milites suos illis exæquat. gratanter implet imperator, quæ ille constituit*.

PRÆFECTUS VIGILUM.

PRÆFECTUS vigilum institutus est ab Augusto. nam cum septem cohortes opportunis locis constituisset, ut binas regiones urbis unaquæque cohors tueretur: præposuit eis tribunos, & super omnes spectabilem virum, qui præfectus vigilum appellaretur. Is cognoscebat de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, receptatoribus: nisi si qua tam D atrox, tamque famosa persona sit, ut præfecto urbi remittatur. & quia plerumque incendia culpa fiunt inhabitantium, aut fustibus castigat eos, qui negligentius ignem habuerunt: aut severa interlocutione comminatus, fustium castigationem remittit. Idem per totam noctem vigilare debebat, & coerrare calciatus, cum hamis & dolabris, & curare omnes inquilinos admonendos, ne negligentia aliqua incendii casus oriatur: præterea ut aquam unusquisque inquilinus in cœnaculo habeat. Hæc ex lib. 3. D. de offic. præfect. vigil. Dio libro LV. *Ἐπειδή τε ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ πολλὰ τῆς πόλεως πυρὶ διεφθάρη, ἄνδρας τε ἐξελευθέρους ἑπταχῆ* E *πρὸς τὰς ἐπικουρίας αὐτῆς κατελέξατο, καὶ ἄρχοντα ἱππέα αὐτοῖς προσέταξεν, ὡς καὶ δι' ὀλίγου σφᾶς διαλύσων. οὐ μέντοι καὶ ἐποίησε τοῦτο. καταμαθὼν γὰρ ἐκ τῆς πείρας, καὶ χρησιμωτάτην, καὶ ἀναγκαιοτάτην τὴν παρ' αὐτῶν βοήθειαν οὖσαν, ἐτήρησεν αὐτούς. καί εἰσι καὶ νῦν νυκτοφύλακες οὗτοι ἴδιόν τινα τρόπον οὐκ ἐκ τῶν ἀπελευθέρων ἔτι μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν ἄλλων στρατευόμενοι, καὶ τείχη τε ἐν τῇ πόλει ἔχουσι, καὶ μισθὸν ἐκ τοῦ δημοσίου φέρουσιν.* id est: *Cum per id tempus multa in urbe incendio perissent, libertini generis homines septem in locis, incendiis procurandis delegit: eisque equitem unum præfecit eo consilio, ut perexiguo tempore illorum opera* F *uteretur. Verum cum experiundo cognovisset, præsidium & illud utilissimum & maxime necessarium esse, retinuit. suntque usque adhuc nocturnæ quodammodo excubiæ militares, non ex libertinis tantum, verum etiam ex aliis constitutæ: quæ muris in urbe præsunt, mercedemque de publico accipiunt*. In eandem sententiam Suetonius in Augusto: *Adversus incendia excubias nocturnas, vigilesque commentus est*. item: *Libertino milite, præterquam Romæ incendiorum caussa, & si tumultus in graviore annona metueretur, bis usus est*.

PRÆFECTUS AUGUSTALIS.

PRÆFECTUS Augustalis, sive præfectus prætorio Augustalis, dicebatur is cui Princeps summum imperium & proconsulari par in Ægyptum dedit: quemadmodum Ulpianus scribit l. 1. D. de offic. præf. August. Tacitus libro 1. *Nam D. Augustus apud equestres, qui Ægypto præsiderent, lege agi, decretaque eorum perinde haberi jusserat, ac si Romani magistratus constituissent*. idem libro 11. *M. Silano, L. Norbano coss. Germanicus in Ægyptum proficiscitur cognoscendæ antiquitatis caussa, sed cura provinciæ prætendebatur: levavitque apertis horreis precia frugum, multaque in vulgus grata usurpavit, sine milite incedere pedibus intectis, & pari cum Græcis amictu, P. Scipionis æmulatione, quem eadem factitavisse apud Siciliam, quamvis flagrante adhuc Pœnorum bello, accepimus. Tiberius cultu habituque ejus lenibus verbis perstricto, accerrime increpuit, quod contra instituta Augusti, non sponte principis, Alexandriam introisset. nam Augustus inter alia dominationis arcana, vetitis sine permissu ingredi senatoribus, aut equitibus Rom. illustribus, seposuit Ægyptum, ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam, claustraque terræ ac maris, quamvis levi præsidio adversus ingentes exercitus insedisset*. Strabo lib. XVII. de Ægypto loquens: *ἐπαρχία νῦν ἐστι, φόρους μὲν τελοῦσα ἀξιολόγους, ὑπὸ σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν διοικουμένη τῶν πεμπομένων ἐπάρχων αἰεί. ὁ μὲν οὖν πεμφθεὶς τὴν τοῦ βασιλέως ἔχει τάξιν.* id est: *Ægyptus autem nunc provincia est, vectigalis populi Rom. regiturque a viris sapientibus qui eo cum imperio mittuntur. Qui mittitur, principis loco est*. Dio præterea lib. LI. in eandem sententiam cum Suetonio & Tacito loquitur, ubi ait, Augustum propter gentis levitatem, & regionis frugumque omnium ubertatem & copiam non esse ausum eam provinciam ulli senatori committere: quin & proficiscendi in Ægyptum potestatem, nisi ipse nominatim alicui concessisset, nemini fuisse.

PRÆSIDES PROVINCIARUM.

PRÆSIDES provinciarum dici cœperunt, post divisionem provinciarum ab Augusto factam. Sic enim provincias divisit, ut aliæ Cæsaris, aliæ populi dicerentur. Cæsaris, quæ validiores erant, & quas annuis (ut Suetonius scribit) magistratuum edictis regi, nec facile, nec tutum erat. Has igitur ipse suscepit, in easque rectores mittere instituit, viros, ut ait Strabo, tum consulares, tum prætorios, tum etiam equites. Quos & ille generali nomine *διοικητὰς*, & Jurisconsulti in Pandectis *præsides* appellant: *Nomen*, inquit Macer, *præsidis generale est, eo quod & proconsules, & legati Cæsaris, & omnes provincias regentes, licet senatores sint, præsides appellantur*. Ubi tamen SENATORES NON SINT cum negatione legendum videtur, ut equites significaret, de quibus hoc ipsum Strabo testatur. Populi autem provinciis qui præerant, proconsules (ut ait Suetonius) dicebantur. Unde caput est in libro Pandectarum 1. De officio proconsulis: quod ad populi provinciarum solos rectores pertinet. Nam etsi populus in suas provincias mittebat *στρατηγοὺς καὶ ὑπάτους*, ut Strabo appellat, id est, *prætores & consules* (quibus nominibus abusus est pro *proprætores & proconsules*; ut continuo post demonstrat) tamen utrosque proconsulum nomine appellari solitos & Suetonius testatur, & ex Pandectarum libris facile intellectu est: quum scilicet extraordinarium esset eo tempore prope omnium in provinciis imperium, eoque generali nomine rectores omnes appellarentur. Nam ut in ejusdem imperatoris vita Suetonius scribit: *Augustus auctor senatui fuit, ne magistratus deposito honore statim*

in provincas mitterentur. Præſides autem majus imperium in ſua provincia habebant omnibus poſt principem, l. 4. de offic. præſid. & omnia provincialia deſideria, quæ Romæ varios judices habebant, ad officium præſidum pertinebant, l. 11. eod. *Denique omnium Romæ magiſtratuum vice & officio fungebatur*. l. 12. eod. Plura de iis ſub verbo, PROCONSULES.

PRÆTOR URBANUS.

PRÆTOR *dictus*, inquit Varro, *qui præiret jure, & exercitu. a quo id Lucilius. Ergo prætorum eſt ante præire*. Hinc Feſtus: *Prætorem majorem, inquit L. Cæſar, putat dici urbanum: ceteros, minores. Maximum prætorem dici putant alii eum, qui ætatis maximæ. pro collegio quidem augurum decretum eſt, quod in ſalutis augurio prætores majores & minores appellantur, non ad ætatem, ſed ad vim imperii pertinere*. Hinc apud Livium lib. VII. *Lex vetuſtis ſcripta verbis, ut qui prætor maximus eſſet, idibus Septembr. clavum pangeret*. id eſt: *Qui ſummum imperium & poteſtatem haberet, veluti conſul, aut dictator*. Juſtin. autem Novell. 25. de prætore Lycaon. ſcribit: *Nomen prætoris proprium imperii Rom. fuiſſe, & ante ipſos etiam coſſ. in republica uſurpatum. quippe cum veteres Romani ſuos imperatores prætores appellarent, iiſque rei militaris ſummam poteſtatem attribuerent, legibuſque ab iis ſcriptis parerent*. Quibus ex verbis de Juſtiniani ſumma antiquitatum cognitione licet exiſtimare. Utcunque ſit, commune hoc prætoris verbum tandem ejus proprium factum eſt, qui in urbe juri dicundo præeſſet. de quo Pompon. in l. 11. de orig. jur. *Cumque conſules avocarentur bellis finitimis, neque eſſet qui in civitate jus reddere poſſet, factum eſt ut prætor quoque crearetur, qui urbanus appellatus eſt, quod in urbe jus redderet*. Livius lib. VI. & VII. ſcribit anno ab U. C. CCCLXXXVIII. *Conceſſum a plebe nobilitati de prætore uno, qui jus in urbe diceret, ex patritiis creando. eumque ſibi honorem patritios quæſiviſſe, pro conceſſo plebi altero conſulatu*. Hæc ille. Moris autem erat, ut is creatus comitiis centuriatis, priuſquam jus diceret, ut cuique notum eſſet, quemadmodum anno ſuo jus dicturus eſſet, in albo edictum conſtitueret, atque proponeret, quod ab edicendo, id eſt, ante denunciando ac prædicendo dictum eſt: quaſi tanto ante populo denunciaret quæ eſſet in jure dicendo obſervaturus. Hoc autem inito magiſtratu, habita concione & juratus in leges, faciebat. Cicero de finibus II. *Quid enim mereri velis jam, quum magiſtratum inieris, & in concionem aſcenderis (eſt enim tibi edicendum, quæ ſis obſervaturus in jure dicendo: & fortaſſe etiam, ſi tibi erit viſum, aliquid de majoribus tuis & de te ipſo dices more majorum) quid merearis igitur, ut te dicas in magiſtratu omnia voluptatis cauſſa facturum eſſe*. Juris dicundi autem munus tribus hiſce continebatur verbis, *Do, Dico, Addico*. Dabat bonorum poſſeſſionem ex legibus, ex edicto ſuo, ex ſenatusconſultis. Dabat judicium recuperatori, itemque arbitros, cum privati poſtulabant. Dicebat viam in formulis, *Iſtam viam dico*. Dicebat tutorem ex lege Attilia, dicebat ſententiam quibuſdam in cauſis majoribus, ut in liberalibus, in popularibus, in executionibus ſententiarum, in appellationibus, & aliis præterea nonnullis. Dicebat etiam interdicendo cum de poſſeſſione, interdum etiam cum de proprietate ageretur: quod ex lib. Pand. XLIII. cuivis facile eſt intelligere. Dicebat præterea indicendo, veluti cum ferias indicebat, ut Gell. lib. X. cap. XXIV. & item Macrobius lib. Saturn. I. demonſtrant. Suetonius In Claudio: *Obſervavitque ſedulo ut quoties terra in urbe moviſſet, ferias advocata concione prætor indiceret*. Addicebat autem, cum in jure ceſſio fiebat: cujus rei ritum in formulis expoſuimus. Cicero lib. de legibus III. *Juris diſceptator qui privata judicet, judicarive jubeat, prætor eſto. Is juris civilis cuſtos eſt*. Polybius autem & Plutarchus ei ſex lictores datos tradunt. Unde ἀρχὴν ἑξαπέλεκυν appellant, id eſt, ſex ſecurium. Notandum etiam quod Cicero ſcribit lib. fam. epiſt. XII. *Placuit nobis*, inquit, *ut ſtatim ad Cornutum prætorem urbis has literas deferrem, qui, quod conſules aberant, conſulare munus ſuſtinebat more majorum*. Gellius lib. XIII. cap. XV. *Prætor etſi collega conſulis eſt, neque prætorem, neque collegam jure rogare poteſt, quia imperium minus prætor, majus habet conſul, & a minore imperio majus, aut a minore collega rogari jure non poteſt*. Sed & collegam eſſe prætorem conſulum, Meſſala docet, quod eodem auſpicio creantur. Hunc centumviralibus judiciis poſtremis temporibus præfuiſſe, Plinius lib. epiſt. V. his demonſtrat verbis: *Hoc facto Nepotis commotus prætor, qui centumviralibus præſidet, deliberaturus an ſequeretur exemplum, inopinatum nobis ocium dedit*. Seneca lib. de tranquill. vitæ I. *An ille plus præſtat, qui inter peregrinos & cives, aut urbanus prætor adeuntibus aſſeſſoribus, verba pronunciat, quam qui docet quid ſit juſticia, &c.*

PRÆTOR PEREGRINUS.

PRÆTOR peregrinus, ut Pomponius ſcribir, creatus eſt propter magnam peregrinorum turbam, ut inter eos jus diceret: cum urbanus prætor ſatisfacere utriſque non poſſet. Eum autem reperio in epitome Livii lib. XIX. an. DX. primum creatum fuiſſe: & peregrinum dictum, quod inter cives & peregrinos jus diceret. Itaque video apud Livium ſemper urbanam juriſdictionem ei, quæ inter cives & peregrinos eſt, opponi. Ut lib. XXII. *Romæ juris dicendi urbana ſors Pomponio, inter cives Rom. & peregrinos, P. Furio Philo evenit*. Et lib. XXXIII. *Prætores deinde provincias ſortiti, L. Apuſtius Fullo urbanam juriſdictionem, M. Acilius Glabrio inter cives & peregrinos*. Et lib. XI. *Juriſdictio urbana M. Ogulnio Gallo, inter peregrinos M. Valerio evenit*. Et libro XLI. *Prætores L. Papyrius Maſo urbanam, M. Aburius inter peregrinos ſortiti ſunt*. Et lib. XLII. *Prætores deinde provincias ſortiti ſunt, A. Atilius Serranus urbanam, C. Clunius Saxula inter cives & peregrinos*. Honoratiorem autem urbanam peregrina fuiſſe, Appianus & Dio non obſcure ſignificant: ille lib. de bellis civilibus II. ubi ſcribit, Brutum & Caſſium prætores deſignatos inter ſe contendiſſe, uter juris inter cives dicundi provinciam obtineret. hic autem lib. XLII. ubi narrat prætorem Cæcilium indigne tuliſſe, quod Cæſar eam provinciam collegæ Trebonio dediſſet. omnibus autem præturis præſtantiorem fuiſſe & Cice. in orat. pro Muræna perſpicue demonſtrat. Sed quæri ſolet, quid inter urbanam & peregrinam præturam interfuerit. Ego tres fere differentias reperio. Prima hæc eſt, quod (ut modo diximus) ſoli cives Rom. agere apud urbanum poterant, peregrini non poterant. Altera, quod apud illum lege agebatur, apud hunc autem, nequaquam. *Itaque* (ut eſt in orat. pro Flacco) *cum Græcus homo Heraclides a C. Plotio ſenatore mancipia quædam petiiſſet, & fore videret, ut judex ſumptus ſententiam ſecundum reum diceret, & ab eo judice abiit, & quod judicium lege non erat, cauſſam totam reliquit*. Quod cum ita ſit, ſequitur cives Roman. neque ſuos liberos emancipare, neque alienos adoptare, neque ſuos ſervos manumittere, neque in jure cedere, neque bonorum poſſeſſionem, tutoremve civi Rom. impuberi poſtulare apud eum potuiſſe: denique, ut rem uno verbo complectar, legis actionem eum prætorem non habuiſſe. Fal-

ſum eſt autem quod quidam ſcribunt, eum de pecuniis repetundis quæſiſſe. nam Aſconii locus, in orat. Ciceronis contra competitores, quo ſolo argumento nituntur, longe alio pertinet. Scribit enim Antonium, cum magiſtratum adhuc nullum obtinuiſſet, ſed equitum turmas de Syllano exercitu nactus eſſet, Græcos ſpoliaſſe: ideoque ad M. Lucullum prætorem, qui jus inter peregrinos dicebat, a Græcis in jus eductum eſſe. non igitur repetundarum judicium illud erat, ſed injuriarum potius: quæ cum atrociores eſſent, dignæ viſæ ſunt, de quibus prætor ipſe inter civem & peregrinos Græcos homines cognoſceret. Tertia differentia eſt, quod prætor urbanus edictum in albo proponebat, quibus de rebus jus anno ſuo dicturus eſſet: cum alter nuſquam, quod ſciam, legatur propoſuiſſe. ſed (ut opinor) ex urbano edicto jus dicebat.

PRÆTORES PROVINCIALES.

PRÆTORES provinciales creati ſunt circa annum DXIX. Sicilia & Sardinia captis, atque in provinciarum formam redactis: quemadmodum Solinus cap XXI. & Livius epit. XX. prodiderunt. Pomponius autem in l. 2. de orig. jur. *Capta Sardinia*, inquit, *mox Sicilia, item Hiſpania, deinde Narbonenſi provincia, totidem prætores, quot provinciæ in ditionem venerant, creati ſunt*. Poſt autem moris fuit, ut, cum armis tutandæ provinciæ viderentur, eo ſtatim & conſules & prætores inito magiſtratu mitterentur. Tandem etiam inſtitutum eſt, ut qui conſulatu aut prætura abiiſſent, eo cum ſummo imperio proficiſcerentur: illique proconſules, ſive proprætores (tametſi verbis hiſce nonnunquam veteres abutantur) appellarentur. Demonſtravi etiam in Verrinarum commentariis, moris fuiſſe, ut cum a ſenatu decretæ & conſulares & prætoriæ provinciæ fuiſſent, tum conſules inter ſe itemque prætores provincias ſortirentur, aut vero inter ſe compararent. Conſules autem id adhuc deſignati, & antequam magiſtratum inirent, facere ſolebant: quemadmodum ex orat. de provinc. conſul. Salluſtio in Jugurth. & innumeris Livii locis intelligitur. Prætores vero quo tempore magiſtratu abibant, id factitaſſe ſignificat locus ille Verrinæ IV. *Qui ſimulatque ei ſorte provincia Sicilia obvenit, ſtatim Romæ, & ad urbem, antequam proficiſceretur, quærere ipſe ſecum, & cogitare cum ſuis cœpit. quibuſnam rebus in ea provincia maximam uno anno pecuniam facere poſſet*.

PRÆTOR FIDEICOMMISSARIUS.

PRÆTORES fideicommiſſarios duos a Claudio Cæſare inſtitutos eſſe, qui de fideicommiſſis jus dicerent, ſcribit Pomp. l. 2. §. 17. d. de orig. jur. ex iiſque unum a Tito Cæſare detractum eſſe. Suetonius autem in Claudio: *Juriſdictionem de fideicommiſſis*, inquit, *quotannis & tantum in urbe delegari magiſtratibus ſolitam in perpetuum, atque etiam per provincias, poteſtatibus demandavit*. Sed hæc facile eſt ex Fabii verbis explicare, qui lib. III. cap. VI. ſic ſcribit: *Non debes apud prætorem petere fideicommiſſum, ſed apud conſules. major enim prætoria cognitione ſumma eſt. quæritur an major ſumma ſit*, &c. Quo ex loco intelligitur, fideicommiſſorum juriſdictionem ita partitam fuiſſe, ut prætor uſque ad certam ſummam cognoſceret, de majore conſul jus diceret. Budæus autem eum locum in Annotationibus ſuis proferens ita duobus in locis interpretatur eſt, ut vel ea res admonere nos debeat, quanta in aliorum ſcriptis legendis benevolentia & facilitate uti debeamus. Verum ut inſtitutum ſermonem perſequamur, Ulpi. perſpicue id quod diximus confirmat, Inſtit. 25. *Fideicommiſſa*, inquit, *non per formulam petuntur, ut legata. Sed cognitio eſt Romæ quidem conſulum, aut prætoris, qui fideicommiſſarius vocatur: in provinciis vero, præſidum provinciarum*. De prætore fideicommiſſario Imp. l. 2. C. qui pot. in pigno. habeant. Paulus l. *Quæſitum*, 78. §. pen. D. de legat. 3. & l. 4. in fin. D. quibus ad lib. Ulpi. l. *Si cui legatum*. 92. de conſtit. & demonſtr.

PRÆTOR FISCALIS.

PRÆTOR fiſcalis ab imperatore Nerva creatus eſt, qui inter fiſcum & privatos jus diceret, ut Pomponius ſcribit in l. 2. §. 18. de orig. jur.

PRÆTOR TUTELARIS.

PRÆTOR tutelaris primus a M. Antonino philoſopho creatus eſt, quemadmodum Julius Capitolinus ſcribit: cum antea tutores a conſulibus poſcerentur, ut diligentius de tutoribus tractaretur. Quantum autem ex Juſtiniano intelligimus, officium ejus erat, ut cogeret tutores & ſatiſdare rem pupilli ſalvam fore, & delatam tutelam recipere.

PRÆTORES RERUM CAPITALIUM.

VIDE infra QUÆSITORES.

PROCURATOR CÆSARIS.

PROCURATOR Cæſaris ab Auguſto primum inſtitutus eſt, ut ex Dionis lib. LIII. intelligimus: ubi ait Auguſtum in omnes provincias, præterquam ubi proconſules eſſent, mittere inſtituiſſe curatores, qui vectigalia conquirerent, impendiaque, ſi quæ opus eſſent, facerent. Hoc autem potius officium quam magiſtratus appellatur in l. *non licet*, 46. d. de cont. empt. Itaque *rationales* paſſim in libris noſtris appellantur: eoſque deportandi jus non habere, ſed petulantibus aditu prædiorum Cæſaris interdicere poſſe, Calliſtratus auctor eſt in l. ultim. D. de offic. procur. Præterea juriſdictionem inter privatos extra fiſcales cauſas non habebat. l. 1. C. de juriſdiction. omn. judic. l. 1. & paſſim, C. ubi fiſc. cauſſæ. Inter fiſcum autem & privatos jus dicebat. Ulpian. l. 5. C. eod. l. 1. D. de offic. pro. Cæſar. ſcribit: *Ea quæ ab illo acta geſtaque ſunt, ſic a Cæſare comprobari, atque ſi a ſe ipſo geſta eſſent*. Hinc illud Taciti lib. XII. de Claudio Cæſare: *Eodem anno*, inquit, *ſæpius audita vox principis, parem vim rerum habendam a procuratoribus ſuis judicatarum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet. Ac ne fortuito prolapſus videretur, ſenatuſconſulto quoque cautum plenius & uberius, quam antea*. Suetonius tamen id illum precibus impetraſſe ſcribit. *Ut ſibi in curiam*, inquit, *præfectum prætorii ſecum inducere liceret, utique rata eſſent quæ procuratores ſui in judicando ſtatuerent, precario exegit*. Ad eundem illud quoque pertinet quod idem in Veſpaſiano ſcribit, procuratorem rapaciſſimum quemque ad ampliora officia ex induſtria promoviſſe, quo locupletiores mox condemnaret. & quibus quidem vulgo pro ſpongiis dicebatur uti, quod quaſi & ſiccos madefaceret, & exprimeret humentes.

PROCONSULES ET PROPRÆTORES.

PROPRÆTORES & proconſules qui fuerint, olim in Verrinarum commentariis ſic expoſuimus. Cum antiquitus auctis imperii finibus prætores crearentur, qui in provincias ſummo cum imperio mitterentur (de quibus apud Livium frequens eſt mentio) inſtitutum tandem fuit, ut qui Romæ conſulatum aut præturam geſſiſſent, ii anno inſequenti

in provincias eodem cum summo imperio mitterentur, quæ idcirco consulares, & prætoriæ vocabantur, quarum illæ biennium obtinebantur, hæ annum unum: ut testis est hic ipse in prima Philippica. Qui vero ex consulatu provinciam obtinebant, proconsules sive pro consule: qui ex prætura, proprætores sive pro prætore dicebantur. De proconsulibus quidem nemini dubium id esse arbitramur, de proprætoribus vero, quoniam dubitare nonnullos animadvertimus, testimoniis confirmandum videtur. Cic. lib. de Divin. II. *Bellicam rem administrari majores nostri nisi auspicato noluerunt. quam multi sunt anni, cum bella a proprætoribus & proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent?* Quin igitur Gabinius, qui ex consulatu Syriam obtinuit, proconsul: quin Verres, qui ex prætura Siciliam, proprætor dici posset, dubitaturum neminem existimamus. At enim prætor hic perpetuo nominatur. Ita est, sed aut præturam magistratum esse annuum negemus, aut per abusionem id dici, fateamur necesse est. Repugnat enim præturam Verris esse annuam, & Verrem prætorio imperio, tum Romæ, tum in Sicilia, quadriennium præfuisse. ac ne cui mirum videatur, verbum prætoris pro proprætoris usurpari, locum ex Verrina IV. subscribemus, in quo & consul pro proconsul, & prætor pro proprætor, perspicue usurpatur: *Quum id quod omnes intelligebant, diceret Heraclius, legem esse Rupiliam, quam prætor Rupilius, ex S. C. de decem legatorum sententia dedisset, hoc omnes semper in Sicilia consules prætoresque servasse, &c.* Sententiam nostram nunc ita perspicue confirmabimus, ut quod amplius dubitetur, nihil futurum sit. Cælius ad hunc nostrum scribens libro epistol. VIII. sic ait: *Itemque senatui placere, in Ciliciam provinciam inque* VIII. *reliquas provincias, quas prætorii pro prætore obtinerent, eos qui prætores fuerunt, neque in provincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex S. C. cum imperio in provincias pro prætore mitti oporteret, eos sortito in provincias mitti placere*: & quæ sequuntur. Videmus, opinor, aperte nunc, eos ipsos qui prætorii erant, prætorio imperio in provincias mitti moris fuisse. In quo tamen illud intelligendum est, tametsi more id institutoque fieret, ut qui ex prætura consulatuve exirent, in provincias proprætorio proconsularive imperio mitterentur, eoque hi magistratus essent ordinarii; nonnunquam tamen extra ordinem, tum proprætores, tum proconsules mitti consuevisse, quorum imperium extraordinarium appellabatur. Velut in his duobus de quibus modo commemoratum est, Cn. Pompejo, & L. Gellio: quorum uterque quum consul antea nunquam fuisset, pro consule tamen in provinciam est missus. Nam de Pompejo quidem aperte id Cicero undecima Philippica testatur: cujus verba paulo antea descripsimus. quod eodem modo intelligendum est in iis, qui cum consules quidem fuissent, non tamen statim ex consulatu in provinciam proficiscebantur, quemadmodum Ciceroni usuvenit: qui quia IX. post consulatum annis in Ciliciam proconsul profectus est, propterea extraordinarium suum imperium appellat in Epistola 9. lib. ad Atticum quinti: *Faciam*, inquit, *ut summa modestia & summa abstinentia munus hoc extraordinarium traducamus*. Atque hæc quidem de proconsulum imperio extraordinario. A quo proprætorum extraordinarium imperium nihil omnino differre, hinc intelligi potest, quod Cicero Philippica II. imperium a senatu in suam sententiam C. Cæsari adolescenti, neque ullo unquam magistratu functo, delatum ut proprætor esset, extraordinarium appellat. *At enim*, ait, *C. Cæsari adolescenti imperium extraordinarium mea sententia dedi*. significat autem S. C. quod in oratione V. perscriptum est. Ejusdem modi fuit Cn. Pisonis imperium, de quo Sallustius in

A conjuratione Catilinæ sic scribit: *Postea Piso in citeriorem Hispaniam quæstor pro prætore missus est, adnitente Crasso, &c.* Non igitur aut proconsulum aut proprætorum perpetuo extraordinarium imperium fuit, quemadmodum placere quibusdam video: sed tum demum, cum in provinciam aut ante consulatum, præturamve, aut non statim ex consulatu præturave cum imperio mitterentur. Hæc cum ita se haberent, illud tamen minime silentio prætermittendum videtur: quoniam prætoris vocabulo veteres pro eo qui exercitui præesset utebantur (quemadmodum ex Asconio notum est) eos qui duces exercitus vicarii relicti essent (quos *Locum tenentes

B generales* vulgo nominamus) pro prætore etiam appellari consuevisse: quod vel ex eo intelligi licebit, quia Sallustius in bello Jugurthino scribit, Albinum consulem ad comitia profectum, Aulum fratrem in castris pro prætore reliquisse: quem paucis post versibus legatum appellat. & in eodem C. Marium in expeditionem profectum, L. Syllam quæstorem suum in castris pro prætore reliquisse. Valerius autem Maximus libr. 2. cap. de disciplina militari, *L.* inquit, *Martius tribunos militum, cum reliquias duorum exercituum P. & Cn. Scipionum, quos arma Punica in Hispania absumpserant, dis-

C persas mira virtute collegisset, earumque suffragiis dux esset creatus, senatui de rebus actis a se scribens, in hunc modum orsus est: L.* MARTIUS *proprætor, cujus honoris usurpatione uti eum patribus conscriptis non placuit, quia duces a populo, non a militibus solerent creari*. Hæc Valerius. De proconsulum autem & proprætorum ordinario imperio lubet Appiani verba ex libr. Syriac. subscribere: Καὶ στρατηγοὺς, inquit, ἐπὶ τῇ στρατιᾷ περιέπεμπον, οὓς αὐτοὶ καλοῦσιν ἑξαπελέκεας, ὅτι τῶν ὑπάτων δώδεκα πελέκεσι καὶ δώδεκα ῥάβδοις, ὥσπερ οἱ πάλαι βασιλεῖς, χρωμένων, τὸ ἥμισυ τῆς ἀξιώσεως ἐστὶ τοῖσδε στρατηγοῖς, καὶ τὰ ἡμίσεα παράσημα. Quæ nos cum Appianum

D Latinum faceremus sic convertimus: *Imperatores cum exercitu miserunt quos ipsi sex securium magistratus (id est proconsules aut prætores) vocant. Nam cum utantur consules duodecim securibus, totidemque fascibus, quemadmodum prisci reges: dimidium autem potestatis illorum magistratus isti habeant, insignium etiam partem dumtaxat habent dimidiam*. Atque hæc quidem usque ad Augusti imperium ita se, quemadmodum diximus, habuerunt. Hic vero provincias ita divisit, ut aliæ Cæsaris, aliæ populi dicerentur. Cæsaris quæ validiores erant, & quas annuis (ut Suetonius scribit)

E magistratuum imperiis regi nec facile nec tutum erat. Has igitur ipse suscepit, in easque rectores mittere instituit, viros (ut ait Strabo) tum consulares, tum prætorios, tum etiam equites. quos & ille generali nomine διοικητὰς, & Jurisconsulti in Pandectis præsides appellant. *Nomen* (inquit Macer) *præsidis generale est, eo quod & proconsules & legati Cæsaris & omnes provincias regentes, licet senatores sint, præsides appellantur*. Ubi tamen, SENATORES NON SINT, cum negatione legendum videtur. ut equites significet, de quibus hoc ipsum Strabo testatur. populi autem qui provinciis præerant, proconsules (ut ait Suetonius) dicebantur.

F Unde caput in libro Pandectarum I. De officio proconsulis: quod ad populi provinciarum solos rectores pertinet. Nam etsi populus in suas provincias mittebat στρατηγοὺς ἢ ὑπάτους (ut Strabo appellat) id est, *prætores* & *consules* (quibus nominibus abusus est pro *proprætores* & *proconsules*, ut continuo post demonstrat) tamen utrosque proconsulum nomine appellari solitos, & Suetonius testatur, & ex Pandectarum libris facile intellectu est. cum scilicet extraordinarium esset eo tempore prope omnium in provinciis imperium, eoque generali nomine (ut paulo ante moris fuisse ostendimus) rectores

res omnes appellarentur. Nam ut in ejusdem imperatoris vita Suetonius scribit, *Augustus auctor senatui fuit, ne magistratus deposito honore statim in provincias mitterentur, & ut cura ærarii a quæstoribus urbanis ad prætorios prætoresve transiret*. Atque hæc quidem de primis temporibus dicta sint. De postremi vero temporis ratione pauca hæc ex Dionis lib. LIII. a nobis conversa, hunc in locum adscribemus: *Cæsar cum appetendi regni suspicionem omnem ab sese removere constituisset, decem sibi annorum imperium in suas provincias sumpsit. hoc enim temporis spacio pacatas se illas redditurum recepit. Simulque juveniliter exultans, hoc addidit, quo celerius sedatæ & quietæ esse possent, eo se maturius illas depositurum. Atque eo primum tempore senatores & in suas & in senatus provincias cum imperio misit: præter Ægyptum, quam solam equiti Rom. iis de caussis quas superius exposuimus, attribuit. Post deinde hæc constituit: Ut eorum præfecturæ essent annuæ, sorteque legerentur, nisi si quis vel propter liberorum multitudinem, vel propter uxorem ductam jus aliquod præcipuum ac singulare haberet: Ut ex S. C. mitterentur, & neque gladiis accincti, neque habitu militari essent: Ut proconsules dicerentur non modo illi duo, qui consulatu essent functi, sed etiam ceteri viri prætorii, quive pro prætore mitterentur: Ut tot lictores utrisque darentur, quot habere in urbe legibus licebat: Ut imperii insignia quamprimum pomœrio egressi essent, acciperent: eaque usque dum ex provincia decederent, perpetuo retinerent. Reliquos vero a se deligi, suosque legatos, etsi consulatum gessissent, tamen proprætores nominari voluit. duo namque hæc nomina valde floruerunt tum, cum penes populum imperium esset. Is enim jam inde a primis temporibus prætoris nomen, tanquam rei militari maxime conveniens, attribuit iis quos delegisset, & proprætores eos appellavit: reliquos autem quasi vocabulo ad pacem magis accommodato, e nomine consulum proconsules appellavit. Hæc enim nomina prætoris & consulis in Italia retinuit. qui vero extra Italiam erant, quasi horum locum obtinerent, præfectos omnes appellavit. Effecit igitur, ut quos ipse deligeret, non proprætores solum dicerentur, verum etiam & plures annos cum imperio essent, & habitu militari uterentur, & gladium animadvertendique in milites potestatem haberent. Siquidem nulli neque proconsuli, neque proprætori, neque præfecto jus gladii gestandi permittebatur, quin simul eadem animadvertendi in milites potestas legibus concederetur. neque vero senatoribus tantum, verum etiam equitibus Romanis, qui eam potestatem habent, jus illud permittitur. Atque hæc quidem ita se habent. Jam vero lictoribus sex omnes utuntur proprætores, & quicunque consulares non sunt: ex eoque lictorum numero nomen invenerunt, ut ἑξαπελέκεις dicerentur. Imperii etiam insignia, postquam in provincias suas pervenerunt, utrique accipiunt: eaque una cum imperio deponunt. Hoc eodem modo leges etiam jubent, ex prætoriis & consularibus viris præsides in senatus imperatorisque provincias mitti: quos imperator & quæ in loca volebat, & quo tempore volebat, mittere consueverat. ita multi non modo prætores, verum etiam consules provinciis præfuerunt. id quod hodieque nonnunquam fieri consuevit. Senatus autem & seorsim quidem consularibus Africam atque Asiam concessit, & prætoriis reliquas omnes distribuit. Omnibus autem æquabiliter interdixit, ne quis quinquennio ante, quam magistratum in urbe gessisset, provincias sortiretur. Sic temporis progressu, licet major eorum qui sortiebantur, quam provinciarum numerus esset, tamen ad imperium omnes perveniebant. Postea cum male nonnulli magistratus gessissent, illæ quoque provinciæ Imperatori adjectæ sunt, sic ut eas ipse quodammodo distribueret: cum tot sortiri juberet, quot essent provinciæ. Alii autem Imperatores etiam a se delectos in provincias miserunt, iisque annos complures imperium prorogarunt, Alii vero equitibus senatorum loco provincias mandarunt, quo fere tempore hæc legibus constituta sunt de senatoribus, qui jus necis in eos qui imperio suo subjecti essent, haberent. Mittuntur enim etiam quibus jus illud non permittitur, in eas provincias quæ populi & senatus esse dicuntur, & proquæstores quos sors dederit, & assessores eorum qui cum imperio sunt. Hoc enim nomine recte illos, si officium illorum spectemus, appellabimus: cum alii legatos etiam illos appellent. Sed de nomine superius satis dictum est. Hos igitur assessores sibi quique deligunt, unum quidem prætorii ex sui aut inferioris ordinis hominibus: tres vero consulares, ex ejusdem dignitatis viris, quos ipse imperator probaverit. Quanquam hæc ratio innovata est. Sed quia brevi interiit, satis erit suo loco indicare. De provinciis igitur populi hæc ita se habent. Mittuntur vero & in alias provincias, quæ imperatoris dicuntur, ab eo ipso præsides pluribus legionibus instructi: plurimum ex prætoriis, interdum ex iis qui quæsturam, aut alium magistratum intermedium gesserunt*. Hæc ex Dione.

PRODICTATOR.

PRODICTATOR propter consulum absentiam nonnunquam creatus est. Livius lib. XXXII. *Itaque ad remedium jamdiu desideratum, nec adhibitum, dictatorem dicendum, civitas confugit. & quia consul aberat, a quo uno dici posse videbatur, nec per occupatam armis Punicis Italiam facile erat aut nuncium aut literas mitti: nec dictatorem populus creare poterat, quod nunquam ante eam diem factum erat, prodictatorem populus creavit Qu. Fabium Maximum, & magistrum equitum M. Rufum Minutium*.

QUÆSTORES ÆRARII.

QUÆSTORES, inquit Varro, *a quærendo: qui conquirerent pecunias publicas*. Cornelius Tacitus lib. XI. Annalium: *Apud majores virtutis id præmium fuerat, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus: ac ne ætas quidem distinguebatur, quin prima juventa consulatum ac dictaturas inirent. Sed quæstores regibus etiam tum imperantibus instituti sunt: quod lex curiata ostendit ab L. Bruto repetita. Mansitque consulibus potestas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret, creatique primum Valerius Postumius, Æmilius Mamercus* LXIII. *anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur. Dein gliscentibus negociis, duo additi qui Romæ curarent. Mox duplicatus numerus stipendiaria jam Italia, & accedentibus provinciarum vectigalibus. Post lege Syllæ viginti creati supplendo senatui, cui judicia tradiderat. Et quanquam equites judicia recuperavissent, quæstura tamen ex dignitate candidatorum, aut facilitate tribuentium gratuito concedebatur, donec sententia Dolabellæ venundaretur*. Asconius Verrina I. *Quæstores urbani ærarium curabant, ejusque pecunias expensas & acceptas in tabulas publicas referre consueverant*. Livius autem lib. VII. testis est, eosdem quæstores signa ex ærario prompsisse imperatoribus ad bellum exeuntibus. Pomponius l. 2. §. 22. D. de orig. jur. *Deinde cum ærarium populi auctius esse cœpisset, ut essent qui illi præessent, constituti sunt Quæstores qui pecuniæ præessent. dicti ab eo, quod inquirendæ & conservandæ pecuniæ caussa creati erant*. Ulpian. in l. 1. D. de offic. quæst. *Origo quæstoribus creandis antiquissima est, & pæne ante omnes magistratus. Gracchanus denique Junius lib.* VII. *de Potestatibus, etiam ipsum Romulum, & Numam Pompilium binos quæstores habuisse, quos ipsi non sua voce, sed populi suffragio*

crearent, refert. *Sed sicuti dubium est, an Romulo & Numa regnantibus quæstor fuerit, ita Tullo Hostilio rege quæstores fuisse certum est. Sane crebrior apud veteres opinio est. Tullum Hostilium primum in rempublicam induxisse quæstores. Et a genere quærendi quæstores initio dictos, & Junius, & Trebatius, & Fenestella scribunt*. Tacitus lib. XIII. de Nerone loquens: *Deinceps curam tabularum publicarum a quæstoribus ad præfectos transtulit, varie habita ac sæpe immutata ejus rei forma. Nam Augustus permisit senatui deligere præfectos. Deinde ambitu suffragiorum suspecto, sorte ducebantur ex numero prætorum, qui præessent: neque id diu mansit, quia sors deerrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius quæstores imposuit: iisque ne metu offensionum segnius consulerent, extra ordinem honores permisit. Sed deerat robur ætatis eum primum magistratum capessentibus. Igitur Nero præfectura perfunctos, & experientia probatos delegit*. Eorundem etiam munus erat prædam ex hostibus captam vendere, pecuniamque inde redactam in ærarium referre: quemadmodum Agellius lib. XIII. cap. XIII. declarat. Item multas irrogatas exequi, & in publicas referre: ut patet ex Livii lib. XL. Tacitus lib. XIII. *Censuit Piso designatus consul, ne multam a tribunis dictam quæstores ærarii in publicas tabulas ante quatuor menses referrent*. Dio præterea in lib. LV. extremo scribit; Tuberone, Fabio coss. ad quæstores translatam esse curam senatusconsultorum asservandorum, cum antea tribunorum ple. & ædilium id munus fuisset.

QUÆSTORES PROVINCIALES.

QUÆSTORES provinciales erant, qui una cum proconsulibus aut proprætoribus in provincias exibant; cum pecuniam sibi ex ærario a senatu attributam, et a tribunis ærarii adnumeratam accepissent, unde stipendio, frumento, legatis, proquæstoribus, cohorti prætoriæ suppeditarent: quemadmodum ex Verrina III. intelligitur. Asconius: *Prima senatoris administratio est quæstorem fieri, & in provincia curam gerere pecuniæ publicæ in usus diversos erogandæ*. Inter urbanos autem & provinciales quæstores hanc differentiam reperio. Primum quod illi neque lictores, neque viatores habebant, cum neque vocationem, neque prehensionem haberent: uti sic scribit Agellius lib. XIII. cap. XII. Hi vero & lictores, & togam prætextam habebant: ut in Verrinam IV. docuimus. idque constat ex Orat. pro Plancio his verbis: *Nam simul ac me Dyrrachium attigisse audivit* (de Plancio loquitur, quæstore tum Macedoniæ) *statim ad me lictoribus dimissis, insignibus abjectis, veste mutata profectus est*. Altera differentia est, quod urbani jus non dicebant; provinciales autem jure dicundo conventus circumibant, ut scribit Suetonius in Cæsare, & quæcunque commissa populo Rom. essent, exquirebant: deque iis judices ac recuperatores dabant, quemadmodum videmus in divinatione Q. Cæcilium Verris quæstorem in Agonidem judicium dedisse, *Si pateret eam se & sua Veneris esse dixisse*.

QUÆSTORES PARICIDII.

QUÆSTORES *paricidii*, quemadmodum scribit Pomponius in l. 2. de orig. jur. *creari a populo solebant, qui capitalibus rebus præessent. nam consulibus de capite civis Romani injussu populi jus dicere non licebat*. Festus lib. XIV. *Paricidii quæstores appellabantur, qui solebant creari caussa rerum capitalium quærendarum. Nam paricida non utique is qui parentem occidisset, dicebatur, sed qui qualemcumque hominem. idem autem fuisse indicat lex Numæ Pompilii regis, his composita verbis: Si quis hominem liberum dolo sciens neci duit, paricida esto*. Postea vero cum a senatu quæstiones extra ordinem mandari cœpissent, nomen quidem obsolevit, res ipsa in usu mansit. Dictatorem tamen quæstionibus exercendis creatum, legimus apud Livium lib. IX. Senatus vero modo consulibus, modo prætoribus quæstiones decernebat. de coss. qui de Bacchanalib. quærerent, auctor est Livius lib. XXXIX. Sic Jugurthinæ conjurationis quæstionem consuli mandatam Cic. in Bruto scribit. De prætorib. qui de veneficiis & peculatu quærerent, scribit Livius lib. XXXVIII. & XXXIX. Talis fuit quæstio de vi, Cn. Domitii prætoris, de qua Cicero & Ascon. in Milonianam. Cum igitur variæ & incertæ judiciorum publicorum quæstiones essent, eæque modo coss. modo prætoribus mandarentur, Cornelius Sylla lege ad populum lata perpetuas (ut ait Pomponius) quæstiones constituit, & quattuor prætores adjecit. Nam ex lege Bæbia alternis annis (ut Livius libro XL. scribit) quattuor prætores creabantur: duo qui in urbe jus dicerent, urbanus & peregrinus; reliqui, qui in provincias Siciliam & Sardiniam irent. Deinde sex creari cœperunt. totidem enim idem numerat libro XLV. Tum Sylla quatuor adjecit, utque ex iis decem, octo de publicis criminibus quærerent, constituit. Nam ante legem Corneliam non quæstionibus exercendis, sed provinciis administrandis creabantur prætores: quibus tamen quandoque extra ordinem quæstiones (ut diximus) mandabantur a senatu. Unde extraordinariæ quæstiones illæ, hæ ordinariæ, perpetuæ & quotidianæ a Cicerone appellantur. Decem autem prætores hi sunt: Prætor urbanus, item peregrinus, qui privatis de caussis jus dicebant. Publicorum autem judiciorum quæsitores sunt; prætor repetundarum, veneficii, inter sicarios duo, qui etiam de paricidio quærebant, auctore Cicerone pro Sext. Roscio: peculatus, ambitus, majestatis, de vi publica. Ex quibus omnibus intelligitur recte scripsisse Pomponium, primum Syllam publicas constituisse quæstiones, & quattuor prætores adjecisse. Deinde C. Cæsarem duos addidisse, ac proinde XII. prætores Cæsaris tempore fuisse. unde patet decem ante Cæsarem fuisse prætores. quod idem Ciceronis testimonio confirmatur, qui in oratione Cluentiana sex publicorum judiciorum prætores commemorat: Q. Voconium de veneficio, M. Pletorium & C. Flaminium inter sicarios, C. Orchinium peculatus, seipsum de repetundis pecuniis, C. Aquilium ambitus: *Deinde, quid reliquæ quæstiones?* inquit. Quibus verbis certe prætorem urbanum non intelligit, ut nonnulli suspicantur; neque enim is quærere, sed cognoscere dicitur. Intelligit ergo C. Cassium, qui de majestate eo anno quæsivit, & alium qui de vi publica. quibus omnibus si urbanum & peregrinum adjicias, decem omnino prætores efficies. Nam qui prætorem inter peregrinos de pecuniis repetundis quæsisse existimant, nullis sane commodis rationibus sententiam suam confirmant. Confundunt enim & perturbant jurisdictionem & quæstionem, publicaque & privata judicia. Quin etiam prætorem peregrinum de repetundis pecuniis non quæsisse, Livius testis est lib. XLII. quod enim C. Antonium apud M. Lucullum prætorem qui jus inter peregrinos dicebat, accusatum Pedianus scribit, quod Achæos spoliasset, non illud repetundarum judicium est. neque enim prætor in Achaja Antonius fuerat, neque legatus: vix enim erat quæstorius. *Sed nactus*, inquit Asconius, *de exercitu Syllæ equitum turmas, Achæos spoliavit*. Non enim hoc in judicio repetundarum quæritur, an spoliarit socios, cum nullum haberet imperium, sed ceperitne contra leges pecunias Antonius, testis Cic. Verrina V. & lib. de orat. II. Quamobrem cum lex nulla sanxisset pœnam in eos, qui latronum more privati provincias spoliarent & diri-

A perent, sed tantum vi magistratus (neque enim tum lex Julia lata erat) quomodo prætor repetundarum hac de re judicare potuisset, cum quæstiones legibus exercerentur? Recte vero prætor peregrinus, qui inter cives & peregrinos jus dicebat. Et quidem inter senatores & provinciales, Romæ fieri solita judicia, Cic. lib. XIII. epist. fam. ad Ser. Sulpitium testis est. Satis ergo constat decem fuisse prætores, recteque Nicolaum Gruchium virum clarissimum & eruditissimum in optimo suo de comitiis libro id ex Pomponio defendisse, tametsi contumeliose sane a nonnullis, qui eum nescio quem appellant, hanc ob caussam reprehendatur. Atque hic quidem numerus prætorum ordinarius fuit. B Nam octo quoque creatos Cicero pro Milone, & in ea quam post reditum in senatu habuit oratione demonstrat: & Cælius libro VIII. epist. octo prætorias provincias nominat. extraordinariæ tamen illæ sunt. De Asia enim agitur in eo S. C. quam Sylla (ut pro Flacco Cic. scribit) pro portione in provincias descripsit. Quibus si adjiciamus illum prætorem, quem lege Clodia constitutum Cic. pro domo scribit, novem certe efficiemus. Nam quod Dio lib. XLII. Cæsarem decem prætores constituisse scribit, tam verum esse existimo, quam illud Taciti aut Paterculi, qui Octaviano illud attribuunt. C Cæsar enim qui pro libidine rempub. tractaret, modo decem, modo XII. modo XIV. prætores creabat, ut idem lib. XLIII. testatur. Decem igitur ordinarios prætores fuisse, cum Pomponio & Cicerone crediderim: pro ratione tamen provinciarum quandoque pauciores, quandoque plures extra ordinem creatos non negarim. huc enim spectat illa Ciceronis lex: *Huic potestati pari quotcunque senatus creaverit, populusve jussit, tot sunto*. Atque hæc quidem hactenus. quæ tibi omnia, lector optime, ex adolescentis clarissimi Richardi Strein, Baronis generosissimi commentationibus optimis de magistratibus deprompta, hunc in locum referre volui: D ut tibi arrabonem quendam ac specimen illarum meditationum hoc tempore præberem, & adolescenti nobilissimo, quem propter optimarum artium studium incredibile in convictu meo habitum, semper charissimum jucundissimumque habui, honorem meritissimum adjungerem, animumque ad hunc suum cursum persequendum, quacumque ratione possem, adderem.

QUÆSTORES CANDIDATI.

QUÆSTORES candidati dicebantur, qui libris, hoc est, epistolis, sive orationibus principis in senatu legendis præerant, E quemadmodum docet Ulpianus in l. 1. D. de offic. quæst. Lampridius in Alexandro: *Quæstores candidatos ex sua pecunia jussit munera populo dare, sed ut post quæsturam præturas acciperent, & inde provincias regerent*. Quibus ex verbis candidatos suspicor ea re dictos esse, quod hic ingressus erat & quasi primordium gerendorum honorum, & sententiæ in senatu dicendæ, quemadmodum Ulpianus eodem loco scribit. Dio lib. LIV. *Συναγαγὼν δὲ ἐκ τούτου τὸ βουλευτήριον, αὐτὸς μὲν οὐδὲν εἶπεν ἀπὸ βράγχου. τὸ δὲ δὴ βιβλίον τῷ ταμείᾳ ἀναγνῶναι δοὺς, τά τε πεπραγμένα οἱ κατηγλαθμήσατο. Coacto vero ob hoc senatu, ipse quidem nihil* F *dixit propter raucedinem. Sed librum legendum dans quæstori, quæ acta erant approbabantur*. Tacitus lib. XVI. *Inter quorum aspectus & minas ingressi curiam senatores, & oratio principis per quæstorem ejus audita est*. Suetonius in Tito: *Recepta ad se prope omnium officiorum cura, cum patris nomine & ipse epistolas dictaret, & edicta conscriberet, orationesque in senatu recitaret etiam quæstoris vice*.

TRIBUNI ÆRARII.

TRIBUNI *ærarii dicebantur*, inquit Varro, *quibus attributa erat pecunia, ut militi redderent*. Et Pedianus Verrina III. *Pecunia attributa est, quæ in stipendium militum de ærario a tribunis ærariis adnumerari quæstori solet*. Hi magistratus quidem non erant, sed quia procurationem publicam habebant, idcirco a nobis in hunc ordinem relati sunt; eo magis, quod Cicero in lib. de legib. III. ubi de magistratibus se leges dare profitetur, hunc quoque adscribit, & minorem appellare videtur, his verbis, quæ ante annos sex a me multis audientibus castigata, subscribam: *Minores magistratus partiti juris plures in plura sunto. Militiæ quibus jussi erunt, imperanto. Ærariique tribuni sunto. Domi publicam pecuniam custodiunto*. Quam lectionem manuscriptorum librorum auctoritate confirmari, mihi magnopere placuit. Ordinis autem nomen hoc fuisse, magnumque illorum numerum extitisse, vel ex eo intelligi potest, quod in lege Aurelia diximus, latum fuisse, ut judicia, quæ penes solos senatores erant, cum equitibus & tribunis ærariis communicarentur. Quod si quis differentiam inter tribunos ærarii, & quæstores ærarii requirat, hanc me respondebo fuisse arbitrari, quod tribuni pecuniam in urbe signatam custodirent; quæstores, ex vectigalibus quæsitam. Illi tribuebant atque adnumerabant quæstoribus in provincias abeuntibus, hi pecunias ærarii tum acceptas, tum expensas in tabulas publicas referebant.

TRIBUNUS CELERUM.

TRIBUNUS celerum a Romulo primum creatus est, ut Livius lib. I. testatur, ubi scribit illum trecentos armatos ad custodiam corporis, quos *celeres* appellavit, non in bello solum, sed etiam in pace habuisse. Festus libro III. *Celeres*, inquit, *antiqui dixerunt, quos nunc equites dicimus, a Celere interfectore Remi, qui initio a Romulo iis propositus fuit, qui primitus electi fuerunt ex singulis decuriis deni, ideoque omnino trecenti fuere*. Idem etiam Dionys. lib. II. scribit, & hoc amplius: Celerum alios equites, alios pedites fuisse. eorum tribuno tres subjectos centuriones fuisse, rursusque his alios, omnesque per urbem hastatos regem comitatos esse, ejusque mandata obiisse. in militia vero antesignanos fuisse; primos pugnam iniisse, postremos discessisse; equites quidem in planitie, pedites vero in asperis & inæqualibus locis pugnasse. Paulo aliter tamen Pomponius sub tit. de orig. jur. *Regum temporibus*, inquit, *tribunum celerum fuisse constat. is autem erat, qui equitibus præerat, & veluti secundum locum a regibus obtinebat: quo in numero fuit Junius Brutus, qui auctor fuit regis ejiciendi*. & paulo post ait, *magistros equitum ita dictoribus esse junctos, ut regibus tribunos celerum*. Ovid. lib. Fastorum IV.

Hoc Celer urget opus, quem Romulus ipse vocarat,
Sintque Celer curæ, dixerat, ista tuæ.
Neve quis aut muros, aut factam vomere fossam
Transeat, audentem talia dede neci.

TRIBUNI MILITUM CONSULARI POTESTATE.

TRIBUNI militum terni consulari potestate creati sunt, anno urbis CCCX. cum orta inter patres & plebem dissensio esset, propter C. Canuleii trib. pleb. legem qua de consule altero de plebe creando agebatur. Placuit igitur, ut pro consulibus tribuni militum ex patritiis terni totidemque ex plebe crearentur; qui consulari ac summo imperio reipub. summam administrarent. Verum terni tantum, iique patritii creati sunt: plebs eo contenta fuit,

quod sui ratio in comitiis habita fuisset. Livius lib. iv. & Dionys. lib. xi. Pomponius l. 2. §. 14. de orig. ju. Deinde cum post aliquot annos plebs cum patribus contenderet, & vellet ex suo quoque corpore consules creare, & patres recusarent, factum est, ut tribuni militum crearentur partim ex plebe, partim ex patribus, consulari potestate, hique constituti sint vario numero. interdum enim viginti fuerunt, interdum plures, nonnunquam pauciores.

TRIBUNI MILITUM IN LEGIONIBUS.

TRIBUNI *militum*, inquit Varro, *quod terni ex tribus tribubus, Ramnium, Lucerum, Tatiensium olim ad exercitum mittebantur*. Pedianus autem Verrina ii. *Tribunorum*, inquit, *militarium duo sunt genera, primum eorum qui Rufuli dicuntur. hi in exercitu creari solent. alii sunt comitiati, qui Romæ comitiis designantur*. Zonaras autem lib. ii. scribit eos sic appellatos, qui imperium in mille viros obtinerent. Cic. lib. iii. de legib. munus eorum his complectitur verbis: *Militiæ quibus jussi erunt, imperanto*. Polyb. in vi. de repub. *Designatis consulibus postea tribunos militum creant, & quattuordecim quidem ex iis faciunt tribunos, qui habent annua quinque stipendia. his deinde adjiciunt decem, quos creant ex iis qui supra quinque usque ad decem habent annua stipendia: equites quidem qui decem omnino habent stipendia, pedites autem qui sex & eo amplius habent annua stipendia*. Livius lib. vii. *Et cum eo anno primum placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri (nam & antea, sicut nunc, quos Rufulos vocant, imperatores ipsi faciebant) secundum in sex locis tenuit*. idem lib. ix. *Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum, utraque ad rem militarem pertinentia, unum ut tribuni militum seni deni in quatuor legiones a populo crearentur, quæ antea perquam paucis suffragio populi relictis locis dictatorum & consulum ferme fuerant beneficia. Tulerunt eam rogationem tribuni pleb. L. Attilius, C. Marcius*. idem lib. xlii. *In tribunis militum novatum eo anno propter Macedonicum bellum, quod consules ex S.C. ad populum tulerunt, ne tribuni militum eo anno suffragiis crearentur, sed consulum prætorumque in iis faciendis judicium arbitriumque esset*. Hinc illud apud Suetonium in Cæsare: *Tribunus militum, cui primum Romam reverso per suffragia populi honor obtigit, auctores restituendæ tribunitiæ potestatis enixissime juvit*. Item apud Plutarchum in Catone Uticensi: *In petitione tribunatus militaris legem quæ candidato nomenclatores adesse vetabat, solus Cato servavit, per seipsum appellans populum*. Plinius autem lib. xxxi. cap. vii. & lib. xxxiv. cap. iii. scribit eorum stipendium, *salarium* dictum fuisse, a *salis* nomine: *Quod honoribus*, inquit, *militiæque interponitur, salariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate, sicut apparet ex nomine Salariæ viæ, quoniam illa sal in Sabinos portari consueverat*. Macer. in l. *Officium*. 12. D. de re milit. *Officium Tribunorum est, vel eorum qui exercitui præsunt, milites in castris continere, ad exercitationem producere, claves portarum suscipere, vigilias interdum circumire, frumentationibus commilitonum interesse, frumentum probare, mensorum fraudem coercere, delicta secundum suæ auctoritatis modum castigare, principiis frequenter interesse, querelas commilitonum audire, valetudinarios inspicere*.

TRIBUNI PLEBIS.

TRIBUNI pleb. primum ita creati sunt. an. CCLX. cum plebs ex urbe ad Æquorum bellum educta propter nobilium fœneratorum impotentiam, consulibus relictis trans Anienem amnem collem occupavit: neque eo anno revocari in urbem potuit, usque dum senatus ei per decem legatos promisit, jus ipsi fore magistratum e suo corpore contra patritiorum potentiam creare. primum autem duo, vel, ut alii tradunt, quinque creati sunt, sed an. CCXCVI. Horatio, Minutio coss. decem effecti. Livius lib. iii. & Dionys. lib. vi. & x. In eandem sententiam Pompon. l. 2. §. 2. D. orig. jur. *Iisdem temporibus*, inquit, *cum plebs a patribus secessisset, anno fere septimo decimo post reges exactos, tribunos sibi in monte sacro creavit, qui essent plebeii magistratus. Dicti tribuni, quod olim in tres partes populus divisus erat, & ex singulis singuli creabantur, vel quia tribuum suffragio creabantur*. Sic Varro lib. de lingua Lat. iv. *Tribuni plebeii, qui ex tribunis militum primum tribuni plebeii facti, qui plebem defenderent, in secessione Crustumerina*. Cic. lib. de legib. iii. potestatem eorum his declarat verbis: *Plebes quos pro se contra vim auxilii ergo decem creassit, tribuni ejus sunto. quodque ii prohibessint, quodque plebem rogassint, ratum esto. sanctique sunto: neve plebem orbam tribunis relinquunto*. Erat enim hic magistratus sacrosanctus. Livius lib. iii. *Ipsis quoque tribunis, ut sacrosancti viderentur, cujus rei prope jam memoria aboleverat, relatis quibusdam ex magno intervallo ceremoniis, renovarunt. & tum religione inviolatos eos, tum legem etiam fecerunt sanciendo, ut qui tribunis plebis, ædilibus, judicibus, decemviris nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset, familia ad ædem Cereris, liberi liberæque venum irent*. Idemque tradit Dionys. lib. vi. Ii viatorem quidem & prehensionem habebant; vocationem vero, nequaquam. *Nam*, ut ait Agellius, *antiquitus creati videntur, non juri dicundo, nec caussis, querelisque de absentibus noscendis: sed intercessionibus faciendis, quibus præsentes fuissent, ut injuria quæ coram fieret, arceretur. ac propterea jus ad se vocandi ademptum: quoniam, ut vim fieri vetarent, assiduitate eorum, & præsentium oculis opus erat*. hæc Agellius lib. xiii. cap. xiii. Scribit etiam in hanc sententiam libro xv. cap. xxvi. his verbis: *Tribuni neque advocant patritios, neque ad eos referre de re ulla possunt. Ita ne leges quidem proprie, sed plebiscita appellantur, quæ tribunis plebis ferrent accepta*. Plutarchus autem in Catone Utic. *Jus*, inquit, *tribunitiæ potestatis magis ad impediendum est, quam ad agendum: quippe ceteris omnibus collegis valentibus, unus qui nolit & intercedat plus potest*. idem in Problemat. *Cur tribunus plebis purpura non utitur, cum ceteri magistratus utantur? an quod magistratus non est? nam nec in sella jus dicunt, nec ineunte anno item, ut reliqui, magistratum ineunt, nec dictatore creato se abdicant: imo quasi magistratus non sint, delato ad dictatorem imperio, suam ipsi potestatem retinent*. Cujus rei testimonium apud Livium libro vii. videmus de tribunis plebis, qui L. Manlium dictatorem magistratu abire coegerunt. Idem etiam libro vi. incedendi formulam & sollenne verbum fuisse hoc VETO, significat his verbis: *Faxo, ne juvet vox ista* VETO, *qua nunc concinentes collegas nostros tam læti auditis*. Reperio etiam apud eundem lib. iv. consules a tribunis plebis duci in vincula potuisse. Cicero in Vatin. *Cum eum tu consulem in vincula duceres* (de Bibulo loquitur.) *& a tabula Valeria collegæ tui mitti juberent*. Sed & Livius lib. ix. *Censorem Appium a P. Sempronio trib. pleb. prehendi, & in vincula duci jussum esse*. & lib. v. *Tribunos pleb. minitari se jussuros esse in vincula tribunos militum duci*. Apud Dionem autem lib. xxxvii. Metellum consulem a L. Flavio tribuno pleb. in carcerem ductum esse. Plutarchus in problematis auctor est, morib. Romanorum constitutum esse, ut domus tribunorum noctu ne clauderetur (quod & Macrobius Sa-

tur. I. confirmat) sed interdiu noctuque indigenti cuique eorum auxilio pateret, quasi portus quidam & præsidium periclitantium. Majores enim communem tribunum esse voluerunt, & tanquam aram omnibus accessibilem, proinde honore quidem sacrosanctos esse voluerunt, nec sine inexpiabili scelere violabiles. Idem in vita Catonis Uticensis tradit tribunos pleb. in basilica Porcia χρηματίζειν εἰωθότας, quod ego non jus dicere, sed conventum agere, & pro collegio decreta sua interponere, interpretandum puto.

TRIUMVIRI CAPITALES.

TRIUMVIRI *capitales*, inquit Pomp. *creati sunt qui carceris custodiam haberent, ut cum animadverti oporteret, id interventu eorum fieret*. Sallust. in Catil. *In eum locum postquam demissus est Lentulus, judices rerum capitalium quib. præceptum erat, laqueo gulam fregere.* Hi octo lictores habebant, qui eorum jussu in damnatum animadvertebant. Plautus Amphit.

Quid faciam nunc, si tresviri me in carcerem compegerint?
Inde cras e promptuaria cella depromar ad flagrum.
Nec quicquam sit, qui non me omnes esse dignum deputent.
Ita quasi incudem me miserum homines octo validi cædent.

Et in Asinaria:

Ubi sæpe caussam dixeris pendens adversus octo,
Astutos audaces viros, valentes virgatores.

Et paulo post:

Ubi sæpe ad languorem tua duritia dederis octo
Validos lictores ulmeis affectos lentis virgis.

Et in eadem:

Ibo ego ad tresviros, vestraque ibi nomina
Faxo erunt.

Verum illi de vilibus & abjectæ tantum conditionis hominibus jus dicebant, ut furibus, servis nequam, & apud columnam Mæniam caussas cognoscebant. auctor Cicero in divinat. & Asconius in eandem. Memorabile autem est, quod Valerius Max. lib. v. cap. III. commemorat de muliere quadam quam prætor damnatam triumviro in carcere necandam tradiderat: *Quam receptam is qui custodiæ præerat, non protinus strangulavit: aditum autem ad eam filiæ dedit, quam post animadvertit exerto ubere famem matris lenientem. itaque res ab ipso ad triumvirum, a triumviro ad prætorem, a prætore ad consulum judicium perlata, remissionem pœnæ mulieri impetravit.* Idem etiam lib. VIII. cap. IV. de L. Calpurnio triumviro mentionem facit, a quo servus quidem in crucem est actus. Apud Festum autem sub verbo *sacramentum*, lex Papiria legitur de triumviris capitalibus. Sed suspicor de mendo, & MONETALIBUS legendum putarem.

TRIUMVIRI NOCTURNI.

TRIUMVIRI incendiis arcendis præfuisse dicuntur apud vetustiores, a Paulo in l. I. D. de offic. præf. vigil. & ab eo quod excubias agerent, nocturnos dictos esse. intervenisse etiam nonnunquam & ædiles & tribunos pleb. fuisseque familiam publicam, circa portam & muros dispositam, unde si opus esset, evocabatur. Dio vero lib. LV. ita scribit: Οἱ δὲ δὴ στενωποὶ ἐπιμελητῶν τινων ἐκ τοῦ δήμου, οὓς καὶ στενωπάρχους καλοῦμεν, καὶ σφίσι καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ ἀρχικῇ καὶ ῥαβδούχοις δύο ἐν αὐτοῖς τοῖς χωρίοις ὧν ἂν ἄρχωσιν, ἡμέραις τισὶ χρῆσθαι ἐδόθη, ἥ τε δουλεία ἡ τοῖς ἀγορανόμοις τῶν ἐμπιπραμένων ἕνεκα συνοῦσα ἐπετράπη· καίτοι καὶ ἐκείνων καὶ τῶν δημάρχων, τῶν τε στρατηγῶν πᾶσαν τὴν πόλιν εἰς δεκατέσσαρα μέρη νεμηθεῖσαν, κλήρῳ προσταχθέντων. ὃ καὶ νῦν γίγνεται. *Magistri autem vicorum sunt constituti, quos Græce* στενωπάρχους *dicimus, quibus veste, quam magistratus gerunt, ac lictoribus binis, in iis locis, quibus præessent, uti certis diebus concessum est; ac servi, qui ante cum ædilibus in usum incendiorum restinguendorum fuerant, additi; urbsque tota tunc divisa fuit in regiones quatuordecim, quibus & hi & tribuni plebis & prætores inter se sortiti præessent. quod fit etiam nunc hodie.* στενωπάρχους Dio vocat, qui vicorum magistri dicebantur, quos non semper prætexta usos, sed eo tantum tempore quo ludos compitalitios faciebant, Cicero in orat. in Pisonem, & Asconius in eandem significant. tametsi ad Augustum hæc potius referenda sunt, de quo Suetonius ita scribit: *Spatium urbis in regiones, vicosque divisit: instituitque, ut illas annui magistratus sortito tuerentur, hos magistri e plebe cujusque viciniæ lecti.* Valerius autem Max. lib. VIII cap. I. de M. Militio. Cn. Lolio, L. Sextilio triumviris commemorat, qui, quod ad incendium in sacra via exortum exstinguendum tardius venerant, a tribuno pleb. die dicta ad populum damnati sunt. Item de P. Bilio triumviro nocturno, qui a P. Aquilio tribuno pleb accusatus, judicio concidit, quia vigilias negligentius circumierat.

TRIUMVIRI MONETALES.

TRIUMVIRI monetales, auro, argento, æri flando feriundo, constituti sunt: ut scribit Pomponius in leg. 2. §. 16. de orig. jur. Hinc illud Ciceronis lib. de leg. III. *Æs, argentum, aurum publice signanto.* Item ad Trebatium de Treviris Gallis jocans: *Trevires vites censeo. audio capitales esse. mallem auro, ære, argento essent.* Apud Sex. Pompejum sub voce *sacramentum*, lex Papiria refertur de III. viris capitalibus, quam potius ad monetales pertinuisse arbitrarer.

FINIS.

F. H. Jc.
DE
SENATU ET INSIGNIBUS
ALIQUOT SENATUSCONSULTIS.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

Qui senatores essent, quibusque sententiæ in senatu dicendæ jus esset.



SENATUM a Romulo primum institutum esse, Livius, Dionysius, Plutarchus, aliique auctores tradunt. Livius quidem in libro primo sic: *Cum jam virium haud pœniteret, consilium deinde viribus parat. Centum creat senatores, sive quia is numerus satis erat, sive quia soli centum erant, qui ciere patres possent. Patres certe ab honore, patritiique progenies eorum appellati.* Dionysius autem libro II. Ὁ δὲ Ῥωμύλος ἐπεὶ ταῦτα διεκόσμησε, βουλευτὰς εὐθὺς ἔγνω καταστήσασθαι, μεθ᾽ ὧν πράττειν τὰ κοινὰ ἔμελλε, ἐκ τῶν πατρικίων ἄνδρας ἑκατὸν ἐπιλεξάμενος. ἐποιεῖτο δὲ αὐτῶν τοιάνδε τὴν διαίρεσιν. αὐτὸς μὲν ἐξ ἁπάντων ἕνα τὸν ἄριστον ἀπέδειξεν, ᾧ τὰς κατὰ πόλιν ᾤετο δεῖν ἐπιτρέπειν οἰκονομίας, ὅτε αὐτὸς ἐξάγοι στρατιὰν ὑπερόριον. τῶν δὲ φυλῶν ἑκάστῃ προσέταξε τρεῖς ἄνδρας αἱρεῖσθαι τοὺς ἐν τῇ φρονιμωτάτῃ τότε ὄντας ἡλικίᾳ, καὶ δι᾽ εὐγένειαν ἐπιφανεῖς. μετὰ δὲ τοὺς ἐννέα τούτους, ἑκάστῃ φράτρᾳ πάλιν ἐκέλευσε πατρικίων ἐπιλέξαι τοὺς ἐπιτηδειοτάτους. ἔπειτα τοῖς πρώτοις ἐννέα τοῖς ὑπὸ τῶν φυλῶν ἀποδειχθεῖσι τοὺς ἐνενήκοντα προσθείς, οὓς αἱ φράτραι προχειρίσαντο, καὶ τούτων ὃν αὐτὸς προέκρινεν ἡγεμόνα ποιήσας, τὸν τῶν ἑκατὸν ἐξεπλήρωσε βουλευτῶν ἀριθμόν. τοῦτο τὸ συνέδριον ἑλληνιστὶ ἑρμηνευόμενον, γερουσίαν βούλεται δηλοῦν, καὶ μέχρι τοῦ παρόντος οὕτως ὑπὸ Ῥωμαίων καλεῖται. πότερον δὲ διὰ γῆρας τῶν κατελεχθέντων εἰς αὐτὸ ἀνδρῶν, ἢ δι᾽ ἀρετὴν ταύτης ἔτυχε τῆς ἐπικλήσεως, οὐκ ἔχω τὸ ἀσφαλὲς εἰπεῖν. καὶ γὰρ τοὺς πρεσβυτέρους καὶ ἀρίστους γέροντας εἰώθασιν οἱ παλαιοὶ καλεῖν. οἱ δὲ μετέχοντες τοῦ βουλευτηρίου, πατέρες ἔγγραφοι προσηγορεύθησαν, καὶ μέχρις ἐμοῦ ταύτης ἐτύγχανον τῆς προσηγορίας. id est: *Romulus autem his constitutis, statuit continuo sibi consiliarios cooptare: virosque centum ex patritiis legit, quibuscum remp. administraret. Eorum autem hoc discrimen fecit. ipse quidem unum ex omnibus præstantissimum designavit, quem existimaret urbanis rebus præesse oportere, si quando ipse cum exercitu extra urbem esset. Deinde jussit unamquamque tribum tres viros ætate, prudentia, & nobilitate generis præstantes deligere. Post illos novem, singulas curias jussit denuo tres viros e patritiis maxime idoneos deligere. Postquam ad primos illos novem a tribubus designatos, istos nonaginta quos curiæ crearant adjunxisset, & iis illum præfecisset, quem ipse antea decreverat, centum senatorum numerum implevit. Is consessus, sive consilium, verbum pro verbo Græce expressum,* γερουσίαν, *id est, senatum significat: & usque adhuc eo nomine a Romanis appellatur. Utrum autem propter senectutem eorum qui cooptati fuerant, an propter virtutem nomen illud repererit, non habeo certum quod dicam. quippe prisci homines solebant eos, qui natu grandes & boni viri essent,* γέροντας, *id est, senes appellare. qui vero in eo consilio erant, patres conscripti vocati sunt & usque adhuc eam appellationem retinuerunt.* Plutarchus autem in Romulo fere in eandem sententiam scribit. Cicero etiam in Catone sic scribit: *Nec enim excursione, nec saltu, nec eminus hastis uteretur* (de sene Scipione loquitur) *sed consilio, ratione, sententia. quæ nisi essent in senibus, non summum consilium majores nostri appellassent senatum.* Seneca autem a qua ætate non cogerentur senatores in senatum venire, duobus locis constituit: quorum unus est lib. declamat. I. *Senator*, inquit, *post sexagesimum quintum annum in curiam venire non cogitur, nec vetatur.* Et in fine libri de brevitate vitæ, *Lex*, inquit, *a quinquagesimo anno militem non cogit, a sexagesimo senatorem non citat.* Zonaras autem libro II. in hunc modum: Τῶν μέν τοι περιφανεστέρων γένει τε, καὶ συνέσει, καὶ βίου αἱρέσει, ἑκατὸν ἀπέδειξε βουλευτάς, πατρικίους ὀνομάσας αὐτούς. τὸ δὲ σφῶν λοιπὸν σύστημα, σενάτον προσηγόρευσεν, ὅ ἐστι γερουσία. πατρίκιοι μέντοι οἱ βουλευταὶ ἐπεκλήθησαν ἢ ὅτι παίδων ἦσαν γνησίων πατέρες, ἢ μᾶλλον ὅτι αὐτοὶ πατέρας ἑαυτῶν ἀποδεικνύειν ἠδύναντο, ἕκαστος ἐκ γένους ὄντες γνωρίμου, ἢ ἀπὸ τῆς πατρωνίας. οὕτω δ᾽ ἐκάλουν τὴν προστασίαν. πατρῶνας γὰρ τοὺς κηδεμονικοὺς καὶ βοηθητικοὺς προσηγόρευον. μάλιστα δ᾽ ἄν τις καταστοχάσαιτο τῆς τοῦ Ῥωμύλου διανοίας, εἰ οἴοιτο διὰ τῆς κλήσεως ταύτης ἐμφαίνειν, χρῆναι τοὺς πρώτους καὶ δυνατωτάτους τῆς πόλεως πατρικῇ κηδεμονίᾳ κήδεσθαι τῶν ταπεινοτέρων, ἅμα δὲ καὶ τὸν δῆμον ἐνάγειν διὰ τῆς τῶν πατρικίων προσηγορίας εἰς τὸ μὴ ἄχθεσθαι ταῖς τῶν κρειττόνων τιμαῖς, ἀλλ᾽ εὐνοϊκῶς διακεῖσθαι, νομίζοντας πατέρας αὐτοὺς καὶ προσαγορεύοντας. id est: *Romulus ex iis qui tum amplitudine generis, tum prudentia, tum etiam instituto vitæ clariores essent, centum designavit consiliarios, eosque patritios nominavit. Eorum autem conventum universum, senatum appellavit: quem Græci* γερουσίαν *vocant. Senatoribus autem idcirco patriciorum nomen est impositum, vel quod ingenuorum liberorum patres essent, vel potius quod ipsi demonstrare patres suos possent, quippe qui nobili genere orti omnes essent. vel etiam a patrocinio. sic autem* προστασίαν *Latino verbo appellant: patronos enim eos qui præsidium atque opem ferunt, nominabant. Sed videamus, annc proxime ad Romuli mentem accedat is, qui per banc appellationem existimet illum boc significare, oportere primarios viros & civitatis principes paterno studio inferiorum curam suscipere; simulque plebem per banc patritiorum appellationem perducere, ut ne potentiorum honorib. indignentur, sed erga eos bono animo sint, quippe quos patres & habeant & appellent.* Idem de patritiis eodem libro: Τοῖς γὰρ εὐπατρίδαις τὰ ὑποδήματα ἀστικὰ καὶ τῇ τε ἐπαλλαγῇ τῶν ἱμάντων, καὶ τῷ τύπῳ τοῦ γράμματος ἐκεκόσμηντο, ἵν᾽ ἐκ τούτων δοκοῖεν ἀπὸ τῶν ἑκατὸν ἀνδρῶν τῶν κατ᾽ ἀρχὰς βουλευσάντων κατιέναι. τὸ γράμμα δὲ ῥῶ φασὶν εἶναι, ἢ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν ἑκατὸν ἐκείνων ἀνδρῶν δηλωτικὸν ὄν, ἢ ὡς τοῦ τῶν Ῥωμαίων κατάρχον ὀνόματος. id est: *Patritiis enim urbanos calceos, tum corrigiarum impli-*

catione, tum literæ unius forma insignitos dederunt; ut ab illis centum viri, qui a principio senatores fuerunt, fluxisse viderentur. Literam autem ρῶ fuisse ajunt, sive quod numerum illorum centumvirorum significet (nam apud Græcos ρῶ nota est numeri centenarii) sive quod prima sit litera, qua Romanorum nomen scribitur. Nunc qui senatores essent, quique in senatu dicendæ sententiæ jus haberent, breviter ex antiquorum auctoritatibus ordine expositis aperiendum est. Sallust. in Catilin. *Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, reipublicæ consultabant: hi vel ætate vel curæ similitudine Patres appellabantur.* Livius lib. II. *Deinde quo plus virium in senatu frequentia etiam ordinis faceret, cædibus regiis diminutum patrum numerum, primoribus equestris gradus lectis, ad trecentorum summam explevit, traditumque inde fertur, ut in senatum vocarentur, qui patres, quique conscripti essent. Conscriptos videlicet in novum senatum appellabant lectos, id mirum quantum profuit ad concordiam civitatis, jungendosque patribus plebis animos.* Festus lib. I. *Patres dicuntur, qui sunt patritii generis; conscripti, qui in senatu sunt scriptis annotati; allecti autem dicebantur apud Romanos, qui propter inopiam ex equestri ordine in senatorum sunt numerum assumpti.* Idem lib. XIV. *Patres senatores ideo appellati sunt, quia agrorum partes attribuebant tenuioribus, ac si liberis propriis.* Idem libro XV. *Qui patres, quod conscripti vocati sunt, in curiam, quo tempore regibus urbe expulsis, P. Valerius consul propter inopiam patriciorum ex plebe allegit, in numerum senatorum centum ex sexaginta & quatuor, ut expleret numerum trecentorum. Sic duo genera appellavere.* Idem lib. XVII. *Senatores a senectute dici satis constat, quos initio Romulus elegit centum, quorum consilio Rempub. administrabat. Itaque etiam patres appellati sunt, & nunc cum senatores adesse jubentur, additur, Quibus in senatu sententiam dicere licet: quia ii, qui post lustrum conditum ex junioribus magistratum cepere, & in senatu sententiam dicunt, & non vocantur senatores ante, quam in senatoribus sunt censi.* Quibus ex verbis apparet, primum eos demum senatores fuisse, qui a censorib. lecti in senatum essent, ut de summa reip. sententiam rogati loco & modo dicerent. Deinde fuisse etiam alios, qui quamvis a censoribus lecti non fuissent, tamen pro jure magistratus, quem aut tum gerebant, aut ante gesserant, sententiæ in senatu dicendæ jus habebant. De quibus verba Agellii ex lib. III. cap. XVIII. subscribam. *Videturque*, inquit, *eos significare, qui nondum a CENS. in senatum lecti, senatores quidem non erant: sed quia honoribus populi usi quidem erant, in senatum veniebant, & sententiæ jus habebant. nam & curulibus magistratibus functi, qui nondum a censorib. in senatum lecti erant, senatores non erant. Et quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias: sed quas principes dixerant, in eas descendebant. Hoc significabat edictum, quo nunc quoque COSS. quum senatores in curiam vocant, servandæ consuetudinis caussa translatitio utuntur, Senatores quibus in senatu sententiam dicere licet*, hæc Agellius. Hujus autem edicti mentionem Livius facit in lib. XXIIII. *Consules*, inquit, *edixerunt, quoties senatum, vocassent, uti senatores, quibusque in senatu dicere sententiam liceret, ad portam Capenam convenirent.* Quo in libro, paulo supra, ea quæ modo dicebamus planissime confirmat: *Dictator*, inquit, *recitato vetere senatu, inde primum in demortuorum locum legit, qui post L. Æmilium & C. Flaminium censores curulem magistratum cepissent, necdum in senatum lecti essent, ut quisque eorum senator primus creatus erat. Tum legit, quis ædiles, tribuni & prætores, quæstoresve fuerant.* Idem lib. XXXVI. *P. Cornelius COS. edixit, qui senatores essent, quibusque in senatu sententiam dicere liceret, quique minores magistratus essent, ne quis eorum ab urbe abiret.* Jam vero scire illud oportet, cum olim quidem senatores a censoribus ex ætate & rerum usu prudentiaque legerentur, quemadmodum superius dictum est, postea tamen ex censu legi consuevisse, quam rem Plinius lib. XIV. deplorans, *Posteris*, inquit, *laxitas mundi, & rerum amplitudo damno fuit. Postquam senator censu legi cœptus, judex fieri censu, magistratum ducemque nihil magis exornare quam census, pessum iere vitæ precia*, &c. Seneca etiam lib. declamat. II. *Senatorium ad gradum census ascendere facit. Census Romanum equitem a plebe discernit. Census in castris ordinem promovet. Censu in foro judex legitur.* Census autem senatorius quantus fuerit, Suetonius in Augusto his demonstrat verbis: *Senatorium censum ampliavit, ac pro octingentorum millium summa, duodecies H. S. taxavit suppleviтque non habentib.* Denique hoc notandum est, ante censores institutos nominante consule a populo cooptabantur. Cicer. pro Sext. *Ita magistratus creaverunt, ut consilium senatus reip. præponerent sempiternum: deligerentur autem in id consilium ab universo populo, aditusque in illum summum ordinem omnium civium industriæ ac virtuti pateret.*

CAP. II.

Quibus de rebus senatus cognosceret.

DIONYSIUS Halic. libro VI. scribit, legem semper ab urbe condita Romæ fuisse, ut respublica omnis in potestate senatus esset, præter magistratuum creationem, legum lationem, & belli pacisve arbitrium. Itaque Polybius lib. VI. ærarium vectigaliaque omnia in ejus manu fuisse, impendiaque de publico ejusdem arbitratu facta esse testatur. Quæstores enim sine senatus auctoritate, præter ea quæ consules jussissent, ne minimum quidem, cum opus esset, in rem ullam sumptum facere potuisse: gravissimis etiam & maximis sumptibus, quos censores in lustri quinquennalis apparatum faciebant, præfuisse: ab eodemque auctoritatem & facultatem illam his concessam fuisse. Jam vero maleficia & crimina per Italiam commissa, de quibus judicium publice fieri debebat, utputa proditionis, conjurationis, veneficii, cædis, atque insidiarum, ad senatum referebantur, ejusque de his cognitio erat. Quod si qua in Italia controversia dirimenda, si publice vel privatim quispiam vel civitas objurganda, si cui auxilium, aut præsidium ferendum erat, de his omnibus curam senatus habebat. Eodemque modo si extra Italiam ad aliquos legatio mittenda erat, vel ad aliquid decidendum, vel ad fœdus faciendum, vel ad cohortandum, aut etiam imperandum, aut postremo ad res repetendas, aut ad bellum indicendum: hæc senatus ipse curabat ac providebat. Præterea quid de legationibus exterarum gentium quæ in urbem venerint, agendum, quid eis respondendum, in senatus voluntate atque arbitrio positum erat. Hæc Polybius: quæ tamen ubi de judiciis loquitur, obscura sunt. non enim senatum de rebus capitalibus judicasse legimus. Nam etsi quæsitores ex senatoribus crearentur data opera, qui de crimine aliquo cum consilio, hoc est, adhibita judicum aliquot eodem ex ordine decuria quærerent, re vero judicata privati essent: non tamen senatum idcirco judicasse, sed senatores tantum, dicendum est. Itaque posterioribus temporibus cum etiam senatores soli lege Cornelia judicarent, Cicero Verrina VII. sic loquitur: *Quo confugient socii? quem implorabunt? ad senatum devenient, qui de Verre supplicium sumat? non est usi-*

tatum, non senatorium. Verum tamen ut rem illam omnem planius intelligamus, scire illud oportet, primis temporibus judicia penes solos senatores fuisse, quemadmodum ex Polybio modo didicimus: nimirum usque ad annum urbis DCXXX. quo lex Sempronia lata est, ut judicia in equestrem ordinem transferrentur: quæ ratio duravit ad annum usque DCXLVII. quo lege Servilia latum est, ut equestria judicia cum ordine senatorio ita communicarentur, ut minor tamen senatorum numerus esset, quod quidem usque ad annum DCLXII. observatum est; quo Livia lege sancitum est, ut æqua ex parte judicia penes senatum & equestrem ordinem essent. usquedum Plautia lex ferretur anno DCLXIV. quæ nonnullos etiam ex plebe una cum senatorib. & equitib. admisit. Post vero iterum ad solum ordinem senatorium judicia redierunt lata lege Corn. anno DCLXXIII. ut judicia equestri ordini adempta, ad solos senatores transferrentur. quod usque ad legem Aureliam usurpatum fuit, quæ anno DCLXXXIII. sanxit, uti cum senatorib. & equites & tribuni ærarii judicarent. Sed hos Julius Cæsar substulit, judiciaque ad solos equites & senatores iterum revocavit. Jam vero quod ad reliqua Polybii pertinet, præclarus exstat & ei consentaneus Cicer. locus in Vatiniana, his verbis: *Eripueras senatui provinciæ decernendæ potestatem, imperatoris deligendi judicium, ærarii dispensationem: quæ nunquam sibi populus Rom. appetivit, qui nunquam hæc a summi consilii gubernatione auferre conatus est*. Item: *Quis legatos unquam audivit, sine S. C.* &c. In ea vero pro domo sua summam ejus ordinis potestatem his ostendit verbis: *Summum & populi Rom. populorumque & gentium omnium ac regum consilium senatus*. Porro autem non minimam senatus potestatis partem illam fuisse constat, quod & in comitiis majorib. & in legib. ferendis, necessaria & cognitio & auctoritas senatus esset. Livius libro I. *Decreverunt*, inquit, *ut cum populus regem jussisset, id sic ratum esset, si patres auctores fierent. hodieque in legibus magistratibusque rogandis usurpatur idem jus vi ademptum. priusquam populus suffragium ineat, in incertum comitiorum eventum patres auctores fiunt*. Idem etiam lib. VIII. scribit, a P. Philone dictatore legem latam, ut legum quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent. Et Appianus libr. de bellis civilib. I. legem a Sylla latam commemorat, ut nihil ad populum referretur, nisi quod antea confirmatum a senatu fuisset, quemadmodum, inquit, antiqua lege jubebatur. Hæc cum ita sint, facile intellectu est, quam ridicule Tribonianus & in l. 2. De orig. jur. & in Institut. scribat, cum auctus esset populus Rom. in eum modum, ut difficile esset in unum eum convocari legis sanciendæ caussa, senatum vice populi consultum esse. Non enim propter civium copiam populi potestas ad senatum translata est, sed Cæsarum astutia & calliditate, qui senatus augenda potentia, suæ serviebant. Tacitus libro I. *Tum primum e campo comitia ad patres translata sunt. nam ad eam diem etsi potissima principis arbitrio, quædam tamen studiis tribuum fiebant: neque populus ademptum jus questus est, nisi inani rumore*. Suetonius in Cæsare: *Comitia cum populo partitus est, ut exceptis consulatus competitoribus de cætero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuncientur: pro altera parte, quos ipse dedisset*. Idem in Tiber. *Neque tam parvum quicquam, neque tam magnum publici privatique negocii fuit, de quo non ad P. C. referretur*. Idem in Calig. *Tentavit & comitiorum more revocato suffragia populo reddere*.

CAP. III.

Per quos senatus more majorum haberetur & consuleretur.

PER quos autem senatus more majorum haberi consulique soleret, Agell. libro XIV. ex Varrone his exponit verbis: *Primum ibi ponit, qui fuerint, per quos more majorum senatus haberi soleret, eosque nominat, dictatorem, consules, prætores, trib. pleb. interregem, præfect. urbis: neque alii præter hos, jus fuisse dixit facere senatusconsultum. Quotiesque usu venisset, ut omnes isti magistratus eodem tempore Romæ essent, tum quo supra ordine scripti essent, qui eorum prior aliis esset, ei potissimum senatus consulendi jus fuisse*. Addit deinde, extraordinario jure tribunos quoque militares, qui pro consulibus fuissent: item decemviros, quibus imperium consulare tum esset: item triumviros reipubl. constituendæ caussa creatos, jus consulendi senatum habuisse. Utrum autem præfectus urbi Latinarum caussa relictus senatum habere posset, dubitatum. Idem capite insequenti tradit: *Quoniam ne senator quidem sit, neque dicendæ sententiæ jus habeat: cum ex ea ætate præfectus fiat, quæ non sit senatoria*. Sed & Capitonem, & Tuberonem contra Mutium sensisse, jus esse præfecto senatus habendi. Namque & tribunis pl. senatus habendi jus fuisse: quanquam senatores ante Atinium plebiscitum non essent.

CAP. IV.

Quo loco senatus haberetur.

SENATUM alibi quam in locis per augures consecratis, quæ templa vocabantur, haberi non licuisse, Agell. lib. XVIII. memoriæ prodidit: *Senatusconsultumque alioqui justum non fuisse. Propterea & in curia Hostilia, & in Pompeja, & post in Julia, cum profana illa loca fuissent, templa esse per augures constituta, ut in iis senatusconsulta more majorum justa fieri possent*. Servius in illud Æneidos lib. XI.

Alta intra limina cogit.

Quæritur, inquit, *cur ad privatam domum convocetur senatus: qui non nisi ad publica & augurato condita loca convenire consuevit. Sed scimus domum Latini augurato conditam, & eandem tam templum fuisse, quam curiam. namque in superioribus legimus tectum augustum, id est augurio conditum. Item paullo post:*

Hinc sceptra accipere & primos attollere fasces,
Regibus omen erat: hoc illis curia templum.

Merito ergo ad domum regis quasi ad locum publicum convocatur senatus: nam ut ait in septimo,

Tali intus templo divum patriaque Latinus
Sede sedens.

Idcirco etiam in Palatii atrio, quod augurato conditum est, apud majores consulebatur senatus: ubi etiam arietes immolabantur, quod (ut in septimo diximus) Virgilius ad Latini transtulit domum. Multi dicunt perite Virgilium nec templi nec curiæ hoc loco fecisse commemorationem: sed tantum dixisse, intra tecta regia, ut ostenderet consilium quod initur, non esse complendum, quia nec rite est inchoatum. Ea enim quæ dicet Latinus, effectu carebunt. Hæc Servius. Loca autem ea in quibus senatus cogebatur, senacula vocabantur: *Senaculum*, inquit Varro, *supra Græcostasin, ubi ædes Concordiæ & basilica Opimia. Senaculum vocatum, ubi senatus aut seniores consisterent: dictum, ut γερουσία apud Græcos*. Festus lib. XVII. *Senacula tria fuisse Romæ, in quibus senatus haberi solitus sit, memoriæ prodidit Nicostratus*

tus in libro, qui inſcribitur de ſenatu habendo: unum ubi nunc eſt ædes Concordiæ, inter Capitolium & forum, in quo ſolebant magiſtratus, ut dicit Titinnius, cum ſenioribus deliberare: alterum ad portam Capenam: tertium intra ædem Bellonæ, in quo exterarum nationum legatis, quos in urbem admittere nolebant, ſenatus dabatur. Hæc ille. Animadverti etiam magiſtratibus, qui ad urbem dicebantur, datum in eo templo ſenatum fuiſſe. Liv. lib. XXXVIII. de P. Scipione loquens: *Ipſe*, inquit, *decem navibus Romam rediit: & ſenatu extra urbem dato in æde Bellonæ, quas res in Hiſpania geſſiſſet, diſſeruit*. Et lib. XLIX. *Lucius*, inquit, *Manlius proconſul ex Hiſpania redierat: cui poſtulanti ab ſenatu in æde Bellonæ triumphum, rerum geſtarum magnitudo impetrabilem faciebat*. Memorabile eſt etiam quod Plinius lib. VIII. cap. XLV. ſcribit, cum eſſet nunciatum bovem locutum (quod frequens in priſcorum prodigiis fuiſſe ait) ſenatum ſub dio haberi ſolitum fuiſſe.

CAP. V.

Quo tempore ſenatus haberetur.

PORRO autem ſenatus alius fuit legitimus, alius indictus. Legitimus dicebatur, qui vel lege vel more certis ſemper diebus habebatur, calendis, nonis, idibus. Sueton. in Auguſto: *Sanxit ne plus quam bis in menſe legitimus ſenatus haberetur, ſcilicet calendis, & idibus: neve ſeptemb. octobrive menſe ullos adeſſe alios neceſſe eſſet, quam ſorte ductos*. Indictus autem dicebatur, qui reliquis diebus menſis, qui modo comitiales non erant, magiſtratuum vocatu cogebatur. Capitolinus in Gordiano: *Non legitimo, ſed indicto ſenatus die conſul jam domi conventus, cum prætoribus, ædilibus, & tribunis in curiam venit*. Comitialibus autem diebus idcirco ſenatus non indicebatur, ne ſenatores a ſuffragio ferendo avocarentur. Præterea Agellius lib. XIV. docet, ſenatusconſultum nec ante exortum, nec poſt occaſum ſolem factum, ratum fuiſſe: opus etiam cenſorium feciſſe exiſtimatos per quos eo tempore S. C. factum eſſet. Seneca vero lib. De tranquill. vitæ I. *Majores noſtri*, inquit, *novam relationem poſt horam decimam in ſenatu fieri vetabant*. Quin & menſem totum Februarium legationibus exterarum gentium audiendis attributum fuiſſe, multis ex locis conſtat. Cic. ad Lentulum: *Senatus haberi Februario toto non poteſt, niſi perfectis, aut rejectis legationibus*. Idem ad Q. fratrem lib. II. Epiſt. II. *Et quod Gabinia lege ſanctum ſit ex Calend. Febr. uſque ad Cal. Martias legatis ſenatum quotidie dari*.

CAP. VI.

Quomodo ſententiæ in ſenatu rogarentur & dicerentur.

SENATUSCONSULTA duobus modis fieri ſolita, Agell. lib. XIV. ex Varrone docet: aut per diſceſſionem, ſi conſentiretur: ut ſi res dubia eſſet, per ſingulorum ſententias exquiſitas: ſingulos autem debere conſuli gradatim, incipique a conſulari gradu: ſemper quidem antea primum rogari ſolitum, qui ex quo gradu princeps in ſenatum lectus eſſet. *In S. Conſ. per diſceſſionem faciendo, moris erat* (quemadmodum Feſtus lib. XV. ſcribit) *ut præco diceret, Qui hoc cenſetis, illuc tranſite: qui alia omnia, in hanc partem. Ominis autem cauſſa ſic præibat, ne diceret, qui non cenſetis*. Hinc illud Hirtii libr. VIII. de bello Gall. *Diſceſſionem faciente* A *Marcello, ſenatus frequens in alia omnia tranſit*. Sueton. in Tiberio: *Cum S. C. per diſceſſionem fieret, tranſeuntem eum in alteram partem, in qua pauciores erant, ſecutus eſt nemo*. Plinius autem in Epiſtolarum lib. VIII. conſuetudinem illam ſic explicat: *Quid? lex non aperte docet dirimi debere ſententias occidentis & relegantis, cum ita diſceſſionem fieri jubet: Qui hæc ſentitis, in hanc partem; qui alia omnia, in illam partem ite, qua ſentitis? Examina ſingula verba, & expende. Qui hæc cenſetis: hoc eſt, qui relegandos putatis: in hanc partem. id eſt, in eam, in qua ſedet qui cenſuit relegandos. Ex quo manifeſtum eſt, non poſſe in eadem parte re-* B *manere eos qui interficiendos arbitrantur. Qui alia omnia: animadvertis, ut non contenta lex dicere alia, addiderit, omnia. num ergo dubium, alia omnia ſentire eos qui occidunt, quam qui relegant? In illam partem ite, qua ſentitis. Nonne videtur ipſa lex eos qui diſſentiunt, in contrariam partem vocare, cogere, impellere? num conſulere etiam, ubi quiſque remanere, quo tranſgredi debeat, non tantum ſollemnibus verbis, ſed manu, geſtuque demonſtrat?* Hæc Plinius. Eodem autem illa quoque pertinent, quæ ex Agellii lib. 3. cap. 18. ſcribemus: *Non pauci ſunt, qui opinantur pedarios ſenatores appellatos qui ſententiam in ſenatu non verbis dicerent, ſed in alienam* C *ſententiam pedibus irent*. Quid igitur, cum S. C. per diſceſſionem fiebat, nonne univerſi ſenatores ſententiam pedibus ferebant? Feſtus lib. I. *Pedarium ſenatorem ſignificat Lucilius, cum ait, Agipes vocem mittere cœpit: quia ita appellatur, quod tacitus tranſeundo ad eum, cujus ſententiam probat, quid ſentiat indicat*. Cicer. lib. ad Attic. I. Epiſt. 18. *Cum eſt actum, neque animadverſum eſt ad quos pertineret, & raptim in eam ſententiam pedarii concurrerunt*. Plinius libro Epiſt. II. *Sed cum fieret diſceſſio, qui ſellis curulibus aſtiterant, in Cornuti ſententiam ire cœperunt. tum illi qui ſe collegæ annumera-* D *ri patiebantur, in diverſum tranſierunt*. Seneca lib. de vita beata I. cap. 2. *Cum de beata vita agitur, non eſt quod mihi illud diſceſſionum more reſpondeas, hæc pars major eſſe videtur*. & cap. 3. *Eſt & mihi cenſendi jus. itaque aliquem ſequar: aliquem jubebo ſententiam dividere. Fortaſſe & poſt omnes citatus, nihil improbabo ex iis quæ priores decreverint, & dicam, Hoc amplius cenſeo*. Hactenus de S. C. quod per diſceſſionem fieri dicebatur. Nunc de eo quod exquirendis ſingulorum ſententiis fiebat, breviter explicandum eſt. Moris erat, ut poſt comitia conſularia, conſules deſignati, primi ſententias roga-E rentur, & eorum is prior qui priore loco declaratus eſſet. ante comitia vero is qui e cenſoribus princeps ſenatus lectus erat. ii deinde quos conſulibus videbatur: ita tamen ut ne prætorium conſulari, ædilitium prætorio, tribunitium ædilitio anteferrent: quemadmodum ex Salluſtio & Agellio intelligimus. Cicer. Philip. 5. *Sed qui ordo in ſententiis rogandis ſervari ſolet, eundem tenebo in viris fortibus honorandis. a Bruto igitur conſule deſignato more majorum capiamus exordium*. Memorabile autem eſt, quod Suetonius ſcribit in Julio Cæſare, moris fuiſſe, ut quem ordinem rogandarum ſententiarum conſul calen. Januariis tenuiſſet eundem toto anno u-F ſurparet. *Poſt novam affinitatem*, inquit, *Pompejum primum rogare ſententiam cœpiſſe, cum Craſſum ſoleret, eſſetque conſuetudo ut quem ordinem interrogandi ſententias conſul calendis Januariis inſtituiſſet, eum toto anno conſervaret*. Cum autem rogatus ſenator dicere ſententiam vellet, aſſurgebat, ſtanſque dicebat. Cicer. ad Att. I. *Locutus ita eſt in ſenatu, ut omnia illius conſulta γενικῶς laudaret: mihique ut aſſedit, dixit ſe putare, ſatis ab ſe etiam de iſtis rebus reſponſum*. Stans autem non modo de ea re, de qua relatum fuiſſet, verum etiam quacunque de re volebat, & quamdiu volebat, di-

cendi potestatem habebat: quemadmodum Agellius testatur. Tacitus libro III. *Decretum ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent, ne vestis serica viros fœdaret: excessit Fronto, ac postulavit modum argento, supellectili, familiæ. Erat quippe adhuc frequens senatoribus, si quid e repub. crederent, sententiæ loco dicere*. Idem lib. 13. *De bello & pace*, inquit, *de vectigalib. & legib. quibusque aliis Romana continentur, suadere dissuadereve licebat patribus, quoties jus dicendæ sententiæ accepissent, & quæ vellent expromere, relationemque in eo postulare*. Agellius lib. IV. cap. 10. *C. Cæsar consul M. Catonem sententiam rogavit: Cato quæ consulebatur, quoniam non e Republ. videbatur, perfici nolebat. Ejus rei gratia ducendæ, longa oratione utebatur, eximebatque dicendo diem. Erat enim jus senatori, ut sententiam rogatus, diceret ante quicquid vellet alius rei, & quoad vellet. Cæsar consul viatorem vocavit: eumque cum finem non faceret, prehendi loquentem, & in carcerem duci jussit. Senatus consurrexit & prosequebatur Catonem in carcerem. Hac*, inquit, *invidia facta Cæsar destitit, & mitti Catonem jussit*. Hanc autem historiam etiam Plutarchus in Catone commemorat. Forma autem sententiæ dicendæ, quemadmodum ex Philippicis orationibus apparet, fere hæc erat. *Quod verba facta sunt de literis, &c. de ea re ita censeo*. Neque vero prætereundum illud est, quod Pedianus docet in Milonianæ commentariis, cum aliquis in dicenda sententia duas pluresve res complexus esset, eæ si non omnes probarentur, postulari solitum a quovis sedente, ut dividat: id est, ut de rebus singulis referatur. De quo more multa Plinius in epistola ad Aristonem lib. VIII. Epist. XIV. ubi scribit cum in senatu relatum esset de libertis consulis interfecti, & pars absolvendos, pars relegandos, pars morte multandos censuisset, eum qui libertos relegandos, servos supplicio afficiendos dixisset, coactum esse dividere sententiam: quoniam, inquit, *duas res comprehendebat*. Ejus rei etiam exemplum exstat in epist. Cic. ad Lentul. *Itaque*, inquit, *cum sententia prima Bibuli pronunciata esset, ut tres legati regem reducerent: secunda Hortensii, ut tu sine exercitu reduceres: tertia Volcatii, ut Pompejus reduceret: postulatum est, ut Bibuli sententia divideretur, quatenus de religione dicebat: cui rei quia jam obsisti non poterat, Bibulo assensum est*.

CAP. VII.

De numero senatorum ad S. C. faciendum necessario.

SENATORES primum a Romulo centum, deinde a Bruto consule ducentos creatos fuisse, superius ex Livio docuimus. eumque trecentorum numerum ad usque Gracchi tribunatum durasse, patet ex Dione lib. LIV. & Epitome Livii LX. Ubi tamen quæ de aucto senatorum numero leguntur, mihi plane obscura sunt: quemadmodum in lege Servilia significavimus. Ciceronis quidem tempore CDXV. reperio numerari, in ejus primo ad Att. Epistolarum libr. Dio vero libr. XLIII. Cæsaris ætate scribit nongentos fuisse; & Sueto. in Augusto, post cædem Cæsaris amplius mille fuisse testatur, sed Augustum ad modum pristinum redegisse: qui modus quemadmodum intelligi debeat, mihi non satis constat. Dio namque lib. LIV. ea de re scribens, ait eum in animo quidem habuisse, trecentos dumtaxat ex antiquo more constituere; sed offensionis vitandæ caussa, numerum sexcentorum explevisse: ut verisimilius sit modum illum pristinum a Suetonio, non antiquissimum, sed qui ante corruptissi-

A ma tempora fuerat, intellectum esse. Utcunque sit, illud constat, *senatori qui nec aderat, aut caussam, aut culpam fuisse*, quemadmodum in legibus Cicero loquitur: id est, aut legitimæ excusationis eguisse, aut in culpa fuisse. nam ut idem: *Gravitatem res habet, cum frequens ordo est*. Culpa autem pignoribus capiendis coercebatur. Itaque cum Antonius interminatus esset, se Ciceronis domum, qui in senatum non venerat, publicis operis disturbaturum: *Quis unquam*, inquit, *tanto damno senatorem coegit? aut quid est ultra pignus & multam?* hoc est, extra multam l. constitutam quæ dum solvatur, pignora capiuntur: quemadmodum in §. B penult. Inst. Qui satisd. cog. legimus pignoribus captis coerceri tutores, qui non satisdant. multam enim, redacta ex pignorum venditione pecunia, quæstores ærarii capiebant. Cicero lib. de Orat. III. *An tu, cum omnem auctoritatem universi ordinis pro pignore putares, eamque in conspectu populi Romani concideres, me his pignoribus existimas posse terreri? non tibi illa sunt cædenda, si Crassum vis coercere: hæc tibi est exscindenda lingua, qua vel evulsa spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit*. Quo ex loco existimare concidi frangique pignora solita fuisse, ridiculum est. Cædere namque C veteres pro consumere dicebant: ut Nonius demonstrat ex illo Lucilii,

Lana, opus omne perit: squalor, tineæ omnia cædunt.

Quare cum cædi pignora lex vetus dixisset, pro ita capi ut auctione distraherentur, & consumerentur, ludens Crassus ancipiti significatione vocabuli, ita locutus est, similiter ut Cicero in ea pro Sex. Roscio: *Nescimus, per ista tempora eosdem fere sectores fuisse collorum, & bonorum?* non enim sectores bonorum ab eodem verbo, quo sectores collorum appellatos esse, cuivis perspicuum est. Itaque idem in eodem libri tertii proœmio, paullo superius sic D scripsit: *Non tulit ille, & graviter exarsit, pignoribusque ablatis Crassum instituit coercere*. Et Agellius libro XIV. capite I. *Præter hæc de pignore quoque capiendo disserit, deque multa dicenda senatori, qui cum in senatum venire deberet, non adesset*. Atque hæc quidem hactenus. Cæterum autem senatorum numerum S. C. faciendo necessarium fuisse, multis ex locis constat. Itaque NUMERA SENATUM, dicere solebat quivis senator consuli, cum impedimento volebat esse, quo minus fieret S. C. si tot non essent senatores, quo numero licet S. C. scribi, ut exspectaretur: quod ex libr. XII. Sext. Pompeii didicimus. Verum qui numerus in omni-E bus S. C. legitimus fuerit, considerandum est. Dio sane in fine libri LIV. quadringentorum numerum prodidit. Nam de Augusto loquens: Ορῶν δὲ ὅτι ὐκ ἀεὶ συχνοὶ συνελέγοντο, ἐπέλυσε τὰ δόγματα αὐτῆς ἢ ἐν ἐλάττοσιν ἢ τετρακοσίοις γίγνεσθαι. ὐ γὰρ ἐξῆν τινα ἐκ τῦ πρὶν ἄλλως κυρῦσθαι. *Cum videret senatum non semper frequentem convenire, decrevit ut ejus consulta etiam a paucioribus quam quadringentis fierent. Prius enim non aliter, quam eo numero constante, rata esse poterant*. Quod quidem tum de postremis temporibus, quibus usque adeo senatus creverat, intelligendum est: tum de majoribus re-F bus, de quibus senatus consuleretur. Nam si superiora spectemus, Livius libro XXXIX. ubi de Bacchanalibus loquitur, scribit, *S. C. cautum fuisse, ut si quis tale sacrum necessarium esse duceret, & apud prætorem urbanum profiteretur: prætor senatum consuleret, si ei permissum esset, cum in senatu centum non minus essent, ita id sacrum faceret, dum ne plus quinque sacrificio interessent*. Pedianus autem de re non ita magni momenti loquens, in Corneliana scribit, lege Cornelia cautum fuisse ne quis in senatu solveretur legibus, nisi ducenti adfuissent. Observatum

est etiam, Prudentium trecentos tantum prodere. Sic enim scribit:

> *Hic consulta patrum subsistere conscriptorum,*
> *Non aliter licitum prisco sub tempore, quam si*
> *Ter centum sensisse senes legerentur in unum.*

CAP. VIII.

Quæ forma scribendi S. C. fuerit.

IN senatuscons. scribendis primum moris erat, ut ea res de qua rogatæ sententiæ fuerant, summatim exponeretur. *Quod M. Marcellus consul verba fecit de provinciis D. E. R. I. C.* vel, *M. Pomponius senatum consuluit. Quod verba facta sunt de Philosophis, & Rhetoribus, D. E. R. I. C.* Quod si quid senatus consulibus mandaret, Donatus in Adelph. Terentii scribit, addi solitum: *Si eis videatur.* Cujus rei exemplum video in Philip. Ciceronis IX. *Utique C. Pansa, A. Hirtius coss. alter, ambove, si eis videatur, quæstoribus urbanis imperent.* tametsi apud eundem eam interdum formulam prætermissam animadverti. Quoniam autem S. C. intercedere tribuni poterant, propterea moris erat, ut illa clausula adderetur: *Si quis huic S. C. intercesserit, senatui placere, auctoritatem perscribi, & de ea re ad senatum, populumque referri.* Deinde si quis intercessisset, addebatur: *Huic S. C. intercessit C. Cælius, C. Pansa tribunus pleb.* Ac tum quidem non S. C. sed auctoritas perscripta dicebatur, quemadmodum Dio libro LV. his docet verbis: Εἰ δὲ οὖν ποτε ἐκ συντυχίας τινὸς μὴ συλλεχθεῖεν, ὅσους ἡ χρεία ἑκάστοτε ἐκάλει, ἐβουλεύοντο μὲν, καὶ ἥγε γνώμη συνεγράφετο, οὐ μέντοι καὶ τέλος τι ὡς κεκυρωμένη ἐλάμβανεν, ἀλλ' αὐκτώριτας ἐγίγνετο, ὅπως φανερὸν τὸ βούλημα αὐτῶν ᾖ. τοιοῦτον γάρ τι ἡ δύναμις τοῦ ὀνόματος τούτου δηλοῖ. ἑλληνίσαι γὰρ αὐτὸ καθάπαξ ἀδύνατόν ἐστιν. τὸ δὲ αὐτὸ τοῦτο καὶ εἴ ποτε ἐν τόπω τινὶ μὴ νενομισμένω, ἢ ἡμέρα μὴ καθηκούση, καὶ ἔξω νομίμου παραγγέλματος ὑπὸ σπουδῆς ἠθροίσθησαν, ἢ καὶ ἐναντιωθέντων τινῶν δημάρχων, τὸ μὲν δόγμα οὐκ ἠδυνήθη γενέσθαι, τὴν δὲ δὴ γνώμην σφῶν, οὐχ ὑπέμενον ἀποκρυφθῆναι. *Quod si forte usuvenerit, ut non tam multi quam opus erat, convenirent, senatus quidem habebatur, decretumque perscribebatur, non tamen quasi ratum effectum habebat: sed erat auctoritas, uti senatus sententia nota ac testata esset. Tale enim quiddam vis hujus verbi declarat, quod uno verbo Græce exprimi non potest. Quod idem etiam observatum est, si quando in loco aliquo non legitimo, aut die non idoneo, aut non legitimo edicto, sed ambitiose senatus coactus esset, aut nonnulli tribuni plebis intercessissent. Tum enim S. C. fieri non poterat. quid tamen placuisset, testari reliqui volebant.* Quibus verbis illa sunt apud Ciceronem consentanea, ut lib. I. ad Lentulum: *De his rebus senatus auctoritas gravissima intercesserat: cum Cato & Caninius intercessissent, tamen est perscripta.* Præterea illud animadvertimus, notari nominatim illum oportuisse, cujus in sententiam S. C. esset factum. Cicer. lib. ad Att. IV. Epist. I. *Factum est decretum in meam sententiam, ut cum Pompejo ageretur, ut eam rem susciperet. lexque ferretur. quo S. C. recitato, cum concio more hoc insulso & novo plausum meo nomine recitando dedisset, habui concionem.* Huc etiam illud pertinet, quod Festus scribit, Ælium Gallum jurisc. senatus decretum a consulto sic distinguere, ut id dicat particulam quandam esse senatusconsulti: ut cum provincia alicui decernitur. quod tamen ipsum senatusconsulti est. Scripto senatusconsulto, primum eorum omnium nomina qui tum affuissent, adscribi solebant. Cælius ad Ciceronem: *Senatusconsultum factum auctoritatesque perscriptæ, pridie id. Octobr. in æde Apollinis. Scribendo affuerunt L. Domitius, Cn. F. Ahenobarbus, Q. Cæcilius, Q. F.* &c. Cicer. in procem. libri de Orat. III. *Et eundem, id quod in auctoritatibus perscriptis exstat, S. C. scribendo affuisse.* Moris autem fuisse videtur, ut ad consulis pedes id fieret. Lampridius enim in Heliogabalo sic scribit: *Deinde ubi primum diem senatus habuit, matrem suam in senatum vocari jussit: quæ cum venisset, vocata ad consulum subsellia, scribendo affuit,* id est, senatusconsulti conficiendi testis.

CAP. IX.

Quæ faciendi S. C. impedimenta essent: & si fierent, ubi asservarentur.

SUMMA senatus voluntas certis de caussis interdum sic impediebatur, ut fieri S. C. non posset. Primum impedimentum reperio, si legitimus senatorum numerus non adesset: quo tempore cuivis senatori dicere consuli licebat, NUMERA SENATUM: ut superius docuimus. Alterum, cum dies tolleretur: hoc est, cum quis adusque solis occasum orationem producebat, quo tempore S. C. fieri non poterat: uti superius quoque demonstravimus, ubi de Catone diem eximente commemoravimus. eoque ille quartæ Verrinæ locus pertinet: *Eo die transigi nihil potuit, quod & id temporis erat, & ille pater istius invenerat homines, qui dicendo tempus consumerent.* Tertium, cum quis tribunus plebis moram interponebat: veluti, cum Attilius noctem sibi ad deliberandum postulavit, quo tempore de Cicerone revocando in senatu agebatur: ut est in oratione pro Sextio. Quartum, cum quis intercederet. *nam* (ut scribit Agellius libro XIV.) *intercedendi ne S. C. fieret, jus fuit iis qui eadem potestate, qua ii qui S. C. facere vellent, majoreve essent.* Memorabile autem est quod Valerius libr. II. scribit, vetustis temporibus jus non fuisse tribunis pleb. curiam intrare: ante valvas autem positis subselliis decreta partium examinasse, ut si quæ ex eis improbassent, rata esse non sinerent. Itaque veteribus senatusconsultis T. literam subscribi solitam: qua nota significabatur, illa tribunos quoque censuisse. Jam vero Livius lib. III. auctor est, anno ab U. C. CCCIV. institutum a Valerio & Horatio coss. fuisse, ut senatusconsulta in ædem Cereris ad ædiles pleb. deferrentur, quæ ante arbitrio consulum supprimebantur, vitiabanturque. Postea tamen ad ærarium ea delata fuisse, & Cicero Philippica V. & Suetonius in Augusto, & Tacitus lib. III. testantur. Hactenus de senatu. nunc ea S. C. quæ tum in jurisconsultorum libris, tum apud antiquos scriptores maxime memorabilia existimantur, literarum ordine breviter strictimque perscribemus.

S. C. Æmilianum, de fideicommissariis libertatibus, factum est Æmilio Junio & Julio Severo coss. Ut si quis ex his qui fideicommissam libertatem ex quacunque caussa deberent servo, qui mortis tempore ejus qui rogavit non fuerit, isque adesse negabitur, prætor cognoscat. Et, si in ea caussa esse videbitur, ut si præsens esset, manumittere cogi deberet, id ita esse pronunciet. Cumque ita esse pronunciasset, idem juris sit, quod esset, si ita ut ex fideicommisso manumitti debuisset, manumissus esset. l. *Si eum servum*, 28. §. *Si quis*. D. de fideicom. libert.

S. C. Apronianum de fideicommissariis hereditatibus, factum est M. & L. Antoninis Imperatoribus, Aproniano, Paullo cos. ann. DCCCCXXIII. Ut omnibus civitatibus, quæ sub imperio populi Romani sunt, restitui deberet & posset fideicommissa hereditas. Sed & actiones in eas ex Trebellia-

no transferrentur. Quin & municipes ad eas admitterentur, ita tamen, ut hi quibus restitueretur hereditas, auctorem eligerent, & ad agendum & ad excipiendas actiones. l. *Omnibus.* 26. & l. sep. D. ad Trebellia.

S. C. Articulejanum de libertatibus servorum, factum est imperante Trajano ipso & Articulejo Pœto coss. Anno DCCCLIX. Ut quacunque in provincia libertas servo relicta testamento fuerit, præses ejus provinciæ de ea cognoscat, quamvis heres non sit ejus provinciæ. l. *Non tantum.* 51. §. 5. De fideicom. libert.

S. C. Antonianum de hastis Martiis in regia motis. Factum M. Antonio, A. Posthumio coss. anno DLIII. *Quod C. Julius L. F. pontifex nunciavit, in sacrario in regia hastas Martias movisse, de ea re ita censuerunt: Ut M. Antonius consul, hostiis majoribus Jovi & Marti procuraret: quod ceteris diis quibus videretur placandis uti procurasset, satis habendum censuerunt. Si quid succidaneis opus esset, Robigus accederet.* Agell. lib. IV. cap. 6. VI.

S. C. Carbonianum, de statu liberorum: *Ut si cui controversia fiat, an inter liberos sit, & impubes sit, caussa cognita perinde bonorum possessio detur, ac si nulla de ea re controversia esset: & judicium in pubertatis tempus differtur.* l. 1. & pas. D. de Carbo. edic.

S. C. Claudianum, de nuptiis sexagenarii: *Ut qui major sexagenario minorem quinquagenaria uxorem duxerit, perinde babeatur, ac si minor sexaginta annorum uxorem duxisset.* Ulpia. cap. Inst. XXI.

S. C. Calvitianum de nuptiis quinquagenarii: *Ut si major quinquagenaria minori sexagenario nupserit, nihil ea res ad capiendas hereditates & legatas dotes pertineat. Itaque mortua muliere dos caduca erit.* Ulpian. cap. Inst. XVI.

S. C. Claudianum de provinciis consularibus. Factum est L. Paullo, C. Marcello coss. anno DCCIII. *Quod M. Marcellus consul verba fecit de provinciis consularibus de ea re ita censuerunt, Ut L. Paullus C. Marcellus coss. cum magistratum inissent a. d. ex Cal. Martiis quæ in suo magistratu futuræ essent, de consularibus provinciis ad senatum referrent, neve quid prius ex Calend. Martiis, neve quid conjunctim de ea re referretur a consulibus, utique ejus rei caussa per dies comitiales senatum haberent, S. Q. C. facerent. Et cum de ea re ad senatum referretur a consulibus, eorum qui in trecentis judicibus essent, sex adducere liceret, quid de ea re ad populum plebemve lato opus esset, ut Ser. Sulpitius, M. Marcellus coss. Præt. Tribuni pl. quibus eorum videretur, ad populum plebemve ferrent. quod ii non tulissent, uti quicumque deinceps essent, ad populum plebemve ferrent.* Cælius ad Ciceron. Epist. lib. VIII.

S. C. Claudianum de muliere servo alieno conjuncta: *Ut ea mulier, quæ se alieno servo junxerat, domino servi cum bonis omnibus addiceretur.* L. l. C. de sen. Claud. toll. Ubi Justin. ait, denunciationibus sententia judicum opus fuisse. Ulpi. autem cap. Instit. XI. *Maxima capitis diminutio, inquit, dicitur, per quam civitas & libertas amittitur, veluti cum mulier alterius servo se junxerit denunciante domino, & ancilla facta fuerit ex S. C. Claudiano.* Quare autem hoc Claudianum S. C. vocetur, satis constituere non possum. nam Claudii imp. nomine sic appellatum dicere nulla ratio est: cum satis constet senatusconsulta non ex Imperatorum, sed ex consulum referentium nomine appellata fuisse. Locum igitur Cornelii Taciti considerans, in quo post expositam senatusconsulti sententiam, scribit Pallantem, quem Claudii libertum, & apud illud gratia & auctoritate mirabili præditum fuisse constat, editum ac nominatum a Claudio repertore hujus relationis, ac propterea prætoria insignia, & centies quinquagies H-S. ei decreta fuisse; venio in opinionem, Claudianum ex illius liberti nomine appellatum esse. Verba Cornelii: *Inter quæ, inquit, refertur ad patres de pœna fœminarum, quæ servis conjungerentur, statuiturque, ut ignaro domino ad id prolapsa in servitutem sui consensisset: & qui nati essent, pro libertis haberentur. Pallanti quem repertorem ejus relationis ediderat Cæsar, prætoria insignia & centies quinquagies censuit consul designatus.* His autem ex verbis scrupulus aliquis nascitur, cum Ulpianus & Justinianus non aliter etiam servitutem addictam scribant quam si denunciante domino desistere noluisset. Video autem Tranquillum in Vespasiano scribere, auctorem illum senatui fuisse decernendi, ut quæ se alieno servo junxisset, ancilla haberetur. Ut suspicari liceat, quod Claudii tempore institutum erat, id Vespasiani auctoritate absolutum fuisse; & a jurisconsultis hoc totum ei senatusconsultum attributum, quod vetustius & Claudii auctoritate incœptum, Claudianum nominarunt.

S. C. Claudianum de quæstione familiæ cum S. C. Silaniano conjungitur sub tit. D. S. C. Silanian. & Claud. Vide S. C. Silanianum.

S. C. Dasumianum de libertatibus fideicommissariis: *Ut, si ex justa caussa absit, qui fideicommissam libertatem debet, & hoc pronunciatum fuerit, perinde libertas competat, atque si, ut oportet, ex caussa fideicommissi manumissus esset. Item, ut quicunque fideicommissam libertatem ex quacunque caussa debere pronunciatus fuerit, & cum eum eosve abesse contigerit, perinde habeatur, atque si, ut oportet, ex caussa fideicommissi manumissus esset.* l. *Neque*, XXXVI. & l. *Non tantum, si.* §. *Senatusc.* D. de fideicom. libert.

S. C. Fannianum de Philosophis & Rhetoribus. Factum C. Fannio Strabone, M. Valerio Messala Coss. ann. DXCII. *Quod M. Pomponius prætor senatum consuluit de philosophis & rhetoribus. De ea re ita censuerunt, ut M. Pomponius prætor animadverteret curaretque ut ei e repub. fideque sua videretur, uti Romæ ne essent.* Agellius lib. XV. cap. XI.

S. C. Junianum de libertatibus fideicommissariis: *Ut si heres rogatus sit non hereditarium, sed proprium servum manumittere, is servus post pronunciationem ad libertatem perveniat, sive ex justa caussa dominus absit, sive latitet, sive præsens non vult manumittere, sive etiam dominus ejus servi emtor sit.* l. *Tantum*, LI. §. *Sed si.* D. de fideic. libert.

S. C. Junianum de collusione detegenda, factum Domitiano imperante, Cæsare & Ap. Junio Sabino coss. anno DCCCXXXIX. *Ut qui per domini & servi, aut patroni & liberti collusionem factum probasset, ut vel servus ad libertatem, vel libertus ad ingenuitatem proclamaret, liberque aut ingenuus pronunciaretur, is servum quidem potestate ac dominio suo, libertum autem in patronatu suo haberet.* l. 1. D. de colluf. deteg. l. 2. C. eod. l. *Adoptivum.* VIII. D. de in jus voc.

S. C. Julianum de petitione hereditatis, distractis rebus hereditariis, de dolo præterito, & fructibus. Factum Hadriani temporibus, Q. Julio Balbo, P. Juventio Celso, T. Aufidio Frontone, Ario Severiano coss. *Ut, si antequam partes caducæ ex bonis defuncti fisco peterentur, hi qui se heredes existimant, hereditatem distraxerint, redactæ ex precio rerum venditarum pecuniæ usuræ exigantur, idemque in similibus caussis servetur.* Item, *Ut a quibus hereditas petita fuisset, si adversus eos judicatum esset, ii precia quæ ad eos rerum ex hereditate venditarum pervenissent, etsi eæ ante petitam hereditatem deperissent, deminutæve fuissent, restituere deberent.* Item, *Ut ii qui bona invasissent, cum scirent ad se non pertinere, etiamsi ante litem contestatam fecerint, quo minus possiderent, perinde condemnarentur, quasi possiderent; ii autem qui justas caussas habuissent,*

quare bona ad se pertinere existimassent, usque eo dumtaxat, quo locupletiores ex ea re facti essent. Petita autem fisco hereditas ex eo tempore existimaretur esse, quo primum scierit quisque eam a se peti; id est, cum primum aut denunciatum esset ei, aut literis, vel edicto evocatus esset. Ulp. l. *Item veniunt.* xx. D. de heredit. petit. apud quem pro OENUS, legendum FRONTO ARRIUS ex Fastis Onuphrii Veronensis intelligitur.

S. C. Largianum de bonis libertorum, *Ut liberi manumissoris non nominatim exheredati facti, extraneis heredibus eorum in bonis libertinorum præponerentur. Veluti Lælius libertis superstitibus obiit. Thracius ejus libertus testamentum scripsit, sibique extraneos quosdam heredes instituit. Senatus voluit, ut hæc hereditas institutis heredibus adimeretur, liberisque Lælii tribueretur, si modo a patre exheredes facti non essent. Nam si essent, paterno judicio indigni omni emolumento videbantur, quod patris caussa undecunque proficisci poterat.* §. ult. De succes. liber. l. I. & pas. C. de Lat. lib. tol.

S. C. Libonianum de falsis. Factum, opinor, Hadriano Imp. L. Nonio, M. Annio Libone Coss. an. DCCCXXC. *Ut pœna legis Corneliæ de falsis teneatur, qui ob instruendam advocationem, testimoniave, pecuniam acceperit, pactusve fuerit, societatem coierit ad obligationem innocentum, qui sibi eive qui in sua potestate est, legatum fideicommissumve adscripserit in testamento militis, aut etiam alterius; dummodo id signatum perfectumque fuerit: qui heres institutus exheredationem nominatim filii, vel aliarum personarum adscripserit: qui libertatem manu sua ademerit servo testatoris, & maxime cui a se legata vel fideicommissa data erant. Ut si servus domini sui jussu testamento codicillisve libertatem sibi adscripserit, ob eam rem quod ipsius manu adscriptum est, minus liber sit: sed libertas ei ex fideicommissa caussa præstetur, si modo post eam scripturam manu sua testator testamento, codicillisve subscripserit.* l. I. & pass. D. de falsis.

S. C. Macedonianum de filiorumfa. ære alieno, Vespasiani, ut opinor, tempore factum est: *Ne cui qui filiofa. mutuo pecuniam dedisset, etiam post mortem parentis ejus, cujus in potestate fuisset, actio petitiove daretur. ut scirent qui pessimo exemplo fœnerarent, nullius posse filiifam. bonum nomen expectata patri morte fieri* l. I. D. ad Maced. in qua duo obscura sunt: quo tempore sit factum, & utrum Macedo, qui S. C. caussam dedit adolescens perditus fuerit, ut Theophilus existimat: an fœnerator vetus ac nobilis, ut eruditi omnes putant. Quod ad priorem dubitationem attinet, constat legem Lætoriam antiquissimam fuisse, qua vetabatur, ne ob pecuniam minoribus viginti quinque annis creditam, sive ii filiifamil. sive sui juris essent, jus diceretur. nam quod ad locum illum Terentii in Phormione pertinet,

Quasi quisquam crederet te vivo;

non ad ullam legem, sed ad filiifam. jus referendum puto. Jam vero Tacitus lib. XI. ubi de Claudio loquitur: *Lege lata*, inquit, *sævitiam creditorum coercuit, ne in morte parentum pecunias filiisf. fœnori darent.* Quo in loco MORTEM legendum puto, quasi dixerit obligationem non præsentem, sed in diem collatam in mortis tempus fuisse: hoc modo, Centum quæ tibi credidi, post patris mortem dare spondes? Suetonius autem in Vespasiani vita sic scribit. *Auctor*, inquit, *senatui fuit decernendi, ne filiorumf. fœneratoribus exigendi crediti jus unquam esset.* hoc est, ne post patris quidem mortem, quod Macedonianum esse S. C. plane videtur, quia Tacitus non de S. C. sed de lege nominatim loquitur: venioque in suspicionem ea lege Claudia certas quasdam caussas exceptas fuisse, veluti studiorum, & alias honestas ac necessarias. Macedonem autem cum exemplo pessimo, malisque moribus, hoc est, contra bonos mores, pecuniam adolescentibus crederet, caussam mutationis non adscripsisse, atque illud esse quod legimus IN CERTIS NOMINIBUS: quod verbum eadem in re Cicero Verrina v. posuit. *Ex omni pecunia*, inquit, *quam aratoribus solvere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant: primum pro spectatione, & collybo; deinde pro nescio quo Cerario.*

S. C. NERONIANUM de simulatis adoptonibus, Nerone Imp. factum est: *Ne simulata adoptio in ulla parte muneris publici juvaret, ac ne usurpandis quidem hereditatibus prodesset. Percrebuerat* enim *ea tempestate pravissimus mos, cum propinquis comitiis, aut sortitione provinciarum plerique orbi asciscerent filios, præturasque & provincias inter patres sortiti, statim emitterent manu, quos adoptaverant. Qui magna cum invidia senatum adeunt, jus naturæ, labores educandi, adversus fraudem & artes & brevitatem adoptionis enumerant. Satis precii esse orbis, quod multa securitate, nullis oneribus, gratiam, honores, cuncta prompta & obvia haberent. Sibi promissa legum diu exspectata in ludibrium verti, quando quis sine solicitudine parens, sine luctu orbus, longa patrum vota repente adæquaret.* Tacitus lib. XV.

S. C. Orphitianum de maternis hereditatibus, sanctum est Marco & Commodo Imperatoribus, Orphitio & Rufo coss. *Ut filius & filia quamvis patris in potestate sint, ad bona matris intestatæ ante consanguineos vocentur, sive mater ingenua sit, sive libertina: item sive liberi legitimi sint, sive vulgo quæsiti.* l. I. & pen. D. ad Tertyll. & Orfic. spurios tamen matri quæ illustris sit, non succedere, si modo extent ex justis nuptiis procreati, Imp. scribit in l. pen. C. eod. Quin & illud intelligendum est, ex Imperatorum constitutionibus, nepotes & neptes, ad aviæ intestatæ successionem admissos, admissasque esse l. *Si defunctus*, IV. De legit. hered. in Cod. Theodos.

S. C. Pegasianum de quarta fideicommiss. retinenda, factum Vespasiani Augusti temporibus, Pegaso & Pusione Coss. *Ut ei qui rogatus esset hereditatem restituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex lege Falcidia ex legatis retinere conceditur. quam si retinuisset, tum omnes actiones quæ in heredes heredibusque dari solent, in eum, eique darentur. Is autem qui partem hereditatis ex fideicommisso reciperet, legatarii partiarii loco esset: hereditatisque tum commoda, tum incommoda inter heredem, & eum cui reliquæ partes essent restitutæ, communicarentur, interpositis stipulationibus ad exemplum partis & pro parte stipulationum. Sed si heres scriptus hereditatem adire recuset, ob id quod dicat sibi eam suspectam esse quasi damnosam, postulatu ejus cui restituere rogatus esset, jussu prætoris adiret, totamque restitueret, ita ut ei & in eum qui recepit hereditatem, actiones dentur.* Justinianus sub titul. De fideicommis. hereditat. Ulpianus cap. Insti. XXV. Paulus lib. Sent. IV. cap. 3.

S. C. Plancianum de liberis agnoscendis, & partu subjecto: *Ut liceat mulieri, parentive in cujus potestate est, vel ei cui mandatum ab eis est, si ea se facto divortio prægnantem putet, denunciare intra dies triginta post divortium connumerandas, ipsi marito, vel parenti cujus in potestate est, vel etiam domi ejus si nullius eorum copia est. Et si maritus cui denunciatum erit, custodes ad ventrem custodiendum, inspiciendumque non miserit, neque contestato dixerit, eam ex se prægnantem non esse, ut ei id quod editum sit, agnoscere sit necesse.* l. I. D. de liber. agnos.

S. C. Pisonianum de servis obnoxiis venditis: *Ut si servus pœnæ propter necatum dominum obnoxius venisset, quandocunque animadversum in eum esset, venditor precium præstaret: ne emptori injuriam fecisse videatur senatus.* l. *Senatusc.* 8. de S. C. Silaniano.

S. C. Pernicianum de nuptiis: *Ut qui intra sexagesimum, vel quæ intra quinquagesimum annum ne-*

que liberos susceperit, neque matrimonium contraxerit, licet ipsis legibus post hanc ætatem liberatus esset, perpetuis tamen pœnis teneatur. Ulpianus cap. Inst. XVI.

S. C. prætextatum appellamus, nobile illud in Papyrii prætextati honorem factum: *Uti pueri prætextati deinceps cum patribus in curiam non introirent, præter unum illum Papyrium: utque ei puero postea Prætextati cognomentum honoris gratia imponeretur*. Nota est historia ex Macrobio lib. Satur. I. ca. VI. & Agellio lib. I. cap. XXIII.

S. C. Rubrianum de fideicommissariis libertatibus, factum est temporibus Divi Trajani, Rubrio Gallo, & Cælio Hispone coss. anno DCCCLIX. *Ut si hi a quibus libertatem præstari oportet, evocati a prætore adesse noluissent, dum hi neque infantes sint, neque furiosi, neque ab hostibus capti, neque hi quos religio, aut honestior caussa, aut calamitas aliqua, vel major res familiaris, aut capitis famæve periculum, aut similis caussa moretur: ac ne pupilli quidem, qui tutorem non habent, aut eos habeant, quos earum quæ caussa detinet: si caussa cognita Prætor pronunciasset, libertatem his deberi, eodem jure status servaretur, ac si directo manumissi essent*. l. l. *Cum vero*. 26. §. *Subventum*. & l. *Neque*. XXXVI. l. *Si filius*. XXXIII. D. de fideicomm. libert.

S. C. Sabianum, de eo qui e tribus maribus arrogatus erat: *Ut qui unum e tribus alterius liberis maribus adoptasset, ei non minus quam quadrantem hereditatis suæ relinqueret*. l. pen. §. *Quæ autem*. C. de adopt. & §. *Sed ea omnia*. XIII. ubi Theophil. De hered. quæ ab intest. Videtur etiam ex eodem S. C. manasse quod Justinianus commemorat in l. ult. C. de decurionibus: *Ut qui tres mares haberet, si unum ex iis qui decurio esset, in senatum maximum, id est, Romanum, allegendum curaret, ei curiæ liberationem paret*.

S. C. Silanianum de quæstione familiæ Augusti temporibus factum nonnullis videtur, Dolabella & Silano Coss. ann. DCCLXII. quibus idcirco assentiri vix possum, quia neque leges, neque senatusconsulta ex cognominibus appellabantur: tametsi video & Pisonianum, & Neronianum eodem modo nominari. *Uti de servis ejus qui domi suæ necatus erit, qui quidem sub eodem tecto fuerint, neque opem ei tulerint, nisi qui impuberes fuerint, quæstio habeatur & convicti summo supplicio afficiantur. Qui vero non sub eodem tecto, sed in eadem regione fuerint, non aliter puniantur, quam si conscii fuerint, ut quod caussam testamenti pertinens relictum erit ab eo qui occisus esse dicitur, id ne quis sciens dolo malo aperiendum, recitandum, describendumque ante quæstionem de servis habitam curet. qui secus faxit, quod eo testamento ei relictum fuerit, publicetur*. l. I. & l. XIII. & l. XIV. D. ad S. C. Silanianum.

S. C. Statilianum vel Domitianum de quinquenni præscriptione, Augusti temporibus factum est, Tauro & Lepido Coss. Ann. DCCLXIII. *Ut in cognitione testamenti ejus qui a familia sua occisus esse dicetur: ante habitam de familia quæstionem aperti quinquennii tempus heredibus constituatur*. l. *In cognitione*. XIII. D. ad S. C. Silanianum.

S. C. summum, sive supremum appellatur, quod summis reipublicæ temporibus fieri solebat: de quo Livius libro III. *Tantum*, inquit, *terrorem Hernici incussere patribus, ut, quæ forma senatusconsulti ultimæ semper necessitatis habita est, Postumio alteri consulum negocium daretur, Videret, ne quid respub. detrimenti caperet*. Sallustius in Catilinario: *Itaque (quod plerunque in atroci negocio solet) senatus decrevit, Darent operam consules, ne quid respublica detrimenti caperet. Ea potestas per senatum more Romano magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque cives, militiæque imperium atque judi-*

A *cium summum habere: aliter sine populi jussu nulli earum rerum consuli jus est*.

S. C. Trebellianum de actionibus a fideicommissariis in heredes transferendis, factum est temporibus Neronis, octavo Calend. Septembr. Annæo Seneca, Trebellio Maximo Coss. anno DCCCX. *Ut, cum æquissimum esset in omnibus fideicommissariis hereditatibus si qua de his bonis judicia penderent, ex his eos subire, in quos jus fructusque transferretur, potius quam cuique periculosam esse suam fidem, deinceps actiones quæ in heredem heredibusque dari solent, eæ neque in eos, neque his darentur, qui fidei suæ commissum, sicuti rogati essent, restituissent:*
B *sed his & in eos quibus ex testamento fideicommissum restitutum fuisset, quo magis in reliquum confirmentur supremæ defunctorum voluntates*. Hæc Ulpianus l. I. D. eod.

S. C. Turpillianum de accusationibus desertis. Factum fortasse Imp. Nerone, C. Silio, M. Turpilliano Coss. anno DCCCXIX. *Ut qui crimen publici judicii detulit, & caussa criminis ordinata, id est, inscriptionibus depositis, & fidejussore de exercenda lite præstito, eoque qui accusatur, sub custodia officii facto, non impetrata abolitione ab executione criminis destitit: qui accusatorem summisit, aut instigavit,*
C *aut mandavit alicui, & instruxit eum ad accusationem capitalem, dando probationes, allegando accusationes, qui chirographum ob accusandum dedit, pactionemve aliquam interposuit, pœna quinque librarum auri multetur*. l. I. & pass. C. & D. ad Turpillian. l. tertia, in fine, D. de prævaric.

S. C. Tertyllianum de liberorum hereditatibus matri deferendis, D. Pio imperante factum est, Tertullo & Sacerdote Coss. *Ut mater ingenua trium liberorum jus habens, libertina quattuor, ad liberorum intestatorum hereditatem admittatur, sive sui juris, sive in patris potestate sit, ita tamen ut si filiafam. sit, parentis jussu hereditatem adeat: dein-*
D *de ut filio mortuo, sui: filia mortua, liberi præferantur matri: utrovis mortuo, pater, non etiam avus: item consanguineus, sive solus sit, sive cum eo soror, eidem præferantur: consanguinea vero sola pariter cum matre succedat*. l. I. & 2. D. eod. & libro Instit. III. tit. III.

S. C. tacitum cujusmodi fuerit, Capitolinus in Gordianis docet his verbis: *Omnino exemplum senatusconsulti taciti non aliud est hodie, quam quod vestra clementia convocatis ad interiora majoribus ea disponit, quæ non sunt omnibus publicanda: de quibus adjurare etiam soletis, ne quis ante rem completam quidquam vel audiat vel intelligat. Hunc autem mo-*
E *rem apud veteres necessitates publicæ repererunt, ut si forte aliqua vis ab hostibus immineret, quæ vel cogeret humilia captare consilia, vel aliqua constituere quæ non prius oporteret dici quam effici, vel si nollent ad amicos aliqua permanare, senatusconsultum tacitum fieret: ita ut non scribæ, non servi publici, non censuales illis actibus interessent, senatores exciperent, senatores omnium officia censualium scribarumque complerent, ne quid forte proderetur*.

S. C. Vellejanum de mulierum intercessionibus, factum est Marco Silano & Vellejo Tutore Coss. *Ne jus adversus mulieres diceretur, quæ fidejussionibus &*
F *mutui dationibus pro aliis intercessissent: cum eas virilibus officiis fungi, & ejus generis obligationibus obstringi, non sit æquum. Ergo in veterem debitorem, aut in eum qui pro se constituisset mulierem ream, dabitur: magis enim ille, quam creditor mulierem decepit* l. I. & 2. D. eod.

S. C. Vellejanum de assignatione libertorum, factum est Claudianis temporib. Vellejo Rufo, Ostorio Scapula Coss. *Si, qui duos pluresve liberos justis nuptiis quæsitos in potestate haberet, de liberto libertave sua significasset, cujus ex liberis suis eum libertum, eamve libertam esse vellet, is eave, quando-*

que is qui eum eamve manumisit, inter vivos vel testamento in civitate esse desisset, solus ei patronus, solave patrona esset, perinde atque si ab eo eave libertatem consecutus consecutave est. Utique si ex liberis quis in civitate esse desisset, neque ei liberi ulli essent: ceteris ejus liberis qui manumisit, perinde omnia jura serventur, ac si nihil de eo liberto, eave liberta is parens significasset. l. I. D. de assig. libert.

S. C. Vitrasianum de fideicom. libertatibus. Factum opinor Vespasiano imperante, Sulpitio Galbo, Vitrasio Pollione Coss. *Ut patres servorum quibus per fideicommissum libertas data est, justo precio æstimarentur, atque ita servus ab his qui rogati sunt manumittatur; hi autem qui eos manumiserunt, precii nomine perinde fratribus & coheredibus suis obligati sint, atque si ob eam rem ex judicati caussa cum his agi possit. Nam ante si plures heredes erant instituti, & inter eos qui fari non poterant, sed non ipse rogatus erat servum manumittere: non oportebat intercidere libertatem ob hoc quod coheredibus suis vendere eum infans non possit*. l. *Cum quasi*. XXX. §. *Si plures*. D. de fideic. libert.

S. C. vigintivirale factum est Augusto Imp. Tiberio & Varo Coss. An. DCCCLI. Ut viginti viri ex equitibus constituerentur, quorum deinceps nullus in senatum allegeretur, nisi quem etiam alium magistratum cujus ratione senator posset fieri, gessisset. Hi viginti viri in locum XXVI. virorum successerunt: quorum tres capitalibus judiciis: alii tres pecuniæ signandæ præfecti sunt: quatuor viis: decem iis judiciis, quæ ad centumviros sorte deferuntur. Ut quoniam nemo facile tribunatum pleb. petebat, sorte ex iis qui quæstores fuissent dum quadragesimum annum attigissent, deligerentur. Dio lib. LIV.

S. C. Volusianum de coitione in litem: *Ut qui improbe in alienam litem coeunt, ut quidquid ex condemnatione in rem ipsius redactum fuerit, inter eos communicaretur, lege Julia de vi privata tenerentur*. l. VI. D. ad leg. Jul. de vi privat.

F I N I S.

F. H. Jc.
DE
FORMULIS ANTIQUIS.

LIBER TERTIUS.



FORMULÆ, quæ & *actiones* dicebantur, ut suo loco demonstravimus, erant solemnium verborum conceptiones, quibus eadem in re populus Rom. uti consueverat. Vulgus hodie *stilum*, *formulariumve* appellat. Earum autem Jurisconsultos principes & tanquam architectos fuisse, nemo nescit. quare quas ex diuturna observatione veterum scriptorum collegimus, hunc in locum referendas putavimus.

A

Abdicationis L. Manlii.

CUM SILANUM *filium meum pecunias a sociis accepisse mihi probatum sit, & repub. & domo mea indignum judico, protinusque e conspectu meo abire jubeo*. Ex Val. Max. lib. 5. cap. 8.

Absolutionis in judicio.

NIHIL MOROR. Livius libro XLIX. XLIII. *Non fecisse videri*. Cic. ad Att. lib. IV.

B

Acceptilationis Aquiliana.

QUICQUID TE *mihi ex quacunque caussa dare facere oportet, vel oportebit, præsens, in diemve, aut sub condicione: quarunque rerum mihi tecum actio, quæve adversus te petitio, vel adversus te persecutio est, eritve: quodve tu mecum habes, tenes, possides, quanti quæque earum rerum res erit, tantam pecuniam dari stipulatus est A. Agerius: spopondit Numerius Negidius. Quod Numerius Negidius A. Agerio promisit, spopondit ve, id haberetne a se acceptum, Numerius Negidius A. Agerium rogavit: A. Agerius Numerio Negidio acceptum fecit*. Ex Instit. Justin. lib. III tit. Quibus modis toll. oblig. Et Digest. lib. XLVI. De acceptilationibus.

C

Actionis in personam.

AJO TE MIHI DARE FACERE OPORTERE. Val. Probus. & Justin. §. *Sic itaque*. de actionibus.

Actionis furti adjuti.

OPE CONSILIO *tuo furtum factum esse ajo*. Cicero de natura deor. lib. III. & libro quarto Instit.

D

Actionis in rem.

Petitor.

FUNDUS QUI EST *in agro qui Sabinus vocatur, meus est. eum ego ex jure Quiritium meum esse, ajo inde ibi ego te ex jure manu consertum voco*.

Is unde petitur.

UNDE TU ME EX *jure manu consertum vocasti, inde ibi ego te revoco*.

Prætor.

UTRISQUE *superstitibus istam viam dico: Inite viam*.

E

Idem.

REDITE VIAM.

Petitor.

QUANDO *te in jure conspicio, postulo anne fies auctor*.

Is unde petitur.

AUCTOR. SED *anne tu dicis, qua caussa vindicaveris*. Hæc ex oratione pro Muræna, Cæcina, & Val. Probo.

Actionis.

QUAM REM, *sive litem dicere oportet*. Varro lib. de Lingua VI. & Cicer. pro Muræna.

Addictionis in diem.

ILLE *fundus centum esto tibi emptus: nisi si quis intra calendas Januarias proximas meliorem condicionem fecerit, quo res a domino abeat*. l. I. D. de addict.

Annuli aurei in concione donandi.

QUANDOQUIDEM *tu in prælio, in bello, in re militari mihi nunquam defuisti, omnibusque in periculis mecum versatus es, ob hasce res hoc annulo aureo te dono*. Hæc fere ex Verrina Orat. V.

Antestandi.

OLIM qui antestabantur, auriculam contingebant, hisque verbis loquebantur: LICET ANTESTARI? si ille responderet, LICET: injectione manus adversarium suum in jus trahebat. Horatius Ser. I. Satyr. IX. & in eundem Acron cum Porphyrio.

Arbitrii rei uxoriæ.

QUANTUM *æquius melius sit dari*. Cic. Offic. lib. III. in Topic. pro Q. Roscio. l. pen. D. sol. mat. l. *Si cum Cornelius*, LXXXII D. de solut.

Arbitrii fiduciæ.

UT INTER *bonos bene agier oportet, & sine fraudatione*. Cic. in Top. in Offic. l. III.

Arrogationis.

VELITIS, *jubeatis Quirites, uti L. Valer. L. Titio tam jure legeque filius siet, quam si ex eo patre matreque familias ejus natus esset: utique ei vitæ necisque in eum potestas siet, uti pariendo filio est: hoc ita, ut dixi, ita vos Quirites rogo*. ex Agellii li. V. c. XIX. Suspicor autem legendum pro *pariendo*, *patriendo*, ut sit, *endo* pro *in*, vetuste. quam meam opinionem cum jampridem in scholis nostris indicassem, animadverti postea a sciolis quibusdam quasi pro sua editam & divulgatam fuisse. Eam autem locus hic Orat. pro domo perspicue confirmat: *Credo enim, quanquam in illa adoptione legitime factum est nihil, tamen te esse interrogatum, Auctorne esses, ut in te P. Fontejus vitæ necisque potestatem haberet, ut in filio*.

Asserendi in libertatem.

HUNC EGO *hominem ex jure Quiritium liberali assero caussa manu*. Terent. in Adelph. Plautus Pænulo, & Curcul. Donat. in Ter. vide, *Liberali caussa*.

Belli indicendi.

Legatus ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur, capite velato (filum lanæ velamen est) AUDI JUPITER, inquit, *audite fines* (*cujuscunque gentis sunt, nominat*) *audiat fas. ego sum publicus nuncius populi Romani: juste pieque legatus venio: verbisque meis fides sit*. peragit deinde postulata, inde Jovem testem facit: SI EGO *injuste impieque illos homines, illasque res dedidier populo Romano, mihique exposco, tum patriæ compotem me nunquam sinas esse*. Hæc, cum fines suprascandit hæc quicunque ei primus vir obvius fuerit, hæc, portam ingrediens, hæc forum ingressus, paucis verbis carminis concipiendique jurisjurandi mutatis, peragit, si non deduntur quos exposcit, diebus tribus & triginta

ginta: tot enim sollemnes sunt.) peractis, bellum ita indicit: AUDI JUPITER, *& tu Juno, Quirine, diique omnes cœlestes, vosque terrestres, vosque inferni audite. Ego vos testor populum illum (quicunque est, nominat) injustum esse, neque jus persolvere, sed de istis rebus in patria majores natu consulemus, quo pacto jus nostrum adipiscamur*. Cum is nuncius Romam ad consulendum redit, confestim rex his ferme verbis patres consulebat: QUARUM *rerum, litium, caussarum, condixit Paterpatratus populi Romani Quiritium, Patripatrato priscorum Latinorum, hominibusque priscis Latinis, quas res nec dederunt, nec solverunt, nec fecerunt, quas res dari, fieri, solvi oportuit: Dic* (inquit ei, quem primum sententiam rogabat) *quid censes?* Tum ille: PURO *pioque duello quærendas censeo, itaque consentio, consciscoque*. Inde ordine alii rogabantur. quandoque pars major eorum qui aderant, in eandem sententiam ibat, bellum erat consensu fieri solitum: ut fecialis hastam ferratam, aut sanguineam præustam ad fines eorum ferret, & non minus tribus puberibus præsentibus diceret; QUOD POPULI *priscorum Latinorum, hominesque prisci Latini versus populum R. Quiritium fecerunt, deliquerunt, quod populus R. Quiritium bellum cum priscis Latinis jussit esse, senatusque populi R. Quiritium censuit, consensit, conscivit, ut bellum cum priscis Latinis fieret: ob eam rem ego populusque R. populis priscorum Latinorum, hominibusque priscis Latinis bellum indico, facioque*. Id ubi dixisset, hastam in fines eorum emittebat. Ex Livii lib. I.

QUOD POPULUS *Hermundulus, hominesque populi Hermunduli, adversus populum Romanum bellum fecere, deliquereque; quodque populus Romanus, cum populo Hermundulo, hominibusque Hermundulis bellum jussit; ob eam rem ego, populusque Romanus populo Hermundulo, hominibusque Hermundulis bellum indico, facioque*. Ex Agellii lib. 16. cap. 4.

Carminis Sibyllini.

QUANDOCUNQUE *hostis alienigenæ terræ Italiæ bellum intulisset, eum pelli Italia vincique posse, si mater Idæa Pessinunte Romam advecta esset*. Ex Livii lib. 29.

Carminis in ducendis nuptis.

O Hymen Hymenæe Hymen, Hymen o Hymenæe.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades Hymenæe.

Catullus duobus locis, Servius Æneid. I. Plautus in Casina.

Cautionis de dolo malo.

UTI NE *propter fidem tuam captus, fraudatusve sim*. Cic. lib. De offi. III.

Cessionis in jure.

In jure cessio fit hoc modo. Apud magistratum populi Rom. vel apud prætorem, vel apud præsidem provinciæ, is cui res in jure ceditur, rem tenens ita vindicat: HUNC EGO HOMINEM EX JURE QUIRITIUM MEUM ESSE AJO. Deinde postea quam hic vindicaverit, prætor interrogat eum qui cedit, an contra vindicet: quo negante aut tacente, tunc ei qui vindicaverit, eum addicit idque legis actio vocabatur. Boetius in Top. Cicer. ex 3. comment. Caii.

Cinguli a Trajano Imp. præfecto præt. dati.

ACCIPITO *hunc ensem, ut si quidem recte, atque e Rep. imperavero, pro me: sin secus, in me utaris*.

Coemptionis in matrimonio.

Vir in coemptione sic stipulabatur: VISNE MULIER *mihi materfamilias esse*? illa respondebat, VOLO. item mulier interrogabat, VISNE VIR *mihi paterfamilias esse*? ille respondebat, VOLO: itaque mulier viri conveniebat in manum: & vocabantur hæ nuptiæ per coemptionem. Hæc Boetius in Topic. ex Ulp. Inst.

Coemptionis.

UBI TU *Cajus & ego Caja*. Plutarch. in Problem & Cicero pro Muræn.

Commeatus.

SI QUIS *vestrum suos invisere vult, commeatum do: primo vere adsitis, edico*. Livius lib. 30.

Conlucandi luci.

Lucum conlucare Romano more sic oportet. Porco piaculo facito. Sic verba concipito: SI DEUS, *si dea es, cujus illud sacrum est, uti tibi jus siet porco piaculo facere, illiusce sacri coercendi ergo. Harumque rerum ergo, sive ego, sive quis jussu meo fecerit, uti id recte factum siet. Ejus rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi, domo, familiæque meæ, liberisque meis. Harumce rerum ergo macte hoc porco piaculo immolando esto*. Ex Catone de re rust. cap. CXXXIX.

Contestandæ litis.

Contestari litem dicuntur duo, aut plures adversarii: quod ordinato judicio utraque pars dicere solet, TESTES ESTOTE. Festus lib. III.

Cretionis in hereditatibus.

Cretio est certorum dierum spacium, quod datur instituto heredi ad deliberandum, utrum expediat ei adire hereditatem, nec ne: velut, TITIUS HERES *esto, cernitoque in diebus centum proximis, quibus scieris, poterisque: nisi ita creveris, exheres esto*. Cernere, est verba cretionis dicere, ad hunc modum: CUM ME *Mævius heredem instituerit, eam hereditatem adeo, cernoque*. Ex Ulp. Instit. c. 22.

Decreti Trib. pl.

QUOD P. SCIPIO *Africanus postulavit pro L. Scipione Asiatico fratre, cum contra lege contraque morem majorum Trib. pl. hominibus accitis per vim inauspicato sententiam de eo tulerit, multamque nullo exemplo irrogaverit, prædesque eum ob eam rem dare cogat: aut si non det, in vincula duci jubeat: ut eum a collegæ vi prohibeamus, & quod contra collega postulavit, ne sibi intercedamus, quo minus suapte potestate uti liceat: de ea re nostrum sententia omnium data est: Si L. Cornelius Scipio Asiaticus, collegæ arbitratu prædes dabit collegæ, ne eum in vincula ducat, intercedemus: si ejus arbitratu prædes non dabit, quo minus collega sua potestate utatur, non intercedemus*.

Item:

CUM L. CORNELIUS *Scipio Asiaticus triumphans, hostium duces in carcerem conjectaverit, alienum videtur esse a dignitate Reipub. in eum locum imperatorem Pop. Rom. duci, in quem locum ab eo conjecti sunt duces hostium. Itaque L. Cornelium Scipionem Asiaticum a collegæ vi prohibeo*. Ex Agell. libro VII. cap. XIX.

Dedicationis spoliorum & templi, qua Romulus Sabinorum rege interfecto est usus.

JUPITER *Feretri*, inquit, *hæc tibi victor Romulus rex arma fero, templumque iis regionibus, quas modo animo metatus sum, dedico, sedem opimis spoliis, quæ regibus ducibusque hostium cæsis, me auctorem sequentes posteri ferent*. Ex Livii lib. I.

Dedicati signi a T. Quintio.

Jupiter atque divi omnes hoc dederunt, ut T. Quintius dictator oppida novem caperet. Ex Livii lib. VI.

Deditionis a fecialibus.

Quandoquidem hicce homines, injussu populi Rom. Quiritium fœdus ictum iri spoponderunt, atque ob eam rem noxam nocuerunt: ob eam rem quo populus R. scelere impio sit solutus, hosce homines vobis dedo. Ex Livii libro IX.

Deditionis.

Rex interrogavit: ESTISNE VOS *legati oratoresque missi a populo Collatino, ut vos populum Collatinum dederetis? Sumus. Estne populus Collatinus in sua potestate? Est. Deditisne vos populum Collatinum,*

urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, divina humanaque omnia in meam populique Romani ditionem? Dedimus. At ego recipio. Ex Livii lib. I.

Deferendi nominis.

Cum in jus ventum est, dicebat accusator apud prætorem reo, AJO TE SICULOS SPOLIASSE. si tacuisset, lis ei æstimabatur, ut victo: si negabatur, petebatur a magistratu dies inquirendorum ejus criminum, & instituebatur accusatio. Asconius in Verrin.

Deferendis nominis.

Consul & dies. apud illum prætorem vel proconsulem L. Titius professus est, se Mæviam lege Julia de adulterii ream deferre, quod dicat eam cum C. Sejo in civitate illa, domo illius, mense illo, Consulibus illis, adulterium commisisse. Paulus l. III. D. de accusat.

Devotionis urbium & exercituum.

DIS PATER, *Vejovis, Manes, sive quo alio nomine fas est nominare, ut omnes illam urbem Carthaginem, exercitumque, quem ego me sentio dicere, fuga, formidine, terrore compleatis, quique adversus legiones, exercitumque nostrum arma telaque ferent, uti vos eos exercitus, eos hostes, eosque homines, urbes, agrosque eorum, & qui in his locis, regionibusque, agris, urbibusque habitant, abducatis, lumine supero privetis: exercitumque hostium, urbes, agrosque eorum, quos me sentio dicere, uti vos eas urbes, agrosque, capita, ætatesque eorum devotas consecratasque habeatis, illis legibus, quibus quandoque sunt maxime hostes devoti, eosque ego vicarios pro me, fide, magistratuque meo, & pro pop. Rom. exercitibus, legionibusque nostris do, devoveo: ut me, meamque fidem, imperiumque, legiones, exercitumque nostrum, qui in his rebus gerundis sunt, bene salvos sinatis esse. Si hæc ita faxitis, ut ego sciam, sentiam, intelligam: tunc quisquis votum hoc faxit, ubi faxit, recte factum esto, ovibus atris tribus, Tellus mater, teque Jupiter obtestor.* Ex Macrobii lib. III. cap. IX.

Devotionis qua Decius est usus.

JANE JUPITER, *Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, divi Novensiles, dii Indigetes, divi, quorum est potestas nostrorum hostiumque, diique Manes, vos precor, veneror, veniam peto, feroque, uti populo R. Quiritium victoriamque prosperetis: hostesque populi Romani Quiritium terrore, formidine, morteque afficiatis. Sicut verbis nuncupavi, ita pro republ. Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Rom. Quiritium, legiones, auxiliaque hostium mecum diis Manibus, Tellurisque devoveo.* Ex Livii lib. VIII.

Dimittendæ concionis a Trib. pl.

SI VOBIS VIDETUR, DISCEDITE QUIRITES. D. Livius lib. II.

Dimittendi funeris.

Corona populi tandiu stabat, respondens fletibus præficæ, id est, principi planctuum, quandiu consumpto cadavere, & collectis cineribus, diceretur novissimum verbum ILICET: quod *ire licet* significat. unde est,

– Dixitque novissima verba.

Servius in lib. Æneid. VI.

Dimittendi judicii.

ACTUM EST, ILICET. Donatus in Phormion. *Sic judices de consilio dimittebantur, suprema dicta, cum præco pronunciasset*, ACTUM EST, ILICET: *id est, Ire licet.*

Moris fuit veterum, cum satis visum esset fluxisse verborum, hanc sibi necessitatem finiendæ orationis imponere, ut dicerent ad ultimum, DIXI: quod etiam ab utraque parte oratione consumpta, ut in consilium dimitterentur, Prætor soleret pronunciare. DIXERUNT. Asconius in II. Verrinam.

A Cic. tamen Verrina IV. *Præco*, inquit, *dixisse pronunciat.*

Dimittendi senatus.

NIHIL VOS MORAMUR P. C. Jul. Capitol. in Ant. Philosoph.

Dimittendorum manium.

Dicebatur VALE, post tumuli peracta sollemnia. Servius Æneid. VI. Idem in lib. III. Mortuis etiam dicitur, ut,

– Salve maxime Palla,
Æternumque vale.

Item in eod

– animamque sepulcro
B *Condimus, & magna supremum voce ciemus.*

hoc est, inquit Servius, *dicimus more solemni*, VALE.

Divortii.

TUAS RES *tibi habeto. Tuas res tibi agito.* ex. l. 2. D. de divortiis.

Donationis caussa mortis.

In donationibus quæ mortis caussa fiunt, hec verborum sollemnitas custoditur: *Illum agrum, aut illam domum me malo habere, quam te: te, quam heredem meum.* Hæc Anianus Paulli Sentent. inter-
C pres lib. Sent. II. cap. XXIII.

Duum virorum, qui de perduellione judicent, faciendorum.

DUUMVIRI *perduellionem judicent: si a Duumviris provocarit, provocatione certato: si vincent, caput obnubito: infelici arbori reste suspendito: verberato vel intra pomerium, vel extra pomœrium.* Ex Livii lib. I.

EDICTI ædilitii, vide in l. I. & l. XXXVIII. D. de ædil. edict. & apud Agell. lib. IV. cap. II.

Edicti censorum de coercendis rhetoribus.

RENUNCIATUM *est nobis, esse homines, qui novum genus disciplinæ instituerunt, ad quos juventus*
D *in ludum conveniat: eos sibi nomen imposuisse Latinos rhetoras, ibi homines adolescentulos dies totos desidere. Majores nostri qui liberos suos discere, & quos in ludos itare vellent, instituerunt. Hæc nova, quæ præter consuetudinem ac morem majorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter & iis qui eos ludos habent, & iis qui eo venire consueverunt, visum est faciendum, ut ostenderemus nostram sententiam, nobis non placere.* Ex Agellii lib. XV. cap. II.

Edicti Prætorii exempla passim in Pandectis extant.

E Emancipationis.

Est autem emancipatio, imaginaria quædam venditio, quod ipsum jus proprium Romanorum est. Eaque res ita agitur, addibitis non minus quam quinque testibus, civibus Romanis, puberibus, & præterea alio ejusdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur Libripens. Is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit: HUNC *ego hominem ex jure Quiritum meum esse ajo. Isque mihi emptus est hoc ære æneaque libra.* Deinde ære percutit libram, idque æs dat ei, a quo mancipium accipit, quasi precii loco. Ex Caii lib. Instit. I.

Evocationis deorum.

F *Si Deus, si Dea es, cui populus, civitasque Carthaginensis est in tutela, teque maxime ille, qui urbis hujus populique tutelam recepisti, precor, venerorque, veniamque a vobis peto, ut vos populum civitatemque Carthaginensium deseratis: loca, templa, sacra, urbemque eorum relinquatis, absque his abeatis: eique populo, civitatique metum, formidinem, oblivionem injiciatis: proditique Romam ad me, meosque veniatis: nostraque vobis loca, templa, sacra, urbs acceptior, probatiorque sit, mihi quoque, populoque Rom. militibusque meis præpositi sitis, ut sciamus intelligamusque, si ita feceri-*

tis, voveo vobis templa, ludosque facturum. Ex Macrobii libr. III. cap. IX.

Exceptionis.

EXTRAQUAM *si quid ita factum sit, uti lege fieri licuit*, l. 1. §. *Labeo*: D. de flu. EXTRAQUAM *in reum capitis præjudicium fiat*. libr. 2. D. de invent. SI *non vi, non clam, non precario feceris*. l. *Si vitem*. D. quod vi aut. *Si in ea re nihil dolo malo actoris factum est*. l. 2. D. dol. excep. *Si in ea re qua de agitur præjudicium hereditati non fiat*. l. prima, D. famil. ercisc. SI *in ea re nihil metus caussa factum est*, l. IV. §. ultim. De dol. except. SI *non voluntate creditoris fundus veniit*. l. *Sicut*. D. quibus mod. pig. Si *non mihi mandatum sit, ut a debitoribus peterem*. l. *Itaque*. XLVIII. de procre. act.

Exercitus evocandi.

Si esset tumultus, qui fuerat ducturus exercitum ibat ad Capitolium: & exinde proferens duo vexilla, unum roseum, quo pedites evocabat, alterum cæruleum, quo equites, dicebat: QUI *vult salvam rempub. me sequatur*. Servius in lib. Æneid. VIII. Cicero post reditum in senatu: *Quid magnificentius, quid præclarius mihi accidere potuit, quam quod illo petente vos decrevistis, ut cuncti ex omni Italia qui rempub. salvam vellent, ad me unum hominem fractum & prope dissipatum, restituendum & defendendum venirent? ut qua voce ter omnino post Romam conditam consul usus esset pro universa repub. apud eos solum qui ejus vocem exaudire possent*. Idem pro C. Rabirio: *Fit S. C. Ut C. Marius, L. Valerius coss. operam darent, ut imperium populi R. majestasque conservaretur. qui rempub. salvam esse vellent, arma capere & se sequi jubent*.

Fidejubendi.

CENTUM QUÆ *mihi Cajus debet, eadem mihi dare spondes? Spondeo. Stichum aut decem fide tua jubes? Jubeo. Quantam pecuniam credidero, fide tua esse jubes? Jubeo. Mille modios tritici fide tua esse jubes? Jubeo. Si reus quadraginta non solverit, fide tua esse jubes? Jubeo*. Ex tract. de fidejuss. in Pandectis.

Fiduciæ.

Ut INTER *bonos bene agier oportet, & sine fraudatione*. Cicero de Offic. III. & Epist. fam. VII. Epist. XII.

Fœderis peragendi.

FECIALIS regem Tullum ita rogavit: *Jubesne me rex cum patre patrato populi Albani fœdus ferire?* Jubente rege, *Sagmina*, inquit, *te, rex, posco*. Rex ait: *Pura tollito*. Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit: postea regem ita rogavit: *Rex, facisne me regium nuncium populi Romani Quiritium? Vasa comitesque meos*, Rex respondit: *Quod sine fraude mea populique Romani Quiritium fiat, facio*. Dein Fecialis patrem patratum facit, qui legibus fœderis recitatis, AUDI, inquit, *Jupiter, audi, pater patrate, populi Albani, audi tu populus Albanus: ut illa palam prima postrema ex illis tabulis cerave recitata sunt sine dolo malo, utique ea hic hodie rectissime intellecta sunt, illis legibus populus Romanus prior non deficiet. si prior defecerit, publico consilio, dolo malo, tum, Diespiter, populum R. sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam: tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque*. Quod ubi dixit, porcum saxo silice percussit. Ex Livii libro primo.

Fœderis cum Antiocho rege.

AMICITIA REGI Antiocho cum populo Romano his legibus & conditionibus esto. *Ne quem exercitum qui cum populo Romano sociisque bellum gesturus erit, Rex per fines regni sui eorumve qui sub ditione ejus erunt, transire sinito, neu commeatu, neu qua alia ope juvato. idem Romani sociique Antiocho & iis qui sub imperio ejus erunt, præstent. Belli gerendi jus Antiocho ne esto cum iis qui insulas colunt, neve in Europam transeundi. Excedito urbibus, agris, vicis, castellis cis Taurum montem usque ad Tanaim amnem, & a valle Tauri, usque ad juga qua in Lycaoniam vergit. Ne qua arma efferto ex iis oppidis, agris, castellisque, quibus excedat. si qua extulit, quæ quoque oportebit, recte restituito. Ne militem, neu quem alium ex regno Eumenis recipito. Si qui earum urbium cives quæ regno abscedunt, cum rege Antiocho, intraque fines ejus regni sunt, Apameam omnes ante diem certam redeant. Qui ex regno Antiochi apud Romanos sociosque sunt, iis jus abeundi manendique esto. Servos, seu fugitivos, seu bello captos, seu qui liber captus aut transfuga erit, reddito Romanis sociisque. Elephantos tradito omnes, neque alios parato. Tradito & naves longas, armamentaque earum: neve plures quam decem naves actuarias, nulla quarum plus quam* XXX. *remis agatur, habeto: neve monerem ex belli caussa, quod ipse illaturus erit: neve navigato citra Calycadnum, neve Sarpedonem, promontoria: extra quam si qua navis pecuniam, stipendium, aut legatos, aut obsides portabit. Milites mercede conducendi ex iis gentibus, quæ sub ditione populi Romani sunt, Antiocho regi jus ne esto: ne voluntarios quidem recipiendi. Rhodiorum sociorumve quæ ædes ædificiaque intra fines regni Antiochi sunt, quo jure ante bellum fuerunt, eo Rhodiorum sociorumve sunto. Si quæ pecuniæ debentur, earum exactio esto. Si quid ablatum est, id conquirendi, cognoscendi, repetendique jus item esto. Si quas urbes, quas tradi oportet, ii tenent, quibus Antiochus dedit, ex iis præsidia deducito: utique recte tradantur, curato. Argenti probi Attica talenta* XII. *millia dato intra* XII. *annos pensionibus æquis. talentum ne minus pondo* LXXX. *Romanis ponderibus pendas: & tritici* DXL. *millia modium. Eumeni regi talenta* CCCL. *intra quinquennium dato: & pro frumento quod æstimatione fiat, talenta* CXXVII. *Obsides Rom.* XX. *dato; & triennio mutato, neve minores octonum denum annorum, neu majores quinum quadragenum. Si qui sociorum populi Romani ultro bellum inferent Antiocho, vim vi, arcendi jus esto: dum ne quam urbem aut belli jure teneat, aut in amicitiam accipiat. controversias inter se jure ac judicio disceptent, aut si utrisque placebit, bello*. Ex Livii lib. XXXVIII.

Heredis instituendi.

Heres institui recte potest his verbis, TITIUS *heres sit, Titium heredem esse jubeo*. Illa autem institutio, *heredem instituo, heredem facio*, plerisque improbata est. Ex Ulpian. Instit. capite XXI.

Heredis instituendi ac substituendi.

Heredes scripti sunt, velut, TITIUS *heres esto, cernitoque in diebus proximis centum, quibus scieris poterisque. nisi ita creveris, exheres esto: tunc Mævius heres esto, cernitoque in diebus*, & reliqua. Similiter & deinceps substitui potest. Ex Ulpiani Inst. cap. XXII.

Indicendi compitalia:

DIE NONI POST *Cal. Jan. Quiritibus compitalia erunt*. Ex Macrobii lib. I. cap. IV. & Agel. lib. X. cap. XXIV.

Inlicii vocandi.

QUOD BONUM, *fortunatum, felixque, salutareque siet populo R. Quiritium, reique publicæ populi R. Quiritium, mihique, collegæque meo, fidei, magistratuique nostro: omnes Quirites, pedites, armatos, privatosque, curatores omnium tribuum, si quis pro se, sive pro altero dari rationem volet, voca inlicium huc ad me*. Ex Varr. lib. de Ling. V. Liv. lib. XL.

Intercessionis Tribunitiæ.

VETO. Livius lib. VI.

Interdicti de bonis prodigi.

QUANDO TU BONA PATERNA *avitaque nequitia tua disperdis, liberosque tuos ad egestatem perducis,*

ob eam rem tibi ea re commercioque interdico. Ex Paul. Sent. lib. III. tit. V. Locum autem sic correximus, cum antea legeretur, HABITAQUÆ. Nostræ correctionis testes sunt ante biennium clarissimi viri Bonifacius Amerbachius, Paulus Manutius: ad quos de communibus studiis, ut fit, scribens, ea de re mentionem injeci. Interfuit etiam correctioni Jacobus Calonius, adolescens eruditiss. & mihi amicissimus. Post eadem Jacobo Cujacio in mentem venit, hoc tamen testari nunc operæ precium putavi, & simul considerandum, an pro EA RE, legendum potius esset, ÆRE, COMMERCIO QUE. ut intelligatur ei omni negocio quod per æs & libram gerebatur, interdictum esse. Aliorum interdictorum Prætoris exempla in Pandectis obvia sunt omnibus lib. Pandect. XLIII.

Interrogationis, qua censores in sollemni jurejurando de uxoribus utebantur.

ET TU EX ANIMI TUI SENTENTIA *uxorem habes?* Ex Agellii libr. IV. cap. XX. & lib. De orat. II.

Judicandi.

Vide posterius, sub formula SENTENTIÆ ferendæ.

Judices dandi.

L. OCTAVIUS JUDEX ESTO. *Si paret fundum Capenatem quo de agitur, ex jure Quiritium P. Servilii esse, neque is fundus restituatur*. Et Verr. IV.

Judicii recuperatorii.

SI PARERET EAM SE ET SUA *Veneris esse dixisse*: Cicero in Divinat. *Si pareret jugera ejusmodi fundi esse plura, quam colonus esset professus, tum Xeno damnaretur. Si pareret adversus edictum fecisse*. Ex Verrina V. *Si pareret* H-S. ꟾↃↃ. *dari oportere*. Ex Orat. pro Q. Roscio.

Si apparet eum dare oportere. Ex §. *Sic itaque*. de actionibus.

Judicii T. Manlii in filium.

QUANDOQUIDEM TU, *Manli, neque imperium consulare, neque majestatem patriam veritus, adversus edictum nostrum, extra ordinem in hostem pugnasti, & quantum in te fuit, disciplinam militarem, qua stetit ad banc diem Romana res, solvisti: meque in eam necessitatem adduxisti, ut aut reipublicæ mibi, aut mei, meorumque oblivifcendum sit: non potius nostro delicto plectemur, quam respub. tanto suo damno nostra peccata luat. triste exemplum, sed in posterum salubre juventuti erimus. me quidem cum ingenita charitas liberum, tum specimen istud virtutis, deceptum vana imagine decoris, in te movet: sed cum aut morte tua sancienda sint consulum imperia, aut impunitate in perpetuum abroganda: nec te quidem, si quid in te nostri sanguinis est, recusare censeam, quin disciplinam militarem culpa tua prolapsam pœna restituas. I lector deliga ad palum*. Ex Livii lib. VIII.

Judiciorum bonæ fidei.

QUANTUM EX BONA *fide illum dare facere oportet*. Cicero Offic. libr. II. in Topic.

Jurisjurandi.

Majorum diligentia hæc fuit primum jurare EX ANIMI SENTENTIA *quenque voluerunt: deinde ita teneri*, SI SCIENS FALLERET: *quod inscitia multa versaretur in vita*. Cicero libro Academ. II. Idem lib. De offic. III. *Non enim falsum jurare, pejerare est: sed quod* EX ANIMI TUI SENTENTIA *juraveris, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere, perjurium est*: Livius lib. XXXII. *Ex animi mei sententia juro, ut ego remp. non deseram, neque alium civem deserere patiar*. Idem lib. XLIII. *Ex tui animi sententia ex edicto C. Claudii, Ti. Sempronii Censorum in provinciam Macedoniam redibis, quod sine dolo malo facere poteris?*

Jurisjurandi a P. Scipione concepti.

EX MEI ANIMI SENTENTIA, *juro, ut ego remp. non deseram, neque alium civem Romanum deserere patiar. si sciens fallo, tum me, Jupiter Opt. Max. domum, familiam, remque meam pessimo leto afficias*. Ex Livii lib. XXII.

PER HUNC *castissimum ante regiam injuriam sanguinem juro, vosque, dii, testes facio, me L. Tarquinium Superbum cum scelerata conjuge & omni liberorum stirpe, ferro, igni quacunque dehinc vi possim, exacturum: nec illos, nec alium quenquam regnare Romæ passurum*. Ex Livii Lib. I.

Jurisjurandi per Jovem lapidem.

SI SCIENS FALLO, *tum me Diespiter, salva urbe arceque, bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem*. Festus lib. X. Plaut. Aulularia. Cice. Epist. famil. VII. Plutarchus in Sylla. Polybius autem lib. Hist. III. rem sic explicat: Ῥωμαίους δὲ Δία λίθον ὀμνύειν κατὰ τὸ παλαιὸν ἔθος· ἐπὶ δὲ τούτῳ τὸν Ἄρην καὶ Ἐνυάλιον. ἔστι δὲ τὸ Δία λίθον τοιοῦτον· λαβὼν εἰς τὴν χεῖρα λίθον ὁ ποιούμενος τὰ ὅρκια περὶ τῶν συνθηκῶν, ἐπειδὰν ὀμόσῃ δημοσίᾳ πίστει, λέγει τάδε, εὐορκοῦντι μὲν ποιεῖν τἀγαθά, εἰ δ᾽ ἄλλως διανοηθείην τι ἢ πράξαιμι, πάντων τῶν ἄλλων σωζομένων ἐν ταῖς ἰδίαις πατρίσιν ἐν τοῖς ἰδίοις νόμοις, ἐπὶ τῶν ἰδίων βίων, τάφων, ἐγὼ μόνος ἐκπέσοιμι οὕτως ὡς ὅδε λίθος νῦν. καὶ ταῦτα εἰπὼν ῥίπτει τὸν λίθον ἐκ τῆς χειρός. *Romani Jovem lapidem jurarunt ex veteri quodem ritu, deinde Martem & Gradivum. Mos autem jurandi Jovem lapidem est hic. Fæcialis qui jurejurando fœdus firmat, postquam inde publica fide juravit, lapidem in manus sumit, atque hæc dicit: Si fidem servasso, tum me dii adjuvent. sin sciens fefellero, tum ego salvis ceteris omnibus in suis patriis, suis legibus, suis penatibus, sacris, sepulcris, solus exterminer, ut hic nunc lapis. Et simul lapidem manu ejicit*.

Jurisjurandi militaris.

IN MAGISTRATU *C. Lælii C. F. Cos. L. Cornelii P. F. Cos. in exercitu, decemque millia passuum prope, furtum non facies dolo malo, solus, neque cum pluribus, pluris nummi argentei in dies singulos. Extra bastam, bastile, ligna, napum, pabulum, utrem, follem, faculam, si quid ibi inveneris intulerisve, quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit, uti tu ad C. Lælium C. F. Cos. L. ve Cornelium P. F. Cos. sive ad quem eorum jusserit, proferas. aut profitebere in triduo proximo, quicquid inveneris sustulerisve dolo malo, aut domino suo, cujum id censebis esse, reddes, uti quod recte factum esse voles*. Deinde ita concipiebatur jusjurandum, ut adessent, his additis exceptionibus, *nisi harunce aliqua caussa erit: funus familiare: feriæ denicales, quæ non ejus rei caussa in eum diem collatæ sint, quo is eo die minus ibi esset. morbus sonticus, auspiciumve, quod sine piaculo præterire non liceat, sacrificiumve anniversarium, quod recte fieri non posset, nisi ipsus eo die ibi sit. Vis hostisve, status condictusve dies cum hoste. Si cui eorum harumce quæ caussa erit, tum se postridie quam per eas caussas licebit eo die venturum aditurumque eum, qui eum pagum, vicum, oppidumve delegerit*. Ex Agell. lib. XVI. cap. IV.

Legis ferendæ.

VELITIS *jubeatis Quirites*, &c. Ex Cicer. Orat. pro Domo.

QUICUNQUE *post hanc legem*. Ex oratione pro Postumo, & l. D. ad legem Falcid.

CONSUL (vel Prætor, vel qui populum rogarat) *populum jure rogavit, populusque jure scivit*.

SI QUID *jus non fuit rogari, ejus ea lege nihilum rogatum*. Ex Philippica I. Valerio Probo, Festo Pomp. Orat. pro domo, pro Cæcina, lib. Epist. ad Att. III.

SI QUID *contra alias leges, hujus legis ergo latum sit, ei qui hanc legem rogassit, impune esto*. Cic. lib. III. ad Attic.

Legis jubendæ, vel antiquandæ.

UTI ROGAS, vel ANTIQUO. Moris erat ut populo in comitiis legum duæ tabellæ darentur, quarum

in altera U. R. in altera A. scriptum erat. patet ex Cic. lib. de leg. II. Epist. ad Att. I. Livio, & aliis.

Legis sanciendæ.

NE PER *saturam abrogari, derogarive jus esto*. Festus.

Jussum mandatumque legis militaris.

P. R.

COSS. IMP. TRIB. *Miles, Tiro, Commilito armate, quisquis es, manipularieve Centurio, turmæve Legionarie, hic sistito, vexillum sinito, arma deponito, nec citra hunc amnem Rubiconem signa, exercitum, commeatumque traducito. Si quis hujusce jussionis ergo adversus præcepta ierit, feceritve, adjudicatus esto hostis* P. R. *ac si contra patriam arma tulerit, penatesque e sacris penetralibus asportaverit*. S. P. Q. R.

SANCTIO plebiscĭti, S. ve consulti: *Ultra hos fines arma ac signa proferre liceat nemini*. Ex epigram. Romanis.

Legati testamentarii.

Legamus quatuor modis: per vindicationem, per damnationem, sinendi modo, per præceptionem. Per vindicationem, his verbis legamus: DO, *lego, capito, sumito, sive habeto*. Per damnationem his verbis: HÆRES *meus damnas esto dare. dato, facito. heredem meum dare jubeo*. Sinendi modo ita: HÆRES *meus damnas esto sinere, Lucium Titium sumere illam rem, sibique habere*. Per præceptionem sic: LUCIUS *Titius illam rem præcipito*. Ex Ulpiani Instit. cap. XXIV.

Libandi diis vini.

MACTUS *hoc vino inferio esto*. Arnob. lib. contr. gent. VII. vide infra, Sacrificii porcæ.

Literarum ab Impp. ad senatum incolumi exercitu mittendarum.

SI VOS, *& liberi vestri valetis, bene est: ego & exercitus valemus*. Dio Cass. in Adriano, & Cicero in epist. persæpe: aliique complures.

Lustrandi agri.

MARS PATER, *te precor quæsoque, uti sies volens propitius mihi, domo, familiæque nostræ, quoius rei ergo, agrum, terram, fundumque meum suovitaurilia circum agi jussi. uti tu morbos visos invisosque, viduertatem, vastitudinemque, calamitates, intemperiasque prohibessis, defendas, averruncesque. utique tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandire, beneque evenire sinas. pastores, pecuaque salva servassis, duisque bonam salutem valetudinemque mihi, domo, familiæque nostræ. Harunce rerum ergo, fundi, terræ, agrique mei lustrandi, lustrique faciendi ergo, sicuti dixit, macte hisce suovitaurilibus lactentibus immolandis esto. Mars pater, ejusdem rei ergo, macte hisce suovitaurilibus lactentibus esto*. Item cultro facito struem, & fertum uti adsiet. Inde obmoveto. Ubi porcum immolabis, agnum, vitulumque, sic oportet: *Ejusque rei ergo macte hisce suovitaurilibus immolandis esto*. nominare vetat Martem, neque agnum, vitulumque. Si minus in omnes litabit, sic verba concipito: MARS *pater, si quid tibi in illisce suovitaurilibus lactentibus, neque satisfactum est, te hisce suovitaurilibus piaculo*: Si uno duobusque dubitaverit, sic verba concipito: *Mars pater, quod tibi illuc porco neque satisfactum est, te hoc porco piaculo*. Ex Catone de re rust. cap. CXLI.

Mancipii faciendi.

Vide Nexus faciendi formulam.

Manumittendi servi.

Manumitti servus dicebatur, cum dominus aut caput ejus servi, aut aliud membrum tenens dicebat: HUNC *hominem liberum esse volo*. & emittebat eum e manu. Ex Festi lib. II. Extat etiam in Bibliotheca regia fragmentum indicis Latino-Græci, in quo scriptum ita est: *Βινδίκτα ἡ ῥάβδος, μεθ' ἧς ὁ ἄρχων ἢ ὁ πραίτωρ τὴν τοῦ ἐλευθερουμένου κεφαλὴν ἔπαιον φάσκοντες*: ΦΑΜΕΝ ΤΟΝ ΠΑΡΟΝΤΑ ΑΝΘΡΩΠΟΝ, ΕΙΝΑΙ ΕΛΕΥΘΕΡΟΝ ΚΑΙ ΠΟΛΙΤΗΝ ΡΩΜΑΙΟΝ.

Matrimonii testificandi.

COS. AUG. *Pub. Claud. Quæs. ær. Antoninam Volumniam virginem, volent. auspi. e parent. su. coemit, &* IV. *fac. in do. dux.* id est: Consule Augusto, P. Claudius Quæstor ærarii Antoninam Volumniam virginem volentem, auspicato, e parentibus suis coemit, & quattuor facibus in domum duxit. Ex lapide Patavino.

Missionis ignominiosæ.

C. Aviene, quod in Italia milites populi Rom. contra rempubl. instigasti, rapinasque per municipia fecisti, quodque mihi, reique publicæ inutilis fuisti, & pro militibus tuam familiam, jumentaque in naves imposuisti, tuaque opera militibusque tempore necessario respublic. caret, ob eas res ignominiæ caussa ab exercitu meo te removeo; hodieque ex Africa abesse, & quantum potes, proficisci jubeo. itemque te, A. Fontei, quod tribunus militum seditiosus, malusque civis fuisti, ab exercitu dimitto. T. Alliene, M. Tiro, C. Clusiane, cum ordines in meo exercitu, beneficio, non virtute consecuti, ita vos gesseritis, ut neque bello fortes, neque pace boni aut utiles fueritis, & magis in seditione concitandisque militibus adversariorum nostrorum imperatoris, quam pudoris modestiæque fueritis studiosiores, indignos vos esse arbitror, qui in meo exercitu ordines ducatis: missosque facio, & quantum potestis, abesse ex Africa jubeo. Ex Hirtio lib. de bell. Afric.

Multæ in judicio.

M. TERENTIUS quando citatus neque respondit, neque excusatus est: *Ego ei unam ovem multam dico*. Agell. lib. XI. cap. I.

Nexus faciendi.

Mancipatio est imaginaria quædam venditio, quæ sic agitur. adhibitis non minus quam quinque testibus civibus R. puberibus, & præterea alio ejusdem conditionis, qui libram æneam tenebat, qui appellabatur libripens, is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit: HUNC *ego hominem & jure Quiritium meum esse ajo, isque mihi emptus est hoc ære, æneaque libra*. Deinde ære percutit libram, idque æs dat ei a quo mancipium accipit, quasi pretii loco. Boetius in Topic. ex lib. I. Institut. Caii.

Ominis nuptialis.

TALASIO. Livius lib. I. *Unam longe ante alias specie insignem a globo Talasii cujusdam raptam ferunt: multisque sciscitantibus, cuinam eam ferrent, identidem, ne quis violaret*, TALASIO *ferri clamitatum: inde nuptialem hanc vocem factam*. Idem Servius in lib. Æneid. I.

Oraculi Delphici.

ROMANE, *aquam Albanam cave lacu contineri, cave in mare manare suo flumine sinas. emissam per agros rigabis, dissipatamque rivis exstingues. tum tu insiste audax hostium muris, memor, quam per tot annos obsides urbem, ex ea tibi his quæ nunc panduntur, factis victoriam datam. bello perfecto donum amplum victor ad mea templa portato: sacraque patria, quorum omissa cura est, instaurata, ut assolet, facito*. Ex Livii lib. V. *Tum*, SI *faxitis, Romani, vestræ res meliores feliciores que erunt: magis ex sententia respub. vestra vobis procedet: victoriaque duelli, populi Rom. erit. Pythio Apollini, repub. vestra bene gesta servataque, lucris meritis donum mittote: deque præda, manubiis, spoliisque honorem habetote*. Ex Livii lib. XXIII.

Pactionis ob pacem cum Ætolis.

IMPERIUM *majestatemque populi Rom. gens Ætolorum conservato sine dolo malo. ne quem exercitum, qui adversus socios amicosque eorum ducetur, per fines suos transire sinito, neve ulla ope juvato. hostes eosdem habeto, quos populus R. armaque in eos ferto, bellumque pariter gerito. perfugas, fugiti-*

vos, captivosque reddito Romanis sociisque: præterquam si qui capti, cum domos rediissent, iterum capti sunt: aut si qui eo tempore ex iis capti sunt, qui tum hostes erant Romanis, cum inter præsidia Romana Ætoli essent. aliorum qui comparebunt, intra dies centum Corcyræorum magistratibus sine dolo malo tradantur. qui non comparebunt, quando quisque eorum primum inventus fuerit, reddatur. Obsides XL. *arbitratu consulis Romanis dato, ne minores* XII. *annorum, neu majores* XL. *Obses ne esto præfectus equitum, scriba publicus, neu quis qui ante obses fuerit apud Romanos. Cephallenia extra pacis leges esto.* Ex Livii lib. XXXVIII.

Precationis ob bellum Macedonicum.

QUAM *rem senatus populusque R. de rep. deque ineundo novo bello in animo haberet, ea res uti populo Rom. sociisque ac nomini Latino bene ac feliciter eveniret.* Secundum rem divinam, precationemque, ut de rep. deque provinciis senatum consulerent. Ex Livii lib. XXXI.

Precationis P. Scipionis.

DIVI *divæque*, inquit, *qui maria terrasque colitis, vos precor quæsoque, quæ in meo imperio gesta sunt, geruntur, postque gerentur, ea mihi, populo plebique Romanæ, sociis nominique Latino, qui populi Romani, quique meam sectam, imperium auspiciumque terra, mari, amnibusque sequuntur, bene vertundo æque vos omnia bene juvetis: bonis auctibus auxitis: salvos incolumesque victis perduellibus victores spoliis decoratos, triumphantesque mecum domos reduces sistatis: inimicorum hostiumque ulciscendorum copiam faxitis: quæque populus Carthaginiensis in civitatem nostram facere molitus est, ea ut mihi populoque Romano in civitatem Carthaginiensium detis.* Ex Livii lib. XXIX.

Precationis qua in principio pompæ Romani Imperatores triumphantes, in Vaticano utebantur.

DI, NUTU *& imperio quorum nata & aucta est res Romana, eandem placati, propitiatique servate.* In fine vero in Capitolium ascendentes, hæc:

GRATIAS *tibi, Jupiter optume maxume, tibique Junoni reginæ, & ceteris hujus custodibus, habitatoribusque Arcis Di lubens lætusque ago, re Romana in hanc diem & horam per manus, quod voluistis, meas servata, bene gestaque: eandem & servate, ut facitis, fovete, protegite propitiati, supplex oro.* Ex Macrob. Saturn. lib. I.

Precationis Heriliæ.

NERIA *Martis, te obsecro pacem dare, ut liceat nuptiis propriis & prosperis uti. quod de tui conjugis consilio contigit, uti nos itidem integras raperent, unde liberos sibi & suis posteris patriæ patrarent.* Ex Agellii lib. XIII. cap. XXI.

Precationis consularis, in consule renunciando.

QUOD *bonum, faustum, felix, fortunatumque sit mihi magistratuique meo, populo plebique Romanæ, L. Licinium cos. renuncio.* Cic. pro Muræna.

Præconii in sacrificiis.

HOC AGE. Plutarchus in Numa, & Coriolano. FAVETE *linguis*. Cic. X. & II. de Divinat. Plin. lib. XXVIII. cap. II.

Præfandi omnibus in rebus.

Quod bonum, faustum, felix, fortunatumque sit. Cic. lib. de Divin. I.

Postumos nepotes instituendi.

FILIUS MEUS *heres esto. si filius meus me vivo moriatur, tunc si quis mihi ex eo nepos sive quæ neptis post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus nata erit, heredes sunto.* Scævola ex C. Aquilio, l. *Gallius*. 29. De lib. & postum.

Regis ab Interrege rogandi.

QUOD BONUM, *faustum, felixque sit, Quirites, regem create. ita patribus visum est. patres deinde, si dignum, qui secundus a Romulo numeretur, crearitis, auctores fient.* Ex Livii lib. I.

Regis inaugurandi.

JUPITER PATER, *si est fas hunc Numam Pompilium, cujus ego caput teneo, regem Romæ esse, uti tua signa nobis certa acclarassint inter eos fines, quos feci.* Ex Livii lib. I.

Relegandi.

ILLUM PROVINCIA *illa insulisque eis relego: excedereque debebit intra illum diem.* Ex Ulpiano in l. 7. §. *His qui*. D. de interd. & releg.

Replicationis.

AUT SI *mihi mandatum est, ut a te peterem.* l. *Itaque*. 48. De procurat.

AUT SI *res judicata non sit*. l. 24. De except. rei jud.

AUT SI *damnatione interposita secundum decretum vendiderit*. l. *Consilio* 7. D. de curat. fur.

Repudii.

CONDITIONE *tua non utor*. ex l. II. D. de divort. & repud.

Rogandi judicis.

ITAQUE præclarum a majoribus accepimus morem rogandi judicis, si eum teneremus: QUÆ SALVA FIDE *facere possit*. Hæc rogatio ad ea pertinet, &c. Cic. lib. De offic. III.

Rogationis Atiliæ.

OMNES CAMPANI, *Attelani, Calatini, Sabatini, qui se dediderunt in arbitrium ditionemque populi Romani Fulvio proconsuli, quæque una secum dediderunt, agrum urbemque, divina humanaque utensiliaque, sive quid aliud dediderunt: de his rebus quid fieri velitis, vos rogo Quirites.* Plebs sic jussit: *Quod senatus maxima pars censeat, qui assidetis, id volumus jubemusque.* Ex Livii libro XXVI.

Rogationis de tribunitio magistratu.

SI TRIBUNOS PLEBIS DECEM *rogabo, si quos minus bodie decem tribunos plebis feceritis: hi tum, quos sibi collegas coaptassint, ita illi legitimi eadem lege tribuni plebei sint, ut illi quos hodie tribunos plebei feceritis.* Ex Livii lib. III.

Salutationis matutinæ: Vespertinæ:

AVE. SALVE. Dio Cassius in Adriano.

Salutationis patris patriæ.

QUOD BONUM *faustumque sit tibi, domuique tuæ, Cæsar Auguste, senatus te consentiens cum populo Rom. consalutat patriæ patrem.* Ea Valerius Messala usus traditur a Sueton. in Augusto.

Salutationis in epistolis.

Seneca libro epist. II. epist. XV. *Mos antiquis fuit, usque ad meam senatus ætatem, primis epistolæ verbis adjicere, Si vales bene est: ego valeo. Recte & nos dicimus, Si philosopharis, bene est*, &c.

Salutationis in epistolis Impp. re bene gesta.

Si vos liberique vestri valetis, bene est. Ego quidem & exercitus valemus. Xiphilinus in Adriano, & in epist. Cicer. passim.

Sacrificii porcæ præcidaneæ ante messem.

Priusquam messem facies, porcam præcidaneam hoc modo fieri oportet. Cereri porca præcidanea, porcam fœminam, priusquam hasce fruges condantur, far, triticum, ordeum, fabam, semen rapicium, thure, vino, Jano, Jovi, Junoni præfato. Priusquam porcam fœminam immolabis, Jano struem commoveto sic: JANE PATER, *te hac strue commovenda bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi liberisque meis, domo familiæque meæ mactus hoc fercto. Fertum Jovi moveto, & mactato sic:* JUPITER TE *hoc fercto obmovendo bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi liberisque meis, domo familiæque meæ mactus hoc fercto. Postea Jano vinum dato sic:* JANE PATER, *uti te strue commovenda bonas preces bene precatus sum, ejusdem rei ergo macte vino inferio esto. Postea Jovi sic:* JUPITER, MACTE *fercto*

esto, macte vino inferio esto. Postea porcam praeci- A
daneam immolato. Ubi exta projecta erunt, ita Jano struem commoveto, mactatoque item uti prius obmoveras. Jovi ferctum obmoveto, mactatoque ut prius feceras. Item Jano vinum dato, & Jovi vinum dato, ita uti prius datum fuit ob struem obmovendam, & ferctum libandum. postea Cereri exta & vinum dato. Ex Catone De re rust. cap. CXXXIV. apud quem tamen MACTUS perpetuo legendum, locus ille ex libro Arnobii contra gentes VII. significare videtur. Operæ pretium est verba ipsa depromere, quibus cum vinum datur, uti ac supplicare consuetudo est: *Mactus hoc vino inferio esto. Inferio*, inquit Trebatius, *verbum ea caussa est additum, eaque ratione* B
profertur: ne vinum omne omnino quod in cellis atque apothecis est conditum, ex quibus illud quod effunditur, promptum est, esse sacrum incipiat, & ex usibus eripiatur humanis.

S. C. quo quid consulibus mandatur.

DONATUS in Adelp. Terent. *Fac sis Sostrata.* SIS, inquit, *honorifice additur verbo, ne quod imperativo modo pronunciatur, superbum sit. deductum est autem a senatusconsulti formula. ubi enim aliquid senatus consulib. injungit, addit:* SI EIS VIDEATUR. Hæc ille. Et est hic observatum a Cicerone in illis S. C. quæ in Philippic. legimus. ut Philip. IX. *Utique C. Pansa, A. Hircius coss. alter, ambove, si* C
eis videbitur, quæstoribus urbanis imperent, &c.

Senatusconf. scribendi.

QUID DE EA *re fieri placeret, de ea re ita censuerunt.* Cœlius in epist. fam. 7. alibi persæpe.

Senatusconsulti summi.

VIDEANT CONSULES *ne quid respub. detrimenti accipiat.* Sallust. Catil. Cic. in Catil. Livius lib. III. *Tantumque terrorem incussere patribus, ut (quæ forma senatusconsulti ultimæ semper necessitatis habita est) Postumio alteri consulum negocium daretur: Videret, ne quid resp. detrimenti caperet.*

Sententiæ in perduellionis damnatum ferendæ. D

I LICTOR, *colliga manus, caput obnubito, infelici arbori reste suspendito.* Cicero pro C. Rabirio. Liv. lib. I. Agel. lib. XII. cap. III.

Sententiæ in damnatos pronunciandæ.

LICTOR ADDE *virgas, & in eum lege agito.* Liv. lib. XXXVI.

Sententiæ per tabellam ferendæ.

IN caussis majoribus judices in cistam tabellas conjiciebant suas, easque insculptas literas habentes, A. absolutionis, C. condemnationis; cum de alicujus capite agebatur, N. L. ampliationis. his enim literis significabant non liquere. Pedian. in Divinat. De formula N. L. Cicero in Cluent. E

Sententiæ in privatis litibus pronuntiandæ.

CICERO lib. De finib. II. *Privatarum litium judices sumus. nihil enim possumus judicare, nisi quod est nostri judicii. in quo frustra judices solent, cum sententiam pronuntiant, addere,* SI QUID MEI JUDICII EST. *Si enim non fuit eorum judicii, nihilo magis, hoc non addito, illud est judicatum,* &c.

Sententiæ pronunciandæ.

CUM *constet Titium Sejo ex illa specie quinquaginta, item ex illa specie viginti quinque debere: idcirco L. Titium Sejo centum condemno.* Ex l. 1. D. quæ sent. sin. appel. Item: *Non liquet: si quando* F
obscura caussa videbatur, privati judices id jurabant. Agell. l. XIV. cap. II. & l. *Pomponius*. D. de re judic.

Sententiæ pronunciandæ.

FECISSE VIDERI. Cic. pro Cæcina, Verrina 3. De finibus 2. & aliis locis innumeris. itemque alii complures.

Sponsionis.

QUOD A *Flavio abstulero, partem dimidiam inde Roscio me soluturum spondeo.* Ex Cic. orat. pro Q. Roscio.

Sponsionis in judicio.

NI TE *Apronius in decumis socium esse dicat.* Ex Verrina V.

Sponsionis in arbitrio.

NI VIR BONUS sit. Cic. lib. III. Offic.

Stipulationis in emptione suum.

ILLASCE *sues sanas esse, habereque recte licere, noxisque præstare, neque de pecore morboso esse, spondesne?* Var. lib. II. cap. IV.

Stipulandi.

SPONDES? *spondeo. promittis? promitto. fidejubes? fidejubeo. dabis? dabo. facies? faciam.* Justinianus §. 1. verb. oblig.

Stipulationis in caprarum emptione.

ILLAS *capras hodie recte esse, & bibere posse, habereque recte licere, hæc spondesne?* Ex Varr. libr. De re rust. II. cap. III.

Stipulationis in ovium emptione.

Cum emptor dixit, TANTI SUNT MIHI EMPTÆ? *& ille respondit,* SUNT, *& expromisit numos, emptor stipulatur prisca formula sic:* ILLASCE *oves, qua de re agitur, sanas recte esse, uti pecus ovillum, quod recte sanum est extra luscam, surdam, minam id est, ventre glabro; neque de pecore morboso esse, habereque recte licere: hæc sic recte fieri spondes?* Ex Varr. lib. De re rust. II. cap. II.

Stipulationum in boum aut juvencorum emptione.

EOS *cum emimus domitos, stipulamur sic:* ILLOSCE *boves sanos esse, noxisque præstari? Cum emimus indomitos, sic:* ILLOSCE *juvencos sanos recte, deque pecore sano esse, noxisque præstari spondesne?* Varr. lib. II. cap. V.

Testamenti nuncupati.

Tabulas testamenti testator tenens ita dicit: HÆC UTI *in his tabulis cerisve scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor. Itaque vos Quirites testimonium præbitote.* Ex Ulpiani regul. tit. 20.

Testimonii dicendi.

Majorum hæc fuit diligentia. Voluerunt ut qui testimonium diceret, ARBITRARI *se diceret, quod ipse vidisset.* Cic. Academic. 2. Idem pro Fontejo: *Primum illud verbum consideratissimum nostræ consuetudinis* ARBITROR, *quo nos etiam tunc utimur, cum ea dicimus jurati, quæ comperta habemus, quæ ipsi vidimus, ex toto testimonio sustulit.*

Templi concipiendi.

Varro lib. de lingua lat. VI. *Concipitur templum verbis, non iisdem usquequaque. In arce ita: Testaque meta sunto, quod ego eas relinquam, nuncupavero. Olla ver arbor, quicquid est, quod me sentio dixisse, templum tectumque: ferto in sinistrum. Olla ver arbor, quidquid est, quod me sentio dixisse, templum tectumque: ferto in dextrum. Interea concrecione, conspicione, cortumione, utique ea rectissime sensi.*

Vaticinii Martiani.

AMNEM *Trojugena Cannam Romane fuge, ne te alienigenæ cogant in campo Diomedis conserere manus. sed neque credes tu mihi, donec compleris sanguine campum: multaque millia occisa tua deferat amnis in pontum magnum ex terra frugifera, piscibus atque avibus, ferisque quæ colunt terras, iis fiat esca caro tua. nam mihi ita Jupiter fatus est. Hostes Romani si expellere vultis, vomicamque quæ gentium venit longe, Apollini vovendos censeo ludos: qui quotannis comiter Apollini fiant, cum populus dederit ex publico partem, privati uti conferant pro se suisque. His ludis faciendis præerit prætor hic, qui jus populo plebique dabit summum. Decemviri Græco ritu hostiis sacra faciant. hæc si recte faxitis, gaudebitis semper, fietque res vestra melior. nam is Divus exstinguet perduelles vestros, qui vestros campos pascit placide.* Ex Livii lib. XXV.

Vestalis a Pontif. Max. capiundæ.

SACERDOTEM *Vestalem, quæ sacra faciat, quæ jus siet sacerdotem Vestalem facere, pro populo Rom. Quiritibus, uti quæ optima lege fiat, ita te Amata capio.* Ex Agellii lib. I. cap. XII.

Voti ob bellum cum rege Antiocho.

SI DUELLUM *quod cum Antiocho rege sumi populus jussit, id ex sententia senatus populique Rom. confectum erit: tum tibi, Jupiter, populus R. ludos magnos, dies decem continuos faciet, donaque ad omnia pulvinaria dabuntur de pecunia, quantam senatus decreverit. quisquis magistratus eos ludos quando ubique faxit, hi ludi recte facti, donaque data recte sunto.* Ex Livii lib. XXXVI.

Voti concipiendi.

TUO *ductu, Pythice Apollo, tuoque numine instinctus pergo ad delendam urbem Vejos: tibique hinc decimam partem prædæ voveo. te simul, Juno regina, quæ nunc Vejos colis, precor, ut nos victores in nostram tuamque mox futuram urbem sequare: ubi te dignum amplitudine tua templum accipiat.* Ex Livii lib. V.

Voti de vere sacro concipiendi.

VELITIS *jubeatisne hoc sic fieri? si res populi Romani Quiritium ad quinquennium proximum, sicut* A *velim eam, salva servata erit hisce duellis, datum donum duit populus Romanus Quiritium, quod duellum populo Romano cum Carthaginiensi est, quæque duella cum Gallis sunt, qui cis Alpes sunt: quod ver attulerit ex suillo, ovillo, caprino grege, quæque orphana erunt, Jovi fieri, ex qua die senatus populusque jusserit. qui faciet, quando volet, quaque lege volet, facito: quo modo faxit, probe factum esto. si id moritur, quod fieri oportebit, prophanum esto, neque scelus esto. si quis rumpet, occidetve insciens, ne fraus esto. si quis clepset, ne populo scelus esto, neve cui cleptum erit, si atro die faxit insciens, probe factum esto. si nocte sive luce, si servus sive liber* B *faxit, probe factum esto. si ante id ea senatus populusque jusserit fieri, ac faxit, eo populus solutus, liber esto. Ejusdem rei caussa ludi magni voti æris* CCCXXXIII. *millibus, triente: præterea bubus Jovi* CCC. *multis aliis divis bubus albis, atque ceteris hostiis.* Ex Livii lib. XXII.


Voti Pontificum.

PONTIFICUM VOTIS ANNUANT *dii Romanæ reipublicæ arcanaque morbis præsidia Apollinis jussu summa veneratione ex hoc Palladis sypho sacramenta libarunt, annuant, quorum risu Romano imperio regna cessere.* Ex antiquitatibus Romanis, capite decimo tertio.

F I N I S.

NICOLAI RIGALTII, ISMAELIS BULLIALDI, *ET* HENRICI VALESII OBSERVATIONES *DE* POPULIS FUNDIS.

Typographus Venetus Lectori.



NON ea ſolum ratione de *populis fundis* in ſubjectis obſervationibus agunt Cll. VV. Rigaltius, Bullialdus, & Valeſius, ut quoſnam illos intelligere voluerit Cicero in Oratione pro Cornelio Balbo inveſtigent; verum etiam expendunt, quo ſenſu Petrus Pithœus *Reges chriſtianiſſimos* aſſeruerit, *ſanctitatem Apoſtolicæ ſedis ſic comiter conſervare, quemadmodum Principes liberos decet, ſi non æquo jure, certe non ut dedititios, aut fundos*. Mentem porro Galli Auctoris varie interpretantur laudati Obſervatores, libertatibus, ut vocant, Gallicanis addictiſſimi. Quæ differunt ipſi præjudiciis occupati, prudenter accipiat Lector æquus, partiumque ſtudio expers: cætera vero ad illuſtrandos populos fundos, quos Romani vocabant, aptiſſima ſunt. Vale.

TYPOGRAPHUS PRIOR LECTORIS.



ETſi mei non ſit inſtituti has obſervationes commendare, quæ legentium quotquot erunt merebuntur calculum, cum certe lectiſſimorum triumvirorum qui eas ſcripſere, gloriæ aut pretio tenuitas mea quidquam addere non valeat, ſatis e re duxi, LECTOR, *te monuiſſe* CLL. VV. *Rigaltii, Valeſii, & Bullialdi de Populis fundis eſſe judicium: eos ſcilicet nominaſſe, laudaſſe eſt. Nihil ab illis ad eruditionem ornatumque omiſſum. Juriſperitiam politioris literaturæ, hiſtoriæ & antiquitatis acceſſione conſpicuam, aut firma argumentorum momenta deſideras? tot dotes felici vi & præſtantia ingeniorum liberaliter effuſas hæ obſervationes complectuntur. Quid igitur hic neceſſe fuerit præfari, miraberis: operis inſcriptio, quid intus lateat, abunde prodit. Ego tecum ſentiebam,* LECTOR, *niſi, ne pagellæ aliquod Typographicæ vacarent, quædam apponere e re putaſſem, hoc eſt, ut verba exararem: nullum quippe doctiſſimi Viri reliquere ſpicilegium. hæc itaque habe.*

Non eſt igitur cur verear, ne prologus enormior ſit quam fabula, cum tamen ex Chryſoſtomi ſententia præfatio ad propoſitam materiam libentius perducat, evidentioremque ejus præſtet intellectum. Non inutilem forte hanc exiſtimabis,

LECTOR, *si noveris difficillimum Ciceronis locum in oratione pro Cornelio Balbo his observationibus expendi, in quo id agitur, Ex fœderato populo civem Romanum fieri non potuisse, nisi is populus fundus factus fuisset. Tota vertitur controversia in explicatione hujus vocis, fundus, natum inde literatum eruditissimorum, in re tenui (ut videtur) dissidium. Propter quod tamen ne summos viros Philonis in Essenos reprehensioni obnoxios* λογοθήρας *arbitreris; Antistius Labeo veterum jurisconsultorum princeps Pomponio l. 2. de Orig. jur. & Papiniano lib. 5. quæst. Latinarum vocum origines rationesque percallens, hac præcipue scientia ad enodandos juris laqueos, Gellio teste lib.* XIII. *cap.* X. *utebatur, unde tantum sibi paravit nomen, ut ex ejus Posteriorum libris, trigesimo septimo videlicet Ulpianus, & trigesimo octavo Paulus dubiorum ex facto propositorum solutionem hauserint. Quare non immerito Diodotus apud Thucydidem pronuntiavit,* τὰς λόγους ὅστις διαμάχεται μὴ διδασκάλους τῶν πραγμάτων γίγνεσθαι, ἀξύνετός ἐστιν *Qui verba rerum doctores esse negat, amens est. Verbum fundus, Diodoti sententiam num probat, dum tot eruditis dissertationibus locum dedit? In sua nempe Cl. Rigaltius Petri Pithœi* τοῦ πάνυ, *de cujus gloria quidquam dicere, minuere est, impugnat sententiam, quam capiti* VIII. *libertatum Ecclesiæ Gallicanæ inseruit, his verbis,* Reges Christianissimos Sanctitatem Apostolicæ sedis sic comiter conservare, quemadmodum Principes liberos decet, si non æquo jure, certe, non ut dedititios, aut fundos. *Ita ut Petrus Pithœus totius velitationis fundus, merito sit appellandus. Doctissimus Bullialdus Pithœi sensum apte & acute tuetur: Henricus Valesius æque Conciliorum Gallicanorum assertor acerrimus, ac Cl. Hadrianus ejus frater Monarchiæ nostræ dignissimus vindex a Pithœi partibus stat, licet in aliquibus a Bullialdo parumper dissentiat. Hæc observationum summa, quibus symbolam afferre an audebo?*

Δάφνις ἐγὼν ὅδε τῆνος ὁ τὰς βόας ὧδε νεμῶν,
Δάφνις ὁ τὼς ταύρως, καὶ πόρτιας ὧδε ποτίσδων.

Immo non audebo, sed liceat cum tantorum virorum bona venia me principibus permixtum agnoscens Achivis non inglorius χάλκεα χρυσέοις *miscere.*

Populus fundus factus dicitur, dum alterius populi legibus quas adsciscit, se adstringit. De hac descriptione populi fundi apud auctores constat, unde Cl. Pithœi sensum sic eruo, ut velit; Reges Christianissimos nullius Pontificiæ legis, aut decreti adscitores aut fundos (ut ex capitis VIII. *contextu liquet) immo nec obedientiæ filialis, quam non necessario, sed sponte, & secundum Canonem* XLI. *Synodi Meldensis* libera libertate *præstant, mera gratia & pietatis intuitu, quo Reipublicæ Christianæ caput summum Pontificem agnoscunt, nullo obligationis aut pactionis nexu mancipati. Quod enim ad illa verba spectat,* Comiter Apostolicæ sedis majestatem conservantes, *etsi Cujacius observationum libro* XL. *cap.* XXIII. *Ælii Galli locum de Postliminio apud Festum restituens:* Quæ nationes in ditione nostra sunt, cum his postliminium non est, *scribat, Nam & hi fœderati sunt, & ii opinor qui majestatem nostram conservare jussi sunt; nunquam tamen adducar, ut credam in eo sensu rerum nostrarum peritissimum Pithœum hæc verba usurpasse. Liceat sanius ominari, quippe nostri, ut cum Floro loquar, immunes Imperii sunt, & reverentiam sedis Apostolicæ tuentur solum & retinent, quam ut exprimeret Pithœus, dum ejus santitatem comiter conservare dixit Reges nostros, hoc unum innuere voluit, quod Memmius in oratione apud Salustium, Reges nostros sedis Apostolicæ majestatem constituere, id est, labantem confirmare dignitatis venerationem, atque amplitudinis existimationem: quæ quidem tot historiarum monumentis in confesso sunt, ut probationibus non egeant. Quare in his verbis nullam inesse reprehensionis causam omnes æqui judices*

arbitrabuntur , cum præcipue , ſi de Pontificiis legibus hæc verba intelligas , Pithœus in præfatione collationis legum Moſaicarum Ill. Chriſtophoro Thuano dicata , ſui ipſius interpres , mentem dilucide explicans ſcripſerit , Nos Romanarum legum majeſtatem ſic comiter conſervare , ut tamen illis nihil in nos licere patiamur , niſi quod earum rationi & æquitati , non auctoritati & ſanctioni concedimus.

Supereſt ut fundi nomen excutiamus , an quid infauſtum portendat , (licet in explanando Ciceronis loco ſubtiles adeo viri doctiſſimi , ut multijugam eorum lectionem nihil fugerit , aut ſi quid eſt , fatendum conſulto omiſiſſe .) Cujacius ad legem 211. *de Verbor. ſignif. notat leges , quæ loquuntur de fundo , ſæpe porrigi ad ædes , quæ tamen in lege non appellantur , fundique appellatione contineri omne prædium ut in legibus* XII. *Tabularum , additque , id fieri , quia augemus ſignificationem , qui mos eſt Juriſconſultorum . Hinc quoque apud Plautum , Feſtum , Gelliumque , fundus auctorem deſignat , & apud Græcos numeri* πυθμένες *dicuntur in Arithmeticis minimi eorum qui ſunt in eodem* λόγῳ *ex quibus cæteri* λόγοι *oriuntur ; hos Latine vertit Bullialdus fundos in Theone Smyrnæo , quem publico donavit* τῶν κατὰ μαθηματικὴν χρησίμων εἰς τὴν τοῦ Πλατώνος ἀνάγνωσιν .

A varia fundi ſignificatione ad ejus notationem procedens , fundus ſi Grammaticorum adimus promptuaria Eutychi lib. II. *de diſcern. conjug. a verbo fundo nomen fundus , id eſt , ager , derivatur , quod fundit nobis fructus : Varroni ager , quod videbatur pecudum ac pecuniæ fundamentum , fundus dictus , aut quod fundat quotannis multa : auctores vero finium regundorum fundum deſcribunt , quod in eo fundatur ac ſtabilitur patrimonium . Nova inde ſubit animum cogitatio , novam e Pithœi verbis haurire explicationem . Cum aſſerat ſcilicet Reges noſtros majeſtatem ſanctæ ſedis comiter conſervare , non ut dedititios , aut fundos , his inſinuaſſe , ſedem Apoſtolicam ita coli a Regib. noſtris , ut hinc eos dedititios aut vectigales ſedis Apoſtolicæ quis autumari non debeat . Fundos enim recte conjunxit dedititiis , ut ſervile quidquam omnino amoliretur . Dedititiorum quippe conditionem peſſimam nemo neſcit , vectigalium populorum & provinciarum triſtem & indecoram agnoſcet quiſquis Hiſtoriæ & Antiquitatis ſciens . Reſtat ut firmandæ ſententiæ fidejuſſores advocem , ne nimium mihi videar adſcribere . Alciatus literatiſſimus Jureconſultus parergωn lib.* I. *cap.* XIV. *fundos populos , pro vectigalibus dici cenſet . Ex fœderatis , inquit , quorum ager juris Romani cenſebatur , populi fundi ideo dicuntur , ut Cicero oratione pro Cornelio Balbo declarat . Opinioni noſtræ adſtipuletur ſolus Alciatus , tanti viri tamen auctoritate fretus , ejus ſectatorem me profitebor , habita nempe ad nominis fundi notationem ratione ſic opinatus eſt , ut & in eo etiam ſenſu Plautum in Truculento Act.* IV. *Scen.* II. *verſ.* XV. *fundi verbum accepiſſe non dubito . In ea ſcena , Poeta Aſtaphium ancillam meretricis Phroneſii Dinarcho ejus amaſio loquentem inducit , cui reſtitrix ſit , ne intromittatur . Cauſas repulſæ dum ſtupens Dinarchus opperitur , unam & decretoriam quidem ſubdit Aſtaphium , ſi qui haud nobis uſui eſt , nobis moleſtus , unde cum Phroneſium integrum & plenum adorta eſt theſaurum , Strabacem ſcilicet ruſticum adoleſcentem qui refert nummos & intus bolos dat . quapropter aliis fores occludit : nam*

Solus ſummam habet hic apud nos , nunc is eſt fundus nobis.

Non aliter verſum hunc explicabis , niſi fundus vectigal ſeu πρόσοδον *ſonet . Eegebat nempe Phroneſium , quæ follem Strabacis excutiendo eum fundo qui tributum pendet comparat , quia e Strabace pecunias largiente , ut e fundo , penſitationem colligit , quam loquendi formulam Romanæ linguæ lex Plautus , ſynecdochice uſurpavit . Pithœus itaque Reges noſtros , non ut fundos recte dixit ,*

id est, non ut tributarios, stipendiariosque, de quibus Cæsar lib. I. *de bello Gallico & Cicero lib.* III. *de legibus.*

Manum jam de tabula, nimis ausus in his excurrere, sed audaciam Typographo condonabis, LECTOR, *fatenti fundum non esse rebus tam eruditis. Par est igitur, ut Petri Pithœi locum, qui doctissimorum Rigaltii, Bullialdi, & Valesii observationes formavit, tibi exhibeamus. En lege, perlege.*

M. PIERRE PITHOU

au Traité des liberté de l'eglise Gallicane. chap. VIII.

LEs Rois Tres-Chrétiens ayants exposé, non seulement leurs moyens; mais aussi leurs propres personnes, pour mettre, restablir, & maintenir les Papes en leur Siege, accroître leur patrimoine de tres-grands biens temporels, & conserver leurs droits & authorité par tout, les ont toûjours reconnus pour Peres spirituels, leurs rendant de franche volonté une obeïssance non servile, mais vraiement filiale, & (comme disoient les anciens Romains en chose non du tout dissemblable) *Sanctitatem Apostolicæ sedis sic comiter conservantes, quemadmodum principes liberos decet; si non æquo jure,* (comme il faut confesser, qu'és choses spirituelles il y a preeminence & superiorité de la part du Saint Siege Apostolique) *certe non ut dedititios, aut fundos.*



O B S E R V A T I O

D E

P O P U L I S F U N D I S.


De ſtatu ſive conditione populorum qui fundi facti eſſe dicebantur lege Julia de civitate Romana.

NICOLAUS RIGALTIUS

Eximio Fratrum pari,

PETRO ET JACOBO PUTEANIS

S. D.



NON ſeparabo, quos ejuſdem ſanguinis honos, idem virtutis amor, eadem ſtudia tam bene junxere; quibuſcum ego ab iſtius ſæculi fere principio conjunctiſſime vixi. De Petro Pithœo ſcripturus aliquid, quod ab tanti viri ſententia vel minimum recedere videatur, non potui fidelius aut innocentius tradere poſteris, quam veſtro prius examini permiſſum. Et juvat meminiſſe dictorum, quæ nos inter olim ſuper hiſce rebus familiari colloquio miſcebamus. Etenim, Pithœi quidem ætate, nemo regnorum jura, nemo veteres Eccleſiæ ritus, nemo Gallicana Romanos erga Pontifices ſtudia, Pithœo curioſius collegit, nemo prudentius oſtendit, nemo proinde Thuani auguſtiſſimi ſuffragia magnificentiora commeruit. Hodie vero, nullibi ſuavius, quam apud vos Pithœi genius adquieſcit: nullibi tam præſentes quam in veſtra bibliotheca ſummi viri manes obſervantur. Itaque pace imprimis Thuani, nam alias neque veſtram, neque ipſius adeo Pithœi ſperarem; pace, inquam, veſtra, pace Pithœi dixerim, apparet in opuſculo ſane pulcherrimo nævus. Catalogo ſcilicet libertatum eccleſiæ Gallicanæ, lingua noſtra vulgari compoſito, poſteaquam regum noſtrorum erga Romanæ ſedis antiſtites pietatem & beneficia maxima laudavit, Latina quædam de Ciceronis oratione pro Balbo, ſic ad eccleſiæ Romanæ præſtantiam aptata citat, ut ſignificet eccleſiæ Gallicanæ Reges ſanctitatem ſedis Apoſtolicæ comiter conſervare, quemadmodum principes liberos decet; ſi non æquo jure, (nam divina præferri debere fatetur humanis) certe, non ut dediticios, inquit, aut fundos. Fundos ecce populos dediticiis adjungit, triſte aliquid deprecaturus ac ſervile; contrarium libertati. Et dediticiorum quidem conditionem peſſimam fuiſſe tradunt juris auctores; haud meliorem illa ſtigmaticorum, malæ mentis hominum, qui ſunt aliquid auſi tyrannicum. Dicemuſne, ab dediticiis iſtis deſcenſionem fieri ad populos fundos, quaſi ad deterrimæ tandem ſortis mortales? Atqui tota illa pro Balbo Tullius hoc pertendit, ut populos fundos commune vocabulum eſſe doceat populorum Romani populi amicorum, fœderatorum, & nihilominus liberorum. Et noctium Atticarum commentarius decimus ſextus apertiſſime declarat fundos populos eſſe municipes, cives Romanos in municipiis legibus ſuis viventes, & ſuo jure utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes, ab eoque munere capeſſendo appel-

A lari municipes: nullis aliis neceſſitatibus, neque ulla populi Romani lege adſtrictos, ni in quam populus eorum fundus factus eſt. Sic habentur extrema iſta Gellii verba in libro Carrionis rectiſſime; cum eoque libro facit alter ille, quem vos nuper in bibliotheca regia, me rogante, officioſiſſime inſpexiſtis. Erant igitur in Romana ditione municipes liberi, nullis populi Romani legibus alligati; niſi in aliquam forte legem Romanam populus eorum fundum ſe fecerat. Tunc enim dicebatur fundus ei legi, ſive in eam legem quam adſumſerat, quam ſententia ſua comprobaverat. Etenim leges habebat ſuas & propria ſibi jura quæ cognata & coorta ſe- B cum, in ipſis municipum mentibus tanquam in fundo reſederant, & ipſa radicibus nitebantur ſuis; & ſi quædam certe illorum eſſent conſimilia Romanis, non de Romanis tamen, ſed de publico ſenſu, ſumta: adeoque ipſe populus erat legum ſuarum fundus. Nam & ager in quo pedem poſuerat exoriens populus, quia videbatur pecudum ac pecuniæ eſſe fundamentum, fundus eſt appellatus. Hoc adſerit Varro, & legis auctorem alicujus ſive ſententiæ ſubſcriptorem Cornelius Fronto factum eſſe dicit legis & ſententiæ fundum. Ut jam hinc tota iſta quæſtio de ſchemate veniat, ſive formula lo- C quendi figurata paulatim ſeſe ad populi arbitrium flectente. Sic populos fundos fieri ait Feſtus rei quam ſe alienare teſtantur; & in Plautina fabula trinummo, filio ſpondenti pater accedit fundus potior, cui nimirum, ut majori domino, tutius credatur, quam filio. Tale autem forte an fuerit legis Juliæ de Romana civitate caput, quantum ex Marco Tullio colligimus: *Ex fœderato populo quemquam fieri civem Romanum, niſi is populus fundus factus fuerit, non placere*. Vel potius in hunc modum: *Qui fundi populi facti non erunt, civitatem ne habeant*. Qua certe formula, legis iſtius latorem fundi vocabulo ſervile quicquam, vel indignum liberis cervicibus D jugum induere voluiſſe, non eſt putandum. Hoc vero tantum caviſſe, ne quis ex municipio ſingillatim civitate Romana donaretur, niſi municipalis ille populus alienandi municipis ſui fundus, id eſt, auctor fieret, confectiſque ſuper ea re tabulis ſubſcriberet; non aliqua pactione fidejuſſoria nexus, quod Pithœus exiſtimaſſe videtur, ſed, quemadmodum diximus, tamquam auctor & moderator; beneficii ſive honoris aliunde collati, ſi non diſpenſator, certe arbiter & comprobator. Adverſus hanc legem feciſſe Pompejum criminabantur accuſatores Balbi, donato civitate Cornelio Balbo Gaditano de conſilii ſive ſenatus Pompejani ſententia. Itaque objiciebant, Balbum vitio factum fuiſſe civem Ro-

manum, populo Gaditano non poſtulante: exceptum fuiſſe fœdere, ne quis e Gabibus civitatem mutaret: populum Gaditanum non fuiſſe fundum; non laudatorem aut procuratorem adipiſcendæ civitatis Romanæ: eoque facto violatam fuiſſe populi Romani majeſtatem, neglectas fœderis Gaditani leges. Refellit objectionem Cicero: negat ullo fœdere impediri jus civitatis mutandæ. Hæc enim eſſe fundamenta firmiſſima libertatis, ire quo libeat: ſui quemque juris & retinendi & dimittendi eſſe dominum: Gaditanos multis annis antequam Balbus in judicium ob civitatis mutationem vocaretur, hoſpitium cum ipſo Balbo feciſſe publice; denique, re multo ante hoc judicium Gadibus audita, fore ut Balbo periculum crearetur, graviſſima in civem ſuum accuſatorem Balbi ſenatus conſulta feciſſe; deprecatores pro ipſo miſiſſe Romam. Poſthæc omnia concludit Tullius interrogando: *Potuit magis fundus populus Gaditanus fieri, ſi tum ſit fundus, cum ſcita ac juſſa noſtra ſua ſententia comprobat, quam cum hoſpitium facit?* Hæc procul dubio monſtrant, fundorum populorum ſtatum, nullatenus æquiparandum eſſe dediticiis. Immo fundorum appellatione populorum ſignificari liberos, cives ſui juris, ſuæque ſpontis; cum in pleriſque hujuſcemodi conditionis civitatibus magna pars juris ſui libertatem civitati Romanæ anteferret. Sic apud Livium tribus Hernicorum populis, quia maluerant, quam civitatem, ſuæ leges redditæ, & Præneſtini civitate ob virtutem donati, non mutavere. Hoc igitur exemplo ſapiunt Galli, qui ſalva ſemper Sedis Apoſtolicæ ſanctitate adverſus ambitioſas monarchiæ Romanæ molitiones opponunt Eccleſiæ Gallicanæ priſtina ſcita ſua, ſive jura, ſive juſſa. Sic fundi populi ſumus, non dediticii, ſed liberi, ſed fœderati, ſed amici; Chriſtianæ libertatis municipes. Quod ad conſervandam populi Romani majeſtatem attinet, præclare Tullius ait, legislatoris verba jubentia magis eſſe quam ſpondentia fecialis; & in ſuperiori conditione cauſſaque poni, cujus majeſtas fœderis ſanctione defenditur. Atque hoc fœderibus adjici docet Proculus, ut intelligatur, alterum populum ſuperiorem eſſe; non ut intelligatur, alterum non eſſe liberum; probatque exemplo clientium, quos etſi habeamus in clientela noſtra, liberos tamen eſſe haud infitiamur: ſic eos qui majeſtatem comiter conſervare debent, nihilominus liberos eſſe pronunciamus. Sane, quotquot ubicunque degimus vere Chriſtiani, religioni ducimus iſthæc Romæ profanæ ſcita rebus accomodare Chriſtianis. Et Pithœus noſter hoc ipſo de libertatibus eccleſiæ tractatu, majeſtatem regibus ſic ſervat, ut non alteri communicet poteſtati; ſed Apoſtolicæ Sedis ſanctitatem, pro majeſtate, comiter ab ipſis etiam regibus conſervandam eſſe ſuadeat. Verum eccleſia ſeſe ab ſæculo ſpernit procul. Hoſpitium habet in ſæculo, ſubjecta ſecularibus tantiſper. At municipatum ſuum in cœlis eſſe didicit & ſperat, & magiſterio Pauli ſecura credit; præſaga futurorum, majeſtatem domini protegentis fideliſſime conſervat.

Hæc de populis fundis obſervanti mihi, ſunt interviſa quædam non injucunda ſcitu; ſed in hunc dilata locum, ne propoſiti ſeries turbaretur interjectis. Primum illud fuit, hoc de civitate Romana judicio Balbum ſibi grave ſenſiſſe periculum, cui propulſando tam graves adhibuerit defenſores, Pompejum quidem, adeoque ipſum Ciceronem. Noſtis elogium: Hominem occiderit oportet, qui te patrono utatur. Pompejus certe Balbum de fortunis omnibus ita dimicaſſe ait, ut nullius in delicti crimen vocaretur. Enimvero grave fuit præſtanti viro cauſam dicere de jure virgarum, & ſervavit Cicero, quem Pompejus fecerat, civem; cujus nepoti triumphum fata ſervabant. Magni ergo ponderis fuit iſtud conſervandæ civitatis judicium, quo ſcilicet agebatur de beneficio Porciæ legis, quæ virgas a corpore civium Romanorum, teſte ipſo in Rabiriana Tullio, amoverat, in Gaditani municipii virum excellentem collato, quod beneficium pro ſcapulis & tergo fuiſſe dicit Cato in oratione contra M. Cœlium, ubi ſe multos cives prohibuiſſe injuria verberum gloriatur. Ideoque Plinius Secundus, naturalis hiſtoriæ volumine ſeptimo, inter exempla varietatis fortunæ poſuit Balbum huncce Gaditanum. Qui Plinii locus alterum hic conſtituet articulum prætermiſſorum obſervatione ſupra currente. Hæc vero ſunt auctoris doctiſſimi verba in editione illa Pariſienſi, ſtudio Petri Daneſii, quem ſub Bellocirii nomine latere monuit Æmarus Ranconetus, emendata: *Fuit & Balbus Cornelius major, conſul; ſed accuſatus, atque de jure virgarum in judicum conſilium miſſus, primus externorum, atque etiam in Oceano genitorum, uſus illo honore, quem majores noſtri Latio quoque negaverunt.* Accuſatum fuiſſe ait Plinius, non quaſi civitatem ſuffuratus eſſet, verum quia Gaditanus, & ad ſuos Gaditanos reportandus; miſſum vero in judicum conſilium. & eſt pro ipſo Ciceronis oratio ad judices. Majorem præterea dicit, quia patruus erat alterius Cornelii Balbi, qui aliquot annis poſt accuſationem, de Garamantibus triumphavit. De quo etiam Strabo: ΒΑΛΒΟΣ Ο ΘΡΙΑΜΒΕΥΣΑΣ. & ipſe Plinius, volumine quinto: *Uno omnium externorum curru & Quiritium jure donato.* Currum dicit, triumphalem. Quiritium jure, quia cum Balbo majore, patruo, in civitatem venerat. Hujuſce Balbi junioris ſupra fidem humanam temeritate notata, Vellejus appoſuit: *Illis incrementis fecit viam, quibus non Hiſpaniæ ſuæ natus, ſed Hiſpanus, in triumphum & pontificatum adſurgeret.* Sic edidit Lipſius. At in editione Rhenani: *Quibus non Hiſpaniæ Gadibus natus, ſed Hiſpanus.* Unde facilis emendatio, repoſitis quæ tranſpoſita fuerant: *Illis incrementis fecit viam, quibus non Hiſpanus, ſed Hiſpaniæ Gadibus natus, in triumphum & pontificatum adſurgeret.* Quod certe indignationem augebat, honoris in exteros collati. quia magis extranei videbantur, qui non in Hiſpania geniti, ſed *in Oceano*, ut ait Plinius, VII. 43. *Gadibus extra orbem conditis*, lib. V. 19. quod explicat Vellejus, ubi de Gadibus: *Tyria claſſis*, inquit, *plurimum pollens mari, in ultimo Hiſpaniæ tractu, in extremo noſtri orbis termino, inſulam circumfuſam Oceano perexiguo a continenti diviſam freto, Gades condidit.* Valete ſuaviſſimi Puteani.

Faventibus vobis, hæc appendicula Gadibus etiam legatur. Gaditani gaudete. Habete poſt hæc, populi fundi, æquiorem & placatiorem Pithœum. Hadrianus quoque noſter ille Turnebus, quæ ſunt a Cicerone ad judices dicta pro vobis, omnium optime percepit. Quod etiam, pace clariſſimi Auguſtini veſtri Antonii, proditum velim. Dicite autem Puteanis gratias tantas, quantiplurimi vobis iſthæc obſervatio noſtra videbitur. Satis equidem mihi feciſſe arbitror, quod amicorum bene merentium deſiderio ſum obſecutus. Tulli Leucorum. M.DC.LI. Kal. Febr.

FINIS.

AMPLISSIMO AC ERUDITISSIMO VIRO

NICOLAO RIGALTIO

IN SUPREMA METENSI CURIA

CONSILIARIO REGIO,

ISMAEL BULLIALDUS S.P.D.



PERPOLITAM *ac eruditam observationem tuam de populis fundis nuperrime ad nos missam avidissime legi, ac relegi: cumque auctores tam antiquos, quam sæculo nostro proximos, qui de illis scripserunt, adiissem, quædam mentem subierunt, quæ scriptis mandare mihi visum est, & ad te transmittere, ut de illis sententiam feras. Eo animo scripsi, ut rem variantibus opinionibus obscuriorem factam, mihi clariorem redderem, simulque Petri Pithœi verborum sensum cognoscerem; non vero ut gloriolam, ex summis viris cuiquam contradicendo, mihi quærerem. Id qualecumque est, ut æqui bonique facias, & me semper ames, rogo. Vale.* Scrib. Lutetiæ Parisior. Maii xv. anno M.DC.LI.



LUCIUS CORNELIUS BALBUS civis Gaditanus a Cn. Pompejo civitate Romana donatus, civis Romanus factus fuerat. Legem enim tulerant L. Gellius, Cn. Cornelius Coss. ex senatus sententia, qua sancitum fuit, ut cives Romani ii essent, quos Cn. Pompejus, de consilii sententia, sigillatim civitate donasset. Accusatus fuit Balbus, & in judicium vocatus, quod Gadibus cum natus esset, Romanus civis a Cn. Pompejo factus fuisset: negabat etenim accusator, ex fœderato populo, nisi is populus fundus factus esset, quemquam potuisse in civitatem Romanam venire. Ridet Cicero hunc accusatorem, jurisque imperitum interpretem appellat, quod iste hanc pœnam fœderibus Romanis adscriberet, ut præmiorum beneficiorumque a populo Romano conferri solitorum, expertes faceret fœderatos. Quamobrem M. Tullius in hæc verba prorumpit: *Quid enim dici potuit imperitius, quam fœderatos populos fieri fundos oportere? nam non id magis est proprium fœderatorum, quam omnium liberorum.* Quæ periodus sic intelligenda est, nihil imperitius dici posse, quam fœderatos populos fieri fundos oportere, ut civitate Romana ex illis populis quispiam donaretur: nam non id magis est proprium fœderatorum, quam omnium liberorum: id est, ea conditione ac lege non tenentur magis fœderati, quam liberi, quos populos fundos fieri haud necesse est, ut ex ipsis aliqui civitate Romana donentur. Explicat deinceps Tullius, quinam sint populi fundi, ut falsam juris interpretationem submoveret: *Sed totum hoc, judices, in ea fuit positum semper ratione atque sententia, ut cum jussisset populus Romanus aliquid, si id adscivissent socii populi ac Latini, & si ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo tanquam in fundo resedisset, ut tum lege eadem is populus teneretur; non ut de nostro jure aliquid minueretur, sed ut illi populi aut jure eo, quod a nobis esset constitutum, aut aliquo commodo, aut beneficio uterentur.* Ex quibus verbis liquido constat, fundos populos factos fuisse socios vel fœderatos populi Romani, qui legibus Romanis, quas adsciverant, parebant, iisque utebantur. Quod accidere potuit duabus de causis, cum scilicet apud populos illos fœderatos vel socios nulla lex de re quapiam lata esset: vel cum ob utilitatem aliquam, patriam legem abrogabant socii, Romanamque adsciscebant. Cujus exemplum affert statim Tullius, Latinorum videlicet, qui leges Romanas voluerunt, adsciverunt. Caput deinde legis Juliæ recitat, quo civitas est sociis & Latinis data: *Qui fundi populi facti non essent, civitatem non haberent. In quo magna contentio Heracliensium & Neapolitanorum fuit, cum magna pars in iis civitatibus juris sui libertatem civitati anteferret.* Quo quidem capite legislator ad universitatem, non ad singulos respexit: præterea civitatis Romanæ jus illa formula ad pauciores restrinxit, ad populos nimirum fundos, ne forte, in omnes promiscue collato beneficio, præmia vilescerent, quæ solis benemeritis debentur. Et de populo quidem Romano benemeriti erant, qui leges ipsius adsciscendo obnoxios se tanto magis reddebant, earumque observatione in fide constantius manebant. Ad universitatem vero respexisse legis Juliæ caput, clarissime probant exempla a Tullio allata. In commune siquidem consultarunt Heraclienses & Neapolitani in suis civitatibus, conduceretne suis rebus, ut civitatem Romanam consequerentur, populos fundos fieri: dumque deliberant in contrarias sententias discedunt, plerisque juris sui libertatem Romanæ civitati anteponentibus. Non disputarunt autem, num alicui privato singularique civi in Romanam civitatem transire permitterent. Unde patet populos fundos factos fuisse juris sui libertatis, id est, αὐτονομίας amissione, & quasi alienatione; mutatis scilicet legibus propriis, ascitisque Romanis. Pergit Cicero, ut vim formulæ illius notam faciat: *Postremo hæc vis est istius & juris & verbi, ut fundi populi beneficio nostro, non suo jure fiant. Cum aliquid populus Romanus jussit, id si est ejusmodi, ut quibusdam populis sive fœderatis sive liberis permittendum*

esse videatur, ut statuant ipsi non de nostris, sed de A *suis rebus, quo jure uti velint: tum utrum fundi facti sint, an non, quærendum esse videatur. De nostra vero republica, de nostro imperio, de nostris bellis, de victoria, de salute fundos populos fieri noluerunt.* Docemur itaque in populi Romani potestate fuisse, alii populo concedere ac permittere, ut fundus fieret, & beneficii loco habitum. Extat certe apud Livium, lib. XL. A. U. C. 573. anno, exemplum concessi usus Latinæ linguæ Cumanis, A. Posthumio Albino, C. Calpurnio Pisone Coss. *Cumanis eo anno petentibus permissum, ut publice Latine loquerentur, & præconibus Latine vendendi jus esset.* Hi autem jam municipes facti erant anno ab B U. C. 538. L. Posthumio III. Tiber. Sempronio Graccho Coss. Si hunc Latinæ linguæ usum petere a reipub. Romana necesse fuit, sique petentibus concessus est; multo magis juris alicujus Romani usus petendus erat, quod ipsis utilius foret fœderatis. Eo porro jure, quod asciverant, utebantur, ut de suis, non de populi Romani rebus statuerent. Demum asserit Tullius, quærendum esse utrum fundi facti sint populi, si nimirum secundum Romanam legem vivere elegerint, num etiam hoc ipsis permissum sit. Noluerunt vero isti populi fundi facti, nec sibi proposuerunt de reip. Romanæ rebus quicquam statuere. C Ut vero ostendat accusatorem ignorare jus mutandæ civitatis, affirmat *non solum in legibus publicis positum, sed etiam in privatorum voluntate: jure enim nostro,* inquit, *neque mutare civitatem quisquam invitus potest; neque, si velit mutare, non potest, modo adsciscatur ab ea civitate, cujus esse se civitatis velit.* Hæc igitur fuit Ciceronis sententia, atque populi fundi appellatio eo sensu intelligenda ac ipse interpretatur. Accusator autem Balbi legi Juliæ fraudem faciebat, cum ad singulos referendo, quæ ad universitatem spectabant; tum Romanæ reipub. potestatem, in donanda civitate privatis hominibus, restringendo ad illas civitates & populos, qui D fundi facti fuissent, & civi in aliam civitatem transeundi auctores; quomodo leges suas adscitis Romanis commutarant. Mens siquidem legis Juliæ fuit, ut sociis & Latinis civitas daretur, & civitates eorum in Romanam civitatem transcriberentur: cæteris vero vel liberis populis fœderatisve Romana civitas negaretur, nisi populi fundi facti fuissent. Verumtamen, ut Tullius optime disserit, ea lege populus Romanus ex civitatibus sociorum atque amicorum fortissimos, propositis præmiis, eliciendi facultatem sibi non ademit. Neque etiam illius legis sensus fuit, ut nullum civitatis externæ civem in E Romanam adsciscere posset populus Romanus civitatem, nisi populus ille fundus factus fuisset. Utque probet ex lege Julia accusatorem in Balbum agere non posse, neque oportere populum fundum factum esse, ut ab ejus civitate in Romanam aliquis transiret, adnotat tunc solummodo id prohibitum fuisse Romano populo, quando fœderibus continebatur. Illius verba sunt: *At enim quædam fœdera extant, ut Germanorum, Insubrium, Helvetiorum, Japidum, nonnullorum item ex Gallia barbarorum, quorum in fœderibus exceptum est, ne quis eorum a nobis civis recipiatur. Quod si exceptio facit, ne liceat; ibi necesse est licere, ubi non est exceptum. Ubi est* F *igitur exceptum fœdere Gaditano, ne quem populus Romanus Gaditanum recipiat in civitatem? nusquam.* Quapropter neque de statu sociorum, qui populi fundi facti erant, agebatur; neque jus aliquod cives apud se retinendi illis, qui non erant, competebat, atque adeo vindicandi eos, si in Romanam civitatem transiissent; sed in potestate populi Romani beneficium dantis, & electione accipientis totum negotium versabatur. Ex prædictis etiam patet, qualis fuerit conditio populorum fundorum, qui sic appellati sunt, quia Romanas leges mutatis suis propriis invexerunt, vel retentis jus insuper aliquod Quiritium adsciverunt, quo utentes de rebus suis statuerent. Illi tamen formulæ nulla servitutis nota, nulla deditionis inerat: sponte siquidem legum Romanarum jugo se submittebant: neque illis populis hoc voluisse sufficiebat, nisi & populo Romano placuisset. Beneficium itaque accipiebant, non injuriam patiebantur populi fundi facti: causa eorum deterior non erat, commodum quin imo & utilitas ipsi accedebant.

De illa vero loquendi formula, *populus fundus, rei fundus,* jam differendum. Plautus in Trinummo scena penultima Lysitelem adolescentem de nuptiis verba facientem producit, & ut virginem Lesbonici sororem connubio sibi jungeret consilia agitantem. Absente Charmide virginis patre cum Lesbonico egerat, ut sibi nuptum daretur puella, etiamque indotata: negabat Lesbonicus indotatam sororem, turpe enim id ei videbatur, in matrimonium collocare velle, etsi dote numerata bonorum ipsi nihil reliqui esset. Cum ergo non expressis verbis despondisset sororem, peregre advenit Charmides puellæ pater, eumque convenire statuit Lysiteles, & talia verba loquitur:

Nunc mihi is propere conveniendus est, ut, quæ cum ejus filio
Egi, ei rei fundus pater sit potior.

Ubi verbum illud *fundus* pro *sponsore* est accipiendum: etenim res de qua agebatur, nuptiæ erant, & fundus potior ei rei quærebatur, id est, sponsor, qui jus despondendi haberet potius quam Lesbonicus, qui alius esse nequibat quam Charmides, in cujus potestate filia sua erat. Fundus etiam hic accipi pro auctore potest, quicum tutius nuptialia pacta & instrumenta conficiat Lysiteles. Et fundum pro auctore accipi etiam Festus docet: *Fundus quoque dicitur populus esse rei, quam alienat, hoc est, auctor.* Quæ verba ad contractum emptionis venditionis pertinent, & significant populum de evictione teneri, & emptori eam præstare debere, cum ipse venditionis auctor fuerit. Quæ formula usurpata quoque videtur, quamvis minus proprie, loquendo de populis illis qui jure Quiritium adscito ob aliquam utilitatem suam populi fundi facti sunt. Ut enim voluntarius contractus est emptio venditio, & consensu peragitur; ita voluntarius erat contractus eorum, qui sua jura ac leges quasi alienabant, & Romanis commutabant; ipsis enim eligentibus, & populo Romano permittente, populi fundi fiebant. Vi autem verborum illius formulæ fundos factos intelligere debemus, adscitis legibus Romanis earum observationi ita se obstrinxisse, ut αὐτονομία juribusque propriis, quæ alienaverant, uti amplius non possent, aut novas leges, inductis Romanis, scribere; ita ut, si quid ejusmodi ausi fuissent, fœderum violatorum, ac spretæ majestatis rei forent, pœnasque eo nomine dare tenerentur. Cum enim id beneficii loco habitum sit, nisi cum summa injuria, ac majestatis populi Romani contemptu, ab iis qui acceperant, leges Romanæ violari non poterant. Sed & Ciceronis interpretatio apertior est, nec huic tamen adversatur; fundus enim populus ideo appellari vult, quod in eo eadem lex, qua utebatur populus Romanus, tanquam in fundo resideret. Quibus verbis intelligit populos illos teneri, & legibus Romanis obligari, sicut fundus aut ager hypothecæ obnoxius, creditori oppigneratus, quique præs est optimus ac sponsor. Illos autem fundos populos ea fuisse conditione ex Gellio constat lib. XVI. cap. XIII. ubi de municipibus ac populis fundis ita disserit: *Municipes ergo sunt cives Romani ex Municipiis, legibus suis & suo jure utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes; a quo munere*

capes-

capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi Romani lege adstricti, ni in quam populus eorum fundus factus est. Patet itaque populum fundum factum necessitatibus obnoxium, & populi Romani legibus adstrictum fuisse: quibus etiam municipes populi fundi facti adstringebantur. Idemque Gellius lib.XIX. capite VIII. de legis fundo meminit, Frontonem sic loquentem faciens: *Sed hæc ego*, inquit, *dixi, non ut hujus sententiæ legisque fundus subscriptorque fierem, sed ut ne Cæsaris viri docti opinionem ἀπαραμύθητον destituerem.* Quibus, Frontonem sententiam suam mutare noluisse, ostendit, & Cæsaris opinioni adhærere; & metaphora usus est a populis legis fundis factis, qui mutatis propriis legibus, Romanas adsciscebant, iisque subscribebant. Quo loco neque a Cicerone, neque a se ipse dissentire mihi videtur, quod Pauli Manutii pace dictum volo, qui in argumento orationis pro Corn. Balbo ita de Gellio sentit. Sibi autem constare Gellium sic ostendere possumus; cum cap. XIII. lib.VI. verba faciat de illis, quibus populi fundi tenentur: posteriori vero loco modum explicet quomodo fundi legis fiant, mutando scilicet leges proprias, & externis subscribendo. Ex quo posteriori etiam loco debemus animadvertere, in illa loquendi formula, *populus fundus*, subintellectam fuisse vocem *legis*, quam Gellius exprimit.

Adrianus Turnebus Adversarior. lib. IV. cap.XII. Marci Tullii interpretationem approbat, ipsumque vere sincereque argumentari sine verborum captione asserit, & populum fundum ita dici existimat: *Quasi lex urbem Romam, in qua lata est, pro civitate habeat: populum illum, a quo est adscita, pro fundo quodam suo, ut in eo sedem ponat. Ita per translationem ea dicendi ratio auctoritatem significare cœpit.*

Paulus Manutius loco supra citato Ciceronem ut causæ suæ serviret sensum formulæ illius pervertisse dicit, & sic differit: *Tota caussa pendet a fœdere, id est interpretatione eorum verborum, ut populus fundus fieret. Aliter enim accusator, aliter ea Cicero interpretabatur. Accusator sic, fundum fieri populum, cum auctor esset ejus rei, quam alienaret: Cicero cum acciperet unam pluresve leges Romæ latas, ut iis legibus in posterum æque ac populus Romanus uteretur*, &c. Nescio quare Manutius fœderis Gaditani interpretationem a sensu verborum istorum, *ut fundus populus fieret*, dependere affirmet: cum Cicero dicat, in illo nihil aliud fuisse, nisi ut pia & æterna pax esset, quibus adjectum erat, quod non est in omnibus fœderibus, MAJESTATEM POPULI ROMANI COMITER CONSERVANTO. Quod etiam verbum, *comiter*, accusator perperam interpretabatur *communiter*. Ex Ciceronis oratione constat, accusatorem ex fœdere Gaditano L. Cornelium Balbum, ut ad civitatem propriam rediret, repetiisse; quod crederet, sine injuria Gaditanæ civitatis, ipsiusque imminutione ac detrimento, cives ex ea in Romanam elici non posse. Ex capite vero legis Juliæ, quod crederet, populum fundum fieri debere, ut ipsius auctoritate ex civitate sua aliquis in aliam transiret. Sed negat Cicero hæc fœdera ac jura ad civitatem pertinere, &, ut jam prædixi, pessime intelligebat accusator: nam civitas populus fundus fit juris Romani, vel legis alicujus quam accipit, & sic auctor est propriarum legum, a quibus recedit, alienationis: sed auctor necessarius non est, aut esse potest civi suo, ut civitatem sive volens, sive invitus mutet, ut manifeste probat Cicero.

Carolus Sigonius lib.I. cap.IV. de antiquo jure Italiæ, ex Plauto & Festo fundum interpretatur auctorem: *Ex quo*, ait, *translate populos fundos appellatos esse intelligere possumus, qui ipsi auctores essent, ut jure civili Romano se obstringerent, quomodo*
A *accepit accusator Cornelii Balbi*. Et Ciceronem affirmat aptius ad causæ victoriam, quam ad veritatis rationem locutum. Verum Sigonium hic mentem accusatoris assecutum esse dubito: non agebatur enim de legum Romanarum observatione, quæ ab aliis civitatibus, etiam antequam in Romanam transiissent, observabantur, sed de mutata civitate litem Balbo moverat accusator. Franciscus quoque Hotomannus Observatio. lib.II. cap.XIX. vult Ciceronem in ejus formulæ explicatione, & tempori & causæ serviisse, & legem de populi auctoritate exquirenda elusisse. illius verba sunt: *Neque rursus ob eam causam fieri fundus dicitur, quod in eo lex*
B *aliqua tanquam ædificium in fundo ponatur: sed quod civibus suis novo & adscito jure utentibus fundamento, id est, firmamento sit. item ut auctores sive patres, sive tutores, sive venditores firmamento esse solent aliis, qui eorum auctoritatem ita sequuntur, ut ea perinde nitantur, quasi ædificia fundo. Denique, ut rem verbo absolvam, hæc locutio non ad substantiæ aut qualitatis, sed ad relationis categoriam pertinet: quoniam cum dicimus populum esse fundum, hoc significamus civibus suis esse fundum, ut hoc illudve faciant: veluti ut se pro Romanis civibus gerant: ut illa populi Romani lege ac jure u-*
C *tantur. Tunc enim populus illis firmamenti loco est, quo tanquam fundamento nitantur. Estque cum iis, quæ superius dicta sunt, sane consentaneum, ut nulla res alicujus populi sine ipsius jussu atque auctoritate alienetur.*

Confundunt illi tres, Manutius, Sigonius & Hotomannus, juris legumque Romanarum in civitatem aliquam universitatis electione, consensu, ac auctoritate invectionem, cum civitatis mutatione ab aliquo singulari facta, quæ ambo distingui debent, ut luculenter rationibus multis Cicero judicibus probavit: in mediumque allato cum gentibus quibusdam fœderum exemplo, quibus exceptum e-
D rat, ne quis ex ipsarum civitatibus in Romanam civitatem reciperetur. Erat quidem populus fundus auctor civibus suis universis, ut jure Romano simul se obstringerent; sed singulis auctorem esse haud necesse fuit, ut civitatem mutarent, quoniam in singulorum potestate hoc situm erat. Unum equidem miror hosce tantos viros M. Tullium falsæ interpretationis insimulare, cum plana sit & aperta illius explicatio, validisque munita ac firmata argumentis. Hotomannus porro populum fundum fieri respectu civium intelligit: potius vero mihi videtur respectu legis ac juris, etiamque legislatoris, cui tanquam hypotheca obnoxius redditur, & cui, ut auctor, con-
E tractu voluntario obstringitur, intelligi debere; & ita locis citatis accepit Gellius. Fit enim fundus ejus respectu, cui se obligat, cui spondet, & cui leges ac jura data servare promittit.

Nunc ad amplissimi viri Nicolai Rigaltii sententiam, quam nuperrime in observatione de populis fundis protulit, accedamus. Ait vir eruditissimus tale fortassis fuisse legis Juliæ caput: *Ex fœderato populo quemquam fieri civem Romanum, nisi is populus fundus factus fuerit, non placere*. Vel potius in hunc modum: *Qui fundi populi facti non erunt, civitatem ne habeant*. Priori verborum formula caput le-
F gis Juliæ comprehensum fuisse credere non possum, cum Tullius integrum illud recitarit, in quo de singularibus privatisque hominibus nulla fit mentio; quodque, ut supra adnotavimus, ad civitates integras Romana civitate donandas attinet. Si posteriori modo scriptum fuerit caput, diversissimum præ se fert sensum: tunc enim ad universitates civitatum pertinebit, ad quas proculdubio respexit lex Julia. In sententiam porro Hotomanni concedit, cum municipalem populum auctorem, seu fundum illis fuisse asserit, qui singillatim civitate Romana donarentur; quod tamen sic se non habuisse

disputat Tullius. sed de illis supra satis. Ut autem de conditione populorum fundorum breviter dicamus, certissimum est liberos eos fuisse; neque vi adactos ut legibus Romanis, jure patrio abdicato, uterentur. Penes ipsos enim erat proprio connatoque jure uti: vel, si elegissent, Romano; hac tamen conditione, si populus Romanus ita permisisset, ut ejus, quippe superioris, majestas conservaretur, & beneficii loco secundum leges Romanas vivere, fœderati sociique, utpote inferiores, haberent.

Verba tandem eruditissimi Petri Pithœi, ut intellexisse ipsum puto, explicanda mihi sunt: *Sanctitatem Apostolicæ sedis sic comiter conservantes, quemadmodum principes liberos decet, si non æquo jure, certe non ut dedititios, aut fundos.* Transtulit Pithœus hanc loquendi formulam a rebus reip. Romanæ politicis ad nostras, quæ ad summos Pontifices ac Reges spectant: inter quas nec similitudo perfecta intercedit, nec dissimilitudo pariter ipsas penitus disjungit. Dicere equidem potuit Pithœus: *Sanctitatem Apostolicæ sedis sic comiter conservantes, quemadmodum principes liberos decet.* Quandoquidem ratione spiritualis regiminis oves pastore inferiores sunt, ejusque vocem audiunt, ut ipse Pithœus asserit: qui noverat illam verborum formulam fœderibus Romanis quandoque appositam, MAJESTATEM POPULI ROMANI COMITER CONSERVANTO, ut essent, qui conservare tenebantur inferiores. Id clare explicant verba leg. 7. §. 1. Dig. de captivis & de postlim. reversis: *Liber autem populus est is, qui nullius alterius populi potestati subjectus est. Item sive æquo fœdere in amicitiam venit: sive fœdere comprehensum est, ut is populus alterius populi majestatem comiter conservaret. Hoc enim adjicitur, ut intelligatur alterum populum superiorem esse, non ut intelligatur alterum non esse liberum: & quemadmodum clientes nostros intelligimus liberos esse, etiamsi neque auctoritate, neque dignitate, neque jure omnino nobis pares sunt; sic & eos qui majestatem nostram comiter conservare debent, liberos esse intelligendum est.* Differunt autem fœdera, quæ populus Romanus cum alio libero populo percutiebat, ab illis fœderibus, quibus Christianæ oves, ut filii, pastoribus suis, tamquam patribus, obstringuntur: sicut jus persequendi ac ulciscendi injurias a fœdifragis & perduellibus illatas longe distat a jure, quo patres spirituales commonefaciendo in filios sibi subditos ani-

A madvertunt. Conservant etiam Reges Christianissimi sanctitatem Apostolicæ sedis, ut filii parentes observare, illiusque res ac fundos defendere, vimque hostium ab eis propulsare debent, & prout communes ob rationes tenentur. Verbum illud *conservanto* in fœderibus Romanis imperantis erat. At precantis est atque hortantis patris spiritualis, non imperantis, in fœderibus Christianis: quo sensu illud acceperunt summi Pontifices, qui ad Reges Galliæ confugerunt, eosque impense rogarunt, ut in Apostolicam sedem se reducerent ac restituerent, injurias ac hostium vim ab ea arcerent, ecclesiam conservarent, utque consiliorum decreta in Gallia

B servarentur. Certe non ut dedititios aut fundos Reges Galliæ erga sanctam sedem se gerere verissimum est. Dedititiorum quippe conditio pessima erat, qui se, suaque divina & humana utensilia arbitrio & potestati victoris permiserunt. Cujus conditionis & formulæ exempla duo proposuit Livius, primum lib. I. deditionis Collatiæ Tarquinio regi factæ. Alterum lib. XXVI. deditionis Campanorum, Attellanorum, Calatinorum, & Sabatinorum. Neque porro in spirituali politeia ullus dedititius est, non ille, qui, ut ad meliorem mentem redeat, patri spirituali totum se permittit, & in ejus potesta-

C te fore se promittit. ut enim se in libertatem asserat, & diabolicæ servitutis jugo se subtrahat, illius consiliis utitur; & erroris pœnitens, eumque confessus, a peccati nexibus sacerdotali auctoritate liberatur. Dedititius vero libertate amissa, & de rebus suis statuendi facultate, a servo & mancipio non longe distat. Adjecit Pithœus fundos, non ut paris conditionis cum dedititiis eos demonstraret, sed ut ostenderet Galliæ Reges non tantum ecclesiæ Romanæ servos ac mancipia non esse, & eam ipsis non imperitare, nec leges, ab ea tamquam devictos a victore, ipsos accepisse: verum etiam ut doceret ecclesiæ hujus regni leges (quas perperam &

D improprie privilegia vocant, quasi a superiori domino fœderato concessa sint) connatas ac proprias monarchiæ, & huic nostræ genti esse, neque illas a summis Pontificibus Reges, velut beneficium sibi collatum, accepisse; quod olim fecere populi Romanorum socii ac fœderati, qui ob adscitas Quiritium leges populi fundi appellati sunt. Quamobrem cum eruditissimi Rigaltii bona venia dicam, me in Pithœi verbis aut sensu nævum haud deprehendere.

LUDOVICO NUBLÆO JC.

HENRICUS VALESIUS

S.



De Epistola Ismaelis Bullialdi doctissimi viri quam mihi legendam misisti, ago gratias. Multa de populis fundis, deque jure ac verbo populorum fundorum acute ab eo notata magna cum voluptate perlegi. Consilium quoque ejus ac institutum magnopere probavi, qui Petri Pithœi sententiam ac locutionem adversus observationem Cl. Viri Nicolai Rigaltii defendere instituisset: atque ego initio quidem, cum observationem Rigaltii de populis fundis oculis prope caligantibus percucurrissem, rem a Rigaltio confectam esse credideram, ut jam de Petri Pithœi lapsu dubitatio nulla superesset; sed postquam epistolam Bullialdi,

E quam ad me miseras, perlegendam curavi, & observationem illam Rigaltii alienis oculis relegi, tum demum intellexi Petrum Pithœum, qui Reges Christianissimos sanctitatem Apostolicæ sedis comiter conservare dixit, ut principes liberos decet, non vero ut dedititios aut fundos, commoda & benigna interpretatione posse defendi. Ac Bullialdi quidem interpretationem sequetur qui volet: est enim docte & ingeniose excogitata. Mihi tamen, ut ingenue dicam quod sentio, non satisfacit. Etenim affirmat Bullialdus idcirco Reges Christianissimos non esse fundos sedis Romanæ, quod leges habeant proprias & imperio suo connatas, non Pontificis Romani beneficio aut permissu, quæ libertates appellantur; cum populi fundi beneficio ac permissu populi Romani legibus Romanis uterentur. Sed hæc ratio prorsus nihil concludit. Nam & populi fundi leges suas ha-

bebant simul cum civitate & republica sua natas, quibus domi utebantur absque ullo beneficio ac permissu populi Romani, ut docet Agellius in lib. XVI. cap. XIII. de municipibus loquens. Idque nec ipse Bullialdus, ut credo, inficiabitur. Quippe qui meminerit, in oratione Ciceronis pro Balbo scriptum esse, populos liberos ac fœderatos fundos esse factos, cum legem aliquam populi Romani adscivissent, puta, legem Voconiam de hæreditatibus, aut Furiam de testamentis, aut aliquam aliam de jure civili, qua deinceps in civitate sua uterentur. In cæteris vero rebus, leges patrias & avitas custodiebant, quas nullo populi Romani beneficio, sed suo jure retinebant.

Non igitur dici potest, Reges Christianissimos ideo fundos non esse sedis Romanæ, quod proprias leges habeant absque permissu sedis illius, quippe cum etiam populi fundi leges proprias haberent absque ullo beneficio populi Romani, nec populi Romani gratia opus habuerint, nisi ob eam legem quam ex jure civili populi Romani adsciscere commodum sibi esse ducebant. Proinde alia conquirenda est interpretatio verborum Petri Pithœi.

Videamus igitur, quod fuerit jus, quæ conditio populorum fundorum. In eo præcipue sita est conditio populorum fundorum, quod legibus, plebiscitis, & jussis populi Romani quæ ipsi adsciverant, adstricti tenebantur. Docet id aperte M. Tullius in Oratione pro Balbo his verbis: *Sed totum hoc, judices, in ea fuit positum semper ratione atque sententia, ut cum jussisset populus Romanus aliquid, si id adscivissent socii populi ac Latini, & si ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo, tanquam in fundo, resedisset, ut tum lege eadem is populus teneretur*, &c. Accedit Agellius in lib. XVI. cap. XIII. qui municipes ita definit: *Municipes sunt cives Romani ex municipiis legibus suis & suo jure utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes, nullis aliis necessitatibus, neque ulla*

A *populi Romani lege adstricti, ni in quam populus eorum fundus factus est*. Ex quibus apparet populos fundos adstrictos fuisse legibus Romanis, in quas fundi facti fuissent, ut loquitur Agellius, vel quibus fundi fuissent facti, ut ait Cicero pro Balbo. Quod quidem eatenus valebat, ut ex populis fundis singuli cives accusari & accusare possent, ea lege populi Romani quam adsciverant, & causam dicere apud magistratum populi Romani cogerentur. Hic ergo sensus est verborum Petri Pithœi, Reges Christianissimos non esse adstrictos jussis, rescriptisque Pontificum Romanorum. Fidem quidem, & doctrinam sedis Apostolicæ amplectuntur, & colunt

B Reges Christianissimi, adeo ut, ne transversum quidem unguem, ab ea discedere velint: sed jussis, ac decretis Pontificum, teneri se nequaquam existimant, nisi quatenus ea jussa sacris canonibus consentiant, aut ecclesiæ Gallicanæ libertatibus non repugnent. Atque, ut paucis verbis rem absolvam, fidem a sede Romana, non legem accipiunt. Hæc fuit sine dubio mens Petri Pithœi, cum Rege Christianissimos auctoritatem sedis Apostolicæ comiter conservare pronuntiavit, prout principes liberos decet, non ut dedititios aut fundos, id est, non ut eos qui se legibus & jussis Pontificum adstrinxerunt. Quod si fundos posteriori loco posuit Pithœus, non id illum fecisse putandum est, quod fundos populos deterio-

C ris conditionis, quam dedititios esse crediderit. Neque enim verbum illud quod postremum ponitur, semper augendi vim habeat, necesse est. Atque hæc sunt quæ pro defensione Petri Pithœi, post doctissimi Bullialdi Epistolam, adversus observationem Viri Cl. Nicolai Rigaltii ad te potissimum perscribenda esse duxi, mi Nublæe, quippe quem Petro Pithœo imprimis favere, ejusque viri scripta, ac dicta omnia, plurimi facere intelligerem. Cæterum de jure & conditione populorum fundorum cum primum mihi otium suppetet, peculiari epistola ad te scribam. Vale.

LUDOVICO NUBLÆO JC.
HENRICUS VALESIUS
S.



QUOD jam dudum tibi pollicitus fueram, doctissime Nublæe, de jure, & conditione populorum fundorum, nunc tandem bona fide tibi persolvo. Quædam enim in eo jure mihi deprehendisse videor, quæ ab aliis non observata, nec satis distincte notata sunt: Quippe cum Marc. Tullius solus pene ex antiquis scriptoribus, qui ad nos pervenerunt, de populis fundis disseruerit, adeo tamen obscura atque intricata est omnis ejus oratio, ut pene plus obscuritatis quam lucis afferre videatur. Et laudandus est quidem meo judicio vir doctissimus Ism. Bullialdus, qui Ciceronis verba pro virili parte illustrare conatus est, sed pace ejus dixerim, Ciceronis mentem non plane, neque ex omni parte est assecutus. Itaque nobis satis amplum spicilegium reliquit.

Lucius Gellius & Cn. Cornelius Coss. legem ex senatus sententia tulerant, ut cives Romani essent ii, quos Cnejus Pompejus de consilii sententia singillatim civitate donaret. Donatus fuit civitate a Cn. Pompejo, ex consilii sententia, Lucius Cornelius Balbus. Extitit postea Gaditanus quidam,

D qui Balbum accusavit, quod pro cive Romano se gereret, ajebatque, ex populo Gaditano, utpote fœderato, neminem potuisse fieri civem Romanum, nisi populus Gaditanus fundus factus fuisset. Negabat enim, ut ait Cicero, ex fœderato populo quemquam potuisse, nisi is populus fundus factus esset, in hanc civitatem venire. Cum igitur populus Gaditanus fundus factus non fuerit, Balbum, qui Gaditanus erat, civem Romanum fieri non potuisse. Ac primo id notatum velim, errare eos qui existimant, aliter ab accusatore Balbi, aliter a M. Cicerone populos fundos explicari. Neque enim reprehensus est a Cicerone accusator

E Balbi, quod ignorasset, quinam essent populi fundi, sed tantum quod dixerat, fœderatos populos fundos fieri debuisse, ut aliquis ex eorum civibus in Romanam civitatem veniret. Fundum igitur factum esse populum Gaditanum negabat adversarius Balbi, id est, auctorem ac subscriptorem legis Gelliæ, qua statutum erat, ut is esset civis Romanus, quem Pompejus civitate esset donaturus ex consilii sententia, vel certe subscriptorem decreti illius, quo Balbus a Pompejo civis Romanus factus fuerat, vel potius subscriptorem legis Gelliæ, qua statutum erat ut is esset civis Romanus quem Pompejus civitate esset donaturus.

Hanc illius explicationem fuisse, ipse ostendit Cicero pag. 391. *Potuit magis fundus populus Gaditanus fieri (quoniam hoc magnopere delectare verbo) si tum sit fundus, cum scita ac jussa nostra sententia sua comprobat.* &c. Ex quibus tamen verbis quidam possint suspicari hanc fundorum populorum explicationem a Cicerone non probari, sed ex interpretatione ab adversario prolata Ciceronem adversus ipsum argumentari. Quod quidem innuere videntur hæc verba, *Si tum sit fundus*. Sed ea verba ambiguum sensum habent, nihilque necessario conficiunt. itaque in eadem sententia permaneo, Ciceronem in significatione fundorum populorum nihil fere ab adversario Balbi dissensisse. Quod longe clarius fiet, si ipsa Ciceronis verba, quibus accusatori respondet, accurate expendamus, quæ a viris doctissimis qui nuper hoc argumentum tractarunt, perperam accepta sunt. Sic igitur ait Cicero: *Quid enim dici potuit imperitius, quam fœderatos populos fieri fundos oportere? Nam id non magis est proprium fœderatorum quam omnium liberorum.* In iis verbis aliquam esse obscuritatem recte Bullialdus animadvertit. Est igitur hujus loci sensus iste, non posse quempiam ex populo aliquo in civitatem Romanam venire, nisi is populus fundus factus sit, id non magis pertinet ad fœderatos, quam ad liberos populos. Par enim utrobique ratio est. Atqui in populis liberis id falsum est, ergo etiam in fœderatis. Hoc est argumentum Ciceronis, quod oratorio more fusius exequitur. Atque ita explicanda esse hæc verba, ipse indicat Cicero non longe postea, cum ait pag. 389. *Sed cum est istud imperitissime dictum de populis fundis, quod commune est liberorum populorum, non proprium fœderatorum. Ex quo intelligi necesse est, aut neminem ex sociis civem fieri posse: aut etiam posse ex fœderatis.* Minor autem illa propositio Ciceronis, id scilicet falsum esse in populis liberis, multis exemplis a Cicerone mox comprobatur pag. 389. cui jungenda est pag. 392. Multi in civitatem recepti ex liberis fœderatisque populis.

Quas Latini voluerunt, adsciverunt. Notanda sunt hæc verba, populus Romanus primum voluerat & sciverat legem aliquam, puta Furiam, aut Voconiam. Deinde socii eandem legem adsciscebant, & volebant, id est, scitam sua voluntate ac suffragio comprobabant, ut ea deinceps lege, tanquam sua, uterentur.

Totum hoc, judices, in ea positum fuit ratione, ut cum jussisset populus Romanus aliquid, si id adscivissent socii populi ac Latini. Pergit Cicero, ut ostendat id commune esse tam liberis, quam fœderatis. Nam socii populi iidem sunt, ac liberi, ut ex loco proxime citato apparet. Latinos autem fœderatos fuisse nemo nescit.

Et si ea lex quam nos haberemus, eadem in populo aliquo, tanquam in fundo, resedisset. Reddit rationem nominis fundorum populorum. Scio alios aliam afferre nominis hujus rationem, sed in re obscura, Ciceronis interpretationem sequi maluerim, quam cum recentioribus hariolari.

Ut tum lege eadem is populus teneretur. Tenebantur ergo socii & fœderati ea lege populi Romani, quam adsciverant, ita ut & accusare ex ea lege civem Romanum, & ipsi coram magistratu Romano causam dicere ex ea lege tenerentur. Quemadmodum docet Agellius in lib. XVI. cap. XIII. de municipibus scribens: *Nullis aliis necessitatibus, inquit, neque ulla populi Romani lege adstricti, ni in quam populus eorum fundus factus est.*

Bullialdus quidem in epistola ad Rigaltium id sic explicat, quasi populi qui aliquam populi Romani legem adsciverant, eam amplius mutare non possent. Sed re accuratius perpensa non videtur mihi nunc verisimile, socios & Latinos qui legem Furiam, verbi gratia, de testamentis adsciverant, coactos fuisse apud magistratum Romanum disceptare de testamento, si quæ forte controversia inter ipsos nata esset. Et sane cum Cicero id non dicat, nihil causæ est, cur nos id affirmare velimus. Id tantum dicit Cicero, populum qui legem populi Romani adscivit, eadem lege teneri: ex eo autem non sequitur, cives ex fœderato populo qui fundus factus fuerat, causam Romæ dixisse. Quod si ita fuisset, non id taciturus erat Cicero; quippe qui tantopere laborat, ut nihil de jure populi Romani imminutum esse demonstret, cum populi fundi facti fuerant. Et verbum *adsciscendi* quo utitur Cicero, hanc videtur vim habere, ut populi qui legem Romanam adsciverant, ea deinceps tanquam sua usi fuerint. Sed de his quæ conjectura sola nituntur, lector suo arbitrio statuet.

Non ut de nostro jure aliquid minueretur. Id est, non ut minus juris esset populo Romano, si quem vellet ex eo populo qui legem aliquam adscivisset, civitate Romana donare. Atque hoc est quod ait Cicero pag. 391. *Videbat enim populos de suo jure, non de nostro fundos fieri solere.*

Sed ut illi populi aut jure eo, quod a nobis esset constitutum, aut aliquo commodo aut beneficio uterentur. Affert rationes cur populi fundi fieri soliti sint & legem aliquam populi Romani adsciscere. Prima est ut jure civili populi Romani utantur: ut cum socii & Latini legem Furiam de testamentis, aut aliam quampiam adsciverunt. Secunda est ut commodo aliquo aut beneficio utantur, puta cum iidem socii legem Juliam, qua Latinis & sociis civitas data est, adsciverunt: vel cum leges aliquas adsciverunt quibus præmium dabatur accusatori, qui senatorem Romanum ejus criminis reum peregisset. Quod quidem præmium sæpius additum fuisse legibus Rom. quicumque antiquitatis Romanæ periti sunt non ignorant. Talis fuit lex Servilia, cujus in hac ipsa oratione meminit Cicero.

Potest etiam hic locus intelligi de lege, qua immunitas vel privilegium aliquod concessum fuerat sociis ac Latinis: verbi gratia, cum Romani post bella civilia omnibus non modo stipendiariis, sed etiam liberis, ac fœderatis populis remissionem æris alieni, seu novas tabulas concesserunt. Quam legem omnes quidem libentissime adsciverunt: soli Rhodii legis illius commodo uti noluerunt, ut Dio testatur in Rhodiaca pag. 331.

Ipsa denique Julia qua lege civitas est sociis & Latinis data. Postquam retulit Cicero legem Furiam & Voconiam, aliasque de jure civili, commemorat Juliam legem quæ & ipsa pertinebat ad jus civile, seu privatum populi Romani. Nam lex Julia erat de civitate sociis & Latinis communicanda. Civitas autem est juris privati, ut monuit me Carolus Annibal Fabrotus doctissimus Antecessor, cum initio aliter sensissem. Cur autem eam legem hoc loco affert Tullius, nisi quia a Latinis & sociis adscita & approbata est, perinde ac Furia ac Voconia, de quibus antea locutus fuerat.

Ut qui populi fundi facti non essent, civitatem non haberent. Profert caput legis Juliæ, in quo mentio fiebat populorum fundorum. Et recte omnino Bullialdus observat legem loqui de universitate, id est, de universo populo, cui civitas daretur, non de singulari cive unius populi, contra quam Nicolaus Rigaltius senserat. Hic ergo sensus est hujus capitis legis Juliæ, ut ex sociis & Latinis ii tantum populi civitatem Romanam haberent, qui auctores subscriptoresque hujus legis essent, seu qui eam legem sua sententia suisque decretis comprobassent. Sed miror, quod ajunt Rigaltius & Bullialdus accusatorem Balbi hoc præcipue capite legis Juliæ usum fuisse. Id enim Cicero non dicit. Errat etiam meo judicio idem Bullialdus, cum scribit legislatorem hoc capite jus Romanæ civitatis ad pauciores re-

strinxisse, ad populos scilicet bene meritos qui leges Romanas adsciscendo, obnoxios se illis fecissent. Non enim aliæ leges hoc capite intelliguntur, sed ipsa lex Julia. Itaque dupliciter fallitur Bullialdus in hujus capitis explicatione, tum quod hæc verba, *ut qui populi*, de omnibus exteris populis dici existimavit, cum tamen dicantur de sociis & Latinis; tum quod verba illa quæ sequuntur *fundi facti non essent*, ad omnes populi Romani leges retulit, cum de sola lege Julia accipienda sint, cui fundos fieri oportebat socios Italici nominis ac Latinos, si civitatem consequi vellent. Porro totus hic locus ita scribendus videtur: *Ipsa denique Julia qua lege civitas ita est sociis & Latinis data, ut qui populi fundi facti non essent, civitatem non haberent*. Hæc enim ultima verba Ciceronis ipsius sunt, non legis Juliæ ut plerique existimarunt.

In quo magna contentio Heracliensium & Neapolitanorum fuit, cum magna pars in iis civitatibus fœderis sui libertatem civitati anteferret. Cum lex Julia Romæ lata esset, qua civitas sociis in Italia & Latinis dabatur, Neapolitani & Heraclienses concionem populi advocarunt, ut in commune consulerent quidnam facto opus esset, Utrum beneficium sibi oblatum amplecterentur, an repudiarent. Multi in iis civitatibus reperti sunt, qui eum honorem civitatis Romanæ aspernarentur, mallentque fœderati esse quam cives Romani.

Fœderis sui libertatem. Fœderati enim liberi erant, ut docet Proculus in lege 7. ff. de cap. & post l. reverf. Hæc autem libertas fœderis adimebatur civitate Romana: populus enim qui in civitatem Romanam transierat, fœderatus populi Romani amplius esse non poterat. Ex hoc loco id tantum consequitur, libertatem fœderis simul cum jure civitatis Romanæ non consistere, quod verissimum est. At Bullialdus ex hoc loco concludit fundos populos factos fuisse juris sui libertatis, id est, αὐτονομίας amissione, & quasi alienatione, mutatis scilicet legibus propriis adscitisque Romanis. Quod est falsissimum & a mente Ciceronis prorsus alienum. Nam populi fundi prorsus liberi erant ac sui juris; nullo jure, nulla lege populi Romani adstricti nisi quam ipsi sponte adscivissent, voluissentque, ut loquitur Cicero. Velle autem & adsciscere liberorum est. Sed Bullialdus primum deceptus est a prava lectione, nam in loco Ciceronis legit *juris sui libertatem civitati anteferre*, cum tamen legatur in omnibus, ut opinor, editionibus, *fœderis sui libertatem*. Deinde existimavit idem Bullialdus, populos fundos fieri mutatis suis legibus adscitisque Rom. quod tamen necesse non fuit. Unam enim duntaxat aut alteram legem adsciscebant, non autem omnes leges populi Romani; neque id laturi fuissent Romani, ut aliquis populus aut socius aut fœderatus omnes ipsorum leges adsciceret. Nec ullus veterum dixit quosdam fuisse populos qui leges omnes populi Romani adscivissent, & cum Romæ quotidie novæ leges ferrentur, quotidie etiam leges ab illis populis adsci debuissent. Denique putavit idem Bullialdus in hoc capite legis Juliæ fundum populum dici respectu aliarum legum populi Romani, cum tamen fundus populus hic dicatur auctor subscriptorque legis ipsius Juliæ. Consensum enim ipsorum populorum intercedere oportebat, ut civitatem Romanam adipiscerentur. Invito quippe beneficium non datur. Hinc est quod Livius dicit in lib. . . . . Prænestinos ob virtutem civitate donatos non mutavisse. quod idem est ac si diceret, fundos factos non fuisse.

Ut populi fundi beneficio nostro, non suo jure fiant. Non enim jus habent populi liberi ac fœderati adsciscendi leges populi Romani, easque sua sententia ac suffragio comprobandi, sed id ut faciant permittit populus Romanus: nec leve illud erat beneficium populi Romani, ut partem juris sui cum sociis & Latinis communicaret.

Id si est ejusmodi, &c. Non igitur omnia jussa & scita populi Romani permittebantur adsciscere socii ac fœderati, uti ex hoc loco liquet manifestissime. Quænam autem essent illa quæ non permittebantur fœderatis, docet mox Tullius, quæ scilicet ad remp. ad imperium, & ad statum rei Romanæ pertinebant.

Ut quibusdam populis sive fœderatis, sive liberis permittendum esse videatur. Sic fœderatos & liberos jungit Proculus in l. 7. citata. Fœderati quidem populi sunt liberi, ut jam dixi, sed non omnes liberi populi, sunt fœderati. Liber populus, ait Proculus, est is, qui nullius alterius populi potestati est subjectus. *Sive is fœderatus est*, &c. Liber ergo generis vicem obtinet. Populi enim, alii sunt liberi, alii stipendiarii; ex liberis, alii fœderati, alii sine fœdere. Per liberos autem populos intelligere videtur Cicero, socios atque amicos populi Romani, quibuscum nullum fœdus scriptum intercedebat, ut patet ex pag. 389. *Sed cum est, illud imperitissime dictum de populis fundis*, &c.

Permittendum esse videatur. Hæc permissio dupliciter intelligi potest, primo, ut Romani petentibus sociis ac fœderatis id permiserint, ut leges suas adsciscerent, quemadmodum doctissimus Bullialdus censuit. Secundo, ut id fieri passi fuerint Romani, & dissimulaverint, quæ tacita permissio dici potest. Certe Cicero id postulatum fuisse non dicit.

Ut statuant ipsi non de nostris, sed de suis rebus, quo jure uti velint. Hoc est, quod ait Cicero pag. 388. *Videbat enim populos de suo jure, non de nostro fundos fieri solere*. Ex quo patet, fundum fieri nihil aliud esse, quam statuere & velle, seu auctorem esse & sententia atque auctoritate sua aliquid comprobare. Notandum porro discrimen est inter hæc duo, suo jure, & de suo jure. Populi non fiebant fundi suo jure, sed beneficio populi Romani; fiebant tamen fundi de suo jure, ut de suis rebus statuerent.

De nostra vero republica, de nostro imperio, de nostris bellis, de victoria, de salute, fundos populos fieri noluerunt. Id est, majores nostri noluerunt, ut populi liberi ac fœderati de republica nostra, de bellis & victoriis quidquam statuerent, neque ut eas leges quæ ad statum rei Romanæ pertinent, sibi adsciscerent.

Fere enim in eas leges, quæ de jure civili latæ essent, fundi populi fiebant; non vero in eas leges, quæ ad jus publicum populi Romani spectabant. Hinc est quod superius dixit Cicero: *Innumerabiles aliæ leges de jure civili latæ sunt*, &c. Et longe post loquens de lege Gellia qua sancitum erat, ut cives Romani essent ii quos Pompejus ex consilii sententia, id est, causa cognita, civitate donasset, *Huic*, inquit, *generi legum fundos populos fieri non solere*.

Atqui si imperatoribus nostris, &c. Ut hæc cum superioribus cohæreant, sic interpretari oportet. Atqui si imperatoribus nostris, & senatui, & populo, non licebit fortissimum quemque ex fœderatis & sociis, civitate donare, nisi fundi, id est, auctores facti fuerint; fœderati statuent de nostro imperio, de nostra republica, de nostro jure, de nostris bellis ac victoriis, atque ita in eorum potestate situm erit, an fortissimos viros in nostram civitatem adsciscamus, privabuntque nos, si voluerint, opera atque auxilio fortissimorum virorum. Cætera deinde satis plana atque aperta sunt, ut jam interpretatione nostra non egeant.

Ex his intelligitur nomen fundus, cum de populis dicitur, non significare statum quemdam, aut conditionem populorum, eo modo quo, cum populus liber, aut fœderatus, ac socius appellatur, status & conditio illius populi declarari solet. Fundus enim populus nihil aliud est, quam auctor, sub-

scriptorque. Itaque populus non dicitur fundus esse, sed fundus fieri. Quod quidem in omnibus Ciceronis locis, in quibus populorum fundorum mentio fit, observare licet. Et hoc est quod Pithœo, aliisque quampluribus ansam erroris videtur præbuisse, qui existimarunt, nomine fundorum populorum, conditionem aliquam statumque certum designari. Cum tamen populi fundi non fiant, nisi ei legi quam adsciscunt: fiantque fundi legi populi Romani, eodem modo, quo fundi fiunt venditioni, cum locum, aut agrum publicum vendunt. Ut igitur, ex eo quod populus aliquis fundus factus fuerat, cum locum aliquem alienaverat, quemadmodum docet Festus, non recte quis concluderet, peculiarem esse conditionem populorum fundorum: ita neque ex eo quod populi fundi fiant legi cuipiam populi Romani. Neque vero unquam Cicero populos fundos simpliciter appellat, nisi semel, cum ait: *Sed cum est illud imperitissime dictum de populis fundis*, &c. Quod tamen non ita est accipiendum, quasi certum genus esse populorum fundorum crediderit Cicero: sed populos fundos dixit pro iis, qui fundi, id est, auctores fiunt. Idque, præter cæteros locos, quos in hac epistola adduxi, satis declarat alter ex eadem oratione, ubi agit de lege Servilia: *Nemo unquam est de civitate accusatus, quod aut populus fundus non esset, aut quod fœdere civitatis mutandæ jus impediretur*. Et paulo post: *Num fundos igitur factos populos Latinos arbitramur, aut lege Servilia, aut cæteris quibus Latinis hominibus erat propositum aliqua ex re præmium civitatis*. Ubi scribendum videtur *legi Serviliæ*.

Secundo notandum est, populos fundos revera liberos fuisse, & sui juris, ut recte a doctissimo viro Nicolao Rigaltio est observatum. Populi enim fundi erant, aut socii, aut fœderati populi Romani, quibus permittebat populus Romanus, ut legem aliquam adsciscerent. Agellius vero etiam ad municipia civium Romanorum id nomen extendit. Ipse quoque populus Romanus recte dici possit fundus factus fuisse legibus Atheniensium, quas per decemviros descriptas voluit & adscivit.

Tertio observandum est, non in omnes leges populi Romani fundos populos factos fuisse, sed in eas dumtaxat, quæ essent de jure civili, aut quæ ad commodum ipsorum pertineret.

Postremo illud annotandum est, Ciceronem, tametsi in explicatione populorum fundorum ab adversario Balbi minime dissentiret, tamen in explicatione illius verbi diutius immoratum esse, propterea quod accusator ille Balbi nimium fœderatis tribuendo, de jure atque auctoritate populi Romani aliquid minuisse videbatur. Cum enim Gaditanus ille dixisset, ex fœderato populo neminem potuisse fieri civem Romanum, nisi is populus fundus factus fuisset; sic fundum fieri populum explicabat, cum scita ac jussa populi Romani sua sententia comprobaret. Quæ verba auctoritatem aliquam videbantur innuere, quasi fœderati de legibus ac scitis populi Romani statuerent quæ vellent. Quamobrem Cicero vim juris ac verbi illius pluribus explicandam putavit, ut doceret, fundos populos fieri beneficio populi Romani, nec suo jure, sed permissu ipsius, adsciscere leges, non quas ipsi vellent, sed quas populus Romanus permisisset. Denique non de populi Romani rebus ipsos statuisse, sed de suis dumtaxat. Hinc toties verba illa repetit atque inculcat, *ut populi fundi beneficio nostro, non suo jure fiant*. Et paulo post: *Id si est ejusmodi, ut populis liberis ac fœderatis permittendum esse videatur, ut statuant ipsi, non de nostris, sed de suis rebus*, &c. Hæc habui quæ de prisco jure populorum fundorum ad te scriberem, in quo explicando viros doctissimos Sigonium, Manutium, Antonium Augustinum & Hotomannum deceptos esse video, qui aliter a Cicerone, aliter ab adversario Balbi, fundos populos explicari crediderunt, & Ciceronem causæ suæ favisse. Quam quidem illorum sententiam vir excellentis ingenii Adrianus Turnebus in lib. IV. Adversariorum merito improbavit. Illud etiam corollarii loco hic adjiciam, accusatorem Balbi civem Gaditanum fuisse, qui cum civitatem suam reliquisset, & in civitatem Romanam fraude irrepsisset, judicio publico damnatus fuerat, ut ei objicit Cicero his verbis: *Ignosco tibi, si neque Pœnorum jura calles, (reliqueras enim civitatem tuam) neque nostras potuisti leges inspicere: ipsæ enim te a cognitione sua judicio publico repulerunt*. Et multo post: *Re denique multo ante Gadibus inaudita, fore, huic ut ab illo periculum crearetur, gravissima tum in istum civem suum Gaditani senatusconsulta fecerunt*. Ex quo apparet accusatorem Balbi non fuisse civem Romanum, neque enim si civis Romanus fuisset, illum pœna & mulcta afficere ausi fuissent Gaditani; & quidem Senatusconsulto in eum publice facto. Licebat porro fœderatis accusare apud populum Romanum, ut tum hoc exemplo, tum ex lege Servilia apparet, cujus meminit Cicero in oratione pro Balbo, qua Latinus, (id est, fœderatus) qui senatorem Romanum reum peregisset, civitatem Romanam adipiscebatur. Sane Proculus in leg. VII. de captivis, notat homines ex civitatibus fœderatis apud magistratum populi Romani reos factos, & damnatos fuisse. Vale Lutetiæ Parisiorum, pridie Kalend. Novembres.

F I N I S.

CAROLI SIGONII
DE
NOMINIBUS ROMANORUM
LIBER.

A

CAP. I.

Cur Romani multis nominibus usi sint.



UM multæ res in tota antiquitate Romana parum adhuc tractatæ ac cognitæ sunt, tum illa difficilis atque obscura quæstio est, quæ est de ratione nominum Romanorum. nam etsi res est & a veteribus explicata diligenter, & ab hujus etiam memoriæ hominibus penitus non neglecta; tamen

B

quia illorum scripta vetustas vel consumpsit fere vel deformavit, hi in hoc genere non satis accurate omnia collegerunt, plurimum adhuc lucis desiderare videtur. Itaque, quoniam ad hos quos scripsimus Romanorum magistratuum Fastos, ejusmodi maxime disputatio pertinet, quique proxime hac de re scripserunt, nec satis plene, nec ad rei veritatem satis apte tantum argumentum tractarunt, faciendum esse nobis videtur, ut hoc loco, quid de nominibus Romanorum invenerimus, exponamus. Cum autem Romanos homines duobus primum, post etiam tribus nominibus usos esse reperiamus, quorum unum

C

præcipue *Nomen*, alterum *Prænomen*, tertium *Cognomen* aut *Agnomen* appellaverunt; iccirco danda opera est, ut in hujus quasi vestibulo disputationis caussam hujusce facti, quæ probabilis maxime videatur esse, reddamus. Qui igitur de his caussis disseruerunt, ii in duas fere partes divisi sunt. quorum alii hanc consuetudinem propriam fuisse Romanorum, alii a vicinis populis acceptam esse tradiderunt. Ac priorem quidem opinionem tuetur Varro, (ut est apud Valerium Maximum in Epitoma de prænominibus) posteriorem vero quidam alii. Varronem autem movit maxime illa ratio, quod in Ita-

D

lia ante Romam conditam quosdam homines uno tantummodo nomine præditos fuisse, ut Romulum, & Remum, & Faustulum, animadvertit. Itaque Varronis opinionem Priscianus forte sequutus, caussas cur Romani nomina duplicaverint, exponit duas: unam, ut, qui in quaque familia eodem nomine vocarentur, præposito aliquo alio nomine, quod inde *Prænomen* dixerunt, distinguerentur: alteram, ut Sabinorum gratiam benevolentiamque colligerent, quos Romulus in civitatem suscepit, aut suis Sabinorum nomina, aut contra sua Sabinorum nominibus præponentes. id quod in Romulo scripsit etiam Eutropius. Quin etiam Appianus huc

E

spectasse videtur, cum in proœmio historiæ scripsit, Romanos uno primum nomine usos esse, post duobus, tum tribus. Sic enim ait: *Καὶ τὰ ὀνόματα Ῥωμαίοις πάλαι μὲν ἦν ἕν, ὥσπερ ἀνθρώποις ἅπασιν ἑκάστῳ· μετὰ δὲ, ἐγένοντο δύο· καὶ οὐ πολὺς χρόνος ἐξ οὗ καὶ τρίτον ἤρξατό τισιν ἐς ἐπίγνωσιν ἐκ πάθους ἢ ἀρετῆς περιτίθεσθαι.* Itemque Varro lib. de lingua Latina, cum ait: *Cum essent duo Terentii aut plures, discernendi caussa, ut aliquid singulare haberent, notabant forsitan ab eo, qui mane natus diceretur, ut is* Manius *esset: qui luci*, Lucius: *qui post patris mortem*, Postumus. Qui vero secus senserunt, hanc rationem ab aliis populis mutuatos esse Romanos dixerunt; præsertim vero, cum ipsi ante Romam conditam matrem Romuli legerent Rheam Silviam, avum Numitorem Silvium, fratrem ejus Amulium Silvium; posterioresque duces Metium Fufetium, Titum Tatium, Numam Pompilium, patremque ejus Pomponem Pompilium nominatos. In hac autem opinione fuerunt Arruntius Claudius, & Valerius Maximus. Nam Claudius, ut Diomedes scribit, a Græcis hoc sumptum tradit, apud quos multi æque atque apud Romanos, tria nomina usurpaverint; id quod in Alexandro Dardanio Paride, & in Achille Æacide Celeri intelligi posse putat. Valerius autem ab Albanis & Sabinis, a quibus potissimum traxerunt originem, Romanos hanc consuetudinem accepisse ait. Atque huic quidem ego etiam assentior; quippe qui & hanc rationem apud Italos populos fuisse, & aliis præterea eos quibusdam prænominibus a Romanis usos esse comperiam, & Remum ac Romulum, aut quia spurii fuerunt, gentis nomine caruisse, aut certe ex Silvia gente, cujus & mater erat, exstitisse existimem. Distinguendorum tamen filiorum atque nepotum caussa inventa prænomina esse, Varroni gravissimo in primis auctoris assentior.

CAP. II.

Quid sit Nomen, Prænomen, & Cognomen.

CELEBRATA est igitur (quemadmodum demonstratum est) a Romanis hæc tota multiplicandorum nominum ratio. neque enim nomine aut prænomine tantummodo contenti fuerunt, sed cognomen & agnomen etiam adjunxerunt. quod etiam significat Pausanias in Achaicis, cum eos tribus aut etiam pluribus nominibus usos esse tradidit, ita: *Ἐπεὶ καλοῦνταί γε οὐ πατρόθεν οἱ Ῥωμαῖοι κατὰ ταῦτα Ἕλλησιν, ἀλλὰ καὶ τρία, ὁπότε ἢ ὀλίγιστα, καὶ ἔτι πλέονα ὀνόματα ἑκάστῳ τίθενται.* De quibus omnibus cum ab aliis alia tradita sint, quid ipse sentiam, non dicam; quid autem veteres senserint, verbis eorum expositis, brevi concludam. Ac primum quidem nominabo Valerium, qui ita ait: *Omnia quæ ad unumquemque nostrum definiendum excogitata sunt, eandem vim significandi hominis obtinent. quod per proprietatem dicitur, hoc distat, quia eo genus cognoscitur; ideoque dicitur* Gentilicium. *cetera ordine variantur. nam quod præponitur*, Prænomen; *quod post fertur*, Cognomen; *quod ad ultimum adjicitur*, Agnomen *vocatur*. Neque vero aliter sensisse videntur Sosipater, Donatus, & Diomedes, grammatici non solum antiquitate, sed etiam doctrina nobiles. quorum, ubi de propriis nominibus agunt, hæc verba sunt: *Vocabulorum, quibus Romani capita recensebant, quatuor genera sunt; prænomen, nomen, cognomen, agnomen*. Prænomen, *quod nomini gentilicio (differentiæ caussa) præponitur, ut Publius;* Nomen, *quod originem gentis declarat, ut Cornelius;* Cognomen, *quod nominibus gentiliciis subjungitur, ut Scipio;* Agnomen, *quod extrinsecus addi solet*, (ex)

aliqua ratione vel eventu quæsitum, ut Africanus. Quod si quis hos fortasse, ut leves hujusce rei auctores, repudiaverit, nunc animum referat ad ea quæ scripta sunt apud Dionysium, Plutarchum, Ciceronem, & Suetonium, auctores rerum Romanarum gravissimos: a quibus hæc eadem opinio confirmatur. Dionysius quidem nomen unum commune Romanis fuisse ait, alterum vero gentilicium. sic enim de Lucumone ait: *Μαθὼν ὅτι Ῥωμαίων ἑκάστῳ κοινὸ ὄνομα κεῖται καὶ μετὰ τὸ κοινὸν ἕτερον, ὃ δὴ συγγενικὸν αὐτοῖς ἐστι, καὶ * πατρωνυμικόν*. sic alibi commune nomen, appellat prænomen, ut de Attio Næo: *Αὐτὸ μὲν ἐκαλεῖτο κατὰ κοινὸν ὄνομα καὶ προσηγορικὸν Νέβιος, τὸ δὲ συγγενικὸν, Ἄττιος*. Eodem autem in loco Dionysius commune nomen vocat Lucium, gentilicium vero, Tarquinium. Plutarchus vero in Coriolano ait ita: *Tertium igitur ei nomen Coriolano inditum est. ex quo intelligi potest, Cajum ei fuisse proprium nomen; Marcium vero, gentilicium*. id est: *ἐκ τούτου τρίτον ἔσχεν ὄνομα τὸ Κοριολανὸν, * ᾧ καὶ μάλιστα δῆλόν ἐστι τῶν ὀνομάτων ἴδιον ἦν ὁ Γάιος· τὸ δὲ δεύτερον, οἰκίας ἢ γένους κοινὸν, ὁ Μάρκιος*. Idem etiam initio Marii. Ea verba, quia nimis multa visa sunt, atque etiam in promptu sunt omnibus, non apposui; quid tamen ille tradiderit, breviter mihi esse ostendendum putavi. Sic igitur ille disputat, ut varia & ipse fuisse nominum genera dicat. quorum alia prima, alia secunda, alia tertia vocat. Ac prima quidem nomina, quæ propria; ut Cnæum, Lucium, Publium: secunda vero, quæ gentis caussa multis communia sunt; ut Pompejos, Manlios, & Cornelios: tertia, quæ ab actione aliqua, vel a corpore, vel a moribus indita sunt; ut Macrinum, Torquatum, & Sullam. & secundis quidem respondere apud Græcos Heraclidas ac Pelopidas; tertiis vero, Grypum & Callinicum putat. Quid, cum Cicero epistol. ad Attic. libro IV. ita ait: *Qui vetere prænomine, novo nomine T. erit Cæcilius*; & Suetonius in Cæsare, cum inquit: *Ut quod eo anno actum esset, Julio & Cæsare actum scriberent, bis eundem repetentes, nomine atque cognomine*; nonne satis ostendunt, Titum quidem prænomen, Cæcilium vero & Julium nomina, Cæsarem vero cognomen esse? Hæc mihi satis multa, & satis firma visa sunt, quæ afferrem cum ad harum appellationum vim & naturam definiendam, tum ad eorum opinionem labefactandam, qui contra aut aliter senserint aut scripserint.

CAP. III.

Quot & quæ Prænomina fuerint; & unde singula ducta sint.

CUM ergo multa vocabulorum genera sint, quibus plerumque veteres Romani appellarentur, primum de prænominibus, post de reliquis, quid sentiamus, dicendum est. Ac *prænomen* quidem * *πρόνυμον* Græce dictum scribit Diomedes. Plutarchus autem modo *primum nomen*, modo *proprium nomen*; Dionysius, ut ostendi, *commune nomen* appellat. Vis autem Latini vocabuli satis perspicua est. nam quod nomini præponitur, id *prænomen* dici voluerunt. Ex his autem prænominibus alia a Romanis, alia a finitimis populis frequentius usurpata esse reperio. Romana autem ad triginta fuisse, ex Varronis sententia tradit Valerius. Hæc autem fuisse videntur: Agrippa, Appius, Aulus, Cæso, Cajus, Cnæus, Decimus, Faustus, Hostus, Lucius, Mamercus, Manius, Marcus, Numerius, Opiter, Postumus, Proculus, Publius, Quinctus, Servius, Sextus, Spurius, Tiberius, Titus, Tullus, Vibus, Volero, Vopiscus. Peregrina vero, Ancus, Arruns, Lar, Lucumo, Metius, Numa, Petro, Pompo, Sertor, Tallus, Turnus, Volusus. De quorum prænominum origine ac significatione, quoniam qui de nominibus modo scripserunt, nihil dixerunt, nos scribemus ea quæ a veteribus tradita, a nobis, quanta maxima fieri potuit diligentia, sunt collecta.

AGRIPPA, Festo auctore, vocatus qui cum labore matris sit natus; exempli caussa, in pedes contra naturam, & non in caput; id est, ab ægro partu. Item Marcellus, & Quinctilianus lib. IX.

APPIUS, ex Sabinorum prænomine ACTIO venit, ut ait Valerius; idque Romæ Claudiorum fuit, quorum princeps *Actius Clausus* dictus est. Livius lib. II. quo in loco multa in Scoliis diximus.

AULI dicti qui Diis alentibus nascerentur. Valerius.

CÆSO, qui ex utero matris exsectus est. Festus, Valerius, Plinius lib. VII. cap. IX.

CAJUS, a gaudio patrum appellatus. Valerius.

CNÆUM, ob insigne nævi, qui in corporibus gignitur.

FAUSTUM, a favore dictum scribit Valerius.

QUINCTUS, SEXTUS, DECIMUS, a numero dicti sunt, teste Varrone, ut qui quincto, sexto, & decimo quoque loco esset natus, is demum primis temporibus Quinctus, Sextus, & Decimus diceretur.

HOSTUS, inquit Valerius, fuit prænomen in eo qui peregre apud hospitem natus est; fuitque prænomen Lucretii Tricipitini collegæ L. Sergii consulis. Macrobius lib. Saturnal. primo, qui in hostico procreatus esset, eum *Hostum* vocatum fuisse scribit. Est autem mendum apud Valerium: *Hospes* enim legitur, non *Hostus*. Quod autem legendum sit Hostus, ex eo intelligi potest, quod Livius Lucretium Tricipitinum, cujus Valerius meminit, Hostum vocat. & in consulibus Capitolinis, Ann. CCCXXXVI. scriptum est, P. LUCRETIUS HOSTI F. Macrobius etiam libro I. Hosti Hostilii mentionem facit.

LUCII duplex origo traditur a Valerio. aut enim a Lucumonibus Etruscis dictus est, ut Lucumo Tarquiniensis, qui se L. Tarquinium appellavit; aut is demum Lucius appellatus est, qui lucis initio natus est. Quod scribit etiam Festus, & Varro.

MAMERCUS, prænomen gentis Æmiliæ fuit, de quo Plutarchus in Numa & Æmilio sic: *Mamercus fuit Pythagoræ filius; a quo Numa Pompilius Rex filium Mamercum nominavit, qui auctor & princeps gentis Æmiliæ fuit*. Festus autem prænomen Oscum esse putat; quod Osci Martem Mamercum appellaverint.

MANIUS, dictus est qui mane est ortus: aut ominis caussa, quasi bonus: *Manum* enim *antiqui bonum dicebant*. Varro libro II. de Analogia, Valerius, Festus, Macrobius lib. I. Saturnal. Zosimus autem Græcus historiarum auctor, libro I. tradit, Manium in gentem Valeriam profectum esse a quodam Valerio, qui primus sacra Diis Manibus fecerit. sic enim ait: *Τοῦτον τὸν βωμὸν ὁ Οὐαλέριος δρῶν, καὶ τὴν θυσίαν καὶ τὰς παννυχίδας ἐπιτελέσας, ἐκλήθη Μάνιος Οὐαλέριος Ταραντῖνος. τούς τε γὰρ χθονίους θεοὺς, Μάνης καλοῦσι Ῥωμαῖοι, καὶ τὸ ὑγιαίνειν βαλῆρε*.

MARCUS dictus est, qui mense Martio natus est. Valerius.

DE NUMERIO sic Festus: *Numerius prænomen nunquam antea fuisse in patricia familia dicitur, quam Q. Fabius, qui unus post sex & trecentos ab Etruscis interfectos superfuit, inductus magnitudine divitiarum, uxorem duxit Otacilii Maleventani (ut tum dicebantur) filiam, ea conditione, ut qui primus natus esset, prænomine avi materni Numerius appellaretur*. Et Valerius ita: *Numerio sola patricia familia usa est Favia; iccirco quod CCCVI. apud Cremeram flumen cæsis, qui unus ex ea stirpe exstiterat, ducta in matrimonium uxore filia Numerii Otaci-*

Otacilii Maleventani, sub eo pacto, ut quem primum filium sustulisset, ei Numerii prænomen imponeret, obtemperarit. Hinc mendose apud Ciceronem lib. I. de Divinatione legitur ita: *His adjungatur etiam somnium Æneæ, quod innumerum Fabii Pictoris Græcis annalibus scriptum est*. cum sit legendum; *quod in Numerii Fabii Pictoris*. fuit enim alter Fabius Pictor, prænomine Quinctus, qui de rebus Romanis Latine scripsit, Gellio & Nonio teste, qui ejus sæpe verba Latina proferunt; itemque Cicerone de legib. I. qui eum inter historicos Latinos numerat. at qui Græce iisdem de rebus scripsit, is videtur fuisse Numerius nominatus, quem tamen I. lib. Dionysius Quinctum nominat. Hac ratione in orat. pro Cluentio Numerios Aurios legimus: & lib. III. de orat. Numerium Furium: & lib. II. de Divin. Numerium Suffucium: & apud Pædianum, Numerium Quinctium.

OPITER dictus, cujus pater, avo vivo, mortuus est. quasi qui post obitum patris genitus sit; aut qui ob patrem avum habet. quod prænomen Virginio Tricosto consuli fuit. Valerius, & Festus.

POSTUMUS, qui post humatum patrem est natus, Varro lib. II. de Analogia, & Plutarchus in Coriolano; ut Postumus Cominius, & Postumus Æbutius. de quibus Valerius. Nam Livii libri mendosi erant, cum haberent *Postumius* pro *Postumus*. cum tamen Postumius, gentis nomen sit; Postumus, prænomen.

PROCULUS, qui natus sit patre peregrinante patria procul, ut ait Plutarchus in Coriolano. Valerius autem ait, qui patre sene natus sit, quasi procul ætate progresso, eum Proculum esse vocatum.

PUBLII, ait Valerius, *qui prius pupilli facti erant quam prænomen haberent*: alii ominis causa a pube. Græci Πόπλιον cum scribunt, a populo derivatum innuunt.

SERVIUS is primum dictus est, quem serviens mulier peperisset, ut de Ser. Tullio rege scribit Dionysius. at Valerius, qui mortua matre, in utero servatus esset.

SPURIUS dictus, qui sine patre esset. antiqui enim iisdem litteris S. P. *Spurium*, & *Sine Patre*, scripserunt. Plutarchus in Quæstionibus, & Valerius.

TIBERII, qui ad Tiberim nascerentur. Valerius.

DE TITO controversia est. Valerius a Sabino quodam, nomine Tito, manasse ait; Festus, a *Titulo*. *Titulos* autem milites fuisse, quod patriam tuerentur, quasi *Tutulos*.

TULLUS, ominis causa dictus est, quasi tollendus, o littera in *u* versa. Valerius.

VOLERO, inquit Valerius, *in prænomen abiit, quia volentibus nasci liberis parentibus indebatur, quo usus est Publilius Philo*. Quare in anno CCCLIII. Capitolino ita est, L. PUBLILIUS L. F. VOLER. N. PHILO.

VIBUM prænomen esse, indicat annus CCC. Capitolinus, ubi est ita: P. SESTIUS Q. F. VIBI N. CAPITOLINUS. Itemque Livius libro XXVI. Vibus Virius.

VOPISCUS dictus, qui ex duob. conceptis, uno abortu excluso, ad partum legitimum deduceretur: quo prænomine præcipue Julia gens usa est. Valerius, Festus, Plutarch. in Coriolano, Plin. lib. VI. cap. IX. Sed de Romanorum prænominum vi ac significatione hactenus. Peregrinorum autem multo obscurior ratio & significatio est.

ANCUM scribit Varro a Sabinis ortum. Valerius autem tradit eum Ancum esse appellatum, qui vitiosum habuerit cubitum, qui ἀγκὼν Græce dicitur. cui etiam Festus assentitur: *Ancus enim*, inquit ille, *vocatur qui aduncum habet brachium, ita ut regi non possit*. Hinc Ancus Marcius rex, & Ancus Poblicius imperator Lanuvinus contra Hostilium regem, Dionysio auctore.

ARRUNTEM, & LUCUMONEM, Etrusca prænomina fuisse scribit Dionysius. Itaque Arruntem Tarquinium Superbi regis filium, & Arruntem Tolumnium Porsenæ filium legimus.

VOLUSUS, Sabinum fuit. eoque usus est pater P. Valerii Poplicolæ, Livio & Capitolinis lapidibus auctoribus: quamquam Græci Οὐάλεσον vocant.

LARTIS prænomen, ut tradit Valerius, a laribus sumptum est. Tuscum autem ante creditum est esse; fuitque consulis Herminii. Idem fere Carisius; & Priscianus lib. V. *Lar, si familiaris est, facit* laris; *si Tolumnii Porsenæ*, Lartis. Et Servius in VI. Æneidos: *Lar Tolumnius, a Cosso occisus, a loco dictus est: flectitur autem* Lar Lartis. Et Livius libro IV. *Daturos quod Lar Tolumnius dedisset*. Et Cicero Philippica IX. *Lar Tolumnius Vejentium Rex*. De Larte Porsena ita Dionysius lib. V. Βασιλεὺς ἦν Κλυσιανῶν Λάρος ὄνομα, Πορσίνας ἐπίκλησιν. Quod autem hoc prænomen Herminii consulis fuerit, ut ait Valer. id ex Dionysii lib. IX. quoque cognoscitur; a quo ita anno CCCIV. consul scribitur: Λάρος Ερμίνιος: & a Diodoro Λαρῖνος Ερμίνιος. Ex his autem intelligi potest, quam vere scripserint quidam in libro de Nominibus, ita: *Posteaquam in urbem migrarunt Sabini, duplicari nomina cœperunt; ut, Numa Pompilius, Servius Tullius, Lartes Porsena. quamvis hoc nomen Etruscum fuerit. In quo prænomine* LARTES, *sciendum eo veluti prænomine usos veteres. Servius interpres Vergilianus, ab oppido dictum putat. Itidem Plutarchus in Publicola existimat; qui tamen* Λαέρτης *scribit, sed male*. Hæc illi, quam autem vere, ipsi viderint. neque enim Lartes Porsena duobus tantum nominibus usus est, cum ex Tolumnia gente fuerit, Servio & Prisciano (quos ante nominavi) auctoribus; nec LARTES in recto casu dicitur, sed LAR, quod superioribus testimoniis comprobatum est; nec Servius LARTEM ob oppido dictum ait, sed a loco; nec item Plutarchus illo in libro, nedum in Poplicola, ab oppido dictum ait; neque item est apud Plutarchum Λαέρτης, sed Λάρος; quamquam mendose. inquit enim, ἱκέτευσε Κλάραν Πορσίναν: cum sit legendum ex Dionysio, ἱκέτευσε Λάρον Πορσίναν. Cur igitur hoc illi dixerunt? quia interpretem legerunt, qui ita vertit; *Supplex ad Laertem Porsenam confugit*. Illi vero, in Græcis libris versati, quid in Græco codice esse deberet, intelligentes, illud, quod non erat, esse affirmarunt.

METIUS, Albanorum prænomen fuit, ut in Metio Fufetio: & Sabinorum, ut in Metio Curtio: & Latinorum, ut in Metio Geminio, & Metio Octavio; de quibus Livius.

NUMA, Sabinorum fuit, ut in Numa Pompilio rege, & in Numa Marcio Pont. Max. de quo dixi in primum Livii librum.

POMPONIS prænomine usus est Pompo Pompilius, Numæ regis pater. Dionysius in Numa, & Livius lib. XLI. Itaque Numa etiam filium habuit nomine Pomponem, qui ex se gentem Pomponiam propagavit, auctore Plutarcho. quamquam quidam imperite Pomponii filium Numam esse scripserunt.

TALLUS, Sabinorum prænomen fuit, de quo Festus. Dionysius etiam cum Tatio rege Sabinorum Romam commigrasse ait Tallum cognomine Tyrannum.

TURNUS, Latinorum fuit; ut in Turno Herdonio Aricino.

SERTOR, auctore Valerio dictus est, qui per sationem natus esset; eoque prænomine Sertor Resius usus est, is qui primus jus fetiale instituit. Festus autem Sertorem a prendendo dictum a quibusdam ait, quia cum cuipiam afferat manum educendi ejus gratia ex servitute in libertatem, vocetur *adsertor*;

cum verisimilius sit, dictum quod ferret quid; ac potius adsertorem a ferendo accepisse nomen, cum aliquem ferat, petendo in libertatem eandem qua ipse sit, id est, jungat, quia fruges, cum feruntur, terræ jungit.

STATIUM prænomen, a stabilitate dictum tradit Festus; servile autem nomen fuisse Gellius.

Quemadmodum Rom. prænomina scriberentur, & errores quidam in iis scribendis sublati.

His rebus expositis, reliquum est, ut, quod in scholiis etiam Livianis fecimus, qua ratione hæc ipsa prænomina scriberentur, tradamus. id enim maxime rem caussamque continere videtur. Romanorum igitur prænominum alia singulis, alia binis, alia ternis litteris scribi solita, cum a veteribus traditum, tum ab antiquissimo quoque lapide nummoque ita retentum est, ut nihil ea re possit esse illustrius. Auctores sunt Plutarchus in Quæstionibus, Sosipater, Donatus, & Priscianus: quorum verba recitarem, si rem indigere probationis putarem. Singulis litteris scribebantur, Aulus, Cæso, Cajus, Quinctus, Decimus, Lucius, Marcus, Manius, Numerius, Publius, Titus; ut, A. Postumius, C. Julius, K. Fabius, Q. Cæcilius, D. Junius, L. Licinius, M. Valerius, M'. Curius, N. Fabius, P. Cornelius, T. Manlius: Binis, Appius, Cnæus, Spurius, Tiberius, Opiter; ut, Ap. Claudius, Cn. Pompejus, Sp. Veturius, Ti. Æmilius, Op. Virginius: Ternis, Mamercus, Sextus, Servius, Tullus; ut, Mam. Æmilius, Sex. Julius, Ser. Cornelius, Tul. Hostilius. Neque vero horum omnium antiquæ notæ in libris sunt conservatæ, verum nonnullorum ita aut vetustate aut negligentia sunt deletæ, ut non solum nulla vestigia nobis sui reliquerint, sed ipsa etiam in alia prænomina transmigrarint. Cui tamen incommodo nos & apud Livium, & in Fastis ipsis ita occurrimus, ut & sua cuique prænomina reddiderimus, & ea propriis cujusque, quæ desiderabantur, notis distinxerimus. Ac primum quidem, quoniam multos esse animadverti, qui *D. Decium* interpretarentur, notum quidem errorem, sed errorem tamen, tollere volui. nam præterquam quod DECIUS est gentis nomen, Græcorum etiam monumenta satis indicant, quoties in libris Latinis aut aliis ejusmodi monumentis *D.* loco prænominis scriptum est, *Decimum* esse exponendum; quia Δέκιμον plerumque habent, non Δέκιον.

MANIUS scribebatur hoc pacto M'. id autem ex eo argumento collegi. animadverti Curium Dentatum, quem libri Latini Græcique plerumque Manium Curium nominant, in quarto ejus triumpho Capitolino ita describi; *M'. Curius*, M'. F. M'. N. DENTATUS. eadem ratione Valerium, qui anno CCLIX. dictator est, & a Dionysio Manius Valerius dicitur, in fragmentis Capitolinis ita vocari; M'. VAL.-Præterea consules qui anno CDXC. in Consulibus Capitolinis M'. VALERIUS, & M'. OTACILIUS scribuntur, a Polybio Μάνιον Οὐαλέριον, & Μάνιον Ὀτακίλιον nominari. Hæc igitur ipsa cum legissem, accuratior deinde factus sum in Aciliis, & Aquilliis, Æmiliis, Sergiis, ceterisque ejusmodi suo prænomine decorandis; quos in antiquis monumentis iisdem notis esse descriptos, apud Græcos fere aut Manios aut Mallios finitimo errore vocatos esse reperiebam. Quibus rebus adductus, tum prænomen, tum ejus antiquam notam, linguæ Latinæ restitui, eaque ipsa re historiam ipsam Romanam, quæ magnam jacturam fecerat, sublevavi. Puto autem veteres his notis M'. & M. distingui Manium a Marco voluisse, qui M. littera notantur. Iccirco autem dixi, & M/. quia quæ nota in Capitolinis tabulis est M'. ea est in nummis argenteis M/; ut, M/. CORDIUS RUFUS. M/. ACILIUS IIVIR VALETU. M/. SERGIUS SILUS. quos nummos cum apud alios, tum maxime apud clarissimum virum Andream Lauredanum patricium Venetum repperi.

NUMERIUS N. littera scribebatur. Itaque ego & prænomen, & prænominis notam renovavi, quæ jam prorsus vetustate obsoleverat. Etenim cum hoc esse Fabiæ gentis prænomen ex Festo & Valerio didicissem, cumque ex Fabiis eum primum Numerium esse dictum, qui Q. Fabii filius esset, ejus qui CCCVI. ad Cremeram interfectis superfuit, scirem, eundemque in Capitolinis consulibus anno CCCXLVI. N. FABIUS Q. F. Q. N. VIBULANUS describi animadverterem, non dubitavi quin & in eo, & in ceteris Fabiis, qui N. Fabii scriberentur, Numerius esset interpretandum. Quod ipsum deinde ex Diomede, & ex Valerii libro IV. cap. III. apertius etiam cognovi. Nam Diomedes Numerii prænomen N. littera designatum fuisse scribit; & qui in Capitolinis triumphis N. FABIUS PICTOR scribitur, is a Valerio Numerius Fabius Pictor appellatur. Hæc autem nota est in L. SEXTIO SEX. F. N. N. SEXTIN. LATERANO: & in Epigrammatis antiquæ urbis, N. JUNIO EPIGONO. In libris autem Latinis ita evanuerat, ut nullam prope sui imaginem reliquisset; sed in CN. & M. &c. evaserat.

CÆSONIS etiam nota K. cum interiisset, ex Terentio Scauro, & lapidibus Capitolinis restituta est. Quod tamen intellectu non admodum fuit difficile. nam cum in Fabiorum gente, quos Cæsonis filios aut nepotes esse Livius & Dionysius scribunt, eos in marmoribus Capitolinis K. F. K. N. describi animadverterem, in eam veni sententiam, ut pro K. Cæsonem esse intelligendum putarem. quam literam eos iccirco in hoc prænomine usurpasse existimo, ut a Cajo, qui C. littera notatur, internosceretur; in quam literam passim in libris Latinis mutata erat.

TIBERIUM duabus literis notatum fuisse, & Probus tradit, & antiqua marmora testimonio sunt; in quibus quoties TI. invenitur, semper Tiberius in Græcorum monumentis est scriptus; ut in Semproniis, Æmiliis, Claudiisque Neronibus. Hæc autem ratio scribendi, præterquam in paucis, hoc tempore servabatur. Quam certe in omnibus nostri non neglexissent, si Plutarchi verba in Quæstionibus scripta attendissent; a quo inter ea prænomina quæ duabus notantur literis, TIBERIUS numeratur. quamquam verba ejus mendosa sunt. inquit enim, alia prænomina binis fuisse notata litteris, ὥσπερ τὸν Βέρριον, καὶ τὸν Γναῖον: cum sit legendum, ὥσπερ τὸν Τιβέριον. quam vocem omnes qui hucusque ejus loci testimonium protulerunt, (fuerunt autem plurimi) quique eum librum Latine verterunt, ut supervacaneam omiserunt. Miror autem amicum meum in libello de nominibus ita scribere: *T. id est, Titus: ut, T. Ampius. quamvis in Sempronio Gracchos Tiberium significet: in quo multi errant*. miror, inquam, eum ea scribere, quæ neque scriptorum, neque lapidum, neque nummorum auctoritate comprobare possit; cum in omnibus sit Ti. Sempronius, non T. Sempronius, nisi mendose.

MAMERCI prænomen, cum esset prorsus tenebris vetustatis oppressum, in lucem produximus. Quod ipsum una cum ejus nota debemus tum Capitolinorum marmorum, tum maxime Græcorum annalium monumentis.

TULLUS item, & OPITER, eodem in numero poni possunt. Nam cum ab omnibus passim integra scriberentur, a nobis ad antiquæ scripturæ formulam ex Prisciani & Probi auctoritate redacta sunt, ita ut ille tribus, hic duabus literis notaretur.

De SERVIO prænomine, quod nonnulli SERG. scribere cœperant, quasi esset gentis Sergiæ nomen,

A non dicam . est enim error jam satis a multis exagitatus.

AGRIPPA modo omnibus literis descriptus est, modo plerisque: ut in Capitolinis consulibus an. CCL. AGRIPPA MENENIUS LANATUS; & CCCXXXIV. MENENIUS AGRIP. F. Reliqua omnibus: ut anno CCCXXXVI. P. LUCRETIUS HOSTI F. & CCC. P. SESTIUS VIBI N. & CCCXXXVIII. C. VALERIUS VOLUSI N. & CCCLIII. L. JULIUS VOPISCI N. at Volero plerisque: ut CCCLIII. L. PUBLILIUS VOLER. N.

Hactenus de notis prænominum. de quibus non ita admodum longa disputatione opus fuisset, si amicus meus, qui de nominibus scripsit, in his tradendis eadem qua ceteris solet in rebus, diligentia B usus esset. Ille enim satis esse duxit admonuisse, quædam prænomina una litera notata; ut M. P. Q. L. C. D. T. quædam duabus; ut SP. AP. CN. quædam tribus; ut SER. SEX. quæ omnibus nota erant: quæ vero omnibus ignota, ea præteriit. nihil enim de Manio, nihil de Numerio, nihil de Cæsone, nihil de Tiberio, & priscis eorum notis; nihil de significatione eorum, nihil de tota hac tam multiplici & varia ratione, nisi quæ multis jam sæculis sciebamus, sine ulla tamen auctoritate tradidit: ita ut non nisi quatuordecim prænomina cognovisse videatur; aut certe, si plura cognovit, non nisi ea quæ C omnibus erant in promptu, & quæ nulla ex parte depravata erant, docuisse; quæ autem interciderant, aut corrupta erant, pro notis præteriisse. Neque vero consulto omisisse potest; quippe cum inter prænomina statuat ea etiam quæ prænomina non sunt, ut LICINIUS, in Licinio Menenio Lanato apud Livium: cum Licinius sit gentis nomen, & apud Livium legendum sit L. Menenius Lanatus; quod ipse in scholiis Livianis docui. siquidem Diodorus eum nominat, Λεύκιον Μενένιον Λανάτον. Ergo si brevitati studuit, cur ea quæ prænomina non sunt pro prænominibus attulit? si nihil ex iis quæ ab aliis (ut ipse se facturum profitetur) dicta erant, D prætermisit, cur ignotissimum & obscurissimum quodque præteriit?

De duorum prænominum pronuntiatione, Caii & Cnæi.

JAM vero illa non contemnenda esse videntur, quæ de duorum prænominum pronuntiatione a veteribus tradita sunt, Caii, & Cnæi. Quæ ipsa cum C. litera notentur, G tamen sono pronuntiari Diomedes his verbis testatur: *G nona consonans est, in cujus locum C solebat apponi; ut & hodie, cum Gajum Cæsarem notamus, scribemus C. Cæsarem. ideoque post B literam tertio loco digesta est; ut apud* E *Græcos* Γ *posita reperitur in eo loco*. Et alibi: *N. prænominis nota, Numerium significat; & præposita sibi G, Gnæum; quem antiqui Cnæum scribunt*. Et Valerius: *Cnæi prænomen varia scriptura notatum est: alii enim Cnæum, alii Gnæum, alii Næum scripserunt. Qui G littera in hoc prænomine usi sunt, antiquitatem sequuti esse videntur, quæ multum ea litera usa est. olim enim dicebant frugmentum, post frumentum: olim gnaturam, post naturam. itaque etiam qui in corporibus nævus gigni solet, gnævus appellatur. qui Cnæum dixerunt, corruptione syllabæ* F *delectati esse videntur: qui Næum, levitate.*

Quæ prænomina pro cognominibus usurpata sint.

FUISSE præterea aliquot etiam prænomina, quæ longo post tempore pro cognominibus usurpare cœperint, ex vetustis non solum grammaticis, sed etiam annalibus intelligitur. quod ipsum in Agrippa, Voluso, Mamerco, Proculo, & Tullo facile perspici potest: quæ in L. Vipsanio Agrippa, L. Valerio Voluso, M. Æmilio Mamerco, C. Plautio Proculo, L. Volcatio Tullo, viris consularibus, cognomina esse perspicuum est. Quod etiam tradit Valerius his verbis: *Quæ olim prænomina fuerunt, nunc cognomina sunt; ut Postumus, Agrippa, Proculus*. Itemque Priscian lib. II. his: *Inveniuntur autem multa, quæ in aliis personis sunt prænomina, loco cognominum accipi.*

De prænominibus feminarum.

SANE restat, ut, quoniam de virorum prænominibus satis dictum est, de feminarum prænominibus dicendum esse videatur. quod eo accuratius mihi faciendum esse existimo, quod amicus meus, nulla antiquorum auctoritate adductus, suo jure feminas Romanas omnino caruisse prænominibus docuit. sic enim in lib de Nominibus loquitur: *Mulieres a nomine gentis vocabantur, & uno tantum nomine; ut Porcia, Cornelia, Julia, Tullia. Item Plutarchus in Problemat. ubi quærit, cur maribus nono, feminis octavo die nomina imponerentur, ait: Mulieres uno aut duobus appellabantur nominibus. Ego duobus appellari nunquam observavi; ni fortasse prænomen illud significare voluit Plutarchus, quod est omnibus mulieribus commune, ut dicerentur* Cajæ. Hæc ille se observasse ait. Ab hac autem observatione omnia tum auctorum, tum lapidum etiam veterum testimonia maxime dissentiunt. Scriptorum primum verba recitabo, post lapidum. Valerius ita: *Antiquarum mulierum frequenti in usu prænomina fuerunt, Rutilla, Cesella, Rodocilla, Mutrulla, Burra. Ista prænomina a virilibus tracta sunt, Caja, Lucia, Publia, Numeria*. Festus vero ita: *Prænominibus feminas usus esse, testimonio sunt Cæcilia & Tarratia, qua ambæ Cajæ solitæ sint appellari; pari modo Lucia & Tita*. Varro autem ita: *In nostris nominibus, qui sumus in Latio, & liberi, analogia necessaria. itaque ibi apparet analogia, ac dicitur Terentius vir, Terentia femina, Terentium genus. In prænominibus ideo non fit item, quod hæc instituta ad usum singularia, quibus discernerentur nomina gentilicia, ut a numero, (Prima,) Secunda, Tertia, Quarta: in viris, ut Quinctus, Sextus, Decimus. sic ab aliis rebus, cum essent duo Terentii, aut plures, discernendi causa, ut aliquid singulare haberent, notabant: forsitan ab eo qui mane natus diceretur, ut is Manius esset; qui luci, Lucius; qui post patris mortem, Postumus. E quibus quædam item cecidisse in feminis, proportione appellata, declarant prænomina antiqua mulierum, Mania, Lucia, Postuma. Videmus enim Maniam matrem Larum dici; Luciam Volumniam Saliorum carminibus appellari; Postumam a multis post patris mortem etiam nunc appellari*. Iccirco autem dixit, *quædam*. nam paulo ante dixerat, non quia *Marcus* & *Numerius* dicitur, iccirco *Marcam* & *Numeriam* dici. Postremo Plutarchus in Mario Posidonium reprehendit, qui cum primum nomen proprium esse diceret, nulli tamen mulieri primum nomen esse dicebat. ex quo efficiebatur, mulieres proprio nomine caruisse. Itaque idem in Quæstionibus aperte scribit, mulieres duobus, viros tribus nominibus esse usos. sic enim ait: Χρῶνται δὲ δυσὶ ὀνόμασιν αἱ θήλειαι, τρισὶ δὲ οἱ ἄῤῥενες. Itaque miror amicum meum, Græcarum literarum peritum, ita vertisse: *Mulieres uno aut duobus appellabantur nominibus*. Non enim Plutarchus inquit, *uno*, *aut duobus*, verum expresse *duobus*. Idem præterea auctor est Romulum ex Ersilia filiam unam suscepisse, eamque ab ordine procreationis *Primam* appellasse: itemque Sullæ dictatori filiam ex Valeria esse natam; eandemque, quia post obitum patris nata erat, *Postumam* esse vocatam.

HÆC ex auctoribus, quibuscum lapidum etiam testimonia consentiunt. Exstant epigrammata duo Mutinæ vetustissima, unum in turri D. Geminiani,

alterum apud eruditissimum virum Ludovicum Castelvetrum, in quibus PRIMÆ mentio est. ea vero sunt hæc:

SALVIA C. F.
PRIMA FECIT.
&
SEX. TULLIUS SEX. F. V. SIBI ET
SUIS, ET PRIMÆ VALERIÆ SP.

Et in multis epigrammatis antiquæ urbis: JULIA SECUNDA, & CORNELIA SECUNDA. Item in eodem libro: TERTIÆ PRISCIÆ IONIA SALVIA. *Tertiam* item *Juniam* legimus apud Suetonium in Cæsare, & apud Macrobium lib. II. quam *Tertullam* vocat Cicero lib. XIII. epistolarum ad Atticum. & Valerius Paullo Æmilio filiam fuisse ait nomine TERTIAM. unde Paullus apud Ciceronem, *O mea Tertia*, inquit. De *Quarta* est inscriptio vetus in prætorio Patavino ejusmodi:

V. F.
T. LIVIUS
LIVIÆ T. F
QUARTÆ L.
HALYS
CONCORDIALIS
PATAVI
SIBI ET SUIS
OMNIBUS

Et apud Livium lib. XL. *Quarta Hostilia* memoratur. *Quinctæ* mentio est apud Livium libro XXVIII. ut *Quincta Claudia*. Item apud Ciceronem in oratione pro Cœlio, & de aruspicum responsis. præterea epigrammata duo apud Horatium Malegutium clarissimum juvenem sunt in agro Reginensi ejusmodi:

QUINCTÆ NONIÆ
RUFÆ. ET
NONIÆ. Q. F. QUINCTULÆ
&
SEPTIMIUS
D. L. NICEPOR.
SEPTIMIA
SP. F. QUINTA

De *Lucia* exstat etiam tale Mutinæ monumentum in sepulcro marmoreo:

MEMORIÆ CLA. FEM.
L. PÆDUCEÆ JULIANÆ
MORIBUS. NATAL. AC PUD. PRISCIS
INLUSTRIBUSQUE FEMI. COMPARANDA.
QUÆ VIXIT ANNOS XIII. D. XLVII.
CUM MARITO FECIT ME. V. D. XX.
L. NONIUS VER.

De *Mania* tale est in lib. epigrammatum antiquæ urbis:

M'. ACILLÆ M'. F. JUSTINÆ
P. SIRIUS SERPICAMUS MARITUS
UXORI OPTIMÆ ET KARISSIMÆ.

Et alio loco:

POPIDDIA SP. F. A. XIIX.
JULIA PROCULA F. EJUS. V. A. X. M. III.

EST autem PROCULUS Juliorum prænomen, ut in Proculo Julio regnante Romulo: de quo Livius & Dionysius. In eodem libro est T. FLAVIA AUG. L. multaque ejusmodi alia. Quibus ex omnibus cum illud intelligi arbitror, de quo dicere cœperam, mulieres præter Cajam, alio aliquando prænomine esse usas; tum illud etiam, quod idem ne fieri quidem

A umquam se observasse profitetur, prænomina modo præponi, modo postponi consuevisse; siquidem *Primam Valeriam*, & *Salviam Primam*; ac *Quartam Hostiliam*, & *Liviam Quartam*; ac *Quintam Noniam*, & *Noniam Quinctulam* scriptas esse, animadverti potest. Quod idem in viris Livius etiam fecit, qui *Attius Tullus*, *Attius Nævus*, *Manlius Cnæus*, & *Octavius Metius*; & Cicero, *Maluginensis M. Scipio*; & Suetonius, *Claudius Appius Regillanus*, & alia ejusmodi dixerunt. CAJAM præterea, quod commune omnibus mulieribus prænomen fuit, inversa notatam fuisse, contraque *Cajum* in viris, satis est ex Probo, aliisque veteribus grammaticis,
B atque lapidibus, perspicuum.

De prænominibus imponendis.

NUNC, quoniam ad rem pertinet, quid de prænominibus imponendis veteres senserint, explicemus. Ac sane qui de tempore tradunt, quo ea imponerentur, auctores habeo nobiles illos quidem & magnos; verum ita inter se dissidentes, ut utram sequaris sententiam, facile statuere non possis, nisi aliud aliis temporibus observatum esse intelligas. Quid est enim tam dissimile, quam ea quæ a Vale-
C rio, & a Plutarcho, Festove scribuntur? quorum ille pueris non priusquam togam virilem sumerent, puellis non antequam nuberent; hi vero, maribus quidem nono, feminis autem octavo die imponi consuevisse prænomina tradunt. Verba Plutarchi sunt hæc in Quæstionibus: Τῶν μὲν παίδων τοῖς μὲν ἄῤῥεσιν ἐνναταίοις· τοῖς δὲ θήλεσιν ὀγδοαίοις τὰ ὀνόματα τίθενται. Festi vero hæc: *Lustrici dies infantium appellantur, puellarum, octavus; puerorum, nonus; quia his lustrantur, atque eis nomina imponuntur.* De ratione autem imponendi satis constat, suis quemque filiis ea prænomina indidisse, quæ suæ essent cujusque familiæ maxime propria; ac primum
D quemque filium patris esse prænomine plerumque usum, eandemque deinceps rationem in adoptivis filiis, & libertis, & novis civibus, esse servatam, ut, a quo quisque adoptatus esset, aut per quem quisque vel libertatem vel civitatem consequutus esset, ejus maxime nomina usurparet. At primum quidem quod dixi, suæ quemque familiæ propria prænomina imposuisse, & non omnia omnibus familiis prænomina fuisse communia, sed alia aliis fuisse familiaria. APPIUS enim vix in alia quam in Claudia gente patricia reperitur. MARCO ne quis uteretur, decreto gentis Manliæ patriciæ cautum es-
E se; LUCIUM a Claudiis repudiatum; CNÆUM & LUCIUM a Domitiis Ahenobarbis tantum fuisse probatos, Suetonius in Tiberio & in Nerone tradit. Quod autem plerumque primus quisque filius prænomen patris tulerit, id ex familiis iis quas in Scholiis Livianis digessimus, animadverti potest. Fuisse autem quandam distinguendi rationem, si eodem pater & filius prænomine præditi eodem tempore floruissent, hinc intelligi licet, quod Cicero Q. Q. Catulos modo patre, modo filio, modo sene, modo adolescente distinguit. quod idem de Q. Q. Fabius Liviis, de C. C. Curionibus Suetonius. Neque vero de adoptivorum appellatione multa mihi esse
F dicenda existimo, cum a multis jam res sit ex veterum annalium observatione tractata. Illud tamen dicam, Dionem libro XL. & XLVI. hujus auctorem sententiæ esse; qui adoptarentur ab aliquo, eos nomina illorum omnia a quibus adoptarentur, ferre consuevisse; suum vero gentilicium nomen retinuisse illud quidem, sed aliquo tamen modo commutasse: ut, *C. Octavius* qui dicebatur, posteaquam a C. Julio Cæsare est adoptatus, *C. Julius Cæsar* appellari cœptus est; ita tamen ut gentilitium Octavii nomen non defereret, sed id quodammodo commutaret, & *Octavianum* pro *Octavio* redderet,

Idem in *P. Cornelio Scipione Æmiliano*, & in *L. Manlio Acidino Fulviano*, & in *P. Licinio Crasso Muciano* factum est: qui omnes ab eo a quo adoptati erant, nomina sumpserunt. Eodem spectans Cicero lib. epist. ad Att. III. dixit: *Cicero salutem Q. Cæcilio Pomponiano Attico*. Eodem etiam referuntur ea quæ ab eo scripta sunt lib. VII. *Dolabellam video Liviæ testamento cum duobus coheredibus esse in triente; sed juberi mutare nomen*. Quod autem scribit Dio, id etiamsi verum est, non ab omnibus tamen ubique retentum est. Neque enim Aurelius Orestes, qui a Cn. Aufidio; nec Calpurnius Piso, qui a M. Pupio (ut scribit pro domo Cicero) adoptati fuerunt, aut *Aurelianus*, aut *Calpurnianus* appellati sunt: sed ille, Cn. Aufidius *Orestes*; hic, M. Pupius *Piso* nominatus est. Eadem etiam ratione ne P. quidem Cornelius Scipio, qui, Dione auctore, a Q. Metello Pio; nec M. Junius Brutus, qui teste Plutarcho, a Q. Servilio Cæpione sunt adoptati, aut *Cornelianus*, aut *Junianus*; sed ille, Q. Cæcilius Metellus Pius *Scipio*; hic, Q. Servilius Cæpio *Brutus* est appellatus; ut Dio lib. XL. Cicero in Philippicis, nummi argentei testantur; in quibus nummis est ita:

Q. METELLUS PIUS
SCIPIO
Q. CÆPIO BRUTUS
PRO COS.

Metellus autem hic Scipio P. Cornelii Scipionis Na- A sicæ filius naturalis fuerat, teste Dione: qui ita ait lib. XL. Ὁ Πομπήϊος Κύϊντον Σκιπίωνα, πενθερόν οἱ ὄντα, προσείλετο οὗτος γὰρ γόνῳ μὲν υἱὸς τοῦ Νασικοῦ ὤν, ἐκ δὲ τοῦ κλήρου διαδοχῆς ἐς τὸ τοῦ Μετέλλου τοῦ εὐσεβοῦς γένος ποιηθείς. id est, *Pompejus Q. Scipionem socerum sibi collegam ascivit; qui naturalis filius fuit Nasicæ ille quidem, at adoptatus a Q. Metello Pio*. Quod cum ita sit, nescio quid in mentem amico meo venerit scribere in libro de nominibus ita: *Cicero lib. epist. ad Att. VI. Scipionem hic Metellus, proavum suum, nescit censorem non fuisse. Significat Scipionem Asiatici illius filium, qui adoptatus fuit a Q. Metello Pio*. Cur mirer, hæc caussa est. nemo B enim Asiatici filium fuisse Scipionem hunc scribit; nisi, quem hic sequitur, Dionis interpres. Neque vero omnino hic Scipio Metellus Asiatici filius esse potuit, sed Nasicæ. primum quia hic idem P. Cornelius Scipio apud Eutropium, & Eutropii Græcum interpretem Pæanium, nominatur. & P. Scipio in Epitomis, & apud Ciceronem pro domo dicitur, cum ait: *Atqui C. Atinius patrum memoria bona Q. Metelli, qui eum ex senatu censor ejecerat, avi tui, Q. Metelle; & tui, P. Servili; & proavi tui, P. Scipio; Asiatici vero, Lucii prænomen tulerunt*. de- C inde quod in Bruto avum hujus vocat P. Scipionem Nasicam oratorem; proavum P. Scipionem Nasicam Serapionem, oratoris patrem; abavum vero P. Scipionem Nasicam Corculum, Serapionis patrem. quæ cum in Asiatici filium cadere nullo modo possint, in Nasicæ certe maxime cadunt, hoc modo:

I P. Scipio Nasica Corculum; cos. 591. 598. abavus Scipionis Metelli.

II P. Scipio Nasica Serapio; cos. 615. proavus Metelli Scipionis.

III P. Scipio Nasica orator; avus Scipionis Metelli; cos. 642. uxor Cæcilia Macedonici filia.

IV P. Scipio Nasica; pater Metelli Scipionis.

V P. Scipio Nasica; qui adoptatus a Q. Metello Pio, Q. Metellus Pius Scipio dictus est; cos. 701.

I C. Lælius, cos. 613. abavus Scipionis Metelli.

II Lælia filia, uxor Q. Mucii Scævolæ Aug. cos. 636. proavi Scipionis Metelli.

III Mucia filia, uxor L. Licinii Crassi oratoris, cos. 658. avi Scipionis Metelli.

IV Licinia filia, uxor P. Scipionis Nasicæ, patris Metelli Scipionis.

V P. Scipio Nasica, qui adoptatus a Q. Metello Pio, Q. Metellus Pius Scipio dictus est; cos. 701.

DESCRIPSI autem etiam maternos Metelli avos ex Ciceronis sententia in Bruto, ne quis eundem de maternis, non de paternis intellexisse suspicari posset, atque ita rem (quod fieri ne hoc quidem pacto potest) ad Asiaticos traheret. Hæc autem commutandorum ex adoptione nominum ratio, cum in aliis, tum maxime in M. Licinio Lucullo C. Cassii in consulatu collega, Ciceronis interpretes decepit, qui cum in Verrem M. Terentium, C. Cassium cos. ac *legem Terentiam & Cassiam* nominaret, mendum esse in Terentio, & Licinium reponendum esse duxerunt. quod profecto non fecissent, si adoptionem subesse intellexissent: quod ex fragmento illius consulatus Capitolino colligitur, in quo ita est: M. TERENTIUS M. F. VARR. LUCULLUS. C. CASSIUS. Ita etiam alibi: A. TERENTIUS VARRO MURENA. neque enim *Murena* Terentiorum, sed Liciniorum, ut *Lucullus*, cognomen fuit.

TRANSEAMUS ad servos. Non est autem dubium, quin, quemadmodum cum servitutem serviebant, prænomen domini sequebantur, ita ut *Lucipores*, *Marcipores*, *Publipores*, *Quinctipores*, quasi Lucii, Marci, Publii, & Quincti pueri dicerentur, ut a Plinio & Quinctiliano scriptum est: ita etiam D in libertatem vindicati, patroni, a quo manumissi essent, nomina usurpaverint. nam præterquam quod exemplo sunt M. Tullii Ciceronis liberti duo, quorum alter *M. Tullius Tiro*, alter *M. Tullius Laurea* dictus est, & *Livius Andronicus* poeta, quem a M. Livio Salinatore, cujus filios erudierat, libertate donatum scribit Eusebius in Chronicis: id etiam ex verbis Ciceronis ad Att. libro IV. & Artemidori libro primo effici potest. Cicero enim de Eutychide servo Attici manumisso ita loquitur: *De Eutychide gratum; qui vetere prænomine, novo nomine, T. erit Cæcilius, ut ex me & ex te junctus M. Pomponius*. Artemidorus autem de servi cujus- E dam somnio ita: *Cognovi*, inquit, *quendam, qui cum sibi videretur tria pudenda habere, ex servitute in libertatem vindicatus, pro uno nomine tria accepit, duobus nominibus ab eo, a quo manumissus fuerat, sumptis*. Jam vero eos qui in civitatem suscepti essent, illorum potissimum nomina tulisse, quorum beneficio civitatem impetrassent, Latinorum scriptorum exempla ostendunt. nam & Cicero ad Acilium ita scribit: *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est. ei Dolabella rogatu meo civitatem impetravit: qua in re ego interfui itaque nunc*

P. Cornelius vocatur. itemque in Verrem: *Q. Lutatius Diodorus, beneficio Q. Catuli a Sulla civis Romanus factus*. eademque ratione de Dione, qui beneficio Q. Metelli civis factus, *Q. Cæcilius Dio* est appellatus. Et Cæsar lib. primo de bello Gallico, ita: *Commodissimum visum est, M. Valerium Procillum, C. Valerii Caburi filium, cujus pater a C. Valerio Flacco civitate donatus erat, mittere*.

CAP. IV.

Cur Gentilicia nomina in IUS *desinant, & quid gens sit, quidque a familia differat*.

B

HIS rebus expositis, reliquum est ut de nominibus gentiliciis agamus. de quibus amicus meus sic scripsit: *Sciendum omnia nomina, quibus familiæ significantur, proferri in* IUS; *ut Porcius, Cornelius, Julius*. recte ille quidem; sed parum ad rem tantam. Illud enim docti hominis, & Romanæ antiquitatis periti erat, caussam ostendere, eamque veterum usu & auctoritate probare. quam ipse, si potero, exponam. Credo enim eos ita factitasse, ut gentis originem ejusmodi derivatione significarent; ut quemadmodum in voce derivatio verbi, C sic gentis etiam, quæ voce illa exprimeretur, principium in voce appareret. Siquidem antiquissimam quamque gentem aut a viro, aut a loco, tamquam a fonte aliquo manasse, & nomen accepisse, perspicuum est: ita quidem, ut hæc derivationis significatio in omnibus studiosissime conservata sit. Hanc autem consuetudinem si in paucis quibusdam gentibus, & antequam urbs conderetur, & postquam condita est, sub regibus consulibusque diligentissime retentam esse ostendero, tum neminem fore puto, qui contradicat. Age enim cur Juliam gentem credimus, aut Æmiliam, aut Atiam, aut Nautiam, hanc ejusmodi terminationem adeo religiose servasse, D nisi ut appareret in voce quod in re exstitit, ab aliquo ipsas initio derivasse? est autem ita. Nam *Julia* gens, Iulum, Æneæ; *Æmilia*, Æmilium, Iuli filium; *Atia*, Atim; *Nautia*, Nautem, Trojanos viros sui generis auctores nuncupant. At vero condita urbe, nonne id etiam observatum est? Scribit enim Plutarchus, Numam regem filios quatuor reliquisse, Pomponem, Calpum, Pinum, & Mamercum; ab iisque *Pomponiam*, *Calpurniam*, *Pinariam*, & *Mamerciam* gentes Romæ propagatas. L. autem Tarquinium Priscum scribit Dionysius Damarati Corinthii fuisse filium; & cum Tarquiniis viveret, *Lucumonem* Etrusco prænomine fuisse vocatum; ubi vero Romam commigravit, ad E morem Romanum sibi nomina composuisse. itaque communi nomine se pro Lucumone *Lucium*; gentilicio vero, a Tarquiniis urbe, non se Tarquiniensem, sed *Tarquinium* appellari voluisse. Idem fecit Ap. Claudius, qui ex Regillo Sabinorum oppido, post reges exactos anno sexto, se cum clientibus Romam contulit. Etenim cum *Clausus* ante diceretur, non jam amplius Clausum, sed *Clausium*, post *Claudium* dici se, ubi Romæ domicilium collocavit, oportere existimavit. Itaque ab eo ceteri omnes Romæ Claudii nominati sunt. Id autem ita F esse, ex eo etiam intelligi potest, quod ait Priscianus lib. II. nomina hæc in IUS apud Romanos idem valere, quod apud Græcos *patronymica*. verba ejus sunt hæc: *Nominum derivatorum multa genera sunt. quorum patronymicum, id est, quod a propriis tantummodo patrum nominibus derivatur secundum formam Græcam, quod significat cum genitivo primitivi filios vel nepotes; ut Æacides, Æaci filius, vel nepos. pro quo Romani nominibus familiarum utuntur, ut Cornelii. omnes enim ab illo qui primus Cornelius appellatus est, hoc nomen habuerunt, quicumque*

A *que ejusdem familia sunt; sicut omnes minores Thesei, Thesidas Græci appellarunt*. Hæc ille. Idem autem sentit etiam Dionysius, qui in Tarquinio Prisco hæc nomina συγγενικά & πατρωνυμικά vocat. Neque vero dubium est, quin hæc tota ratio terminandi usque ad reipubl. interitum incorrupta pervenerit. Nam etsi nonnullos quasi gentilicii nominis expertes esse reperimus, ut *M. Perpernam*, & *C. Norbanum* consulares, quos ita & in libris & in Capitolinis marmoribus nominari videmus; id tamen contigisse videtur, aut quod ii cognomine magis quam nomine delectati sunt, ut *M. Agrippa*, B cujus gentilicium nomen in omnibus lapidibus omissum est, cum tamen ex Vipsaniorum eum gente fuisse Nepos & Dio tradiderint: aut certe quod ea nobis ignota sunt. Quæcumque autem caussa sit, non est quod exiguus horum numerus tam religiosam tot aliorum consuetudinem impediat; præsertim vero amico meo summo viro auctore, qui ita habere omnia sine ulla exceptione asseveravit. Quid autem sit gens, unde ipsa nomina gentilicia dicta sunt, ac quid a familia differat, nunc dicamus. Inter gentem & familiam illud interest, quod GENS ad nomen, FAMILIA ad cognomen refertur. Itaque illa, tamquam totum continere videtur; hæc, quodammodo partem. exempli gratia: Valerii omnes unius esse gentis dicuntur, quia uno nomine continentur omnes. at vero partes gentis hujus sunt plures, quæ ex cognominum varietate distinctæ sunt; eæque familiæ nominantur: ut in gente Valeria Maximi, Messallæ, Flacci, Lævini, Faltones: in Cornelia, Scipiones, Lentuli, Dolabellæ, Sullæ, Cinnæ: in Æmilia, Mamercini, Lepidi, Paulli, Scauri, Barbulæ. itemque in ceteris. at vero Valerii omnes unius sunt gentis; itemque Cornelii atque Æmilii. Itaque recte Festus gentem definit eam, quæ ex multis familiis conficeretur. Quod autem interest inter gentem & familiam, idem interest inter *Genus* & *Stirpem*. Quæ quidem ita esse, ex his veterum historiarum verbis intelligitur. Suetonius in Galba: *Imagines universi generis exsequi, longum est; familiæ, breviter attingam. Qui primus Sulpiciorum cognomen Galbæ tulit, cur aut unde traxerit, ambigitur*. Et Livius lib. XXXVIII. *P. Scipio Nasica orationem habuit plenam veris decoribus, non communiter Corneliæ gentis, sed propriæ familiæ suæ*. Et apud Suetonium Cæsar: *Ab Anco Marcio sunt Marcii reges; quo nomine fuit mater. a Venere, Julii; cujus gentis familia est nostra*. & in Augusto: *Gens Octavia, a Tarquinio Prisco rege inter Romanas gentes allecta, mox a Ser. Tullio inter patricias transducta. primus ex hac magistratum cepit C. Rufus. is quæstorius Cnæum & Cajum procreavit: a quibus duplex Octaviorum familia defluxit, conditione diversa*. Et Cicero in Bruto: *Funebres orationes ipsæ familiæ quasi ornamenta servabant ad usum, si quis ejusdem generis occidisset*. Et Livius libro nono: *Duodecim Potitiorum familias fuisse, cum gens Potitia tota interiit*. & libro primo: *Julia gens, Iulum auctorem sui nominis nuncupat*. & libro septimo sic loquitur Valerius Corvus: *Non si mihi novum hoc Corvi cognomen diis auctoribus homines dedistis, Poplicolarum vetustum nostræ familiæ cognomen memoria excessit*. & libro XL. *Inde cognomen familiæ inditum, ut Annales appellarentur*. Et Catullus, *non decet tam vetus sine liberis nomen esse*, id est, tam veterem gentem, qualis erat Manlia. Hæc de gente, familia & genere. nunc de stirpe dicam. Cic. pro Rabirio: *Qua in familia laus aliqua forte floruerit, hanc fere, qui sunt ejus stirpis, cupidissime persequuntur*. & primo de legibus: *Hic orti stirpe antiquissima sumus*. & in Lælio: *Qui aliquandiu propter ignorantiam stirpis & generis, in famulatu fuerunt*. & lib. I. de oratore: *Quid? qua de re inter Marcellos & Claudios patricios centumviri judicarunt, cum*

Marcelli a liberti filio stirpe, Claudii Patricii, ejusdem hominis hereditatem gente ad se rediisse dicerent; nonne in ea caussa fuit de toto stirpis & gentilitatis jure dicendum? Et Suetonius in Claudio: *Claudius Cn. Pompejo antiquissimæ stirpis Magni cognomen ademit.* Quæ autem ratio est inter gentem & familiam, eadem est inter gentiles & agnatos. ut enim familia aut stirps nos propius attingit quam gens aut genus, sic agnati, quam gentiles. siquidem *Gentilis* auctore Festo dicitur, *qui eodem ex genere natus, & is qui simili nomine appellatur*. recte. quatenus enim ait, *ex eodem genere*, eos intelligit, qui ejusdem gentis eundem principem habent; quatenus, *simili nomine*, eos qui, quamquam uno gentis nomine omnes utuntur, tamen alium atque alium auctorem sui generis nuncupant. quomodo Cicero in prima Tusculana, se gentilem esse ait Ser. Tullii regis, quod uterque simili gentilicio nomine uteretur, cum tamen e diverso uterque fonte manaret. Cum autem ad Herennium scriptum sit: *Si furiosus exsistat, agnatorum gentiliumque in eo, pecuniaque ejus, jus esto.* item; *Si paterfamilias intestato moritur, familia pecuniaque ejus, agnatorum gentiliumque esto. agnati* profecto videntur esse, qui ex eadem familia sint, quibus deficientibus, gentiles subeant. Nam Cicero dixit primo de oratore: *Jura gentilitatum & agnationum.* item: *Jus gentilitatis & stirpis.* & de legibus primo; *Homines, Deorum agnatione & gente tenentur*: cum utramque conjunctionem complecti vellet. Amicus autem meus in suo libro de nominibus, gentem & familiam, gentiles & agnatos, idem esse censet, cum ait: *Agnomen familiæ est appellatio, & gentis: unde Agnati & Gentiles dicebantur, qui ex eadem erant familia; ut Cicero in Topicis ait; & idem in Bruto Ser. Tullium regem gentilem suum ea de caussa nominat.* Mea autem sententia, Ciceronis sententiam percepisse non videtur, qui in Topicis gentiles eos definit, qui inter se eodem nomine sunt; id est, ex eadem gente; ut infra alio loco ostendam: familiæ vero aut agnatorum non meminit. Est præterea intelligendum, Plinium gentiles novo quodam modo appellare. siquidem servos gentiles esse dominorum ait; quia eodem prænomine appellarentur quo dominus; ut Marcipor, Quinctipor, id est, Marci & Quincti puer.

De Romanarum gentium origine.

DUOS autem populos seminarium gentium Romanarum fuisse reperio; Aborigines, & Trojanos; qui ambo ab Ænea (ut Livius & Dionysius tradunt) communi nomine *Latini* sunt appellati. *Aborigines* autem, qui ante adventum Æneæ, Latium, regnante Latino, tenebant, docet Dionysius ex Græcis in Italiam venientibus esse conflatos. Græcos autem hos nominat, Oenotrum, ex Arcadia; Pelasgos, ex Thessalia; Evandrum, item ex Arcadia; Herculem, ex Peloponneso profectum. Atque etiam iidem scribunt Romulum, superante Latinorum Albanorumque multitudine, urbem in Palatio condidisse. Quæ cum ita sint, jam id dubium esse non potest, quin ad hos populos alii etiam plurimi accesserint, qui Romanam urbem gentibus repleverint. siquidem accepimus Romulum Cæninenses, Antemnates, Camerinos, Vejentes, Fidenates, quos bello devicerat; Sabinos vero etiam, quibuscum æquo Marte pugnaverat, in societatem novæ urbis vocasse. Quinetiam multas Etruscorum urbes se ad eum recepisse, initio a Medullia facto, traditum est. Hoc autem Romuli institutum reliqui deinceps reges studiosissime sibi conservandum esse duxerunt; ut finitimas civitates aut vi, aut benevolentia sibi adjungerent, Romamque transferrent. Itaque Tullus Hostilius, eversa Alba, familias ejus urbis Romam traduxit: Ancus Lucumonem Etruscum in senatum ascivit: Priscus Ser. Tullium Corniculanum sibi etiam generum adjunxit. Idem post quoque factum est, liberata regio dominatu rep. Neque enim unquam desitum est civitatem victis populis & gentibus dari, Italiamque ipsam municipiis devinciri, quousque bello Marsico universa fere Italia civitate donata est. Quo tempore multi etiam ne Italicæ quidem gentis, virtutis ergo in civitatem suscipi cœpti sunt. Quoniam autem difficile, immo vero difficillimum est, omnium gentium originem invenire, paucarum tantum quarundam fontes & initia indicabo: ex quibus intelligi poterit, idem etiam in reliquis factum esse. neque enim ullam aliam historiæ Rom. partem, tam & a veteribus, & ab iis qui nunc sunt, neglectam esse comperi, quam quæ hanc quæstionem continet.

HUJUS autem tractationis hos quasi fontes constituo, ut alias gentes a nominibus Aboriginum, vel Trojanorum, vel aliorum ejusmodi populorum; alias a prænominibus, & cognominibus: alias a locis, urbibus, & populis; alias a quadrupedibus; alias a re alia dictas esse affirmem.

Gentes ab Aboriginibus & Trojanis ortæ.

AC VITELLIOS quidem Fauno Aboriginum rege, & Vitellia, quæ multis locis pro numine colebatur, ortos tradit Suetonius in Vitellio.

FABII, a Fabio Herculis filio orti. Plutarchus in Fabio. Unde Juvenalis; *Natus in Herculeo Fabius lare.*

ANTONII, ab Antone Herculis filio. Plutarchus in Antonio.

POTITIAM gentem antiquiorem origine urbis nominat Livius; a Potitio illo sene, qui ad tempus affuit epulis. Servius.

MAMILII, a Mamilia Telegoni filia. Livius, Dionysius, Festus.

Multas præterea gentes Romanas a Trojanis fluxisse credidit antiquitas. Itaque Servius in v. Æneidos scribit, Varronem librum reliquisse de familiis Trojanis, id est, quæ genus trahebant a Trojanis & Juvenalem idcirco *Trojugenas* appellare nobiles Romanos, quasi e Trojanis genitos. Inter ceteras autem hæ fuerunt.

JULIA, a Julo Æneæ filio. Livius, Dionysius, Suetonius, Virgilius. Itaque Proculum Julium Romuli tempore JULI Ascanii progeniem vocat Dionysius; & ipsi JULII cognomen etiam tulerunt JULI. Albana fuit.

AIMILIA, ab Æmilo Ascanii Trojani filio; ut ait Festus. cui rei forte allusit Vergilius, cum dixit:

Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces:
Hinc populum late regem, belloque superbum,
Venturum excidio Libyæ.

Etenim progeniem Æneæ & Juli, vocare videtur Scipionem Paulli Æmilii filium, qui Imp. Carthaginem excidit: Populum autem, legiones Romanas, quæ ab iisdem etiam genus trahebant. alioquin si progeniem & populum idem dicat, supervacanea iteratio videatur. Nihil tamen contra veteres affirmo, alii judicabunt. Plutarchus autem Æmilios a filio quodam Pythagoræ Mamerco dictos ait, qui summo lepore præditus fuerit, quæ Græce αἱμυλία dicitur; itidemque etiam Festus.

ATII, ab Ati. Vergilius; *Atis; genus unde Atii duxere Latini.* Quod Augusti causa dictum scribit Servius; qui ex Atia matre natus est.

NAUTII, a Naute Æneæ comite. Dionysius, Vergilius & Servius in II. Æneid. Cum Diomedes raptum Palladium sibi non esse aptum intelligeret, illud Æneæ transeunti obtulit. sed cum se ille capite velato sacrificans convertisset, Nautes quidam simulacrum accepit. quare Minervæ sacra non Julia gens

habuit, sed Nautia. Idem scribit Varro in lib. de familiis Trojanis.

CLOELII, a comite Æneæ, ejus nominis. Dionysius.

JUNII, a comite Æneæ, ejus nominis. Dionysius.

SERGII, a Sergesto comite Æneæ. Vergilius lib. v. *domus a qua Sergia nomen*.

MEMMII, a Mnestheo comite Æneæ. Vergilius in v. *genus a quo nomine Memmi*.

CLUENTII, a Cloantho comite Æneæ. Vergil. in v. *genus unde tibi, Romane Cluenti*.

GEGANII, a Gia comite Æneæ; ut ait Servius in v. Æneidos.

CÆCILII, a Cæcade comite Æneæ. alii a Cæculo, qui condidit Præneste. Festus.

Ab Italis.

COELII, a Cœle Vibenna Etrusco; qui se Romam, regnante Romulo, contulit. Dionysius, Festus, Tacitus, Varro.

POMPONII, a Pompone, Numæ regis filio. Plutarchus.

CALPURNII, a Calpo Numæ filio. Plutarchus, Festus.

PINARII, a Pino Numæ filio. Plutarchus. Servius a quodam sene, qui, quia ad tempus ad dapes non venit, PINARIUS dictus ἀπὸ τῆς πείνης, id est, a fame. Fortasse Pinaria gens duplex fuit.

CLAUDII, a Clauso Sabino. Livius.

VALERII, a Valeso Sabino. Dionysius. Itaque *Valesii* primum, post *Valerii* dicti. Festus. Boni autem ominis caussa, in delectu censuve, primi nominabantur Valerius, Salvius, Statorius.

A prænominibus, nominibus & cognominibus.

QUÆ adhuc exposita sunt, ea locupletissimorum monumentorum auctoritate probata sunt. quæ vero infra dicentur, verisimilibus potius quam veris argumentis nituntur. vera autem esse nego, quæ veterum annalium fide carent. A prænominibus autem, & cognominibus, gentes multæ manasse videntur.

UT autem prætermittam ea prænomina quæ integra pro nomine gentilicio usurpata videntur, ut Metius, Numerius, Appius, Statius; ut *P. Metius* in epistola ad Marium: & *L. Mettius*, & *Q. Mettius*, & *P. Mettius*; quæ se in veteribus lapidibus Romæ legisse Pierius scripta profitetur; quamquam duobus TT: ut *Cn. Numerius* in lapide vetusto, qui est Venetiis in turri divi Vitalis. *M. Appius*, cujus lapidem citat in Brutum Sebastianus Corradus: *T. Statius*, apud Livium tribunus plebis; & *P. Statius* in antiquis lapidibus urbis antiquæ: ut hæc inquam, omittam, quæ aliquam fortasse quæstionem habere possint; at AULII certe ab AULO descendisse videntur. unde Q. Aulius Cerretanus. Livius, lapides Capitolini.

CÆSONII, a Cæsone.

CNÆI, a Cnæo: ut de petit. consul. Ex equestri ordine Pompilios & Cnæjos.

DECIMII, a Decimo.

HOSTII, ab Hosto. Unde epigramma antiqu. urbis; P. HOSTIO P. F. SEVERO. & Plutarchus in Romulo; L. Hostius.

LUCILII, a Lucio, seu demin. Lucillo.

MANILII, a Manio.

MARCII, a Marco, vel a Mamerco, ut ait Plutarchus in Numa. etenim ubi ait, a Mamerco Mamercios Reges; lego ipse, *Marcios reges*.

LARTII, a Larte. quamquam Græce Λάρκιοι scribitur.

POSTUMII, a Postumo.

PROCULEII, a Proculo.

PUBLILII, a Publio.

SPURILII, a Spurio.

SERVILII, a Servio.

SEXTII, a Sexto.

QUINCTII, a Quincto.

TITII, a Tito.

VIBII, a Vibo. unde C. Vibius Pansa.

VOLUSII, a Voluso.

TULLII, a Tullo.

ANCII, ab Anco. unde Sp. Ancius legatus, Fidenis interfectus. & Sp. Ancius Briso; de quo in Bruto Cicero.

PETRONII, a Petrone.

METILII, a Metio.

ARRUNTII, ab Arrunte.

NUMITORII, a Numitore.

SERTORII, a Sertore.

STATILII, a Statio.

Hæ a prænominibus; a nominib. vero hæ:

SEXTILII, a Sextiis.

QUINCTILII, a Quinctiis.

ATILII, ab Atiis.

PORCILII, a Porciis.

HOSTILII, ab Hostiis.

A cognominibus vero hæ:

RUTILII, a Rutilo.

VARII, a Varo.

PLAUTII, a Plauto.

FULVII, a Fulvo.

VENNONII, a Vennone.

ALBII, ab Albo. Varro.

ALBINII, ab Albino.

LICINII, a Licino.

SILII, a Silo.

GEMINII, a Gemino.

GALLII, a Gallo.

FLAVII, a Flavo.

PLANCII, a Planco.

CATII, a Cato.

VATINII, a Vatia.

FICTORII, a Fictore. unde Q. Fictorius; de quo Livius.

CORDII, a Cordo. unde M. Cordius, in nummis argenteis.

PAPII, a Papo. unde *lex Papia* a Papio lata; ut Cicero de offic. ait; (Papia autem gens fuit, quæ *Mutili* cognomen tulit; Appiano & lapid. Capitol. auctoribus) non a Q. Æmilio Papo, ut amicus meus tradit in lib. de nominibus. neque enim si leges a cognomine appellantur, in IUS desinant; sed, si id forte fiat, in ANUS; ut Gracchanæ leges, at non Gracchiæ; & Cæsarianæ fortasse, non Cæsariæ: a nomine vero semper, ut Semproniæ & Juliæ: Unde Cicero in Philippica prima: *Quære acta Gracchi, Semproniæ leges proferentur: quære Sullæ, Corneliæ*. Idem etiam improbat lectionem illam in Lælio: *Videmus Papum Æmilium C. Luscino familiarem fuisse*. improbat autem, quod cognomen nomini numquam præponatur. quasi vero Livius non sæpe dixerit Macer Licinius, Antias, Valerius, Cursor Papirius; & Cicero, Vetus Antistius; & Cœlius, Balbus Cornelius; & alii, Paullus Æmilius, & Crispus Salustius.

FURII, qui ante Fusii, a Fuso; quod etiam cognomen tulerunt.

VALERII, qui olim VALESII, a Valeso gentis auctore. Itaque cognomen etiam tulerunt Volusi.

Ab urbibus & populis.

TARQUINII, a Tarquinis urbe Etruriæ. Dionysius.

GABINII, a Gabinis item dicti videntur.

COMINII, ab Cominis Italiæ populis. de quibus Plinius.

VOL-

VOLSCII, a Volſcis. unde M. VOLSCIUS Fictor; de quo Livius.

VATINII, a Vatinis priſcis Latinorum populis, quorum oppidum Vatia.

A quadrupedibus.

A quadrupedibus etiam multas gentes nuncupatas eſſe, idoneos teſtes habemus Plutarchum & Varronem. Plutarchus in Poplicola ita: *Quia pecudibus omnia bona conſtabant, iccirco filiis ſuis ejuſmodi nomina impoſuerunt; ut Porcios*. & Varro lib. II. de re ruſt. Nomina multa habemus ab utroque pecore; a minore, PORCIUS, OVINIUS, CAPRILIUS; a majore, EQUITIUS. Eadem etiam ratione nos & ASINIOS & SUILLIOS adjungere poſſumus.

A miniſterio aliquo.

FLAMINII dicti, quod flamini Diali miniſtrarent. Feſtus.

PONTIFICII forte dicti, quod Pontificibus miniſtrarent. ex quibus fuit Ti. Pontificius tribunus plebis; de quo Dionyſius & Livius.

A voce aliqua.

TERENTII, a tereno, voce Sabina, dicti, quæ molle ſignificat; Varrone teſte, ut ait Macrobius. quod ſi ita eſt, ergo & multi alii eodem modo, ut

AURELII, qui ante AUSELII; quod iis publice locus datus ſit, ubi ſoli ſacrificium facerent. Feſtus.

ATRICII, ab atro. Varro.

PUBLICII, a publico.

POPILLII, a popillo.

HIRTII, ab hirto.

JUVENTII, a juventa.

SALVII, a ſalvo; unde boni ominis cauſa primus Salvius in cenſu & delectu nominabatur. Feſtus.

SEPTII, a numero ſeptem.

SEPTIMII, a ſeptimo.

OCTAVII, ab octavo.

NOVII, a novem.

NONII, a nono.

DECII, a decem.

DECIMII, a decimo.

CAP. V.

Quemadmodum uſus Cognominum & Agnominum ſit inventus.

CUR autem duobus nominibus Romani homines, non contenti prænomine & nomine, tertium etiam & quartum adjunxerint, quod cognomen vocarint, magna exſiſtere quæſtio poteſt. Ac mihi quidem videtur, eos primum, ut qui idem prænomen nomenque terebant, nota aliqua internoſcerent, hanc tertii nominis rationem excogitaſſe; poſt autem, cum cognominum uſus increbuiſſet, eoſdem etiam ſine ejuſmodi cauſa cognomina indidiſſe. Hac ratione L. Tarquinium Priſcum, & L. Tarquinium Superbum, cum & prænomine & nomine convenirent, inquit Dionyſius, Priſcum illum, quod natu major; hunc Superbum, quod contumacior eſſet, eſſe vocatum. Valuit autem in primis hic cognominum uſus ad confuſam ipſarum (ut oſtendi) gentium turbam diſtinguendam. Quod exempli cauſa in gente Cornelia perſpici poteſt, quæ cognominum varietate in multas familias diffuſa eſt; Maluginenſes, atque inde Coſſos, Scipiones, Lentulos, Merulas, Cinnas, Sullas, Dolabellas. Iterumque cum familia Maluginenſium creviſſet, quartis nominibus eſt in alias etiam familias diſtributa: ita ut alii Maluginenſes Coſſi, alii Maluginenſes Scipiones, alii Maluginenſes Lentuli; itemque Scipiones, alii Africani, alii Aſiatici, alii Naſicæ dicerentur. neque enim probo amici emendationem ab eo traditam lib. 2. Annotationum, cap. XIII. his verbis: *Verba Ciceronis ſunt in lib. ſecundo de orat. ubi agitur de ſalibus: Eſt autem ex hoc genere vetus illud, quod ajunt Maluginenſem illum M. Scipionem, cum ex centuria ſua renuntiaret Acidinum conſulem, præcoque dixiſſet, &c. Sed multum etiam me torquet quiddam in his nominibus*, M. SCIPIONEM MALUGIN. *Nam nuſquam invenio Scipionem tamquam familiæ nomen poni, ſed pro cognomine. Scio equidem per librariorum errorem ſæpe* SCIPIONEM *legi pro* CÆPIONEM. *quare crediderim hoc etiam loco non Scipionem, ſed Cæpionem legi debere. Ratio qua impellor, eſt hæc. Scio Q. Servilium Maluginenſem ſæpe a Livio nominari in libris primæ decados, quo tempore Romæ creabantur tribuni militares. Scio quoque Servilios cognomen habuiſſe Cæpionum, ut facile poſſim affirmare hic eſſe legendum* M. CÆPIONEM MALUGINENSEM. Hanc ergo amici emendationem ipſe non probo. Nam quod ait, Livium ſæpe Q. Servilium Maluginenſem nominare, non eſt ita. Semel enim tantum lib. V. an. CCCLXXII. nominat P. Servilium Maluginenſem; mendoſe, pro Ser. Cornelium Maluginenſem; ut in Scholiis Livianis oſtendi cum aliis teſtimoniis, tum quod eo anno Diodorus pro eo tribunum mil. cos. pot. edit Σέρβϊον Κορνήλιον Μαλύγωνα. *Maluginenſem* autem fuiſſe cognomen non Serviliorum, ſed Corneliorum, perinde atque Scipionem, apparet ex L. M. P. & SER. Corneliis Maluginenſibus, qui aut conſules, aut tribuni mil. aut cenſores fuiſſe a Livio ſæpe traduntur. Quod cognomen aliquot etiam ex Corneliis retinuiſſe, poſtquam alia cognomina inveniſſent, cum hic locus indicat, in quo eſt, M. Scipio Maluginenſis, qui auctore Livio anno DLXXIV. prætor fuit; tum an. DCLXXII. in Capitolinis tabulis, ubi eſt, SER. CORNELIUS CN. F. CN. N. LENTULUS MALUGINENSIS. ut omnino SCIPIONEM, non CÆPIONEM legendum eſſe, contra quam ille cenſet, exiſtimem. Neque enim intelligo, qui illud ſit, quod ajunt, ſe numquam SCIPIONEM familiæ nomen inveniſſe, ſed pro cognomine. Siquidem eandem rationem eſſe judico, cum dico M. Cæpio Maluginenſis, atque cum dico M. Scipio Maluginenſis, & P. Scipio Naſica, & P. Scipio Africanus, & alia ejuſmodi multa. Sed ad propoſitum revertamur. Ergo neceſſitas primum cognomina excogitavit, poſt uſus & commoditas cuſtodivit & propagavit. Qui vero *Agnomen* aliud eſſe a cognomine tradiderunt, ii mihi ſatis quod ſentiunt non probant. Ex eorum vero numero grammatici veteres exſiſtunt, qui, ut ſupra dixi, cognomina appellant ea quæ tertio loco; quæ vero præter ea adjiciuntur, ea omnia agnomina nuncupant, ut Africanum & Aſiaticum. Ejuſmodi vero opinio facile locupletiſſimi auctoris Ciceronis verbis refellitur; apud quem animadvertere poſſumus, ea omnia cognomina dici, quæ etiam quarto loco ponuntur. Sic enim ille ait pro Murena: *Quam laudem ille Africa oppreſſa cognomine ipſo præ ſe ferebat, eandem hic ſibi ex Aſia cognomen aſſumpſit*. Et in Somnio: *Eritque cognomen id tibi per te partum, quod nunc habes a me hereditarium*. Idem Sapientem & Divitem cognomina vocat; quæ tamen quarto loco erant in M. Porcio Catone, & in M. Licinio Craſſo. Inquit enim in Catone: *Cato quaſi cognomen habebat in ſenectute Sapientis*. & in ſecundo de offic. *P. Craſſus tum cognomine Dives, tum copiis*. Hac cauſa nos omnia, præter priora duo, cognomina appellabimus. Nam quod amicus meus in libro de nominibus agnomen pro nomine gentilicio ſumit, atque inde agnatos ducit, multo mihi minus ex iis quæ dixi, & iis quæ dicam, probatur.

Unde cognomina tracta sint.

DEINCEPS ſequitur, ut unde cognomina tracta ſint, dicam ea quæ vel veteres prodiderunt, vel ipſe, aut ratione, aut opinione, ſequutus eorum regulas ac præcepta, conſequi potui. Ac Plutarchus quidem in Coriolano multos nobis hujus quæſtionis quaſi fontes oſtendit, cum ait, cognomina apud Romanos imponi conſueviſſe aut ab actione aliqua, aut a forma, aut a fortuna, aut a virtute, perinde atque Græci Σωτῆρα & Καλλίνικον ab actione, Φύσκωνα & Γρυπὸν a forma, Εὐεργέτην & Φιλάδελφον a virtute, Εὐδαίμονα a fortuna dixerunt: aut a ſalibus & dicacitate, quo pacto Græci Antigonum Δώσονα, Ptolemæum Λαμυρὸν appellarunt: Romani vero etiam Metellum unum *Diadematum*, quod frontem ex ulcere diademate diu obligaſſet; alterum vero *Celerem*, quod celeritatem ejus in apparandis funebribus patri ludis ſunt admirati, vocarunt: aut a caſu naſcendi, ut Proculum, Poſtumum, Vopiſcum: aut demum etiam a corporis vitiis, ut Syllas, Nigros, Rufos, Cæcos, Clodios. quibus nec cæcitas, nec ullum aliud corporis vitium contumeliæ fuit; verum ipſa vitia pro nominibus propriis æquiſſimo animo audita ſunt. Hæc Plutarchus, ut dixi, in Coriolano. Mendum autem ſuſpicor eſſe in exemplis ejus. ſcribit enim Σύλλας dictos eſſe a corporis vitio; cum alia longe ſit ejus nominis origo, ut tradit Macrobius. Itaque legendum puto Σίλλος, id eſt, *Silos*. Sili autem ſunt, qui naſo ſunt ſurſum verſus repando; quod vitium eſt corporis. Neque etiam placet, eundem de cognominibus agentem, Clodiorum feciſſe mentionem; quod nomen eſt gentis, quæ ne a vitio quidem corporis nominata eſt, ut ante dixi, niſi forte Clodios pro Claudis acceperit. *Claudus* enim Quinctiorum eſt cognomen. Quæ autem ſcribit in Coriolano, eadem fere tradita ſunt ab eo etiam in Mario. Quinetiam Macrobius lib. I. alios a vitute, alios ab honore vel injuria, alios a caſu cognomina ait inveniſſe. libro autem tertio, aliquot etiam a ſtudio piſcium cognominatos eſſe oſtendit. præterea Plin. lib. decimo octavo cap. tertio, a ruſticis operibus; libro autem undecimo cap. trigeſimo ſeptimo, a vitioſis corporis partibus nonnullos cognomen traxiſſe ait. Poſtremo etiam Varro a majore & minore pecore cognomina indita eſſe tradit lib. ſecundo de re ruſt. cujus verba aſcribam, quia depravata ſunt & manca: *Nomina*, inquit, *multa habemus ab utroque pecore, a majore, & a minore. a minore Porcius, Ovinius, Caprilius. ſic a majore Equitius, Taurus cognomina adſignificari; quod dicuntur Anni Capræ, Statili Tauri, Pomponii Vituli. ſic a pecudibus multi alii.* Hæc Varro. Nemo eſt autem qui non intelligat, hic confundi exempla nominum & cognominum, & nullum ſenſum bonum elici. Itaque, ſi ita legamus, erit ſententia aptior: *Nomina multa habemus ab utroque pecore, a majore, & a minore. a minore, Porcius, Ovinius, Caprilius. ſic a majore Equitius, Aſinius. eſt autem intelligendum, cum dicimus Capram, Taurum, Vitulum, cognomina adſignificari; quod dicuntur Annii Capræ, Statilii Tauri, Pomponii Vituli: ſic a pecudibus alii multi.* Quinctilianus eadem ferme docet libro primo. Verba ejus hæc ſunt: *Scrutabitur præceptor acer origines nominum, quæ ex habitu corporis; ut Rufos Longoſque fecerunt; ubi erit aliud ſecretius, Syllæ, Burri, Galbæ, Plauti, Panſæ, Scauri, taliaque; & ex caſu naſcentium. hinc Agrippa, & Opiter, & Cordus, & Poſtumus erunt. & iis quæ poſt natos eveniunt; unde Vopiſcus. jam Cottæ, Scipiones, Lænates, Serrani ſunt. & ex variis cauſis gentes quoque, & loca, & alia multa reperias inter nominum cauſas.* Hæc Quinctilianus. apud quem item credo eſſe mendoſe *Syllas*, pro *Silos*, ob eam quam dixi cauſam. Longum eſſet hoc loco Livii, Dionyſii, Dionis, Suetonii, Ciceronis, aliorumque multorum, quo loco de hac re agunt, in hanc ſententiam verba proferre. Cum igitur res ita habeat, jam quo modo hoc in ſingulis factum ſit, videamus. Quibus in exponendis hanc diviſionem tuebimur, ut alia ab animo, alia a corpore, alia a fortuna tracta eſſe dicamus. Ad animum autem pertinent virtutes, mores, oratio, artes, ſtudia, res geſtæ: ad corpus, partes corporis, color, habitus, veſtitus, ſimilitudo alterius, locus, & quæ ſunt ejuſmodi. His autem rebus diligenter animadverſis, omnis (ut puto) impoſitorum cognominum ratio erit perfecta. Qui autem cognominum terminationes perſequuti ſunt, ii fruſtra laboraſſe mihi videntur; cum omnes terminationes cognominibus, ſi ita tempus & eventus tulerit, convenire poſſint, præter eam quæ gentem notet. Itaque cum apud Livium nomina gentilicia multa pro cognominibus mendoſe legerentur, ea ad ſuam integritatem ex antiquorum monumentis a me paulo redacta ſunt; ut Fabius Licinus, Marcius Rutilus, Quinctius Flamininus, Furius Pacilus, & alia ejuſmodi; non Licinius, Rutilius, Flaminius, Pacilius, ut vulgo legebatur.

Cognomina a ſapientia ducta, aut contra.

Sapientiam autem atque ſtultitiam dediſſe multa cognomina Romanis, cum ex Plinii verbis percipitur, tum exempla, quæ ſubjiciam, indicant. ſcribit enim Plin. lib. tertio: *Reliquis animi bonis præſtitere cæteros mortales ſapientia; ob id Cati, Corculi apud Romanos cognominati.*

SOPHUS, qui eſt Græce Sapiens, Semproniorum cognomen. quod primus tulit P. Sempronius juris civilis peritiſſimus.

CATO, auctore Plutarcho in Catone majore, vir dicitur multarum rerum peritus, eaque de re M. Porcius *Cato* vocatus eſt. fuit autem etiam cognomen Hoſtiliorum. De CATO inquit Varro lib. VI. de ling. Lat. *Cata acuta Sabini dicunt: quare Catus Ælius Sextus, non, ut ajunt, ſapiens, ſed acutus. Quare dixit Ennius: Egregie cordatus homo Catus Ælius Sextus.*

SAPIENTIS cognomen invenit C. Lælius, ut ait Plutarchus in Gracchis; quia, cum Tiberii partes adverſus optimates tueri cœpiſſet, diſcordiam civitatis metuens, ab incœpto deſtitit.

CORCULUM, auctore Feſto, antiqui a corde ſollertem & acutum dixerunt; eoque cognomine uſus eſt P. Cornelius Scipio Naſica, optimi viri filius; ut ait Cicero in Bruto.

BRUTUS ſtultum ſignificat, ut ait Dionyſius. Itaque L. Junius, qui reges ejecit, factus ad imitationem ſtultitiæ, Bruti quoque haud abnuit cognomen. Livius, Dionyſius.

BELLUTUS eſt belluæ ſimilis, ut ait Feſtus. quod cognomen tulit L. Sicinius primus tribunus plebis. Dionyſius, & Pædianus.

A virtute, & moribus.

NERO Sabinorum lingua ſtrenuum ſignificat. Itaque Ti. Claudius Ap. Cæci F. id primus tulit; quod poſt in ejus familia manſit. Suetonius in Tiberio.

MARCELLUS, ut Plutarchus tradit, eſt Bellicoſus, id eſt, Ἀρήϊος, hoc eſt, *Martius*. puto autem Marcellum dictum eſſe quaſi Martellum, id eſt, parvum Martem. Eo plebeja gens Claudia uſa eſt.

L. SICINIUS Dentatus, ob fortitudinem ACHILLES dictus. Gellius lib. II. cap. XI.

SUPERBI cognomen tulit L. Tarquinius rex; quia ſocerum gener ſepultura prohibuit, aliaque multa ſuperbe egit. Dionyſius, & alii.

FRUGI, L. Calpurnius Piſo appellatus ob mores,

ut ait Pædianus in Pisonianam, & Cicero in Verrem.

OVICULA dictus Q. Fabius Maximus; quia moribus fuit humilibus. Plutarchus in Fabio, & qui scribit de viris illustribus.

CAPRARII cognomen C. Metellus ex contumelia traxit. Cicero lib. III. de orat. Itaque Scipio de eo dixit, matrem ejus, si quintum pareret, asinum fuisse parituram.

GURGES vocatus Q. Fabius Rulliani F. a devorato patrimonio. Macrobius. Plutarchus *Λαίμαργον* nominat.

NEPOS aliquando cognomen contumeliæ fuit a prodigalitate, ut de Q. Metello collega P. Lentuli cos. scribit Valerius. unde lusit Cicero ad Att. *Sumptu jam nepos evasit Scaptius*. Patrem tamen Metelli, eum qui cum T. Didio consul fuit, Q. Metellum Nepotem vocant etiam Capitolini scriptores. Nepotem autem eum dictum, quasi Q. Metelli Macedonici nepotem, significat in Cornelianam Pædianus.

ASPER, C. Trebonius ab insectandis patribus nominatus. Livius lib. 3.

LURCONES, auctore Festo, dicti, qui cum aviditate cibum sumerent. Fuit autem Aufidiorum cognomen.

CAMILLUS, quo cognomine Furii usi sunt, est puer ingenuus. Festus, Plutarchus in Numa, Macrobius lib. tertio, Servius in Virgil. ubi de Camilla.

CICURINUS, cognomen Veturiæ gentis, a morum simplicitate dictus. Varro de lingua Lat.

VIR optimus, P. Scipio Nasica a senatu judicatus & appellatus est. Livius.

Ab oratione, & dicto aliquo.

LEPIDI, Æmilii sunt, a lepore orationis, quia Mamercus Numæ F. princeps ejus generis, summo lepore præditus fuit; quem Græci *αἱμυλίαν* dicunt. Plutarchus in Paullo.

EUTRAPELUS, fuit cognomen Volumniorum. unde Cicero ad Volumnium, *εὐτραπελία*, inquit, *tuarum literarum*. Est autem *εὐτράπελος* idem quod *Lepidus*.

ATTICI cognomen invenit T. Pomponius; quod Attice optime loqueretur. Cicero in Catone, Nepos in Attici vita.

FIGULI cognomen adeptus est Nigidius; quod inconstantiam rerum humanarum rotæ figulinæ comparavit. Augustinus de civitate Dei.

SURA dictus P. Lentulus; qui, cum Sulla rationem ab eo pecuniæ publicæ repeteret, quam quæstor tractaverat, dixit se non posse rationem reddere, sed præbiturum suram; ut pueri solent, qui in sphæræ ludo peccaverint. Plutarchus in Cicerone.

SCROFA, Tremellius appellatus, auctore Macrobio; quod quærentibus quibusdam scrofam ruri, verba jurationis concepit, nullam esse in villa sua scrofam, nisi quæ in centonibus jaceret, lectulum monstrans. ut autem ait Varro lib. II. de re rust. quod apud exercitum dixerit, hostes celeriter se, ut scrofa porcos, disjecturum, idque fecerit.

Ab arte & studio aliquo.

PICTOR, Q. Fabius dictus; quod primus Romæ ædem Salutis pinxit. Plin. lib. XXXV. cap. IV. Cicero in Tusculana prima.

METELLI, in re militari sunt quasi mercenarii; unde genti Cæciliæ fuit cognomen. Festus.

PRÆCONINUS, L. Ælius Stilo, quod præco fuerit. Plin. lib. XXXIII. cap. I.

Eadem ratione videtur FICTOR M. Volscii cognomen. Livius.

CORNICEN, Oppiorum: Livius. unde & Cornicinus apud Ciceronem in epist. ad Attic.

A FULLO, Apustiorum: Livius, lapis Capitol. Unde jocus apud Macrobium: *Miror sororem meam habere Maculam, cum Fullonem habeat.*

Porro autem a studio rerum rusticarum multa tracta fuisse cognomina, auctor est Plinius lib. XVIII. cap. III. Ex eorum numero sunt.

BUBULCUS, Juniorum cognomen; qui optime bubus uteretur.

PILUMNUS, qui pilum pistrinis invenit.

CICERONES, LENTULI, ut quisque optime cicerem aut lentem serebat. illud, Claudiorum & Tulliorum; hoc, Corneliorum cognomen. eademque forte ratione PISO Calpurniorum.

B SERRANUS, Atilius, quod eum serentem invenerunt dati honores.

LACTUCINUS, Valeriorum cognomen, a lactuca. Plin. lib. XIX. cap. III. Quare qui cos. anno CCLVII. M. Valerius Maxumus dicitur in Capitol. tabulis, is a Diodoro lib. XI. *Μάρκος Οὐαλέριος Λακτούκας* appellatur. Idem Plinius lib. XVII. cap. primo, scribit ita: *Fuere & ab arboribus cognomina antiquis;* FRONDITIO, *militi illi, qui præclara facinora, Vulturnum transnatans fronde capiti imposita, adversus Annibalem edidit.*

C STOLO, Liciniæ genti (ita enim appellatur in ipsis arboribus fruticatio inutilis) unde & pampinatio inventa, primo Stoloni dedit nomen.

Jam a studio piscium dicti sunt, Licinius, MURENA; Sergius, ORATA; qui ejusmodi piscibus delectati sunt; ut ait Macrobius lib. III. Varro lib. III. de re rustica. quamquam Festus Sergium Oratam dictum scribit, quod duobus annulis aureis & grandibus uteretur.

Eadem ratione a majore & a minore pecore cognomina multa ducta sunt, auctore Varrone lib. II. hinc Statilii TAURI, Annii CAPRÆ, Pomponii & Mamilii VITULI. quod etiam in Poplicola scribit Plutarchus; *Ἐτίθεντο δὲ τοῖς παισὶν αὐτῶν σουίλλους καὶ βουβούλκους καὶ καπραρίους ὀνόματα.*

D Quin etiam a studio avium multa sumpta esse, placet Varroni. Hinc Cornelium MERULAM, Fircellium PAVONEM, Minucium PICAM, Petronium PASSEREM esse dictum.

Ab urbe vel regione devicta.

Jam vero ab urbe vel regione devicta, hæc quæ sequuntur.

CORIOLANUS, a Coriolis oppido captis dictus est C. Marcius. Livius lib. II.

E FIDENAS, a Fidenis L. Sergius, & posteri ejus. Livius.

MESSALLA Valerius, a Messana primo Punico bello capta. Macrobius, lap. Capitolini.

PRIVERNAS L. Æmilius Mamercinus, a Privernate bello. Livius.

NUMANTINUS P. Scipio, a Numantia deleta. Appianus, Vellejus.

ISAURICUS P. Servilius ab Isauris urbe Ciliciæ captis. lap. Cap. Vellejus.

F Idem fecerunt qui regiones in potestatem P. R. redegerunt. quorum primus, ut ait Livius lib. XXX. P. Scipio fuit, qui a devicta Africa cognomen AFRICANI tulit. Itemque L. Scipio frater ejus ASIATICI, ab Asia: Q. Metellus MACEDONICI, a Macedonia: L. Mummius ACHAICI, ab Achaja: Q. Metellus alter BALEARICI, a Balearibus: & L. Metellus DALMATICI, a Dalmatia: Q. Fabius ALLOBROGICI, ab Allobrogibus: Q. Metellus CRETICI, a Creta. D. Junius Brutus CALLÆCI, a Callæcia: Q. Metellus NUMIDICI, a Numidia. quorum apud omnes testata cognomina sunt. Hoc autem loco verba quædam amici mei non possum tacitus præterire, quæ ab eo in libro de nominibus posita sunt ejusmodi: *Isauricus ab urbe dictus. Ideo conqueritur*

Cicero lib. epiſt. Ad Att.v. cum eſſet in Cilicia procos. & expugnaſſet oppidum Pindeniſſum, non eſſe aptum ad cognomen parandum. Qui (malum) Pindentiſſæ? nam Servilius ante ab Iſauro urbe præclara fuerat appellatus. Non poſſum autem præterire; quia hic ſenſum germanum Ciceronis non videtur aſſequutus. neque enim Cicero queritur Pindeniſſum non eſſe aptum ad cognomen parandum; ſed ad gloriam ex ejus expugnatione propter oppidi obſcuritatem comparandam. Sic enim ait: *Saturnalibus mane ſe mihi Pindentiſſæ dediderunt. Qui (malum) iſti Pindentiſſæ? qui ſunt? inquies. nomen audivi numquam. quid ego faciam? non potui Ciliciam, Ætoliam, aut Macedoniam reddere.* Quibus verbis de obſcuritate, ut dixi, oppidi queritur, non de cognomine inepto. neque enim quiſquam umquam Imperator Romanus aut Cilix aut Ætolus eſt ex victoria nominatus, ut iis in cognomine invidere poſſet; verum aliquot ex iis provinciis clariſſimos triumphos egerunt. Hoc idem ſentit etiam Cicero, cum ſcribit ad Cœlium: *Oppugnabam oppidum Pindeniſſum tantis opibus, tantoque negotio, ut mihi ad ſummam gloriam nihil deſit niſi nomen oppidi.* id eſt, quod obſcuriſſimo nomine cum ſit, ne mea quidem ſatis glorioſa eſſe victoria & expugnatio poſſit, qualis eorum fuit qui Ciliciam, Ætoliam, & Macedoniam ſubegerunt. Nam quod ait amicus meus ineptum ad cognomen eſſe, non video cur non Cicero *Pindentiſſa* dici facile potuiſſet, ut quondam Valerius *Meſſalla* a Meſſana victa, ſi ſplendidum oppidi nomen fuiſſet.

A loco ubi bene maleve pugnatum eſt.

REGILLENSIS, A. Poſtumius Dictator dictus; quod ad lacum Regillum cum Latinis bene pugnaverit. quod cognomen poſteri etiam ejus tulerunt.

ÆSERNINUS, M. Marcellus appellatus; quod Æſerniæ captus eſt. Epitomæ.

CRETICUS, M. Antonius triumviri pater dictus; quod in Creta mortuus eſt. Pædianus, Plutarchus in Antonio. Hunc tamen quidam Antonium CICEREJUM vitioſe nominant.

GERMANICUS, Cæſar dictus; quod in Germania obiit.

BITHYNICUS, Pompejus dictus; quod ex Bithynia ſupellectilem regis Nicomedis deportarit. Feſtus.

CAUDINUS, L. Lentulus; quod ad furcas Caudinas obſeſſus cum cos. fœdus turpe ſuaſerit; ut ex Livio elici poteſt.

Ab aliis eventibus.

COLLATINUS, Tarquinius dictus; quod diu Collatiæ præfectus fuerit. Dionyſius.

POPLICOLA, Valerius; quod populum coluerit. Dionyſius, Livius.

TORQUATUS, Manlius; quod torquem in pugna Gallo detraxerit. Livius, Gellius.

PIUS, Q. Metellus; quod pietatem, in reditu patris lacrymis deprecando, adhibuerit. Cicero.

PIETAS, L. Antonius; quod eo animo remp. tractarit una cum Fulvia, quaſi pro Marco triumviro fratre laboraret. Unde a Dione dicitur Λούκιος Ἀντώνιος Πίετας, id eſt, εὐσέβεια. quamquam a Glareano mendoſe *Pœtus* nominatur.

A DRUSUS, Livius vocatus; quod Drauſum regem hoſtium interfecerit. Suetonius in Tiberio.

CUNCTATOR, Fabius, quod cunctando Annibalem fregit. Plutarchus.

VENOX, Plautius; quia cenſor, aquæ Claudiæ venas indagaverit. Livius, Frontinus.

SCIPIO, Cornelius; quod patrem luminibus carentem pro ſcipione rexerit. Macrobius.

CURSOR, L. Papirius, a velocitate curſus. Livius.

SALINATOR, M. Livius dictus; quod vectigal novum ex ſalaria annona commentus eſt. Livius.

AMBUSTUS, Fabiorum fuit: ut puto, quod a fulmine

B ambuſtus fuerit. ſic enim Feſtus; *Pullus Jovis dicebatur Q. Fabius, cui Eburno cognomen erat. propter candorem, quod ejus natis fulmine icta erat. Antiqui puerum quem quis amabat, pullum ejus dicebant.* Hinc etiam quidam RULLUM Fabii Maximi cognomen profectum exiſtimant.

IMPERIOSSUS, Manlius, quia ſeverius delectum habuit. Livius, Plutarchus ἐπιτάκτην appellat.

GRACCHANUS, dictus eſt Junius hiſtoricus, ab amicitia C. Gracchi tribuni pl. ut ſcribit Plin. lib. XXX.

MAXIMUS, Valerius; quod plebem patribus conciliavit. Cicero in Bruto.

C MAXIMUS, Fabius; quod libertinos in quatuor tribus ſecrevit. Livius lib. IX.

MAGNUS, Pompejus; quod res magnas ante ætatem geſſit. Appianus, Plutarchus.

ASINA, Cornelius Scipio; quia cum ſponſores ab eo poſcerentur, aſinam produxit in forum cum pecuniæ onere; quaſi pro ſponſoribus præſens pignus. Macrobius.

VESPILLO, Lucretius dictus; quod ædilis, cadaver Ti. Gracchi tamquam veſpillo in Tiberim projecit. De viris illuſtribus in Graccho. Idem etiam fuit VESPA. unde in II. de orat. *Veſpa Terentius.*

ANNALIS, Villius; quod legem annalem tulit.

D Liv. lib. XL.

DIADEMATUS, Metellus; quod frontem ex ulcere diu ligaverit faſcia, quæ διάδημα Græce dicitur. Plutarchus in Coriolano.

PRÆTEXTATUS, Papirius; quod in ætate prætextata ſummam prudentiam oſtenderit. Macrobius.

LÆNAS, Popillius; quod, cum flamen ſacrificium faceret, cum læna in publicum exierit, & ſeditionem ſedarit. Cicero in Bruto.

CORVUS, Valerius; quod ei cum Gallo pugnanti corvus omen victoriæ fuit. Livius, Gellius.

BUTEO, Fabius; quia inſidens in navi buteo avis

E bono auſpicio duci ei fuit. Plin. lib. X. cap. VIII.

CAUDEX, Ap. Claudius dictus, quod primus caudicem, id eſt, navem belli gerendi cauſſa primo Punico bello conſcenderit. Seneca.

CÆSAR, Juliorum cognomen fuit, de quo alii aliter tradiderunt. amicus autem meus in libro de nominibus ita: *Illud non prætermittam, Cæſarem non ab utero cæſo dictum, quod multis video placere; ſed, quod ait Servius & Spartianus, ab elephanto primum cæſo. Nam lingua Punica Cæſar elephans dicebatur. Quare in quibuſdam argenteis nummis apud me videre eſt, ab altera parte elephantem cum hac inſcriptione* CÆSAR; *ab altera autem inſtrumenta, quibus elephantos Romani perimebant.* Hæc ille.





Nummum illum, cujus ipse meminit, ego accurate effingendum curavi, ut omnes homines ejus industriam in Romana antiquitate illustranda cognoscerent. sunt enim ejusmodi nummi multi cum apud alios, tum apud clarissimum & humanissimum virum Andream Lauredanum patricium Venetum. quamquam quæ ille ad hunc nummum interpretandum attulit, ea a multis hujus artis peritis reprehendi sæpe animadverti; qui, quæ ille instrumenta elephantorum interimendorum esse tradidit, ea pontificalia, ac religionis potius insignia esse contenderent; albogalerum, vel tutulum; secespitam, aspersorium, & vas sacrificale. Albogalerum enim ita describit Festus; *Albogalerus a galea nominatus est. est enim pileum capitis quo diales flamines, id est, sacerdotes Jovis, utebantur: fiebat enim ex hostia alba Jovi cæsa; cui affigebatur apex virga oleagina*. Tutulum autem ita: *Tutulum vocari ajunt flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus, & exstructum in altitudinem*. Ennius:

Libaque fictores, argeos, & tutulatos.

Itaque Varro lib. de lingua Lat. exponens hunc eundem Ennii versum, ait: *Tutulati dicti ii qui in sacris capitibus habere solent ut metam. id tutulus appellatur, ab eo quod matres familias crines convolutos ad verticem capitis, quos habent uti velatos, dicunt tutulos: sive ab eo quod tuendi caussa capilli fiebant; sive ab eo, quod altissimum in urbe quod est (arx,) ea res tutissima tutulus vocatur*. De secespita sic Festus: *Secespitam alii securim, alii dolabram æneam, alii cultellum putant*. Item: *Secespita, cultrum ferreum oblongum, manubrio eburneo, rotundo, solido, juncto ad capulum auro argentoque, fixum, clavis æneis ære Cyprio quo flamines, flaminicæ virgines, pontificesque ad sacrificia utebantur. dicta autem est secespita a secando*. *Aspersorium* quidam vocant, quo aquam lustralem aspergebant. unde Virgilius:

—— ter pura socios circumluit unda,
Spargens rore levi. ——

Et alibi:

—— corpusque recenti
Spargit aqua.

Vas sacrificale est vel capedo, vel simpuvium. De *capedine* Cic. in Paradoxis: *Quid autem Numa Pompilius? minusne gratas diis immortalibus capedines ac fictiles urnulas, quam filicatas aliorum pateras fuisse arbitramur?* & lib. III. de Nat. *Docebo, meliora me didicisse de colendis diis immortalibus jure pontificio, & more majorum, quam capedunculis, quas Numa nobis reliquit*. De Simpulo Festus: *Simpulum, vas parvum non dissimile cyatho; quo vinum in sacrificiis libabatur*, a sumendo dictum, Varrone auctore, ut fortasse a capiendo *capedo* dicta est. & Juvenal. Satyra sexta:

aut quis Simpuvium ridere
Numæ, nigrumque catinum.

& Plin. lib. XXXV. *In sacris quidem etiam inter has opes non murrhinis crystallinisve, sed fictilibus prolibatur simpulis*. His igitur rationibus adducti multi, instrumenta hæc quibus elephantes interficerentur, esse jure negant; pontificalia autem (ut dixi) insignia esse asserunt. quæ divo Julio Cæsari consecrato & in deos relato tributa sint ab Augusto, qui in patris pont. max. mortui honorem hunc nummum percusserit. itaque ab altera parte esse elephantem, consecrationis symbolum. unde Sueton. in Claudio scripserit: *Claudius aviæ Liviæ divinos honores, & circensi pompa currum elephantorum Augusteo similem decernendum curavit*. eadem etiam de caussa anguem elephanti ipsi esse subjectum: qui auctore Plutarcho in Cleomene heroibus sacer esset. unde Virgilius in V. de angue ad tumulum Anchisæ mortui dixerit:

Incertus geniumne loci, famulumve parentis:

cum apotheosim ejus significare vellet: ut ait Servius. Sed sive hæc, sive alia sunt, profecto nihil hic nummus ad eum qui primum elephantem occidit, neque ad ipsa demum elephantorum interimendorum instrumenta pertinet, quod amicus meus ingeniose potius quam vere confinxit: præsertim vero cum fabrile scalprum cum malleo ad ejusmodi belluas interimendas adhibitum sit, auctore Livio.

CENSORINUS, Marcius vocatus fuit: quod bis censor factus est. Valerius, Capitolinæ censuræ.

FLAMINIUS, Quinctiorum & Claudiorum: AUGURINUS. Minervorum eadem ratione cognomen fuit, ab insigni fortasse aliqua re vel in flaminio vel in auguratu gesta.

SACERDOTIS cognomen tulerunt Licinii.

AUGUR, Q. Scævola. PONT. MAX. alter Q. Scævola, ab ipso sacerdotio quo fungebantur, vocati sunt.

CURIO, Scriboniorum cognomen fuit: quod qui primus id tulit, curio maximus fuerit: ut ex Livio intelligi potest. qua ex familia C. Curio consul, qui de Macedonia triumphavit, & C. Curio filius tribunus pl. auctor civilis belli fuit, ad quem sunt epistolæ Ciceronis in secundo libro; de quibus epistolis sic scribit amicus meus in lib. de nominibus: *Ambiguitas est in nomine Curionis lib. II. epist. fam. In qua re multi decepti sunt, non distinguentes patrem Curionem a filio. Nam illæ epistolæ*, NON *dum erat auditum*; *&*, SERA *gratulatio*, *scribuntur ad patrem*. Hæc ille. Hanc tamen opinionem intelligo a scholis omnibus esse repudiatam; neque enim videre se eruditi homines ajunt, quemadmodum, cum in extrema epistola de tribunatu C. Curionis filii agatur, ea epistola ad patrem transferri possit, qui multis ante annis consul triumphaverat. in priore vero, cum de reditu Curionis ex Asia agatur, cur non idem sit Romam revertens, qui fuerat absens: id est, cur non ad eundem redeuntem hanc scripserit, ad quem absentem superiores scripserat: præsertim vero, cum in superioribus de patris clarissimi viri obitu mentionem fecerit.

THURINUS, cognomen Octavio puero fuit: quod in regione Thurina natus sit. Suetonius in Augusto.

SYLLA, P. Cornelius dictus, quod decemvir, aut prætor, ex libris Sibyllinis ludos Apollinares instituit. siquidem Sylla, quasi Sibylla appellatus est. Macrobius. quod cognomen post in familia mansit.

AUGUSTUS Cæsar Octavianus dictus est, honoris & amplitudinis caussa. Suetonius.

A corporis partibus.

A corporis autem partibus tot cognomina tracta sunt, ut vix comprehendi oratione posse videantur. Nam a capite CAPITONES, CILONES, & TUDITANI sunt. *Cilones* enim dicti sunt, quorum capita oblonga & compressa sunt: ut ait Carisius. Festus autem eos esse ait, quorum frons est eminentior, ita ut dextra sinistraque velut recisa videatur. Fuit vero cognomen Flaminiorum: unde in nummis argenteis, L. FLAMINI. CILO. *Tuditani*, qui caput simile malleo habeant. *Tudites* enim, mallei sunt: a tundendo dicti. Jam CINCINNATI, CALVI, CRISPI, in Quinctiis, Liciniis, Salustio, a capillis sunt: ut CRISPINUS Quinctiorum. Quare Suetonius Caligulam Cincinnato crinem ademisse scribit, veteris familiæ insigne. FRONTONES, a fronte: NASONES, SILI, SIMI, a naso sunt. *Sili* sunt, qui naso sunt sursum versus repando, Festus. Silus, Sergiorum cognomen fuit. unde in nummis, M. SERGIUS SILUS. De Simis Plinius lib. XI. cap. XXXVIII. *A naribus cognomina Simorum & Silonum*. Videndum tamen ne legendum sit, Simonum & Silorum. Ita STRABO, PÆTUS, COCLES, LUSCUS, LUSCI-

NUS, RAVILIA, OCELLA, CÆCUS, ab oculis: Plin. XI. cap.XXXVII. *Strabo*, qui perversis & detortis oculis est: Porphyrio, Plinius. Talem autem fuisse Cn. Pompejum Magni patrem, cognomine Strabonem, scribit idem. PÆTUS, auctore Porphyrione, est qui oculis est leviter declinatis; vel cujus oculi huc & illuc celeriter moventur, ut ait Acro. Horatius Satyra tertia.

Strabonem appellat Pætum pater.

COCLITEM, luscum dixerunt. unde Cyclopas coclitas appellarunt. Servius. At Plinius lib.XI. *Qui orbi altero lumine nascerentur, Coclites dicti.* item Varro de ling. Lat. LUSCUS, Anniorum; LUSCINUS, Fabriciorum cognomen fuit: auctoribus Cap. lap. RAVILIA, a ravis oculis: Festus. unde Cassius Longinus Ravilia. OCELLÆ, qui parvis utrisque oculis essent. Plin. lib.XI. unde Ser Ocella apud Cœlium in VIII. epistolarum. Ap. Claudius CÆCUS appellatus, postquam aspectum oculorum amisit. A superciliis SILONES, id est, qui eminentibus sunt superciliis; a Sileno, qui hirsutis superciliis pingebatur. Nonius ex Varrone. A lingua BALBI, & BLÆSI: quorum illud Aciliorum, hoc Semproniorum cognomen est. Sunt autem, qui R. litteram pronuntiare non possunt: quo vitio laboravit Demosthenes. Unde est in I. de Orat. Demosthenes ita balbus fuit, ut ejus artis cui studebat, primam litteram dicere non posset. & in Priapo:

Cum loquor, una mihi peccatur littera semper:
Nam PRÆ PÆ *dico, blæsaque lingua mea est.*

Eademque forte ratione BLASIO Corneliorum & Helviorum fuit: *Aures*, inquit Plinius, *homini tantum immobiles. ab iis* FLACCORUM *cognomen.* LABEONES, & CHILONES, a labiis. Plinius, Festus, & Carisius. VERRUCOSSUS, a verruca in labiis, Fabii Maximi fuit. Plutarchus. DENTATI, qui cum dentibus nati sunt. Plin. lib.VII. cap.XVI. Curii & Sicinii cognomen. BARBATUS, Horatiorum, & Scipionum: BARBULA, Æmiliorum, AHENOBARBUS, id est, qui ænea barba esset, Domitiorum fuit, a barba. Plutarchus in Paullo. A colore RUTILUS, EBURNUS, AQUILINUS; ut ait Festus. eademque ratione ALBUS, NIGER, RUFUS, FLAVUS. Jam SCÆVA, & SCÆVOLA, & LÆVINUS; quod læva manu pro dextra uterentur, dicti sunt: quæ Brutorum, Muciorum, & Valeriorum sunt cognomina. De Scævola scribit Zonaras. MENTO, Juliorum; DORSO, Fabiorum, SCAPUNA, Corneliorum; AXILLA, & AHALA, Serviliorum. A cruribus autem hæc sunt; VARUS, VATIA, ATTA. *Vari*, qui crura incurva habent; & sunt contrarii valgis. *Vatiæ*, quibus in exteriorem partem crura flectuntur. *Attæ*, qui propter vitium crurum aut pedum plantis insistunt, & attingunt magis terram quam ambulant. quorum primum, Liciniorum; secundum, Serviliorum; tertium, Quinctii poetæ fuit. Festus, Nonius, Plinius. Jam PLAUTI, PANSÆ, PLANCI, SCAURI, quæ pedum vitia sunt, cognomina Romanis fuerunt. *Plautus* est, qui planis est pedibus, & nullam habet in medio curvitatem: *Pansa*, cui pedes lati ac pansi: *Plancus*, cui plani pedes: *Scaurus*, qui talos pedum tumentes & porrectos habet. Plinius lib.XI. Festus.

A corporis habitu.

A corporis autem habitu sunt CRASSUS, MACER; utrumque Liciniorum: LONGUS, Semproniorum: GALBA, Sulpiciorum: GRACCHUS, item Semproniorum: PULCHER, Claudiorum: GLABRIO, Aciliorum: COSSUS, & ARVINA, Corneliorum: PAULLUS, Æmiliorum. De *Galba* scribit Suetonius in Nerone, atque, an crassum an macrum significet, ambigit. *Gracchum* a gracilitate corporis dictum scribit Carisius; Varro autem a gerendo; quia mater ejus qui primus Gracchus dictus sit, duodecim menses uterum gesserit. ac propterea sine aspiratione scribendum, ut ait Scaurus. *Glabri*, sunt depiles. *Cossi*, rugosi corporis, a similitudine vermium ligno editorum, qui cossi dicuntur. Festus. *Arvina*, durum est pingue, quod est inter cutem & viscus. Servius. *Paullus* (ut puto) parvus est, unde Terentius *Paullo sumptu* dixit. cognomen est Æmiliorum, ut PAULLULUS, & MAGNUS Postumiorum Albinorum.

Ab ortu.

Jam vero ab ortu ducta sunt GEMINUS, cognomen Serviliorum, quod primum tulerunt P. & Q. Servilii fratres. quorum Publius hic consul fuit cum C. Cotta, an. DI. & DV. auctor Cicero in Lucullo. TERGEMINUS, Horatiorum, & Curatiorum. Livius. CORDUS, C. Mucii. Dionysius. Est autem *Cordus*, sero natus. Quinctilianus. Quare Plutarc. C. Mucium Cordum ὀψίγονον vocat. Priscus, Tarquinii; quod major natu esset. Dionysius. Idem Priscus fuit etiam cognomen Serviliorum: ac nescio an eadem ratione CASCA: quem pro sene Latini veteres dixerunt, Varrone auctore de lingua Latina. De AGRIPPA & PROCULO Vipsaniorum & Plautiorum cognominibus, dictum est in prænominibus.

A loco, unde commigraverint, aut ubi nati sint, aut ubi habitaverint.

A locis porro, unde quisque Romam commigraverit, hæc sumpta sunt.

SABINUS REGILLENSIS, vel REGILLANUS, ut est apud Suetonium; Ap. Claudius dictus; quia ex Regillo Sabinorum oppido venit. Livius.

ANTIAS, Valerius; Plinius in præfatione; quod Antias esset, & diceretur.

AMERINUS, Sex. Roscius, ex Ameria. Cicero pro Roscio.

Eadem ratione dicti videntur Furii MEDULLINI, Fufii CALENI, Sulpicii CAMERINI, Appuleii SATURNINI, Manlii VULSONES, Publii VULSCI, Aulii CERRETANI, Plautii VENNONES, Ælii LIGURES, Cominii AURUNCI. UFENAS certe, & CARRINAS, & MÆCENAS, a loco tracta sunt; teste Varrone lib.II. de analogia.

CAPITOLINI, Manlii dicti sunt etiam, antequam M. Manlius Gallos a Capitolio depelleret, quod in Capitolio habitarent: quod ne quis patricius faceret, damnato M. Manlio, decreto cautum est. Livius. Eadem fortasse ratione & Quinctii & Sestii *Capitolini* vocati sunt; & Genucii AVENTINENSES, quod Aventinum; & Verginii COELIMONTANI, quod Cœlium montem incolerent. & P. Terentius TUSCEIVICALUS apud Livium lib.XLV. quod vicum Tuscum habitaret.

A principe generis.

Ælius LAMIA, a Lamo Formiarum conditore dictus. Horat. lib.III. Odarum.

FUSUS, Futiorum qui ante *Fusii*, a Fuso. VOLUSUS, Valeriorum; qui ante *Valesii* a Valeso. JULUS, Juliorum, a Julo generis auctore. Marciorum cognomen fuit REX; fortasse ab Anco Marcio rege. siquidem in nummis quibusdam est ab una parte caput hominis, cum hoc nomine ANCUS; ab altera vero, aquæ ductus, cum his vocibus, AQUA MAR. in ora vero nummi, PHILIPPUS. Nam & *aqua Marcia*, a Marcio rege deducta est; & *Philippus* Marciorum cognomen est; cujus gentis auctor Ancus Marcius rex.

A similitudine alterius.

Tantam præterea vim habuit similitudo alterius, ut inde cognomina etiam sæpe inventa sint. ut de Cn. Pompejo Magno scribit Valerius lib.IX. qui MENOGENES a multis dictus sit quod Menogeni coquo suo similis esset: & de P. Scipione, qui SERAPIO, a victimario ejus nominis sibi simili: & P. Lentulo, qui SPINTHERIS, ab histrione Spinthere, adeptus sit

cognomen: sicut alter Scipio SALUTIONIS a Salutione mimo cognomen invenit. Plinius libro VII. cap. XII.

A fortuna.

A fortuna postremo hæc ducta: FELIX, FAUSTUS, in Sulla: DIVES, in Crassis: EGERIUS, ab egestate, in Tarquinio, post patris avique mortem egeno nato. Dionysius, Livius.

Cognomina ex cognominibus orta.

Multa etiam cognomina ita immutata sunt, ut per diminutionem in INUS a suo primitivo deflexa sint. ALBUS enim, quod fuit cognomen primum Postumiorum, post ALBINUS evasit: ita RUFUS in Corneliis RUFINUS, MAMERCUS in Æmiliis MAMERCINUS, MESSALLA in Valeriis MESSALINUS: inde iisdem *Corvus* CORVINUS; in aliis etiam eadem fortasse ratione LONGINUS, CRASSINUS, CALVINUS, LÆVINUS, PAULLINUS, CRISPINUS, CÆSONINUS, PAITINUS, BALBINUS, NIGRINUS. quæ omnia derivata sunt. item MARCELLINUS, ut in Cn. Cornelio Lentulo Marcellino: quod tamen cognomen in eo adoptionis signum fuisse arbitror. Hic enim P. Lentuli filius fuit, qui fuit M. Marcelli filius, Cicerone auctore in Bruto.

Cognomina an hereditaria fuerint.

His rebus expositis, æquum est etiam cognoscere, quemadmodum ex cognominibus alia ad posteros quam longissime propagarentur, alia ne ad filios quidem pervenirent: itemque succrescentibus in eadem gente cognominibus, quemadmodum vetustissimum quodque aboleretur, recentia vero omnia plerumque retinerentur. Ac primum quidem, qui cognomen patris avive & majorum tulerunt, id ipsum fecisse videntur præstanti illius qui primus id cognomen invenit, virtute & gloria adducti; ita tamen ut aut mutare aut relinquere illud cognomen pro arbitratu potuerint. cujus rei esse documento possunt ea quæ de Cicerone scribit Plutarchus: *Qui primus*, inquit, *Ciceronis cognomen tulit, is maxima laude floruisse videtur; quod id cognomen a posteris non solum non neglectum sit, verum etiam studiose retentum*. Et paulo post: *Cum autem M. Cicero, posteaquam magistratus cepit, crederetur cognomen illud aut vitaturus, aut certe mutaturus, respondit, operam se daturum ut id esset & Scauris & Catulis illustrius*. Præterea vero idem Cicero cognomina hereditaria fuisse ostendit, cum loquentem inducit Africanum cum nepote hoc modo: *Erit id tibi cognomen per te partum, quod nunc habes ex me hereditarium*. Itaque videmus hac de caussa *Album* & *Albinum* per quingentos amplius annos in gente Postumia custoditum; *Maximum*que in Valeria, & fere etiam in Fabia; & item in Mucia *Scævolam*. Hoc tamen non in omnibus servatum esse inde apparere potest, quod *Strabonis* cognomen, quod fuit patris Pompeii Magni, ne filius quidem usurpavit; neque filii Q. Maximi Oviculæ Verrucossi, ea quæ fuerant patris. Novis autem ascitis familiæ cognominibus vetera esse deleta, agnosci potest ex Manlia gente: cujus primum cognomen fuit *Vulso*, post *Vulso Capitolinus*, tum *Capitolinus Imperiossus*, post *Imperiossus Torquatus*; ad extremum autem tantum *Torquatus* retentus est.

An æque omnium cognomina fuerint.

Ex iis quæ dicta sunt, illud satis intelligi potest, æque omnes Romanos cives uti inventis cognominibus potuisse, neque ipsum cognominum usum plebi magis interdictum quam optimatibus fuisse. Fa-
A ctum est tamen, ut, quoniam respublica primum in patriciorum potestate fuit, eorum etiam ante cognomina celebrata quam plebis sint. ubi vero plebs ad rempublicam accessit, tum plebejorum etiam ad distinguendas familias cognomina audiri, perinde atque imagines ad posteritatem prodendam poni sint cœptæ. Quamobrem amicum meum in lib. de nominibus, in hoc præcepto tradendo ita loquutum esse miror: *Tribus nominibus senatores fuisse appellatos olim, observavi, equites autem & plebejos, majori ex parte duobus. Livius ubi de tribunis militaribus loquitur, hos plebejos nominat, sic; C. Sextilius, M. Albinus, P. Titinius, L. Antistius. Senatores autem ita vocabantur; C. Ælius Pætus, M. Licinius Crassus, M. Porcius Cato*. Hæc ille. Igitur, quia Livius quatuor tribunos militum e plebe duobus nominibus afficit, ipse in universum præcipit, equites & plebejos duobus, senatores tribus nominibus esse usos. neque, quot incommoda hanc rationem consequantur, animadvertit. quid enim ait? an qui ex equestri & plebejo ordine in senatum legebantur, tum cum legebantur, cognomen invenisse, ante lectionem cognomine caruisse, atque a lectione ipsa, non ab eventu, cognomen sumpsisse? an vero P. Valerium inquit, eum qui primus
C consul senatum ex equestri ordine supplevit, antequam tertium Poplicolæ nomen ferre cœpit, senatorem non fuisse? an vero aut C. Mænium, aut Ti. Coruncanium, aut C. Duilium, aut Q. Cædicium, aut M. Manlium, aut Q. Opimium, aut T. Didium, aut Marios, aut Antonios, qui consulatus, censuras, dictaturas gesserunt, & clarissimos triumphos egerunt, senatores, quia tertio nomine, veteribus & scriptoribus & lapidibus testibus, caruerunt, non fuisse? quid? nonne Cn. Pompejus Magni cognomen tulit, tum cum ex Africa & ex Hispania eques Rom. triumphavit? siquidem vivente Sulla id cognomen invenisse, idem ipse scribit.
D M. vero Tullius nonne, antequam in senatum lectus esset, Ciceronis cognomine usus est? At Livius, inquit, quatuor tribunos plebejos sine tertio nomine protulit: ergo plebeii tertio nomine caruerunt. Quis affirmare possit eorum cognomina non esse a Livio consulto omissa? quod in aliis etiam, eodem ipso auctore, fecit. Sic enim ait: *Livius sæpe duo profert nomina: neque caret reprehensione, quia historici est omnia explicare; & debet sane scriptor posteritatis habere rationem magis, quam suorum temporum*. An vero credibile est C. Sextilio, & collegis ejus tribunis militum consulari potestate, remp.
E domi forisque a populo R. commissam esse; senatum, in quem sæpe homines nullo ui honore pro arbitratu censorum legebantur, eis lectione censoria non patuisse? Neque vero senatores pro patriciis eum sumpsisse, atque patricios tribus, plebejos duobus usos esse cognominibus, intellexisse puto; præsertim vero cum C. Ælius Pætus, M. Licinius Crassus, M. Porcius Cato, quos ille senatores appellat, plebeii fuerint quod ne illum quidem latere existimo. Quid quod Pausanias, ut ante ostendi, Romanos minimum tribus, plerumque pluribus nominibus esse usos tradidit? Mihi quidem hæc ejusmodi præceptio non satis in universum probari, nisi
F exceptione aut interpretatione aliqua illustretur, potest.

CAP. VI.

De patriciis familiis, & plebeiis, nobilibus, & novis.

HACTENUS de gentium & familiarum Romanarum origine, nunc de familiarum conditione dicamus: quas, si genus spectabimus, alias patricias, alias plebejas; si honores, partim no-

biles, partim novas esse constituemus. De quibus omnibus sigillatim mihi videtur esse dicendum, ut hæc tota de nominibus Romanis suscepta disputatio perficiatur, ac primum de patriciis & plebeiis.

Romulum scribit Dionysius urbe condita totum populum in duas partes distribuisse; unam, eorum qui inter ceteros aut genere, aut virtute, aut divitiis excellebant; alteram eorum qui his omnibus rebus inferiores erant: atque illos quidem, patres; hos vero, plebejos nominasse: *Patres* autem, vel ab ætate, quasi senes; (unde *Senatores*) vel quod filios, vel quod patres haberent; plebeii non haberent; vel denique Atheniensium exemplo, qui summo loco natos, εὐπατρίδας; obscuro, ἀγροίκους vocarunt, appellasse. ut autem patriciis sacra, judicia, magistratus, senatum & totius reip. administrationem commisisse; sic plebejos, his omnibus muneribus vacuos, quæstuosis artibus operam dare voluisse. Itaque in hanc sententiam apud Livium lib. x. P. Decius plebejus, apud patres loquutus est ita: *Semper ista audita sunt eadem; penes vos auspicia esse, vos solos gentem habere, vos solos justum imperium domi militiæque*. Et lib.VI. Ap. Claudius patricius, sic: *Penes quos sunt auspicia more majorum? nempe penes patres. nam plebejus quidem magistratus nullus auspicato creatur. nobis adeo propria sunt auspicia, ut non solum quos populus creat patricios magistratus, aliter quam auspicato creet; sed nos quoque ipsi sine suffragio populi auspicato interregem prodamus, & privatim auspicia habeamus; quæ isti ne in magistratibus quidem habent. Quid igitur aliud quam tollit ex civitate auspicia, qui plebejos consules creando, a patribus, qui soli ea habere possunt, aufert?* Et lib.IV. Livius: *Interroganti tribuno, cur plebejum consulem fieri non oporteret, respondit, quod nemo plebejus auspicia haberet. ideoque decemviros connubium diremisse, ne incerta prole auspicia turbarentur. Plebs ad id maxime indignatione exarsit; quod auspicari, tamquam invisi Diis immortalibus, negarentur posse*. Et alibi: *Connubia communicata sunt; quibus sacra confusa sunt, & auspicia*. Atque hac eadem etiam ratione adductus Scævola, in Topicis apud Cic. *Gentiles* definit, qui inter se eodem nomine sunt, & qui ab ingenuis oriundi sunt, quorum nemo servitutem servivit, nec capite diminutus est. Hæc autem definitio apte in patricios Romuli cadit; de quibus P. Decius sic apud Livium loquitur: *En Romæ umquam fando audistis, patricios primum esse factos, non de cœlo demissos, sed qui patrem ciere possent; id est, nihil ultra quam ingenuos?* At Ap. Claudius: *An hoc, si Claudiæ familiæ non sim, nec ex patricio sanguine ortus, sed unus Quiritium quilibet, qui, modo me duobus ingenuis ortum, & vivere in libera civitate sciam, reticere possim?* Quibus ex rebus intelligi potest, *gentem* primum de patriciis dictam, quod soli ipsi eam haberent; (unde etiam *majorum & minorum gentium patricii* dicti sunt) post ad plebejos etiam esse translatam, qui duobus, ut patricii, essent ingenuis orti. qui iidem postea non solum gentem adepti sunt, sed procedente tempore patricios magistratus omnes, sacerdotia, auspicia, ordines, imperia, & triumphos sunt assequuti. Est præterea intelligendum, *qui civitate Romana donabatur*, eum plebejum fuisse; patricium autem neminem, nisi nominatim vel a regibus, vel a populo, vel denique ab imperatore factus esset, fuisse. De Romulo Dionysius ita lib. 3. πατρικίους ἐποίησε, ἐς κατέλεξεν εἰς τὸν τῆς βουλῆς ἀριθμόν. Albanas porro familias, Juliam, Geganiam, Metiliam, Quinctiliam, a Tullo Hostilio in patricias esse translatas, Livius & Dionysius auctores sunt; Octaviam a Ser. Tullio, Suetonius. Post reges autem exactos Ap. Claudium a populo patricium factum, Dionys. lib. v. his verbis: ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος εἰς τοὺς πατρικίους αὐτὸν ἐνέγραψεν. & Livius lib.IV. in oratione Canuleii trib.

A pleb. *Quid? hoc si polluit nobilitatem istam vestram; quam plerique oriundi ex Albinis & Sabinis, non genere nec sanguine, sed cooptatione in patres habetis, aut a regibus lecti, aut post reges exactos, jussu populi, &c.* De Cæsare autem ita Suetonius: *Senatum supplevit, patricios allegit*. quod interpretatur Dio, ita: ἐς τὴν γερουσίαν ἐσέγραψεν, καὶ εἰς τοὺς εὐπατρίδας ἐγκατέλεξεν. De Augusto item Suetonius: *Senatum legit, patriciorum numerum explevit*. quod Dio ita expressit; ἑτέρους δὲ τινὰς βουλεύειν ἐποίησε, τό τε τῶν εὐπατριδῶν γένος συνεπλήθυσε. De Claudio Tacitus lib.XI. *In numerum patriciorum vetustissimum quemque e senatu ascivit, paucis jam reliquis familiarum,* B *quas Romulus majorum, & L. Brutus minorum gentium appellaverunt; exhaustis etiam quas Dictator Cæsar lege Cassia, & princeps Augustus lege Senia sublegere*. Fuisse enim hanc patriciorum dissimilitudinem, quod *alii majorum, alii minorum gentium* essent, Livius & ceteri auctores sunt; quamquam non eodem modo omnes. Livius enim quos Romulus primum legit, eos majorum gentium; quos Tarquinius Priscus, minorum; quos liberata civitate L. Brutus, *patres conscriptos* appellat: quos ipsos Tacitus minorum gentium vocat. Hinc Cicero ad Papirium, aliquot patricios Papirios, quamquam mino- C rum gentium, nominat. An vero minorum gentium omnes, præter eos quos Romulus primum fecerat, dicerentur, facile vocari in quæstionem possit. Cur autem unius gentis ac nominis familiæ altera patricia, altera plebeja fuerit, quales plerasque fuisse reperimus, nemo adhuc tradidit; nos caussas has potissimum reddi posse putamus: Unam, quod non ab eodem ambæ fonte fluerent; ut si quis familiam M. Tullii Longi, qui patricius anno post reges exactos decimo consul cum Ser. Sulpicio fuit, quæ a Ser. Tullio rege duceretur, diversam esse a M. Tullii Ciceronis oratoris familia dixerit, qui plebejus fuit; quam a Tullo Attio Volscorum rege, D qui multo post Ser. Tullium regem vixit, manasse, quibusdam, auctore Plutarcho, placuit. Alteram, quod ex patricia aliqua gente alii ad plebem se contulerint, alii in patriciatu remanserint; ex plebeja vero alii a plebe ad patres transierint: siquidem scribit Suetonius, gentem Octaviam in patricias transductam, procedente tempore ad plebem se contulisse, ac rursus per divum Julium in patriciatum rediisse. & Cicero in Bruto: *Transitiones*, inquit, *a plebe sunt, cum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunduntur genus; ut si ego me a M. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Ser. Sulpicio consul fuit*. L. etiam Minucium Augurinum patri- E cium ad plebem transisse, & tribunum plebis undecimum factum esse, tradit Plinius. Tertiam, ab adoptione; ut cum plebejus a patricio, aut contra patricius a plebejo adoptaretur. necesse enim erat eum conditionem sequi adoptantis. ita M. Brutus plebejus, a Q. Cæpione patricio adoptatus, & Q. Cæpio Brutus dictus; & P. Scipio patricius, a Q. Metello plebejo adoptatus, & Q. Metellus Scipio dictus, patriciam Brutorum, & plebejam Scipionum familiam reddiderunt. Quartam a libertate. liberti enim assequuntur illi quidem nomen domini gentilicium; at conditionem, si patricius sit, non asse- F quuntur. Unde Horatius Flaccus plebejus; cum & Horatii patricii sint. quamquam nec qui adoptione, nec qui manumissione in alienam gentem migrabant, gentiles cum iis fuisse ex Scævolæ definitione videntur, vel a quibus, vel ad quos transibant: illi, quod capite diminuti essent; hi, quod servitutem servissent; ut in Topicis exponit Boetius. Quintam a civitate. nam qui civitatem beneficio alicujus patricii impetrabant, ii nomen ejus tantum adipiscebantur, in plebe autem remanebant; & si quæ aliæ sunt ejusmodi. Hæc de patriciis & plebeiis. *Nobiles* autem, primum patricii dicti sunt, quippe qui-

quibus primum honores ii ex quibus nobilitas comparatur, in republica patuerunt: post autem plebeii etiam, ubi primum ad curules honores pervenerunt, nobiles dici cœpti sunt. neque enim ex genere nobilitas, sed ex imaginibus paratur. siquidem ii nobiles dicti, qui majorum suorum imagines haberent. *Imaginem* autem *sui ponere*, ac posteris tradere non poterant, nisi qui curulem magistratum gessissent; quorum post aliquot tempora primus esse cœpit ædilitas curulis; qui magistratus ante patriciis patuit quam plebeiis. est autem *Imago*, ut ait Polybius libro V. simulachrum oris similitudinem affabre miroque artificio effictam, coloribus pigmentisque adumbratam referens: quam in insigniori & celebriori domus parte collocabant. De jure autem ponendarum imaginum sic Cicero in Verrem: *Ego me ob ædilitatem mihi delatam adeptum esse intelligo antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem, jus imaginis ad memoriam posteritatemque prodendam*, sic enim legit Nonius. & contra Rullum: *Est hoc in more positum, Quirites, ut ii qui beneficio vestro imagines familiæ suæ consequuti sunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude conjungant*. Est autem consequi imagines familiæ, magistratus curules a majoribus suis item gestos capere. *Novi* autem dicti sunt, qui nulla majorum commendatione, ipsi primi ad magistratus curules pervenerunt. quod intellexit etiam Plutarchus, cum in Catone majore ita scripsit: Εἰωθότων δὲ τῶν Ῥωμαίων τοὺς ἀπὸ γένους δόξαν οὐκ ἔχοντας, ἀρχομένους δὲ γνωρίζεσθαι δι᾽ αὐτῶν, καινοὺς προσαγορεύειν ἀνθρώπους, ὥσπερ καὶ τὸν Κάτωνα προσηγόρευον. & App. lib. II. Καλοῦσι δὲ καινοὺς, τοὺς ἀφ᾽ ἑαυτῶν, ἀλλ᾽ οὐ τῶν προγόνων γνωρίμους. Itaque Cicero in Rullum ait: *Me hominem novum, consulem fecistis*. Item; *Mihi apud vos de meis majoribus dicendi facultas non datur: non quod non tales fuerint, quales nos illorum sanguine creatos, disciplinisque institutos videtis: sed quod laude populari, atque honoris vestri luce caruerunt*. Item; *Quemadmodum cum petebam, nulli me vobis auctores generis mei commendarunt: sic, si quid deliquero, nullæ sunt imagines quæ me a vobis deprecentur*. Et in Pisonem: *Obrepsisti ad honores commendatione fumosarum imaginum*. Et Livius lib. I. *Ancus Marcius nobilis una imagine Numæ*. & lib. III. *Ap. Claudium, virum honoratissimæ imaginis futurum ad posteros, legum latorem, conditoremque Romani juris*. Et Suetonius in Vespasiano; *Flavia gens obscura illa quidem, ac sine ullis majorum imaginibus, sed reip. non pœnitenda*. Et Pædianus in orationem in toga candida: *Cicero competitores quatuor plebejos habuit: ex quibus duo nobiles, duo qui tantum non primi ex familiis suis magistratum adepti erant*. Et Livius lib. XXII. *Nec finem ante belli habituros quam consulem vere plebejum, id est hominem novum, fecissent: nam plebejos nobiles, jam iisdem initiatos esse sacris, & contemnere plebem, ex quo contemni desierint a patribus*. Et Plin. lib. XXXV. cap. II. *Exstat Messallæ oratoris indignatio, qua prohibuit inseri genti suæ Lævinorum alienam imaginem. similis caussa Messallæ seni expressit volumina illa quæ de familiis condidit, cum Scipionis Africani transisset atrium, vidissetque adoptione testamentaria Salutionis (hoc enim ei fuerat cognomen) Africanorum dedecore, notam irrepentem Scipionum nomini*.

CAP. VII.

De alia nominandi ratione.

HÆC igitur omnia cum illi haberent quasi instrumenta quædam nominandi, prænomen, nomen, atque cognomina: non his tamen contenti, alia etiam ad singulos significandos, exempli caussa patris aut avi prænomen, tribusque nomen, adhibuerunt. quod cum ex vetustis illorum monumentis, tum maxime ex Pædiano cognoscitur, qui in II. in Verrem sic ait; *Moris fuit, cum aliquis civis Rom. ostendendus esset, significaretur aut a prænomine suo, aut a nomine, aut a cognatione, aut a cognomine: aut a tribu, in qua censeretur: aut a curia: aut a censu, ut, si esset senator equesve Romanus*. Quod autem a cognatione significatos esse scribit, a patris, vel avi, vel proavi prænomine, puto intelligi eum voluisse. Nam quod a patris prænomine nominandi consuetudo fuerit, pleni sunt omnes libri; ut, Q. Cæcilius L. F. A patris autem & avi, Capitolina marmora satis ostendunt: a proavi vero, epigramma quod est in lib. Vet. inscriptionum ejusmodi:

L. MUNATIUS L. F. L. N. L. PRON. PLANCUS. COS. CENS. IMP. ITER.
VII. VIR EPUL. TRIUMPH. EX RHETIS.
ÆDEM SATURNI F. DE MANUBIIS.
AGROS DIVISIT IN ITALIA BENEVENTI.
IN GALLIA COLONIAS DEDUXIT LUGDUNUM ET RAURICAM.

Invenio etiam significatos esse a cognomine patris multos: ut Q. Fabius Maximi filius: T. Quinctius Capitolini filius. & in adoptivis: ut, Metellus Nasicæ F. & in vetere lapide Romæ:

P. CORNELIUS PAULLI F. SCIPIO
ÆMILIANUS COS. II. CENSOR.
AUGUR TRIUMPHAVIT.

& in nummis aliquot argenteis apud clarissimum virum Andream Lauredanum;

A. POSTUMIUS COS.
BRUTI F. ALBINUS.

Porro autem, quod a tribu ait, id tale est. cum tribus omnes Romæ XXXV. numerarentur, atque ex iis aliquam necesse esset, cujusque ordinis esset, civis Romanus obtineret, iccirco factum est ut a tribu, in qua censeretur, significaretur; tribus autem nomen in auferendi casu poneretur. Ita legimus in II. Verr. *C. Verres Romilia*: & alibi; *L. Claudius Palatina*. & in IX. Philip. *Ser. Sulpicius Q. F. Lemonia Rufus*. Nam Romilia, Palatina, & Lemonia, tribuum nomina sunt. Tribus autem ipsa prioribus fere tantum litteris significabatur. Quod videmus adhuc in epistola Cœlii esse retentum; hoc modo; C. Lucejus C. F. Pup. Hirrus: C. Scribonius C. F. Pop. Curio. id est, Pupinia, & Popilia. quo in loco multa in hanc rem a Paulo Manutio diligentissime atque ingeniosissime sunt collecta.

CAP. VIII.

Quæ de nominibus Romanorum tradita sunt, ea stante rep. observata esse intelligi.

HÆC habui quæ de nominibus Romanorum dicerem, quæ certa veterum auctoritate confirmarentur, quorum vestigiis insistentem, haud difficile unumquemque ea quæ a me prætermissa sunt, indagaturum esse opinor. Est igitur intelligendum hanc, de qua diximus, nominum rationem, stante potissimum rep. conservatam esse; post autem cum libertate hanc etiam religiosam descriptionem labi ex omni parte cœpisse. siquidem aliquot quæ ante cognomina fuerant, pro prænominibus cœpta sunt usurpari. Nam Julum Antonium Africanum, Paullum Fabium Maximum, Potitum Valerium Volusum, Cossum Cornelium Lentulum, sane animadvertere licet, imperante Augusto iis prænominibus esse præditos, quæ ante cognomina fuerant. quod ipsum Valerius quoque & Priscianus docuerunt.

F I N I S.

ONUPHRII PANVINII
VERONENSIS FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI
DE
ANTIQUIS ROMANORUM
NOMINIBUS LIBER.

ONUPHRIUS PANVINIUS
VERONENSIS FRATER AUGUSTINIANUS
F. HANNIBALI CARO
EQUITI HIEROSOLYMITANO
S. P. D.



Nus hic ſupererat de antiquis Romanorum nominibus liber, Hannibal Care vir ornatiſſime, quem, ut univerſum hoc Faſtorum opus abſolverem, etiam publicare conſtitui. Ad integrum enim hoc corpus conficiendum tantum hic liber deeſſe videbatur, in quo de omni antiquorum nominum Romanorum ratione diſputarem, atque ejus quæſtionis occaſione, quæ de familiis Romanis paulo ante collegi, afferrem. Res hæc in tota antiquitate Romana, difficilis atque obſcura in primis eſt, atque ad hos quos ſcripſi Faſtos intelligendos maxime neceſſaria. In qua etiam poſtquam de prænominum, nominum, & cognominum ratione, atque horum differentiis diſputavero, de gentibus quoque & familiis Romanis verba faciam: atque in primis illud oſtendere conabor, quæ ex Albanis, quæ ex Sabinis, quæ ex Tuſcis, quæ ex Latinis, & quæ ex aliis regionibus Romam commigrarunt. Item quæ ex his, aut a quo in patricias allectæ fuerunt, & quæ plebejæ remanſerunt. Ad hæc qui patricii majorum gentium, qui minorum, qui patres, qui conſcripti fuerint. Qua in re explicanda ſummos etiam viros labaſſe animadverti. Quæ omnia antiquitatum ſtudioſis non injucunda fore exiſtimo, quum hæ res nunc valde obſcuræ, & tenebris antiquitatis obrutæ ſint. Cujus laboris, ſi quid tamen in eo erit cognitu dignum, tibi uni præcipue acceptum referre omnes debebunt fructum, quum ea omnia quæ in ipſo continentur, & tecum contulerim, & tui præcipue cauſſa publicare decreverim: quem & omnium amicorum optimum ſenſi, & virum eruditiſſimum, modeſtiaque, probitate, & excellenti virtute præditum expertus ſum. Nullo enim majore argumento meam erga te obſervantiam teſtificari poſſe exiſtimavi, quam rem ardentiſſime ſemper exoptavi, quam hac hujus libri nuncupatione. In quo de eo potiſſimum argumento diſputatur, cujus ſtudio te teneri ſcio. Quod etſi forte melius tractari potuiſſet, hunc tamen laborem te boni omnino conſulturum, pro tua humanitate mihi maxime perſuadeo, quum maxima excuſatione dignus ſit, qui in quocunque diſputationis genere, quod potuit ſine ulla laboris detrectatione præſtare conatus ſit. Vale, Venetiis Kal. Septembris ∞ DLVIII.

ONUPHRII PANVINII

DE

ANTIQUIS ROMANORUM NOMINIBUS LIBER.



DIFFICILIS admodum (ut dixi) A atque inter omnes res quæ in Romana antiquitate tractari solent, obscura est veterum nominum apud Romanos ratio, quæ & ad hos quos scripsi Fastorum libros, in quibus non nisi fere prænomina, nomina, & cognomina describuntur, & ad veteres scriptores, antiquitatemque omnem intelligendam maxime pertinere videtur. Quare hoc libro mihi ipse constitui, latissime de illorum ratione disputare, & quid de iisdem invenerim exponere, multaque veterum B monumentorum ope, quæ jam cognosci desierant, restituere. Pleraque enim erant quæ aut temporis vetustate, aut librariorum vitio, adeo corrupta & depravata fuerant, ut agnitionem sui omni ex parte amisisse viderentur. Quum enim Romanos homines duobus primum, deinde tribus, aut quattuor etiam nominibus usos fuisse repererim, quorum unum præcipue nomen, alterum prænomen, cetera omnia cognomina appellaverint: atque aliquando prænomine tantum, aliquando prænomine, & cognomine: aliquando vero prænomine, & nomine, aut horum altero se nuncupaverint; non parvam dederunt his, qui non ita in antiquitate ver- C sati sunt, dubitandi occasionem. Quæ omnia, ut, quantum a me fieri posset, illustrarem & restituerem, hoc opus aggressus sum. De prænominibus itaque, nominibus, & cognominibus disputaturus, ante omnia, quo faciliorem intelligendi rationem tradam, quid unumquodque horum sit, quantum ad vocem solum attinet, ipsorum deinde rationem exponam. Aliquot autem exemplis priorem partem declarabo. QUINCTUS. FABIUS. MAXIMUS. VERRUCOSSUS. OVICULA. CUNCTATOR. Item PUBLIUS. CORNELIUS. SCIPIO. AFRICANUS. AIMILIANUS. Item C. JULIUS. CÆSAR. STRABO. Item M. TULLIUS. CI- D CERO. In hisce exemplis Quinctus, Publius, Cajus, & Marcus, quæ præponuntur, prænomina sunt: Fabius, Cornelius, Julius, & Tullius nomina; quæ, quum familiæ propria sint, gentilicia dicuntur, cetera omnia quæ Fabio, Cornelio, Julio, & Tullio postponuntur, cognomina sunt. Ita ut singulas personas non nisi singulis prænomine, & nomine, pluribus vero cognominibus uti posse manifestum sit. Cæterum quum in harum vocum doctrina tradenda duplicem ordinem servari posse animadverterim, quorum alter naturæ vel ortus, alter vero usus appellatur, atque nomen naturæ vel originis ordine ceteras voces præcedat (e- E tenim ut simplicia junctis antiquiora sunt, atque priora, ita si prænomen id est, quod nomini præpositum est, ut ante sit nomen quam prænomen necesse est) ortus ego & naturæ rationem, qui commodior ordo est, non usus, sequuturus, primum de nomine, deinde de prænomine, & postremo de cognomine disputabo. Nam si naturam harum vocum spectes, prænomen quidem secundum est, si usum vero, primum. Naturam igitur in origine & ratione horum vocabulorum tradenda spectare decrevi, atque ante omnia de nomine gentilicio verba facere.

De nomine latiore significato accepto.

Nomen itaque, auctore Nonio Marcello, dicitur proprium vocabulum singulorum: hoc est, ea vox qua unaquæque res appellatur. quasi novimen, ut ait Sex. Pompejus: a nosco derivatum, quod notitiam faciat: nam per id quicquid nominamus agnoscitur. Sunt tamen qui nomen quasi notamen vocatum velint, vel a Græco, quod est ὄνομα, abjecto ο, a quo onomatopoeia, hoc est, nominis fictio, dicta est, cum a sono aliquo seu voce nomina fingamus: quæ Latine fictitia dicuntur, ut balatus ovium, mugitus boum, barritus elephantorum, & similia. A nomine, nomino nominas, verbum deducitur, quod est nomen alicui rei imponere, quod dupliciter fit: aut enim universo generi, seu speciei nomen imponitur, quod grammatici nomen appellativum vocant, ut cum animal, hominem, leonem, equum, bovem, & asinum dicimus: aut singulis rebus peculiare nomen damus, quod illi cum alio non sit commune: quod a grammaticis nomen proprium appellatur. Hoc autem duplex est, aut enim tribuitur particulari rei anima carenti, aut particulari animali; quod autem duplex est; etenim vel rationali, vel rationis experti. Nomen autem proprium, quod rationali animali inditum est, sic definiri solet a Cicerone: *Nomen est quod unicuique personæ tribuitur, quo quæque suo proprio, & certo vocabulo appellatur*. Hoc rursus cum generale sit, in tria, vel ut aliis placet, quattuor appellationis membra, sive parteis dividitur: prænomen, nomen, quod gentilicium dicitur, cognomen, & agnomen, quæ omnia dicuntur etiam nomina propria, quorum originis seu naturæ ordo hic est, nomen, prænomen, cognomen, & agnomen: cujus rationem sequuturus, de nomine gentilicio in primis differere constitui.

De nomine gentilicio.

De nominis autem gentilicii origine, atque ratione, quum unaquaque aliarum ejusmodi vocum antiquius sit, primumque usurpari cœperit, verba facturus, antequam ejus definitionem afferam, nonnulla præfari non alienum ab hac quæstione erit, quæ ad ea, de quibus scripturus sum, facilius intelligenda percommoda futura opinor. Primum igitur intelligendum, Nomen duobus modis accipi. Nam & genus, & species est. genus, quum dicimus: Apud Romanos tria erant nominum genera. Species, ut quorum unum præcipue erat nomen, quod gentilicium diceretur: alterum prænomen, quod nomini gentilicio præponeretur; tertium cognomen, unde duo illa priora distinguerentur. Itaque & gentilicium nomen, & prænomen, & cognomen nomina sunt, si ut genus sumamus, id est ut vocabula, quæ in nominando aliquo celebremus. Hæc appellandi ratio etiam a veteribus usurpata est. Quum enim de hominis nomine mentionem faciunt, prænomen, familiæ nomen, atque cognomen sæpe sub unius nominis voce significant. Hoc autem vel ex eo cognosci potest quod sub titulo de mutatione nominis, his verbis constitutio Imp. Dioclet. sit: ***Sicut initio nominis, cognominis, prænominis recognoscendi singulos impositio privatis libera est, ita horum mutatio innocentibus periculosa non est. Mutare itaque nomen, vel prænomen, vel cognomen, sine aliqua fraude licito jure,***

si liber es, minime prohiberes. SI LIBER ES addidit, non quod servi his tribus nominibus uterentur, sed quod liberum non esset servo, suum nomen mutare, domino servi esset. Ab hac generali appellatione exhereditatio nominatim facta dicitur; quum sufficiat nomen, prænomen, aut cognomen dicere, ut Ulpianus scribit. Ausonius quoque in ternario numero

Tres equitum turmæ, tria nomina nobiliorum.

Sed & Cicero in oratione pro Muræna veteres jurisperitos irridens: *Ut quia*, inquit, *in alicujus libris (exempli caussa) id nomen invenerunt, putarunt omnes mulieres quæ coemptionem facerent, Cajas vocari*. Quem locum recte Vigilius ad Cajam Cæciliam, quæ eadem Tanaquil dicta est, pertinere arbitratur. Dionysius etiam prænomen Lartis nomen vocavit. Illic igitur prænomen, dictum nomen est: at pro Cæcina cognomen. *Sex.* (inquit) *Clodius, cui nomen est Phormio, nec minus niger, nec minus confidens, quam Terentianus est Phormio*. Martialis quoque epigrammatum lib. II. ad Domitianum Imperatorem scribit

Creta dedit magnum, majus dedit Africa nomen
Scipio quod auctor, quodque Metellus habet.

Et Plutarchus Caprarium & Bubulcum cognomina, nomina vocavit in Valerii Poplicolæ vita; & T. Livius libro primo, Egerium nomen, quod cognomen appellavit Dionysius lib. IV. dixit. Quæ cum ita sint, est tamen specialis quædam nominis significatio, quæ familiæ tantum nomen significat, ab antiquis ita ad prænominis & cognominis distinctionem usurpata, de qua nunc loqui decrevi, quam definientes dicemus: Nomen speciatim sumptum, quod quum gentilicium sit proprie appellatur nomen, est id quod genus indicans, non tantum proprium personæ est, sed etiam genti, vel familiæ: quod ideo etiam gentilicium dicitur, quia originem gentis vel familiæ declarat; ut Antonius, Curtius, Aurelius, Mucius, Marius, Fabius, Julius, & similia. Hoc vero ita esse his verbis docet C. Titius Probus in epitoma lib. x. Valerii Maximi. *Omnia* (inquit) *quæ ad unumquemque nostrum definiendum excogitata sunt eandem vim significandi hominis obtinent. Quod per proprietatem dicitur hoc distat, quia eo genus cognoscitur, ideoque dicitur gentilicium*. Idem etiam clare & egregie explicat sub titulo de verborum significatione Ulpianus, cum ait: *Nomen itaque cum speciali hac significatione accipitur, familiæ nomen significat, Romanis tantum hominibus: nam Græci & barbari singulis nominibus usi, familiæ nomine non utebantur*. Itaque Demosthenes, Aristoteles, Plato, Socrates, & illa sacrosancta nomina Jesus, Moses, Cephas, Joannes, inter cetera aliarum nationum ad familiam non propagantur: erant enim non gentis, sed singulorum hominum vocabula. Quam ob rem etiam magna illa controversia apud Græcos orta est, quod esset civium Romanorum nomen, ut Plutarchus in Mario refert, de qua mox dicam. Veterum igitur (ut dixi) Romanorum usus fuit hæc tria, aut simul, aut separata nomina appellare, sed speciali significatione, Nomen pro familiæ nomine usurpare, cui quod præponitur, Prænomen, quod postponitur, Cognomen vocabant, ut P. Cornelius Scipio, M. Tullius Cicero, C. Julius Cæsar, quibus exemplis P. M. & C. prænomina sunt, Cornelius, Tullius, & Julius nomina, Scipio, Cicero, Cæsar cognomina. Quod ita esse, doctissimorum & gravissimorum historiæ Romanæ scriptorum testimoniis confirmari potest. Dionysius enim Halicarnasseus libro historiarum III. de L. Tarquinio Prisco scribens, sic ait: *Lucumo jam civis Romanus factus, animadvertens unicuique Romanorum esse commune nomen, eique alterum esse adjunctum, quod est cognationis & gentilicium, similem se his in hac re volens reddere, Lucium sibi pro Lucumone commune nomen, Tarquinium vero tanquam cognationis ab ea urbe in qua genitus erat & educatus, gentilicium imponit*. Et paulo post ubi de Atio Næo loquitur, commune nomen appellat prænomen. Plutarchus quoque hoc eodem modo loquitur in Coriolano. inquit enim: *Hinc igitur tertium ei nomen Coriolano inditum est, quæ res maxime declarat Cajum ei fuisse proprium nomen, alterum vero Marcium cognationis, ac familiæ commune fuisse, id est gentilicium, tertio deinceps usus est*. Idem fere in principio ejus libri, quem de C. Marii vita conscripsit, longioribus verbis explicat: *C. Marii* (inquit) *quemadmodum neque Q. Sertorii, qui Hispanos in jus ditionemque populi Romani redegit, neque L. Mummii qui Corinthum delevit, tertium nomen dicere non possumus; nam Achaicus huic, ut Africanus Scipioni, & Metello Numidicus, ex re gesta cognomen fuit; ex quo magnopere Possidonius reprehensione dignos putat eos, qui censent tertium nomen Romanis proprium esse, ut Camillum, Marcellum, Catonem: nam qui tantummodo duobus nominibus nuncupabantur, nomine carerent. Errat autem quod hac ratione rursus ipsas mulieres sine nomine esse voluit. nulli enim mulieri primum nomen, quod proprium apud Romanos Possidonius esse arbitratur, imponitur. Alii autem proprium nomen a cognatione dixerunt, ut Pompejos, Manlios, Cornelios, tanquam si quis Heraclidas ac Pelopidas diceret; tertium vero nomen denominatur ab epitheto quod ex rebus gestis, vel ex natura, vel ex aliqua figura, & passione corporis impositum est, ut Magnus, Torquatus, Sulla, & apud Græcos Grypus, Callinicus*. Sicque Plutarchus de nominum antiquorum ratione disputat, ut varia etiam ipse apud Romanos fuisse nominum genera cum Dionysio sentire videatur, quorum alia prima, alia secunda, alia tertia appellat: ac prima quidem nomina eadem esse, quæ propria significare videntur, nosque prænomina dicimus, ut Publius, Quinctus, Marcus, & Titus: ut apud Græcos est Agamemnon, Achilles, Alexander, Pelops, Atreus. Secunda vero, quæ cognationis caussa multis communia sunt, quæ nos nomina gentilicia dicimus, esse ait, ut Pompejus, Manlius, Cornelius, quibus apud Græcos correspondent Heraclidæ, Pelopidæ, Æacidæ, Atridæ. Tertia vero esse ait quæ a Græcis ἐπωνύματα nominantur, nosque cognomina dicimus, quæ vel ab aliqua actione, vel a corporis habitu, vel a moribus indita sunt, ut Magnus, Torquatus, Sulla, Cincinnatus, & similia, quibus apud Græcos correspondent Theos, Neoptolemus, Callinicus, Paris, Celer, & Grypus. In his porro Plutarchi verbis animadversione dignum est, ipsum, quamquam egregie multa de nominum Romanorum ratione tradiderit, quædam tamen dixisse, quæ potius ex Græcorum consuetudine, appellandique more accepit, quam ita olim fuisse apud Latinos observata. Nam quum secundum nomen ex tribus gentilicium, & cognationis; tertium vero cognomen ab aliquo eventu inditum Romanos appellare consuevisse scribit, optime dicit. Quum autem primum, quod prænomen Romani vocabant, Romanorum fuisse proprium nomen affirmet, haud scio quam recte dictum sit. Verum hæc latius examinabo quum de prænomine differam. Porro autem hoc Plutarchi testimonium nequaquam citavi tanquam de prænomine disputaturus, sed ut ea, quæ de nomine gentilicio dixi, confirmarem. Nunc vero reliqua persequar, veterumque Latinorum de nomine gentilicio sententiam afferam. C. Titius Probus in epitoma libri x. Valerii Maximi, *Omnia autem*, (inquit) *quæ ad unumquemque nostrum definiendum excogitata sunt, eandem vim significandi hominis obtinent. Quod per proprietatem dicitur, hoc distat, quia eo gens cognoscitur, ideoque dicitur gentilicium; cetera ordine variantur: nam quod præponitur, prænomen,*

quod postfertur, cognomen appellatur, &c. Idem etiam A Diomedes lib. I. cap. II. scribit: *Propriorum* (inquit) *nominum quatuor sunt species, prænomen quod nominibus gentiliciis præponitur, ut Marcus, Publius, Cneus: nomen gentilicium, id est, quod originem gentis vel familiæ declarat, ut Porcius, Cornelius, Julius, & cognomen quod &c.* Donatus vero de octo partibus orationis editione II. *Propriorum nominum*, inquit, *secundum Latinos quattuor sunt species, prænomen, nomen, cognomen, & agnomen, ut P. Cornelius Scipio Africanus.* Idem Sergius ad Donatum, & P. Cosentius, Carisius, Priscianus ceterique grammatici sentiunt. Quod si quis fortasse hos ut recentiores, & grammaticos non admiserit, ad ea quæ B scripta sunt apud Ciceronem, Suetonium, & Cornelium Nepotem animum referat, rerum Romanarum certissimos auctores. Cicero enim epist. ad Atticum lib. IV. ita ait: *De Eutychide gratum, qui vetere prænomine, novo nomine T. erit Cæcilius, ut ex me & ex te junctus Dionysius M. Pomponius.* Suetonius quoque in Cæsare: *Ut quod eo*, inquit, *anno actum esset, Julio & Cæsare actum scriberent, bis eodem repetitis nomine atque cognomine.* Idem quoque Cicero II. epistol. ad Attic. *Quanto in odio*, inquit, *noster amicus Magnus, cujus cognomen una cum Crassi Divitis cognomine consenescit.* Idem lib. C II. de finibus: *Primum T. Manlium*, ait, *cum Gallo depugnasse, & ex ejus spoliis sibi & torquem, & cognomen induisse: nam Torquatus deinceps appellatus est.* Nonne igitur satis hæc verba ostendunt, Titum quidem esse prænomen, Cæcilium vero, & Julium nomina, Cæsarem autem, Magnum, Crassum, & Torquatum cognomina esse vocanda? M. enim Cicero superioribus verbis ostendit, sibi cordi esse quod Atticus prænomen suum Titi, atque avunculi nomen, quod ideo novum dicit, quia id recenter adeptus erat, id est Cæcilium, servo Eutychidi imposuerit, eumque T. Cæcilium Eutychidem appellaverit, ut antiquis mos erat. In verbis quoque Suetonii, nonne clare videtur nomen ipsum illud esse, D quod post prænomen ponitur in appellatione, ut Julius vel Cæcilius, idemque esse cum gentis vel familiæ appellatione, quod etiam gentilicium dicitur? Hæc autem satis multa & firma visa sunt, quæ afferrem ad harum appellationum, & præsertim nominis gentilicii vim & naturam definiendam. Nunc cetera persequamur.

Unde nomina gentilicia manarint, & cur in IUS *desinant.*

Familias omnes Romanas suos quosdam auctores primos habuisse constat, qui nomina sua propria E sibi ab aliquo eventu imposita, posteris suis postea tanquam gentilicia paululum immutata reliquerunt. Quum enim ipsi ejus gentis auctores extitissent, omnes ab eis progeniti eorumdem nominibus tanquam propriis utebantur, ac suæ genti tantum peculiaribus. Hoc autem uno aut altero exemplo demonstrari potest. Est aliquis princeps generis & gentis alicujus futurus, exempli caussa Julus Æneæ, aut Anto Herculis filii, quum filios procrearunt. Hos Græci patronymico suo exprimunt Julidem, Antonidem, Latini suo in *ius* Julium, Antonium. nihil est enim aliud Julius, quam ex Julo natus, neque Antonius, quam ex Antone, & ita in ceteris, ut a Pino Pinarii, Calpo Calpurnii, Ati Atii; F & sic de reliquis. Atque hoc dictum est nomen, quod gentilicium est, quia ex qua gente quis sit indicat. Quum ergo multi essent vel filii, vel nepotes Juli, Antonis, & Pini, qui omnes Julii, Antonii, & Pinarii dicebantur, ut inter se distinguerentur, fuerunt aliquo alio præposito nomine ornandi. Itaque si quis prima luce exempli gratia natus esset, Lucium, si mane Manium, si ad Tiberim Tiberium, si quincto, sexto, aut decimo loco, Quinctum, Sextum, & Decimum appellarunt, & præposito hoc nomine illi gentilicio dixerunt L. Julius, Sex. Julius, Manius Antonius, Ti. Calpurnius, Q. Pinarius, & D. Atius, & sic in ceteris. Atque nomen illud secundo loco excogitatum, quod antiquo nomini gentilicio præponeretur, Prænomen vocarunt. Quare si naturam spectes, quam ego nunc in origine horum vocabulorum tradenda spectavi, prænomen secundum est; si usum & appellandi rationem, primum. Ideo autem omnia fere gentilicia nomina in *ius* veteres desinere fecerunt, ut gentis originem ejusmodi derivatione significarent, ut quemadmodum in voce derivatio verbi, sic gentis etiam, quæ voce illa exprimeretur, principium in voce appareret. Si quidem antiquissimam quamque gentem aut a viro, aut a loco tanquam a fonte aliquo manasse, & nomen accepisse perspicuum est, ita quidem ut hæc derivationis significatio in omnibus studiosissime conservata sit. Hanc autem consuetudinem diligentissime tam ante, quam post urbem conditam Romæ retentam fuisse aliquot gentium testimonio demonstrari potest. Juliam enim gentem, Æmiliam, Nautiam, & Antoniam hanc ejusmodi terminationem ita religiose servasse, non ob aliam rationem credendum quam ut appareret in voce, quod in re existit, ab aliquo ipsas initio derivasse. Est autem ita. nam ab Julo Æneæ, Julia; Aimilia ab Aimilo Juli filio, Nautia a Naute, Antonia ab Antone, qui earum gentium auctores fuerunt, derivatæ sunt. Nam unde reliqua manarint, quantum potero ostendam. At vero condita urbe tam sub regibus quam sub consulibus idem factitatum est. Scribit Plutarchus, Numam regem filios quattuor reliquisse, Pomponem, Calpum, Pinum, & Mamercum, atque ab iis Pomponiam, Calpurniam, Pinariam, & Mamerciam gentes Romæ propagatas. L. vero Tarquinium Priscum scribit Dionysius Damarati Corinthii fuisse filium, & quum Tarquiniis viveret, Lucumonem Etrusco prænomine fuisse vocatum: ubi vero Romam migravit, ad morem Romanum sibi nomina composuisse. Itaque communi nomine se pro Lucumone Lucium, gentilicio vero a Tarquiniis urbe, non se Tarquiniensem, sed Tarquinium appellari voluisse. Idem fecit Ap. Claudius, qui Romam cum clientibus suis ex Sabinorum oppido Regillo anno post reges exactos sexto se contulit. Etenim quum Clausus diceretur, non jam amplius Clausum, sed Claudium, post Claudium dici se ubi Romæ domicilium collocavit, oportere existimavit. A quo deinceps omnes ejus posteri Claudii nominati sunt. Id autem ita esse Priscianus quoque lib. II. refert, ubi, nomina hæc in *ius* apud Romanos idem valere, quod apud Græcos patronymica. Verba ejus sunt hæc: *Nominum derivativorum multa genera sunt: quorum Patronymicum, id est, quod a propriis tantummodo patrum nominibus derivatur secundum formam Græcam, quod significat cum genitivo primitivi filios, vel nepotes, ut Æacides, Æaci filius vel nepos, pro quo Romani nominibus familiarum utuntur, ut Cornelii: omnes enim ab illo, qui primum Cornelius appellatus est, hoc nomen habuerunt, quicumque ejusdem familiæ sunt, sicut omnes minores Thesei, Thesidas Græci appellarunt.* Neque vero dubium est, quin tota hæc ratio terminandi usque ad reip. interitum incorrupta pervenerit: præter ea duntaxat quæ longa observatione notavi; Peducæus, Poppæus, & Norbanus. Nam quod M. Perperna, & alia quædam id genus antiqua nomina in *ius* non desinant, potius eorum nesciri nomina existimo, quam nomina gentilicia fuisse, quæ omnino cognomina fuisse arbitror. Nonnullos enim fuisse constat, quasi gentilicii nominis expertes, quos ita omnino nominari etiam in tabulis Capitolinis videmus, quod ob eam caussam contigisse videtur, quod ii cognomine ma-

gis quam nomine delectati sunt, quod in quibusdam familiis accidisse testimonio est M. Agrippa, cujus gentilicium nomen in omnibus fere vetustis etiam lapidum monumentis omissum est, quum tamen ex Vipsaniorum gente eum fuisse Nepos & Dio tradiderint. Ita est etiam C. Mæcenas, cujus nomen non nisi in Cornelio Tacito, & semel tantum reperitur, quod fuit Cilnius, ut ex antiquis manuscriptis codicibus, & vetusto marmore animadverti. C. etiam Verris nomen nusquam quod sciam legitur, ita frequens erat cognominis ejus usus. Fuit tamen Verres ex gente Cornelia, ut ex liberto ejus Cornelio Haruspice, cujus oratione III. meminit Cicero, observavi. Norbanus vero cognomen potius fuisse quam nomen ex eo potissimum crediderim, quod, raro admodum ab urbibus nomina sumi solita fuisse didicerim, sed potius cognomina, ut Medullinus, Camerinus, Auruncus, Laurentinus, Regillensis, & similia, ita quoque a Norba, Norbanus dictus est: quod postea diuturnitate temporis vel usu, vel quia nomen ejus ignotum erat, pro nomine usurpari cœptum est, addito Flacci cognomine, dictusque est C. Norbanus Flaccus. Multa etiam nomina librariorum culpa corrupta erant, inter quæ præcipuum fuit Coruncanius, quod quum nunquam in *ius* scriptum reperiretur in manuscriptis codicibus, sed tantum Coruncanus, omnes valde conturbabat: verum postremo compertum est ex antiquissimis lapidibus, vetustissimisque codicibus Coruncanium esse scribendum. De Peducæo vero & Poppæo, cur non Peducæjus, & Poppæjus scribendum? præsertim quum Poppæjum olim veteres scripsisse constat. Ut ut autem illud sit, non est quod exiguus horum numerus tam religiosam tot aliorum consuetudinem impediat. nam ita rep. stante observatum fuisse constat. Quod si quid præter regulam ortum est, id novissimis reip. temporibus natum esse liquet, quibus consuetudine Latini sermonis sensim labante multa paulatim præter antiquum loquendi morem invaluerunt. Porro autem rep. stante illud certum est, singulos homines non nisi singula prænomina, unumque tantum nomen id est familiæ habuisse, quum tamen pluribus cognominibus uti liberum omnibus esset. Post Augusti vero tempora antiqua hæc religiosa nominum observatio labefactata est. Nam duo nomina gentilicia multos usurpasse tam apud auctores, quam in antiquis inscriptionibus observavi, ut Ap. Annius Trebonius Gallus, M. Atilius Metilius Bradua, P. Cœlius Balbinus Vibullius Pius. Quod in adoptionibus fieri solitum fuisse exemplo esse potest C. Plinius Cæcilius Secundus, qui quum C. Cæcilius ante vocaretur, ab avunculo C. Plinio Secundo Veronense adoptatus ita appellari cœpit, ut in ejus epistolis videri potest. Nam quemadmodum ante Augusti imperium frequentissimus is mos in adoptionibus erat, ut is qui adoptabatur, prænomen, nomen, & cognomen ejus qui adoptabat assumeret, suum vero vetus nomen paululum immutatum pro altero cognomine usurparet, ut C. Julius Cæsar Octavianus: ita post reip. casum alius hic appellandi mos irrepsit de quo dixi, quod ante insolitum & inauditum erat. Is enim qui adoptatus erat, tria nomina adoptantis suscipiebat, suum nomen non paululum immutatum pro altero cognomine usurpabat, sed nulla ratione mutatum nomini gentilicio ejus qui adoptaverat subjiciebat, ut de C. Plinio Cæcilio Secundo animadvertimus. Altera quoque ratio fuit duo nomina gentilicia retinendi; ea erat quum is qui civitate donatus erat, duo nomina casu habuisset, tunc enim ea suggerebat nomini gentilicio ejus a quo civitatem impetrabat. exemplum haberi potest de M. Aurelio Claudio Pompejano. Claudius enim Pompejanus homo Alexandrinus a M. Aurelio Antonino imperatore civitate donatus, senator, consul, & gener assumptus, M. Aurelius Claudius Pompejanus vocatus est. Hæc & similia ab antiqua observatione abhorrentia paulatim irrepserunt, postea quam ex externis regionibus imperatores creari cœperunt, civitasque toti orbi Romano data est. Quo tempore non solum religiosus hic nominum ordo defecit, verum etiam lingua Latina ita contaminata est, & in fœdam barbariem versa, ut non immerito Sex Pompejus scripserit: *Latine loqui a Latio dictum est, quæ loquutio adeo est versa, ut vix ulla ejus pars maneat innoxia &c.*

Quod inter gentem, & familiam discrimen sit; & quæ gentes, vel familiæ Romanæ fuerint.

Quum nomina ipsa gentilicia, de quibus nunc disputamus, a gente dicta sint, nunc etiam commodum videtur, ut quid gens sit, & qua ratione a familia differat exponam. Inter gentem & familiam illud interest, quod gens ad nomen, familia ad cognomen refertur. Itaque illa tanquam totum continere videtur, hæc quodammodum partem. Exempli gratia, Valerii omnes unius esse gentis dicuntur, quia uno nomine continentur omnes: at vero partes gentis hujus sunt plures, quæ ex cognominum varietate distinctæ sunt, eæque familiæ nominantur, ut in gente Valeria Maximi vel Messalæ, Flacci, Lævini, Faltones, Poplicolæ, Potiti. In Cornelia Cossi, Maluginenses, Scipiones, Lentuli, Dolabellæ, Sullæ, Cinnæ. In Fabia Ambusti, Maximi, Buteones, Pictores, Dorsones, Licini. In Æmilia Mamercini, Lepidi, Paulli, Scauri, Barbulæ. itemque in ceteris. At vero Valerii omnes unius sunt gentis, itemque Fabii, Cornelii, atque Æmilii. Itaque recte Festus gentem definit eam, quæ ex multis familiis conficeretur. Hæc ita esse ex vetustis scriptoribus intelligi potest. Cicero in Bruto: *Funebres orationes ipsæ familiæ quasi ornamenta servabant ad usum, si quis ejusdem generis occidisset.* Livius lib. I. *Julia gens Julum auctorem sui nominis nuncupat.* Et lib. VII. sic loquitur Valerius Corvus: *Non si mihi novum hoc Corvi cognomen diis auctoribus homines dedistis, Poplicolarum vetustum nostræ familiæ cognomen memoria excessit.* Et lib. IX. *Duodecim Potitiorum familias fuisse, quum gens Potitia tota interiit.* Et lib. XXXVIII. *P. Scipio Nasica orationem habuit plenam veris decoribus non communiter Corneliæ gentis, sed propriæ familiæ suæ.* Et lib. XL. *Inde cognomen familiæ inditum, ut Annalis appellaretur.* Tranquillus in Cæsare: *Ab Anco Marcio sunt Marcii reges, quo nomine fuit mater, a Venere Julii cujus gentis familia est nostra.* Et in Augusto: *Gens Octavia a Tarquinio Prisco rege inter Romanas gentes allecta, mox a Ser. Tullio in patricias transducta. Primus ex hac magistratum cepit C. Rufus. Is quæstorius Cnæum & Cajum procreavit, a quibus duplex Octaviorum familia defluxit, conditione diversa.* Et in Galba: *Imagines universi generis exequi longum est, familiæ breviter attingam. Qui primus Sulpiciorum Galba cognomen tulit, cur aut unde traxerit, ambigitur.* Porro autem quod interest inter gentem & familiam, idem interest inter genus, & stirpem. Quod Cicero multis in locis docet. Pro Rabirio: *Quæ in familia laus aliqua forte floruit, hanc fere qui sunt ejus stirpis cupidissime persequuntur.* Et primo de legibus: *Hic orti stirpe antiquissima sumus.* Et in Lælio: *Qui aliquandiu propter ignorantiam stirpis, & generis in famulatum fuerunt.* Et lib. I. de oratore: *Quid? qua de re inter Marcellos & Claudios patricios C. viri judicarunt, quum Marcelli a liberti filio stirpe, Claudii patricii ejusdem hominis hereditatem gente ad se rediisse dicerent, nonne in ea caussa fuit de toto stirpis & gentilitatis jure dicendum?* Et Tranquillus in Caligula: *Cn. Pompejo antiquissimæ stirpis Magni cognomen ademit.* Quæ vero ratio est inter gentem & familiam, ea-

dem est inter gentiles & agnatos: ut enim familia, aut stirps nos propius attingit, quam gens, aut genus: sic agnati quam gentiles. Agnati enim sunt ejusdem familiæ, gentiles ejusdem gentis, vel ut tradit Cicero, qui inter se eodem nomine sunt. Quod etiam scribit Festus: *Gentilis*, inquit, *dicitur*, *qui eodem ex genere natus est*, *& is qui simili nomine appellatur*. Quum ait, ex eodem genere, eos intelligit qui ejusdem gentis eundem principem habent: simili vero nomine, eos, qui, quamquam uno gentis nomine omnes utuntur, tamen non eundem sui generis auctorem habent, quo modo Cicero prima Tusculana se gentilem ait Ser. Tullii regis, quod uterque simili gentilicio nomine uteretur, quum tamen e diverso uterque genere manaret: agnati enim non erant, neque ex eadem familia. Unde in Bruto ait: *Multos usurpasse alienam familiam*, *quum essent ejusdem nominis*, *& gentis*, *ut si* (inquit) *me a* M. *Tullio patricio esse dicerem*, *qui cos. fuit cum Ser. Sulpicio*. Et in eodem Bruto: *Tuus gentilis Brute M. Pennus*; *fuerunt nam & Pennus*, *& Brutus ex eadem gente & nomine*, *ambo enim Junii*, *sed ex diversis familiis*, *nam alter ex Juniis Brutis*, *alter ex Juniis Pennis*. Quum autem ad Herennium scriptum sit: *Si furiosus existat*, *agnatorum gentiliumque in eo pecuniaque ejus jus esto*. Agnati profecto videntur esse, qui ex eadem familia sunt, quibus deficientibus gentiles subeant. Nam etiam Cicero primo de oratore dixit: *Jura gentilitatum*, *& agnationum*. Item *jus gentilitatis & stirpis*. Et de legibus I. *Homines deorum agnatione & gente tenentur*, quum utranque conjunctionem complecti vellet. Plinius quoque gentiles nova quadam ratione appellat. Siquidem servos gentiles esse dominorum ait, quia eodem prænomine appellarentur quo dominus, ut Marcipor, & Quinctipor, id est Marci & Quincti puer. Hæc itaque sunt, quæ de gente, & familia; vel genere, gentilibus, agnatis scripta inveni.

De Romanarum gentium origine.

De quarum origine, generibus, & distinctionibus disputaturus, illud in primis scitu dignum, quattuor populos me invenisse præcipuos qui gentium Romanarum seminarium fuerunt. (nam præter has etiam ex tota Italia Romam multas commigrasse existimandum.) Hi fuerunt Aborigines & Trojani, qui postea ambo ab Ænea communi nomine Latini sunt appellati, item Sabini, & Etrusci. Aborigines vero qui ante adventum Æneæ Latium regnante Latino tenebant, ex Græcis in Italiam venientibus (ut tradit Dionysius) conflati sunt. Hos ipse nominat Oenotrios ex Arcadia, Pelasgos ex Thessalia, Evandrum, item ex Arcadia, Herculem ex Peloponnesso profectos. qui Trojani fuerint manifestum est. Atque hi primis urbis fundamentis interfuerunt. Urbi novæ Sabini, Cæninenses, Antemnates, & Curenses: Item Etrusci, ut Vejentes, Fidenates & multæ præterea Etruscorum urbes. Item alii ex Latinis ut Camerini, & Medullini accesserunt, quos Romulus vel bello victos, vel æquo fœdere in civitatem recepit. Quod Romuli institutum reliqui deinceps reges studiosissime conservarunt, qui plures civitates aut vi, aut benevolentia sibi adjunxerunt, Romamque transtulerunt. Itaque Tullus Hostilius Alba, Ancus Marcius, Politorio, Ficana, & Tellenis: Tarquinius Priscus Appiolis captis, & dirutis earundem familias Romam transduxerunt. Ancus etiam Lucumonem Etruscum in senatum adscivit. Priscus Ser. Tullium Corniculanum sibi etiam in generum adjunxit. Idem libertate parta observatum ab annuis magistratibus est. Nam quum urbs plena habitatoribus esset, nec propterea amplius novis migratio-

A nibus opus haberent, jus civitatis integris populis & gentibus nunquam dari desitum, Italiamque ipsam municipiis devinciri, quo usque bello sociali universa civitate donata est. Quo tempore virtutis ergo multi ne Italici quidem in civitatis jus suscepti sunt, post trans Padum civitas prolata, deinde trans Alpes, & postea trans mare, postremo toti orbi Romano concessa est. atque ex orbe urbs facta. Quum vero difficile admodum sit (immo id fieri posse nulla ratione opinor) omnium Romanarum gentium originem invenire, paucarum tamen initia ex vetustis monumentis indicari possunt, ex quibus illud quoque intelligi poterit reliquas etiam
B eadem ratione manasse. nihil enim ea disputatione obscurius unquam fuisse didici, in qua familiarum Romanarum origo explicatur. Nam quamquam quarumdam gentium Romanarum origo manifesta sit, majoris tamen partis, vel omnino obscura est, vel incerta. Cujus quidem universæ tractationis duas præcipue partes constituam; nam familiarum quarundam origo certa habetur, quarundam incerta est. Hæ autem quarum initia cognita habemus, sunt quæ a principibus viris, quorum cognitio est, manarunt, ut quæ ab Aboriginibus, Trojanis, Latinis, Sabinis, & Tuscis derivatæ
C sunt. Earum vero quarum origo incerta est, quibusdam certa dari potest etymologia, quibusdam non. Prioris generis aliæ a prænominibus, nominibus, & cognominibus; aliæ a locis, urbibus, & populis; aliæ a quadrupedibus; aliæ a variis eventibus dictæ sunt. Earum tamen origo & generis auctor obscurus est. Posterioris vero generis neque auctor cognitus est, neque earum ulla afferri potest nominis etymologia, ut Fusii sunt, Coruncanii, Carvilii, Cocceii, & similes quas omnes enumerabo. Quod idcirco accidisse existimo, quia multæ earum ab antiquissimis hominibus ut pastoribus, & latronibus, & ceteris incertas sedes habentibus, ortæ sunt.
D Quibus ea nomina ab aliquo eventu imposita, eo loquendi genere, quod linguam appellamus, mutato, omnino obscura posterioribus temporibus facta sunt. Sunt enim multa verba quæ loquendi genere variato, quum ante aliquid, postea nihil significare cœperunt, quum non solum linguarum usus, sed & characteres ipsi, & elementa quibus scribimus mutentur. cui rei testimonio esse possunt litteræ Etruscæ nobis modo omnino incognitæ, quæ in vetustissimis tabulis reperiuntur. Id igitur ex hac potissimum caussa accidisse opinor, ut aliquot Romanarum gentium derivatio nobis omnino incognita sit. Quarundam etiam gentium, quamquam
E nomina vetustissima sint, derivatio tamen intelligi potest, quod quum nobilissimæ fuerint, reliquo ejus linguæ cujus erant, usu exolescente, earundem tantum nominum notitia ad nos manavit, ut Romulus, Remus, Mamercus, & similia. Atque hæc sunt quæ de iis Romanis gentibus dicere volui, quarum omnino etymologia obscura est, & nobis modo incognita. His igitur explicatis earum modo familiarum seriem afferam, quarum certus auctor est, & origo manifesta: atque ex his ab his enumerandis initium sumam, quæ omnium vetustissimæ erant, & ab Aborigini-
F bus manarunt. Ac primum quidem numerabo

VITELLIOS. quos Fauno Aboriginum rege & Vitellia, quæ multis locis pro numine colebatur, ortos tradit in Vitellio Imp. Tranquillus. Patricia hæc gens fuit & (ut opinor) majorum gentium (quæ autem familiæ majorum gentium fuerint, & supra dixi, & paulo post iterum exponam) ex qua fuerunt M. & M. Vitellii fratres uxoris Collatini primi consulis, a Bruto cum filiis, quod de recipiendis in urbem regibus conjurassent, interfecti. De quibus libro V. Dionysius.

FABII. a Fabio Herculis filio orti, ut tradunt

Plutarchus in Fabio Maximo, & Silius libris II. & VI. Unde Juvenalis:

Natus in Herculeo Fabius lare.

Sex Pompejus: *Fovii qui nunc Fabii dicuntur dicti quod princeps gentis ejus ex ea natus sit, cum qua Hercules in fovea concubuit. Alii putant eum primum ostendisse, quemadmodum ursi & lupi foveis caperentur.* Patricia & hæc gens fuit majorum gentium. (Fabii enim Celeris præfecti Celerum primi sub Romulo mentio est) in has familias, & cognomina distincta: Celer, Vibulanus, Ambustus, Rullus, alias Rullianus, Dorso, Maximus, Gurges, Buteo, Pictor, Licinus, Verrucossus, ovicula, Cunctator, Labeo, Aimilianus, Servilianus, Allobrogicus, alias Allobrogicinus, Eburnus, Africanus & Persicus. Hujus gentis usque ad Ti. Cæsaris principatum mentio est, pontificatu maximo I. auguratibus aliquot, dictaturis VII. magisteriis equitum V consulatibus XLVIII. X. viratu legum scribendarum, censuris VIII. tribunatibus militum consulari potestate X. senatus principibus V. triumphis XIII. ovationibusque II. illustris. His honoribus functi sunt viri XXXVI. infra annorum DL. intervallum.

ANTONII. Ab Antone Herculis filio derivati. Plutarchus in Antonio. Patricios & hos majorum gentium fuisse existimo. (Fuerunt enim & Antonii plebeii.) Quod cur acciderit paulo post exponam. Ex patricia Antonia gente fuerunt tres Antonii, duo Merendæ, alter X. vir legibus scribendis, alter tribunus militum consulari potestate, tertius porro equitum magister. Antoniorum gentem plebejam Pietatis, & Balbi cognomina usurpasse inveni. Hæc & ipsa consulatibus septem, censuris duabus, magisterio equitum, triumpho, ovationibus duabus celebris novissimis reip. temporibus fuit.

POTITII. Hanc gentem antiquiorem origine urbis nominat Livius, a Potitio illo sene derivata, qui ad tempus adfuit sacris Herculis dapibus. Patricia hæc majorum gentium procul dubio fuit, nullis unquam honoribus (quod sciam) affecta. Hæc gens in XII. familias divisa ob Herculis sacra neglecta omnis interiit circa annum urbis CDXLV.

PINARII. & hi patricii majorum gentium fuere ab altero sene Herculis sacerdote oriundi, qui quia ad tempus ad dapes non venit, Pinarius dictus est ἀπὸ τῆς πείνας. i. a fame, de quo Livius & Dionysius mentionem faciunt. Plutarchus vero a Pino Numæ filio eam ortam tradit. Fortasse Pinaria gens duplex fuit. Hæc Mamercini, Rufi, & Nattæ cognomina usurpavit, consulatibus aliquot, magisterio equitum, & tribunatu militum gestis non obscura.

QUINCTILII. & hæc gens patricia majorum gentium fuit. De qua Festus: *Faviani & Quinctiliani appellantur Luperci a Favio & Quinctilio præpositis suis.* Quinctilius igitur primus fuit unus ex his qui lupercalia ante urbem conditam celebrarit, a quo Quinctiliorum gens patricia dictatoria & consularis manavit, Vari cognomine ornata.

MAMILII. a Mamilia Telegoni qui Tusculum condidit filia, Vlixis nepte oriundi. Livius, Dionysius, & Festus. Hæc gens Tusculana fuit, quæ Tusculo municipio facto, quum Romam venisset, inter plebejas familias Romanas relata est. Livius libro IV. *Eo die L. Mamilio Tusculano approbantibus cunctis civitas data est.* Hæc in familias aliquot divisa, quarum cognomina fuerunt Vitulus, Turrinus, & Limetanus. Consularis hæc gens fuit. Atque hæ sunt Romanæ gentes quæ ab Aboriginibus fluxerunt, quarum ad nos notitia manavit.

Gentes Romanæ quæ a Trojanis ortæ sunt.

JULII. a Julo Ascanii, vel ut aliis placet, Æneæ filio. Livius, Dionysius, Suetonius. Itaque Proculum Julium Romuli tempore Juli Ascanii progeni-

A em vocat Dionysius; & ipsi Julii cognomen etiam tulerunt Juli a principe ejus gentis Julo, de quo Virgilius lib. I. Æneidos:

Nascetur pulchra Trojanus origine Cæsar
Imperium oceano famam qui terminet astris
Julius a magno demissum nomen Julo.

& paulo ante:

At puer Ascanius, cui nunc cognomen Julo
Additur, Ilus erat.

Albana hæc gens fuit, atque, ut ex Proculo Julio apparet, Romam a Romulo transducta. igitur majorum gentium patricia fuit, pontificatu maximo, dictaturis quinque, magisterio equitum, consulatibus XVII. censura una, tribunatibus militum consulari potestate IX. X. viratu legibus scribendis, triumphis octo, Cæsare ipso dictatore, & Augusto Romani imperii conditoribus omnium Romanarum clarissima, quæ Juli, Mentonis, Libonis, & Cæsaris, Strabonis, Bursionis, Apuli, Augusti, & Germanici cognomina variis temporibus usurpavit.

AEMILII. ab Æmilo Ascanii Trojani Æneæ filii filio, ut ait Festus, deducta. Cui rei forte allusit Virgilius quum dixit:

Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.
Hinc populum late regem belloque superbum
Venturum excidio Libyæ.

Nam progeniem Æneæ, & Juli vocare videtur Scipionem Paulli Æmilii filium, qui Imp. Carthaginem excidit, populum autem legiones Romanas, quæ ab eisdem etiam genus trahebant. Plutarchus autem Æmilios a filio quodam Pythagoræ Mamerco dictos ait, qui summo lepore præditus fuit, quæ Græce Aimilia dicitur. Sex. Pompejus: *Aimiliam gentem appellatam dicunt a Mamerco Pythagoræ philosophi filio, cui propter unicam humanitatem cognomen fuit Aimilii. Alii quod ab Ascanio descendat, qui duos habuit filios Julum atque Aimilon.* Patricia hæc gens majorum gentium etiam fuit, ex Albanis Latinis in urbem a Romulo accita, quæ Mamercini, Barbulæ, Privernatis, Paulli, Lepidi, Papi, Marci, Buæ, Porcinæ, Scauri, & Liviani cognomina tulit, pontificatu maximo, duobus principatibus senatus, dictaturis V. magisteriis equitum IV. consulatibus supra XL. censuris triumphisque XV. tribunatibus militum consulari potestate XII. decorata.

ATII. Ab Ati Trojano, de quo Virgilius libro V Æneidos.

Alter Atis: genus unde Atii duxere Latini

item:

Parvus Atis pueroque puer dilectus Julo.

Quod Augusti causa dictum scribit Servius, qui ex Atia matre natus est. Hoc in Augusti gratiam dictum fuisse a Virgilio opinor, neque enim ulla vetus Atiorum mentio est. Atii plebeii fuerunt, neque præturæ gradum excessere, cognominaque Vari, Paulli, & Balbi tulerunt.

CAECILII. a Cæcade comite Æneæ. Alii a Cæculo Volcani filio, qui condidit Prænesle. Auctor Festus. Plebeja hæc gens fuit, non ante annum urbis CDLXX. honores adepta, cognominibusque Metelli, Macedonici, Calvi, Dentricis, Balearici, Dalmatici, Vittati, Caprarii, Nepotis, Celeris, Cretici, Pii, Numidici, Scipionis, & Silani distincta. quæ nobilis admodum Romæ gens fuit, pontificatus maximos IV. dictaturas duas, magisteria equitum totidem, consulatus XX. censuras VII. triumphos novem, intra annos CCL. adepta, quibus honoribus functi sunt viri undeviginti. Hanc familiam Præneste oriundam fuisse quidam referunt, quam post exactos Reges in civitatem acceptam fuisse opinor.

CLOELII. a comite Æneæ eius nominis fluxerunt,

ut his verbis tradit Festus: *Cloelia familia a Cloelio Æneæ comite est appellata*. Hæc gens Albana fuit Hinc fossæ Cloeliæ a Cloelio Albanorum duce dictæ. Enumeraturque a Dionysio & Livio inter eas Albanorum familias quas Alba diruta Tullus Hostilius in urbem, & inter patricias adscivit. Igitur minorum gentium fuit. Hæc gens consulatus aliquot & censuram adepta est, Siculique præcipue cognomen tulit.

CLUENTII. a Cloantho comite Æneæ Virgilius libro V.

Centauro invehitur magna, Scyllaque Cloanthus
Cærulea; genus unde tibi Romane Cluenti.

Hæc gens plebeja & nullis honoribus clara fuit.

GEGANII. a Gya comite Æneæ, ut ait Servius super V. Æneidos libro: *Bene (inquit) laudat familias nobilium, a Sergesto Sergia familia fuit, a Cloantho Cluentia, a Gya Gegania, cujus non fecit mentionem*. Hæc gens Albana fuit, & ejus partem Romam cum Romulo commigrasse crediderim. Nam inter primas quattuor virgines Vestales a Numa factas, refertur una Gegania a Plutarcho. Ejus vero altera pars Romam a Tullo Hostilio transducta fuit & inter patricias Alba eversa allecta, Dionysio & Livio auctoribus. Fuerunt igitur in gente Gegania familiæ patriciæ majorum, & minorum gentium, quæ Macerini cognomen frequentarunt, consulatibus aliquot, censura, & triumpho illustres.

JUNII. a comite Æneæ ejus nominis emanarunt, auctore Dionysio libro IV. Patricia igitur hæc gens fuit majorum gentium, Bruto primo consule illustrissima. Fuit & altera gens Junia plebeja inter Romanas nobilis, quæ & ipsa Bruti, item Bubulci, Sævæ, Peræ, Penni, Silani, & Callaici cognomina tulit, dictatura, magisteriis equitum IV. consulatibus XVIII. censura, triumphisque VII. ornata.

MEMMII. a Mnestheo comite Æneæ. Virgilius libro V.

Velocem Mnestheus agit, acri remige Pristin
Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi.

Hæc gens plebeja Romæ fuit, & prætoria tantum. Reguli cognomen tulit. Sub imperatoribus consulatum adepta.

NAUTII. A Naute Æneæ comite. Dionysius, Virgilius, Festus, & Servius in II. Æneidos, qui ita ait: *Quum Diomedes raptum Palladium sibi non esse aptum intelligeret, illud Æneæ transeunti obtulit, sed quum se ille capite velato sacrificans convertisset, Nautes quidam simulachrum accepit. quare Minervæ sacra non Julia gens habuit, sed Nautia*. Ita scribit etiam Varro in libris de familiis Trojanis. Hæc gens igitur majorum gentium patricia fuit, Romæque consulatus sex, tribunatus militum consulari potestate IV. & alios honores adepta diu floruit, Rutuli cognomine ornata.

SERGII. a Sergesto comite Æneæ. Virgilius libro V.

Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen.

Hæc gens patricia majorum gentium, ut credo, fuit, cognominibus Fidenate, Natta, Silo, Catilina, Ocella, Planco, IX trib. mil. cos. pot. & aliquot consulatibus decorata. Multas præterea gentes Romanas a Trojanis fluxisse fertur. Quare Servius V. Æneid. scribit Varronem librum reliquisse de familiis Trojanis, id est quæ genus trahebant e Troja. Et Juvenalis etiam eam ob caussam Romanos Trojugenas vocat, quasi e Trojanis genitos.

Familiæ a Latinis.

FURII. Hanc gentem sub Romulo e Medullia Latinorum urbe Romam migrasse, atque inter minorum gentium patricias lectam fuisse, ob eam po-

A tissimum caussam opinor, quod a Medullia, unde originem habuit, vetustissimum cognomen tulit. Medulliam autem sub Romulo se Romanis dedidisse refert Dionysius. Hæc postea gens Romæ nobilissima fuit in multas familias, quarum hæc cognomina fuerunt, distincta: Medullinus, Fusus, Pacilus, Camillus, Purpureo, Crassipes, Philus. Clara admodum & illustris dictaturis VII. consulatibus XX. tribunatibus militum consulari potestate XXIII. censuris IV. & triumphis VII.

SULPICII. Hanc gentem Cameria Latinorum urbe oriundam fuisse cognomen Camerini, quod primum frequentavit, indicat. Cameria autem sub
B Romulo Romana colonia facta fuit. Quare haud absurdum est hanc gentem a Romulo in urbem evocatam, atque inter secundæ lectionis patres relatam, quæ postea Romæ nobilissima fuit, cognominibus Camerino, Cornuto, Petico, Longo, Saverrione, Paterculo, Gallo, Galba, Maximo, Prætextato, & Rufo ornata. Quæ multiplices consulatus, censuras, triumphos, & dictaturas Romæ est consequuta.

CURIATII. Hæc gens ante Albana, post Romæ patricia minorum gentium fuit, Alba excisa a Tullo Hostilio Romam cum familiis Julia, Clœlia, Ge-
C gania, Quinctilia, Metilia, Quinctia & Servilia traducta. Romæ consularis fuit, & Tergemini cognomen, quemadmodum Horatia tenuit. Illud autem hic est animadversione dignum, Juliam, Clœliam. Geganiam, & Quinctiliam gentes in plures familias divisas esse, quarum quædam Romam initio urbis cum Romulo commigrarunt, atque patriciæ majorum gentium fuerunt; quædam vero non nisi post Albæ excidium Romam venere, atque in patricias minorum gentium adscitæ sunt. Curiatorum gentem a Curia manasse opinor.

METILII. Hæc cum reliquis primoribus Albanis familiis Romam a Tullo Hostilio vocata est, & in
D patricias senatumque, auctore Dionysio, allecta: de qua nihil præterea invenire potui. Hoc nomen a prænomine Metio ortum crediderim.

QUINCTII. Et hæc gens inter Albanas nobilissima fuit Romam a Tullo Hostilio Alba diruta translata, & in patricias senatumque cum reliquis quas enumeravi allecta. Romæ autem in multas familias se diffudit, quarum cognomina fuere Capitolinus, Cincinnatus, Barbatus, Pennus, Claudus, Crispinus, & Flamininus. Hæc gens consulatus, censuras, triumphosque plures adepta est.

SERVILII. Ut Quinctii a prænomine Quincto, sic Servilii a prænomine Servio (ut existimo) voca-
E ti sunt. Quæ gens Albæ primum deinde Romæ nobilissima fuit (in urbem enim & ipsa Alba diruta commigravit.) Hujus gentis cognomina fuerunt Priscus, Ahala, Axilla, Structus, Cæpio, Geminus, Pulex, Vatia, Isauricus, Casca, Fidenas, Tucca, Longus. Dictaturas gessit & ipsa magisteria equitum, consulatusque complures.

CORUNCANII. Hæc gens, quamquam plebeja, nobilis tamen, & reip. utilis fuit, Cameria, ut Claudius imp. apud Tacitum libro XI. vel ut Cicero tradit, Tusculo oriunda. Princeps ejus gentis Romæ fuit Ti. Coruncanius, qui primus e plebe pontifex
F maximus factus est, idem magister equitum, consul, censor, & dictator fuit, atque de Tuscis, quos in deditionem acceperat, triumphavit.

PORCII. Gens Porcia in Catonum & Liciniorum familias distincta, Tusculo oriunda fuit, Tacito & Cicero auctoribus. Ex qua duo reip. Romanæ lumina exierunt, Cato major, & minor, & multi præterea consulares viri prodiere.

Atque hæ sunt gentes, quas ab Albanis, vel reliquis Latinis fluxisse animadverterim, quæ inter Romanas postea allectæ sint.

Familiæ a Sabinis.

Multæ & nobilissimæ gentes Romam ex Sabinis variis temporibus commigrarunt. Quarum omnium præstantissima gens VALERIA fuit, cujus gentis princeps Volusus Romæ domicilium locavit cum T. Tatio Sabinorum rege, Dionysio & Plutarcho auctoribus. A quo ejus posteri Valesii primum, post Valerii dicti: quare etiam Volusi cognomen tulerunt. Festus: *Boni (inquit) ominis caussa in delectu censuræ primi notabantur Valerius, Salvius, Statorius.* Hæc postea gens in multas familias, multaque cognomina se diffudit, ut Volusi, Potiti, Poplicolæ, Maximi, Corvi, Corvini, Messallæ, Faltonis, Cottæ, Messallini, Lævini, Asciscu li, Barbati, Nigri, Lactucini, Antiatis, Tappi, & similium. Quæ Romæ dictaturas, consulatus, censurasque plurimas gessit, triumphosque maximos, & nobilissimos egit.

AURELII. & hi quamquam plebeii, a Sabinis Romam venerant, de quibus Festus: *Aureliam familiam ex Sabinis oriundam a Sole dictam putant, quod ei publice a populo Romano datus sit locus, in quo sacra faceret Soli.* Hæc gens cognomina Cottæ, Orestis, & Scauri tulit, quæ consularis, censoria, & triumphalis fuit.

CURTII. Curtia gens Romæ consularis, & patricia minorum gentium, Romam cum T. Tatio, auctore Dionysio, & ut ex Livio intelligitur, commigravit sub Romulo.

MARCII. & hæc gens cum T. Tatio ex Sabinis Romam quum venisset in patricias allecta est. Fuerunt etiam aliquot gentis Marciæ familiæ plebejæ his cognominibus distinctæ, Rutilus, Philippus, Thermus, Censorinus, Tremulus, Figulus, Rex, & Ralla. Nam Coriolanus gentis patriciæ cognomen fuit. Adepta est Romæ Marcia gens plebeja dictaturas, consulatus, censurasque multas, & triumphos maximos egit.

TURANNII. Inter eas Sabinorum nobiles familias quæ Romam cum T. Tatio se contulerunt, atque patriciæ factæ sunt, connumeratur a Dionysio Turannia, de qua nihil præterea quicquam inveni.

Possent quoque inter nobiles & patricias familias ex Sabinis oriundas etiam referri Hersilia, Tatia, & Pompilia, ab Hersilia Romuli uxore, T. Tatio, & Numa Pompilio regibus dictæ, quas tamen omitto, quod nullam post prisca tempora de iis mentionem fieri inveniam.

Inter Sabinas quoque gentes referri possent, & Calpurnii, Mamercii, Pomponii, & pars gentis Pinariorum, quas a Calpo, Mamerco, Pompone, & Pino Numæ regis filiis fluxisse tradit Plutarchus in Numa. Ex quibus,

CALPURNII Romæ plebeii fuerunt (nullos enim ex his patricios fuisse inveni) cognominibus Pisone, Frugi, Bestia, Cæsonino, & Bibulo distincti, consulatibus, censuris, & triumphis maximis actis illustres.

MAMERCII. & hos a filio Numæ manasse tradit Plutarchus, quorum nullam unquam mentionem præterea extare vidi.

POMPONII. & hi a Numæ filio fluxisse traduntur a Plutarcho, quamquam plebeii fuerunt. Qui cognominibus Mathone, Attico, Musa, Molone, Flacco, & Vitulo distincti Romæ summos honores adepti sunt. Sunt qui Pomponios ante urbem conditam fuisse scribant, majorumque gentium patricios existimant eos fuisse, ex qua gente fuit Faustulus Romuli educator. Duplex forte etiam Pomponiorum gens fuit.

CLAUDII. post reges exactos anno sexto Romam venerunt, quorum gentis princeps fuit Actius Clausus, post Ap. Claudius vocatus. Is ex Regillo Sabinorum oppido Romam cum commigrasset, a populo inter patricios allectus est, a quo gens Claudia Romæ nobilissima manavit Sabini, Regillensis, Crassi, Crassini, Cæci, Pulchri, Caudicis, Centhonis, Neronis, Hortatoris, & Rufi cognominibus distincta. Quæ dictaturas V. consulatus XXVIII. censuras VII. triumphos VI. duas ovationes adepta est. Fuit & alia Claudia gens plebeja a quodam Claudiæ gentis patriciæ cliente procreata, nec potentia, nec dignitate minor, quæ Marcelli, Glitiæ, Æsernini, Flaminini, & Aselli cognomina tulit, quæ & ipsa in urbe consulatus, censuras, & triumphos quamplures egit.

Familiæ ab Etruscis.

COELII. a Vibenna Cœle Etrusco, qui se Romam regnante Romulo contulit. Dionysius, Festus, Tacitus, Varro. Hæc gens postea plebeja & consularis fuit, Caldi cognomine insignita.

TARQUINII. Gens Tarquinia ex Etruscorum urbe Tarquiniis Romam sub Anco rege venit, cujus gentis auctor fuit L. Tarquinius Priscus, qui post Ancum Romæ regnavit. Hæc duos Romæ reges & consulem edidit, Prisci, Collatini, & Superbi cognominibus nota.

Hæ itaque Romanæ gentes sunt, quarum vel auctor certus est, aut loca unde fluxerint manifesta. Nunc reliquas familias Romanas persequar indistincte tam patricias quam plebejas, quarum quamquam origo incerta sit, etymologia tamen afferri posse videtur. Multæ enim ex Romanis familiis a prænominibus, nominibus, & cognominibus; vel a locis, urbibus, & populis; item quadrupedibus, & aliis eventibus, ortæ videntur. Inter quas nonnullas etiam fuisse inveni, quæ integra prænomina, & nulla ratione variata, pro nominibus gentiliciis usurparent, quarum omnium seriem brevissime nunc suggeram.

Prænomina pro nominibus gentiliciis usurpata.

APPIUS. prænomen Appii in nomen familiæ transiit paulo post Augusti tempora. Plinius enim in epistolis ad Trajanum L. Appii Maximi meminit. Et in antiquo lapide ejusdem Appii Maximi mentionem fieri sic vidi . . . LIAE. APPI. MAXIMI. BIS. COS CONFECTORIS. BELLI. GERMANIC

METIUS alias Mettius. Hoc prænomen Albanum fuit, Romæ quod sciam nunquam usurpatum, gentem vero Metiam Romæ fuisse ex epistolis Ciceronis intelligi potest, qui in epistola ad Marium P. Metium commemorat. Item in vetustis lapidibus: quamquam post Augusti tempora, L. Metii, Q. Metii, & P. Metii sæpe mentionem fieri animadverti.

NUMERIUM prænomen pro nomine gentilicio usurpatum fuisse, tam in lapide vetusto Venetiis in turri D. Vitalis sic CN. NUMERIUS. &c. quam apud Asconium, quod me magis movet, inveni, qui in Pisonianam Q. Numerii meminit, Ciceronis tempore viventis.

STATIUS prænomen servile raro in usu fuit. Apud Livium mentio est T. Statii tribuni plebis, & in vetustis epigrammatibus P. Statium legi.

SERVIUS. & hoc prænomen forte pro nomine usurpatum est, nam in antiquo argenteo nummo legi L. SERVIUS. RUFUS

Nomina gentilicia a prænominibus.

Ancii ab Anco. Unde Sp. Ancius legatus Fidenis interfectus, & Sp. Ancius Brisso, de quo Cicero in Bruto.

Appicii ab Appio.
Arruntii ab Arrunte.
Aulii ab Aulo.
Cæsonii a Cæsone.
Cnæii a Cnæo. Cicero de petitione consulatus.
Decimii a Decimo.
Hostilii ab Hostio.
Julii a Julo.
Lartii a Larte.
Lucilii a Lucio.
Mamerci a Mamerco.
Manilii a Manio.
Marcii a Marco.
Metilii a Metio.
Numitorii a Numitore
Numonii a Numa.
Petronii a Petrone.
Pomponii a Pompone.
Postumii a Postumo.
Proculei a Proculo.
Publilii a Publio.
Quinctii a Quincto.
Romulii a Romulo.
Sertorii a Sertore.
Servilii a Servio.
Sextii a Sexto.
Spurilii a Spurio.
Statilii a Statio.
Titii a Tito.
Tullii a Tullo.
Vibii a Vibo.
Valerii & Volusii a Voluso.

Nomina gentilitia a nominibus.

Atilii ab Atiis.
Porcilii a Porciis.
Quinctilii a Quinctiis.
Sextilii a Sextiis.

Nomina gentilicia a cognominibus.

Albii ab Albo.
Albinii ab Albino.
Camilii a Camillo.
Catii a Cato.
Cordii a Cordo.
Fictorii a Fictore.
Flavii a Flavo.
Fulvii a Fulvo.
Furii a Fuso.
Gallii a Gallo.
Geminii a Gemino.
Licinii a Licino.
Papii a Papo.
Plancii a Planco.
Plautii a Plauto.
Rutilii a Rutilo.
Silii a Silo.
Varii a Varro.
Vatinii a Vatia.
Vennonii a Vennone.

Ab urbibus, & populis, & fluminibus.

Cominii ab Cominis Italiæ populis.
Gabinii a Gabiis.
Norbani a Norba.
Tarquinii a Tarquiniis.
Volscii a Volscis.
Numicii a Numico flumine.

A quadrupedibus.

Asinii ab asinis.

A Caprilii a capris.
Equitii ab equis.
Ovinii ab ovibus.
Porcii a porcis.
Suilii a suibus.
Varro, & Plutarchus.

A ministerio aliquo.

Flaminii. Festus.
Pontificii. Livius, & Dionysius.

Ab aliis eventibus, vel voce aliqua.

B Aurelii a Sole. T. Festus.
Hirtii ab hirto.
Juventii a juventa.
Popillii a popillo.
Publicii a publico.
Salvii a salvo.
Terentii a tereno voce Sabina, quæ molle significat.
Septii a numero septem.
Septimii a septimo.
Octavii ab octavo.
Novii a novem.
C Nonii a nono.
Decii a decem.
Decimii a decimo.

A colore aliquo.

Aquillii a colore aquilo.
Cæsii a cæsio.
Reliqua igitur omnia nomina gentilicia, id est Romanæ gentes, & familiæ, ab ejusmodi eventibus & vocibus originem habuisse existimandum est. Atque hactenus de earundem initiis.

D *De familiis patriciis, & plebeiis.*

HARUM omnium familiarum quas enumeravi, & multarum præterea, de quibus mox dicam, varia conditio fuit. nam si genus spectabimus, quædam patriciæ, & quædam plebejæ dicebantur: item ex patriciis, quædam majorum, & quædam minorum gentium. Si honores vero, quædam nobiles, & quædam novæ erant. Quod cur, & unde acciderit nunc brevissime exponam, ac primum de patriciis, & plebeiis disputabo. Dionysius lib. II. scribit Romulum statim post conditam urbem, populum omnem in duas præcipue partes divisisse: E unam eorum qui inter ceteros aut genere, aut virtute, aut liberorum multitudine, aut ætate, aut divitiis excellebant: alteram eorum qui his omnibus erant inferiores; atque illos quidem patres, hos vero plebem, exemplo ab Atheniensibus sumpto, nominasse; patres autem dicti, ob ætatem quasi senes, unde senatores, vel quod filios haberent, aut patres ciere possent. Horum progenies patricii dicti, perinde ac plebis plebeii. Ex patribus centum primo senatores legit, his deinde sacra, judicia, magistratus, & totius reipublicæ administrationem commisit: Plebejos his omnibus honoribus vacuos, quæstuosis artibus agriculturæ, & pecori a- F lendo operam dare voluit. Romulus igitur primus omnium Romæ patres creavit, & ex his senatum primum legit, atque hi centum senatores patres tantum, & posteri eorum patricii majorum gentium vere appellati sunt, ut aliquod discrimen esset inter has & illas, quas posteriores reges in patricias cooptarunt, quarum auctores patres conscripti id est antiquis senatoribus adjuncti, & ipsæ minorum gentium sunt vocitatæ. Itaque in hanc sententiam apud Livium libro X. P. Decius plebejus apud patres loquutus est ita: *Semper ista audita sunt*

eadem, penes vos auspicia esse, vos solos gentem habere, vos solos justum imperium, domi, militiæque. Et libro IV. *Interroganti tribuno cur plebejum consulem fieri non oporteret, respondit, quod nemo plebejus auspicia haberet, ideoque decemviros connubium diremisse, ne incerta prole auspicia turbarentur. Plebs ad id maxima indignatione exarsit, quod auspicari tanquam invisi diis immortalibus negarentur posse.* Et alibi. *Connubia communicata sunt, quibus sacra confusa sunt, & auspicia.* Et libro sexto, Appius Claudius patricius sic: *Penes quos sunt auspicia more majorum? nempe penes patres, nam plebejus quidem magistratus nullus auspicato creatur. Nobis adeo propria sunt auspicia, ut non solum quos populus creat patricios magistratus, aliter quam auspicato creet, sed nos quoque ipsi sine suffragio populi auspicato interregem prodamus, & privatim auspicia habeamus, quæ isti ne in magistratibus quidem habent. Quid igitur aliud, quam tollet ex civitate auspicia, qui plebejos consules creando, a patribus qui soli ea habere possunt, aufert?* Qua ratione adductus Scævula in Topicis apud Ciceronem gentiles definit; qui inter se eodem nomine sunt, & qui ab ingenuis oriundi sunt, quorum nemo servitutem servivit, aut capite diminutus est. Quæ definitio apte in patricios Romuli cadit, de quibus P. Decius sic apud Livium loquitur: *An Romæ unquam fando audistis, patricios primum esse factos, nec de cælo demissos, sed qui patrem ciere possent, id est nihil ultra quam ingenuos?* Et Ap. Claudius: *An hoc si Claudiæ familiæ non sim, nec ex patricio sanguine ortus, sed unus Quiritium quilibet, qui modo me duobus ingenuis ortum, & vivere in libera civitate sciam, reticere possum.* Ex his verbis intelligi potest gentem primum de patriciis dictam, quod soli ipsi eam haberent, unde etiam majorum (ut dixi) & minorum gentium dicti sunt, post ad plebejos etiam esse translatam, qui duobus ut patricii essent ingenuis orti. Qui iidem postea non solum gentem adepti sunt, sed procedente tempore patricios magistratus omnes, sacerdotia, auspicia, ordines, imperia & triumphos, quæ solis patriciis ante patebant, sunt assequuti. Illud præterea est animadversione dignum, qui civitate Romana donabatur, eum plebejum primo fuisse, post factum patricium. Patricium autem neminem nisi nominatim vel a regibus, vel a populo, vel denique ab imperatoribus factus esset, fuisse. Atque Romulum primum ex omni populo civitatis patres a quibus patricii manarunt, creasse, ex Dionysio vidimus. Ex quibus patribus primum a Romulo lectis, has familias quæ patriciæ majorum gentium dictæ sunt, inter multas alias fluxisse, ex antiquitatis observatione, digessi. Sunt autem hæ.

Aimilia.
Antonia.
Attia.
Clœlia.
Cluentia.
Fabia.
Gegania.
Hostilia. Ex hac Hostius Hostilius fuit Romuli bello Sabino dux, avusque Hostilii regis, Dionysio, & Livio auctoribus. Hæc gens etiam plebeja ac consularis fuit, cognominibus Mancino, Saserna, Tubulo, & Catone distincta.
Junia.
Julia.
Memmia.
Nautia.
Pinaria. Pomponia. Potitia.
Quinctilia.
Romilia. Dentricis Romilii sub Romulo præfecti urbis primi meminit Tacitus lib. V. Patricia hæc majorum gentium & consularis gens fuit, Roci, & Vaticani cognominibus ornata.
Sergia.
Tarpeja. Sp. Tarpei arcis Romanæ sub Romulo bello Sabino præfecti omnes scriptores meminerunt: a quo gens Tarpeja patricia majorum gentium, & consularis fluxit, cognominibus Montani, & Capitolini affecta.
Vitellia.

Hi patres qui ex his familiis lecti sunt, patres tantum, & eorum posteri patricii majorum gentium sunt vocati.

De patriciis famillis minorum gentium, & patribus conscriptis.

Bello Sabino confecto, cum Sabinorum, Etruscorum, & multorum indies ad Asylum confugientium adventu urbs aucta esset, postquam eos Romulus in civitatem æquo jure suscepisset, & in Lucerum Tatiensiumque tribus conjecisset, Tatio quoque & Romulo regibus visum est, ut patriciorum numero duplicato, senatorum quoque ordinem augerent. Igitur ex illustrioribus familiis viros centum curiarum suffragiis deligentes, eos in patres cooptatos veteribus senatoribus adjunxerunt, atque ita senatorum numerus ad ducentos est auctus. Hinc (ut dixi) patriciorum minorum gentium & patrum conscriptorum originem manasse potius crediderim, quam quod Livius, Plutarchus, & Tacitus tradunt. Quorum Livius patricios minorum gentium sub Tarquinio Prisco, Tacitus vero sub L. Bruto primo consule (nam & is patricios legit) primum appellatos scribunt, Plutarchus vero, & idem Livius eos patres conscriptos appellant, qui a Bruto lecti sunt, quos Tacitus minorum gentium vocat. Hinc Cicero ad Papirium Pætum aliquot patricios Papirios quamquam minorum gentium nominat. Ceterum hanc quæstionem abunde examinavi libro II. commentariorum reip. Romanæ. Secunda autem patriciorum, vel patrum potius lectione hæ præcipue familiæ patriciæ factæ sunt minorum gentium.

Aurelia.
Herilia.
Marcia. Ex Sabinis.
Tatia.
Turania.
Valeria.
Cœlia Ex Tuscis.
Furia. } Ex Latinis.
Sulpicia.

Incerta.

Berenia. } ex quibus virgines Vestales primæ a
Camilia. } Numa lectæ fuerunt.
Vettia. Sp. Vettius interrex Numam regem pronunciavit, ut tradit Plutarchus,
Horatia. Hæc initio regni Anci Marcii jam patricia erat, haud dubie sub Romulo facta, quæ postea consularis & triumphalis gens Romæ fuit, cognominibus Trigemino Pluillo Barbato, Cocliteque distincta.

Post Numam Pompilium regem fuerunt familiæ patriciæ minorum gentium hæ.

Pompilia.
Calpurnia.
Pomponia.
Mamercia.

Tullius Hostilius rex excisa Alba, Albanisque in civitatem adscitis, inter patricias familias senatumque adlegit, Dionysio & Livio auctoribus.

Clœliam.
Curiatiam.
Geganiam.
Juliam.

Metiliam.
Quinctiam.
Quinctiliam &
Serviliam.

Ancus Marcius rex Tarquiniam gentem in patricias assumpsit.

L. Tarquinius Superbus rex non minus regni sui firmandi, quam augendæ reip. memor, centum in patres legit, qui deinde minorum gentium sunt appellati, factio haud dubia regis cujus beneficio in curiam venerant. Ita Livius. Dionysius vero: *Priscus electos centum ex omni populo probatæ belli apud omnes virtutis domique prudentia patricios efficit, & in numerum senatorum constituit, ac fuere tum Romani senatores trecenti, qui antea ducenti fuerant.* Inter has familias patricias fuisse opinor Corneliam, Papiriam, & Tulliam.

CORNELIA. Omnium Romanarum gentium maxima, & summis honoribus gestis nobilissima, hæc cognomina tulit, Cossus, Maluginensis, Scipio, Asina, Arvina, Nasica, Rutilus, Lentulus, Caudinus, Rufinus, Dolabella, Sulla, Cinna, Lupus, Africanus, Asiaticus, Calvus, Cethegus, Serapio, Corculum, vir optimus, Hispallus, Æmilianus, Felix, Maximus, Blasio, Scapula, Merenda, Barbatus, Clodianus, Augur, Getulicus, Isauricus, Magnus, Sura, Merula, Fronto, Numantinus, Spinther, Salutio, Sisenna, Mammula, Mamercus, Scaurus, & Marcellinus. Hanc vero gentem inter patricias L. Tarquinii Superbi saltem fuisse ex eo liquet, quod Cornelii cujusdam sacerdotis sub rege Ser. Tullio apud Dionysium mentio est. Hæc una gens omnes reliquas Romanas omnium honorum multitudine superavit.

PAPIRIA. Hæc a Cicerone patricia minorum gentium vocatur, cujus cognomina fuerunt Mugillanus, Crassus, Cursor Prætextatus, Maso, & Pætus. Fuit enim & Papiria plebeja familia Carbonis cognomine insignita. Utraque gens summos in urbe honores consequuta est. Hanc vero ante reges exactos patriciam fuisse testimonio est M'. Papirius, qui eo anno quo populus Romanus libertatem adeptus est, jam pontifex maximus erat.

TULLIA. Gens patricia ante reges exactos (ex ea enim Serv. Tullius rex prodiit) & post libertate parta consularis fuit, Longi & Tollerini cognomine affecta. Fuit & alia gens Tullia plebeja in duas familias consulares distincta, quarum altera Deculatum, altera Ciceronum appellata est, Cicerone oratore clarissima.

Post Tarquinium Priscum Ser. Tullius rex, Suetonio & Zonara auctoribus, patricios legit. In his Octavia gens Velitris oriunda fuit, quam L. Tarquinius Superbus inter Romanas allegerat. Quæ quum ad plebem se contulisset, rursus a Cæsare dictatore inter patricias relata est. Ex hac fuit C. Octavius Rufus, is quæstorius duos filios procreavit, Cajum, & Cnæum. Cnæi posteri summos in urbe honores adepti sunt. Caii præturæ gradum non excesserunt: ex his Augustus Cæsar descendit. Tarquiniis regibus exactis L. Junius Brutus primus cos. exhaustum bonis viris ob regias cædes senatum, quum ex primoribus equestris ordinis patricios creasset, etiam CCC. Senatorum veterem numerum a rege Superbo valde imminutum, restituit. Post L. Brutum apud consules primum, deinde censores supplendorum senatorum potestas fuit. Verum quum ex plebe post exactos reges senatores legi cœpissent, neminem tamen ex plebe sive equestri ordine, post Brutum in patricios adlectum fuisse unquam amplius inveni, usque ad Cæsarem dictatorem, præter Ap. Claudium Sabinum, qui quum ex Sabinorum oppido Regillo Romam paulo post reges exactos transfugisset, per populum in patricios lectus est. Unde Livius libro IV. in oratione C. Canuleii tribuni plebis ita ait: *Quid? Hoc si polluit nobilitatem istam vestram quam plerique oriundi ex Albanis & Sabinis non genere nec sanguine, sed cooptatione in patres habetis, aut a regibus lecti, aut post reges exactos jussu populi*, Reliquæ igitur omnes quas mox enumerabo Romanæ gentes patriciæ vel a Bruto primo consule creatæ sunt, vel incertæ erunt a superioribus regibus incognito tempore lectæ. Inter quas multas esse credendum est quæ patriciæ majorum gentium fuerunt, multas quæ patriciæ minorum gentium, multas a Bruto, multas a ceteris regibus factas, quarum distinctio temporis vetustate omnino nunc exolevit. Eas autem patricias omnes fuisse hoc potissimum argumento confirmari potest, quod ipsas eos magistratus tam sacros ut pontificatus, auguratus, quam profanos ut consulatus, dictaturas, censuras, & reliquos ejusmodi gessisse invenerim, quorum administratio plebeiis eo tempore interdicta erat.

Fuerunt autem hæ.

Æbutia consularis, cujus cognomina sunt Helva, Cornicen, & Carus.
Æternia, alias Ateria consularis, cujus cognomen Fontinalis.
Aquilia consularis, cujus cognomina Tuscus, & Corvus
Atilia, cujus cognomen Longus.
Cassia consularis & triumphalis, cujus cognomen Viscellinus.
Cominia consularis, cujus cognomina Auruncus, & Laurentinus.
Curtia consularis.
Fossia consularis, cujus cognomen Flaccinator.
Genucia consularis, cujus cognomen Augurinus.
Herminia consul. cujus cogn. Esquilinus.
Lucretia consularis, & triumphalis, cujus cognomina Tricipitinus, & Flavus.
Lartia consularis, cujus cognomina Flavus & Rufus.
Manlia consularis, cujus cognomina Vulso, Capitolinus, Torquatus, Imperiossus, Atticus, Longus, Acidinus, Fulvianus, & Nobilior.
Mælia, cujus cognomen fuit Capitolinus.
Menenia consularis, cujus cognomen Lanatus.
Minucia consularis, cujus cognomen Augurinus.
Numicia consularis, cujus cognomen Priscus.
Postumia consularis, nobilissima, cujus cognomina fuere Tubertus, Albus, Regillensis, Albinus, Magnus, Megellus, Paullulus, & Tempsanus.
Rabuleja.
Sempronia consularis, cujus cognomen Atratinus fuit.
Sestia consularis, cujus cognomen Capitolinus.
Sicinia consularis, cujus cognomen Tuscus.
Tarquitia, cujus cognomen Flaccus.
Veturia consularis, cujus cognomina Crassus, Cicurinus, Geminus, Calvinus, Philo.
Virginia consularis, cujus cognomina Tricostus, Rutilus, Cœlimontanus.
Volumnia consularis, cujus cognomina Amintinus, Gallus.

Hæ itaque sunt omnes Romanæ gentes patriciæ majorum minorumque gentium, quas ante Cæsarem dictatorem fuisse observavi, nunc plebejas persequar.

Gentes Romanæ plebejæ ante tempora Augusti Cæsaris.

Aburia.
Aburnia. COGNOMEN Valens.
Accia. COGNOMEN Varus.
Aceronnia. cogn. Proculus.
Actia.
Acilia consularis. cogn. Glabrio, Balbus.

Accoleja, cogn. Lariſcolus.
Acutia.
Ælia, alias Allia conſularis, cogn. Pætus, Catus, Tubero, Gallus, Ligus, Stalenus, Stilo, Præconinus, Ligur, Lamia.
Afrania conſularis. cogn. Stellio.
Albucia.
Albia conſ. cogn. Carrinas.
Alburia.
Albinia.
Alphinia conſ. cogn. Varus.
Ambia.
Ambivia.
Anicia conſ. C. Gallus.
Annæa.
Annia conſ. cogn. Luſcus, Rufus, Baſſus, Capra.
Antonia conſ. C. Pietas, Balbus.
Antiſtia conſ. cogn. Vetus, Reginus, Labeo.
Antia. cogn. Reſtio, Pollio.
Ancia. cogn. Briſſo.
Appia.
Appuleja conſ. cogn. Panſa, Saturninus.
Appronia conſ. C. Siſenna, Cœlianus.
Apuſtia conſ. C. Fullo.
Aquillia conſul. cogn. Florus, Gallus, ſine cognomine. C
Arria.
Arruntia conſularis.
Aſinia conſ. cogn. Pollio, Gallus, Agrippa.
Atilia conſ. cogn. Longus, Regulus, Calatinus. Bulbus, Serranus, Libo.
Attia. cogn. Plautus.
Ateia cogn. Capito.
Atinia C. Labeo.
Aufidia conſ. cogn. Oreſtes, Tucca, Lurco.
Aulia conſ. cogn. Cærretanus.
Aurunculeja.
Aurelia conſ. cogn. Cotta, Oreſtes, Scaurus.
Autronia conſ. cogn. Pætus, Craſſus.
Autia. cogn. Vellenus.
Axſia. cogn. Naſo.

B

Bacchia. cogn. Judæus.
Bæbia conſ. cogn. Tamphilus, Dives.

C

Cæcilia conſ. cogn. Metellus. &c.
Cælia.
Cæſonia.
Cædicia conſ. cogn. Noctua.
Cæſidia.
Catia cogn. Fronto.
Carvilia conſ. cogn. Maximus.
Canuleia cogn. Dives.
Calpurnia conſ. &c.
Calviſia. cogn. Sabinus.
Canidia conſ. C. Craſſus.
Caninia conſ. cogn. Rebilus, Gallus.
Cariſia.
Cartilia.
Caprilia.
Carſania.
Caſſia conſ. cogn. Longinus, Varus, Ravilla, Kalenus.
Ceſtia.
Cervidia.
Cincia. cogn. Alimentus.
Ciſpia.
Cicereja.
Cilnia. cogn. Mæcenas.

A Claudia conſ. cogn. Marcellus, Glicia, Æſerninus, Aſellus, Rufus, Canina.
Clivia. cogn. Saxula.
Cordia cogn. Rufus.
Cornificia conſ.
Cornelia. cogn. Balbus.
Cocceja conſ. C. Nerva.
Conſidia. cogn. Pætus.
Cœlia conſ. cogn. Caldus, Rufus.
Coponia.
Coruncania conſularis.
Coſſutia. cogn. Maridianus, Sabula.
Crepereja.
B Crepuſia.
Curia conſ. cogn. Dentatus.

D

Decimia. cog. Flavus.
Decia conſ. cogn. Mus.
Digitia.
Didias conſ. cogn. Saxa.
Domitia conſ. cogn. Ahenobarbus, Calvinus.
Duilia conſularis.
Duronia.

E

Egnatuleja cogn. Maximus.
Ennia.
Eppia.
Equitia.

F

Fabricia. conſ. cogn. Luſcinus.
Fannia conſ. cogn. Strabo.
Farſuleja.
D Fircelia. cogn. Pavo.
Fictoria.
Flaminia conſ. cogn. Cilo.
Flavia conſ. Capito, Balbus.
Fonteja conſ. cogn. Fimbria.
Furnia conſularis.
Fufia conſ. cogn. Calenus, Strigo, Geminus.
Fulcinia cogn. Trio.
Fulvia conſ. cogn. Pætus, Pætinus, Nobilior.
Flaccus, Curvus, Centumalus, Maximus, Gillo.
Fundania conſ. cognomen Fundulus.

E

G

Gabinia cons.
Gallia. cogn. Lupercus.
Gellia conſ. cogn. Poplicola.
Geminia.
Genucia conſ. cogn. Augurinus, Aventinenſis, Panſa, Clepſina.
Grania. cogn. Flaccus.

H

Hateria conſ. cogn. Agrippa, Antoninus.
F Herennia conſularis.
Helvia. cogn. Blaſio.
Hortenſia conſularis.
Hoſidia. cogn. Geta.
Hoſtilia conſ. cogn. Mancinus, Saſerna, Tubulus, Cato.

I

Junia conſ. cogn. Brutus, Bubulcus &c.
Juventia conſ. cogn. Thalna.

L

Lælia conf. cogn. Sapiens, Balbus.
Lænonia.
Lætoria conf. cogn. Plancianus.
Ligaria.
Livineja. cogn. Regulus.
Licinia conf. cogn. Calvus, Stolo, Varrus, Geta, Craffus, Dives, Sacerdos, Mucianus, Frugi, Lucullus, Macer, Muræna, Nerva.
Livia conf. cogn. Salinator, Denter, Drufus, Libo.
Lollia confularis.
Lucceja.
Lucilia.
Lucretia conf. cogn. Trio, Vefpillo, Offella, Gallus.
Lutatia conf. cogn. Catulus, Cerco.

M

Mælia. cogn. Capitolinus.
Mænia conf.
Mamilia conf. cogn. Vitulus, Turrinus, Limetanus.
Manilia confularis.
Mallia confularis.
Maffuria, cogn. Sabinus.
Marcia conf. cogn. Rutilus, Cenforinus Philippus, Thermus, Tremulus, Figulus, Ralla, Rex.
Maria confularis.
Metia.
Memmia.
Mefcinia.
Metilia.
Meffia.
Minatia, cogn. Sabinus.
Minucia conf. cogn. Augurinus, Rufus, Thermus, Pica, Melliculus.
Mucia conf. cogn. Scævula, Augur, Cordus.
Mummia conf. cogn. Achaicus.
Munatia conf. cogn. Plancus.
Muffidia, cogn. Longus.

N

Nævia cogn. Matho.
Nafidia.
Neratia.
Nigidia cogn. Figulus.
Nonia conf. cogn. Quinctianus, Suffenas, Afprenas.
Norbana conf. cogn. Flaccus.
Novia.
Numitoria.
Numitia.
Numonia, cogn. Vala.
Numeria.

O

Octavia conf. cogn. Rufus, Thurinus.
Ogulnia conf. cogn. Gallus.
Oldia.
Opinnia confularis.
Opelia.
Otacilia conf. cogn. Craffus.
Oppia, cogn. Cornicen.
Ovidia, cogn. Nafo.
Ovinia.

P

Paconia.
Pacuvia.
Pactumeja.
Papiria conf. cogn. Carbo.
Papia conf. cogn. Milo, Mutilus.
A Pedia confularis.
Petillia conf. cogn. Spurinus, Capitolinus, Perperna.
Pertiffius.
Petronia, cogn. Paffer, Sabinus, Turpilianus.
Pipia.
Plancia.
Plautia conf. cogn. Proculus, Decianus, Venno, Venox, Ypfæus, Silvanus, Plancus.
Pontificia.
Pœtelia conf. cogn. Libo, Vifolus, Balbus.
Poppæa conf. cogn. Sabinus.
Poblicia conf. cogn. Malleolus, Bibulus.
Plætoria conf. cogn. Ceftianus.
B Pompeja conf. cogn. Magnus, Strabo, Rufus, Bithynicus.
Pomponia conf. cogn. Matho, Atticus, Mufa, Molo, Flaccus, Vitulus.
Pontia, cogn. Niger.
Popillia conf. cogn. Lænas.
Porcilia.
Porcia conf. cogn. Cato, Licinus, Lecca.
Proculeja.
Publilia conf. cogn. Philo, Vulfcus.
Pupia confularis.

C

R

Recia.
Rofcia, cogn. Regulus, Fabatus, Amerinus.
Rubellia cogn. Geminus.
Rupilia confularis.
Rutilia conf. cogn. Lupus, Rufus, Craffus, Calvus.
Rubria.
Ruftia.

S

Sabellia.
D Sænia.
Salonia.
Salvia.
Saluftia, cogn. Crifpus.
Satureja.
Sanquinia cogn. Maximus.
Satria.
Saufeja.
Scribonia confularis.
Scutaria.
Sertoria.
Sempronia conf. cogn. Sophus, Tuditanus, Longus, Blæfus, Gracchus, Afellus.
E Sentia conf. cogn. Saturninus, Augurinus.
Septia.
Serveja, cognomen Rufus.
Septimia.
Stertinia.
Sextia conf. cogn. Sextinus, Lateranus, Sabinus.
Sextilia.
Sicinia cogn. Dentatus, Bellutus.
Silia.
Sofia confularis.
Spurilia.
Statilia conf. cogn. Taurus.
F Statia.
Suilia.

T

Taria conf. cogn. Rufus.
Terentia conf. cogn. Varro, Muræna, Culeo, Meffalla, Parifter.
Totinia, cogn. Longus.
Titia.
Tituria, cogn. Sabinus.
Thoria, cogn. Balbus.

Torannia.
Trebonia conf. cogn. Flavus, Aspe., Crispus.
Trebatia.
Tuccia.
Tremellia, cogn. Scrofa, Flaccus.
Tullia conf. cogn. Decula, Cicero.
Turpilia.

V

Valgia conf. cogn. Rufus.
Varguntcja.
Varia.
Vatinia consularis.
Ventidia conf. cogn. Bassus.
Velleja.
Venuleja.
Vecteja, cognomen Sabinus.
Vennonia.
Vespasia.
Vettennia,
Vettacia.
Vibia conf. cogn. Pansa, Habitus, Rufinus, Postumus, Varus, Paullus.
Viria.
Villia, cogn. Annalis, Tappulus.
Vipsania, cogn. Agrippa.
Vinicia.
Vindia.
Vitellia.
Viseja.
Visellia conf. cogn. Varro.
Volscia cogn. Fictor.
Voconia.
Volcatia conf. cogn. Tullus.
Volteja.
Volumnia conf. cogn. Flamma; Violens, Eutrapelus.
Volusia.

Cur ex iisdem gentibus quædam patriciæ, quædam plebejæ fuerint.

In enumerandis Romanis gentibus, sæpe vidimus unius gentis ac nominis familias alteram quidem patriciam, alteram plebejam fuisse, ut in Cassia, Sempronia, Aquillia, & aliis ejusmodi, quod cur acciderit multæ caussæ, quas nunc exponam, fuerunt. Quarum præcipua est, quod non ab eodem ambæ auctore descenderent, ut si quis familiam M'. Tullii Longi, qui patricius paulo post reges exactos consul fuit, quæ a Ser. Tullio rege deduceretur, diversam esse a M. Tullii Ciceronis oratoris familia dixerit, qui plebejus fuit, quam a Tullo Actio Volscorum rege, qui multo post Ser. Tullium regem vixit, manasse, quibusdam (ut tradit Plutarchus) placuit. Altera, quod quum patricii ex aliqua gente facti sint a regibus, ex eadem etiam fuerunt quidam inter plebejos relicti, ita ut horum posteri plebeii, & illorum patricii fuerint, quamquam ex eodem fonte manarent, qua ratione Junii patricii & plebeii fuerunt. Tertia quod ex patricia aliqua gente alii ad plebem se contulerint, alii in patriciatu remanserint; ex plebeja vero alii a plebe ad patres transire potuerint, alii non transierint. Nam Tranquillus scribit gentem Octaviam in patricias a rege Ser. Tullio transductam, procedente tempore ad plebem se contulisse. L. etiam Minucium Augurinum patricium ad plebem transiisse, & tribunum plebis XI. factum esse, tradit Plinius. Cicero vero in Bruto: *Transitiones* (inquit) *a plebe sunt, quum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunduntur genus, ut si ego me a* M'. *Tullio esse dicerem, qui patricius cum Ser. Sulpicio cos. fuit*. Quamquam ejusmodi a plebe ad patres transitiones, nisi per adoptionem, nunquam ante Cæsaris dictatoris tempora factas fuisse animadverterim. Quarta ab adoptione, ut quum plebejus a patricio, aut e contra patricius a plebejo adoptaretur. necesse enim erat adoptatum conditionem sequi adoptantis, ita M. Brutus plebejus a Q. Cæpione patricio adoptatus, & Q. Cæpio Brutus dictus, & P. Scipio patricius a Q. Metello plebejo adoptatus, & Q. Metellus Scipio dictus, patriciam Brutorum, & plebejam Scipionum familiam reddiderunt: idem de familia Claudia plebeja in patriciam Corneliam Lentulorum transducta a P. Cornelio Lentulo Marcellino dici potest. Quinta a libertate caussa erat. Liberti enim assequebantur nomen domini gentilicium, at conditionem, si patricius esset, non assequebantur. Unde Horatius Flaccus plebejus, quum & Horatii patricii sint. Quamquam nec qui adoptione, nec qui manumissione in alienam gentem migrabant, gentiles cum his fuisse, ex Scævulæ definitione videtur, vel a quibus vel ad quos transibant: illi quod capite diminuti essent, hi quod servitutem serviissent, ut in Topicis Boetius exponit. Sexta postremo erat a civitate. nam qui civitatem beneficio alicujus patricii impetrabant, hi nomen ejus tantum adipiscebantur, in plebe autem remanebant, & si quæ aliæ sunt ejusmodi. Has igitur ob rationes quædam Romanæ gentes tantum plebejæ, quædam patriciæ & plebejæ fuerunt. Primus post reges exactos & Claudiam familiam inter patricias per populum lectam, veteribus patriciis jam deficientibus, Cæsar dictator ex plebeiis familiis patricios legit, ut Tranquillus, & Dio scribunt. Inter quos Octavia, Junia, Tullia, Domitia, Antonia, Cassia, Claudia, quæ Marcelli cognomen habebat, Calpurnia, Cæcilia, Licinia, Marcia, Aurelia, & pleræque aliæ fuerunt. Post Cæsarem, ut iidem Dio & Tranquillus tradunt, Augustus etiam alios patricios legit. Post Augustum Claudius, ut Tacitus libro XI. refert his verbis: *Claudius imp. in censura in numerum patriciorum adscivit vetustissimum quemque e senatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus majorum, & Brutus minorum gentium appellaverant, exhaustis etiam quas dictator Cæsar lege Cassia, aut princeps Augustus lege Sænia sublegere*. Post Claudium Vespasianus imp. in censura patricios novos legit, ut Julius Capitolinus in Pio auctor est. Post Vespasianum Domitianus, Trajanus, Hadrianus, Pius, Marcus, & reliqui deinceps imperatores arbitratu suo vetustissimos, aut nobiles senatores in patricios cooptabant; duravitque ejusmodi consuetudo Romæ usque ad imperii casum, Constantinopoli vero usque ad novissima ejus imperii tempora. Hæc autem sunt quæ de familiis patriciis plebeiisque Romanis, apud veteres auctores extare didici, cui tractationi finem imponam, quum quid inter familias nobiles & novas interfuerit, ostendero. Nam genus patricias vel plebejas familias facit, nobilitatem vero vel ignobilitatem honores. Ac primum quidem nobiles tantum patricii dicti sunt, quippe quibus primum honores hi, ex quibus nobilitas comparatur, in rep. patuerunt. Post autem plebeii etiam, ubi primum ad curules honores pervenerunt, nobiles dici cœpti sunt. neque enim, ut dixi, ex genere nobilitas, sed ex imaginibus parabatur. Siquidem hi nobiles dicti, quum multas majorum suorum imagines haberent. imaginem autem sui ponere, ac posteris tradere, non poterant, nisi qui curules magistratus gessissent, quorum post aliquot tempora primus esse cœpit ædilitas curulis, qui magistratus ante patriciis patuit, quam plebeiis. Erat autem imago simulachrum ejus qui curules magistratus gessisset, oris similitudi-

tudinem affabre miroque artificio effictam, coloribus, pigmentisque adumbratam referens, quam in insigniori domus parte collocabant, ut tradit Polybius. De jure ponendarum imaginum sic Cicero in Verrem: *Ego me ob ædilitatem mihi delatam adeptum esse intelligo antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem, jus imaginis ad memoriam posteritatemque prodendam.* Et contra Rullum: *Est hoc in more positum, ut ii qui beneficio vestro imagines familiæ suæ consequuti sunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude conjungant.* Est autem *consequi imagines familiæ*, magistratus curules a majoribus suis item gestos capere. Hique nobiles appellabantur, qui plures majorum imagines referre possent. Novi autem dicti sunt, qui nulla majorum commendatione, ipsi primi ad magistratus curules pervenerunt, ut Plutarchus in Catone auctor est. Unde Cicero in Rullum: *Me* (inquit) *hominem novum consulem fecistis.* Item: *Quemadmodum quum petebam, nulli me vobis auctores generis mei commendarunt, sic si quid deliquero, nullæ sunt imagines quæ me a vobis deprecentur.* Et in Pisonem: *Obrepsisti ad honores commendatione fumosarum imaginum.* Et libro I. Livius: *Ancus Marcius nobilis una imagine Numæ.* & libro III. *Ap. Claudium virum honoratissimæ imaginis futurum ad posteros, legum latorem, conditoremque Romani juris.* Et Tranquillus in Vespasiano: *Gens Flavia obscura illa quidem ac sine ullis majorum imaginibus, sed tamen reip. non pœnitenda.* Pedianus: *Cicero competitores quattuor plebejos habuit, ex quibus duo nobiles, duo qui tamen non primi ex familiis suis magistratum adepti erant.* Et Livius libro XXII. *Nec finem ante belli habituros quam consulem vere plebejum, id est, hominem novum fecissent: nam plebejos nobiles jam iisdem initiatos esse sacris, & contemnere plebem, ex quo contemni desierint a patribus.* Ex quibus testimoniis duplicem quandam populi Romani divisionem habemus, quarum altera ad alteram nihil pertinet. Ex populo enim Romano quidam patricii, quidam plebeii. Item quidam ignobiles vel novi, & quidam nobiles. Sunt enim & plebeii nobiles & novi, sunt etiam & patricii nobiles & novi: hi scilicet qui nullas majorum imagines referre possunt, quemadmodum de Scauro principe senatus refert Pedianus, qui quamquam patricius, homo tamen novus appellatur a Cicerone, quod aliquot supra eum ætatibus jacuisset fortuna familiæ ejus.

De Prænominibus.

De prænominibus autem acturo, illud primum mihi quærendum esse videtur, quid prænomen sit: deinde cur prænomina nominibus gentiliciis a Romanis præponerentur, & an ipsi an alii ejus instituti auctores fuerint. Quibus rebus examinatis, eorum postremo seriem & rationem, quæque his consentanea erunt, aperire conabor. Prænomen itaque, quod Græci πρώνυμον dicunt, ut libro primo cap. II. tradit grammaticus Diomedes, est quod nominibus gentiliciis præponitur, quo fratres aut gentiles, qui sunt ejusdem familiæ, inter se distinguerentur, inventum. Exempli gratia, Is qui primus auctor gentis Valeriæ fuit, Volususque appellatus est, tres aut quattuor filios tulit, qui quum omnes Valesii, id est, Voluso nati vocarentur, aliquod præterea aliud nomen, quo inter se distingui possent, inveniendum fuit, quo ornarentur. Quare ejus gentis princeps aliquot nomina aut de novo excogitavit, aut ab aliis usurpata accepit, quibus singulos filios differentiæ caussa affecit, quæ a variis eventibus deducta erant: puta primum liberorum, quod fortasse mane natus esset, Manium vocavit

A Valesium; alterum quod prima luce, Lucium; tertium quod secus Tiberim, Tiberium, & sic in reliquis observavit. Quæ quum nominibus gentiliciis præponerentur, prænomina dici cœpta sunt. Hæc, si originem spectare voluerimus, secundum locum obtinent; nomina enim gentilicia primum in usu fuerunt, post prænomina: si usum, primum, quum nominibus gentiliciis præponantur. Ejusmodi omnia diserte M. Varro libro VIII. de lingua Latina docet. *In nostris nominibus* (inquit) *qui sumus in Latio, & liberi, necessaria. Itaque ibi apparet analogia; ac dicitur Terentius vir, Terentia*
B *femina, Terentium genus. In prænominibus ideo non fit item, quod hæc instituta ad usum singularia, quibus discernerentur nomina gentilicia, ut a numero Prima, Secunda, Tertia, & Quarta; in viris, ut Quinctus, Sextus, Decimus. sic ab aliis rebus, quum essent duo Terentii, aut plures, discernendi caussa, ut aliquid singulare haberent, notabant; forsitan ab eo qui mane natus diceretur, ut is Manius esset, qui luci Lucius, qui post patris mortem Postumus.* Hoc idem libro secundo explicat grammaticus Priscianus. Qui cur Romani nomina duplicaverint rationem reddens, caussas affert duas, alteram, ut ii qui in unaquaque familia eodem nomine uterentur, præposito aliquo alio nomine, quod deinde
C *prænomen* dixerunt, a se invicem distinguerentur. Alteram (quam parum veram existimo) ad Sabinorum gratiam benevolentiamque confirmandam, quos Romulus in civitatem suscepit; cum interim hujusce rei caussa, aut suis Sabinorum nomina, aut contra sua Sabinorum nominibus præponerent. Quod, quamquam etiam in Romulo referat Eutropius, tamen nusquam me legisse recordor, ne unum quidem prænomen a Romanis usurpatum, nomen aliquando fuisse Sabinum, aut econtra. Quam rem ita eos intellexisse crediderim. Prænominum aliqua fuisse a Sabinis tantum, aliqua vero a Romanis u-
D surpata, eaque deinde, post Sabinorum in urbem adventum, promiscua facta. Quæ quum ita sint, multiplicari deinde cœpta est hæc ratio nominandi. neque enim prænomine, aut nomine tantummodo veteres illi contenti fuerunt, sed cognomen etiam, atque (ut quibusdam placet) agnomen addidere: de quorum ratione postea quam de prænominibus disputavero, quid veteres senserint, explicabo. Hæc autem prænomina, hac ratione inventa, nominibus gentiliciis præponi debere, prænominaque ab antiquis appellata fuisse satis manifestum esse existimo, quum ex eo quod supra retuli M. Tullii ad Atticum de Eutychide testimonio, tum
E ex his quæ modo subjiciam. C. Titius Probus in epitoma lib. X. Valerii de antiquis nominibus ita disserit: *Omnia* (inquit) *quæ ad unumquemque nostrum definiendum excogitata sunt, eandem vim significandi hominis obtinent: quod per proprietatem dicitur, hoc distat, quia eo genus cognoscitur, ideoque dicitur gentilicium. cetera ordine variantur. Nam quod præponitur, prænomen; quod post fertur, cognomen; quod ad ultimum dicitur, agnomen vocatur.* Hoc idem etiam sensisse videntur Diomedes, Donatus, P. Consentius, Carisius, & Priscianus grammatici, quorum omnium, quo loco de nomi-
F nibus propriis agunt, hæc proprie verba sunt: Vocabulorum personam significantium quattuor sunt species, prænomen, nomen, cognomen, & agnomen. Prænomen quod nominibus gentiliciis in loquendo præponitur, ut Marcus, Publius, Cnæus. Nomen gentilicium, id est, quod originem gentis vel familiæ declarat, eisque est commune, ut Porcius, Cornelius, Pompejus. Porcii enim omnes in eo genere dicuntur. Cognomen est quod nominibus gentiliciis subjungitur, ut Cato, Scipio, Magnus. Agnomen est quod extrinsecus cognomini adjici solet ex aliqua ratione quæsitum, ut Africanus, Asiaticus,

& Macedonicus. Ordinantur autem sic: M. Porcius A Cato, Q. Cæcilius Metellus Macedonicus, P. Cornelius Scipio Africanus, CN. Pompejus Magnus. Hanc aut duplicandorum, vel triplicandorum nominum consuetudinem recentiorem fuisse, & a Romanis inventam M. Varro auctor est, ut est apud Probum: Varronem autem maxime hæc ratio movit, quod in Italia ante urbem conditam nomina simplicia homines habuisse animadvertit. Romulus enim, Remus, & Faustulus neque prænomen ullum, neque cognomen habuerunt. Huc etiam Appianus spectasse videtur, quum in proœmio historiæ scripsit, Romanos uno primum nomine usos esse, post duobus, post tribus. Varronis & Appiani sententiam forte sequutus est Priscianus. Alii autem a B Varrone dissentientes, Romanos ejus rei auctores nequaquam fuisse volunt, sed hoc a vicinis gentibus, ut Albanis & Latinis, eos accepisse tradiderunt, qui & ipsi id a Græcis sumpserunt, ut pleraque alia; quum ante urbem conditam mater Romuli Rhea Silvia vocata sit, Numitor item, & Amulius Silvii nominati. neque his contenti altiores Albanorum reges repetentes, eos binomios fuisse ostendunt, ut Capetum, Agrippam, Capyn, Aremulum, & alios quos omnes Silvios vocatos fuisse constat: itidem de posterioribus ducibus non tantum C Albanis, sed etiam Sabinis, Æquicolis, & Etruscis, ut Metio Suffettio, Tito Tatio, Numa Pompilio, patreque ejus Pompone Pompilio, Metio Curtio, Larte Porsenna, Septimio Melio Æquicolarum rege, & Sertore Resio. Quibus rationibus duplicandorum nominum usus Romanos auctores non fuisse opinantur. Confirmavit hanc eorum sententiam apud Diomedem Aruntius Claudius lib. primo cap. II. & Valerius ipse Maximus in eadem epitoma. Nam Aruntius hanc muliplicandorum nominum consuetudinem Romanos a Græcis habuisse scribit, cum apud illos plerique fuerint, qui, sicut postea Romani consuevere, duobus vel tribus nominibus D usi sunt, ut Achilles Pelides, Agamemnon Atrides, Orestes Heraclides, Palæmon Melicertes, Astyanax Scamander: quorum prius prænominis, sequens vero nominis gentilicii vice fungebatur, sicut est apud Romanos Numa Pompilius, Tullus Hostilius, Ancus Marcius, Ti. Coruncanius, Q. Hortensius. Alii item tria nomina habebant, sicut Achilles Æacides Celer, Pyrrhus Æacides Neoptolemus, Alexander Dardanius Paris: quorum prima nomina prænominis officium habebant; secunda nominis, quod originem familiæ declarent; tertia vero cognominis, quod vel a rebus gestis, ut Paris, vel a qualitate E corporis, ut Celer, inditum fuerat. Valerius autem *Romanos* (inquit) *arbitrandum est ab Albanis multiplicandorum nominum consuetudinem traxisse, quoniam ab illis orti sunt*. eos vero id a Græcis mutuatos facile crediderim, & præsertim Albanos, qui a Græcis Asiaticis Trojanis originem trahunt. His itaque rationibus ego etiam assentior, qui etiam hunc usum apud Italos populos fuisse, & aliis præterea eos quibusdam prænominibus a Romanis usos esse invenerim: Remum ac Romulum aut quia spurii fuerunt, gentis nomine caruisse, aut certe ex Silvia gente, cujus & mater erat, extitisse existimo. Faustulus vero quamquam unum tantum nomen habuerit, parum refert, cum in hominibus, præcipueque F pastoribus, ut supra exposui, id fieri inconveniens non sit, cum primum uno nomine appellari cœpti sint, postea pluribus; quamquam Faustulum ipsum, quem Livius lib. primo regii pecoris magistrum fuisse scribit, e Pomponia gente fuisse compererim, Faustulumque prænomen ejus esse. Distinguendorum tamen filiorum, atque nepotum caussa inventa prænomina esse, Varroni gravissimo scriptori facile assentior.

Multa igitur vocabulorum genera erant, quibus veteres Romani appellabantur, quorum quantum ad usum primum erat prænomen, quod Plutarchus modo primum nomen, modo proprium nomen; Dionysius vero commune nomen appellat. De quorum numero, & etymologia disputaturus, illud in primis animadvertere operæpretium est. Nomina gentilicia, & cognomina sine numero apud antiquos fuisse, auctor est apud C. Titium Probum M. Varro, qui etiam prænomina ætate sua circa triginta fuisse scribit. Ego autem multo plura quam XXX. inveni, cum his tamen quæ & Varronis tempore jam esse prænomina desierant, & post ejus tempora prænominum loco usurpata sunt. Prænominum autem duo genera facio. Alia enim a Romanis præcipue, alia a finitimis populis frequentata fuisse reperio. Peregrina sunt Faunus, Picus, Latinus, Turnus, Aventinus, Aimilius, Numitor, Faustulus, Metius, Pompo, Lucumo, Petro, Tallus, Tutor, Septimius, Allius, Ovius, Octavius, Herennius, Attius, & similia. Romana vero sunt hæc sex & quadraginta, Agrippa, Ancus, Appius, Arruns, Aulus, Cæso, Cajus, Cnæus, Cossus, Denter, Decimus, Drusus, Egerius, Faustus, Hostius, Julus, Lar, Lucius, Mamercus, Mamurius, Manius, Marcus, Nero, Numerius, Numa, Opiter, Postumus, Proculus, Paullus, Potitus, Publius, Quinctus, Romulus, Remus, Sextus, Servius, Sertor, Spurius, Statius, Tiberius, Titus, Tullus, Vibus, Volero, Volusus, Vopiscus. Ex his autem quædam frequentiori in usu erant, ut hæc XVIII. Appius, Aulus, Cajus, Cæso, Cnæus, Decimus, Lucius, Mamercus, Manius, Marcus, Numerius, Publius, Quinctus, Sextus, Servius. Spurius, Titus, Tiberius: quædam vero minus frequentata fuerunt, ut reliqua VIII. & viginti. Quorum etiam quædam semel tantum usurpata reperiuntur, ut hæc XIII. Ancus, Cossus, Egerius, Drusus, Julus, Lar, Mamurius, Nero, Romulus, Remus, Paullus, Potitus, Volusus: quædam vero etsi raro admodum eis uti mos fuerit, plures tamen iis usi sunt, ut hæc XV. Agrippa, Denter, Faustus, Arruns, Hostius, Numa, Opiter, Postumus, Proculus, Tullus, Sertor, Statius, Vibus, Volero, Vopiscus. Eorum item octo & viginti prænominum, quæ minus usurpari solita erant, quædam cum ante cognomina essent, post longum temporis intervallum prænominis officio functa sunt, ut hæc sex, Cossus, Drusus, Julus, Nero, Paullus, Volusus, & Potitus. Quædam vero suapte natura, & cum primum inventa fuere, prænomina esse cœperunt, ut reliqua. Quorum etiam quædam pro cognominibus aliquando usurpata sunt, ut hæc sex, Agrippa, Denter, Faustus, Proculus, Postumus, & Tullus; quædam prænominis loco semper functa, ut reliqua XV. De quorum notis, origine, significatione, atque usu ea, quæ quanta maxime potui diligentia ex veteribus auctoribus collegi, modo tradere peropportunum est. Atque illud ante omnia est scitu dignum, ut in quæstionibus Plutarchus, Sosipater, Diomedes, Carisius, Donatus, Priscianus, & P. Consentius auctores sunt, ipseque antiquissimis quibusque in nummis & marmoribus, & præsertim Capitolinis observavi, Romanorum prænominum alia singulis, alia binis, alia ternis, alia vero pluribus, vel omnibus litteris ab antiquis describi solita. Ex sex igitur & quadraginta prænominibus, undecim singulis litteris scribebantur. Quæ erant A. AULUS. C. CAJUS. K. CÆSO. D. DECIMUS. L. LUCIUS. M'. MANIUS. M. MARCUS. N. NUMERIUS. P. PUBLIUS. Q. QUINCTUS. T. TITUS. ut A. Sempronius. C. Marius. K. Duilius. D. Junius. L. Papirius. M'. Valerius. M. Claudius. N. Fabius. P. Mucius. Q. Curtius. T. Virginius. Binis vero hæc sex, id est, AP. APPIUS. CN. CNÆUS. SP. SPURIUS. TI. TIBERIUS. OP. OPITER. ST. STATIUS. ut Ap

Claudius CN. Pompejus. Sp. Postumius. TI. Sempronius Op. Virginius St. Cæcilius. Ternis vero hæc quattuor. MAM. MAMERCUS. SEX. SEXTUS. SER. SERVIUS. TUL. TULLUS. ut MAm. Aimilius. Sex. Furius. Ser. Sulpicius. Tull. Hostilius Reliqua autem prænomina aut integra, aut pluribus litteris scribentis arbitrio exarata fuisse animadverti. Sunt autem hæc sex & viginti AGRIPPA. ANCUS. ARRUNS. COSSUS. DENTER. DRUSUS. EGERIUS. FAUSTUS. HOSTIUS. JULUS. LAR. MAMURIUS. NERO. NUMA. NUMERIUS. PAULLUS. POTITUS. POSTUMUS. PROCULUS. ROMULUS. REMUS. SERTOR. VIBIUS, vel VIBUS. VOLERO. VOLUSUS. VOPISCUS. Ex his autem quædam in tabulis Capit. adhuc supersunt, ut hæc sex. AGRIPPA. anno CCL. AGRIPPA. MENENIUS. LANATUS. Item anno CCCXXIV. AGRIP. F. HOSTIUS. anno CCCXXXVI. P. LUCRETIUS. HOSTI. F. VIBUS. sive. VIBIUS. anno CCC. P. SESTIUS. Q. F. VIBI. N. VOLERO. anno CCCLIV. L. PUBLILIUS. L. F. VOLER. N. PHILO. VULSCUS. VOLUSUS. anno CCCXXXVIII. C. VALERIUS. L. F. VOLUSI. N. POTITUS. VOLUSUS. & anno CCCXLIX. C. VALERIUS. L. F. VOLUSI. N. &c. VOPISCUS. anno CCCLII. L. JULIUS. C. F. VOPISCI. N. De reliquis vero XX. quamquam marmorum testimonia non extent, quanam ratione exarata fuerint; ea tamen integra scribi solere existimo. Quum autem multæ horum prænominum notæ vel vetustate, vel librariorum vitio prorsus exolevissent, aut in alias litteras se transformassent, omnia ex Fastis Capitolinis ita exposita sunt & suis locis reddita, germanisque suis litteris & notis distincta, ut nihil illustrius esse possit. Atque hæc de notis quibus scribebantur in universum dicta sufficiant: nunc singillatim de iis est pertractandum.

AGRIPP. AGRIPPA. Ac primum quidem Agrippam eum appellatum esse scribunt Plinius lib. VII. cap. VIII. Quinctilianus lib. IX. Aulus Gellius, Sex. Pompejus & Nonius Marcellus, qui cum labore matris sit editus; exempli caussa in pedes, non in caput, (ritu enim naturæ in caput hominem oriri mos est, pedibus efferri) *ab ægro partu* dictum: quemadmodum natum esse M. Vipsanium Agrippam Augusti generum scribit Plinius lib. VII. cap. VIII. Alii Agrippam dicunt, quasi *ægre pedibus* natum, cum hi proprie dicerentur Agrippæ, quorum in nascendo non caput, sed pedes primi exierunt, qui partus difficillimus, ægerrimusque habetur. Agrippa cum prius prænomen esset, quo priscis temporibus regem Albanorum Agrippam Silvium primum, deinde Menenios & Furios usos esse supra demonstravi, sequentibus temporibus in cognomen transiit apud Romanos in Vipsaniorum, Asiniorum, & Hateriorum familiis.

ANCUS. Ancum, ut est apud Valerium, Varro a Sabinis translatum putat. Idem Valerius eum Ancum appellatum scribit, qui vitiosum habeat cubitum, qui ἀγκών Græce dicitur. Sex. vero Pompejus, *Ancus* (inquit) *appellatur, qui aduncum brachium habet ita ut exporrigi non possit, ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος id est, a cubito incurvo, sicut etiam Ancona, sive Ancon, Piceni urbs dicta est, voce Græca, a cubito curvo*. Fuit autem prænomen quarti Romanorum regis Anci Marcii, & Anci Poblicii imperatoris Lanuvini contra Hostilium regem, de quo Dionysius: qui sic dicti sunt a cubito, quem incurvum habebant.

AP. APPIUS. Appii prænomen ex Sabinis ortum esse lib. X. refert Valerius, forte ex prænomine Sabino Actio. alii ab Apibus, vel ab Appulis dictum existimant. Primus autem ita appellatus est Actius Clausus ille, qui postea Appius Claudius Sabinus dictus est, princeps gentis Claudiæ patriciæ. Hinc via & aqua Appiæ, necnon etiam uvæ Appianæ, nisi mavis eas ab apibus dictas. Appii autem prænomen proprium reip. temporibus Claudiis patriciis tantum fuit. etenim non omnia omnibus familiis prænomina communia fuerunt, sed alia aliis peculiaria, quemadmodum singillatim, prout occasio dabitur, ostendam. Post Augusti vero tempora in Fastis consularibus quendam ex gente Junia hoc prænomine usum inveni, qui Ap. Junius C. F. Silanus exaratus est. Hoc etiam, religiosa prænominum observatione paulatim labante, in familiæ nomen sub Domitiano transiisse testatur lapis antiquus, & Plinius, ut supra ostendi. A prænominibus autem unam saltem gentem, aliquando vero duas, vel tres manasse libro I. Saturnalium docet Macrobius. Quod etiam in prænomine Appii, a quo Appicios fluxisse opinor, accidit. In lapide enim antiquo reperitur C. APPICIUS. Cognomen etiam Appiani ab Appio prænomine deducitur: cognomina enim ex prænominibus oriri constat, ut a Cajo Cajanus, a Lucio Lucullus, & a Marco Marcellus.

ARRUNS. Arruns prænomen Dionysio auctore Tuscum fuit, Romæ in gente Tarquinia celebratum, quo & Prisci, & Superbi Tarquiniorum filii usi sunt. Hoc nomine affectus fuit vates quidam Tuscus divinandi scientia insignis, de quo Lucanus libro primo,

Arruns incoluit desertæ mœnia Lunæ.

Ab Arrunte crederem Arruntium nomen manasse, nam antiqui consonantes non geminabant auctore Quinctiliano.

A. AULUS. Porro autem Aulos eos dictos esse putat Valerius, qui diis alentibus nascerentur, alii ab olla. aulam enim ollam veteres dicebant, ut auctor est Quinctilianus, a qua Aulularia Plauti. Ab Aulo prænomine Auliorum gens deducta est, inter quos anno urbis conditæ CDXXXII. Q. Aulius Q. F. Cerretanus cum C. Sulpicio Longo II. cos. fuit.

K. CÆSO. De Cæsone autem, Valerio lib. X. & Sex. Pompejo auctoribus, satis constat, eum primo Cæsonem dictum esse, qui ex utero matris mortuæ esset exsectus. Plinius quoque lib. VII. cap. IX. *Primus Cæsar a cæso matris utero dictus, qua de caussa & Cæsones appellati*. Cæsonis autem prænomen hac nota K. scribi debere Fasti docent Capitolini, quæ cum librariorum culpa, vel temporis vetustate adeo interiisset, ut non solum nulla vestigia sui nobis reliquisset, verum etiam in alia prænomina ut C. & Cn. in libris Latinis se transtulisset, ex antiquis illis tabulis, vetustissimisque codicibus facile restituta est. Nam cum in Fastis Capitolinis K. F. K. N. eos describi vidissem, quos in Fabiorum familia, Cæsonis filios aut nepotes fuisse Livius & Dionysius scribunt, pro K. Cæsonem debere intelligi existimavi. De qua nota etiam Terentius Scaurus scripsit. Ea autem potissimum littera ipsos usos esse in hoc prænomine existimandum, ut a Cajo quod C. littera notatur, distingui ac internosci posset.

C. CAJUS. Caii vero prænomen a gaudio parentum sumptum esse tradit eodem libro Valerius, & est dictio dissyllaba nisi per diæresim ex *j* consonante facias vocalem, ut est apud Martialem:

Pervigil in pluma Caius ecce jacet.

Hoc prænomen profertur per G & scribitur per C. ut Diomedes his verbis testatur: *G nona consonans est, in cujus locum C solebat apponi, ut & hodie quum Gajum Cæsarem notamus, scribimus C. Cæsarem. Ideoque post B. litteram tertio loco digesta est:*

& apud Græcos Γ. posita reperitur in eo loco. Hæc nota hac ratione Ↄ. inversa mulierem Cajam auctore Quinctiliano libro primo cap. XIII. significat, ut latius paulo post ostendam.

CN. CNÆUS. Cnæos ab aliqua insigni re quasi γενναίως, vel a γενεᾶς, id est, a generatione futura appellatos esse auctor est Pompejus. Valerius a *nævo* tractum putat, quod eo prænomine præcipue nominarentur, qui nævum aliquem nascentes habuissent, quod Florentinæ pandectæ confirmare videntur, in quibus pro CNÆO scribitur aliquando Næus cum eadem dipthongo. Næum autem antiqui præposito C. Cnæum dicebant, atque per G sono pronunciabant, ut tradit Diomedes sic: *N. prænominis nota Numerium significat, & præposita sibi G Gnæum, quem antiqui Cnæum scribunt*. Valerius quoque: *Cnæi prænomen varia scriptura notatum est: alii enim Cnæum, alii Gnæum, alii Næum, scripserunt. Qui G littera in hoc prænomine usi sunt, antiquitatem sequuti esse videntur, quæ multum ea littera usa est. Olim enim dicebant frugmentum, post frumentum; olim gnaturam, post naturam. Itaque etiam qui in corporibus gigni solet Gnæus appellatur. qui Cnæum dixerunt, corruptione syllabæ delectati esse videntur: qui Næum levitate*. A Cnæo seu Nævo (ut antiquitus dicebatur) Næviorum gentis nomen deductum. Cnæjorum quoque familiam ab hoc prænomine oriri quidam existimant, de qua Q. Cicero de Petitione consulatus: *Catilina ex equestri ordine Pompilios, & Cnæjos amicissimos sibi comparavit*. Ea porro Domitiorum familia, cui Ahenobarbi fuit cognomen, ex qua Nero originem duxit, nulla alia prænomina præter quam Cnæi & Lucii usurpavit, eaque ipsa notabili varietate. Nam continuantes unumquodque per ternas personas, modo alternantes per singulas. Primum enim, secundum, ac tertium Ahenobarborum Lucios; rursus sequentes tres ex ordine Cnæos; reliquos non nisi vicissim tum Lucios, tum Cnæos, ut auctor est in Nerone Suetonius Tranquillus.

COSSUS. Cossi ab antiquis dicebantur natura rugosi corporis homines a similitudine vermium, quos in ligno editos, Phryges & Pontici maris accolæ pro delicatissimis cibis sumunt. Plinius lib. XVII. *Luxuria cossos roborum delicatiores adhibuere in cibo*. Idem lib. XI. cap. XXXIII. *nec cossi tantum in eo, sed & tabani ex eo nascuntur*. Cossus antiquitus cognomen tantum Corneliorum fuit, ut ex Fastis Capitolinis, & Livio observatum est. Quod quum procedente tempore fere exolevisset, pro prænomine iterum, ut pleraque alia, de quibus suis locis dicam, ab ejusdem gentis hominibus circa Augusti tempora usurpari cœptum est, ut Cossus Cornelius Lentulus cos. anno urbis DCCLIV. & hujus filius eodem prænomine ornatus cos. anno DCCLXXXIX.

DENTER. Dentricis Romilii præfecti urbi sub Romulo meminit libro V. Tacitus. Ex quo uno loco Dentricem prænomen fuisse mihi persuasi. Quod aliquot annis post in Liviorum & Cæciliorum cognomen transiit, ut ex Livio, & Fastis consularibus liquet.

D. DECIMUS. Q. QUINCTUS. SEX. SEXTUS. De Decimo, Quincto, & Sexto, quæ prænomina fuisse manifestum est, Varro lib. II. Analogiæ mentionem facit, qui prænomina hæc ab ordine nascendi orta fuisse refert, ita ut qui decimo, aut sexto, aut quincto loco natus esset, is demum Decimus, Sextus, & Quinctus diceretur. Ne autem quis circa hanc prænominum imponendorum rationem errandi occasionem assumeret, est animadversione dignum non omnes Decimos, aut Quinctos, aut Sextos eos dictos esse qui decimo, quinto, aut sexto loco nati sunt; itemque eos omnes Hostios appellatos, qui apud hostes peregre nascerentur, sicut nec Manios, qui mane, Lucios qui luce, & sic deinceps. nam non solum hi qui ita nati, sed alii plerique ita appellati sunt, multosque præterea ita natos existimandum est, neque tamen sic vocitatos. Dicendum ergo eum qui primus hoc prænomine appellatus est, ea fortasse ratione dictum. Ceteros quod ab eo, aut alio ejusdem prænominis originem ducerent, aut amicitiæ, aut differentiæ, aut eadem nonnunquam caussa, postea sic nominatos. Miror tamen, cur non Secundum etiam, Tertium, Quartumque dixerint, cum id præsertim in feminis tacere consueverint, ut Tertiam, & Quartam dicerent, de quibus infra. Decimi autem prænomen D. littera tantum apud antiquos notabatur, ut in Fastis Capitolinis. D. JUNIUS. D. F. D. BRUTUS. SÆVA. quam notam multi fuerunt qui Decium interpretati sunt, errore notissimo. nam omitto quod Decius nomen est plebejæ gentis, Græci etiam codices, quoties in libris Latinis aut aliis ejusmodi antiquorum monumentis D. scriptum est, Decimum exponunt, ut Polybius, Diodorus, Dionysius, Plutarchus, & Dio, qui quum prænomina integra scribere consuevissent, in eorundem libris difficilius depravari poterant, quam in Latinis. in quibus unica interdum, aliquando binis, vel ternis litteris ea notari solita erant.

DRUSUS. Drusus ante cognomen Liviorum fuit. Is enim Livius qui eo primum cognomine usus est, hostium duce Drauso cominus trucidato, sibi posterisque suis cognomen invenit. Sunt autem Drausi Thraciæ populi, de quibus Herodotus. Appellatus est autem Livius Drusus. Postea cum Tiberius Neroque Claudii Liviæ filii, Augustique privigni in Liviorum gentem inserti essent, Drusi cognomen Claudiis quoque communicatum est, appellatusque est Tiberii Cæsaris frater Nero Claudius Drusus, qui pater fuit Germanici Cæsaris, & Claudii Imperatoris. Prænominis postea munere fungi cœpit in Druso Tiberii Augusti filio, Augusti nepote, quem Drusum Julium Cæsarem appellat Dio historiarum libro LVII. Ita enim appellatus est Drusus Cæsar Germanici Cæsaris filius, qui post patris mortem, cum Tiberio criminante hostis a senatu judicatus esset, cum fratre Nerone occisus est.

EGERIUS. Egerius prænomen fuit in gente Tarquinia a Prisci regis fratris filio usurpatum, qui quum post patris Aruntis mortem natus, testamento præteritus ab avo Damarato fuisset, ab egestate qua premebatur Egerius Tarquinius vocatus est. Livius libro I. *Lucumo Damarati Corinthii filius erat, qui ob seditiones domo profugus, quum Tarquiniis forte consedisset, uxore ibi ducta, duos filios genuit. Nomina iis Lucumo atque Aruns fuerunt. Lucumo superfuit patri bonorum omnium heres. Aruns prior quam pater moritur uxore gravida relicta. nec diu manet superstes filio pater: qui quum ignorans nurum ventrem ferre, immemor in testando nepotis decessisset, puero post avi mortem in nullam sortem bonorum nato, ab inopia Egerio inditum nomen*.

FAUSTUS. Faustus a favore dicitur, ut scribit Valerius, quod prosperum & felicem significat, cui omnes favent. Terentius in Andria: *O faustum, & felicem hunc diem!* Nonius autem Marcellus: *Faustum quasi a favendo dictum, ac per hoc prosperum & propitium. unde contra infaustum, minax ac improsperum*. Hoc autem utrum prænominis an cognominis munere in Fausto Sulla, Sullæ Felicis dictatoris filio functum sit, incertum: pluribus tamen rationibus cognomen crediderim. Nam ferunt id eo tempore filio Cornelio imposuisse, quo ipse Felix appellatus est. caruisset ergo per tot annos prænomine Sulla junior, cum longe ante natus esset, quam pater Felix appellaretur. quare eum L. Cornelium Sullam Faustum vocatum fuisse existimo. Pedianus pro M. Scauro: *Faustus Sulla, tum quæstor, filius Syllæ Felicis*. Item in Miloniana:

Adfuerunt Miloni Faustus Sulla &c. fuit & Fausta A Sullæ dictatoris filia Milonis uxor, & alius L. Cornelius Sulla Faustus sub Claudio principe consul, quem Faustum cognominis loco usurpasse apparet, non prænominis. Prænomen vero esse in hoc vetusto epigrammate Interamnati liquet:

PROVIDENTIA. TI. CÆSARIS. AUGUSTI. NATI. AD ÆTERNITATEM. NOMINIS. ROMANI. SUBLATO HOSTE. PERNITIOSISSIMO P. R. FAUSTUS. TITIUS LIBERALIS. VI. VIR. ITER. P. S. F. C.

HOSTIUS. *Hostius*, ut inquit Valerius, *fuit prænomen ejus, qui peregre apud hospitem natus esset.* hostem enim appellatum fuisse apud veteres quemcunque peregrinum, hostes vero perduelles dictos B Cicero in officiis, Macrobiusque auctores sunt. *Si cum hoste* (inquit Cicero) *condictus sit dies* &c. Fuit autem Hostius Lucretii Tricipitini prænomen, qui cum L. Sergio Fidenate anno urbis CCCXXVI. cos. fuit. Mendose autem in Valerio *hospes* pro hostis legitur. Macrobius autem libro Saturnalium primo cap. IV. eum Hostium vocatum fuisse scribit, qui primus in *hostico*, id est, in agro hostili procreatus esset. Hinc prænomen a tribus tantum usurpatum fuisse reperi, a patre avoque Tulli Hostilii regis, & ab hostio Lucretio Tricipitino cos. quod omnibus litteris in tabulis Capitolinis exaratum est. C

JULUS. Julus antiquitus cognomen Juliorum fuit, cum ante Ascanii Æneæ filii fuisset, a quo Julia gens orta est. qui ideo Julus dictus est, auctore Servio, quod adhuc adulescens, cum primam lanuginem cepisset emittere, Etruscorum regem Mezentium singulari certamine superavit. unde Virgilius,

At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo.

Sunt enim proprie *juli* teneræ illæ lanugines, quæ in arboribus flores antecedunt, ut in ficu grossuli. Plinius lib. XVI. cap. XXIX. *Ferunt & avellanæ julos compactili callo ad nihil utiles.* Unde per metaphoram dicuntur juli teneræ illæ lanugines, quæ D in juvenum genis primæ enascuntur. Hoc cognomen cum a gente Julia intermissum esset, M. Antonius III. vir iterum in usum revocavit, & in honorem C. Julii Cæsaris dictatoris a Julo oriundi, alteri filiorum suorum prænomen dedit, Julumque Antonium vocavit. qui postea sub Augusto cos. fuit, anno urbis DCCXLV. A Julo cognomine Julia gens appellata est inter Romanas clarissima.

LAR. *Lartis prænomen* (inquit Valerius) *a Laribus sumptum est. Creditumque ante Tuscum prænomen id esse, fuitque consularis Herminii, qui anno urbis CCCVI. cum T. Virginio cos. fuit, prænomen.* E Idem etiam refert Dionysius libro IX. & Diodorus: Carisius autem grammaticus, & Priscianus idem fere tradunt. Lar si familiaris deus erit, genitivo facit laris; si prænomen Tolumnii, aut Porsennæ, qui reges Etruscorum fuerunt, facit Lartis. Servius quoque lib. VI. Æneidos: *Lar Tolumnius a Cosso occisus, a loco dictus est. flectitur autem Lar, Lartis.* Et Livius libro IV. *Daturos quod Lar Tolumnius dedisset.* & Cicero Philippica IX. *Lar Tolumnius Vejentium rex.* A Larte prænomine, quo Romæ unum Herminiorum tantum usum fuisse reperi, Lartiorum familia devenit, satis antiqua & nobilis, ex qua primus Romæ dictator factus est F T. Lartius.

L. LUCIUS. Lucii prænominis duplicem tradit Valerius originem, aut enim a Lucumonibus Etruscis dictum est, perinde ac pleraque alia, ut Luceres equites, & tribus Lucerum, & L. Tarquinius Priscus, qui cum prius Lucumo prænomine Etrusco uteretur, Romam veniens id in Lucium, Livio & Dionysio auctoribus, vertit, aut postremo a luce, quod iccirco illi, qui primo hoc prænomine fuit appellatus, impositum creditur, quod prima luce oriente natus esset. Hoc idem libro quinto de lingua Latina M. Varro, & Sex. Pompejus libro decimo scribunt: a Lucio Lucipor servile nomen, ut a Marco Marcipor, & Publio Publipor oritur, de quo paulo post. Lucium prænomen a Claudiis fuisse repudiatum docet Suetonius in Tiberio: *Cum prænominibus (inquit) cognominibusque variis distingueretur, Lucii prænomen consensu repudiavit, posteaquam e duobus gentiliciis eo præditis, alter latrocinii, cædis alter convictus est.* Contra vero Domitiis Ahenobarbis Imperatoris Neronis majoribus Lucii ac Cnæi prænomina tantum fuisse probata scribit idem Tranquillus, ut non aliis prænominibus unquam Ahenobarbos usos fuisse constet, ut supra demonstravi.

MAM. MAMERCUS. Mamercus prænomen Aimiliæ gentis fuit, a Mamerte, auctore Sex. Pompejo, id est, Marte dictum. Osca enim lingua Mars Mamers dicitur, unde Mamertini qui Messanam incolunt urbem Siciliæ. Hoc autem pæne extinctum & in cognomen mutatum e tenebris vetustatis antiquorum marmorum auxilio renovatum est, de quo Plutarchus in Numæ & Paulli Aimilii vitis. *Alii vero* (inquit) *dicunt, cum quattuor Numa filios habuisset, Mamercum unum ex Pythagoræ filio appellavisse; ab illoque Aimiliorum familiam patriciam fuisse, cum Mamercus ille propter sermonis lepiditatem & facundiam, civilemque humanitatem, quam Aimyliam Græci vocant, Aimilius appellatus sit.* Idem refert libro primo Sex. Pompejus. Hoc autem nomen exprimentes Romani Lepidi cognomen Aimiliis addidere. Sex. autem Pompejus lib. XI. *Mamercus prænomen est*, inquit, *Oscum, a Marte dictum, ab eo quod Osci Martem Mamertem vocitent, qui a Romanis detractione unius syllabæ Mars, & a poetis per epentesim Mavors appellatur.* A Mamerco oritur cognomen Mamercinus, quo etiam tantum usa est Aimilia familia. Notatur autem in Fastis tribus his litteris ita MAM.

M'. MANIUS. Manii prænominis multiplex origo traditur. Sex. enim Pompejus libro XI. Valerius libro X. Macrobius primo Saturnalium, & M. Varro secundo Analogiæ, Manium a *mane* dictum putant, quod qui hoc prænomine primus usus est, mane natus sit, quemadmodum Lucii dicti sunt, qui prima *luce* oriebantur. Alii boni ominis caussa dictum arbitrantur, quasi bonum. *manum* enim antiqui bonum dicebant, ut iidem auctores sunt. Alibi etiam Sex. Pompejus ita ait: *Manius agrum Nemorensem Dianæ consecravit, a quo multi & clari viri consecrati sunt. unde proverbium, multi Manii Ariciæ.* Nemorensis enim ager in Aricino est. Zozimus historiarum libro II. non a *mane*, sed a *manibus* diis ortum id tradit, eoque primum vocatum fuisse Manium Valerium Volusi filium, quod ab ægritudine a diis manibus liberatus esset. Sunt etiam qui putent Manios senes appellari, aut terræ filios, ut Juvenalis & Martialis tradunt. A Manio Manilii & Manlii, inde etiam Mallii nobiles apud Romanos gentes fluxere. Hoc etiam prænomen ut pleraque alia prænomina obsoleverat, atque in Marcum passim sese transformaverat; Manium enim M'. sic notari consuevisse veteres virgula ad M. latere sursum eminente, ut a Marco quod M. tantum notatur distingui posset, auctor est P. Consentius, qui ita ait: *M'. littera & linea superimposita Manius dicit. figuram inde ortam puto M'. ut perinde haberetur ac si MAN. scriberetur, quæ omnia cum ipse diligentius considerassem, accuratius in Aciliis, Aquiliis, Aimiliis, & Sergiis, ceterisque ejusmodi egi, ut germanis suis prænominibus honestarentur, qui cum in lapidibus hac nota M'. incisi essent, apud veteres scriptores, & præsertim Græcos, aut Manii, aut Malii vel Manlii sive Manilii finitimo satis errore appellabantur.* marmorum igitur auxilio, & P. Consentii auctoritate, cum antiqua nota, tum vetus

prænomen , quæ jam evanuerant , linguæ Latinæ reſtituta ſunt.

M. MARCUS. Marcus ille primo appellatus eſt, ut tradit Valerius , *qui menſe Marcio natus eſt* , a quo Marciorum gens , Marcelli , Marcianique cognomina oriuntur. De eo M. Varro lib. II. Analogiæ mentionem facit, & Plutarchus in problematibus. Hoc prænomine patriciis Manliis uti ex S.C. interdictum eſt, quod Manlius Capitolinus, qui affectati regni crimine damnatus erat , eo prænomine ornatus eſſet , ut auctores ſunt Cicero , Livius & Sex. Pompejus. Ita etiam poſt Antonii III. viri mortem iterum decretum eſt , M. Tullio M. filio Cicerone cos. legem ferente tradit Appianus , ne quis gentis Antoniæ Marci prænomen haberet, ut auctores ſunt Plutarchus in Antonio, & idem Appianus bellorum civilium lib. quarto.

NERO. Nero antiquum Claudiorum cognomen fuit , de quo Suetonius in Tiberio: *Inter cognomina autem* (loquens de Claudia familia patricia) *& Neronis aſſumpſit , quod ſignificatur lingua Sabina fortis ac ſtrenuus* . Gellius quoque libro XII. cap. XXI. *Nero* (inquit) *verbum Sabinum eſt, quo ſignificatur virtus & fortitudo. Itaque ex Claudiis, quos a Sabinis oriundos conſtat, qui erat egregia & præſtanti fortitudine, Nero appellatus eſt. Sabini autem id nomen a Græcis accepiſſe videntur , qui vincula, & firma ligamenta membrorum* νεῦρα *dicunt, Latini nervos appellant*. Hoc ut pleraque poſterioribus reipublicæ temporibus in prænomen ejuſdem etiam gentis tranſiit, eoque nominatus eſt Tiberii Cæſaris frater Nero Claudius Druſus Claudii Imperatoris, & Germanici Cæſaris pater. Item L. Domitius Ahenobarbus, qui a Claudio principe adoptatus, Nero Claudius Cæſar vocitatus eſt, qui eo mortuo Romanus princeps factus, omnium quos terra tulit ſæviſſimus fuit.

N. NUMERIUS. De Numerio, cum Pompejus & Valerius eodem fere modo ſcripſerint , ut quid optimi auctores ſenſerint, intelligi poſſit, utriuſque verba ſubjiciam. Sex. Pompejus quidem libro XII. *Numerius prænomen nunquam antea fuiſſe in patricia familia dicitur , quam is Fabius , qui unus poſt ſex & trecentos ad Cremeram fluvium ab Etruſcis interfectos ſuperfuit, inductus magnitudine divitiarum uxorem duxit N. Otacilii Maleventani (ut tum dicebatur) filiam , ea conditione , ut qui prior natus eſſet , prænomine avi materni Numerius appellaretur*. Valerius autem libro X. *Numerii prænomine ſola familia patricia uſa eſt Fabia, idcirco quod* CCC. *ſex, apud Cremeram flumen a Vejentibus cæſis , qui unus ex ea ſtirpe extiterat , ducta in matrimonium uxore filia Numerii Otacilii Maleventani, ſub eo pacto, ut quem filium ſuſtuliſſet, ei Numerii prænomen imponeret , obtemperavit* . His verbis colligo , primum Numerium prænomen eſſe , a numero credo dictum, deinde genti Fabiæ ex patriciis tantum proprium fuiſſe , eoque primum patriciorum uſum N. Fabium, ſiquidem promiſcuum antea plebeiis familiis eſſe potuit; ut eſt in marmoribus Capitolinis L. SEXTIUS. SEX. F. N. N. SEXTIN. LATERAN. *Numerii* enim *nepos* interpretor. eadem nota etiam eſt in lapide antiquo, ita exarata , N. JUNIO. EPIGONO. CHRESTUS. LIB. PATRONO. B. M. DE. SE. id eſt *Numerio Junio* &c. ut paulo poſt oſtendam . Item apud Ciceronem in orat. pro Cluentio: *Dinea ſocrus Oppiniaci, quæ filios habuit M. & Numerium Aurios* . & lib. III. de Oratore : *At Numerius Furius noſter familiaris*. & libro II. de divinatione : *Numerius Suffucius* . Item Pedianus : *Numerius Quinctius* . De Numerii prænomine M. Varro libro II. Analogiæ : *Metellus Metella , Ennius Ennia ; ſed Marcus , & Numerius , non Marca , aut Numeria* . Numerium autem prænomen N. nota ſcribi antiquos conſueviſſe , hiſce rationi-

A bus demonſtrari poteſt: Ante omnia certum eſt, ex his quæ citavi teſtimoniis , Numerium prænomen eſſe, præſertimque Fabiorum, nullumque aliud prænomen fuiſſe , quod a littera N. inciperet præter Neronem , quod & integrum ſcribitur , & Fabiorum nunquam fuit , & non ante Auguſti tempora uſurpari cœptum eſt. quæ cum ita ſint, quis negabit unquam , cum N. Fabium Pictorem , ſive N. Fabium Vibulanum ſcriptum inveniemus, eam prænominis notam N. pro Numerio uſurpari non debere: dicique Numerius Fabius Vibulanus , vel Pictor , & ita in aliis ? deinde quum hoc proprium gentis Fabiæ prænomen fuiſſe iidem auctores refe-
B rant , eoque primum Fabiorum appellatum fuiſſe conſtat , qui ejus Q. Fabii filius fuit , qui trecentis ſex Fabiis interfectis cæde Cremerenſi ſuperfuerat , atque in tabulis Capitolinis anno CCCXLVI. N. Fabius Q. F. M. N. Vibulanus idem deſcriptus ſit, nihil dubitandum duxi , quin & ille Numerius , & ceteri Fabiorum , aliarumque gentium qui N. præpoſitam habent, Numerii intelligerentur, quod etiam libro IV. cap. III. Valerius ipſe Maximus confirmat. nam qui in marmoribus ſcribitur N. Fabius Pictor, ab eo etiam Numerius Fabius Pictor ibidem appellatur. Hæc itaque nota ubicunque pro præno-
C mine invenitur, ſemper Numerius debere interpretari manifeſtum eſt. Hoc idem poſtremo Diomedes lib. II. & lib. I. P. Conſentius optimi ſimulque antiqui Grammatici docent. Diomedes enim de A. C. CN. D. L. M. P. Q. T. prænominibus ſcribens, N. notam Numerium ſignificare aperte refert. P. autem Conſentius de CN. M' P. SER. SEX. SP. que prænominibus verba faciens , N. quoque notæ, quam Numerium interpretatur, meminit. Hæc autem in omnibus pæne Latinis libris ob vetuſtatem quum exoleviſſet , & in CN. M. & C. evaliſſet , cum multis aliis , lapidum antiquorum , optimorumque auctorum auxilio renovata, ac reſtituta eſt.

D NUMA. De Numa parum plane quod dicam habeo, quum nihil de eo a veteribus, quod ſciam, traditum ſit. Id autem prænomen Sabinum, & a ſecundo Romanorum rege Pompilio , item Numa Marcio pontifice maximo primo tantum uſurpatum fuiſſe, ſatis manifeſtum eſt. A Numa, Numius, & Numonius gentium nomina oriuntur.

OPITER. Opiter autem appellatus eſt ille, teſte Valerio, qui patre mortuo, avo vivo, genitus eſt. Et Sex. Pompejus lib. XIII. *Opiter* (inquit) *eſt cujus pater avo vivo mortuus eſt, ducto vocabulo, aut quod poſt obitum patris genitus ſit , aut quod avum ob patrem habeat , id eſt , pro patre* . Hoc præno-
E men Virginiorum proprium fuit, non admodum in uſu, quod auctore Probo duabus notis ſic OP. ſcribebatur.

PAULL. PAULLUS. Paullus, quod Latina lingua *modicus* interpretatur , Græca vero *quietus* , quod Græci παῦλα quietem dicant. cum priſcis temporibus Aimiliæ gentis cognomen fuiſſet, nominum ſerie cum rep. labante , circa Auguſti tempora vel paulo ante , in ejuſdem etiam gentis prænomen ſeſe convertit , quo appellatus eſt Lepidi III. viri frater Paullus Aimilius Lepidus , & alii plures ejuſdem gentis poſt ipſum . A Paullo fit aliud di-
F minutione cognomen Paullulus , quod quidam Poſtumiorum uſurparunt. Id autem duplici L. ſcribi debere præter noſtratium codicum morem, qui id mendoſe unico L deſcribunt, omnia antiqua lapidum & librorum monumenta teſtantur.

POSTUM. POSTUMUS. Poſtumum eum vocitatum exiſtimat Plutarchus in Coriolano & Sulla , cui poſt patris mortem naſci contigit : a *poſt* & *humus* compoſitum, quaſi poſt humatum patrem natus. Ego vero quum antiquorum ſcribendi rationem animadvertiſſem, qui Poſtumium , ſive Poſtumum abſque media aſpiratione H. ſcribere conſue-

verunt, non ab humato patre, sed a *postea* deduci Postumum existimavi, quasi postea quam pater mortuus est, natus. Est autem hæc derivatio, *postea*, *postimus*, *postimius*, ut *major*, *maximus*; deinde antiquorum more I in U versa *postumus*, *postumius*, ut etiam *maxumus* aliquando scriptum invenitur. Quidam Postumium sive Postumum Plutarchi sententiam sequuti ab *humo* dictum putant, quia antiqui *umum* sine H aspiratione scriberent, inde Postumus. Prænomen autem hoc nostro tempore, omnes fere codices depravatum habent, in quibus Postumius pro Postumo scriptum est, quum Postumius nomen familiæ sit a Postumo prænomine. Hoc prænomine speciatim Cominiorum & Æbutiorum gentes usæ sunt, Postumi enim Cominius, & Æbutius consules in Fastis memorantur. Hoc ut multa alia longo tempore post, circa Augusti sæcula in cognomen transiit, a Vibia, & Rabiria gente tantum (quod sciam) usurpatum. In lapide enim antiquo C. Vibius Postumus cos cum C. Atejo Capitone sub Augusto exaratus est. Extat quoque M. Ciceronis pro C. Rabirio Postumo oratio. De hoc prænomine Plautus in Aulularia. Hanc rem ex parte tangit Valerius libro X. *Quæ olim* (inquit) *prænomina fuerant, nunc cognomina sunt, ut Postumus, Agrippa, & Proculus*.

POTITUS. Potitus olim Valeriorum cognomen fuit. A *potior* verbo ut existimo dictum, quod qui eo primum usus est, re quam exoptabat potitus sit, vel a *potis* dictum, quod potens is fuerit in eadem re obtinenda. Quidam *potum* veteres puerum vocasse scribunt, inde Potitus; sed & *potiti hostium* dicebantur captivi, auctoribus Plinio & Jure consultis. Hoc autem in ejusdem gentis prænomen etiam sub Augusto transiit, eoque, ut auctor est Dio historiarum lib. XLIX. Valerius quidam Messalla usus est vir consularis, Potitus Valerius Messalla appellatus.

PROCULUS. Proculum Plutarchus in Coriolano, & Sex Pompejus lib. XIV. eum scribit dictum, qui patre foris peregrinante, a patria procul natus est, vel qui patre sene quasi procul ætate progresso, est editus. Hoc cum prisco tempore Virginiorum & Geganiorum prænomen fuisset, postea cognomen Plautiorum fuit. A Proculo Proculeii, & Procilii oriuntur. Valerius lib. X. *Quæ olim prænomina fuerant, nunc cognomina sunt, ut Postumus, Agrippa, & Proculus*.

P. PUBLIUS. De Publio non idem cum Valerio sentit Pompejus. ille enim Publios eos appellatos putat, qui prius pupilli fuerunt, quam prænomina haberent: Pompejus vero, ejus, qui populo gratus fuit, Publium prænomen esse existimat; alii ominis caussa ex pube tractum volunt. Ab hoc prænomine Publiorum gens manavit.

Q. QUINCTUS. Quincti prænomen ab ordine nascendi dictum esse supra demonstravi, a quo Quinctiliorum familiæ antiquæ & nobiles ortæ traduntur.

ROMULUS & REMUS. Romulum Remumque prænomina fuisse supra demonstravi, ab ubere sive mamma deducta, quia antiqui *rumam* mammam appellabant, quod uterque eorum inventus sit sub lupa, eis præbente *rumen*, hoc est, mammam. de hac re vide latius supra in Romulo.

SEX. SEXTUS. A Sexto quoque prænomine, ab ordine nascendi accepto, Sextios, & Sextilios deductos fuisse ipsorum etymon declarat.

SER. SERVIUS. Servii prænomine eum appellatum fuisse scribit Valerius, qui mortua matre in utero servatus esset; alii ipsum a servo derivari dicunt, quod qui primus id prænomen habuit, in A servitute genitus sit, ut de Ser. Tullio rege Dionysius ac Livius tradiderunt. Ab eo fit Serviliorum gentilicium nomen; de eo Plutarchus in problematibus.

SERTOR. De Sertore vero varie veteres scriptores tradiderunt. Sex. Pompejus libro XVII. *Sertorem* (inquit) *quidam putant dictum a prendendo, quia cum cuipiam adferat manum, educendi ejus gratia ex servitute in libertatem, vocetur adsertor; cum verisimilius sit dictum, quod sereret quid, ac potius adsertorem a serendo accepisse nomen, cum aliquem serat, petendo in libertatem eandem, qua ipse sit, id est, jungat, quia fruges cum seruntur,* B *terræ jungit*. Valerius autem libro X. Sertorem eum vocatum fuisse scribit, qui per sationem natus est. Hoc prænomen Æquicolarum fuisse olim, eoque appellatum esse Sertorem Resium, qui primus jus fetiale instituit, refert idem Valerius. A Sertore fiunt Sertorii, inter quos rei militaris peritissimus fuit C. Sertorius Marianarum partium dux: de quo plura in ejus vita Plutarchus. Hoc prænomine raro admodum antiqui usi sunt, & præsertim patricii.

SP. SPURIUS. *Spurius*, ut scribit Valerius, *dictus est is qui patre incerto est genitus, a σπείρειν, hoc est seminare, quia nihil haberet a patre nisi se-* C *men*. Jureconsultus vero Modestinus eos Spurios dici affirmat, quos & vulgo conceptos appellamus, eos qui incerto patre nati sunt, vel qui eum habent patrem quem habere non liceat. Alii dicunt prænomen Sabinum esse ab uxoris pudendis dictum, quæ *spurion* apud eos appellari solere scribunt: ideoque is qui legitime natus non erat, seu ex concubitu, aut scorto, Spurius contumeliæ caussa ab eis appellabatur, unde Spurios dicimus, quasi adulterinos, suppositios, vel irreptitios, vel incerti auctoris. & Ausonius:

Quique notas spuriis versibus apposuit.

D Plutarchus autem in quæstionibus: *Spurius*, inquit, *primum nomen est apud Romanos, ut Sextus, Decimus, & Cajus, quod sic scribebatur SP. id est, sine patre: antiqui enim parentibus orbatos hac ratione significabant. a quibus errore factum est postea, ut qui incerto patre geniti essent, SP. hoc est, spurii dicerentur, unde nobis id prænomen ortum est*. A Spurio venit nomen Spurilius.

ST. STATIUS. Statius, ut tradit libro IV. cap. XX. Gellius, servile prænomen fuit, quod a stabilitate dictum tradit Valerius. Fuitque prænomen Cæcilii Comici, qui quum servus fuisset, Statius Cæci- E lius appellatus est. A quo Statilium nomen fluxit. ejus in antiquo epigrammate mentionem extare vidi Romæ apud Gentilem Delphinium: cujus exemplum modo ad manus non est.

TI. TIBERIUS. *Tiberii*, inquit Valerius, *vocari cœperunt, qui ad Tiberim nascebantur*. quod prænomen duabus litteris ita Ti. apud antiquos scribi solitum, ut a Tito internosci posset, quod T. tantum notabatur, & Probus tradit, & antiqua epigrammata testantur, in quibus quoties Ti. invenitur, semper Tiberius in Græcis libris, & plerumque etiam in Latinis est scriptus, ut in Claudiis pa- F triciis, Semproniis, Æmiliis, Coruncaniis, Corneliis, Minuciis, & Veturiis, quarum gentium fuit maxime proprius. Id autem temporis injuria prænomen fere esse desierat. Quod certe neglectum non fuisset, si Plutarchi verbis in quæstionibus attendissent, a quo inter ea prænomina, quæ duabus litteris notantur, refertur. qui it. ait: *Cur autem T. Titum, Ti. vero Tiberium significet? An quia ut hoc nomen plures litteras habet, ita & nota?* Item; *quædam ex prænominibus binis litteris notata sunt, ut Tiberius*.

T. TITUS. De Titi prænomine, quod Sabinum

fuisse T. Tatius testimonio est, veteres auctores inter se dissentiunt. Valerius enim a Sabino quodam nomine *Tito* ortum ait, Festus vero a *titulo* manasse scribit. *Titulos* autem milites fuisse, quasi *tutulos*, quod patriam tuerentur, tradit. Ejus meminit Plutarchus in quæstionibus.

TULLUS. *Tullus* (inquit Valerius) *ominis caussa dictus est, quasi tollendus, O littera in U conversa*. Hoc prænomine usus est Romanus rex Hostilius & Tullus Cœlius legatus Romanus Veiis interfectus. Ab eo Tullium nomen fluxisse opinor, quod prænomen posterioribus temporibus, Volcatiorum cognomen fuit. L. enim Volcatii Tulli, tempore Ciceronis consulis, mentio in Fastis est.

VIBUS. De Vibo, quod prænomen Sestiorum fuisse in tabulis Capitolinis notatum est, ubi legitur: P. SESTIUS. Q. F. VIBI. N. CAPITOLINUS. nihil habeo quod ex veterum monumentis tradam, nisi a vibice derivetur, quod est signum verberis in humano corpore remanentis; ita dictum, ut tradit Festus, quod vi fiat. Livius libro XXIV. Vibi Virii Capuani mentionem facit, a quo Vibiorum familia nobilis Romæ manavit.

VOLERO. *Volero in prænomen abiit, quia volentibus nasci liberis parentibus indebatur, quo prænomine usus est Publius Philo*. Ita Valerius: de quo Livius libro III. & Dionysius libro XI. Quare anno CCCLIII. in tabulis Capitolinis notatus est ita, L. PUBLILIUS. L. F. VOLER. N. PHILO. VULSCUS.

VOLUSUS. Volusus prænomen Sabinum fuit, quo usus est pater P. Valerii Poblicolæ, Verrio Flacco, Livio, & vetustis epigrammatibus auctoribus. Hoc etiam Volesus dicebatur, ut in antiquo lapide, P. VALERIUS. VOLESI. F. POPLICOLA.

VOPISCUS. Vopiscum autem cum dici Plutarchus in Coriolano, Valerius libro X. Festus, Nonius Marcellus, & Plinius libro VII. cap. X. scribunt, alterum eorum, qui ex duobus conceptis, uno abortu interempto, ad partum legitimum deducitur. Quo prænomine præcipue Julia gens usa est, quod postea in cognomen transiit: apud Tacitum enim sæpe mentio est Pompeii Vopisci viri consularis, & in Fastis L. Manlii Vopisci.

Prænominibus Romanis postremo MAMURIUM adjungere volui ejus Veturii prænomen, qui sub Numa rege XI. ancilia fabricavit. Is enim Mamurius Veturius appellatur. Quod prænomen ab ullo præterea alio usurpatum fuisse numquam inveni.

De aliis quibusdam prænominibus.

Hæc vero sunt prænomina omnia, tam Romana, quam peregrina, quæ Romæ usurpata fuisse comperim. Inter peregrina etiam prænomina hæc præcipue enumerantur: METIUS, quod prænomen Albanum, ut in Metio Sufetio, & Sabinum, ut in Metio Curtio, & Metio Octavio, de quibus Livius. Item Pompo Sabinum prænomen est, quo usus est regis Numæ pater, ut Dionysius & Livius tradunt. Itaque etiam Numa filium habuit nomine Pomponem auctorem gentis Pomponiæ, ut tradit Plutarchus. TALLUS prænomen etiam Sabinum fuit, de quo Festus mentionem facit, & Dionysius cum T. Tatio rege Sabino Romæ quoque domicilium locasse ait Tallum Turanium. TURNUS. postremo prænomen Latinum fuit, ut in Turno Herdonio Aricino insidiis Tarquinii Superbi occiso, de quo lib. I. Livius. Hæc autem sunt prænomina omnia, quæ ego unquam extare didicerim. Nam quod Sisenna Statiliorum prænomen esse apud Tacitum videtur, qui Sisennam Statilium Taurum commemorat, Dio aperte id cognomen fuisse refert, qui eundem T. Statilium Sisennam Taurum

A vocat. Item anno urbis CDXXXIIX. in tabulis Capitolinis ita exaratum est: Q. AULIUS. Q. F. AI. N. CERRETANUS. quam prænominis notam, si error fabrilis tamen non sit, me interpretari omnino nescire fateor: a paucis hactenus animadversa est, a nullo vero adhuc, quod sciam, interpretata. Forte Auli prænomen ea significatur binis litteris prima & novissima: nam quod præterea afferam non habeo. Hæc autem prænominum ratio, stante maxime rep. conservata est. nam eum reip. casu antiquus etiam & religiosus hic prænominum ordo labefactatus est. Multa enim quæ ante
B nomina fuerant, pro prænominibus: multa quæ cognomina, pro nominibus usurpata sunt. Quod etiam explicavit Priscianus, quum ait: *Invenimus autem multa quæ in aliis personis sunt prænomina, hæc in aliis loco nominum accipi: similiter & in loco cognominum aliorum agnomina vel nomina, vel contra*. Nomina autem quæ recentioribus temporibus pro prænominibus usurpata sunt, fuerunt, ut ex antiquis monumentis observavi, AUR. AURELIUS. CL. CLAUDIUS. FL. FLAVIUS. JUL. JULIUS. MEM. MEMMIUS. VAL. VALERIUS. Ut Aurelius Prudentius Clemens, CL. Julius Ædesius Dynamius, Fl. Valerius Constantinus, Jul. Fe-
C lix Campanianus, Mem. Vitrasius Orfitus, Val. Julius Majorianus. Hæc vero non nisi post Diocletiani tempora factitata sunt.

De prænominum imponendorum ratione.

His omnibus expositis, nunc ad rem maxime pertinet, ut de prænominum imponendorum ratione, quæ veteres scripserint, exponam. Ac primum de tempore, post de reliquis agam. Valerius in primis, pueris non priusquam togam virilem sumerent, puellis vero non antequam nuberent, prænomina imponi moris fuisse scribit, ejusque rei gra-
D vissimum auctorem citat Q. Scævulam Pont. Max. Plutarchus vero in problematibus, maribus quidem nono, feminis vero octavo die, nomina veteres dare consuevisse tradit. Macrobius quoque lustricos dies illos a Romanis dictos refert, quibus nomina infantibus imponerentur: nam & Nundinam deam Romani colebant, a die nono appellatam, quo infantes lustrabant, iisque nomina imponebant: quamquam octavo die feminis, maribus autem nono id fieri consueverit. Sex. Pompejus: *Lustrici* (inquit) *dies infantium appellantur, puellarum octavus, puerorum nonus, quia his lustrantur, atque eis nomina imponuntur*. Quum autem quattuor hi scriptores no-
E biles quidem & gravissimi sint, atque ita inter se dissentiant, ut quam ex his sequar sententiam facile statuere non possim; dicam ego quæ sentiam, probabilibus magis quam necessariis rationibus adductus. Pueros ego crederem & puellas prænominibus quidem caruisse, puerosque familiæ nomina & cognomina usurpasse, ut Julios Cæsares, & Tullios Cicerones; puellas vero tantum nomina gentilicia, ut Juliam, Tulliam, & Fabiam. Maximam enim mulierum partem non solum ante nuptias, sed postquam nupsissent, etiam prænominibus caruisse constat. Quod enim Valerius de prænominum
F imponendorum ratione refert, manifestum erit Ciceronis epistolas percurrenti, ubi ante virilem togam, semper Cicerones pueri dicuntur, postea Marcus filius, Quinctus filius. Unde ipse Cicero in ep. fam. *Habuit* (inquit) *prænomen nescio quid virilitatis, & dignitatis*. Idem Damarco: *Quod sine prænomine familiariter ut debebas*, &c. Et Juvenalis:

> —— *Gaudent prænomine molles*
> *Auriculæ*.

Qua ratione fiet, ut Valerius a Plutarcho, Macrobio, & Festo non dissentiat, qui lustrico die maribus

bus quidem nono, puellis vero octavo nomina veteres imponere consuevisse tradunt: quum Valerius de prænomine, hi de nomine & cognomine intelligant. Quod si hæc non ita satisfacient, dici poterit, alio atque alio tempore diversimode observatum. Quum enim Valerius ex Scævula, pueris non priusquam virilem togam sumerent, puellis non antequam nuberent, prænomina imponi moris fuisse scribit; quo tempore id fieri solitum fuerit, non exprimit. De ratione autem prænomina imponendi illud satis manifestum est, suis quemque filiis ea prænomina maxime indidisse, quæ essent suæ cujusque familiæ maxime propria: nam non omnia omnibus familiis prænomina fuisse communia, sed alia aliis peculiaria, alia rejecta supra demonstravi. Primum autem filiorum patris prænomen plerumque habuisse; sequentes vero, si plures filii essent, vel avi, vel patruorum, vel familiæ propria prænomina tulisse satis constat. Ejusmodi rationem in adoptivis filiis, libertis, & novis civibus servatam fuisse observavi; ut is qui ab aliquo adoptatus, vel manumissus, aut ejus beneficio civitatem consequutus esset, ejus prænomen, nomenque usurparet. Non omnia autem omnibus familiis prænomina fuisse communia, sed alia aliis fuisse familiaria, testimonio esse possunt Numerius, quod nullam gentem patriciam usurpasse præter Fabiam constat: item Appius, quod in nulla præterquam Claudia gente patricia frequentatum invenitur. Marco ne quis in gente Manlia & Antonia uteretur decretum est: Lucium a Claudiis repudiatum, Cnæum & Lucium a Domitiis Ahenobarbis tantum fuisse probatos, item Marcum & Manium a Valeriis Messallis ex omnibus historiis patet. Potissima igitur eorum qui ejusdem gentis vel familiæ essent, distinctio reip. tempore prænominum erat: sed quum sæpissime usuvenisset, ut pater & filius viventes ambo idem prænomen haberent, alia quædam distinguendi ratio fuit, patre & filio; majore, minore; sene, adolescente; seniore, juniore. Quod de PP. Serviliis & QQ. Catulis Cicero, de QQ. Fabiis & duobus Africanis Livius, de CC. Curionibus Tranquillus in Cæsare, de duobus Catonibus Plutarchus, ego de duobus Pliniis observavi. Post reip. casum distinguendi hæc ratio variata est. Nam quum ante tres, aut quattuor fratres variis prænominibus, eodem vero omnes cognomine uterentur, ut Quinctus, Lucius, Marcus, & Cajus Cæcilii Metelli Q. Macedonici filii, post hæc appellandi consuetudo variata est. Nam tres aut quattuor fratres, patris prænomine omnes uti, variis vero cognominibus inter sese distingui cœperunt, a variis eventibus acceptis, vel ab avorum, matrum, patruorum nominibus derivatis. Ac natus quidem maximus patris prænomine & cognomine utebatur, ceteri omnes eodem quidem patris prænomine, diversis vero cognominibus ornabantur. Exemplum accipi potest ab ea gente Flavia, quæ rerum potita est. Nam T. Flavius T. F. Sabinus ex uxore Vespasia Polla duos filios eodem prænomine tulit, majorem quidem T. Flavium Sabinum, cognomine etiam paterno ornatum: minorem vero T. Flavium Vespasianum, qui postea imp. Romanus appellatus est, qui cognomen sibi a matris Vespasiæ nomine derivavit Vespasianum. T. Flavius Sabinus Vespasiani imp. frater duos filios etiam tulit eadem ratione distinctos, id est, T. Flavium Sabinum, & T. Flavium Clementem. T. quoque Flavius Vespasianus duos filios eadem ratione appellavit, majorem quidem T. Flavium Vespasianum, minorem vero T. Flavium Domitianum, cognomen a matre Domitilla acceptum. Idem exemplum in Romanis principibus M. Aurelio Caro patre, & filiis M. Aurelio Carino, & M. Aurelio Numeriano haberi potest. Alia postremo

A fuit appellandi distinguendique ratio, antiquæ paululum vicinior, ut filii a patre non prænominibus solum more veteri, sed cognominibus etiam distinguerentur. Exemplum hujus rei est, in L. Septimio Severo, M. Septimio Bassiano, & P. Septimio Geta filiis. Hæc & similia in antiquis epigrammatibus frequentissima sunt. Prænominum usus post reip. casum minus frequentari cœpit, quod ex Tacito, Quinctiliano, Tranquillo, utrisque Pliniis notissimum est. Post Diocletiani vero tempora omnino esse desiit. Neque enim facile trium horum nominum distinctio per ea tempora cognosci potest. B Quemadmodum autem duobus nominibus, & pluribus cognominibus veteres sæpe usi sunt, sic neminem unquam inveni, qui duo prænomina eadem appellatione frequentaverit. Atque hactenus de prænominibus.

De cognominibus.

Frequentata admodum est a Romanis hæc multiplicandorum nominum ratio. Neque enim prænomine, & nomine tantum contenti, cognomen quoque sibi etiam adjunxerunt, tertium nomen a Plutarcho vocatum, quod in Atticis etiam docet C Pausanias, quum tribus aut etiam pluribus nominibus eos usos esse tradit. Et Ausonius in ternario numero;

Tres equitum turmæ, tria nomina nobiliorum.

Tertium enim nomen, quod cognomen vocarunt, quum invenissent, eidem nomini gentilicio ita adjunxerunt, M. Tullius Cicero, C. Julius Cæsar, & P. Cornelius Scipio Africanus; Cicero enim, Cæsar, Scipio, & Africanus cognomina fuerunt. Cur vero duobus nominibus non contenti Romani, tertium etiam & quartum adjunxerint, quod cognomen vocarunt, facile intelligi potest. Sicut enim D prænomen invenerunt, ut a se invicem, qui essent ejusdem familiæ, nota aliqua internoscerentur: ita cognominis etiam usum excogitarunt, ut qui idem prænomen & nomen habebant, a se invicem distingui possent. Post vero cum cognominum usus increbuisset, eosdem etiam sine ejusmodi caussa, & hac re delectatos cognomina ipsa sibi indidisse crediderim. Necessitas igitur primum cognomina excogitavit, usus, commoditas, ac delectatio ea postea custodivit, & propagavit. Hac ratione L. Tarquinium Priscum, & L. Tarquinium Superbum, quum prænomine & nomine conveni- E rent, (inquit Dionysius) Priscum illum, quod natu major; hunc Superbum, quod contumacior esset, postea vocitatum. Valuit præterea etiam cognominis usus ad confusam ipsarum (ut dixi) gentium multitudinem distinguendam, quod exempli caussa in gentibus Valeria, Fabia, & Cornelia perspici potest, quæ cognominum varietate in multas familias divisæ sunt: cognomina enim Volusi, Poplicolæ, Maximi, Potiti, Faltonis & Messallæ gentem Valeriam in multas familias distinguunt: sic Vibulani, Ambusti, Maximi, Dorsones, Licini, Labeones, gentem Fabiam: item gentem F Corneliam Maluginenses, Cossi, Scipiones, Lentuli, Merulæ, Cinnæ, Sullæ, Dolabellæ, in plures familias distribuere. Iterum quum Maluginensium familia crevisset, quartis nominibus additis est in alias familias propagata, ita ut alii Maluginenses Cossi, alii Scipiones, alii Maluginenses Lentuli. Itemque Scipiones, alii Scipiones Africani, alii Asiatici, alii Nasicæ dicebantur. & sic de omnibus familiis, & gentibus dicendum est. Hi porro qui quartum nomen, quod veteres Grammatici agnomen vocant, aliud a cognomine faciunt, ut Africanus, Macedonicus, & Isauri-

cus, haud satis hanc eorum sententiam veterum auctorum testimoniis tueri posse existimo. Ego autem contra locupletissimorum scriptorum testimonio ejusmodi opinionem refellere possum, apud quos accurate animadverti omnia deinceps cognomina dici, quæ post nomen gentilicium collocantur. Africanus ipse apud Valerium lib. III. cap. VII. ita de se loquitur: *Nam quum Africam* (inquit) *totam potestati vestræ, Quirites, subjecerim, nihil denique ex ea quod meum dicerem præter cognomen rettuli*. Et Cicero pro Muræna: *Quam laudem ipse Africa oppressa cognomine ipso præ se ferebat, eandem hic sibi ex Asia cognomen assumpsit*. Et in somnio Scipionis: *Eritque cognomen id per te partum, quod nunc habes a me hereditarium*. Idem Sapientem & Divitem cognomina vocat, quæ tamen quarto loco erant in M. Porcio Catone, & L. Licinio Crasso. Inquit enim in Catone: *Cato quasi cognomen habebat in senectute Sapientis*. & in II. de offi. *P. Crassus tum cognomine Dives, tum copiis*. & II. ad Atticum: *Quanto in odio noster Magnus, cujus cognomen una cum cognomine Crassi Divitis consenescit?* Et libro II. de finibus, T. Manlium refert cum Gallo depugnasse, torquemque & cognomen induisse. Quibus caussis ego omnia præter priora duo cognomina appellavi.

Unde cognomina accepta sint.

Plutarchus in Coriolano, hujus quam proposui disputationis initia quodammodo nobis aperit, quum ait, cognomina apud Romanos imponi consuevisse, aut ab actione aliqua, aut a forma, aut a virtute, perinde atque Græci Soterem, Callinicum ab actione; Physconem & Grypum a forma; Evergetem & Philadelphum a virtute; Eudæmonem a fortuna dixerunt: aut a salibus & dicacitate, qua ratione Græci Antigonum Dosonem, & Ptolomæum Lampyronem appellarunt. Romani vero etiam Metellum unum Diadematum, quod frontem ex ulcere diademate diu obligasset: alterum vero Celerem, quod celeritatem ejus in apparandis funebribus patri ludis sunt admirati, vocarunt. Aut a casu nascendi, ut Proculum, Postumum, Vopiscum: aut demum etiam a corporis vitiis, ut Silos, Nigros, Rufos, Cæcos, Claudos: quibus nec cæcitas, nec aliud corporis vitium contumeliæ fuit, verum ipsa vitia pro nominibus propriis æquissimo animo audita sunt. Hæc autem quæ a Plutarcho in Coriolano tradita sunt, eadem ferme sunt ab eodem in Mario repetita. Macrobius quoque libro I. alios a virtute, alios ab honore vel injuria, alios a casu cognomina ait invenisse. & libro III. aliquot etiam a studio piscium cognominatos tradit. & Plinius libro XVIII. cap. III. a rusticis operibus: libro autem XI. cap. XXXVII. a vitiosis corporis partibus nonnullos cognomina traxisse prodit. Postremo Varro a majore & minore pecore cognomina indita fuisse tradit libro II. de re rustica sic: *Nomina multa habemus ab utroque pecore, a majore, & a minore. a minore Porcius, Ovinius, Caprilius; sic a majore Equitius, Asinius. Est autem intelligendum, quum dicimus Capram, Taurum, Vitulum, cognomina adsignificari, quod dicuntur Annii Capræ, Statilii Tauri, Pomponii Vituli: sic a pecudibus alii multi*. Quinctilianus lib. I. eadem ferme refert ita: *Scrutabitur præceptor acer origines nominum, quæ ex habitu corporis, ut Rufos, Longosque fecerunt. Ubi erit aliud secretius Sili, Burrhi, Galbæ, Plauti, Pansæ, Scauri, taliaque; & ex causa nascendi, hinc Agrippa, Opiter, Cordus, & Postumus erunt; & iis quæ post natos evenerunt, unde Vopiscus. jam Cottæ, Scipiones, Lænates, Serrani sunt ex variis caussis. Gentes quoque & loca, & alia multa reperias inter nominum caussas*. Quum igitur res ita se habeat, jam quo modo id in singulis factum sit, ostendam. Quibus in exponendis hanc divisionem sequar, ut alia a corpore, alia ab animo, alia a fortuna cognomina accepta esse demonstrem. Ad corpus pertinent partes corporis, ut color, habitus, vestitus, similitudo alterius, locus, vitia, & cetera ejusmodi: ad animum vero, virtutes, mores, oratio, artes, studia, res gestæ, & alia multa. Quibus omnibus accurate graviterque examinatis, omnis imponendorum cognominum ratio perspecta erit. Quemadmodum autem animadverti omnia nomina gentilicia in *ius* desinere, sic nunc illud scitu dignum est, omnes terminationes cognominibus, si ita tempus & eventus tulerit, convenire posse præter eam quæ gentem notat. Itaque apud Livium nomina gentilicia pro cognominibus mendose legebantur, ea ad suam integritatem ex antiquis monumentis redacta sunt, ut Fabius Licinus; Marcius & Nautius Rutilus; Quinctius Flamininus; Furius Pacilus, & alia ejusmodi; non Licinius, Rutilius, Flaminius, & Pacilius, ut vulgo hactenus legebatur.

Cognomina a corpore humano assumpta.

Ac primum quidem a corpore humano, id est, a principe generis, loco ubi quis natus sit, aut habitaverit, aut unde commigraverit, corporis partibus, vel habitu, similitudine alterius, vel fortuna, & si quæ alia ejusmodi erunt, tracta referam. tot enim sunt, ut vix comprehendi oratione possint: dicam vero præcipua & notiora.

Cognomina a principe generis tracta.

Fusus.
Julus. Virgilius.
Lamia. Horatius.
Rex. Nummus.
Volusus. Dionysius, Zosimus.

Cognomina ab ortu.

Agrippa. Plinius, &c.
Cæsa. Varro.
Cordus. Quinctilianus.
Geminus. Cicero.
Postumus Valerius.
Priscus. Dionysius.
Tergeminus. Livius.
Vopiscus. Valerius, Festus.

A loco unde quis natus sit, aut unde commigraverit.

Amerinus. Cicero.
Antias. Plinius.
Aventinensis. Livius.
Auruncus. Fasti.
Calatinus. Fasti.
Calenus. Fasti.
Camerinus. Livius.
Capitolinus. Fasti.
Carinas. Varro.
Cerretanus Fasti.
Cœlimontanus. Livius.
Esquilinus. Fasti.
Gallus.
Laurentinus. Plutarchus.
Ligur. Livius.
Ligustinus. Livius.
Mæcenas. Varro.
Medullinus. Livius.
Maluginensis.
Norbanus. Fasti.
Quirinalis. Livius.
Regillensis. Livius. alias
Regillanus Tranquillus.
Sabinus. Livius.

Saturninus. Livius
Siculus.
Tarpejus. Fasti.
Vaticanus. Fasti.
Venno. Fasti.
Ufenas. Varro.
Vulso. Fasti.
Vulscus. Fasti.

A corporis partibus.

Capito a capite.
Cilo. Carisius, Festus.
Tuditanus. Festus.
Calvus a crinibus.
Calvinus.
Cincinnatus.
Crinitus.
Crispus.
Crispinus.
Fronto a fronte.
Naso a naso.
Silus. Festus.
Simus. Plinius.
Silo a superciliis. Varro.
Cæcus ab oculis.
Cocles. Servius, Plinius.
Luscus.
Luscinus.
Occella. Plinius.
Pætus. Porphyrio, Acro.
Pætinus.
Ravilia. Festus.
Strabo. Plinius.
Flaccus ab auribus. Plinius.
Labeo a labiis.
Chilo. Festus, Plinius.
Verrucossus. Plutarchus.
Dentatus a dentibus.
Balbus a lingua.
Balbinus.
Blæsus.
Blasio.
Barbatus a barba.
Barbula.
Ahenobarbus. Plutarchus.
Albus a colore.
Albinus.
Aquilinus. Festus.
Eburnus. Festus.
Flavus.
Niger.
Nigrinus.
Rufus.
Rufinus.
Rutilus. Festus.

A reliquis partibus corporis.

Mento.
Dorso.
Scapula.
Ahala.
Axilla.
Scæva a manibus.
Scævula.
Lævinus.
Mancinus.
Atta a cruribus.
Varus. Festus.
Valgus. Festus.
Vatia. Festus.
Silanus.
Pansa a pedibus.
Pedo.

A Plancus. Festus.
Plautus. Festus.
Scaurus. Festus.

A corporis habitu.

Arvina. Festus.
Cossus. Plinius.
Curvus.
Crassus.
Crassinus.
Galba. Tranquillus.
Glabrio. Festus.
B Gracchus. Carisius.
Longus.
Longinus.
Macer.
Mutilus.
Magnus.
Paullus. Plutarchus.
Paullulus.
Paullinus.
Pulcher.
Tubero.
Tricostus.

C

A similitudine alterius.

Menogenes. Valerius.
Salutio. Plinius.
Serapio. Livius.
Spinther. Valerius.

A fortuna.

Dives.
Faustus.
Felix.

D

A prænominibus orta.

Mamercinus.
Cæsoninus. &c.

Cognomina ab animo tracta.

Nunc ea cognomina referam, quæ ab animo tracta sunt, atque ante omnia sapientia aut e contra ducta.

Cato. Plutarchus.
Catus. Varro.
E Corculum. Festus.
Sapiens.
Sophus.
Belua.
Bellutus. Festus.
Bestia.
Brutus. Dionysius.

A virtute & moribus.

Achilles. Gellius.
Asper. Livius.
Camillus. Festus.
F Caprarius. Cicero.
Cicurinus. Varro.
Frugi. Cicero.
Gurges. Macrobius.
Lurco. Festus.
Marcellus.
Marcellinus. Plutarchus.
Nepos. Cicero.
Nero. Tranquillus.
Ovicula. Plutarchus.
Superbus.
Vir optimus.

Ab oratione, & dicto aliquo.

Atticus. Nepos.
Eutrapelus. Cicero.
Figulus. D. Augustinus.
Lepidus. Plutarchus.
Scroffa. Macrobius.
Sura. Plutarchus.

Ab aliqua arte, & studio aliquo.

Bubulcus.
Capra. Varro.
Cicero.
Bulbus.
Cornicen. Livius.
Catulus.
Cornicinus. Cicero.
Fictor. Livius.
Fronditio. Plinius.
Fullo. Macrobius.
Lactucinus. Plinius.
Lentulus.
Lupus.
Merula. Varro.
Metellus. Festus.
Mus.
Muræna. Macrobius.
Mugillanus.
Noctua.
Orata. Varro.
Passer.
Pavo.
Pica.
Pictor. Plinius.
Pilumnus.
Piso.
Præconinus. Plinius.
Regulus.
Suillus.
Serranus.
Stolo.
Taurus. Varro.
Vitulus. Varro.

Ab urbe, vel regione devicta.

Coriolanus.
Fidenas.
Privernas.
Messalla, & Messallinus.
Numantinus.
Africanus.
Asiaticus.
Macedonicus.
Achaicus.
Allobrogicus.
Callæcus.
Balearicus.
Dalmaticus.
Numidicus.
Isauricus.
Creticus.

A loco ubi bene maleve pugnatum est.

Æserninus. Florus.
Bithynicus. Festus.
Caudinus. Livius.
Creticus. Pedianus.
Germanicus.
Regillensis. Livius.

A *Ab aliis eventibus.*

Ambustus. Festus.
Annalis. Livius.
Asina. Macrobius.
Augustus. Dio, & alii.
Augur. Cicero.
Augurinus. Fasti.
Buteo. Plinius.
Cæsar. Servius, Spartianus.
Caudex. Seneca.
Censorinus. Valerius.
Corvus. Plinius.
B Corvinus.
Collatinus. Dionysius.
Curio. Cicero.
Cunctator. Plutarchus.
Cursor. Livius.
Diadematus. Plutarchus.
Drusus. Tranquillus.
Dolabella.
Flaminius.
Justus.
Imperiossus. Livius.
Lænas. Cicero.
C Magnus. Appianus.
Maximus. Cicero.
Pius. Cicero.
Pietas. Dio.
Poplicola. Dionys. Livius.
Prætextatus. Macrobius.
Sacerdos. Valerius Maximus
Salinator. Livius.
Scipio. Macrobius.
Sulla. Macrobius.
Torquatus. Livius, Gellius.
Thurinus. Tranquillus.
Venox. Livius, Frontinus.
D Vispillo. Plinius.
Viscellinus.

Hæc autem sunt cognomina omnia, quorum derivatio certa ex auctoribus est, ab iis omnibus eventibus, quos commemoravi, tracta.

An cognomina hereditaria, & æque omnium fuerint.

Apud veteres Romanos ex cognominibus quædam ad posteros quam longissime propagabantur, quædam ne ad filios quidem perveniebant, quædam vero medium locum obtinentia intra tertium aut
E quartum genus a posteris mutabantur. Succrescentibus enim in eadem gente cognominibus, quemadmodum vetustissimum quodque abolebatur, ita recentia cognomina pleraque retinebantur. Ac primum quidem, qui cognomina patris avique & majorum longa serie tulerunt, id ipsum fecisse videntur, præstanti illius qui primus id cognomen invenit, virtute & gloria adducti, ita tamen ut aut mutare, aut relinquere illud cognomen, pro arbitratu potuerint. Cui rei testimonio esse possunt, quæ de Cicerone tradit Plutarchus: *qui primus* (inquit,) *Ciceronis cognomen tulit, hic maxima laude floruisse*
F *videtur, quod id cognomen a posteris non solum non neglectum sit, verum etiam studiose retentum.* Et paullo post: *Quum autem M. Cicero posteaquam magistratus cepit, crederetur cognomen illud aut vitaturus, aut certe mutaturus, respondit operam se daturum, ut id esset & Scauris & Catulis illustrius.* Idem præterea Cicero ostendit cognomina hereditaria fuisse, quum loquentem ita cum nepote inducit Africanum: *Erit id tibi cognomen per te partum, quod nunc habes ex me hereditarium.* Itaque videmus ob hanc caussam Album & Albinum in gente Postumia, Maximum & Po-

plicolam in gente Valeria, Torquatum in gente Manlia, Maximum in Fabia, & Scævulam in Mucia longo tempore custodita. Quod tamen non in omnibus servatum esse inde apparere potest, quod Felicis, Strabonis, Prætextati, Rulliani, Gurgitis, Verrucossi, & Oviculæ cognomina; quæ Corneliorum, Pompejorum, Papiriorum & Fabiorum fuerunt, non nisi semel usurpata sunt, neque filii ipsorum hæc parentum cognomina retinuerunt. Novis autem ascitis familiæ cognominibus, vetera esse oblitterata agnosci potest ex Fabia gente, cujus primum cognomen fuit Vibulanus, post Ambustus, post Maximus; item in gente Manlia, cujus vetustissimum cognomen fuit Vulso, post Vulso Capitolinus, tum Vulsone omisso, Capitolinus Imperiossus, post Imperiossus Torquatus, & postremo his omnibus antiquatis, tantum Torquatus retentus est. Ex his omnibus quæ dixi illud satis intelligi potest, æque omnes Romanos cives uti inventis cognominibus potuisse, neque ipsum cognominis usum plebi magis interdictum, quam optimatibus fuisse. Factum est tamen, ut quoniam resp. primum in patriciorum potestate fuit, eorum etiam ante cognomina celebrata quam plebis sint; ubi vero plebs ad remp. accessit, tum & ad plebejorum etiam distinguendas familias cognomina audiri, perinde atque imagines ad posteritatem prodendam poni sunt cœptæ. Cognominum quædam uni gentium vel familiæ propria, quædam multis communia fuerunt. Uni familiæ vel genti propria fuerunt Scipio, Galba, Cæsar, Brutus, & omnia fere vetusta cognomina. Quæ autem pluribus gentibus communicata sunt, erant Maximus, Capitolinus, Augurinus, Poplicola, & Torquatus; quæ omnia Fastos consulares percurrenti facile perspecta & cognita erunt. Porro autem quamquam aliquot nobiles plebejæ gentes fuerint, quæ cognominibus carerent, ut Duilii, Mamilii, Albini, Opeimii, Sicinii, Marii, Hortensii, Coruncanii, Aquilii, Antonii, Rupilii, & aliæ ejusmodi, id tamen generale non fuit. Nam ut patriciorum, ita etiam & plebejorum cognomina celebrata sunt. Frequentior omnium usus fuit, ut singuli singula prænomina haberent. Sæpe etiam duobus cognominibus utebantur, ut P. Cornelius Rutilus Cossus, Q. Servilius Priscus Fidenas, T. Manlius Imperiossus Torquatus, & similia. Raro tria usurpabant, ut P. Cornelius Scipio Africanus Æmilianus, T. Quinctius Pennus Capitolinus Crispinus: rarissime vero quattuor, ut Q. Fabius Maximus Verrucossus Ovicula Cunctator. Pluribus usos fuisse neminem inveni, ante reip. casum; nam post, sub imperatoribus nulla certa regula tradi potest, quum inepte & pro arbitrio nomina sumere consueverint. Legi enim in vetusta quadam inscriptione aliquando quinque & sex cognomina ab uno usurpata fuisse, ut Q. Fabio Ciloni Septimino Catinio Aciliano Lepido Fulginiano. Verum de ejusmodi tractatione post reip. tempora loqui (quanquam quin hoc facerem, me temperare non potuerim) nihil aliud esse existimo, quam rem quæ animo ac cogitatione omnino nec dum re complecti potest, velle re ipsa tractare. His igitur relictis reliqua certiora persequamur.

De eorum qui adoptabantur cognominibus, variisque eorundem appellandi generibus.

His rebus expositis, non alienum ab instituto erit etiam cognoscere, quemadmodum hi qui adoptabantur (quod apud Romanos frequentissimum fuit) variis appellationibus, novisque cognominibus augebantur. Mutandi vero nominis in adoptionibus usitatior ratio fuit, quam Dio libris XL. & XLVI. tradit. Ait enim, Qui adoptarentur ab aliquo hos nomina illorum omnia a quibus adoptarentur ferre consuevisse, suum vero gentilicium nomen retinuisse illud quidem, sed aliquo tamen modo commutasse: ut, qui C. Octavius dicebatur, postquam a C. Julio Cæsare est adoptatus, C. Julius Cæsar appellari cœptus est. Ita tamen ut gentilicium Octavii nomen non defereret, sed id quodammodo commutaret & Octavianum pro Octavio redditum, cognomini Cæsari subjungeret sic, C. Julius Cæsar Octavianus. Idem in P. Cornelio Scipione Æmiliano, in L. Manlio Acidino Fulviano, L. Calpurnio Pisone Cæsonino, Mam. Aimilio Lepido Liviano, Q. Fabio Maximo Serviliano, & Q. Licinio Crasso Muciano factum est, qui omnes ab eo, a quo adoptati erant, nomina assumpserunt, sua vero gentilicia paululum immutata novo cognomini subjunxerunt. Eodem spectans Cicero libro III. epistolarum ad Atticum dixit: *M. Cicero S. D. Q. Cæcilio Pomponiano Attico*. Eodem etiam referuntur ea quæ ab eo scripta sunt libro VII ep. fam. *Dolabellam video Liviæ testamento cum duobus coheredibus esse in triente, sed juberi mutari nomen*. Unde Macrobius libro I. Saturnalium ita ait: *Cognomina quædam sunt ex propriis tracta nominibus, ut ab Aimilio Aimilianus, a Servilio Servilianus*. Hæc autem erat usitatior mutandi nominis ratio ab adoptivis Romæ frequentata. Nam aliquot præterea erant his qui adoptabantur appellandi genera. Quorum unum erat, ut is qui adoptabatur, omnia adoptantis nomina ferret, verum loco gentilicii sui nominis in *anus* mutati, eo relicto, vetus cognomen suum, vel plura si ea haberet, novo adoptantis nomini, si cognomen non haberet, vel cognomini subjungeret. C. enim Aurelius Orestes a Cn. Aufidio, item L. Calpurnius Piso a M. Pupio adoptati, nec ille Aurelianus, nec hic Calpurnianus appellati sunt, sed ille Cn. Aufidius Orestes, hic M. Pupius Piso nominatus est. Eadem etiam ratione nec P. Cornelius Scipio, Dione auctore, a Q. Metello Pio, & L. Junius Brutus a Q. Servilio Cæpione, teste Plutarcho, adoptati, aut Cornelianus aut Junianus, sed ille Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio, hic Q. Servilius Cæpio Brutus est appellatus, ut testimonio sunt Dio libro XL. Cicero in Philippicis, & nummi argentei, in quibus est ita: Q. METELLUS. PIUS. SCIPIO. & Q. CÆPIO. BRUTUS. Idem exemplum est in D. Junio Bruto ab A. Postumio Albino adoptato, qui A. Postumius Albinus Brutus appellatus est, ut ex antiquo nummo argenteo intelligitur. Idem etiam de M. Terentio Varrone Lucullo, & A. Terentio Varrone Muræna dici potest. nam quum ambo ex gente Licinia in Terentiam adoptionibus transissent, ita hac secunda appellandi ratione nominati sunt. Tertia porro mutandi nominis ratio fuit iis qui adoptabantur. Ea erat, quum adoptatus prænomen tantum & nomen adoptantis usurpabat, & gentilicium nomen in *anus* mutatum adjiciebat, ut T. Pomponius Atticus, a Q. Cæcilio avunculo, auctore Cornelio Nepote, adoptatus, Q. Cæcilius Pomponianus Atticus a Cicerone vocatur. Quarta porro in adoptionibus mutandi nominis ratio fuit, quum is qui adoptatus esset, integrum nomen adoptantis assumeret, suum vero cognomen vetus aliqua ratione mutatum novo cognomini adjiceret, ut M. Claudius Marcellus a P. Cornelio Lentulo adoptatus, P. Cornelius Lentulus Marcellinus, non Claudianus vocitatus est. Ultimus postremo in adoptionibus mutandi nominis usus, post Augusti tantum tempora Romæ frequentari cœpit. Is erat, ut is qui adoptatus esset, integrum nomen adoptantis ferret, suum vero vetus gentilicium nomini recens adepto gentilicio, multa ratione variatum adjungeret. exemplum a C. Plinio peti potest. C. enim Cæcilius Novocomensis ab avunculo C. Plinio Secundo Veronense scriptore historiæ naturalis adoptatus, C. Plinius Cæcilius Secundus vocitatus est. ita etiam mul-

ti appellati reperiuntur in Fastis consularibus, ut Ap. Annius Trebonius Gallus, M. Atilius Metilius Bradua, & M. Nummius Cejonius Albinus. Solebant etiam his temporibus multi qui adoptabantur, non solum vetus gentilicium nomen, sed cognomen etiam annectere novo adoptantis nomini. T. enim Aurelius Antoninus ab Hadriano adoptatus T. Ælius Aurelius Hadrianus Antoninus vocatus est. Ejusmodi autem appellandi rationem ex marmoreis inscriptionibus observavi, quæ non nisi republica excisa Romæ frequentari consuevit.

De alia nominandi ratione.

Quum igitur Romani hæc omnia haberent quasi instrumenta quædam nominandi, prænomen, nomen, atque cognomina; non his tamen contenti, alia etiam ad singulos accuratius significandos vocabula invenerunt, ut patris avique, & quandoque proavi prænomen, tribusque nomen etiam adhiberent. Quod quum ex vetustis monumentis, tum maxime ex Pediano liquet, qui oratione II. in Verrem ita ait: *Moris fuit quum aliquis civis Romanus ostendendus esset, significaretur aut a prænomine suo, aut a nomine, aut a cognatione, aut a cognomine, aut a tribu in qua censeretur, aut a curia, aut a censu, ut si esset senator, equesve Romanus.* Quod autem a cognatione significatos esse scribit, a patris, avi, vel proavi prænomine eum intelligi voluisse existimo. Nam quod a patris prænomine nominandi consuetudo fuerit, omnes libri, lapides, & nummi pleni sunt, ut M. Tullius M. F. Cicero, C. Julius C. F. Cæsar. A patris autem & avi, Capitolinæ tabulæ satis demonstrant: a proavi vero hæc duo vetusta epigrammata indicant, quorum alterum Romæ est in hortis Colotianis, alterum Cajetæ:

C. OCTAVIUS. C. F. C. N. C. P. . . . .
PATER. AUGUSTI
TR. MIL. BIS. Q. ÆDIL. PL. CUM . . .
C. TORANIO. JUDEX. QUÆSTIONUM.
PR. PRO. COS. IMPERATOR. APPELLATUS.
EX. PROVINCIA. MACEDONIA.

Item:

L. MUNATIUS. L. F. L. N. L. PRON. PLANCUS.
COS. CENS. IMP. ITER. VII. EPUL. TRIUMPH.
EX. RHETIS. ÆDEM. SATURNI. FECIT. DE.
MANUBIIS. AGROS. DIVISIT. IN. ITALIA. BENEVENTI.
IN. GALLIA. COLONIAS. DEDUXIT. LUGDUNUM.
ET. RAURICAM.

Multos etiam a patris cognomine significatos fuisse observavi, ut Q. Fabius Maximi filius, T. Quinctius Capitolini filius, & in adoptivis Q. Metellus Nasicæ filius, & in vetusta basi Romæ:

P. CORNELIUS. PAULLI. F. SCIPIO.
ÆMILIANUS. COS. II. CENSOR.
AUGUR. TRIUMPHAVIT. ITER.

Et in nummis aliquot A. POSTUMUS. COS. a tergo ALBINUS. BRUTI. F. Item aliquos nominatos inveni cum patris prænomine & cognomine, ut in tabulis Capitolinis, C. LIVIUS. M. AIMILIANI. F. Drusus. Quod a tribubus vero Asconius ait quosdam nominatos, id tale est. Quum tribus omnes Romæ XXXV. numerarentur, id est, Suburana, Esquilina, Collina, Palatina, Romilia, Clustumina, Lemonia, Pupinia, Vejentina, Galeria, Pollia, Voltinia, Claudia, Aimilia, Cornelia, Fabia, Horatia, Menenia, Papiria, Sergia, Veturia, Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arniensis, Pomptina, Poblilia, Mæcia, Scaptia, Ousentina, Falerina, Aniensis, Terentina, Velina, Quirina: atque ex his aliquam necesse esset, cujuscunque ordinis esset, civis Romanus obtineret: idcirco factum est, ut a tribu, in qua censeretur, significaretur; tribus autem nomen ablativo casu poneretur. Sic enim legimus II. in Verrem: *C. Verres Romilia.* & alibi: *L. Claudius Palatina.* & in IX. Philippica. *Ser. Sulpicius Q. F. Lemonia Rufus.* nam Romilia, Palatina, Lemonia tribuum nomina sunt. Tribus autem ipsa prioribus fere tantum litteris significabatur, quod in antiquis inscriptionibus manifestissimum est, atque in epistolis Cœlii ad Ciceronem adhuc retentum esse videmus, hoc modo: *C. Lucejus C. F. Pup. Hirrus. C. Scribonius C. F. Pob. Curio. L. Julius L. F. Pom. Annalis.* id est, Pupinia, Poblilia, & Pomptina.

De servorum, libertorum, & novorum civium nominibus.

Quemadmodum quum servi servitutem serviebant, prænomen domini ferebant, ita ut Cnæipores, Lucipores, Marcipores, Publipores, & Quinctipores, quasi Cnæi, Lucii, Marci, Publii, & Quincti pueri vocarentur, ut a Varrone, Plinio lib. XXXIII. cap. I. Quinctiliano libro primo, & Sex. Pompejo scriptum est: sic etiam & libertate donati, patroni, a quo manumissi essent, nomina usurpare solebant. Quam tamen servorum appellandi rationem non nisi antiquos observasse eo in loco tradit Plinius. Quinctilianus vero: *In servis*, inquit, *jam intercidit genus illud nominis, quod ducebatur a domino: unde Marcipores, Publipores.* Nam recentioribus temporibus omnes fere servos varia nomina habuisse quum Græca, tum Latina constat, quæ servilia etiam dicebantur, ut Davus, Syrus, Geta, Læneus, Tyro, Laurea, Eutychides, Lemnus, Megas, & similia iis a variis eventibus imposita: quorum non nisi uno uti servis mos erat. Unde M. Varro: *Habent plerique*, inquit, *libertini a municipio nomina manumissi, ut a Faventia Faventinus, a Reate Reatinus.* Servi igitur manumissi dominorum prænomina, & nomina ferebant, sua vero vetusta nomina pro cognominibus usurpabant. Cui rei exemplo sunt M. Tullii Ciceronis liberti duo, quorum alter M. Tullius Tiro, alter M. Tullius Laurea dictus est. Andronicus quoque poeta, quem a M. Livio Salinatore, cujus filios erudierat, manumissum tradit in Cronicis Eusebius, M. Livius Andronicus vocitatus est. In vetustis etiam epigrammatibus infinita permodum hujus rei testimonia sunt, ut C. Julius Aug. Libertus Fortunatus, Ti. Claudius Aug. L. Felix, T. Flavius Aug. L. Chresimus, &c. Idem hoc ex verbis Ciceronis ad Atticum, & Artemidori libro I. intelligi facile potest. Cicero enim de Eutychide servo Attici manumisso ita loquitur: *De Eutychide gratum, qui vetere prænomine, novo nomine T. erit Cæcilius, ut ex me & ex te junctus Dionysius M. Pomponius.* Artemidorus autem de servi cujusdam somnio ita ait: *Cognovi quendam, qui quum sibi videretur tria pudenda habere, ex servitute in libertatem vendicatus, pro uno nomine tria accepit, duobus nominibus ab eo a quo manumissus fuerat sumptis: id est, nomine & prænomine.* Qui autem civitatem Romanam de novo consequebantur, servorum more prænomina eorum potissimum ferebant, quorum beneficio, vel auxilio civitatem adepti essent, aut quibus præcipue in impetranda civitate usi essent: nomina vero sua antiqua pro cognominibus usurpabant. Hoc lib. I. de bello Gallico etiam C. Cæsar ostendit, quum ait: *Commodissimum visum est, M. Valerium Procillum C. Valerii Caburri filium, cujus pater a C. Valerio Flacco civitate donatus erat, mittere.* Et Cicero ad Acilium scribens idem tradit: *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est. ei Dolabella rogatu meo civitatem impetravit, qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur.* Idem ad eun-

dem Acilium scribens ait: *C. Avianium Philoxenum Cæsar meo beneficio in Novocomenses rettulit. nomen autem Avianii consequutus est, quod homine nullo plus usus est quam Flacco Avianio meo familiarissimo.* Item in Verrem: *Q. Lutatius Diodorus beneficio Q. Catuli a Sulla civis Romanus factus, eademque ratione de Dione, qui beneficio Q. Metelli civis factus Q. Cæcilius Dio est appellatus.* Sub imperatoribus quum Romana civitas integris provinciis daretur, hi qui civitatem Romanam consequebantur, vel imperatoris prænomen & nomen, vel ejus, aut eorum quorum præcipue subsidio civitatem impetrassent, nomina ferebant. Verum quum Antoninus Caracallus imperator constitutionem edidisset, quæ libro primo Digestorum sub titulo *de statu hominum* refertur, qua omnes eos qui in orbe Romano essent, cives esse voluit; tum pro cujuscunque arbitrio nomina sumpta, aut nobilissimarum familiarum, quæ jam defecerant, aut nova excogitata: vetere vocandi consuetudine, quæ ad ea usque tempora, parum certe violata, perduraverat, paulatim postea labante. Quæ præcipua caussa fuit (quod portento simile est) ut post Caracalli tempora intra paucissimos annos trium horum nominum usus per mille annos conservatus omnino dissipatus sit, & in nova vocabula transformatus. nam nulla deinceps nominis, prænominis, vel cognominis distinctio observata est, sed omnia in fœdissimam barbariem versa, antiquitatis cognitionem omni ex parte perdiderunt.

De mulierum nominibus.

De feminarum nominibus mihi scripturo, illud ante omnia disputandum esse videtur, an prænominibus antiquæ mulieres usæ sint: nam quidam hoc in dubium revocant, quidam fuere etiam qui prænominibus feminas omnino caruisse existimarent. Multas eorum prænomina frequentasse inveni apud Valerium, Varronem, Festum, & Plutarchum locupletissimos Latinæ linguæ auctores, item in vetustis epigrammatibus. Valerius enim libro x. *Antiquarum*, inquit, *mulierum in frequenti usu prænomina fuerunt, Rutilla, Cæsella, Rodocilla, Mutrulla, Burra a colore dicta. Item prænomina, quæ a viris tracta sunt, ut Caja, Lucia, Publia, Mania. Ceterum Caja usu super omnia celebratum prænomen est. Fertur enim Cajam Cæciliam Tarquinii Prisci regis uxorem optimam lanificam fuisse, tantæque probitatis, ut ideo institutum fuerit, ut novæ nuptæ ante januam mariti interrogatæ, Quænam vocarentur, Cajam se esse dicerent.* Varro libro II. de lingua Latina: *In nostris nominibus quum simus in Latio, & liberi, analogia necessaria. Itaque ibi apparet analogia, ac dicitur Terentius vir, Terentia femina, Terentium genus: in prænominibus ideo non fit item, quod hæc instituta ad usum singularia, quibus discernerentur nomina gentilicia; ut a numero Secunda, Tertia, Quarta: in viris, ut Quinctus, Sextus, Decimus. Sic ab aliis rebus quum essent duo Terentii, aut plures, discernendi caussa, ut aliquid singulare haberent, notabant. forsitan ab eo qui mane natus diceretur, ut is Manius esset; qui luci, Lucius; qui post patris mortem, Postumus. E quibus quædam item cecidisse in feminis proportione appellata, declarant nomina antiqua mulierum Mania, Lucia, Postuma. Videmus enim Maniam, matrem larvum dici, Luciam Volumniam Saliorum carminibus appellari: Postumam a multis post patris mortem etiam nunc appellari.* Idcirco autem dixit *Quædam*, nam paulo ante dixerat: *Non quia Marcus & Numerius dicitur, idcirco Marcam & Numeriam dici.* Et Festus: *Prænominibus*, inquit, *feminas usas testimonio sunt Cæcilia & Tarratia, quæ ambæ Cajæ solitæ sunt appellari: pari modo Lucia, & Tita.*

Plutarchus postremo in Quæstionibus hoc innuens ait, viros tribus, feminas duobus, nominibus fuisse contentos. & in Mario Possidonium reprehendit, qui quum primum nomen proprium esse diceret, nulli tamen mulieri primum nomen esse dicebat. ex quo efficiebatur mulieres proprio nomine caruisse. Idem in Romulo auctor est Romulum ex Hersilia filiam unam suscepisse, eamque a nascendi ordine Primam appellasse. Itemque Sullæ dictatori filiam ex Valeria esse natam, eandemque, quia post patris obitum nata erat, Postumam esse vocatam. Ex his igitur tot gravissimorum scriptorum testimoniis feminas prænomina apud Romanos tulisse apertissimum est. Quum vero plurimæ, immo omnes fere mulieres Romanæ, quæ a Dionysio & Livio in historiis memorantur, prænomina non usurpasse animadverterem, aliquando cogitavi in mulierum prænominibus describendis distinctione opus esse, aliudque alio tempore observatum fuisse. Nam vetustissimis temporibus mulieres Romanas prænomina frequentasse ex tot citatis testimoniis clarum est: verum processu temporis, quum ad recentiora reipub. tempora ventum est, minus frequentari cœptum in feminis prænominis usum crediderim. Quod duabus potissimum rationibus mihi persuasi. Quarum altera est, quod hi quos citavi veteres auctores, ita de mulierum prænominibus loqui videntur, ut ejusmodi consuetudinem vetustam fuisse, & quum exolevisset quasi in controversiam versam esse. *Prænominibus*, inquit Festus, *feminas appellatas testimonio sunt Cæcilia & Tarratia, quæ ambæ Cajæ solitæ sunt appellari.* idem facit & Varro de Mania & Lucia Volumnia. ubi ad hoc confirmandum exempla antiquissima ita afferunt, quasi hoc suo tempore controversum esset. Altera porro ratio est, quod raro admodum apud Dionysium, Livium, & ceteros veteres historicos, mulieres prænominibus ornatas commemorari videmus. est enim Tullia & Fabia major & minor apud Livium, item Claudiæ, Hostiliæ, Æbutiæ, & aliarum mulierum nomina prodit nunquam hisce prænominibus affectarum, sed vel Majoris, Minoris, ubi duæ erant, aut Primæ, Secundæ, Tertiæ, Quartæ, Quintæ, &c. ubi plures; & recentioribus temporibus apud Ciceronem, & alios Læliæ, Muciæ, Cæciliæ, Juliæ, Tulliæ, Terentiæ, Liciniæ, Æmiliæ sine prænominibus semper mentio est. Quibus rationibus adductus facile mihi persuasi prænominum usum in mulieribus paulo antiquiorem fuisse: recentioribus vero sæculis, quamquam non omnino sublatum, parum tamen frequentari cœpisse. Atque iis temporibus hanc potissimum appellandi rationem usurpasse observavi: ut si una filia tantum esset, ea familiæ nomine appellaretur, nullo prænomine aut cognomine addito, ut Tullia Ciceronis, Julia Cæsaris filiæ. item Calpurnia Cæsaris, Cornelia Pompeii uxores. Porro autem si duæ essent, nomen familiæ quo vocabantur majoris & minoris cognomine distinguebatur. Hinc vetustissimis temporibus Tulliæ major, & minor: Fabiæ major & minor apud Livium; item apud Tranquillum Octavia major & minor sorores Augusti: Antoniæ major & minor III. viri filiæ. Si tres filiæ essent, alia erat distinguendi ratio, id est, Primæ, Secundæ, & Tertiæ. Hujus rei exemplorum pleni sunt omnes epigrammatum libri. ut SALVIA C. F. PRIMA. PRIMA. VALERIA. Item JULIA. SECUNDA. & CORNELIA. SECUNDA. Item TERTIA. PRISCA. Tertiæ quoque Æmiliæ Paulli Macedonici filiæ Valerius meminit. Unde Paullus apud Ciceronem: *O mea Tertia*, inquit. Tertiam item Juniam Tranquillus in Cæsare, & Macrobius commemorant, quam Cicero Tertullam vocat libro XIII. epist. ad Atticum. De Quarta Livius lib. XL. *Calpurnius Piso*, inquit, *necatus a Quarta Hostilia uxore dicebatur.* Et in

vetusto epigrammate QUARTA LIVIA refertur. Quæ vero quincto loco nata esset, Quincta vocabatur. Unde in oratione Ciceronis pro M. Cœlio, & de haruspicum responsis, Quinctæ Claudiæ mentio est, matronarum castissimæ, quam esse existimo ex quinque Ap. Cæci filiabus natu minimam, atque ob eam caussam Quinctam appellatam, de qua Cicero in Catone: *Quattuor robustos filios, & quinque filias Appius regebat*, *& senex & cæcus*. Item in veteribus inscriptionibus legitur: QUINTA. NONIA & QUINTA. SEPTIMIA. Hic autem nominandi usus frequentissimus Romæ fuit usque ad Augusti tempora, in quibus alia vocabula quibus inter se mulieres distinguerentur inventa sunt. Quorum præcipua erant parentum cognomina, in genus femininum versa, ut Cæcilia Metella, cujus vetus inscriptio sic meminit: CÆCILIÆ. Q. CRETICI. F. METELLA. CRASSI. Apud Salustium quoque Aurelia Orestilla, apud Tranquillum Livia Drusilla, Julia Agrippina, Poppæa Sabina, Valeria Messallina, Æmilia Lepida, & pleræque aliæ commemorantur. Fuerunt & aliæ quæ sibi cognomina aliunde quam domestica invenerint, ut Clodia Quadrantaria, Galeria Fundana, Pompeja Plotina, Annia Faustina, Julia Sabina. Aliæ fuerunt quæ sibi cognomina duplicaverunt, ut apud Tranquillum Furia Medullina Camilla, & in nummis Marcia Otacilla Severa. Iisdem etiam temporibus multas feminas fuisse ex lapidibus observavi, quæ marium præ-

A nomina usurpaverint, & quæ jam exoleverant restituerint. Legi in vetustis epigrammatibus L. Peduceam, M' Aciliam, M' F. Faustinam, & Proculam Juliam. Proculus enim Juliorum prænomen fuit, & T. Flaviam. Fuere & alia mulieres appellandi genera, quæ passim in antiquis monumentis observavi, quorum quæ attuli omnium præcipua sunt, & tanquam fontes ex quibus cetera deriventur. Illud postremo est animadversione dignum, quemadmodum in viris prænomina aliquando nominibus gentiliciis postponebantur, ut Attius Tullus, Attius Næus, Manlius Cnæus, Octavius Metius, ita etiam in feminis factitatum; legimus enim Primam Valeriam, & Salviam Primam, & Quartam Hostiliam, & Li-

B viam Quartam, & Quinctam Noniam, & Noniam Quinctulam. Cajam præterea quod commune omnibus mulieribus prænomen fuit Ɔ. inversa nota exaratum fuisse, contraque C. Cajum in viris satis est ex Probo, aliisque veteribus grammaticis, & inscriptionibus manifestum. Servas porro & ancillas nomina & ipsas a variis eventibus indita tulisse existimo, ut Phœbe, Myrrha, Atis, & similia. Hæc autem sunt quæ de prænominibus, nominibus, & cognominibus Romanis, eorumque caussis, & ratione dicenda habui, quæ certis veterum scriptorum testimoniis confirmare possem. Quibus animadversis facile diligens antiquitatum studiosus si quæ a me præterita erunt invenire & cognoscere poterit. Venetiis ∞ DLVIII. mense Augusto.

Veterum Romanorum nomenclaturam, accuratioremque prænominum divisionem habes apud hunc auctorem lib. primo Comment. in Fastos, pag. 38. & 39.

F I N I S.

JOSEPHI CASTALIONIS
JURISCONSULTI
ADVERSUS FEMINARUM PRÆNOMINUM ASSERTORES DISPUTATIO.

VERGILIA . M . L . HELENA



Aribus prænomina præposita hoc in loco, feminæ non item, videmus. Mirari satis non possum, quamobrem docti quidam viri ea de re, contra quam populi Romani mos & usus foret, disseruerint. Fuerint primis Reipub. temporibus mulierum propria nomina, cum non esset hæc nominum ratio distincta: referat M. Varro perpauca quædam mulierum antiquarum prænomina, ejus tamen temporis, quo singulis singula vel ad summum bina essent. Mihi quidem unum illud, quod a Panvinio ex Cicerone laudatur, a me tamen nusquam in Cicerone repertum, ad omnia istorum argumenta subvertenda validissimum videretur. *Habuit*, inquit, *Prænomen nescio quid virilitatis, & dignitatis*. Ex quo inferri sane posset, ad viros tantum prænomina, quæ virilitatem referant, pertinere. Huc accedit, quod Plutarchus scribit, viris tria, mulieribus duo apud Romanos nomina fuisse. Præterea, cum neque in Livio, neque in Dionysio feminarum prænomina inveniantur, quis est, qui prænominibus mulieres Romanas usas esse comminiscatur? Cajæ prænomen omnibus feminis commune fuisse concedo: nullam tamen fere usam adjungo, nisi ad ejus gentis, familiæve feminam quamvis ostendendam, idque inversa plerunque C. litteræ, seu secundæ mutæ nota, sic, Ɔ. L. id est Cajæ Libertus. Mulieres quippe gentilicio nomine utebantur, adjecto cognomine, vel a numero, ut Claudia prima, secunda, tertia, quarta, quincta, deinceps; vel ab ætate, ut Antonia minor; vel aliunde, ut Drusilla, & Domitilla; cognominibus enim tantum feminæ distinguebantur, perinde ac mares prænominibus. quod Antonius Augustinus vir clarissimus Dialogo decimo eruditissime ac verissime differit. Carolus autem Sigonius, libro Emendationum secundo adversus Robortellum, longe aliter sentit, feminisque prænomina attribuit: cui non assentimus. Verum nostram sententiam lapidum testimonio, consensu, usu ipso confirmemus. Id fiet, si nonnullas dumtaxat inscriptiones proferemus, quarum pleraque marium simul & feminarum nomina contineant. Nam universas nostra manu descriptas, & in libros relatas recensere si esset consilium, immensam in molem excresceret liber.

Apud Cæsios:

DIS. MANIBVS
CN . OFILLIO . CN . F . QVIR. . PISONI
V . A . XXIII . M . IX . D . X
CN.OFILLIO.CN.F.QVIR.FRVGI.V.A.XVIII.M.II
CN . OFILLIVS . SVCCESSVS . ET
ANTONIA . RESTITVTA . PARENTES . FILIS
PIENTISSIMIS . FECERVNT . ET . SVIS
LIBERTIS.LIBERTABVSQ.POSTERISQ.EORVM.

Ofilliis Cnæi prænomen, Antoniæ nullum tributum legimus. QVIR. tribum Quirinam significat, eamque ablativo casu efferebant.

In Hortis Carpensibus:

DIS . MANIBVS
SACRVM
HERBASIAE
CLYMENES
SEX . HERBASIVS
NAVTILVS . SIBI . ET
CONIVGI . SVAE
SANCTISSIMAE . FEC
IN. FR. P. XVIII. IN. AGR. P. XVIII.

IN . FR. id est, In fronte. In AGR. id est, ut inquit Horatius,

Mille pedes in fronte, tercentos cippus in agrum
Hic dabat: heredes monumentum ne sequeretur.

In fronte autem, est, secundum viam; In agrum vero, id est, a via in ipsum agrum.

Et:

DIS . MANIBVS .
M . COCCEI . SP . F
AVGVSTALIS
VIX . ANN . XVIII
MENS . VIII . DIEB . XIII
COCCEIA . AVG . LIB
PLVTIN . MATER
FILIO . PIISSIMO

Et:

D . M . S
D . LVCILIO . D . F . TERMINALI
VIXIT . ANN. XXV . M . V . D . X
LVCILIA . HELPIS . MATER
BENEMERENTI . FECIT

In Hortis Carpensibus:

D . M
CN . CORNELIO
CN . F . SAB.
MVSAEO
MANCIPI . VIAE . APPIAE
HERENNIA . PRISCILLA
CONIVGI

BENEMERENTI
FECIT

SAB. id eſt, Sabatina, nomen tribus.

Ibidem:

M. . ANNAEVS . C . L . MARIO
ANNAEA . PHILVMINA
A. . CORFINIVS .]A . L . ISAVRVS
ANNAEA . C . L . PRIMA
SEX . AEMILIVS . SEX . Ͻ . L . ERO
CASSIA . C . L . CALE
IN . FRONT . P. XVI . IN . AGR . P . XII

In Musæo Carpensi.

D . M
P . SCANTIO . IVLIANO
P . SCANTIVS
AVGVSTALIS . PATER . ET
SERVILIA . C . F . ISIAS
MATER . FILIO . PIISSIMO
FECERVNT
QVI . VIXIT . ANN . VIII
MENS . V . DIEB . XII . HOR . VI
CVIVS . ANNOS . INGENIVM
EXCEDEBAT

Apud Hieronymum Lenium:

CALIDIA . Q . L . HELENA   Q . CALIDIVS . Q . L . VARRO   Q . CALIDIVS . Q . Q . Q . L THEOPHILVS

Hic illud notandum eſt, tres illas ſingulares litteras, Q. interpunctionibus diſtinctas, ſignificare tres Quinctos, ut ſit, Q. Calidius Quinctorum libertus. Sunt, qui putent hos fratres: nam plures fratres eodem prænomine uſos ignorat nemo, qui in Romana antiquitate cognoſcenda ſit verſatus. ſic Appios Claudios fratres, Majoris & Minoris cognomine diſcretos Pedianus in Ciceronem prodit. Ego vero collibertos etiam puto, quibus tamen fuerit alius libertus communis. Duos quoque ſive fratres, ſive collibertos in templo ſancti Euſtachii legimus:

DIS . MANIBVS
T . FLAVIO . AVG . L
HARMODIO
Q . Q . CALIDII . EROS . ET
HERMES . BENE . MERENTI

Fratres certo certius ſunt, qui ſequuntur.

In Hortis Carpenſibus.

T . FLAVIO . RVF
T . T . FLAVII
VENVSTVS . ET
SATVRNINVS
FRATRI
PIENTISSIMO
FECERVNT

In ambiguo ſunt, quos adjunximus.

In Ædibus Bubalorum, ad Aquam Virginem.

T . T . AQVILLIVS . T . T
L . TROPHIMO . ET
CISSO . FECIT . T . AQVIL
LIVS . T . T . L . ZOSIMVS
LIB . LIBER . POSTERISQVE
SVORVM .
HOC . MONVMENTVM . VENIRE
NON . LICEBIT

Et appud Scappuccios:

L . FVFICIVS . L . L . L AMARANTHVS   L . FVFICIVS . L . L . L PAMPHILVS

Sed ad feminas prænominum expertes revertamur.

Fuerat apud Maffæos ſuperioribus annis lapis:

CORNELIAE
PROCVLA . ET
PLACIDIA . FECER
Q . CORNELIO . SENE
CIONI . PROCVLO
PRAETORICIO . LE
GATO . PROVIN
CIAE . ASIAE . FRA
TRI . BENE MEREN
TI

Quis hic non videt, ſorores cognominibus duntaxat diſtinctas, fratrem vero prænomine & cognomine auctum?

Eadem fere ratio obſervata eſt in hac inſcriptione,

Apud Horatium Fuſcum:

P . MANLIO . FVSCO
IAVOLENAE
MARCIA . ET . SOSIBIA
FILIAE . PATRI
PIISSIMO . ET
IAVOLENA . SOSIBIA
MARITO . OPTIMO

Ridiculum certe eſt, quod a nuptiis prænomina ſumpſiſſe feminas opinantur. Ego clariſſimam feminam, quæ Ciceronis memoria vixiſſe creditur, nomine & cognomine familiæ ſuæ, patris etiam prænomine & agnomine, ut vocant, mariti inſuper cognomine demonſtratam video, monumento etiam nunc inſigni extra portam Capenam, via Appia, ad S. Sebaſtianum:

CAECILIAE
Q . CRETICI . F
METELLAE . CRASSI

Qua una inſcriptione, nihil elegantius fieri poteſt. eadem ad rem, qua de agimus, mirifice pertinet. CRASSI. ſubintelligitur, uxori. Tale eſt illud 3. Æneid.

Hectoris Andromache.

Id eſt, Andromache, uxor Hectoris. Lucanus lib. 2.

—— *liceat tumulo ſcripſiſſe Catonis*

Marcia. deeſt, uxor.
Sed pergamus.

In Hortis Carpenſibus:

L . VALERIUS . L . L	L . VALERIVS . L . Ͻ . L
ALEXANDER . SIBI . ET . S.	SELEVCVS . SIBI . ET . SVIS
VALERIA . L . L . ATTICE	VALERIA . L . Ͻ . L . ARTEMIS
L . VALERIUS . L . L . LIMENE	L . VALERIVS L . Ͻ . L . HYLLVS
VALERIA . L . L . IRENE	L . VALERIVS . L . Ͻ . L . PHILEROS
L . VALERIUS . L . L . FAUSTUS	L . VALERIVS . L . Ͻ . L . DIOGENES
VALERIA . L . L . URBANA	VALERIAS . L . Ͻ . L . MARTA
VALERIA . L . L . ATTICE	L . VALERIVS . VRBANVS
L . VALERIVS . L . L . JANVARIVS .	VALERIA . ARESCVSA

Collibertos, collibertaſque fere, non fratres &

sorores dixerim. qui enim fieri potest, ut sexdecim uno tempore fratres, sororesque adoleverint, monumentumque communi nomine ac sumptu exstruxerint? Quid autem hoc luculentius, quid apertius ad feminarum prænomina disturbanda testimonium? Viris quippe Lucii prænomen præpositum, feminis vero nullum videmus, excepta inversa illa secundæ mutæ nota, qua ad feminarum libertos compendio significandos utebantur, hoc modo, Ɔ. L. id est Cajæ libertus, & sic L. Ɔ. id est, Lucii & Cajæ libertus, pro Lucii & Luciæ, quod tamen feminini generis prænomen non adhibebant, sed pro eo Cajam reponebant, atque in ejus locum subrogabant. Nam Cajæ prænomen feminis omnibus tribuebatur, cum esset mulieris libertus ostendendus, ne cognominis productiore vocabulo uti cogerentur, hoc pacto, Arescusæ libertus. Quod tamen ipsum factitatum esse interdum probare possumus.

Apud Cæsios:

DIS . MANIBVS
L . MVNATI
PLANCINAE . L
POLYCLETI

&:

T. CAESIVS. PRISCILLAE. L. HERMES
POSTVMIANVS . SIBI . ET
CAESIAE. ANAPHE. CONIVGI. CARISSIMAE
T. CAESIVS. AGATHO. SIBI: ET
CAESIAE. PERSIDI. CONIVGI. CARISSIMAE
T . CAESIVS . T . F . SER . PERSICVS
VIXIT. ANNIS. II. MENSIBVS. VI

Apud Julium Coccejanum:

COCCEIA
PARHEDRI . L . TELETE

In Hortis Carpensibus:

LIVIA. VRTICVLAE
L . AGLAIS
M. LIVIVS. VRTICVLAE
L . PACHINVS

Quod & in maribus receptum fuisse apparet:

C. IVLIVS. POSTVMI. L. EVCOMVS
IVLIAE. POSTVMI. L. LYRIDI. F. ET
FAVSTILLAE. MATRI. EIVS

In Hortis Mediceis:

C . IVLIO
LVCIFERI . FILIO
PHOSPHORO
ARCHITECT . AVG
CLAVDIA. STRATONICE
VXOR . VIRO
OPTIMO

Additum prænomen cognomini in quibusdam reperio:

Q. CRETICI. F

Apud Fusconios:

LEIBERTORVM . ET . LEIBERTAR.
C . MAECENATIS . L . F . POM.
POSTERISQVE. EORVM. ET. QVI. AD. ID
TVENDVM . CONTVLERVNT
CONTVLERINT

POM. Id est, Ex tribu Pomptina.

Eundem quoque usum præstitit familiæ nomen cum prænomine.

In Hortis Carpensibus:

COTTIA . A . COTTI . F . GALLA
TESTAMENTO . FIERI . IVSSIT
A . COTTIO . PATRI . PRO . COS
HISPANIAE . ET . PACVLLAE. MATRI . ET
A . COTTIO . FRATRI . QVAESTORI . AED
PLEBI . ET . MEMMIAE . GALLAE . AVIAE
HVIC . MONVMENTO . TVTELAE . NOMINE
CEDVNT. AGRI. PVRI. IVGERA. DECEM. ET
TABERNA. QVAE. PROXIME. EVM. LOCVM. EST

Item prænomen, nomen, & cognomen ex abundanti adjuncta ad libertam ostendendam video.

Apud Cæsios:

VIPSANIA . M . VIPSANI
MVSAEI . L . THALASSA
SIBI . ET
TI. CLAVDIO. AVG. L. EPICTETO

In Hortis Carpensibus:

HOSTILIA . SALVIA
D . HOSTILI
ONESIMI . MAIORIS
LIBERTA. HIC
CONDITA . EST. VIXIT
ANNIS . XXI

Extra Portam Majorem, in Vinea Saccociorum:

D . M.
TETTIAE . PRIMAE
VIXIT . ANNIS . L
M. VLPIO . MACEDONI
V . A . LXXX
SEX. TETTIVS. MACEDO. F.
PARENTIBVS

Cis Pontem Milvium.

DIS . MANIBVS.
SACR . Q . CORNE
LIVS . HERMA . ET . CAS
SIA. LAIS . FECERVNT
SIBI . ET . SVIS. LIB. LIBER
TABVS . POSTERISQVE. EORVM
HOC . MONVMENTVM
EXTERVM. HEREDEM. NON. SEQVITVR

Et:

C. TVTICANO
CALLISTO. ET
VALERIAE
SATVRNINAE
C. TVTICANVS
MAXIMVS
MAMMAE
SVAE . BENEMEREN
TI . FECIT

Et:

D . M
L. IVLI. GENNAE
VIXIT . A . XXXV
TVLLIA . ELPIS
CONIUGI . BENE
MERENTI. ET. L.

IVLIVS.RESTITVTVS A
FILIVS . FECERVNT
SIBI . ET . SVIS . POSTERIS
QVE . EORVM

Trans Pontem Milvium:

D . CAECILI . D . L . DEMETR
CAECILIAE . L . PRIMAE
P . CAECILI . D . L . HILARI
T
IN . FRON . P . XII
IN . AGR . P . XVI B

Ad Templum Jesu:

MAECILI . P . L . PAMPHILI . FRVM.
EX . TESTAMENTO . ARBITR
P . MAECILI . P . L . NICOMEDIS . L . IVLI
L . L . SCANTIAE
S . P . F

Et:

DIS . MANIBVS
ANTONIAE . M . F.
PANACES . VIX . ANN . IX C
MENS . XI . DIEB . XIII.
FILIAE . OPTIMAE . ET
PIISSIMAE
M . ANTONIVS . PAL . ALYPVS
ET . PAPINIA . ZOSIME
FECERVNT

Apud Delphinios:

DIS . MANIBVS
AVRELIAE
FORTVNATAE D
VIX . ANN . XX
T . AVRELIVS
LEMNVS
VXORI . OPTIMAE

Apud Fabricium Ursinum, in Campo Martio:

C . SALVSTIO . PISANDRO
PATRONO . OPTIMO . ET
SALLVSTIAE . TYCHE . VXORI . CARISSIM
FECIT
C . SALLVSTIVS . PISTVS . SIBI . ET
SALLVSTIAE . EVGENIAE . FIL . ET E
LIBERTIS . LIBERTABVS . POSTERISQVE . EORVM

Et:

DIS . MANIBVS
M . FABIVS . M . F . ESQ . REGILL . ET
FABIA . M . ET . Ↄ . LIB . ARETE
. . . .
M . FABIO . CHRYSANTO
M . FABIO . PHILETO
M . FABIO . SALVIO
M . FABIO . HERMETI
FABIAE . MIMESI
M . FABIO . ANTIGONO F

Apud Maffæios:

D . M
M . AVRELIVS
ANATELION
AVG . LIB . VIVVS . FEC
SIBI . ET . AEFLANIAE
BAEBIAE . CONIVGI . BENE
MERENTI . ET . LIBERIS
ITEM . LIBERTIS . LIBERTABVSQ
EORVM

In Clivo Capitolino:

C . TERENTIO . CL . PAMPHILO
SAGARIO . POST . AEDEM . CASTORIS
CALPVRNIAE . D . L . SALVIAE
MARIAE . L . F . RUFAE
C . TERENTIO . L . L . RVFIONI
TERENTIAE . C . L . POLINI
C . TERENTIVS . C . L . EROT
IEIS . OMNIBVS . QVI . SVPRASCRIPTI
SVNT . ET . SIBI . FACIVNDVM . CVRAVIT.

Ad Columnam Antonini:

D . M . I
C . IVLIO . NERON
VIXIT . ANNIS . LXXXII
MENSIB . III . DIEB . XXII
PARENTI . PIENTISS
FECERVNT
M . CORNELIVS . TI . F
SATVRNINVS . >
LEG . II . AVG . ET
M . CORNELIVS . TI . F
IVLIANVS . FILI . PIISSIMI . ET
IVLIA . HIEROPHILA . CONIVNX

Et:

D . M
PLANCIAE
HELPIDI
C . IVLIVS
CARIPPVS
CONIVGI . B . M.
FECIT

Et.

C . IVLIO . EVHODI . LIB
CORINTHO . ET
CALVIAE . GALATIAE
CONIVGI . EIVS
P . POMPONIVS . HERMES . ET
IVLIA . FORTVNATA . FECERVNT

Et:

DIS . MANIBVS
C . MVRDIO . FELICI
C . MVRDIVS . FELIX
PATRI
BENEMERENTI . FECIT
ET . SIBI . ET . SVIS . POSTERISQ
EORVM . ET . TVLLIAE . HYGIAE
CONIVGI . EIVS
IN . F . P . . . . INA . P . . .

Et:

D . M
ARRIAE . IANVARIAE . VIX
ANN . VII . MENS . VIII . DIEB . VIII
TI . CLAVDIVS . POLYBIANVS
ET . ARRIA . AVGVSTALIS . ALV
MNAE . CARISSIMAE . ET
FECERVNT . LIBERTIS . LIBER
TABVSQ . POSTERISQ . EORVM
T . AEL . AVGVS . LIB . TREPTIO . FECIT . ET . SIBI
ET . VXORI . AELIAE
CAPRIOLAE . B . M

A *In Ædibus Vallarum:*

L . ANTESTIVS . CN . F . HOR
SARCVLO . SALIVS . ALBANVS
ANTESTIA . L . L . PLVTIA
FVFIA . P . F . TERTIA . SOROR
L . ANTESTIVS . L . L . QVINCTIO

L . ANTESTIVS . L . L . RVFVS L . ANTISTIVS . L . Ɔ . L . THAMYRVS
L . ANTISTIVS . L . Ɔ . L . ANTHVS L . ANTISTIVS . L . L . EROS . CAPPA
DOXS

Apud Crescentios:

B C . FVFIO . ZMARAGDO
MARGARITARIO , DE
SACRA . VIA . ARBITRATV
FVFIAE . GALLAE . VXORIS
ET . ATIMETI . ET . ABASCANTI
LIBERTORVM
LIBERTIS . LIBERTABVS
POSTERISQVE . EORVM

Apud Marcellum Nerium:

I . O . M
ET . SOLI . DIVINO
C ET . GENIO
VENALICI
Q . IVLIVS . MAXIMI
LIB . FELIX
CVM . IVLIA
Q . F . ROMANA
ENS
CONIVGE . * LIB . ANIM
VOT . SOLVIT
IMP ... † ... CAESAR . AVG . GER . XII
SER . CORNELIO . DOLABELLA . COS

† Domitiani nomen abrasum est.
D * Id est, libens animo, ut est

In S. Cæciliæ Templo diserte insculptum.

C . IVLIVS . ANICETVS
ARAM . SACRATAM . SOLI . DIVINO
VOTO . SVSCEPTO . ANIMO . LIBENS . D . D

Et apud Scappuccios:

L . VMBRICIVS
PRISCVS
E LIBENS . ANIMO
D . D

Et:

SOLI . SANCTISSIMO . SACRVM
TI . CLAVDIVS . FELIX . ET
CLAVDIA . HELPIS . ET
TI . CLAVDIVS . ALYPVS . FIL . EORVM
VOTVM . SOLVERVNT . LIBENS . MERITO
CALBIENSES . DE . COH . III

Ad S. Petrum:

D . M
F EX . VOLVNTATE . M' . ACILI
HILARIANI . ANTISTIA . PRIMA
IN . PERFECTVM . CONSVMMA
VIT . MARITO . INCOMPARA
BILI . ET . SIBI . LIBERISQ . SVIS
ITEM . LIBERTIS . LIBERTABVSQ . POS
TERISQ . EORVM

Ad S. Onuphrium:

DIS . MANIBVS
M . ACVTVS

SALVTARIS
FECIT . SIBI . ET . TVRVLLIAE
CONIVGI . SVAE
BENE . VALEAS . RELIGIOSE . QVI
HOC . LEGIS
BENE . SIT . FILIS . FILIABVS . MEIS
QVI . ME . BENE . COLVERVNT

Apud Farnesios:

DIS . MAN
Q . SAENI . Q . FIL . FAB
POMPEIANI
COND . IIII . P . AFR
FVFICIA . CLYMENA
VXOR
PROSDECTVS . ET
TRYPHERVS
LIB

In Agone, apud Sertorium Theophilum.

DIS . MANIBVS
IVLIAE . SP . F
PROCVLAE
C . IVLIVS . THEOPHILVS
VXORI

Ad Plateam Sciarræ, apud Lapicidinam:

L . AVRELIO
SEVERO
L . AVRELIVS
PRIMITIVOS . ET
AVRELIA
SEVERA
PARENTES . FP

Apud Alberinos:

DIIS . MANIBVS
Q . PROPERTIVS . SECVNDVS
FECIT . SIBI . ET
PROPERTIAE . TRIPHOSAE
PATRONAE . SVAE . BENE
MERENTI . ET
PROPERTIAE . DINAMAE
LIBERTAE . ET . CONTVBERNALI
SANCTISSIMAE

Ad S. Mariæ in Via:

V Q . EPPIVS . Q . F . COR . RVF
Θ CLODIA . C . L . SILENIO
Θ EPPIA . L . F . PAVLLA . VOTE
NNIANA . MATER
EPPIA . M . F . POLLA

In Hortis Mediceis:

IVLIAE . SEX . F
FRONTINAE
MATRI

Ibidem:

M . VINICIO
CASTO
VINICIA
GLAPHYRA
FILIO . BENE
MERENTI
M . VINICIVS VINICIAE
CORINTHVS TYCHE . ET . SIBI . FECIT

Ibidem:

LIBERO . PATRI
SANCTO . SACR
SEX . CAELIVS
PRIMITIVVS . ET
PVBLICIA . ANTVLLA
VOTO . SVSCEPTO
D . D

Ibidem:

T . STABERIO
SECVNDO . COACTORI
ARGENTARIO . VIATOR
CONSVLARI . ET . PRAET
SIBI . ET
CLAVDIAE . STRATONICAE
VXORI

Apud Camillum Rusticum:

DIS . MANIBVS
COELIAE . DYNATAE
M . VLPIVS . AVG . LIB
VALENS . AVESTE . IMP
PRIVATA . CONIVG . KARISS
SANCTISSIMAE
CVM . QVA . VIXIT . AN . XXXVIII
SINE . CRIMINE . ET . SIBI
ET . SVIS . LIBERTIS
LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE
EORVM

Et:

DIS . MANIBVS
TI . CLAVDIO . TI . F

A QVIR . GEMINO
IVLIA . GEMELLA
MATER . FILIO

Nullus esset congerendarum Inscriptionum modus, si quascumque ipse ad hanc rationem spectantes Romæ descripsi, referre huc vellem. Illud sane mihi testanti credatur velim, nullum esse in tanta veterum monumentorum copia feminarum prænomen a nobis repertum, præter Cajæ, idque in duobus tantum lapidibus gentilicio nomini præfixum: quod tamen ipsum omnium mulierum commune fuisse dixeram.

B

Ad S. Petri Basilic.

QVIRINIA . MVSA
C. HELVIDIVS . C. Ɔ. L. BARNACVS
A. TITIVS . A. L. PHILARGYRVS
C. TITIA . C. L. GLYCERA
IN . FR. P. XIII. IN. AGR. P. XVII

Ad templum Jesu:

C. FVL. QVINTIA . C. FVLVINIA
C C. FVLVINIVS . C. L. EROS

Quod si quis ne jurato quidem mihi fidem habendam censeat, velim ipse singulos lapides inspiciat, notet, observet. sic fieret profecto, ut in meam sententiam facile concedat. Divæ prænomen, quod Augustorum uxoribus, liberisque in Deorum numerum relatis præponebatur, semper excipiendum edico. Non enim ad privatorum usum Principis ornamenta trahenda sunt. Quare nihil officit, quod in epistylio legitur;

DIVO . ANTONINO . ET
DIVAE . FAVSTINAE . EX . S . C



JOSEPHI CASTALIONIS JURISCONSULTI COMMENTARIUS DE ANTIQUIS PUERORUM PRÆNOMINIBUS,

AD . ALOYSIUM . ORICELLARIUM. HORATII.F.

ALOYSIO · ORICELLARIO· HORATII · FILIO JOSEPHUS . CASTALIO . S . P . D.



IBELLUM *de antiquis Puerorum Prænominibus , quibus ante mille & sexcentos annos utebantur Romani , adversus quosdam pereruditos viros conscripsi . Ac certissimis argumentis docui, eadem fuisse Pueris prænomina , quæ & viris fuissent . Necessario autem faciendum mihi fuit, ut nimius fortasse in antiquis Inscriptionibus congerendis viderer . Nam & res per summos homines in dubium revocata multis erat testimoniis confirmanda , & operæ pretium mihi facturus videbar , si, quos per Urbem sparsos ipse diligenter descripseram lapides , quibus in ipsis quidpiam esset , quod ad hæc litterarum studia pertineret, sub uno quasi adspectu ponerem. Multa autem & magna, quæ antiquitatis , & Latinæ linguæ studiosos adjuvent , in veteribus monumentis conservantur . Illud utinam deplorandum non esset , hæc ipsa monumenta, studiose , patrum memoria , a doctis & potentioribus viris collecta , heredum negligentia dispergi, & perire. Has vero nostras lucubrationes ætati & studiis tuis congruentes tibi dono libenter damus. Nam duodecimum annum agens tantam ingenii, & judicii præ te fers maturitatem , ut omnes in te* HORATII *Patris tui viri sapientissimi prudentiam , virtutem , & pietatem facile agnoscant . Macte ista indole . da operam, ut neque* HANNIBALE *religiosissimo Episcopo Patruo tuo; neque* JOANNE CASA *Archiepiscopo , incomparabili Patris tui Avunculo : neque* FRANCISCO GUICCIARDINO *summis honoribus functo. Matris tuæ Patruo magno ; neque* ALEXANDRO BARDIO *Episcopo , Aviæ tuæ Fratre , indignus umquam habeare. Illustria tibi ad litterarum , eloquentiæ , & virtutis laudem domestica sunt proposita exempla. Perge, ac, dum per ætatem licet, honestis ingenium artibus excole , ut mox adulto res publica tibi committi feliciter possit. Vale. Romæ. X. Kalendas Februarias.* 1594.

JOSEPHI CASTALIONIS JURISCONSULTI COMMENTARIUS DE ANTIQUIS PUERORUM PRÆNOMINIBUS.



FRANCISCUS Robortellus, homo apprime doctus, libello de Cognominibus & appellationibus Impp. extremo, Pueris nulla fuiſſe prænomina ante virilem togam, diſerte diſputat. Luſtrico autem die, qui erat maribus a natali nonus, nomina gentilicia imponi tantum moris fuiſſe, opinatur. *Locus eſt*, inquit, *Suetonii adnotandus in Claudio Nerone, qui huc ſpectat, numero V. Ejuſdem infelicitatis ſignum ejuſdem die luſtrico exſtitit. Nam C. Cæſar, rogante ſorore, infanti ei, quod vellet, nomen daret, intuens Claudium, patruum ſuum, a quo mox Principe Nero adoptatus eſt, Ejus ſe dixit dare. ergo luſtrico die, eſt appellatus infans Claudius. Ecce, ut non addebatur prænomen. nam, quo die virilis toga dabatur, aſſumebant prænomina, ut alibi ex Valerio a me contra nonnullorum ſententiam declaratum fuit.* Hæc ille. Robortelli ſententiam ſecutus videtur Onuphrius Panvinius, qui de antiquis Romanorum nominibus libro ſic ſcripſit; *Pueros ego crederem, & Puellas prænominibus quidem caruiſſe, Pueroſque familiæ nomina, & cognomina uſurpaſſe, ut Julios Cæſares, & Tullios Cicerones; Puellas vero tantum nomina gentilicia, ut Juliam, Tulliam, Fabiam. Maximam enim mulierum partem non ſolum ante nuptias, ſed poſtquam nupſiſſent etiam, prænominibus caruiſſe, conſtat. Quod enim Valerius de prænominum imponendorum ratione refert, manifeſtum erit Ciceronis epiſtolas percurrenti, ubi ante virilem togam ſemper Cicerones Pueri dicuntur, poſtea Marcus filius, Quinctus filius. Unde ipſe Cicero in Epiſtolis Fam. Habuit*, inquit, *prænomen neſcio quid virilitatis & dignitatis*. Hæc Panvinius. Utrique Pſeudo-Valerius impoſuit; & ante illos Alciato noſtro, qui libro Diſputationum 4. cap. 1. ſic inquit: *Extat penes me Valerii Maximi quoddam opuſculum, quod inſcribitur de nominibus Roman. &c.* Carolus quoque Sigonius lib. Emendationum ſecundo ejuſdem Pſeudo-Valerii opuſculum citat, his verbis: *Prænomina igitur muliebria ſtatuit Valerius, apud quem ita ſcriptum eſt, capite de prænominibus: Antiquarum mulierum frequenti in uſu, &c.* Ego, antequam ſuſceptam de Puerorum prænominibus diſputationem aggrediar, ſuppoſiticium Valerii opuſculum illud de Prænomine, ſive Decimi libri Valerii per Cajum Titum Probum Epitomen de Prænomine adulterinam eſſe ſtatuo. idque mihi aperte diſſerenti Aldus Manucius, vir optime de litteris meritus, ejuſdem ſententiæ pleroſque doctos viros eſſe, falſamque omnino haberi hanc Decimi libri ad Valerium acceſſiunculam affirmavit. Quare mirum in modum mihi gratulatus ſum, quod & per me ipſe damnaſſem, quæ aliis etiam ſuſpecta eſſent. Hoc igitur everſo fundamento, ædificium ſuperſtructum corruat, oportet. Sed ad diſputationem de Puerorum Prænomine deveniamus. Scripſerit Plutarchus in Problematis nomina octavo, & nono die imponi ſolita eſſe apud Romanos. Sextus Pompejus ea

A de re ita meminerit: *Luſtrici dies infantium appellantur, puellarum octavus, puerorum nonus, quia his luſtrantur, atque eis nomina imponuntur*. Cum eo Macrobius conſentiat, his verbis: *Eſt autem luſtricus dies, quo infantes luſtrantur, & nomen accipiunt; ſed is maribus nonus, octavus eſt feminis*. Non tamen continuo ſequitur, ut Pueros Prænominum expertes fuiſſe ſit dicendum. Nam *Nomen* non pro gentilicio, & familiæ nomine proprie uſurpatum iis in locis judico, ſed pro quacumque appellatione, ſive id prænomine in maribus, ſive cognomine in feminis fieret. Errat Robortellus, cum apud Suetonium *Nomen* pro gentilicio ſumit, & eo gravius errat, quod longius ab hiſtoriæ fide diſcedit, B & familias confundit. Infantem enim ex gente Domitia Claudium appellatum eſſe, affirmat. atque adeo lectoribus probare conatur, non addi pueris prænomina, ſed nomina gentilicia, conſuetum eſſe. Dixerat quidem Caligula, ſe Claudii nomen dare, ſed per jocum, & aſpernante Agrippina, ut eſt apud Suetonium. Verum, eſto, datum ſit Domitio Ahenobarbo nomen Claudii, qui Tiberius Claudius Druſi filius dicebatur, Claudii nomen, id eſt, nomen proprium, quod & prænomen vocabatur, quo a reliquis ex gente Claudia diſtinguebatur, ut eſſet puero prænomen Tiberius. Nonne abſurdum fuerit dicere, eum qui natus ſit ex Do- C mitia gente, ſine ulla adoptione, uno eodemque tempore, tum Domitiæ, tum Claudiæ gentis exſtitiſſe? Panvinius vero Ciceronis epiſtolas percurriſſe quidem videtur, ſed nuſquam ſubſtitiſſe. quippe qui nuſquam ante togam datam Ciceronibus pueris prænomina appoſita ſcribat. Hominem celerrime percurrentem fefellit epiſtola xx. lib. v. ad Atticum. *Ego*, inquit M. Cicero, *cum Laodiceam venero, Quincto ſororis tuæ filio togam puram jubeor dare*. Et epiſtola prima lib. VI. *Cicerones*, inquit, *pueri amant inter ſe, diſcunt, exercentur. ſed alter, uti dixit Iſocrates in Ephoro & Theopompo, frenis eget,* D *alter calcaribus. Quincto togam puram Liberalibus cogitabam dare. mandavit enim pater*. Ad has epiſtolas ſi divertiſſet Panvinius, aut ſi paulum ad eas commoratus eſſet, ante togam datam altero ex Ciceronibus puero Quincto prænomen fuiſſe didiciſſet. *Cicerones*, inquit, *ante* XVII. *ætatis annum, quo anno toga dabatur, ſine prænomine vocantur, poſt id tempus prænomen addebatur M. & Q.* Commenticium, & plane falſum eſſe id, ex ipſo Cicerone cognoſcitur. Nam & poſt togam datam Ciceronem ſuum ſine M. prænomine appellat lib. ad Atticum nono. *Ego meo*, inquit, *Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpini potiſſimum togam puram de-* E *di*. Jam vero, quis Pſeudo-Valerio, Pueros prænominibus exuenti, fidem habebit? quis Robortello, & Panvinio, gentilicia nomina comminiſcentibus, crederet? *Gentilicia*, inquiunt, *nomina luſtrico die imponebantur*. O rem ridiculam! ei, qui gentis ſuæ nomen ex matris utero ferebat, id ipſum nomen imponi. Sed, quæſo, qui fieri poterat, ut ex gente Julia, & Tullia, Julius & Tullius non naſceretur? aut, ſi plures liberi anniculi, bimi, trimi,

quadrimi ab uno patre ſuſcepti eſſent, omnibuſque ante togam unum gentilicium nomen inditum eſſet, Juliorum videlicet, aut Tulliorum, qui fieri poterat, ut ſine ulla proprii nominis appellatione diſcerni diſtinguique inter ſe poſſent. Sed mitto argumenta. Ad morem, uſum, & conſuetudinem, ſummo lapidum conſenſu, feſtino. Nam mihi vetera urbis Romæ monumenta perſcrutanti tam multa intra atque extra Urbis ambitum ejus generis ſeſe obtulerunt, ut finem deſcribendi prope nunquam facerem, ſi omnia quæ ad hanc rationem pertinent, perſequi vellem. quædam ſelegimus, paucioribus contenti ad oſtendendum, minores XVII. annis prænominibus affectos. Sed & Carolus Sigonius vir doctiſſ. lib. Emendationum ſecundo in caput XVIII. & XXV. Robortelli egregie pro Puerorum prænominibus diſputat.

Apud Delphinios:

TI. CLAVDI. EVRYTI. VIXIT. ANNIS. VI
MENSIBVS. VIII. DIEBVS. III
FECIT. CLAVDIA. EXTRACTA. MATER
FILIO. BENEMERENTI. ET. SIBI. POSTERIS
QVE. SVIS

Vides, puero infra pubertatem extincto, prænomen Tiberio fuiſſe.

Ibidem:

MEMORIAE
I
P. AELI. OLYMPIAN
QVI. VIX. A. XVI
M. II. D. XI
RELICTA. MATRE
INFELICISSIMA

Huic quoque prætextato Publio prænomen fuit.

Ibidem:

L. THORIO
EVTYCHE
V. A. I. M. VI. D. XII

Infanti alterum annum agenti Lucio prænomen fuit.

Sed, quando ſingulis inſcriptionibus additus eſt ſuus ætatis annus, ipſe temporibus exponendis ſuperſedebo.

Ibidem:

DIS. MANIBVS
M. CASSI. M. F
GEMINIANI
VIXIT. A. VI. M. V. D. XVII
M. CASSIVS. FRVCTVS
ALVMNO. ET. SIBI

Apud Maffejos:

TI. CLAVDIO. VITALIONI. FILIO
CARISSIMO. QVI. VIX. ANN. XI
M. VII. D. XIII. FECIT

AELIVS. AVG. LIB. IANVARIVS. PATER
ET. CLAVDIAE. SVCCESSAE. CONIVGI
BENEMERENTI. ET. INCOMPARABILI. FEMINAE
CVM. QVA. VIX. ANN. XXX. CVIVS. NVLLA. CVPIDITAT
EST. EXPERTVS. ET. CLAVDIO. AVG. L. CEN
(SORINO. FILIO
KARISSIMO. ET. SIBI. ET. SVIS. LIB. LIBERTA
(BVSQ. POSTERISQ. EORVM

Via Flaminia, ad S. Andreæ, prope Pontem Milvium.

D. M
T. NAVINI. PRIS
CO. VIX. ANN. II
DIEBVS. VIII
T. NAVINIVS. PHI
LADESPOTVS. ET
CORNELIA. FELICITAS
PARENTES. FILIO
KARISSIMO

Apud Orſinium Juſtinianum, ſive in Ædibus Podocatharorum ad Cloacam S. Luciæ:

D. M
M. MEMI
LIO. PLO
CAMIA
NO. P. AELI
VS. PLOCA
MVS. ET. F
SPES. FILI
O. VIXIT
ANNIS. II
MENSES. I
DI. XXVIII

Et:

M. APPAEO
MAXIMO
VIX. A. VI
MENS. III
D. XX
H. IIII

Ad Campum Floræ:

M. AQVILII. EVCARPI
FIL. DVLCISSIMI
QVI. VIX. AN. VI
M. XI. DIEB. II
M. AQVILIVS
SATVRNINVS. PATER

Apud Cæſios:

Q. CAECILIO
FEROCI
KALATORI. SACERDOTII
TITIALIVM. FLAVIALIVM
STVDIOSO
ELOQVENTIAE
VIXIT. ANNIS. XV
MENSES. I. DIEBVS. XXIII
FILIO. OPTIMO. AC
REVERENTISSIMO
M. GAVIVS. CHARNIVS

Et:

P. NAEVIVS. FORTVNATVS. VIX. ANN. XVII. MENS. XI.
M. CALIDIVS. MARITIMVS. VIX. ANN. IIII. MENS. V
P. MANLIVS. FVLVIANVS, ET. NAEVIA. SCATILLA
FECERVNT. FRATRI. PIISSIMO. ET. FRATRI
(DVLCISSIMO

In Muſæo Carp.

TI. CLAVDI. PHILETI
V. A. VI. M. III. D. XXI
TI. CLAVDIVS. PHILETVS
ET CLAVDIA. PHILA. PAREN
FEC. F. CARISSIMO. PIISSI

MO . ET . SIBI . ET . SVIS
LIBERTIS . LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE . EORVM

Apud Cæsios:

T . CAESIVS . PRISCILLAE . L . HERMES
POSTVMIANVS . SIBI . ET
CAESIAE . ANAPHE . CONIVGI . CARISSIMAE
T . CAESIVS . AGATHO . SIBI . ET
CAESIAE . PERSIDI . CONIVGI . CARISSIMAE
T . CAESIVS . T . F . SER . PERSICVS
VIXIT . ANNIS . II . MENSIBVS . VI

Apud Hieronymum Pichium:

D . IVNIO . HERMETI . CONIVGI . KARISSIMO
D . IVNIO . D . F . DECEMBRO . VIX . ANN . IX . M . VI
ET . P . NONIO . NVMERIANO . VIX . ANN . XIV . M . VII
FILIS . DVLCISSIMIS . ET . LIBERTIS
LIBERTABVSQVE . POSTER . EORVM
FECIT
NVMERIA . MAXIMILIA . MATER . INFELICISS

Apud Octavium Pantagathum, ad S. Mariæ in Via:

D . M . CN . DOMITIO . VITALIONI
VIXIT . ANN . XIII . MENS . XI . DIEBVS . XXIII
CN . DOMITIVS . THALLVS , ET . IVNIA
CHARIS . FILIO . BENEMERENTI . FECE
RVNT . ET . SIBI . LIBERTIS . LIBERTABVS
QVE . POSTERISQVE . EORVM

Ad Columnam Antonini:

D . M
T . FLAVIO . T . F
VIBIANO . VIXIT . ANN
VNO . MENS
VIII
PARENTES
INFELICISSI
MI . FECER

Ad S. Paulum:

D . M
M . PACONIO
FELICI . FILIO
SVO . B . M . ARTI
CVLEIA . EVTHI
CIA . MATER
FECIT . VIXIT . AN
NIS . VI . DIEBVS . XIIX .
HOR . VIIII . LIBER
LIBERTABVSQ . SVIS
POSTERISQ . EORVM
S . T . T . L . IN . F . P . VIII
N . AGRO . P . VIII

In via publ. ad S. Crucis in Hierusalem:

DIS . MANIB
T . FLAVI . FELICIS
T . FLAVIVS
SVCCESSVS . AVG . L
TABVLARIVS
MARMORVM
LVNENSIVM
LIBERTO . KARISSIMO
ANNOS . VIXIT . X
MENSIBVS . VII . DIEBVS . XXIII
IN . F . P . XXV . IN . AG . P . XXXXV . ITV
AMBITV . AQVAE . PRAESTAND

Apud Maffæjos:

SEX . TRVTTEDIO . SEX . F
POL . MAXIMIANO
FVIT . AD . SVPEROS . MENSES . VII
TRVTTEDIVS . CLEMENS
TRIB . COH . II . VIG
ET . MARINIA . PROCVLA
FILIO . KARISSIMO

Ad S. Paulli:

DIS . MANIBVS
L . NONIO . QVETO
V . A . VIII . M . III . D . VII
NONIA . QVETE
MATER
FILIO . DVLCISSIM
FECIT
IVLIVS . VITALIIS . LOCV
ET . ARA . DON

Ibidem:

A . FVLVI . A . F
CELERIS . FECIT
L . OPPIVS . VALERIANVS
FILIO . NATVRALI . QVI . VIXIT
ANNIS . XV . MESES . VIII . DIES . VIII

Et:

M . VLPIO . FELICISSIMO . VIXIT . ANN . IIII . DIEB . V
M . VLPIVS . AVG . LIB . MEROP . ET . FLAVIA . PHOEBAS
INFELICISSIMI . ET . MVLVIVS . PRIMIGENIVS . ET
CAPRIOLA . NVTRICII . ALVMNO . PIISSIMO

Apud Ferratinos:

TI . CLAVDIO . TI . F . CAMIL
SOTERICHO
VIXIT . ANNIS . DVOBVS . MENSIBVS . XI
DIEBVS . X . H . III . FECIT
TI . CLAVDIVS . SOTERICHVS
INFELICISSIMVS . PATER . AETERNO
DOLORE . ADFLICTVS . ET . SIBI . ET . CLAVDIÆ . EXOCHE
CONIVGI . SVAE . ET . LIBERTIS . LIBERTABVSQVE
(POSTERIS . EORVM

Et.

C . IVLIO . C . F
METRODORO
VIX . ANN . IIII
MENS . IIII
D . XXVII

Apud Matthæios, trans Tiberim:

M . CARENIO . M . F
VENVSTO
Q . V . AN . VIII . M . X
M . CARENIVS . FELIX
ET . CARENIA . VENVSTA
INFELICISSIMI . PARENTES . FIL

In æde S. Salvatoris in Lauro:

CN . POMPEIVS . CN . F . PRIS
CVS . VIXIT . ANN . ET . M . VI
POMPEIA . CN . F . PROCVLA
VIXIT . MENSES . XI
POMPEIVS . TVSCVS . FILIS . SVIS
POMPEIA . CN . L . PRIMI
GENIA . M . EOR

In ædibus Vignolæ:

Q . CORNELIO
EVCARPO . V . A
XII . M . V . D . XX

PARENTES
FILIO . CARISSIMO

In Capitolio:

Q . OSTORIVS
Q . F. LICINIANVS
VIXIT . ANN . IX . ET
MENSES . III

Ad S. Petrum:

A L . LEPIDIVS . L . LIB . HERMES
B NEGOTIATOR . AERARIVS . ET
FERRARIVS . SVB . AEDE . FORTVNAE
AD . LACVM . ARETIS . ET
OBELLIA . THREPTE
FECERVNT
L . LEPIDIO . L . F . PAL . HERMEROTI
QVI . VIXIT . ANNIS . VIII MENSE . I . DIEBVS . XXII . ET
LEPIDIAE . L . L . LVCVLLAE
QVAE . VIXIT . ANNIS . V . DIEBVS . VIII
FILIS . DVLCISSIMIS . ET . PIISSIMIS . ERGA . SE . ET
LIB . LIBERTABVSQVE . POST . QVE . EORVM
HAEC . TABER . CVM . AEDIF . HVIVS . MONVM
(TVTELA . EST (SEQVET
C H . M . SIVE . AEDIFICIVM . QVOD . EST . HEREDEM . NON

In templo S. Laurentii in Lucina:

TI . CL . EVTYCHE . TI . F
QVI . VIXIT . ANNO . VNO
M. VIII. D.XXVIII.CLAVDIVS
EVTYCHES . FILIO
DVLCISSIMO

Apud Orsinium:

D . M
D L . PRECILIO . ROMANO
VIXIT . ANNIS . VIIII . MENSIB . VIII . DIEBVS . XII
L . PRECILIVS . APOLLONIVS . ET
FABIA . TACHINE . FILIO . DVLCISSIMO
FECERVNT . ET . SIBI . CALLISTVS . FRATER . EIVS
ET . SVIS . LIBERTIS . LIBERTABVSQVE . POSTERISQVE
EORVM . H . M . D . M . A

In templo S. Chrysogoni:

C . IVLIO . IVLIANO
VIX . AN . VIII . MEN . X
DIEBVS . XVII
IVLIA . NICE
VERNAE . B . M . FECIT

In æde S. Francisci, trans Tiberim:

L . TARQVITIO . MARCIANO
FILIO . DVLCISSIMO
QVI . VIXIT . ANNIS . VIIII . MENS . VI
DIEBVS . XVIIII . HORIS . XI
L . TARQVITIVS . TROPHIMVS
ET . TARQVITIA . EVTYCHE
PARENTES . FILIO . DVLCISSIMO
F FECERVNT . CVIVS . CORPVS . CAVSA
PONDERIS . ANTE . ARA . POSITV . EST

Ad ædes de Valle:

DIS . MAN
C . NONI . CERVSI
SACERDOTIS . CABESIS
MONTIS . ALBANI
CVRIONIS
C . NONIVS . IVSTINVS
ALVMNO . DVLCISSIMO
VIXIT . ANN . II . M . XI . D . XIII

In ædibus Vall:

CN . ANTONIVS . AGA
THOPVS . ET . ANTONIA
AMPLIATA . CN . ANTONI
O . AMPLIATO . FILIO . DVL
CISSIMO . QVI . VIXIT . ANNI
XIII . MEN . VIIII . D . V . HO . III
FECERVNT . PARENTES . INFE
LICISSIMI.ET.SIBI.ET.SVIS.L.L.P.Q
EORVM

In Hortis Carp.

M . CAECILI . AVGVS
I
TIN . V . A . VIII . M . IX
D . XXIII . M . CAECILIVS
CALLISTIANVS
ALVMNO . KARISSIMO

Ibidem:

D . M
Q . VOLVSIO . AVGVSTALI
VIX . ANNVM . M . D . XXI
Q . VOLVSIVS . DEXTER
VERNAE . SVO . FECIT

Ibidem:

P . SCANTIO . IVLIANO
P . SCANTIVS
AVGVSTALIS . PATER . ET
SERVILIA . C . F . ISIAS
MATER . FILIO . PIISSIMO
FECERVNT
QVI . VIXIT . ANN . VIII
MENS . V . DIEB . XII . HOR . VI
CVIVS . ANNOS . INGENIVM
EXCEDEBAT

Ad Basil. S. Mariæ Majoris.

MEMORIAE
M . NONI . PLACIDI
V . A . XXVII . M . VIII . D . XII
AB . ANNO . AETATIS . SVAE
XII . OCVLIS . PATENTIBVS
VIDIT . NIHIL

E Ob rei novitatem appinxi Epitaphium Nonii, quamvis sit longe supra XVII. annos.

In Hortis Pontif. Vatic.

D . M
M . FABIO . M . F . FABIANO . VIX
ANNOS . VIIII . DIES . XXX . FABIA . C . F
SABINA . MATER . FEC . FIL . DVLCIS
SIMO . PIISSIMOQ . ET . SIBI . LIBER
TIS . LIBERTABVSQ . SVIS . POSTE
RISQ . VTRIVSQ . SEXVS . EORVM
IN . FR . P . VII . IN . AG . P . VII

Ibidem:

D . M
M . VLPI . FAVSTI . VIXIT
ANNIS . X . MENSIBVS . V
DIEBVS . XVIII
M . VLPIVS . ANTAS . AEDITVVS
AEDIS . CONCORDIAE . FILIO
DVLCISSIMO . SIBI . ET
CONIVGI . FECIT

Ibidem:

L . CASSI , ABILEI
VIXIT . ANNIS
SEX . MENSI
BVS . II . DIEB
OCTO

Ad S. Paulli:

D . MANIBVS
MEMMIAE . ROMANAE
PATRONAE . BENEMERENTI . ET
A. MEMMIO . TELESINIANO . F . SVO
QVI . V . A . II . D . XXXVIII . H . X

In Insula Tiberina:

T . SEXTIVS . T . L . HOSPES
SIBI . ET . SVIS
SEXTIAE . T . L . HELENE
T . SEXTIO . T . L . APOLLONIO
T . SEXTIVS . T . F . SABINVS . VIXIT . ANNOS . II

In Arce S. Angeli.

POST . TITVL
QVOQVO . VERS . P . III
DIS . MANIBVS
SACRVM
L . VALERIO . INFANTI
RAPTVS . QVI . EST . SVBITO
QVO . FATO . NON . SCITVR
NATVS . NOCTIS . H . VI
VIXIT . DIEBVS . LXXI
ABIT . NOCTIS . AB . H . VI
QVISQVIS . EVM . LAESIT
SIC . CVM . SVIS . VALEAT
IN . FRONTES . DVO . P . TER
ET . IN . LATERA . DVO . P . TER

A

Ad Pontem Milvium:

C . TVTICANO
SOPHRONI
VIXIT . A . III
MENS . VIIII
DIEBVS . XV
C . TVTICANVS
SOPHRO
PATER

Ad S. Andream, prope Collem hortulorum, apud Alexandrum Rondonum, Statuarium, ad quem, superioribus diebus, a Fulvio Ursino, viro totius antiquitatis peritissimo, admonitus, adii, lapidem inspexi, descripsi:

B

L . IVLIVS . GAMVS
DIIS . MANIBVS
L . IVLI . MARCELLI
NEPOTIS . SVI
VIXIT . ANN . V
DIEB . XXXI
CORPVS . INTEGRVM
CONDITVM
SARCOPHAGO

C

Apud Aldum Manucium, virum eruditissimum, qui undique veterum monumenta, quod superioribus annis potentiores factitabant, coemere, ac colligere numquam desistit, inque eam rem sumptus facit ultra fere, quam rationes ejus ferant:

DIIS . MANIBUS . SACRUM
M . STATI . M . F . GAL . MANLIANI
VIXIT . ANNIS . VIII . DIEB . XIII
M . STATIVS . M . L . LAVTVS . PATER
MANLIA . C . L . LASCIVA . MATER
FECERVNT . FILIO . ET . SIBI
POSTERISQVE . SVIS

Testimonia ejusmodi tot tantaque sunt, ut jam ne dubitandi quidem de puerorum prænominibus locus futurus sit amplius.

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM ET VERBORUM.



B

D

F

ne

G

H

L

Atinia

M

N

O

Q

R

FINIS TOMI SECUNDI.




SPECIAL
OVERSIZE
N
5610
G871
V.2
82-B
1305
GETTY CENTER LIBRARY

